Universidad de Deusto
Biblioteca



RVPERTI

OPERVM

TOM. II.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1ª
Estante 5º
Plúteo 6

29,6

RVPERTI
ABBATIS MONASTE

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS MONASTERII TVITIENSIS, E' REGIONE COLONIÆ AGRIPPINÆ SITI, ORDINIS S. BENEDICTI, VIRI ET vitæ sanctimonia & sacrarum literarum peritia præclari.

OPERVM TOMVS SECVNDVS.

Quid hoc tomo contineatur, vide pagina sequente.



Es del Coll.º R. de Lopola, y su Libreria.

COLONIAE AGRIPPINAE,
APVD HAEREDES ARNOLDI BIRCKMANNI,
ANNO SALVTIS cIↃ. IↃ. LXXVII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæsa. Maiestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR,

Commentariorum

In Osee	VI.	In Naum	III.
In Iohelem	I.	In Abacuc	III.
In Amos	IIII.	In Sophoniam	II.
Lib.		Lib.	
In Abdiam	I.	In Aggæum	I.
In Ionam	II.	In Zachariam	V.
In Micheam	III.	In Malachiam	[illegible]

Commentariorum in Cantica Canticorum, de incarnatione Domini, libri septem.

De victoria verbi Dei libri tredecim.

De Diuinis officijs libri duodecim.

ORTHVINVS GRATIVS PHILOCHARIS PIO LECTORI, S. P. D.

MAXIMI facies lector candidissime Franciscum Birckman, ac fratrem ipsius Arnoldum: qui quum sint in vetustissimis simul atque optimis autoribus, non inquirendis consequendisque tantum, verùm etiam in imprimendis diuulgandisq; diligentissimi, ita etiã in Christianorum maximè codicum synceritate, minimè negligenda, maximè conspicui plurimumq; illustres. Nihil ex illorum officina feculentum, nihil fatiferum, nihil impium prodit. Omnia ad puram eruditionem, ad integrã fidem, & ad solidam doctrinam consequendam, cum optimis optimi, certatim expendunt. Quòd tam in vendendis assiduè bonis libris, classicisque autoribus euulgandis, quàm in luculentissimis ac planè diuinis, Ruperti nostri operibus, terra mariq́ue (& maximis quidem eorum impensis) diligenter conquirendis, ac tandem excusis, luce clariùs docuere. Ad Rupertum venio, antiquissimum summumq́ue Theologum: qui non per diuerticula, aut vagas contentionum ambages diuagatur, sed via regia, via tuta, via euangelica, via solida ac certa, sacros hic interpretando Prophetas neminem non cælesti inflammat igne. Syncerus est, integer etiam ac purè candidus. Moriar, si vllum deorum nectar suauius esse credam, hoc Ruperti Prophetarumq́ue poculo, quod sitienter ebibentes, nunquam sitiunt, quo sese inebriantes nunquam inebriantur: Multo enim, multoq́ue ampliùs, quàm cogitare quisquam potest, de pectore ipsius candidissimo & gratiarum pleno, conditum sapidumq́ue promanat, cuius niueam simplicitatem, cuius eloquentiam incredibilem, cuius sententiarum grauitatẽ, cuius deniq; Theologicã sublimitatem nemo nõ admirabitur, nemo non in cælum feret. Auricomum enim habens caput, veste splendescit argentea, et velut ætherius sol cuncta collustrat. Hic decus et præsidium est Theologorum: ad hunc, tanquam ad anchoram, hac tempestate literati omnes decurrunt. Quemadmodum materia salubris, ita & stylus delectabilis. Et vt semel finiam, hoc nostrum in Abbatem non aspernabere distichon.

Nunc medium cæli tangit, nunc æthera pennis
Verberat, & decimo semper spaciatur olympo.

Quid multa? Adijciamus (si ita libet) & hoc nostrum Epigramma.

Cædite Philosophi, quos Græcia iactat, habetq́;
Iactitat & si quos Itala terra suos.
Hos longè exuperat Rupertus, gloria vatum,
Gloria doctorum, Teutoniciq́; soli.
Par decus ingenij nulli sperare licebit.
Nam nouit quicquid Theologia docet.

Hos igitur Ruperti libros, lector candidissime, obuijs suscipe manibus, et nobis immortales habe gratias, qui non hosce solùm, de quibus hic loquimur, verùm omnes fermè alios (quorum ingens est numerus) Ruperti libros, ad vnguem vsque recognitos, in studiosorum omnium vtilitatem, non fideliter minùs quàm diligenter edidimus. Vale feliciter. Coloniæ ex officina nostra literaria, tertio nonas August. Anno Domini. M. D. XXXIIII.

BIBLIOTECA COLLEGII SOCIETATIS JESU IHS

Universidad de Deusto
Biblioteca

ELENCHVS EORVM QVAE HABENTVR IN COMMENTARIIS RV. PERTI, IN DVODECIM PROPHETAS MINORES. VBI NOTA, NVMERVM SIGNIFICARE Folium: literas autem a, priorem: b, designare alteram Folij faciem.

A.

ABacuc, id est, luctator. 327.a
Abacuc loquitur in persona Christi. ibid.
Abdias interpretatur seruus domini. 199.a
Abdias tempore Heliæ fuit. ibid.
Abel primus pœnitentium. 101.b
Ad austrum habitare. 210.a
Ad quid inuocandus Deus. 125.b
Aeditui apud Sophon. dicuntur sacerdotes Baal. 360.a
Abraham propheta, ad quem & promissio & repromissio facta est. 4.b
Abscondita Esau, sunt sacramenta legis & prophetarum. 203.a
Absconditum peccatum. 100.b
Abyssus dedit vocem. 130.a
Aceruus viginti modiorum Christus. 385.a
Accedere ad propheitissam apud Esaiam. 1.b
Achon furatus de anathemate, cuius typum gessit. 21.b
Aduentus Christi. 162.b
Aduentum Christi prædicit præcipuè Iobel. 106.b
Aduentus Christi primus, sicut sibilus auræ tenuis. 8.b
Aduentus iste pacificus arcum et gladium conterens. 23.b
Aduentus vterque Iudæis reprobis in damnationem 107.a
Aduerbiorum similitudinis significatio. 114.b
Aduersarij fidei triplices. 369.a
Afflictio duplex. 295.b
Afflictio & ira Christi. 232.b
Afflictio & ira Ionæ. 232.a
Afflictio & ira Moysi. ibid.
Agitatores qui non sunt domini, qui. 399.a
Aggæus dicitur festiuus. 379.a
Alexander Magnus vt bruchus. 313.a
Alæ superbiam significant, & dæmones volucres cæli dicuntur. 38.a
Alexandria Aegypti olim No dicebatur. 309.b
Alexandriæ & Niniue comparatio. ibid.
Alieni à cælesti Hierusalem. 132.b
Amorræus diabolum significat. 149.b
Amos propheta difficilis. 134.a
Ambulare in nomine Dei sui. 256.a
Amici ficti. 276.a
Angeli fortes dicuntur. 298.b
Angelorum intercessio pro filijs Israel ad Deum. 9.b
Anguli excelsi. 365.a
Anima vt auis, verbum Dei vt laqueus. 154.b
Animalibus & brutis similes. 111.a
Animi passiones omnium malorum causæ. 304.a
Annuncians eloquium suum. 164.a
Ante faciem indignationis domini stare. 288.a
Apostoli filij sunt Israel & secundum carnem, & secundum fidem. 11.b
Amphora apud Zachariam quid sit. 407.b
Apostoli sunt fratres Christi, & filij matris eius. 88.a
Apostoli vt vngulæ æreæ. 260.a
Apostoli lenes & seueri. 265.a
Apostolorum ad gentes expulsio. 129.a
Appropinquare solio iniquitatis. 175.b
Aquæ bonæ & fideles. 303.a
Aquæ maris effusæ doctores ex gentibus sunt. 195.a
Aquæ Niniue, diuitiæ dicuntur. 383.a
Aquila super domum domini, Romanum imperium contra Hierusalem. 59.b
Aquila super domum domini bis venit. 60.a
Aratores, patriarchæ: messores, apostoli. 198.a
Arcturus & Orion. 167.b
Arcus Israel contritus in valle Israelis. 9.b
Area & torcular, pressuræ sanctorum. 122.a
Ariditas in diuitijs. 291.a
Arrogantia ingressus pontificum. 361.b
Argento inuoluti. 363.a
Ascendere in cælum, quid. 194.b
Ascensio de terra duplex, sicut duplex resurrectio. 11.b
Ascensio viui omnes electi sunt. 195.a
Assiduitas religionis & continentiæ in ministris domini. 117.b
Assur pro superbo diabolo ponitur. 70.b & 313.b
Assur à muliere & semine eius contritus. 325.a
Assur regis pastores. 314.a
Assur diabolus dicitur. 372.a
Assyriorum perfectio qualis. 292.a
Atelebus, parua locusta. 311.a
Auaritia, abyssus multa. 183.b
Auaritia mala quid. 342.b
Auaritia mater malorum. 187.b
Auaritia sicut ignis. 272.a
Auaritiam quæ mala sequantur. 303.b
Auaritia in capite omnium. 193.a
Auaritia Iudæorum contra pauperes. 188.b
Auaritia Pharisæorum. 250.b
Auari, maximè Iudæi. 187.a
Auaritia Iudæorum. 363.a
Auditionem audire quid. 325.b
Auditio de verbo incarnato tremenda. 348.a
Auditores carnales & spirituales. 119.a
Auolare quasi aues ex Aegypto, quid est. 91.a
Aurei vituli Hæreticorum. 244.a

B.

BAalim, quæcunque idola dicuntur. 18.b
Baalim per nullam interpretationem debet vocari Deus. 22.b
Baal non fuit ex Israel, sicut fuerunt vituli aurei. 63.b
Beelphegor à Latinis Priapus dicitur. 73.b
Bellatores diaboli. 356.a
Bellum sanctificare. 130.a
Belial quomodo vniuersus interijt. 296.b
Beniamin, id est, filius dexteræ. 210.b
Bestiæ quatuor de mari ascendentes. 387.a
Bethauen, domus idoli, prius dicta est Bethel. 37.b
Bethlehem etiam Ephrata vocatur. 260.b
Bibe & consopire. 415.a
Bibere vinum in dulcedine. 108.a
Bibere vinum damnatorum 149.b
Bona temporalia sicut pomum. 187.b
Bubali dicuntur superbi Iudæi. 181.b

C.

CAin peccatum septuplex. 452
Caiphas mendacij opifex. 53.b
Caiphas laqueus ruinæ factus est. 72.a
Chaldæi, dæmones & Romani. 331.a
Caluitium aquilæ. 242.a
Campestria habitare à deo quid. 210.a
Capi à deo, bona est captiuitas. 43.b
Capitis commotio duplex. 309.a
Caput de domo impij. 356.a
Captiuitatis humanæ initium. 126.b
Charitas latum mandatum. 106.b
Carnalia desideria Iudæorum. 419.a
Carmelus duplex. 147.b
Carmeli vertex, scribæ & Pharisæi. 135.b
Carnalis Israel, spiritualem semper vt extraneus persequutus. 206.a
Carnales Iudæi Edom dicuntur. 200.b
Carnis iustitiæ. 105.b
Castra Christi morientis magna & fortia. 115.b
Catulus leonis, Christus. 153.a
Causa dei semper iusta, ergo iustissimum etiam. 270.a
Carbones desolatorij. 428.a
Celebrare festiuitates. 296.b
Cærimoniæ Iudæorum desiuunt. 195.a
Cærimoniæ legis, figura Christi. 385.a
Christus doctor iustitiæ. 119.b
Christus cur non placuit carnalibus Iudæis. 51.a
Christus cur à propheta dicitur Israel. 87.b
Christus clamauit in prophetis. 327.b
Christus dominus exercituum. 305.b
Christus finis totius scripturæ. 282.a
Christus fortium suorum recordatur. 301.a
Christus formans montes. 163.a
Christus in cruce erexit cornu Dauid, cornu salutis. 62.b
Christus in scripturis quærendus. 211.b
Christus lapis. 364.b 402.b
Christus leo dicitur. 304.a
Christus legatus missus ad gentes. 200.b
Christus mons. 253.b
Christi nomen apud Esaiam, accelera, spolia, detrahe, 1.a.
Christi promissionem implere septem regna conabantur. 284.b
Christum præ omnibus gratis oderunt. 170.a
Christus quasi ros in vtero virginis. 104.a
Christus quasi leo rugijt. 91.a
Christus sol in die luminis. 190.b
Christus solus verè dicit, Clamaui ad te, quia exaudisti me. 225.a
Christus solus perfectè loquutus. 169.b
Christus venit quasi imber temporaneus & serotinus. 45.a
Christus vt leæna & catulus leonis. 43.b
Christus vt cornu ferreum. 260.a
Christus verè deus. 162.b
Christus verbum domini. 106.b
Christus candelabrum aureum. 403.a
Christus quomodo coronatur in electis. 414.a
Christus agricola est. 440.a
Christus solus in scripturis quærendus. 388.a 358.a
Christus dicitur Zorobabel & filius Salathiel. 387.b
Christus dicitur seruus domini. 400.b
Christus lapis, super quem septem oculi. 402.b
Christus doctor iustitiæ. 119.b
Christi egressus duplex. 260.b
Christi ecclesiæ dicuntur ciuitates, vineæ, & horti 198.b
Christi ecclesia & virgo est & coniunx. 28.a
Christi insultatio contra Iudæos. 443.a
Christi passio figurata in Iona. per totum prophetam. 211.a
Cibus electorum, laus dei. 123.b
Ciuitas dei. 342.a
Ciuitas sanguinum, Hierusalem. 307.a & 344.a
Clamor ad deum verus. 222.b
Clamor ad deum pro terrenis, vlulatus est. 57.b
Claudicans Israel dicitur. 256.b
Clerici memores sui officij quid faciunt. 342.a
Clericorum osores lyncei ad eorum vitia, ad sua Tyrie. 292.a
Climata secundum situm Hierusalem. 396.a
Clypeus ignitus, sermo dei. 299.a
Cogitantes contra dominum 289.a
Cogitantes inutile. 243.b
Columba habens fel, non habens cor, Iudæi sunt. 56.b
Columba regenerantem spiritus sancti gratiam significat. 91.b
Comedere peccata populi quid est. 34.b
Comprimere manus quid. 325.b
Computrescere in stercore suo quid est. 111.a
Confessio vera de Christo. 335.a
Confusio Iudæorum duplex. 343.a
Cœli dicuntur apostoli, terra autem ecclesia. 382.a
Conuersio Iudæorum non recta. 390.a
Consilium apostoli. 312.b
Consolatio electorum duplex. 292.b
Constantini donatio. 230.b
Contemplari viam. 297.b
Contemptibilis. 201.a
Cõtritio & retributio Iudæis duplex debetur. 207.a
Contritio capitis, mulieris & seminis Christi est. 325.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conuersio vera ad Deum. 116.a
Conuersio Dei ad nos & benedictio. ibid.
Conuiuijs fere impij conspirant in sanctos. 291.b
Cor marus, medium eius est. 220.b
Cornua, brachia crucis. 350.b
Correctio & confessio Ionæ. 224.a
Corpus Christi, templum sanctum Dei. 220.b
Creatio diaboli qualis. 336.a
Credentium numerus paucissimus. 343.a
Culmus stans, in quo germen non est, litera legis dicitur. 64.b
Cupiditas meretrix dicitur. 308.a
Custodes quasi locustæ. 313.a
Custodire vanitates. 224.a

D.

Damnatio diaboli triplex. 356.a
Damasci scelera. 136.b & 138.a
Darius, quartus à Cyro rex. 388.b
Dauid psalmos clausos scripsit, clauem Christo relinquens. 4.b
Dauid primus scripsit, & cecinit propheticum sermonem. 26.b
Dauid primus cælestia promissa de regno Dei manifestè explicauit. 49.b
Dauid typum Christi, Hieroboam Iudæorum carnalium gessit. 49.a
Dauid victoria contra Goliath mystica. 210.a
Decem tribus muidebant Iuda promissionem. 289.a
Decima pars domini. 165.b
Dæmones, in Romanis sicut equites. 330.b
Densum lutum, multæ diuitiæ. 341.a
Demes hostium Dei. 250.b
Descendere dominum quid. 238.a
Descendere in infernum quid. 194.a
Desolatory carbones. 428.a
Deuastatio Niniue. 294.b
Dei corripientis intentio. 152.b
Deum sequi propter pascua sua non propter ipsum. 99.a
Deo congratulari est comprimere manus. 325.b
ad Deum vera conuersio. 116.a
Dei conuersio ad nos & benedictio. ibid.
Deus ad gentem Hebraicam ter accessit, iuxta verba Osiæ. 26.b
Deus ab Austro veniet. 349.b
Deus æmulator & vltiscens dominus. 285.b
Deus exercituum. 176.a
Deus est hostis Iudæorum. 237.b
Deo seruire grande præmium est. 375.a
Deus impassibilis. 286.b
Deus iudex iustus, fortis & patiens. ibid.
Deus iratus est Iudæorum non genti, sed incredulitati. 90.b
Deus in medio eorum. 123.b
Deus misericors inferendo nobis mortem. 314.a
Deus neminem ejicit, nisi qui prius ab eo spõte recessit. 76.a
Deus non factor, sed suscitator gentis amaræ. 331.a
Deus non tradit aut dimittit, nisi quos incorrigibiles scit. 39.a
Deus non solùm vindictam petit, & pœnam sicut homo læsus, sed magis pœnitentiam peccatorum. 90.b
Deus quomodo accessit ad fornicariam, iuxta similitudinem Osee. 6.b
Deus spes erit piorum, horror impiorum in die magno. 131.a
Dies hostiæ domini. 361.a
Dij terræ boni, & dij terræ mali. 371.a
Die 24. noni mensis natus est Christus. 386.a
Diaboli creatio qualis. 336.a
Diaboli draconis intentio. 297.a
Diaboli congregatio. 333.a
Diaboli fortitudo imbecillis. 334.b
Diabolus qualis à Deo creatus. 336.a
Diabolus princeps opprobrij nostri. 120.a
Diabolus rex æquorum & equitum. 332.b
Diabolus à Christo expulsus. 120.b
Diabolus mortuus Deo, viuit in impijs. 121.b
Dictum Iob exponitur. Deus non æquo iudicio afflixit me. 118.b
Dies domini contra dormientes. 112.b
Dies domini cur domini dicatur. ibid.
Dies domini magnus quis est. 113.b
Dies domini ex malis præcessuris creditur. 112.b
Diem domini magnum fore indubitabile sit. 125.a
Dies domini prope est. 126.a
Dies domini terribilis. 230.a
Dies frigoris. 313.b
Dies famis, iudicij dies est. 134.
Diei vnius septem nomina. 206.b
Dies præparationis. 372.b
Dies vltionis mei edulis est dies salutis. 19.a (69.b
Dies visitationis, Iudæis factus est dies retributionis. 90.b
Dies illa dicitur etiam dies solemnis, & dies festuitatis. ibid.
Dies nouissimi Iudæorum nobis est plenitudo temporis. 253.b
Diligere misericordiam quid est. 271.b
Disceptatio Dei cum hominibus horribiliss. 127.a
Diuinatio prophetia mendax. 267.a
Diuisi inter se, qui seipsos à Deo diuiserunt. 77.a
Diuitiæ rete impiorum sunt. 338.a
Diuitiæ huius mundi, aridita est. 291.a
Doctor iustitiæ, Christus. 119.b
Doctores ex gentibus velut pluuia ex mari. 168.b
Doctores ecclesiæ. 264.b
Doctrina noua non est, quæ scripturis probatur. 194.b
Domus furis, templum Iudæorum. 407.a
Domus Iosiæ ecclesia est. 414.a
Dominus iustus in puniendo. 417.b
Domus Dauid contra Iudam quomodo gloriata est. 439.b
Domus Israel nunc ruinosa est. 196.b
Dominus exercituum, Christus. 194.b & 301.b
Domini verbum verus iudex. 255.a
Domini verbum Christus est. 106.a
Domini vinea. 203.a
Domini zelus de terra sua. 118.a
Dominus rex regum. 257.b
Dominus stans super altare, Christus est in cruce. 192.b

Domi-

Dominus in Sion. 84.b
Dominus de Sion rugiet. 134.b
Domine, in iudicium posuisti eum. 335.b
Dominus exercituum cur ter dictum sit. 163.a
Donationis Constantini decretum. 230.b
Dormire fiducialiter quid est. 123.b
Duo mala seu duas iniquitates fecerum Iudæi, Gentes vnam. 83.a
Duplex gladius. 197.a
Duplex retributio debetur impijs. 207.b
Duo rostra aurea. 405.b
Duo montes aurei, lex & euangelium. 410.b

E.

Ecclesia ex bonis & malis permixta in hoc mundo. 11.b
Ecclesiæ hostes, Christi hostes sunt. 266.a
Ecclesia Christi & virgo est & coniunx. 28.a
Ecclesiæ Christi dicuntur ciuitates, vineæ, & horti. 198.b
Ecclesia de gentibus sicut septem illæ mulieres apud Esaiam. 17.a
Ecclesia de gentibus, licet prius fornicata sit, tamen virgo est per fidem. 23.a
Edom, Esau, & Seir, tria nomina, re idem. 200.a
Edom ter arguitur, Crudelitas eius in Israel. 140.b
Edom, carnales Iudæi sunt. 200.a
Edom nomen inuisum scripturæ. 208.a
Edom omnis sectator vitiorum illius dicitur. 200.b
Effraim nomine, scribæ et pharisæi denotantur. 210.a
Effraim subcinericius factus est, qui non reseruatur. 55.b
Effrata, Bethlehem est. 260.b
Effraim omnis aduersarius veritatis. 104.b
Effraim carnales Iudæi, qui à Dauid & à Christo recesserunt. 55.b
Effusio spiritus super omnem carnem. 125.a
Egressus Christi duplex. 260.b
Egressus es in salutem populi tui. 354.a
Electa gentilitas dicitur. 256.b
Electorum cibus & saturitas. 123.b
Electorum duplex consolatio. 292.b
Eloquentia Iohelis ostenditur. 114.a
Eloquentia mira in sacris literis. 176.a
Eloquentia seculi. 280.b
Æmulatio Dei. 285.b
Ænigma quid. 341.a
Equi rufi, nigri, & albi. 410.b
Equi varij ad terram austri, &c. 412.a
Equi domini quales. 114.a
Equi fortissimi, Apostoli. 412.a
Error Iudæorum bonus est nobis. 397.b
Esaias vir nobilis, & socer Manasses regis. 1.b
Esaias ob quam causam occisus est. ibid.
Esau vestes bonæ. 203.a
Esau vxores. 204.a
Ætas Christi. 348.a
Euangelium secundum Hebræos. 218.a
Euangelica prædicatio in plateis. 300.a
Exacerbare dominum, est peccatum suum defendere. 33.a
Excelsa super quæ graditur Deus. 164.b
Extremi iudicij terror. 230.a
Exultare est hilariter credere. 121.b
Exultare ad horam. 426.b
Ezechias dupliciter consolatus. 293.b

F.

Fabulæ & genealogiæ Iudæorum. 192.b
Facere iudicium quid. 271.a
Faciens matutinam nebulam Christus est. 164.a
Factio lasciuientium impij sunt. 178.b
Falsi fratres hæretici. 208.b
Fames animæ grauior corporis fame. 191.b
Formæ spiritualis intelligentia, in culmo literæ legis. 64.b
Fasciculus numerus Apostolorum. 195.a
Fermentum malitiæ in Iudæis, in nocte azymorum. 54.a
Festa Iudæorum in luctum conuersa. 190.b
Festiuitates celebrare. 296.b
Festiuitas tabernaculorum apud Christianos. 450.a
Festorum celebratio vera. 296.b
Ficulnea genus humanum cur dicitur. 73.b
Ficulneæ prima poma patriarchæ sunt. ibid.
Ficulneæ folia sunt filij damnationis: poma, filij. ibid.
Fides paucorum est. 330.a
Fides absque operibus. 255.a
Fides firmitas in Iona. 223.
Fidei verbum bonum. ibid.
Filia Sion, primitiua ecclesia. 257.b
Filij Edom qui. 75.b
Filij benedictionis qui sunt. 154.a
Filij regis & filij regni. 361.b
Filij Sion, Apostoli. 428.b
Filij Sion, Iudaica gens dicitur. 124.b
Filij Israel inexcusabiles. 160.b
Filij Israel, filij promissionis. 210.b
Filij Israel carnales sunt sicut harena maris: At filij Israel secundum fidem sunt sicut stellæ cæli. 11.a
Filij maris, qui crediderint & baptizati fuerint. 91.a
Finis malus populi Israel. 188.a
Flagellorum suorum causas Deus non vult latere. 150.a
Flagellandi modus triplex. 119.a
Fletus domini super Hierusalem. 164.b
Flumen pacis, spiritus sanctus. 133.a
Fluuij terræ, sapientes seculi sunt. 353.b
Fornicari est à Deo recedere, & seruire creaturæ. 6.b
Fornicaria duplex in Israel, Oolla & Ooliba. 37.a
Fornicatio corporalis, pœna est fornicationis spiritualis. 36.a
Fortes tres Dauid boni, fortes tres Iudæorum mali. 85.b
Fortes angeli dicuntur. 298.b
Fortia fundamenta terræ, reges. 273.a
Fœdus Iudæorum cum morte, & pactum cum inferno. 78.a
Fœdus vinitorum cum bestijs. 23.a
Fortitudo diabolj imbecillis. 34.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fortitudo Dei Christus aliter quàm bruchus. 123.a
Fortes quasi quercus. 149.b
Fortitudo diaboli non vera. 336.a
Fratrum Iacob & Esau mystica expositio. 210.a
Frumentum, vinum, & oleum duplex. 119.a
Fuga Ionæ pia & placens Deo. 213.a
Fugere dominum, & à facie domini, differunt. 216.b
Fulgurans hasta quid. 353.b 355.b
Funiculus misericordiæ & iudicij. 351.a
Funiculus peccatorum longus in Iudæis. 52.a
Funiculi charitatis. 89.b
Funiculi maris, requies pastorum. 368.a
Fundamentum summum. 254.b
Furati sunt sufficientia sibi. 202.b
Fures Iacob & gentes dicuntur & dies ipsæ. 202.a
Fures & latrones qui sunt. 248.a

G.

GAbaa duplex peccatum Israel habuit. 82.b
Galaad ciuitas in tribu Gad, in qua idolum primò consecratum est. 48.a
Galaad cur supplantata sanguine dicitur. ibid.
Galgala locus idololatriæ antiquus. 37.a & 132.b
Gaudium verum, eiusq; ordo. 110.a
Gedeon typum Christi gessit. 86.b
Generationes nouem inter Zorobabel & Ioseph. 405.a
Gementes vt columbæ. 302.a
Gens fortis. 108.b
Gens longinquissima, diaboli. 130.a
Gentes quæ oderunt Israel gratis. 141.b
Gentilium iustitia. 292.b
Gentilis populus olim fuit absq; misericordia, nunc Iudæi absq; misericordia sunt. 26.b
Gentilis populus vt meretrix, Iudaica gens vt adultera habetur. 67.b
Gentes labores suos, Iudæi labores aliorum possidebant. 68.a
Gens Iudæorum cur vitula docta dicitur. 83.b
Gentiles facti sunt Iudæi & Iacob. 84.a
Gentibus euangelizandum, in Iona figurabatur missio ad Niniuen. 217.b
Gentes erant procul à Deo. 415.a
Gladius duplex. 197.a
Gloria & laus Christi. 349.b
Gloria patrum ex carne Christi. 123.b
Gradatio in sermone apud Oseę per Apostolum explanata. 25.b
Gurges aquarum transijt. 354.b

H.

HAbenæ currus prælati sunt. 299.a
Helisæus spiritum Heliæ duplicem habuit. 161.a
Hæreditas mea Israel. 127.b
Hæresis contra spiritum sanctum. 163.b
Hæretici falsi fratres. 208.b
Hæretici cur dicuntur filij Moab & filij Ammon. 369.b
Hæretici cur illis dicuntur esse similes. 370.a
Hæretici familia, Aegyptij. 450.a
Hæretici quid tandem erunt. 370.b
Hæreticorum libri sunt sicut vxor Loth. ibid.
Hæreticorum peccatum irremissibile. 371.a
Hæretici inter paganos reputabuntur. 450.a
Herodes rex Iudæorum transiturus. 87.b
Hæsitatio incredulitas est. 121.b
Hieroboam peccatum. 242.b
Hierusalem ciuitas sanguinum. 307.a
Hierusalem cælesti alieni qui sunt. 132.b
Hierusalem infirmata in bonum. 462.a
Hierusalem peccatum grauius quàm Samaria. 180.
Hierusalem quomodo Niniue dicatur. 304.b
Hierusalem quare pila dicitur. 362.a
Hierusalem olim columba. 372.b
Hierusalem sæpius succensa. 111.b
Hierusalem terrena filia latronis. 260.a
Homo diuersum opus ab alijs creaturis. 348.b
Homines animalibus similes qui sunt. 122.a
Hominis imbecillitas. 108.b
Hominum genera duo. 107.a
Horti & vineæ dicuntur Christi ecclesiæ. 198.b
Hostes Dei. 170.a & 286.a
Hostes ecclesiæ Christi quoq; sunt. 266.a
Humanæ captiuitatis initium. 126.a
Humaniformij hæretici. 267.b
Humilitas custos virtutum. 339.a
Humilitas Iudæorum in captiuitate Babylonica. 183.b
Humilitas vera fortitudo. 189.b
Humilitas Iacob & Moysi. ibid.

I.

IAcob Deo primus vouit decimas. 166.a
Iacob & gentes dicuntur fures. 202.a
Iacob & Israel coniunctim quid significent. 296.a
Iacob paruulus, id est, humilis. 183.a
Idola quæ deceperunt Israel. 144.b
Idololatriæ primum edictum. 242.b
Idolum primum apud Iudæos, ex mauribus & monilibus fœminarum fuit. 19.a
Idololatrarum dementia. 36.a
Idololatria in gentibus error, in Iudæis horror est. 48.b
Idola per Christi passionem in telas aranearum fuerunt. 64.a
Iehu quasi paliurus. 275.a
Iehu rex, nõ vero zelo Dei percussit domum Achab. 7.b
Iehu rex iussu Dei, non ex gratia, sed ad vindictam. 62.a
Ieiunium sanctificare. 110.b
Ieiunium sanctificare plus quàm prædicare. 117.a
Iesrahel, semen Dei, filij promissionis dicuntur. 7.a
Iesrahel etiam Metropolis & Naboth dicuntur. 7.b
Iesrahel cur pro Naboth occiso ponitur. ibid.
Ignominiam generis humani operiebat lex, deleuit Christus. 18.a
Ignominia Christi & Iudæorum diuersa. 345.b
Ignorantiam Dei habere, & pro ignorantibus orare diuersa sunt. 347.b

Imber

Imber matutinus & serotinus. 57.a & 122.b
Imbecillitas hominis. 108.b
Immunditia Israel idololatria. 247.a
Impassibilis est Deus. 286.b
Impij dicuntur factio lasciuientium. 178.b
Impij robur, est infirmitas. 157.a
Impij sunt sepulchra diaboli. 121.b
Impiorum sagenæ duæ. 338.b
Incarnati verbi auditio timenda. 348.a
Incorrigibiles sunt, qui non per ignorantiam, sed per malitiam mendacium dicunt aut confingunt. 63.a
Inexcusabiles filij Israel. 160.b
Inhonoratus, superbus dicitur. 294.a
Iniquitas Iudææ, maior quàm Sodomæ. 162.a
In medio amorum quid. 348.b
In medio Deum esse. 123.b
Insania prophetarum Ephraim. 71.a
Insatiabilia mala sunt auaritia & luxuria. 35.b
Insultatio Christi contra Iudæos. 443.a
Interiora iecoris. 100.a
Intentio corripientis Dei. 152.b
Interrogatoria, Christo & Ionæ proposita, similia. 216.b
Intrare in profundum maris. 194.a
Interpretatione nominum consistit, qualitas rerum et sensuum. 358.b
Interpretatio quorundam nominum hebraicorum. 360.a
Insulæ gentium ecclesiæ Christi. 371.b
Inutilia cogitantes. 243.b
Inuidia decem tribuum contra Iudam. 289.b
Inuocandus Deus ad quid. 125.b
Ioannes Baptista propheta, & plus quàm propheta. 4.b
Ionas typus saluatoris. 211.a
Ionæ confessio & correctio. 224.a
Ionæ fides firma. 223.b
Ioppe. 213.b
Iohel quis, & quid significet. 106.b
Ioseph typus Christi. 170.b
Ira bona quæ. 232.b
Ira sanctorum qualis. 273.b
Irrisio superna contra mundum. 311.b
Israel carnalis non nisi temporalia bona appetebat. 49.b
Israel carnalis Dauid regẽ gratis odio habuit. 50.a
Israel claudicans dicitur. 256.b
Israel vt hedera & fœnum. 234.a
Israel durius puniri debet, quàm cæteræ gẽtes. 153.a
Israel verus habitat solus, non commiscetur gentibus. 55.b
Israel bonus sicut vua in deserto, Ephraim sicut auis auolans. 73.a
Iuda sunt omnes gentes Christum confitentes. 398.b
Iudæi carnales & Moab dicuntur. 145.b
Iudæi Tyrij dici possunt. 128.b (71.b
Iudæi crucifigentes Christũ, rectè dicũtur Ephraim.
Iudæi vaccæ pingues in monte Samariæ. 80.b
Iudæi dicuntur Chanaan & Philistijm. 367.b
Iudicia duo contra Iudæos. 359.a
Iudæi quare dicuntur populus Chanaan. 356.a
Iudæi habitantes funiculum maris. 367.b (sem. 3.b
Iudæi prophetias de Christo perdidissent, si intellexis
Iudæi cur libros prophetarum venerati sunt, cũ exosos haberent prophetas. 3.a
Iudæi idololatræ etiam in Aegypto. 6.b
Iudæorum summa miseria, quòd tam sunt, & captiui, & non populus Dei. 11.a
Iudæi carnales non sunt filij promissionis. ibid.
Iudæi cur amãt adhuc literã in prophetis. 12.a 133.b
Iudæorum duplex fornicatio. 36.b
Iudæi filij fornicationum rectè dicuntur. 142.a
Iudæi mendaces dijs falsis, Dei beneficia attribuerunt. 16.a
Iudæis non fuit hæreditas à patribus suis, sicut alijs gentibus. 17.a
Iudæorum dira in Deum ingratitudo. 17.b
Iudæi gens absq; misericordia nunc est. 20.a
Iudæorum exsecratio multum profuit fidei Christianæ. 22.a (29.a
Iudæi sine rege et principe, sine ephoth et Teraphim.
Iudæorum futura conuersio. 422.a
Iudæi scientiam Dei repulerunt. 37.a
Iudæi pactum Dei irritum fecerunt, & filios alienos genuerunt. 41.a
Iudæi sicut Adam transgressi sunt. 47.b
Iudæi furentes à vino cœperunt Christum. 54.b
Iudæorũ ingratitudo mendaciaq; cõtra Christũ. 57.
Iudæi vlulant & ieiunant super triticũ & vinũ. 57.b
Iudæi facti sunt quasi arcus dolosus. 59.a
Iudæi negauerunt ac subsannauerunt Moysen, Dauid, & Christum. ibid.
Iudæi à mendacio quod in Christum consinxerunt, nunquam emundantur. 180.a
Iudæi sunt vasa immunda, quia immũdi spiritus sunt in eis. 64.b
Iudæorum cæcitas circa leges euangelicas. 66.a
Iudæi per superbiam & inuidiam, sicut Aegyptus indurantur. ibid.b
Iudæorum peruersa dilectio. 68.a
Iudæorum sacrificia post passionem Christi, sunt panis lugentium. 69.b
Iudæi deriserunt prophetas. ibid.
Iudæi inflati scientia, magistri facti sunt erroris. 70.b
Iudæi seditionem in Barrabam hæreditauerũt. 73.a
Iudæorum diuisio inter sese. 77.a
Iudæi iusto Dei iudicio traditi sunt patri mendacij. 81.b
Iudæi absq; regno sunt vbiq; in seruitute. ibid.
Iudæi miserè nunc pendent inter Deum & idola. 90.a
Iudæorum odium contra Christum. 180.a
Iudæorum vetus idololatria in deserto. 175.a
Iudæi malè robusti. 168.b
Iudæi cælestia & terrestria dona amiserunt. 150.a
Iudæi frustra sperant imperium. 128.b
Iudæi peiores Cham. 345.a
Iudæi spoliati cur sint. 342.a
Iudæi populus Assur. 324.b
Iudæi quærunt & non inuenient. 415.a
Iudæorum Deus, aurum. 192.a
Iudæi volebant sibi prophetari bona carnalia. 197.b
Iudæorum ceremoniæ desiuunt. 195.a

Iudæorum confusio duplex. 343.a
Iudæorum conuersio non recta. 390.a
Iudæorum contributio & retributio duplex. 207.a
Iudæorum carnalium typum gessit Hieroboam. 49.a
Iudæis in vinea solùm folia relicta. 203.a
Iudæi omnium iniustissimi. 228.b
Iudæorum pertinaces responsiones. 244.b
Iudæorum dispersio. 325.a
Iudæorum confusio duplex. 343.a
Iudæi pueri centum annorum. 395.b
Iudæi quomodo eleuati. 409.a
Iudæi quare ieiunabant. 416.a
Iudæi gentibus inuident salutem. 461.a
Iudæis quatuor mala à quatuor regnis. 107.b
Iudæorum luctus. 117.b
Iudæo primùm & Græco. 124.a
Iudex verbum domini. 255.a
Iudicium damnationis diaboli triplex. 356.a
Iudicium peruersum quod est. 328.a
Iudicij funiculus. 351.b
Iudicium facere quid est. 271.a
Iudicia domini solùm in scripturis scrutandi. 152.a
Iudicium domini extremum. 282.a
Iudicij nouissimi terror. 307.b
Iudicij dies pijs non formidabilis. 132.a
Iurare in Deo Dan. 192.a
Iuramenta Dei. 179.a 230.a
Iurauit dominus in sancto suo. 159.a
Iuramentum Dei in superbia Iacob. 189.b
Iussiones Dei aliquando ex indignatione. 159.b
Iustitiæ carnis. 180.a
Iustitiæ gentilium. 292.b
Iustificari per fidem sine operibus quomodo intelligitur. 255.a
Iustitia Iudæorum in cæremonijs, in gregibus, & in armentis. 40.b
Iustitiæ dolor Christus. 119.b

L.

Labor contra Christum vanus. 344.a
Lacus in quo non est aqua. 427.b
Lactare quid est. 20.a
Lactati à Deo Iudæi varijs signis & prodigijs. ibid.
Lactatur à Deo ecclesia longè dulcius. ibid.
Lachis. 241.a
quid Lampas vna, & lucernæ septem. 403.b
Lapis Christus. 343.a
Lapides vini meremur dici ex fide. 201.b
Latrones scribæ & Pharisæi. 202.b
Laus & gloria Christi. 349.b
Laus Dei cibus electorum. 123.b
Lebetis et ollæ differentia, et mystica expositio. 249.b
Leo Christus dicitur. 304.a
Leo Deus, præda electus. 91.a
Legatus missus ad gentes, Christus est. 200.b
Legis sententia de pendente in ligno. 205.a
Lepra diuersa in Maria & Ozia. 147.a
Libanus. 104.b 287.a
Libanus vinum. 104.b
Liberum arbitrium in homine. 36.a
Liberare lanam & linum à seruitute malorum hominum. 13.a
Libri canonici ex Iudæis non gentibus. 124.b
Lignum crucis. 343.a
Litera legis hedera. 233.a
Litera legis culmus. 64.b
Lingere puluerem quid est. 280.b
Literalis sensus plerunque nimis exilis & maiestate vacuus. 25.a
Locus natiuitatis Christi, solis Dauid, & Michææ reuelatus. 235.a
Locustarum mysticus sensus. 107.b 182.a 313.a
Lupi vespertini Persæ & Mœdi appellantur. 331.a
Loqui dominum ad Osee, & loqui in Osee differunt. 6.a
Luctus Iudæorum sub Persis & Mœdis. 108.a
Luctus sub Assuero. 109.b
Luctus sub regno Græcorum. 110.a
Lux sagittarum verbum domini. 355.a

M.

Mala septem à Iudæis perpetrata. 360.a
Maledictio & duplex contritio Iudæorum. 455.a
Maris cor, est eius medium. 20.b
Mala auaritiam sequentia. 303.b
Malitia quam Iudæi cogitauerũt in Christum. 95.a
Malum quod dominus facit. 155.b
Maledictus à Deo solus Christus. 218.b
Manus domini effugere non possumus. 193.b
Manus comprimere est congratulari Deo. 325.b
Mare orientale. 120.b
Mare nouissimum. ibid.
Maria mater contriuit caput serpentis. 325.a
Martyrum victoria. 301.b
Maxilla gulam designat, quia per eam cibus comminuitur. 89.a
Meditatio in scripturis. 106.a
Memphis Aegypti metropolis olim fuit. 69.b
Mendacium Iudæorum de Christo sicut tela aranearum. 64.a
Mendacij fructum nunc vsq; comedunt Iudæi. 85.b
Mendacij dilaceratione plena. 307.a
Menses Iudæis tantùm lunares sunt. 41.a
Mensor ciuitatis Christus. 393.b
Merces meretricis. 239.b
Meretrix cupiditas dicitur. 308.a
Meridies, episcopus gratia Dei. 205.a
Michæas percutitur. 252.a
Michæas quomodo intelligendus ibid.b
Michææ solicitudo. 257.a
Misericordia Dei, constantiæ illius indicium. 231.a
Misericordiam diligere quid est. 271.b
Misericordia Dei in Iona mirabiliter se ostendit. 224.a
Misericordia alia parua, alia magna dicitur. 45.b
Misericordia ad proximum duplex. 46.b
Moab dicuntur carnales Iudæi. 146.a
Mons Sion, Hierusalem est cælestis. 208.a
Montes & colles cælestis Hierusalem qui sunt. 132.b
Montes quos Christus format. 163.a
Mons Pharan quid. 349.b

Mons

Mons oliuarum scissus. 446.a
Morasthi. 236.a
Mors duplex. 101.b
Mors Iudæorum duplex in captiuitate. 194.a
Morsus tuus ero inferne. 101.b
Mors nostra ex Dei misericordia est. 314.a
Mortui consopiti qui dicuntur. 299.b
Mortui dicendi non sunt sancti. ibid.
Moyses velut Orion. 168.a
Mulier in medio amphoræ. 408.a
Mulieres duæ Samaria & Hierusalem. 408.b
Multitudo sacerdotum confusa sub Hieroboam. 34.a
Mundi peccatum inexcusabile. 304.a
Munitiones Iudæorum. 333.b
Murmur bonum. 302.b
Murus litus. 184.a
Mutatio duplex. 334.a
Mysterium in numero quindecim argenteorum, & in coro ac dimidio. 28.a
Mysterium in numeris mille & decem. 165.b
Mysterium numeri xxxiij. 219.b
Mysterium numeri quadragenarij. 229.a
Mysticus sensus potius attendendus, quàm litera. 381.a
Mysterium resurrectionis Christi. 229.a
Mysterium numeri senarij. 282.b
Myrteta dicuntur scripturæ sanctæ. 391.a

N.

Naboth Israelitæ mors maximè super omnium prophetarum neces memorabilis, & in typum passionis Christi fuit. 9.a
Naum prophetia cur tam dura & aspera contra Niniuen. 284.a
Naum prophetia duplicem habet titulum. 285.b
Naum typus spiritus sancti. 285.a
Nebulam matutinam faciens, Christus est. 164.a
Nebulæ in vijs domini. 287.b
Negotiationes plures stellis, reproborum numerus. 311.
Nemo credit, id est, paucissimi. 330.a
Nemo iustitia sua saluatur coram Deo. 288.a
Nescire Deum, est contemnere. 156.a
Nescientes inter dexteram & sinistram qui sunt. 235.a
Niniue à Chaldæis capta. 301.a
Niniue deuastatio. 294.b
Ninuitæ iustiores carnali Israel. 228.b
Niniue quæ & qualis, & vndè iram domini tantam commeruit. 284.a
Niniue mundum designat. 230.a 285.a 294.b
Nomine Iacob & Esau qui denotentur. 204.b
Nomen domini inuocatum salutem parit. 146.a
Non conuertam eum, sensus eius. 136.a
Nomina septem vnius diei. 206.b
Nouale dicitur ecclesia ex gentibus, quæ sicut siluæ erant. 84.b
Nouem generationes inter Zorobabel & Ioseph. 405.a
Nouissima quasi dies amarus. 191.a
Nouissima Iudæorum initium plenitudinis nostræ. 253.b
Nuditas duplex, spiritualis in anima, corporalis in baptismo. 14.a
Nuditas Israel in Aegypto. ibid.
Numerus diaboli 666. 334.b
Numerus septenarius, perfectionem semper significat. 206.b
Numerorum 7. & 77. mysterium. 138.a
Numeri octonarij mysterium. 151.b
Nuptiæ dicuntur, quando verbum caro factum est in thalamo Mariæ. 24.a

O.

Obliuisci Deum, est contemnere illum. 34.a
Obscuritas prophetarum cur sit. 167.b 200.b
Occisorum Christi contra se sententia. 136.b
Octo beatitudines pro sanctis. 151.b
Octo primates. 263.a
Oculi septem. 425.a
Odium Iudæorũ contra Christum implacabile. 180.a
Odium istud auaritia effecit. 250.b
Odium duplex. 277.b
Oderunt præ omnibus Christum gratis. 169.a
Olla succensa. 303.b
Oleum adulationis suauitas quandoque dicitur. 92.b
Oleum, frumentum, & vinum duplex. 119.a
Oliuæ duæ data spiritus sancti. 405.b
Omnia traham ad me. 303.b
Omnipotentia Dei.
Omnis terra, omnes impij. 374.b
Onager carnalis populus Iudæorum cur dicitur. 65.b
Onus Niniue. 303.a
Olla, decem tribus Israel peior quàm Ooliba, id est, Iuda. 12.b
Opera duplicia, quædam præceptorum, quædam cæremoniarum. 24.a
Opprobria gentilium contra nos. 118.a
Oratio Ionæ. 222.b
Oratio Ionæ, orationis Christi typus. 224.a
Oratio pro ignorantibus. 347.b
Oratio querulosa, martyrum. 119.a
Ossa regis Idumææ qui vocentur. 145.b
Osculetur me osculo oris sui, id est, verbum caro fiat. 27.b
Osee studio scripsit obscurè, ne librum comburerent Iudæi. 2.b
Osee, id est, saluator, tam nomine quàm officio Christi typum gessit. 5.a
Osee sub quibus regibus, & quo tempore prophetauit. ibidem
Osee prophetarum, quorum extant libri, primus est & ante Esaiam. 6.a
Osee excusabilis de vxore fornicationis. ibidem
Osee de tribu Isachar. 12.b

P.

Pagani cur dicuntur Aethiopes. 372.a
Pactum dei cum Iudæis de templo & cærimonijs vbique conditionale fuit. 60.a
Palatæ sunt massa pinguium caricarum. 7.b
Pandens iter Christus est. 248.a

Parabola

Universidad de Deusto
Biblioteca

Parabola sancta scriptura dicitur. 341.a
Panis lugentium est quicquid hodie sacrificant Iudæi. 69.b
Pascere ventum, est superbiæ spiritu inflari. 92.a
Pascua sua quæ. 99.a
Pascha vetus inutile. 188.a
Pascha Christi figurata in Iona. 211.a
Pastor ouium Christus. 279.b
Pastores septem præcipui. 262.b
Pastoralia Thecuæ. 96.b
Paruulus inuidus dicitur & contemptibilis. 201.a
Paries dealbatus. 174.a 184.b
Passio Christi figurata in Iona, per totum prophetã. 211.b
Pharisæi variis nominibus notãtur, & octo væ illis dicuntur. 151.a
Paulus in epistola ad Romanos sapiens & discretus verbi dispensator. 31.b
Peccator quomodo similis est aranti, metenti, et fructus comedenti. 83.a
Peccatores triplices. 246.b
Peccata fortia quæ. 170.a
Peccata quæ. 85.a 220.a
Peccatum Adæ. 85.b
Peccatum Hieroboam contra Dauid. 85.b
Peccatum Iudæorum contra Christum filium Dauid. ibid.
Peccatum absconditum. 100.b
Peccatum Lamech remissibile. 169.b
Peccatum irremissibile. 169
Peccatum ex superbia. 242.b
Peccata iuuentutis. 243.a
Peccatum mundi sine excusatione. 304.a
Pennæ columbæ deargentatæ, & cæter. expositio. 283.a
Petendum non est à Deo iniustum. 337.a
Petra Iudæorum caro Abrahæ. 201.b
Petræ illius scissuræ. ibid.
Pigneratis vestibus, duplex peccatum. 149.a
Philistiym quare ponitur pro impijs. 366.b
Pilatus rex dicitur, homo mendax, & simulator. 53.a
Pilatus reus homicidij, Iudæi etiam sacrilegij. 53.b
Pilatus odij inuidiæque flammas Iudæis augebat. ibidem.
Plaga lectuli quid. 157.a
Planctus domini super Hierusalem. 164.b
Planctus vnigeniti inconsolabilis. 190.b
Plaustrum stridens. 150.b
Pomorum vncinus auaritiam designat. 187.b
Pœnitentia cur agenda. 102.b
Pœnitentia quæ ad salutem sufficit. 228.a
Pœnitentia asylum sub euangelio. 295.b
Pœnitentia vera. 116.a
Pœnitentiæ prædicatio quando celebrior. 117.a
Pœnitentiam agere, & reuerti ad dominum, quomodo differunt. 39.a
Pœnitentia Achab non ob æternum, sed propter temporale regnum. ibid.
Perambulare terram quid sit. 412.b
Populus Israel dictus est filius Dei, gratia inde nascituri. 88.a
Populus accinctus per humilitatem. 357.a
Porta iustorum passio Christi. 248.a
Porta Beniamin. 447.a
Prædestinatio Dei non tollit nobis liberum arbitrium. 13.b 126.a 344.a
Prædicatio euangelica in plateis. 300.a
Præteritis enunciare futura non infrequens prophetis. 160.a
Prælati ecclesiæ vinitores. 21.a
Prælati vocantur habenæ currus. 299.a
Præparationis dies. 298.b
Primitiua ecclesia, filia Sion dicitur. 257.b
Proletarij qui. 312.a
Prophetæ graui cum periculo ac timore prophetabant. 2.b
Prophetæ obscurè scripserunt, ne Iudæi libros eorum deperderent. 2.b 167.b 172.a 200.b
Prophetæ ij tantum dicuntur, ad quos verbum domini de aduentu Christi factum est. 5.a
Prophetarum primus, Abraham, nouissimus Ioannes Baptista. 4.b
Prophetæ etiam dij rectè dicuntur. 5.a
Prophetæ in Israel à diebus Hieroboam, vsque ad captiuitatem. 5.b
Prophetæ Ephraim falsi & multi sub Hieroboam. 71.a
Prophetæ olim dicti videntes. 200.b
Prophetis nunquam creditum. 251.a
Prophetæ templum domini. 238.a
Prophetissa ad quem accesserunt prophetæ, Maria mater Dei est.
Prophetia lucerna ardens. 399.a
Prudentia carnis. 204.b
Psallebant bibentes vinum. 149.a
Psalterium Dauid, typus carnis Christi. 47.b

Q.

Quadragesimale ieiunium. 229.b
Quadrigæ Aminadab. 300.a
Quadrigæ collisæ. ibid.
Quadrigæ quatuor. 410.a
Quare Niniuitis præ cæteris gentibus pœnitentia indicta. 227.b
Quatuor scelera, super quibus dominus non vult conuertere eum. 137.a
Quæstio de tribus diebus in sepulchro. 219.a
Quod malum facit dominus. 155.b
Quomodo conuertitur Deus, & relinquit Benedictionem. 116.a
Quomodo silendum est Deo. 347.a
Quomodo iudicat verbum domini. 225.a

R.

Recordari fortium suorum quid. 301.a
Reddere quomodo velit Deus annos. 122.b
Regnum Iuda legitimum, Regnum Israel rapina fuit. 5.b
Reges Iuda aliqui boni, reges Israel omnes idololatræ. 10.a
Reges Israel sine vnctione fuerunt omnes, excepto Iehu. 62.a

Reges Israel vitulorum peccato nunquam emundari potuerunt. 63.b
Reges Israel sicut spuma super faciem aquæ. 79.b
Regnum Israel, decies per discordiam inter se scissum. 80.a
Regũ Israel optimus Iehu, pessimi cæteri omnes fuerunt. 275.a
Regum Israel violentia. 243.a
Regna præcipua vermium nominibus signantur in scripturis. 107.a
Regna mundi, & exilia. 123.a
Regia potestas fundamentum terræ. 269.a
Reliquiæ Iacob apostoli. 264.a
Reliquiæ Israel miseræ. 156.b
Reliquiæ vocantur iusti. 340.b
Remanere de domo Iuda quid sit. 368.a
Remuneratio magna est ac beata. 376.b
Regna gentium rapina sunt. 387.a
Regna quatuor præcipua contra dominum. 393.a
Remissio peccatorum per spiritum sanctum. 429.b
Reproborum tribulatio duplex. 292.b
Reproborum numerus quantus. 311.a
Resurrectio duplex, prima animarum, secunda corporum. 12.a
Resurrectionis Christi mysterium. 229.a
Resistere Deo. 288.a
Rete impiorum diuitiæ. 338.a
Reti suo sacrificare quid. ibid.
Rex Assur, diabolus. 313.b
Rex virtutum dilecti. 254.a
Roborare virtutem. 297.b
Roma, Babylonia dicitur. 330.a
Romanos equitabant dæmones. ibid.b
Roma caput ecclesiarum. 231.a
Romanum imperium equus fortis. 114.a
Romanum imperium, est quarta bestia apud Danielem. 112.a
Romani populi auaritia. 114.b
Ruina Israel duplices. 236.a

S.

Sabæi maligni spiritus mysticè. 130.a
Sacerdotibus contradicere, est peccatum defendere. 31.b
Sacerdoti contradicentes, Adæ peccanti assimilãtur. 33.a
Sacerdotes Hieroboam comedebant peccata populi. 34.b
Sacerdotium vetus, &c. 459.b
Sacerdotibus illis malis grauius erit iudicium. 39.a
Sacerdotes illi latrones erant. 48.a
Sacerdotes Christi qualiter offerunt. 459.b
Sacerdotes angeli & nuncij. 306.b
Sacerdotibus bellare vetitum. 255.b
Sacerdotes quærentes sua. 99.a
Sacerdotium Iudæorum proiectum. 174.a
Sacra scriptura aurum & argentum. 129.b
Sacrificia legis non tam iussa, quàm permissa. 40.b
Saltus superexcrescens numerus est hominum. 153.b
Saluatores quidam temporales. 5.a 120.a 211.a
Salus ex gratia vocantis Dei. 126.a
Samaria post passionem Christi, verbum Dei cũ gaudio suscepit. 63.a
Samariæ habitatores, rectè dicti sunt Iudæi crucifixores Christi. 80.b
Samaria quasi aceruus lapidum. 238.b
Sanguis omnium sanctorum super Iudæos. 146.b
Sanguis sanguinem tetigit. 32.b
Sancti magnoperè desiderant secundum Christi aduentum. 337.a
Sancti viuunt Deo. 300.a
Sanctus in quo iurauit dominus, Christus est. 159.a
Sancti veteris testamenti ignis, noui verò flamma dicuntur. 208.a
Sanctorum ira qualis. 273.b
Sanctificare ieiunium quid. 110.b 117.a
Sanctificare ecclesiam. 117.a
Sanctificare bellum. 130.a
Sapientes seculi fluuij terræ. 353.b
Sapientia prophetarum Christus est. 282.a
Sapientia qui Christus est in scripturis latet. 104.a
Sareptanæ viduæ mysterium. 210.b
Saturitas electorum, deliciæ paradisi. 123.b
Scandalum videre coram se, aliud quàm scandalizari. 145.b
Scelera Israel. 148.a
Scribæ & Pharisæi vertex carmeli. 135.b
Scripturæ litera, argentum: sensus mysticus, aurum. 176.b
Scripturæ latebræ Christi. 211.b
Scisto Israel expectato Dauid & Salomonis. 246.a
Scire Christum esse Dominum, vita æterna est. 25.a
Scientia de Deo gentilibus ex creaturis, Iudæis etiam ex lege. 32.a
Scriptura sacra liber grandis scriptus stilo hominis. 1.a
Scriptura prophetica cur obscurè tradita est à prophetis. ibid.
Scrutari Hierusalem in lucernis. 363.b
Spiritum sequi oportet non literam. 369.a
Seruire humero vno. 375.a
Scrutator maiestatis nimius quis. 152.b
Sedere humilium est. 104.b
Sedere subtus vineam. 256.a
Seductio duplex, bona & mala. 197.b
Sela in psalmis quid. 349.b
Senectus venerabilis, & quæ vera dicitur. 107.a
Semacherib rex, tonsor Israel. 182.b
Semacherib dupliciter tribulatus. 293.a
Sententiæ concessiuæ. 311.b
Sensus mysticus de templo Christi. 495.a
Septenario vniuersitas significatur. 424.a
Sensus puerilis Iudæorum de Messia. 447.a
Septem pastores, & octo primates hominis. 262.b
Septem vltiones Dei, secundum septem capita draconis. 287.b
Sepulchrum in inferno. 294.a
Sepultura Christi vilitas. 218.b
Sequi Deum propter pascua. 99.a
Sermo Dei, clypeus ignitus. 299.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seruo Dei æquus, nemini parcens. 146.a
Serui Dei etiam filij Dei appellantur. 124.a
Serui Dei, omnium gentium electi. ibid.
Signa pseudoprophetarum inutilia, Christi autem et Apostolorum vtilia. 78.a
Silendum quomodo sit Deo. 347.a
Signa præcessura diem iudicij. 125.a
Sion filij, Iudaica gens. 124.b
Sodomis non reperiebantur decem iusti. 208.a
Sordes Ephraim, vituli aurei, & Baal. 45.a
Sol Christus est in die luminis. 190.b
Solium Christi regis & sacerdotis. 414.b
Solicitudo pro nomine domini pia. 237.b
Sortibus an & quomodo credendum. 216.a
Speculator cum Deo, et speculator Dei multum differunt. 71.a
Sperandum non præsumendum in pœnitentia. 116.b
Spes Iudæorum de regno recuperando vana & fallax. 56.a
Spinæ tribulationum remedia sunt reuertendi ad Deum. 16.b
Spinæ se inuicem complectentes qui. 290.b
Spiritus sanctus apostolis dupliciter datus. 25.b
Spiritus sancti egressus duplex. 133.a
Spiritus sancti opus duplex. ibid.
Spiritualis in malam partem dicitur, qui spiritum erroris sequitur. 65.a
Spiritus sanctus quomodo arguat mundum de peccato, & iustitia, & iudicio. 285.a
Spiritum sanctum creaturam dicere hæreticum. 163.b
Spoliatio pessima. 341.b
Sponsatio trina Dei ad hominem. 24.a
Suauitas sensus allegorici. 420.b
Subrisio quid, & quæ ipsius Dei. 169.a
Subsannatio Iudæorum contra prophetas. 172.b
Summa exultationis & lætitiæ nostræ. 122.b
Superbia Iacob. 298.a
Superbia Iudæorum, humiliata in faciem eorum. 56.a
Superbire quid. 340.a
Superbia inhonorat. 294.b
Superbiæ modi duo contra Deum. 288.a
Superbia Israel hæreses facit. 298.a
Superbia Iudæorum in templo. 79.a
Superbia incentiuum malorum. 127.a
Superædificare in scripturis. 283.b
Synagoga est filia seruilis, & absq; misericordia. 10.b
Synagoga, nec vxor est, nec coniunx. 28.a
Synagoga nunc tacet nocte, quia scientiam Dei repulit. 33.b

T.

TAbescere tam in bonam quàm in malam partẽ accipitur. 194.b
Thabor mons in campestribus Galilææ. 38.b
Talentum plumbi quid sit. 408.a
Talis vnusquisque est, quale id quod diligit. 74.a
Templum Hierusalem benè destructum est ad Christianæ fidei profectum. 21.b
Templum omnino destrui ac tolli potuit. 61.a
Templum & altare Hierusalem post passionem Christi vitulus Samariæ dicitur. 62.a
Templum illud domus idoli, seu Bethauen, & domus Mammon tunc erat. 81.a
Templum non manufactum corpus Christi. 349.b
Terra quomodo luget. 32.b
Terra promissionis domini erat, Iudæi erant coloni. 68.b
Terra domini, alia dicitur terra viuentium. ibid.
Terra sua, id est, domini quæ dicatur. 118.b
Terræmotus tempore Amos. 147.a
Terribilis sententia in occisores Christi. 136.a
Terror extremi iudicij. 92.b & 230.a
Timor Iudæorum malignus. 204.b
Timiditas, diffidentia est Dei. 121.b
Tradi in reprobum sensum, & in desideria cordis, est hominem sibi ipsi dimitti, ac derelinqui, cui Deus maximè irascitur. 38.a
Transitus domini ad Hierusalem. 171.a
Tremor & turbatio bona. 356.b
Tres factiones, & triplex seditio in Hierusalem. 362.a
Triginta maledictiones in Iudæos. 363.a
Terror extremi iudicij. 364.a
Trinitas sæpè insinuatur apud Sophoniam. 376.b
Trinitatis vnitas quatuor in Christo admiranda est operata. 377.a
Terra dicitur Ecclesia, cæli autem apostoli. 382.a
Trinitatis pulchra insinuatio. 389.a
Tribulatio duplex non erit. 291.a
Tribulationem cogitationes præeunt contra dominũ. 291.b
Tribulatio reprobortum duplex. 392.b
Tria incrementa mali Iudæorum. 182.a
Tria scelera. 137.a 138.a
Triumphus Christi similis triumpho Gedeonis de Madianitis. 86.b
Tuba euangelica in pœnitentiam. 117.a
Tyrannus mortis peccatum est, & dominus peccatoris. 34.b
Tyrus superbiam significat. 74.b

V.

VAccæ Bethauen simulachra inanimata. 79.a
Vaccæ pingues, vitulorum cultores. 158.a
Vas desiderabile, electi. 102.a
Væ scribis & pharisæis septies à Christo. 343.b
Vallis concisionis. 131.b
Vallis Iosaphat. 127.a
Vanitates custodire. 224.a
Vanitates Iudæorum contra Christum. 226.b
Vbertas terræ in rationibus Dei, nec bonus, nec malus fructus est. 76.b
Vbi est, dupliciter quærimus. 305.a
Vbi non est misericordia, ibi nec charitas est. 32.a
Venter inferi, cor terræ. 218.b
Venditus pro argento iustus. 148.a
Ventus spiritus erroris & seductionis. 214.b
Ventus refrigerium contra tentationes. 163.b
Ventus vrens spiritus sanctus est. 102.b
Ventres scissi & inde aurum quæsitum. 115.a

Verbum domini factum est ad homines, non ad deũ, sed ex Deo natum, apud Deum semper fuit. 4.a
Verbum domini beatum facit eum ad quem fit. ibid.
Verbum domini vt laqueus, anima vt auis. 73.b
Verbum domini Christus est. 106.a
Verbum quomodo ad Christum factũ. 212.b 329.a
Verbum fidei, verbum bonum. 223.b
Verba domini cum quo bona. 245.b
Verbum domini iudex verus. 255.a
Veritatem in iniustitia detinere quid est. 31.b
Vermiũ nominib. regna præcipua significantur. 107.b & 233.b
Vertex carmeli, scribæ & Pharisæi. 135.b
Vestes Esau bonæ. 203.a
Vetus paschа inutile. 188.a
Via Aegypti euagatio mentis. 161.a
Viæ domini. 287.a
Victoria martyrum. 301.b
Videntes cur prophetæ olim dicti. 199.b
Vinacia vuarum dicuntur dæmones. 27.a
Vinacia diligere est occidentem sequi literam. ibid.
Vinea domini. 203.a
Vinitores, dicuntur Ecclesiæ prælati. 21.a
Vinitorum istorum fœdus cum bestijs quale est. 23.a
Vinum Libani. 104.b
Vindicta in peccatores per homines, non hominum, sed dei est. 77.a
Vindicta in Iudæos propter sanguinem prophetarũ. 360.a
Vindicta in Iudæos propter sanguinem Christi. 361.a
Vix iustus saluabitur. 366.b
Visio Ruperti. 388.a
Visio pergrandis. 390.b
Vir super equum filius Dei. 391.a
Visio de passione domini. 399.b
Visio non substantiam, sed imaginem rei denotat. 400.a
Viri quatuor quid portendant. 414.a
Violentia regum Israel. 243.a
Virginem spiritualiter ex fornicatiõe deus facit per fidem. 23.b
Vir pubertatis suæ quis. 109.b
Virtus in infirmitate perficitur. 130.b
Virtutum custos humilitas. 339.a
Visio & diuinatio differunt. 351.a
Visiones duplices. 103.a
Visio vera mentis est. 97.a
Vituli aurei hæreticorum. 244.a
Vituli labiorum. 103.b
Vituli aurei regi Assyriorum in munus missi. 79.a
Vituli ærei deaurati, ab ædituis pro aureis subornati. ibidem.
Vlciscens dominus. 285.b
Vltio domini simplex, permanens & trãsiens. 289.a
Vnum ouile fiet. 248.a
Vncinus pomorum auaritiam designat. 187.b
Voluntates Christi duæ. 213.b
Vox Christi in cruce quid significauerit 115.b
Vox impiorum non credentes aliam vitam. 370.b
Vultus redacti in ollam. 114.b
Vxores Esau. 304.a

Z.

ZAccharias typum Christi gerit. 388.b
Zelus Dei à Iudæis recessit. 388.a
Zelus domini de terra sua. 118.a
Zelus bonus domini ad Hierusalem. 392.b 418.b

FINIS INDICIS.

IN NOMEN
RVPERTI TVITIENSIS ABBATIS.

Ruperis arte sacris quòd saxa extantia Libris
Ruperte, hoc merito nomen habeto tuo.
Quòd regis atque doces Ecclesiam & ense tueris
Verbi, Cognomen sic quoque iure tenes.
Dicere cur Abbas? Cœlestem frangere paruis
Panem filiolis, ὀρθοτομεῖν τε vales.

Γέραρδος ὁ τῶν Ἀντωνιέων ποιμήν.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLOGVS DOMINI RVPERTI TVITIENSIS ABBATIS IN EXPLANATIONEM DVODECIM PROPHETARVM.

BIBLIOTECA

SPIRITVI sancto,& omnibus, quorum per os ipse locutus est sanctis Prophetis, vir illustrissime Coloniēsium Archipręsul Fritherice iucundum esse nostrū eloquium,nō vanè speramus,dum Christi filij Dei sacramenta prædicantes,ipsorum testimonijs opportunè, & conuenienter vtimur. Vno namq; & eodem actu,dum fidem nostram Deo offerimus,ipsorum quoq; testes sumus, ipsorum fidei testimonium perhibemus. Hoc nimirum illis gratum esse, & iucundum non dubitamus. *Esaia 8.* Ait enim vnus illorum Esaias,in thesauro fidei & verbo Domini valde copiosus. Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem,& scribe in eo stilo hominis, velociter spolia detrahe,citò prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Vriam sacerdotem,& Zachariā filium Barachiæ,& accessi ad prophetissam, & concepit,& peperit filium. Et dixit Dominus ad me, Voca nomen eius, accelera spolia detrahere,Festina prędari,quia antequā sciat puer vocare patrem suum,& matrem suam, auferetur fortitudo Damasci,& spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Quisnam est liber ille grandis, quem vt sumeret sibi iussum esse dicit, nisi vniuersitas scripturarum sanctarum,in qua sunt fidelia testimonia Christi,quod sanctum primum ad Abraham Deus repromisit? Et quid illi est,in tali libro scripsisse stilo hominis nomē pueri,de quo prędixerat, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, nisi accepisse gratiam propheticam, factumque esse vnum ex illis, qui eiusdem Christi venturi testimonia cōscripserunt,eundemq; testantur extitisse Deum, priusquam per carnis natiuitatem venerit in hunc mundū. Hoc *Ibid.7.* eleganter per tale nomen prædicatur,accelera spolia detrahere,festina prædari, & per talem nominis rationem,quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram rege Assyriorū. Qualis enim, vel quanta est acceleratio spolia detrahendi,siue festinatio prædandi, priùs spolia detrahere, priùs prædari, quàm habere matrem, vel vocare patrem,qui fuit Ioseph secundum adoptionem pueri huius? Idem ergo est, ac si dicat,quia puer iste,quem virgo concepit & peperit, Deus erat priusquam idem homo fieret,& saluauit Hierusalem & Iudam à Rege Damasci Rasin,& à rege Samariæ Faccee filio Romeliæ,qui tunc illum pariter impugnabant,& à cæteris quoque hostibus,è quib. ille populus auxilio superno liberatus est. Profectò huiusmodi prophetias scribere,accedere fuit ad prophetissam, de qua dicit, & accessi ad prophetissam,& concepit,& peperit filiū. Quęnam est illa prophetissa, nisi illa, de qua prælocutus fuerat, mater Emanuelis, virgo Maria gratia plena, in qua omnis prophetia implenda erat? Iste accessus ad hanc prophetissam talis est,qualis introitus honorati viri in sanctuarium Domini cum oblatione solenni,cum talento,quod offerat auri probati atque purissimi. Testes huius rei, Ꝙ taliter ad prophetissam illā accesserit, quòd prophetiæ in ea complendæ suam portionē conscripserit, gratulatur se habere tam Apostolos ex Iudæis, quam sanctos doctores ex gentibus, verbis huiuscemodi: Et adhibui mihi testes fideles, Vriam sacerdotem,& Zachariam filium Barachiæ, sacerdos Vrias,qd interpretatatur,Lux mea Dominus, apostolica dignitas. Zacharias, quod interpretatur, Memor Domini, Filius Barachiæ, id est, benedicti Domini, conuentus vel cœtus est Ecclesiæ de gentibus, sanctis ornatus doctoribus quorum omnium, videlicet Apostolorum atque doctorum, si scripta perpendas, palàm est, quia testes sunt Esaiæ prophetæ, quòd optimè senserit & crediderit de puero hoc talis prophetissæ filio, quia nimirum in prædicatione fidei huius, verbis eius constanter vtuntur. Quod de vno Esaia diximus, de cæteris quoque prophetis dicimus, quia reuera datum est illis à Spiritu Sancto diuidente singulis, prout vult, sumere librum grandem, id est, Sanctam Scripturam, cuius primā & magnam portionem scripsit Moyses, & scribere in eo stilo hominis, id est, eadem auctorite, qua primus Moyses scripsit, scribere aliquid pro virili portione, siue quod ab homine posset legi,& tali modo accedere ad illam prophetissam,& inde habere testes duos, id est, tam de Iudæis, quàm de gentibus, credentes, quòd de Christo Dei filio multùm benè senserint,& in Spiritu Sancto locuti sint, quę gratia verè magna est. Nam legere quidem illum grandem librum, pluribus datū est, paucissimis autem, scribere in eo, & in sanctarū Canone scripturarum esse principes. Igitur sicut initio diximus, sanctis prophetis cum Christo iucundum esse nostrum eloquium, non vanè speramus, dum Christi sacramenta prædicantes, ipsorum confessione & verbis, quæ scripserunt, eundem Christum honoramus. Cui autem non sit optabile, talibus ac tantis regis æterni præconibus in hac parte iucun-

Duo testes Apostoli & sancti doctores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

te iucunditatem & exultationem facere, vt gratulentur, ſe tantæ rei nos teſtes habere? Bonam quippe viciſſitudinem in tempore opportuno valebunt rependere. Ea ſpe vel expectatione ſcito me, pater mi, ſicut in cæteris ſcripturis, ita & in volumine duodecim prophetarum operam dediſſe, ad quærendũ Chriſtum, cuius veritas eorũ corda poſſedit, ora repleuit, calamũ rexit, vt per omne, qd̃ ſcriberent, ad eius gloriam & honorẽ tenderent. Hoc nunc dico, à quo ipſe non diſſentis quòd ſicut de quadam terra ſcriptũ legimus, quia ibi naſcitur aurũ, & aurum terrę illius optimum eſt, ita de ſancta prophetica ſcriptura rectè dicas, quia in hac inuenitur Chriſti ſi lij Dei teſtimonium, & teſtimoniũ ſcripturæ huius, optimũ eſt. Tu mihi, & tecũ paxillus modicus, attamen fidelis, & in loco fideli fixus, cœnobij Sygebergenſis abbas, Cuno, fidei & ſciẽtiæ domeſticus, ſtimulũ appoſuiſti, ſicut in cæteris quibuſdam, ita & in parte iſta: vt quamuis piger eſſem, nõ tantũ vſquequaq; dormitare poſſem, quũ & hocvolumẽ aliquatenus attingerem. Quod iã feci ad finẽ vſq; Micheæ, qui in hoc ordine ſextus eſt. Septimus ſequebatur Naum, ſed quia is de aduẽtu Chriſti ferè nihil tale dicit, quòd illũ propriè nunciet, ipſo ſono literali, refriguit ſtudium, quia contracta eſt ad modum iucundi tas, quæ difficultatem tollerabilem in alijs fecerat. Ecce per hanc occaſionem imperfecto opere reſedi ego piger, fortaſsis nihil de ſex poſterioribus prophetis præſumpturus. Cur in hac re nunc ſolito pigrior ſum? Nomen inane mihi non abſq; labore dediſti.

Prologus Ruperti in Oſee prophetam.

PRimus in ordine duodecim prophetarũ ponitur Oſee Huius ad intelligentiam quanto ſapientiæ lumine opus ſit, ipſe non leuiter innuit, cũ in calce voluminis ita dicit: Quis ſapiens, & intelliget iſta: intelligens, & ſciet hæc? Sic namq; admirando interrogans, interrogando admirans ſatis affirmat, quòd diligenter & multa cũ induſtria precioſas in anguſtia litera quã profundiſsimè abſconderit ſpiritualis intelligentiæ margaritas, adeò vt quiſquis eorũ, qui meditantur in lege domini, totis ſancti ſtudij viribus adhibitis, eas inuenerit, hic verè ſapiens atq; intelligens reputandus ſit. Dicet ergo quis. Quorſum tendebat talis diligentia? Nunquid ſanctus prophetię ſpiritus, qui in iſto atq; in cæteris loquebatur, ſenſus ſui theſaurũ nobis occultũ eſſe volebat? Nunquid beneuolus nõ eſt ſpiritus ſapientiæ propheticæ, & idcirco taliter ſe abſcondebat, vt nos eam, autvix, aut nunquã poſſemus inuenire? imò vt inueniri poſſet, idcirco ſapientia hæc abſcondita, & theſaurus hic occultus eſt. Niſi enim ſeſe abſcondiſſet, nimirum hodie inueniri non poſſet. Hoc tũc demum rectè aduertis, ſi ſtatum temporis illius ritè perpendis. Nunquid enim prophetæ ſuis quiq; temporib. tam liberè loquebantur quàm licenter hodie leguntur? Nunquid nõ in multã formidine prophetabant? Dicit nãque vnus ipſorum. Si occiditur in ſanctuario domini ſacerdos & propheta, formido & laqueus facta eſt, vaticinatio & contritio. Siquidem vaticinantes occidebantur, & ipſa vaticinatio laqueus fiebat illis, vt quaſi iuſtè & rationabiliter occidi viderentur. Exempli gratia, Eſaię, quamuis eſſet ſanctus & nobilis, vtpote cuius Manaſſes rex genet extitit, id qd̃ vaticinatus fuerat, dicendo. Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatũ, laqueus fuit. Nã in lege dominus dicit Moyſi. Non enim videbit me homo, & viuere poteſt. Ergo apud iudices iniquos quaſi ex ore & vaticinatione ſua illaqueatus eſt, quod ſanctæ legi & ipſi Domino contraria dicere præſumpſiſſet, ſcribendo, ſe Dominum vidiſſe, cum Dominus dixiſſet, ſe non poſſe videri ab homine, atq; ita habito quaſi iudicio condemnatus eſt. Deniq; ab hoc illũ Hebræi à iã dicto ipſius genero Manaſſe ſectum eſſe perhibent. Quid putas illi eueniſſet, ſi quemadmodum dixerat, Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, ita etiã nudo ſermone dixiſſet, quomodo vel quali ordine idem dominus ab ipſis Iudæis crucifigendus, & tunc demum reſurgendo ex mortuis in illud excelſum paternæ dexteræ ſoliũ eſſet eleuandus? Nimirum non expectaſſent illi, vt ſaltem cum iudicio cõdemnarent, ſed ſicut beato prothomartyre Stephano dicente: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei, qui vtique crucifixus fuerat ab illis, non expectauerunt vt perageretur iudicium, ſed exclamantes cõtinuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, ita inſanientes tanquam pro zelo Domini fortiter conclamantes, ſimul irruiſſent in eum. Nec verò tantum de ſua morte ſoliciti formidabant ne occiderentur, quàm ne ſacræ periclitarentur literæ, & de hominum memoria tollerentur. Etenim nunc quidem, cum ab alijs Prophetæ occiderentur, ab alijs propheticæ literæ cuſtodirentur, tunc autem, ſi tantum ſcelus, tantiq́ue ſceleris pœnam Iudæis eueturam palàm enunciarent, nequaquàm cuſtodirentur. Exempli gratia, Quando verbo Domini quæ Baruch ſcriba ex ore Hieremiæ ſcripſerat, rex combuſsit, ſcindens volumen ſcalpello ſcribæ & proijciens in ignem, Elnathan & Dalaias, & Gemmarias contradixerunt regi, licet non audierit eos. Profectò, ſi ea, quę de Paſsione domini, & de futura ſubuerſione ciuitatis totiuſque gentis, quæ propter illam futura erat, ſentiebat, idem Hieremias manifeſtis & rebus & nominibus conſcripſiſſet, non modò non prohibuiſſent volumen illud ſcindi ſiue comburi, verùmetiam & vniuerſam illius, qua nunc Eccleſia CHRISTI fruitur, ſcripturam propheticam perdere feſtinaſſent, ipſum quoque non tantùm

Thre. 2.

Curoceciſus eſt Eſaias.

Eſa. 6.

Exod. 33.

Theſaurus abſconditus

Cur obſcurè ſcripſerunt Prophetæ.

Hiere. 39.

Act. 7.

tùm miſiſſent in lacum, vt iam fecerant, verùm etiam aut viuum igni tradidiſſent aut alio quolibet modo crudeliter occidiſſent. Contemperandum itaq; tunc erat tempori, quatenus & ſcripturas veritatis ſpiritus ſanctus conderet, & tamen veritas non vſquequaq; damnoſum venturis ſeculis odiũ ſibi pareret. Si enim Chriſtus Dei filius in pſalmo loquitur. Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua, cur non & prophetis Chriſti cõueniat dicere, Deus oſtendit nobis ſuper fornicatrices iſtas, Oollam atq; Oolibam, quarũ altera Samaria, altera eſt Hieruſalẽ, ne nimis exaſperetis eas, ne quando obliuiſcantur mei, ſiue ignorantiam Dei ſemper habeant venturi populi, ſi iſtę ſcripturas recipere aut conſeruare voluerint, vtimini diſcretione prouida occultate ſub figuris & ænigmatib. deſcenſuræ ad terras diuinitatis myſteria. Igitur cũ dicit hic vnus ex illis, primus (vt iam dictum eſt) in ordine prophetarum duodecim. Quis ſapiens & intelliget iſta: intelligens & ſciet hæc? atq; hoc dicens manifeſtè ſenſus occultos & intellectu difficiles in litera ænigmatica ſeſe ſignaſſe confirmat, rectè non iudicatur tanquam inuidus, ſed honoratur tanquã prouidus. Quippe qui bonũ theſaurum futuris gratię cohæredib. in tuto repoſuit, clauim illi derelinquens, cui dereliquit Dauid, qui pſalmos, nihilominus clauſos conſcripſit, vt aperiret ipſe quibus vellet in plenitudine tẽporis. Vndè & in Apoca. ſanctus & verus dicitur habens clauim Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, dicitq́; angelo Philadelphiæ. Ecce dedi oſtium apertũ coram te, quod nemo poteſt claudere. Ipſe nobis aperire dignetur oſtiũ intelligẽtię, per quod priores & patres noſtros, Eccleſiæ magiſtros introducere dignatus eſt, vt nos quoque cum illis videre queamus, quid, quando vel quomodo fecerit deus, per quod aſsimilatus ſit in manu prophetæ huius, ſemel & iterum ac tertiò ad mulierẽ fornicariam accedentis, & ex ea duos filios & filiam generantis, & poſthæc adhuc mulierem adulterã adeuntis. Nã quòd hæc in ſimilitudinẽ ſui prophetæ facere ſit iuſſus, ipſe teſtatur, qui in hoc eodem loquitur. Et locutus ſum per prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manu prophetarum aſsimilatus ſum. Nam cũ & illud non ab re eſt quærere, ſanctos iſtos prophetas ſuis in temporib. tam exoſos, vt plerique ex eis crudeliter interfecti ſint, quæ cauſa eos defenderit, & tantum genti illi, quãuis peccatrici, cõmendauerit, vt literas eorum in eodem receperit apice canonicæ authoritatis in quo & ipſam legẽ Moyſi? Quòd ſi quæris opportunè, reſpondetur, quia verè dignitati illorũ ſubuenit auctoritas, & iudicium ſanctæ & prouidę legis domini. Dixerat namq; Dominus, ſicut habes in libro Deuteronomij. Propheta aũt, qui arrogãtia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine deorũ aliorum, interficietur. Quòd ſi tacita cogitatione reſponderis, quomodo poſſum intelligere verbũ, quod non eſt locutus Dominus? Hoc habebis ſignum, quod in nomine domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc dominus non eſt locutus, ſed per timorẽ animi ſui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum. Cũ hæc dicit iuſta & irrefragabilis lex, ergo econtra, quod in nomine Domini propheta prędixerit & euenerit, hoc dominus eſt locutus, idcirco timebis eũ. Porrò ſancti prophetæ iſti, cum mitterentur ad prænunciandũ de longinquo Chriſti aduentum ſimul etiã de propinquo datũ vel iniunctum eſt illis prophetare illud, in quo citiùs veraces cõprobari poſſent, ſcilicet imminentẽ ab Aſſyrijs Iſraeli captiuitatẽ, itemq́; inſtantem Iudæ quoq; Babylonis tranſmigrationẽ, & præterea nõnulla etiã minora, quæ literis eorum legimus inſerta. Cũ igitur citò eueniſſet captiuitas, ſiue tranſmigratio illa, ſicut per illos veritas prophetica prædixerat, palã conſtituit, quòd veraciter fuiſſent locuti in nomine Domini, & quòd dominus miſiſſet eos atq; ita cõpleta prophetiæ pars illud quoq;, quod reliquũ vel maximum erat de promiſſione vel aduentu Meſsiæ, verum fore conuincebat. Hoc animaduerſo, nonnihil iuuari arbitror lectorem, myſterium regni Dei, vel aduentus Chriſti filij Dei in ſanctis prophetis quærentẽ, vt non miretur aut offendatur, dum in ſacris eorũ literis, modò captiuitatis ſiue tranſmigrationis iam dictæ cõminationem, modò repentè libertatis æternę & Dominici Aduentus ſignificari audit promiſsionem. Illud de propinquo, hoc aũt vaticiniũ ſentiens de longinquo, & tam propè coniũgi in litera, quæ tam longè diſiuncta ſunt per tẽpora. Exempli gratia, Cum dixiſſet hic idem propheta. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, vlulate in Bethauen, poſt tergum tuum Beniamin, Ephraim in deſolationem erit in die correptionis, in tribubus Iſrael oſtendi fidem. Quibus vtiq; imminentem declamat decem tribuum captiuitatem, repentè poſtmodum infert illud, quod ſine dubio ad inuiſibilis animarum noſtrarum captiuitatis ſpectat ſolutionem, ita in perſona Saluatoris noſtri dicens: In tribulatione ſua manè conſurgent ad me. Venite, & reuertamur ad dominum, quia ipſe cœpit, & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos. Viuificabit eos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius, ſciemus, ſequemurq́;, vt conoſcamus dominum, &cęt. Sed nos plura, quæ hinc dici poſſent, in ſuum locum differentes, iam nunc propheticæ ſeriem ingrediamur.

Pſal. 58.

Ezech. 23.

Clauis Dauid.

Apoc. 3.

Deut. 18.

Infra. 13.

Quæſtio de prophetis.

Infra. 5.

Infra. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN OSEE PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Verbum domini.

VERBVM Domini, quod factum est ad Osee, filium Beheri.] Vt simus attenti, scriptura hæc in exordio sui vocatur verbum Domini. Verbũ domini (ait beatus Hieronymus) quod in principio erat apud Deum, & Deus erat verbum, factum est ad Osee filium Beheri. Nec verè repugnat ei, quod Ecclesiastica firmiter tenet regula fidei, verbum, quod in principio erat apud Deum, non factũ, sed natum, non creatum esse, sed genitum. Nam ad homines quidem factum est hoc verbum non autem factum est ad Deum, sed erat in principio apud Deum. Etenim hominibus quidem accidentaliter ex tempore accessit, apud Deum autem nunquam non fuit. Verũtamen vbicunque in sacris legimus scripturis, ad illum vel ad illum factum esse verbum Domini, magnam sonat beatitudinem hominis, quam & in Dauid veritas ipsa commendat, cum dicit: Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Suauiter namque & magna cum deliciarum multitudine, summam sapientiam citò discit ille, ad quem sit verbum Domini, quia videlicet hoc verbum lux vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & dum insulget humanæ menti, repentè illuminat, repentè docet, neq; in incertum aurẽ cordis audiẽtis adducit, sed ita certum reddit, ita quod videt, pro constãti habet, vt non dubitet dicere, quia verbum factum est, factum (inquam) quia certissimè futurum est, immutabiliter ad implendum est, & impossibile est, quin fiat, quòd futurũ esse denunciat. Beatus ergo ille homo est, & de sua multùm potest beatitudine in domino gloriari, quia non ab homine, neque per hominem accepit illud, sed perreuelationem Spiritus Sancti. Super hac eruditionis prærogatiua soli possunt Apostoli & prophetæ in Domino gloriari, quia videlicet taliter sunt eruditi, non ab homine (vt iam dictum est) neque per hominem, sed per magisteriũ Spiritus Sancti. Idcirco quæcunq; illi scripserũt ita sunt rata, tamq; firmum habent fundamẽtum veritatis, vt de vllo ipsorum dicto dubitare nefarium sit. Sanè modum, quo sunt eruditi, siue momentum, aut velocitatem doctoris eorum, nemo vnquam satis agnouit, nisi qui experiri meruit. Sciendum præterea, quòd vbique in sanctis prophetis dictio hęc, qua dicitur, factum est verbum Domini, ad promissiones respicit, quæ nũc impletæ sunt, verbi incarnati: & ob huius intentionis excellentiam, non tantùm videntes, aut filij prophetarum, sed prophetę merentur nuncupari, quia videlicet videntes, aut filij prophetarum potuerunt etiam pro minoribus, quas præuiderunt, rebus dici. solos autem eos prophetas Sancta Scriptura nuncupat, qui prænunciauerunt, vel ad quos sermo factus est de Aduentu Christi. Nec illud ignorandum quia primus illorum pater Abraham, nouissimus autem Ioanes extitit præcursor eiusdẽ & baptisma Christi. Primum namque ad Abraham, ad quem promissio, imò & repromissio facta est beati seminis in hoc sermone Atque in semine tuo benedicentur omnes gentes. Inter vtrũque, id est, post promissionem & ante repromissionem sermo Domini factus est. Et hæc talis enunciatio in eum semel & iterum de causa iam dicti seminis taliter scripta est. His ita transactis, factus est sermo Domini ad Abram, per visionem, dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, &c. Illo ad hæc dicente: Mihi autem nõ dedisti semen, & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. statim sermo domini factus est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitq; eum foras, & ait illi. Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Credidit domino & reputatum est illi ad iustitiam. Quòd autẽ hic propheta fuerit, eo quod sermo domini ad eum factus sit, testatur ipse dominus, qui pro illo arguens Abimelech per somniũ nocte dicit: Nũc igitur redde vxorem viro suo, quia propheta est, & orabit pro te, & viues. Nouissimè in Ioannem Baptistam scripta est eiusmodi enunciatio, scribente Luca his verbis: Anno quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Quòd verò iste propheta sit, vel fuerit, testatur idẽ Dominus, cũ de illo ad turbas dicit. Sed quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiã dico vobis, & plus quam prophetam. Igitur vbi audimus in sanctis scripturis factum ad sanctos homines sermonem, siue verbum domini, iucundum & perpulchrum est perpendere, quòd sic dictum sit, vt subaudiatur eius rei, quòd verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Et ob hoc alios quidem prophetas, Ioannem autẽ plus quam prophetã esse, quia verbum carnẽ factum, magno quidem & prophetali munere sex mẽses nascendo præuenit, sed non minori priuilegio gratiæ iam iuuenem

Psalm. 93

Galat. 1.

Differentia

Abraham propheta.

Gene. 15.

Gen. 29.

Ioan. bapt. propheta.

Lucæ 1.

Matth. 11.

Ioan. 11.

uenem digito demonstrauit, dicens: Ecce agnus Dei, & tollentem peccata mundi, fluente Iordanis baptizare meruit. Parum autem erat, prophetas eos dici, ad quos sermo dei factus est. Plus. n. aliquid spiritus sanctus in Dauid de illis locutus est. Ego (inquit) dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Quam ob causam nisi quia sermo Dei ad eos factus est? Hoc enim in causa esse dominus ipse astruit, qui loquens Iudæis calumniantibus, cum præmisisset, Nónne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes, continuò subiunxit. Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & nõ potest solui scriptura, &c. Ergo prophetę dij sunt, quoniam isti sunt, ad quos sermo Dei factꝰ est. Quòd si dij rectè dicũtur, nõne & saluatores nihilominus rectè cognominãtur? Si illos scriptura dixit saluatores, per quos Deus temporalẽ Israeli salutẽ operatus est. Exẽpli gratia, Et clamauerunt filij Israel ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos, Othoniel, videlicet filium Zener. Itemq;, Et clamauerunt ad dominum, qui suscitauit eis saluatorem Aoth. Si ergo illos dixit saluatores, per quos Deus temporaliter liberauit Israel, quantò magis rectè illi dicuntur saluatores, quorum labor Saluatori nostro Deo ad nostram æternam salutem cooperatus est?

Pulchrè igitur, & non sine quodam diuino præsagio, hic vnus ex ilis, & primus ex duodecim, dictus Osee, quod interpretatur saluator. Dicitur enim filius Beheri, quod interpretatur, putei mei. Et quis est, de quo deus pater rectè dicat filius putei mei, nisi Christus filius vnicus & verbum Dei, natus de secreto, siue altitudine aut profundo cordis paterni? Ergo hic non solùm officio, verum etiam vocabulo, tam proprio, quam paterno Saluatoris nostri Christi typum gerit. Sequitur. [In diebus Oziæ, Ioathan, regis Achaz, & Ezechiæ regum Iuda, & in diebus Hieroboam filij Ioas regis Israel.] Ozias qui & Azarias, regnauit super Iudam annis LII. & post hunc filius eius Ioathan annis XVI. Itemq; post eum Achaz annis XVI. & post hunc Ezechias annis XXIX. qui simul iuncti, fiũt anni ferè CXIII. Quod quia multum est, vt tam diu prophetasse vnus existimetur: at saltem illud constare oportet, quòd & extremos annos Hieroboam filij Ioas regis Israel, qui regnante Ozia in Iuda, iam regnare cœperat (vt prædictum est) regnauitq; XL. & vno annis. Et primos annos regni Ezechiæ propheta hic attigerit, quia sic prophetiæ eius initiũ habet: Voca nomen eius Israel, quoniã adhuc modicũ, & visitabo sanguinem Iesrael super domũ Iehu. Hoc ferè continuò post mortẽ eiusdẽ Hieroboam factum est, quia succedens illi filius eius Zacharias, regnauit tantùm sex mẽsib. & percussit, atq; interfecit eum Sellũ, regnauitq; pro eo. Hic iam rectè quæritur, qualis sit intentio literę huius, cur prophetiã hanc referat esse cõtinuatã à dieb. Ozię, quibus regnauit & Hieroboam, vsq; ad dies Ezechiæ regis Iuda. Ad quod primò dicendum, quia regnante Ezechia anno sexto regni eius, qui erat nonus annus Osee regis Israel, capta est Samaria, & transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios collocauitq; eos in Aylã & in Abor iuxta fluuium Gozan, in ciuitatib. Medorũ, quia non audierunt vocem domini Dei sui. Hoc ergo intendit sacrę literę spiritus, vt testificetur in excusabiles fuisse reges & populum Israel, quia nunquã dominus prophetas mittere desijt in illis, nullius regis eorum dieb. prophetica vox defuit, irã domini venturam cõminans, captiuitatẽ futuram prænuncians, donec veniret, ne Israel se excusare posset de ignorantia, colens vitulos, quos fecit Hieroboam, imò & Baal quẽ introduxit Iezebel. Ante hunc extitit Helisæus, qui & mortuus est, regnante Ioas patre huius Hieroboam, & ante Helisæum Helias, similiterq;& alij, vt Micheas de Gemla, multiq; filij prophetarũ atq; ita si rite memores à primo Hieroboam qui peccare fecit Israel, cui & mala ventura pro meritis prædixit Ahias Sylonites, propheticum (sicut iam dictum est) testimoniũ contra illos non defuit, vsq; ad effectum prædictę captiuitatis, ita vt per omnia iudex Deo laudabilis, reus autem populus cum regibus suis sit inexcusabilis. Sub eisdem regib. Iuda Esaiam quoq; prophetasse, titulus libri eius indicat. Et vide diligenter in spiritu Dei, dignitatis cuiusq; custodiã. Cũ dixisset in dieb. Oziæ Ioathan Achas & Ezechiæ regum Iuda, tunc demum subdidit, & in diebus Hieroboam, filij Ioas, regis Israel. At ille videlicet Hieroboam cunctis illis tempore prior extitit, vtpote cuius regni anno XXVII. Ozias, qui & Azarias, regnare cœpit in Iuda. Cur ergo tot iunioribus in ordine suppositus est? Num casu hoc actum est? Non vtique, sed quia regnum Iudæ regnum Dauid legitimè extitit, regnum autem Israel scissum à domo Dauid, rapina erat, idololatrię cultus erat, nõ templo Domini, sed vitulis aureis seruiebat. Idcirco Hieroboam ne commemorari quidem in ordine regum, aut in sanctarum titulo scripturarum præfigi debuisset, nisi pro causa, quæ iam dicta est, quia contra quos Helias & Helisæus, cæteriq; prophetę steterunt idololatras reges Israel, contra ipsos, etiam dirigebatur prophetia hæc, vt inexcusabilis esset cum suis regib. impœnitens Israel. Proinde de cæteris regib. Israel, qui temporibus istorum regum Iuda regnarunt in Samaria, complures fuerint, nullus hic nominatus est, nisi iste solꝰ, idéq; quãuis tẽpore prior, loco (vt dignũ erat) positus est posterior. Sufficit namq; ad insinuãdum, quod regib. Israel prophetica commonitio fuerit continuata, isto videlicet Osee incipiente prophetare diebus Hieroboam, Heliseo mortuo, qui prophetaue-

Prophetæ Dei. Psal. 81.

Ioan. 10.

Prophetæ saluatores. Iudi. 3.

Osee filius Beheri.

2. Par. 26.

4. Reg. 15.

Intentio literæ.

4. Reg. 17.

4. Reg. 22.

4. Reg. 15.

Regnum Israel rapina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phetauerat adhuc in diebus patris eius Ioas.
"[Principium loquēdi dominum in Osee. Et
"dixit dominus ad Osee. Vade, sume tibi vxo
"rem fornicariam, & fac filios fornicationum
"quia fornicans fornicabitur terra à Domino.
"Et abijt, & accepit Gomer, filiam Debellaim
"& concepit, & peperit filium. Et dixit Domi
"nus ad eum. Voca nomen eius Iesrael, quia
"adhuc modicum, & visitabo sanguinem Ies-
"rael super domum Iehu, & quiescere faciam
"regnum Israel, & in illa die conteram arcum
Israel in valle Iesrael]. Astruere non possumus idcirco dictum hic esse Principium loquendi Dominum, quòd iste primus sit vel fuerit eorum, ad quos dominus vel in quib. propheticæ loquutionis modo locutus est, vel quibus futura captiuitas illius populi prę monstrata est. Nam constans quidem esse po test, quòd prophetarum cæterorum, quorū prophetici extant libri, primus tempore fuerit, & Esaiam quoq; aliquantis diebus pręcesserit, cuius circa initium voluminis mortuus Esaias legitur, veruntamē fuerunt & alij pro phetæ, in quibus sine dubio locutus est Dominus, quorum notissimi sunt Samuel & Da uid, Helias & Helisæus, qui hunc Osee non paucis præcessere diebus. Si ergo sic dictum intelligi placet, principium loquendi Domi num in Osee, vt sit sensus, primùm loquutus est Dominus in Osee, nihil repugnans inue nitur, ita videlicet, vt subaudias, eorum, qui sub prædictis regibus prophetauerunt. Nam & Esaias & Iohel & Amos & Abdias & Io nas & Micheas sub eisdem regibus propheta uere. Quorum etiam interpretationes nomi num hic ponere non superfluum ducimus. Ozias interpretatur, fortitudo Domini, Ioa than, Domini consummatio, Achaz, virtus, Ezechias, imperium Domini. Hi regnabant in Iuda, cuius nomen, confessio est. Porrò in Israel, qui sibi idola fecerat, & à Dei templo & domo Dauid fuerat separatus, regnabat Hieroboam, qui interpretatur. temporalitas siue mora, quod mundum amauerit, & in i pso diu morari vitam putauerit sempiternā, nequaquam futuris, sed præscribentibus de lectatus. Quamuis autem sic rectè intelligatur, vt iam dictum est, nihilominus tamē sic accipitur, Principium loquendi dominum in Osee, vt sit sensus Hæc talia, quæ protinus se quuntur, Vade, sume tibi vxorem fornica riam, &c. Primum, in eo loquutus est domi nus. Tandem & hoc prætereundum non est, quia loqui Dominum ad Osee, & loqui do minum in Osee, non omninò idem est. Nam loquitur dominus ad Osee, vel ad aliū quem piam cum verba sua mittit per angelicam, si ue per quamlibet aliam speciem, loquitur in aliquo, cum sine aliqua specie extrinsecus ap parente loquitur in corde eius per occultam suæ virtutis inspirationem. Sume (inquit) ti bi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. Vt nunc interim simplicem sequamur literam, non culpandus est pro pheta, si meretricem conuerterit ad pudici tiam, sed potius laudandus, quod ex mala fecerit bonam. Non enim quia bonus per manet, ipse polluitur, si malo societur, sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Hæc & his similia multa dicta sunt, & dici possunt in excusationem viri sancti, non sui libidini, sed superno im perio seruientis, quo & videlicet iubente et iam eorum, quæ turpia, vel inhonesta vi dentur, nihil fieri turpe aut inhonestū est. Cę terùm eis, qui cū sint veritatis amatores, spi ritum vbiq; potius, quā literam libenter am plectuntur, citò persuasum est, vel persuade ri potest, quia nihil horū, quæ hic de fornica tionis opere scribuntur, gestum est corpora liter, sed totū spiritualiter. i. per visum, siue per excessum. Neq;. n. inauditū & inusitatum est, vt vxorē duxisse, filiosq; ex ea genuisse sibi quispiā visus sit, factus extra sensus cor poris. i. per excessum siue in visum noctis. Quantò magis vbi superna visitatio prophe tiam instituit, taliū rerū imaginationes insi gniter per visum potuere celebrari? An non multò plura, atq; prolixiora his cōrinet Apo calyp. Ioan. quæ omnia sine dubio, sicut te statur ipse, in spiritu vidit & egit? Hic iā rectè quęritur, quid opus fuerit istis similitudinib. vel quomodo per istas similitudines, ipse qui in propheta loquitur dominus, in manu eius dē prophetæ assimiletur, sicut ipse testatur. Hoc etiā in ipso dicens, Et in manu propheta rū assimilatus sum. Itaq; iā nunc priusquā literę seriē percurramus, libet præmittere, qd secundū istorū similitudinē cum hominibus mirabilis Deus sit operatus, vt postmodū cū singula similitudinis facta, vel dicta secundū tempus prophetię differimus, non incognita pariter mysteria proferamus. Vniuersum ge nus humanū à societate creatoris recessisse, & recedēdo fornicatū fuisse, quis nesciet? Re cedere namq; à creatore, & seruire creaturę, fornicari est. Nā & Psalmista de huiusmodi fornicatione. Perdidisti (inquit) omnem, qui fornicatur abs te. Fornicariā ergo mulierem Deus sibi sumpsit, quando generationē auer sam adijt, generationem Chaldaicā, vndè A braham eduxit. Ego enim (inquit) sum deus qui eduxi te de Hur Chaldęorū. Cū illo fœ dus pepigit, habuitq; ex carne eius Israel. i. se men Dei, Filios Dei, filios promissionis, sed nihilominus pariter nati sunt filij fornicatio nis, id est, filij carnis, qui non sunt filij Dei, aut filij promissionis. De qua nimirum di stantia & Apostolus dicit. Non enim omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitę: neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac voca bitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei. Sed qui filij promissionis, æstiman tur in semine. Isti & in Aegypto, vbi deos Ae gyptios coluerunt, sicut in multis scriptura rum locis, & maximè in Ezechiele, exprobra tur eis,

Fornicatio hominum à Deo.

Psal. 22.

Gene. 2.

Rom. 9.

Ezech. 16.

tur eis, palàm fecerunt, quòd essent filij for nicationum, & exinde fornicari non desie runt. Nunquā tamen in gente illa defuit Ies rael, id est, semen Dei, scilicet multi fidem ha bentes eius beati seminis, quod Abrahę De us promisit: & econtra filij fornicationum, id est, filij carnis semper persequentes semen Dei, siue filios promissionis, non tantum do nec interficeretur Naboth, qui hic dicitur Iesrahel (Fuit enim Iesrahelites, sed & in per

Gala. 4. petuum. Hinc & Apostolus: Sed quomodo is, qui secundum carnem natus est, perseque batur eum qui secundū spiritum, ita & nūc. Deinde iterum, tempore non paruo inter posito, id est, post quadringentos & triginta annos, accesit Deus ad illam mulierem for nicariam, & genuit filiam, quæ diceretur, nō consecuta misericordiam. Dedit enim legē in monte Syna, quæ non viuificaret, nec ad perfectum adduceret, & instituit synago gam, de qua pro parte reproborum, quæ maxima extitit, rectè dicas, quia filia illa

Rom. 4. non est consecuta misericordiam. Non e nim (inquit Apostolus) per legem promis sio Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei, &cæt. Quam fidei iustitiam, quia non recepit illa filia, id eo non consecuta est misericordiam, imò consecuta est iram. Lex enim iram opera tur. Tertiò, Deus ad fornicariam accesit, genuitque rursus filium, id est, sermonem propheticum. Prophetas enim misit, quo rum & scripturas vtiliter legi addidit. At il la fornicaria non solùm non est à fornicatio nibus suis reuersa, imò etiam contra semeti psam est diuisa, & ecce iam fornicariæ duæ factæ sunt ex vna, quarum altera Oolla, al tera in eisdem prophetis dicitur Ooliba. Hæc diuisio vnius in duas tunc facta est, quando Samaria cum decem tribubus rece dens à domo Dauid regem suum sibi con stituit, & pro Deo vitulos aureos colens, Baali quoque cæterisque Deorum porten tis sese prostituit, & hæc est Oolla. Nam Hie rusalem cum duabus tribubus Iuda & Ben iamin, quæ & ipsa coluit Baal, ipsa est Ooli

Ose. 3. ba. Ad istam quarto iam tempore Deus ac cesit, quando Dei filius de carne eius natus est ex vtero virginis. Huic nimirum quo dammodo dixit. Dies multos expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro. Sed & ego expectabo te, quia dies multos sede bunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephot, & sine Theraphim. Igitur vt in manu pro phetæ huius assimilaretur dominus, Sume (ait) vxorem tibi fornicariam, & fac filios fornicationum. Quare? Quia fornicans (in quit) fornicabitur terra à domino. Idcirco (inquit) fac filios fornicationum, vt sint in signum & portentū eorum, quæ acta, quæq; agenda sunt inter gentē istam, & me dominū patrum suorū. Notandum quippe, quia non tantū dixerat, Quia fornicabitur, sed, Quia fornicās fornicabitur. Idcirco præmisit, for nicans, & deinde, fornicabitur, vt sit sensus. Quia gens ista à Deo suo, & fornicata est, & fornicatur nunc, & amplius fornicabitur in posterum. Et abij (inquit) & accepi Gomer filiā Debelaim, & concepit & peperit filium. *Gomer.* Gomer consummatā atq; perfectā in nostra lingua, Debelaim, palatas sonat. Est aūt mas sa pinguiū caricarū, quas in morē laterū figu rantes, vt diu illæsæ permaneant, calcāt, atq; cōpingunt, habentq; in esu suauitatis volu ptatē. Ergo Gomer filiā Debelaim accepit (inquit) id est, apud gētem prophetaui con summatam, siue perfectam consummatio ne atque perfectione voluptuosæ fornica tionis post vitulos aureos, & post Baalim. Genitum ex ea filium, voca (inquit) Ies rahel. Iesrahel ciuitas est Metropolis de cem tribuum, de qua fuit, & in qua inter fectus est Naboth. Ponitur ergo pro ipso Naboth hoc nomen Iesrahel. Et est sensus. Naboth quidem Iesrahelites lapidatus, & hominibus mortuus est, sed mihi viuit, & *3. Reg. 2.* ad me sanguis eius clamat, moxque vindi ctam recepturus est, non solùm de interfe ctoribus suis, verùm etiam de illo, qui san guinis eius vltor fuisse visus est. Nam hoc est, quod ait: Et visitabo sanguinem Ies rahel super domum Iehu. Iehu namque *Iehu.* interfecit domum Achab, domino iuben te, propter peccatum sanguinis Naboth, si cut prædictum fuerat ad eum. Occidisti insuper & possedisti. Ac deinceps: In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lingent quoque tuum sanguinem. *3. Reg. 19.* Item. Canes comedent Iezabel in agro Ies rahel. Cum ergo Iehu, non Iesrahel, siue Naboth sanguinem fuderit, imò interfecto res eius interfecerit, quare super domum e ius ille sanguis Iesrahel debuit visitari? vi delicet, quia non veraciter zelo DEI pa ruit, sed propriæ cupiditati vt regnaret, de leta domo regis, per omnia seruiuit. Super hoc satis manifestè conuincitur, quia vide licet à peccatis Hieroboam non recesit, vi tulosque aureos & ipse coluit, quod non fe cisset, si vero zelo zelatus fuisset pro causa domini. Rectè ergo & ipse, vel domus eius reputatur inter occisores Iesrahel, id est, persequutores seminis Dei, & vindicta pec cati eiusmodi, tam ex ipso, quàm ex cæte ro populo Iesrahel requirenda iudicatur, *4. Reg. 15.* & ita factum est. Nam mortuo pronepo te eius Hieroboam, sub quo hic Osee pro phetare cœpit, succedentem filium eius Za chariam sexto regni eius mense occidit Sel lum, regnauitque pro eo, de alia stirpe gene ratus. Nec mirum, quòd subuersa est do mus Iehu, cum etiam regnum domus Isra el, hoc est, decem tribuum perinde deletum sit. Nam & occiso Zacharia, qui fuit vltimus de stirpe Iehu, statim reges Assyrij ceperunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rúben & Gad, & dimidiam tribum Manasse, quæ erat trans Iordanem, & deinde paucis, id est, quadraginta & nouem interiectis annis à Zacharia, quem occidit Sellum (vt iam dictum est, regnante Osee anno regni eius nono, decem tribus in captiuitatem ductæ sunt. Hoc est quod ait: Et requiescere faciam regnum domus Israel, & in illa die cõteram arcum Israel in valle Iesrahel. Nam propter vrbem Iesrahel, quæ Metropolis erat Samariæ, campi sunt & latissimi, & vallis nimiæ vastitatis, in qua commisso certamine ab Assyrijs, cæsus & captiuus ductus est Israel. Nunc quærere locus admonet, cur omisso proprio vocabulo Naboth, cum dicere posset, Et visitabo sanguinem Naboth Iesrahelitæ, maluit dicere, Et visitabo sanguinem Iesrahel, quod non hominis est nomen, sed ciuitatis, ex interpretatione sui. Interpretatur namque (vt iam dictum est) semen Dei, non vni tantum, sed omnibus cõmuniter congruit, qui sunt semen Dei, homines Dei, electi Dei. Ad hæc dicimus, quia non solus Naboth visitandus erat, nec enim illum solũ persecuti sunt Iezabel & Achab, & cum eis insana multitudo populi, sed omnes persequebantur, & occidebant, quos cõsequebantur, qui erant semen domini, qui prophetabant in nomine domini, qui loquebantur verbum Dei. Hinc est illa fugientis Heliæ querela, Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & relictus sum ego solus, & quærunt animam meam. Quis verò nesciat sanguineam eiusdem Iezabel insaniam sub eiusdem temporib. profluxisse etiam inuidiam? Nam Athalia Iezabelis filia, mortuo filio suo Azaria, nupserat enim Ioram regi Iudæ filio Iosaphat, & filium eius iam dictum Azariam interfecerat Iehu, irata & in ipsum sæuiens dominum, surrexit & interfecit omne semen regium, non vtique absque fauore vel consensu principum, qui & perinde suis delinitum obsequijs, atque illaqueatum tenentes Ioas regẽ, qui reliquus fuerat, insignem occiderunt ad imperium eius prophetam Zachariam, sicut scriptum est: Congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur, ait: Videat dominus & requirat. Itaque iam dictus Helias cum fugitaret, & latitans in spelunca, dicenti domino, Quid hic agis Helia? querula responsione diceret: Domine altaria tua suffoderunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam. Egredere ait dominus, & sta in monte corã domino. Et ecce dominus transiuit, & spiritus grandis & fortis subuertens mõtes, & cõterens petras ante dominum. Non in spiritu dominus. Et post spiritum commotio. Non in cõmotione dominus. Et post commotionem ignis. Nõ in igne dominus. Et post ignẽ sibilus auræ tenuis, & ibi dominus. Nimirũ prophetę desideranti aduentum Saluatoris, qui peccata tolleret, & iustitiam sempiternã adduceret, quem & hic Osee desiderat atq; prophetat, tali oraculo præsignabatur futura, tam Israelis, quã & Iudę captiuitas, de qua & iste non tacet propheta: vtriusq; namq; scilicet Israelis & Iudæ futura mala pronuciat, & de saluatoris aduentu necessaria nostræ saluti (sicut sequentia suis in locis declarabut) prædicit mysteria. Denique loquens illic ad Heliã dominus in spiritu grãdi & forti, subuertente montes, & conterente petras, futurã captiuitatẽ significat decẽ tribuum Israel, quæ facta est à Salmanasar rege Assyriorum, regnante Osee. Non in spiritu (inquit) dominus. i. nondum finis, nondũ venit Messias dominus, qui expectabatur. In commotione transmigrationẽ primam designat tribus Iuda, qua traducẽdus erat Ioachim rex Iuda in Babylonẽ cum quadraginta milib. nemine relicto, exceptis pauperibus. Nõ (inquit) in commotione dominus, id est, nondũ finis, nondum veniet dominus. In igne secũdam captiuitatem Iuda & Hierusalem vult intelligi, quando rebellante Sedechia, iterũ venit rex Babylonis, & succendit Nabuzardam, princeps exercitus domum domini, & domum regis, omnemq; domum combusit igni, & muros Hierusalẽ in circuitu destruxit. Nõ (inquit) in igne dominus. i. nondum templo exuito, & ciuitate destructa tempus erit dominici aduẽtus. Et post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi dominus. Sibilus auræ tenuis, occultus & secretus fuit aduentus domini, quem quasi de aura tenui. i. de spiritu sancto Maria virgo cõcepit. Fuerunt autem à prædicto turbine vsq; ad commotionẽ. i. à captiuitate decem tribuum, vsq; ad primã filiorum Iuda transmigrationẽ, anni circiter centũ vigintiseptẽ, qui supputantur hoc modo, Anno sexto Ezechiæ transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios. Ipse aũt Ezechias xxix. annis regnauit in Hierusalẽ. Ergo regni eius reliqui erant anni 24. qui coniuncti cũ 55. annis filij eius Manasse, ac duobus filijs eius Ammon atq; 20. vno Iosiæ, ac deinde annis 11. Eliachim, qui dictus est Ioachim, tãdemq; tribus filij eius Ioachim, fiunt xij. Ab illa commotione vsq; ad ignem, id est, à prima transmigrationevsq; ad templi & ciuitatis exustionem fuere anni 11. regni Sedechię. Ab illo igne siue captiuitate vsq; ad sibilum auræ tenuem. i. Christi aduentum, quot anni interesset, Danieli his verbis reuelatũ est. Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbẽ sanctã tuã, vt cõsummetur preuaricatio, & finẽ accipiat peccatũ, & deleatur iniqtas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & pphetia, & vngatur sãctus sãctorũ, &c. Nimirum eo

Quæstio de Iesrahel.

2. Reg. 19.

4. Reg. 11.

2. Par. 24.

3. Reg. 19.

4. Reg. 7.

4. Reg. 24

4. Reg. 25.

Sibilus auræ tenuis.

Daniel. 9.

tum eo tendebat Helias, vt deleretur iniquitas per Christi aduẽtum, & adduceretur iustitia sempiterna, qui tunc abundante iniquitate se solum relictum esse putabat. Igitur quia per eadem tempora nõ solum Naboth occisus, sed & multorum prophetarum atq; iustorum fundebatur sanguis, quem supernа requirere deberet iustitia, rectè non proprium nomen Naboth, sed id quod secundũ interpretationem commune est, ponitur vocabulum Israel. Miroq; modo ita requirenda esse vindicta prænunciatur, vt incipiat à iustissimis illis homicidæ populi, à capite regni sanguinei, qualis tunc erat domus Iehu, quæ sibi domum Achab occidendo multum cõtulisse videbatur, & nihilominus ido lolatriam, quæ causa erat effundendi sanguinis sanctorum, exequebatur. Sed & adhuc quæritur. Quid magnum erat inter prophetas aut inter iustos, ille Naboth Iezrahelites, vt ex eius occasione oẽs, qui interfecti sunt, iusti aut prophetæ significarentur hoc nomine, Iesrahel? Ad hoc respondemus, quia verè magnum fuit & esse debuit memoriale interfectionis eius inter omnium prophetarum aut iustorum neces, quia taliter interfectus est, vt vel ante, vel post ipsum, vsque ad Christi domini nostri passionem, ferè nemo præter dominum nostrum taliter vel tali ordine occisus esse referatur. Quid enim? Dicenti sibi Achab, Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, &c. ęt. Hoc tãtum respondérat: Propitius sit mihi dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Pro hoc indignanti & vehementer irato suæ authoritatis vltionem pollicita Iezabel scripsit literas. Prædicate (inquiens) ieiunium, & sedere facite Naboth inter primates populi, & submittite duos viros filios Belial contra eũ, & falsum testimonium dicant, Benedixit dominum, & regem, & educite eum, & lapidate, & sic moriatur. Hoc modo hypocrisis Deo odibilis pulchrè palliata incessit, specioso quasi ordine iudicij, vt non tantùm occideretur, quasi vir iustus ab iniustis & Deo aduersantibus, sed quasi reus & blasphemus, à iustis iudicibus fortiter pro Deo zelantibus, legemque sanctam custodientibus, ieiunantibus, & animas suas in ieiunio humiliantibus, & prædicantibus, Ieiunemus, quia tantum nefas diebus nostris audiuimus, ne fortè cum blasphemo pariter à terra deglutiamur, & talia scienter cum iniqua machinantibus simulatione, vt muliebri satisfieret insaniæ vel cupiditati furiosæ. Quantæ putas curæ Deo videnti hoc debuit esse? Quantum fuit in cælo spectaculum, dum tam crudele cruorem sitiendo callidi simulatores prædicarent vel celebrarent ieiunium? Benè ergo mors eius memorabilis est inter omnium prophetarum vel iustorum neces, vbi talis apparatus hypocritarũ, talis spectatur facies homicidarum. Adde, quod in tali eius interfectione splendidissimus Dominicæ Passionis typus est. Quid enim hic dissimile? Verùm quia mysterium hoc alio in opere nostro latius tractauimus, nunc prætereunt libet. Hoc tantùm hic prætereundum non est, quia quod ait, Et in illa die conteram arcum Israel in valle Iesrael. Spiritualiter ita factum est, vt omnis euangelica, vel apostolica doctrina testis est. Arcus quippe Israel, id est, omnis fiducia carnalis Iudaismi, fiducia circuncisionis & cæremoniarum, fiducia superbi spiritus & sanguinis, qua contra ipsum dominum gloriati sunt, dicentes: Pater noster Abraham est, nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum, sicut hodie cernitur, contrita est, & gloriari illis nõ licet, quia non solummodo contempta est eorum lex carnalis, sed & ipsi captiui ducti sunt in omnes gentes. Hoc totum factum est in valle Iesrahel, id est, in humilitate Seminis Dei, quod est Christus. Nam per humilitatem passionis Christi, sicut exaltatæ sunt gentes, fidem eius recipientes, ita econtra delecti atque contriti sunt Iudæi, contemnentes iuxta illud propheticum beatæ virginis canticum. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Sequitur. [Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit, Voca nomen eius, Absque misericordia, quia non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, & domui Iuda misebor, & saluabo eos in domino DEO suo, & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.] Fila hæc magnum prioris sententiæ incrementum est. Prior namque sententia hæc erat, Et quiescere faciam regnum domus Israel, & in illa die conteram arcum Israel in valle Iesrahel. Quod totum completum erat, vbi rex Assyriorum (sicut iam prædictum est) præliando victas duxit captiuas decem tribus Israel. Par illi malo extitit aliud, quod factum est in Iuda, quando venit rex Babylonis, & ab eo capta ciuitate Hierusalem, populus ille in Babylonem captiuus, transmigrauit. Facta est magna, iudice DEO, captiuitatis vtriusque differentia, vt scilicet captiuitas Iudæ post annos septuaginta solueretur, captiuitas autem decem tribuum, nequaquam vltra soluretur. Hoc est, quod ait: Quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, & domui Iuda miserebor, id est, decem tribuum captiuitatem non soluam, sed Iudæ transmigrationem de Babylone reuocabo. Sed & per idem tempus, quando decem tribus in captiuitatem ductæ sunt, misertus est dominus domui Iuda. Nam cum sexto anno regis Ezechiæ rex Assyriorum Salmanasser transtulisset Israel, itidem xiiij. Ezechiæ ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad vniuersas

Arcus Israel cõtritus.

Ioan. 8.

Altera quæstio de Israel seu Naboth.

Hypocrisis palliata.

Luc. 1.

3. Reg. 21.

4. Reg. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas, & venit vsque ad Hierusalem. Venit autẽ angelus domini, & percussit in castris eius clxxxv. milia, & reuersus est Sennacherib, & mansit in Niniue: Cumque adoraret in templo Neserach Deum suum Adramelech & Seraſar, filij eus percusserũt eum gladio. Itaque si vtrumque tempus misericordiæ respicias, veraciter dictum esse perpendes, Et saluabo eos in domino Deo suo, & non saluabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. Denique filij Iuda neque nocte illa, qua percussa sunt castra Assyriorum, neque tempore illo, quo de captiuitate Babylonica soluti sunt, contra hostes vel captiuatores suos arcum tetenderunt, aut gladiũ vibrauerunt, aut in equos ascenderunt, sed illis quidem dormientibus, percussit angelus domini castra Assyriorum. Prophetis autem orãtibus, siue cæteris iustis hominibus, imò & angelis interuenientibus (iuxta illud Zachariæ, & respondit angelus domini, & dixit, Domine exercituum, vsquequo tu non misereberis Hierusalẽ & vrbium Iuda, quibus iratus es, iste iam septuagesimus annus est) suscitauit dominus spiritum Cyri regis Persarum, vt proponeret edictum, daretq; libertatem ascendendi in Hierusalem & ędificandi domũ domini Dei in Israel. Ergo saluabo (inquit) eos in domino Deo suo, & nõ in arcũ vel gladio. Quòd si quęris rationem, vel iudicij æquitatem, cur dominus non Israeli, sed domui Iuda misereri debuerit, sciendum tibi est, magnam in regibus Israel, & regibus Iuda distantiam fuisse peccati. Regum quippe Iuda nonnulli iusti fuerunt, videlicet Dauid, Ezechias & Iosias, qui nullũ idololatriæ peccatum admiserunt, & Iosaphat quoq; nisi amicitias iniisset cum Ochozia rege Israel, cuius opera pessima fuerunt, sed & cum patre eius Achab. Vndè & arguit eum Iehu filius Anani, videns, & ait, Impio prębes auxilium, & his qui oderant dominum amicitia iũgeris, cæterorum quoque nonnulli pœnitentiam egerunt, feceruntq; quod placitũ erat coram domino. At verò de regibus Israel nullus extitit, qui faceret, quod rectum esset aut placitum coram domino, nullus omninò qui recederet à peccatis Hieroboam, filij Naboth, qui peccare fecit Israel. Omnes impœnitentes extiterunt, & peccata sua defendentes vniuersi, sermonem domini repulerũt. Vndè & in isto Propheta loquitur dominus: Ego scio Ephraim & Israel non est absconditus à me. Quia nũc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel, non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum. Itaque cum tãta fuerit illis atque illis distantia peccati, rectè & sententia in vtroq; debuit dispariter dari. Igitur filia hæc rectè vocatur, Absq; misericordia, quia non vtcunque captiuatus erat Israel, sed absque relaxationis misericordia.

4. Reg. 6.

Distãtia inter reges Israel et reges Iuda.

Zach. 1.

1. Esd. 1.

2. Par. 19.

Osee 4.

Iuxta mysticum intellectum itidẽ veraciter spiritus propheticus dicat: Reprobata quippe iam synagoga, claruit veritas, quòd filia illa non est misericordiã consecuta, quæ tunc nata est, quando (vt superius iam dictum est) Deus secundò ad mulierem sibi coniungendam accessit, quãdo post cccc. & xxx. annos à testamento confirmato legem dedit in Syna, & nata est synagoga misericordiam non consecutura seruilis filia nomine, nomine quidem filia, sed meritis ancilla, foras mittẽda. Syna enim (inquit Apost.) mons est in Arabia. Porrò, Arabia temporibus antiquis, nunc illa, quæ non nominatur, sola erat, sed solitudo & pars Aegypti non modica, vbi est mons Syna, in quo data est lex, vndè fuerat & Agar, quæ significat, vetus testamentum. Cum ergo dixisset, hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem à monte Syna, addidit, In seruitutem generans, quæ est Agar, quæ cõiuncta est videlicet significatione ei, quæ nunc est Hierusalem, & seruit cum filijs suis. Et subinde, cum dixisset, Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secũdum spiritum, ita & nunc, protinus ait: Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Igitur filia illa, & ancilla, non est misericordiam consecuta, sicut iam tũc re non parua significatum est, quando filiorũ eius corpora in deserto prostrata sunt, & in illam repromisionis terram non introierunt. Illud nemo qui nesciat, aut nescire debeat, quia fideles omnes & electi, qui ex eodem populo non ad filiam hanc pertinuerunt, sed ad priorem filium scilicet Israel, id est, sed semen Dei. Sequitur. [Et ablactauit eam, quæ erat absque misericordia, & concepit, & peperit filium, & dixit: Voca nomẽ eius, Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus.] Iam nata fuerant duo infelicitatis incrementa, scilicet filius & filia. Filius videlicet, vt captiuus duceretur Israel. Filia, vt eadem non solueretur captiuitas. Nam Israel quidem secundum se filio bonus est, sed secundum id, quod requireba tur sanguis eius, malum illi populo extitit: filia verò ablactata perpetuitas est captiuita tis, cui nulla infunditur lactis alimonia, nulla consolatio de captiuitate soluenda. Quid tandem vult tertius iste filius? Quid per hũc intelligere debemus, nisi illud, quod nomine suo personat, quod est, Non populus meus? Maximum quippe hoc miseriarum est incrementum, vt populus captiuus, idemque nullum habens præfixum soluendæ captiuitatis tempus, dicatur & sit, quod dicitur à Deo, Non populus meus. Nam si captiuus quidem esset populus, & corporalis eius captiuitas nunquam solueretur, non tamen etiam secundum animam à Deo proijceretur, esset tolerabile malum, & magna ex par-

Galat. 4.

Gen. 2.

Num. 14.

Summa Iudæorũ miseria.

ex parte benè se habere status siue casus captiuorum temporaliter gementium. Nunc autem malum irremediabile est, quia corpora visibilis Assyrius cœpit & tenet, animas autem inuisibilis Assyrius decipit, & possidet. Dicat nunc aliquis. Quid ergo Dei fiet de proposito? Proposuerat namque Deus & promiserat Abrahæ, de semine eius populum sibi adducere innumerabilem, sicut stellas cæli, & inito fœdere firmauerat, quod esse deberet Deus eius, & Deus seminis eius: Suspice (inquit) cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Et continuò sequitur: Credidit Abraham domino, & reputatum est illi ad iustitiam. Itẽ & alibi loquitur ad eum idem Deus: Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Quid ergo erit, cum illic dixerit, Vt sim Deus tuus, & Deus seminis tui post te. Hic autem dicat, quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus? Aut quomodo complebitur de semine eius splẽdidus electorum numerus secundum numerum stellarum cæli, cum illic quidem dixerit, Sic erit semen tuum numerosum, sicut stellæ cæli. Hic autem potius harenæ maris assimilet eos, quàm stellis cæli? Sequitur enim, & dicit: Et erit numerus filiorum Israel, quasi harena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. Denique aquatica maris harena multùm disparatur à stellis cę li fulgidis, & hoc ipso quod sine mensura esse, & non numerari dicitur hic, repulsam vehementem sonat Israelis, quod nec mensuram donationis cuiusquam habeat, nec numeretur in conspectu Dei. Quid ergo fiet, vt iam quærere cœpimus, de proposito Dei? Nunquid excidit verbum Dei? Non vtique, sed habita consideratione verbi Dei promittentis Abrahę diffinitionem siue determinationem, teneamus seminis eiusdem Abrahæ. Non enim (inquit Apostolus) omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine. Ergo vndecunq; veniãt, vbicunq; vel quicunq; sint habẽtes fidẽ promissionis, quę (sicut iã dictum est) ad iustitiam reputata est ipsi Abrahæ, sine dubio reputantur in semine, & idcirco apostatantibus carnalibus Israelitis, rectè quærantur alij, de quibus impleatur propositum Dei. Sequitur ergo. [Et erit in loco, vbi dicetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis, & congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra, quia magnus dies Israel.] Locum hunc per semetipsum satis illustrem auctoritas apostolica clariùs illustrauit, cum post prædictam determinationem seminis Abrahæ, paucis interpositis, ait: Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloria, quos & vocauit nos, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco, vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. His verbis vehementer atque diligenter astruit, prophetiam hanc esse de gentibus assumendis, in locum eorum, qui secundum carnem essent ex Israel, aut semen Abrahæ indurati, & fidem non habentes exciderunt. Porrò de illis, qui ex gente illa saluantur, aut saluandi sunt, continuò subiunxit. Esaias autem clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorum Israel, tanquam harena maris, reliquiæ saluę fient. Nimirum tali serie vel processu verborum electos ex gentibus, & saluatos siue saluandos ex Israel in vnum coniungit Christum, docens, quod indifferenter tã illi quam isti propter fidem seminis Abrahæ, quod est Christus, omnes semen Abrahæ sint, atque id esse, quod hic propheta nunc dicit: Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra, quia magnus dies Iezrael. Hoc deniq; sic fieri cœptum est, filij Israel, scilicet Apostoli, qui tam secundum carnem, quàm secundum fidem filij sunt Israel, congregati sunt cum filijs Iuda, id est, cum electis ex gentibus, quos ad fidem & confessionem Christi perducendo fecerunt filios Iuda, cõgregati sunt pariter in vnitatem fidei, ita vt non sit (sicut Apostolus ait) distinctio Iudęi & Græci. Et posuerunt sibimet caput vnum, illum videlicet vnum, de quo Apostolus ait: Igitur sicut per vnius delictum omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Isto capite posito sibimet, Ascendet (inquit) de terra, vt iam non sapiant, aut quærant terrena, quia magnus dies Iezrael. Magnus dies & magna illustratio seminis Dei, quod est Christus, seminis (inquam) resurgentis ex mortuis, cum quo consurgentes vtique ascendunt de terra, faciendo, quod idem Apostolus ait: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi CHRISTVS est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum CHRISTO in DEO. Si nimirum prima ascen-

Quæstio de fœdere Dei cũ Abrahã Gen. 15.

Gen. 17.

Rom. 9.

Vbi supra declaratio prophetæ p Apostolũ.

Rom. 3. 10. Rom. 5.

Coloss. 3.

sionis

Universidad de Deusto
Biblioteca

sione facta, quæ est resurrectio prima tandē ascendent corpora quoq; de terra, quæ erit resurrectio secunda, & sequentur caput suum, sicut membra capiti coniuncta, & sicut ipse Christus pulchrè satis breui expressit
Matt. 24. significatione, dicendo: Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Taliter loquendo in propheta, spiritus sanctus miro modo & salutis gētium prophetiam magna ex parte patentem fecit, & nihilominus ipsis Iudæis siue carnali Israeli, qui gentium sem per odere salutem, literarum amabilem reddidit. Quid enim libentius audirent illi, quā quod hic dicitur, Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra? Iamdudum quippe magnum illud discordiæ malum acciderat inter Israel & Iudam, vt scinderetur regnum, & discederent decem tribus
3. Reg. 12. à domo Dauid, & in duo regna diuisi, Israel & Iudas, nonnunquam hostilib. quoque contra seipsos conflixere prælijs. Hæc autem litera hoc illis prophetare videtur, quòd aliquando rursum congregandi sint in vnum, Israel & Iudas, & sub vno rege fœderati ascendere debeant de terra, ad pugnā dum & subiugandum sibi regna orbis terrarum, multo fortiùs atque bellicosiùs, quā fecerunt regna illa, quibus hactenus ipsi seruierunt, videlicet Babylonium, Persicum, Macedonicum, atque Romanum. Igitur etiam adhuc literam propheticam libenter custodiunt, & ignorantes vtilitati gentium seruiunt, testimonia nostra iugiter ferendo secum. Nunc ad ipsos vocationis illius ministros, per quos vocandi erant filij Dei viuentis de loco, vbi dicebatur de eis, Non populus meus vos, Apostrophen facit sermo propheticus, & dicit.

CAP. II. [Dicite fratribus vestris, Populus meus: cc & sorori vestræ, Misericordiam consecuta.] cc Fratribus vestris, inquit. Quibus fratribus, aut vbi manētibus, & vndè venientibus? Nimirum fratribus Abrahæ, fidem habentib⁹, vndecunque veniant, vbicunque sint, quacunque ex gente originem ducant, siue Iudæi, siue Græci sint. Fratribus vestris & sorori vestræ, id est tantummodo illis, qui veri sunt Israelitæ, his qui non in ritus gētium transierunt, vel qui ritus gentium & culturam idolorum deseruerunt, illos agnoscite fratres, & illorum ecclesiam agnoscite sororem vestram, & illos fratres appellate, Populum meum, & illam sororem vestram nuncupate, Misericordiam consecutam. Porrò de fratrib. vestris, qui sunt cognati vestri secundum carnem, & de sorore vestra carnea synagoga tristitiam inconsolabilem ne habeatis, quòd dixerim ego fratribus illis, Nō populus meus vos: & sorori illi, Non consecuta misericordiam, sed tristitiam, quam vobis magnā esse dicitis, & dolorem, qui cordi vestro continuus est, consolamini bona recompensatione, quia si fratres vestri secundum carnem iam non sunt populus meus, & si soror vestra carnea non est misericordiam consecuta, econtra quæ non erat plebs mea, nunc vocatur & est plebs mea, & quæ non erat misericordiam consecuta, nunc vocatur misericordiam consecuta. Denique & hunc versiculum, dicite fratribus vestris, Populus meus, & sorori vestræ, Misericordiam consecuta, pertinere ad vocationem gentium Apostolus innuit, qui non solummodo pręcedentem versiculum pro testimonio sumpsit, & erit in loco, vbi dictum est eis, Non populus meus vos, ibi vocabūtur filij Dei viuentis, verū etiā sensum huius prę misit, dicē do, Vocabo non plebē meā, plebē meam, & non misericordiam consecutā, misericordiam cōsecutam. Sequitur. [Iudicate matrem vestram iudicate, quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius. Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum, ne fortè expoliem eam nudam, & statuam secundum diem natiuitatis suæ.] Iam supra diximus, in manu prophetæ huius assimilatum esse dominum, id est, prophetam semel & iterum, & tertio accedentem ad mulierem fornicariam, sicut iam dictum est, & deinde adhuc iussum diligere mulierem dilectam amico & adulteram, ad quod nondum peruentum est, locus enim hic adhuc inferius est, similitudinem gerere domini, qui ad gētem illam semel & iterum, ac tertiò accessit. Primò testamentum suum confirmando cum Abraham, deinde dando legem in monte Syna, deinde mittēdo prophetas, deinde carnē assumendo ex ipsa. Sed & hoc dictū est, quia cum priùs fuisset, quasi mulier vna, id est, gens vna, facta diuisione & decem tribubus à domo Dauid recedentibus, iam duæ mulieres habentur, quæ & in *Ezech. 23.* prophetis ambæ super fornicationis scelere arguuntur, dicitur que altera Oolla, quæ est Samaria, altera Ooliba, quę est Hierusalem. Apud Oollam propheta iste prophetabat, eratque de tribu Isachar. Ergo Oolla, secundum carnem mater huius erat, sicut Amos, & sicut Abdiæ, multorumque aliorum, qui sub eisdem temporib. prophetauerunt. Porrò prophetantibus illis, mater illa nihilominus fornicata est, nec cessauit à fornicationibus suis, nullus enim omninò ex regib. eius recessit à peccatis Hieroboam. Igitur iā peracta similitudine, quæ administrata est in persona prophetæ, palam arguitur Oolla, id est, tota gens decem tribuum siue metropolis Samaria. Iudicate (inquit) matrem vestrā, iudicate. O vos (inquit) prophetæ, ô vos omnis Israel, id est, semen Dei, quid in hoc meo decreto reprehenditis, quid in hac mea sententia titubatis? An, quia mater vestra est domus Israel, super quā locutus sum, quia non addam vltra misereri ei, sed obliuione obliuiscar eorum, domui autē Iuda miserebor,

vos

vos offendimini, & iudicium hoc conuerti cupitis? Ecce vosipsi causas appendite, vosipsi iudicate, vtrum aliter debeat fieri. Vultis vos, vultipsa, vt addam misereri illi? Ecce presto sum, dummodo vnum faciat. Quid illud est? Auferat fornicationes suas, id est, fornicari desinat. At illa hoc non audit, fornicari non definit. Afferte, si quid habetis, proponite quippiam pro illa, in quo possit iustificari aut defendi. Ex quo agente Hieroboam, me virum legitimum contempsit, & vitulis aureis succubuit. Nunquid fornicari desijt? Quo tempore, aut quo sub rege quieuit? Nimirum non ita soror eius Ooliba perseueranter fornicata est, nō (inquam) soror eius domus Iuda perseueranter insaniuit, quamuis multùm ad tempus insanierit. Diebus Ezechiæ, diebus Iosiæ, & nōnunquam sub alijs quoque regibus fornicationes suas abstulit. Iudicate igitur, vtrum huic ita, vt sorori eius iam dictæ domui Iudę, debeam misereri, & ita hanc liberare ab Assyrijs, sicut captiuitatem illius de Babylone reuocare decreui. Hanc ipsam perpendite causam inter eandem matrem vestram & locum illum de quo dixi. Et erit in loco, vbi dicitur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis. Denique locus ille gentilitas est, & illa auferet fornicationes suas, vestra autem mater non abstulit, nec auferre vult fornicationes suas. Itaq; & in hoc illam iudicate, & iustè iudicate, quia cum suis fornicationib. non debet in domo mea permanere, & econtra quæ fornicationes suas dimittit, non est cur à me debeat repelli, cum ego non tantum Israelis & Iudæ, sed etiam cæterarum gentium æquè creator sim. Notandum, quanta cum circunspectione fornications auferri præcepit, secundum personam vel gestus mulieris fornicatricis, dicendo, Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum. Faciem pro oculis, medium vberum pro corde posuit. In medio namque vberum locus
Cant. 1. cordis est. Vndè & in canticis casta sponsa dicit. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Duobus istis scilicet corde & oculis inundatio fornicationis hauritur, & deinde corpus incontinens, ad actum libidinis velut magno torrētis impetu propellitur. Primùm per oculorum vel visus, cæterorumque sensuum, qui omnes in facie sunt, fenestras mors ingreditur, & captiuata mente fornicatio, siue adul
Nume. 35. terium consequenter actu peragitur. Potest autem per faciem fornicatio corporalis, & per adulterium, quod in medio vberum eius esse dicitur, spiritualis corruptio rectè intelligi, quia videlicet vtroque modo gens illa peccasse redarguitur in scripturis. Exempli gratia. In vno eodemque peccato Beelphegor, & spiritualiter à Deo fornicatus est Israel, & corporaliter cum filiabus Madianitarum commixtus est. Illæ enim vocauerūt eos ad sacrificia sua, & initiati sunt Beelphe- *Psal. 105.*
gor, & comederunt sacrificia mortuorum. Ne fortè, inquit, expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diē natiuitatis suæ, & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam, & interficiam eā siti. Nimirum hoc idem est, ac si dicat: Ne faciam, quod locutus sum, ne adimpleam filiorum & filiæ, quos mulier fornicaria Gomer filia Debelaim in præscripta visione peperit propheticum præsagium. Sed nunquid fixū non est, & infectum esse potest, quod locu- *Quæstio de*
tus sum, dicens, Et quiescere faciam regnum *prædestina-*
domus Israel, & non addam vltrà misereri *tione Dei.*
domui Israel, & vos non populus meus, & ego nō ero vester Deus? Quid ergo sibi vult quod iterum reuocat dicens, Auferat fornications suas, addensque, Ne fortè faciam ei hæc vel illa, quæ locutus sum? Huic non dissimile est, quòd cum data iam esset sententia super Nabuchodonosor regem, ita vt diceret Daniel, Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quę venit super dominum me- *Daniel. 4.*
um regem, Ejcient te ab hominibus, & cum bestijs ferisq; erit habitatio tua, &c. ait idem Daniel. Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperū, forsitan ignoscat Deus delictis tuis. Quid per hæc animaduertere debemus, nisi quia in arbitrio nostro est, vtrum sententiam suam suspendere debeat, aut non debeat Deus. Non enim aut Deo mala nostra imputare, aut fata nobis dominari (quod dementissimum & impium est) putare debemus, id est, non quia Deus hoc præsciuit aut prædixit, idcirco venit malum hoc, aut illud, sed quia malum futurum vel faciēdum erat, idcirco & præsciuit, & sententiam super illud præfixit Deus. Si igitur quæras, quare sentētiam irreuocabilem præfixit Deus? respondendum, quia malitiam incorrigibilem prę uidit Deus. Item si quęras, quare post datam sententiam de correctione consulit Deus. Respondendum, quia vt experimento sciamus incorrigibiles esse, idcirco, quanquā nō reuersuros expectat, & per multam patientiam illos ad pœnitentiam inuitat Deus. Igitur vndiq; circunspectus, & oculis prouidē tiæ plenus sermo propheticus sic loquitur. Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum, ne fortè expoliem eam nudam.

Quare autem non dixit, Ne expoliem, & denudem eam, sed, Ne expoliem (inquit) eā iā nuda est? Potest quidē sic intelligi dictum, ne expoliē nudā, ac si diceretur, ne expolian do faciam nudā. Veruntamen sic melius placet sentiri, q̄ & iā nuda sit, & adhuc habeat, quo possit expoliari. Est. n. nuditas duplex *Duplex nu-*
siue gemina, altera visibilis, altera inuisibi- *ditas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

18. Denique nuditas inuisibilis est, dū nuda-
tur anima intus, gloria vel gratia Dei, secun-
dum quā scriptura sancta de eadem gente di
cit. Videns Moyses populū q̄ esset nudus,
Exod. 32. Psal. 105. spoliauerat enim eum Aaron propter igno-
miniā sordis, & inter hostes nudum consti-
tuerat. Dixit enim propterea, quia fece-
rant & adorauerant vitulum. Et sicut psal-
mus dicit: Immutauerunt gloriā suam in si-
militudinē vituli comedentis fœnum. Nam
idcircò spoliati erant Dei auxilio, imò & ꝓ-
inde dixit Deus, vt disperderet eos, si nō idē
Moyses stetisset pro illis in conspectu eius,
corde cōfracto & cōtrito. Nuditas visibilis
est, quando exterior quoq; tollitur ornatus,
exterior felicitas, qualis inter cætera maxi-
mè extitit genti illi ciuitatis Hierosolymæ,
& templi, quod in ea cōdidit Salomon, quæ-
dam singularis gloria. Nimirum cū prophe-
ta hic ista loqueretur, nuda iā erat Samaria
siue decē tribus, nuditate illa, de qua (vt iam
dictū est) scriptura dixit. Videns Moyses po
pulū q̄ esset nudus, &c. Hoc em̄ tunc factū
& dictū est, ꝓpter scelus vnius vituli cōflati-
lis. Hic aūt regnabat peccatū Hieroboā su-
per eos in duob. vitulis aureis. Et quia tali-
ter fornicaria gens semetipsam nudauerat
auxilio vel gratia Dei, profectò merebatur
spoliari etiā visibilib. & temporalibus bo-
nis. i. cunctis terræ illius opibus, quas contu-
lerat illi Deus, prior & ligitimus vir. Ait er-
go: Ne fortè expoliem eā nudā. Ac si dicat:
Ne fortè auferā illi cultū gloriæ temporalis
atq; visibilis, vt in oculis hominū expoliata
sit, quos solos erubescere nouit, propterea,
quia iam nuda est in oculis meis, & illam
nuditatē nō erubescit. Additque cōtinuò.
Et statuam eā secundū diē natiuitatis suæ, &
ponā eam quasi solitudinē, & statuā eam ve-
lut terrā inuiā, & interficiam siti. Quis fuit
dies natiuitatis fornicariæ illius? Nimirum
dies vel tempus, quando in Aegyptū descen
derunt patres eius, & peregrini facti sunt in
terra nō sua, ab ea, quæ illis promissa fuerat,
filij Iacob propter scelus in fratrem suū Io-
seph, quē vendiderunt. Nā idcircò & famem
vocauit Deus super terram, quia Ioseph ab
illis in seruum venundatus est, & idcircò in
Aegyptum descendentes peregrini facti, &
iustè, iudice Deo permittente, seruituti sub-
acti sunt. Ibi nata est ista fornicaria mulier,
quia ibi germinantibus & multiplicatis filijs
Israel, gens de pauciſsimis hominib. facta
est. Et qualis ista, de qua nunc agitur, ibi na-
ta est? Vtiq; nuda nuditate vtraq;, de qua iā
dictum est: Nam quod bonis exteriorib. &
omni felicitate terrena, tunc in illo exortu
Nuditas f. liorū Israel in Aegypto quoque Dei patrum suorum nuda fuerit in
eisdem natalibus suis, quis nescit? Seruiebat
enim dijs quoq; monstrosis dominorū suo-
rum & Aegyptiorum, iuxta illud prophetī-
cum Ezechielis testimonium. Fili hominis, Ezech. 23.
duę mulieres filię matris vnius fuerūt & forni
catæ sunt in Aegypto, in adolescētia sua for-
nicatæ sunt ibi, ibi subacta sunt vbera earū,
& fractæ sunt mammæ pubertatis earum.
Nomina aūt earum Oolla maior, & Ooliba
soror eius. Et habui eas, & pepererunt filios
& filias, & reliqua. Igitur secundum diē na-
tiuitatis suæ statuam illā, cū dicit, quid sub-
audiendum est, nisi (vt iam præmiserat) nu-
dā & expoliatā, nudā à gloria vnius dei, expo-
liatā à rebus vel honore regni, omnisq; potē
tiæ temporalis, sicut erat, quando in Aegy-
pto seruiuit. Et nota, quā propriè subiunxe
rit adhuc, Et ponā eā quasi solitudinē, & sta
tuam eā, velut terrā inuiā, & interficiam eā
siti. Non dixit, Et ducā eam per solitudinem
& per terrā inuiam, quod fecit tunc post diē
natiuitatis eius, quando eduxit illā de terra
Aegypti, sed, ipsam ponā (inquit) quasi soli-
tudinē, & ipsam statuā quasi terrā inuiam, vt
ipsa solitudo & terra deserta siue inuia sit.
Deserta à Deo, inuia & solitaria scilicet & o-
mni destituta sanctorū angelorū frequētia,
& Michaelis quondā principis sui peruigili
præsidio. Item non dixit, Et fatigabo eā siti,
quod itidē tunc factū est, quando post eun-
dem diē natiuitatis eduxit illam de terra Ae
gypti, sed interficiā eam (inquit) siti, vt iam
nō bibat de petra, quæ virga crucis percussa
est, cuius in typū tunc illi aquas largissmas
fudit petra inanimata. Addidit adhuc. [Et fi
liorū illius nō miserebor, quoniā filij forni-
cationū sunt.] Filijà matre hoc differūt, quo
ab inuentore malitiæ imitatorē eius differ- *In filios dā*
re, perspicuum est. Nā sicut in bonam partē *natio ma-*
mater est anima, quæcūq; ex spiritu Dei ver *terna.*
bū veritatis cōcepit, Filius aūt, vel filia, quę
ex ore illius, audiendo verbū doctrinæ pro-
ficit. Sic in malā partē anima quælibet malo-
rum adinuentrix mater, & qui ab illa decipi
tur, filius est. Ergo in populo illo fornicaria
mater synagoga est, & qui ab ipsa decipiun-
tur, populares filij sunt. Quāuis aūt plus dā-
nationis sit matri eiusmodi, quā filijs, tamen
quia parū distat, in vitio decipere, & decipi
posse, rectè & in filios effunditur materna
damnatio, dū dicit, Et filiorum eius nō mise
rebor. Quare? Quoniā filij (inquit) fornica-
tionū sunt. Quod idē est ac si dicat, quoniam
& ipsi incorrigibiles siue immutabiles sunt.
Nam de talibus Sapiētia loquēs, cū dixisset, *Sapien. 12.*
sed partibus iudicās dabas locū pœnitentiæ.
Continuò subiunxit: Non ignorās, quomo-
do iniqua est natura eorum, & naturalis
malitia ipsorum, & quòd non possit mutari
cogitatio illorū in perpetuū. Semen enim e-
rat maledictum ab initio. Totum hoc expri
mitur hic breuiter per hoc dictū, quoniā fi-
lij forni-

lij fornicationū sunt, vt videlicet subaudias,
quod iniqua natio eorum, & naturalis mali-
tia ipsorū, & quòd nō possit mutari cogita-
tio ipsorū in perpetuū, & quòd ipsi æquè, vt
Amorræi & Ethæi semen maledicti sunt.
Nec verò huiusmodi dictis culpatur natura
quā Deus creauit, sed vehemētissimè redar-
guitur abusio naturæ, eò quòd accidēs ma-
litia per consuetudinē in naturā versa sit. Iu
sta ergo ratione sententiā defendit, qua dixe
rat, & filiorū eius non miserebor, dicendo,
quoniā filij fornicationū sunt. Nihilominus
& eandē rationē confirmat Sermo Dei con-
certator insuperabilis, subiungendo. [Quia
fornicata est mater eorum.] Meminisse nam
que debemus, quia præsens locus iudicatio
est inter fornicariā, & amatorē eius quondā
Deum, ab eo, quod ait: Iudicate matrem ve-
stram, iudicate. Dederat namq; illi optionē,
siue liberum arbitriū, dicendo. Auferat for-
nicationes suas, subauditur si velit mutari
sententiam, qua dixi, quoniā ipsa nō vxor
mea, & ego non vir eius. At illa pertinaciter
perseuerat in fornicationib. suis, & adulte-
ria diligit. Sequitur ergo. [Et confusa est,
quæ concepit eos, quia dixit. Vadā post a-
matores meos, qui dant panes mihi, & aquas
meas lanā meam, & linum meum, oleū meū,
& potum meum.] Confusa est (inquit) quæ
concepit eos, videlicet quomodo cōfundi
solet, qui conuincitur, & causa cadit in iudi-
cio, non habens, quod contra iudices siue ac
cusatores possit mutire, manifesto atq; inex
cusabili conuictus crimine. Ego enim mit-
tens prophetas meos, dicebā illis, sicut & nūc
dico, auferat fornicationes suas à facie sua, &
adulteria sua de medio vberū suorum. i. ces-
set colere vitulos aureos, & facere sibi Baal.
Illa autē dixit, & nunc vsq; perseueranter di
cit, nequaquā, sed vadā post amatores meos.
Nec verò solūmodo verbis hoc dixit, verū-
etiam factis dicta sua defendit, eosdē occidē
do prophetas. Vnde & fugitans cōquerebā-
tur Helias, Domine, altaria tua destruxerūt,
& prophetas tuos occiderunt gladio, & de-
relictus sum ego solus, & quærunt animam
3. Reg. 19. meā. Taliter dixit, Vadam post amatores
meos dæmones, quos in idolis colit, huma-
ni generis inimicos stultissimo errore vocās
amatores suos, me contemnens Deū verum,
verumq́; amicū, quomodo si conten̄at mu-
lier amatorē suum. Quomodo autem dixit,
vel quando dicere cœpit, qui dant panes mi
hi, & aquas meas, lanā meam, & linū meum,
Exod. 32. & oleum meum, & potum meū? Nimirum,
quando ascendens de terra Aegypti, tam ci-
to recessit de via domini, fecitq; sibi vitulū
conflatilē, & adorauit, atq; immolans dixit:
Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de
terra Aegypti, tunc dicere cœpit de falsis a-
matorib. suis, quod darent panes suos, & a-
quas suas sibi, & mentita est. Non enim illi,
sed Deus Abrahā, deus Isaac, & deus Iacob,
panes de cælo pluebat illis, & aquas funde-
bat de petra per manum Moysi. Item, & quā
do vitulos aureos sibimet instituit, mentita
est, quia dixit, præloquente Hieroboā, quē
relicta domo Dauid, in adulterio secuta est.
Eccè dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra
Aegypti. Profectò cū diceret, qui te eduxe- *3. Reg. 12.*
runt de terra Aegypti, simul etiā astruebat,
quod ab illis accepisset omnia, quæcunque
possidere vel obtinere potuit, ex quo asce-
dit de terra Aegypti. Quæ omnia hic, meta-
phorā mulieris superiùs cœptam seruando,
sermo propheticus congrua satis exprimit,
sic illā depingens applaudere sibi, qui dant
panes mihi, & aquas meas, lanam meam, &
linum meum, oleum meum, & potum meū.
Lana quippe & linum materialia sunt instru
menta omnis muliebris opificij. Oleum au-
tem & potus, res simul & nomina sunt vo-
luptatis. Porrò panes & aquæ sunt necessita
tis, quia sine illis humanæ naturæ infirmitas
nō subsistit. In omnib. his fornicaria men-
dax esse conuincitur, quia non vituli illi, nō
Baal, quē Iezabel intulit, sed Deus vnus & *Psal. 104.*
verus hæc illi contulit, vt prouocata benefi-
cijs diligeret eum, cunctis abominationibus
Deorum alienorū derelictis, sicut scriptum
est. Et dedit illis regiones gentiū, & labores
populorum possederunt, vt custodiant iusti
ficationes eius, & legem eius requirāt. Sequi
tur. [Propter hoc, eccè ego sepiā viam tuam
spinis, & sepiam eam maceria, & vias suas nō
inueniet, & sequitur amatores suos, & non
apprehendet eos, & quæret eos, & non inue
niet. Et dicet: Vadam & reuertar ad virum
meum priorem, quia benè mihi erat tūc ma
gis, quā nunc.] Notanda diligenter digressio
veracis & iustæ inuectionis. Necdum enim
cœptā culpæ eius inuectionē asperrimam fi-
nierat, & tam cito quandam promissionis
qualiscunque suauitatem repentè inserit,
maximè cùm ita dicit: Et dicet. Vadam, &
reuertar ad virum meū priorem, quia benè
mihi erat tunc magis, q̄ nunc. Nam & si ad
talia, qualia nunc loquebatur, quia filij forni
cationū sunt, quia fornicata est mater eorū,
&c. sic impatientes fuēre reges & principes
ipsius populi, vt plerosque occiderent ex ꝓ-
phetis, attamen talia patientius audire po-
tuerunt, quale istud est, in quo ad deum suū
filij Israel reuersuri fore prædicuntur. Deni
que hoc suauitatis temperamento breuiter
interposito, confestim illam, quā cœperat,
accusationem prosequitur, & dicit. [Et hæc
nescisti, quia ego dedi frumentum, & vinū,
& oleum, & argentum ei multiplicaui, & au
rum, quæ fecerunt Baal. Idcircò conuertar,
& sumam frumentum meum in tempore
suo, & vinum meum in tempore suo, & li-
berabo lanam meam, & linum meum, quæ
operiebant ignominiam eius. Et nunc reue-
labo stultitiam eius, in oculis amatorum
eius, & vir non eruet eam de manu mea. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

cc cessare faciam omne gaudium eius, solennicc tatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius,
cc & omnia festa tempora eius. Et corrumpam
cc vineã eius, & ficum eius, de quib. dixit, Mercc cedes hæ meæ sunt, quas dederũt mihi amacc tores mei. Et ponam eam in saltũ, & cõedet
cc eam bestia agri, & volucres cæli, & reptilia
cc terræ. Et visitabo super eã dies Baalim, quib.
cc incendebat incensum, & ornabatur in aure
cc sua & monili suo, & ibat post amatores suos,
& mei obliuiscebatur, dicit dñs.] Totũ hoc cursũ cõtinuo hic præscripsimus, vt id, q̃ sequitur, suo itidẽ sensui copulemus. Nam sic vt hæc, quæ dicta sunt, Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum & vinũ, &c. priorib. illis per cõstructionẽ cõiungenda sunt, quia dixit, Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linũ meum, oleum meum & potũ meũ. Sic nihilominus dictis illis, Et dicet, Vadam, & reuertar ad virum meum priorẽ, quia benè erat mihi tunc magis, q̃ nũc. Istã, quæ sequũ
cc tur, in cõstructione coniungẽda sunt. [Propter hoc, ecce ego lactabo eã, & ducam eam
cc in solitudinẽ, & loquar ad cor eius, & dabo
cc vinitores eius ex eodẽ loco, & vallẽ Achor
cc ad aperiendã spẽ. Et canet ibi iuxta dies iucc uentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suę de
cc terra Aegypti. Et erit in illo die, dicit dñs,
cc vocabit me vir meus, & nõ vocabit me vltrà
cc Baalim, &c.] Neq; enim ꝓpterea, quia Baal incẽdebat incensum, & illa ornabatur inaure sua & monili suo, & ibat post amatores suos & dñi obliuiscebatur, remuneranda erat, vt diceret dñs: Propter hoc, ecce ego lactabo eã, & ducam eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius, &c. Sed ꝓpterea, quia quærendo amatores suos, & nõ inueniendo eos, dictura erat id, quod superius dictum est: Vadã, & reuertar ad virũ meum priorẽ, qa benè mihi tunc erat magis, quã nunc. Lactẽ da erat spiritu gratiæ, & inundationis miseri cordiæ Sic sermo diuinus medicinæ potens experientissimus, voces suas ponderatas, atque ad mensurã libratas dispensat, amara dulcib. & amaris dulcia permiscens, offensionem labiorum infantilium & gutturis impatientis fugit atq; deuitat, quatenus medicamentum quocunq; modo temperatum penitùs infundat, atq; intrinsecus in summa authoritate cõtineatur Sancta Scriptura, Spiritus S. obtineat. Nec verò quasi adulãdo id efficit, nec eidem generationi, quã filios fornicationum appellauerat, iactationẽ secretæ alloquutionis, & dispensationẽ fidei promittit, sed cum vera discretione & discreta veritate procedens sermo propheticus, in vna eadẽq; gente, & illos, quib. amara, & illos perspicit, quib. dulcia iurè propinentur. Nã vna eadẽq; gens siue synagoga, aut certè ecclesia, in semetipsa cõtinet bonos & malos, id est, eos qui veraciter Corpus Christi dicã tur, & sint, & eos, q̃ propter simulationẽ cor pus eiusdem dicantur, cũ non sint. Hinc est illa de septẽ regulis Tyconij sententia, de corpore domini permixto, siue de corpore domini simulato & vero, & hæc, in isto loco plurimũ valet, vt discernas & discretè intelligas, esse in vna eadẽq; gente siue Ecclesia, & eos, quib. dulcissimè cõsolatio gratiæ suauiter offeratur, & eos, quibus propter impœnitens cor, ira & tribulatio promittatur. Et quis sapientiã propheticam dignè admiretur in eo, quòd sicut boni & reꝓbi permixti sunt, & nũc discerni nõ valent, ita voces suas permiscet & moderatur, & cõprehẽdi vel deprehendi non potest, quas hominũ personas iustificet atq; cõdemnet? Miretur ergo seculares secularium rhetorum artificiosas compositiones, affectatas ad captandã hominum beneuolentiam. Ecclesiastici & spirituales veram & discretam sanctorũ mirentur eloquentiam, per quos Deus locutus est. His breuiter dictis, pro continuatione literæ, iam nunc eadem dicta prophetica repetentes, diligentiùs singula percurramus. Propter hoc (inquit) ecce ego sepiam viam suam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. Via vel semita dicentis, Vadã post amatores meos, qui dant panes meos & aquas meas, ad infernum deducunt. Quæ nimirum si plana sint, & absq; offendiculis, ita vt prosperetur prosperitate temporali anima, quæ se à creatore suo auertit, vix aut nunquam reuocari potest, vel audire vocem post tergum monentis. Si autem aduersa occurrerint, & tribulatio vel angustia temporalis currentem comprehenderit, tunc reminiscitur (vt sæpè dictum est) Domini Dei sui, sicut de ipsis filijs Israel, contra quos maximè hic propheticus sermo dirigitur, scriptum est, primum in Aegypto, quia ingemiscentes propter opera, vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Dominum pro operibus, & audiuit gemitum eorum. Deinde & in libro Iudicum persæpè scriptum est, quia cùm dereliquissent Dominum, & propter hoc tradidisset illos in manus gentium, clamauerunt ad DOMINVM, & sæpè liberauit eos. Igitur quod nunc ait. Ecce ego sepiam viã tuam spinis, & sepiam eam maceria, magnæ est miserationis, nam si non id faceret, tunc potius iratus & miserationum suarum oblitus esset DEVS, quemadmodum Psalmista cùm dixisset. Exacerbauit DOMINVM peccator, continuò subiunxit, secundum multitudinem iræ suæ non quærit. Spinæ namque aduersitatis vtiliter compungunt atque lacerant pedẽ ad mala currentis & inhiantis delicijs pernicioſis, vt saltem spinarum talium punctione, talisque maceriæ offensione commonita rationalis anima, dicat. Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc, id est,

Artificium diuini sermonis.

Boni et mali in ecclesia permixti.

Spinæ tribulationũ, remedia reuertendi ad Deum.

Exod. 3.

Psalm. 9.

id est, seruiam DEO viuo & vero, & non superbiæ hominum, vel malignorum spirituum, quia etiam in præsenti vita multo suauius est portare iugum dñi, quã seruũ vel ancillã fieri hominũ. Hoc aliqui ex gente illa fecerunt, hoc recogitauerunt, & sic ad cor suum reuersi, portas æternæ mortis, quibus appropinquauerant refugerunt. Notandum deinde, quã sapienter sermo diuinus mendaciũ illud redarguat dicẽtis de amatorib. suis, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanã meam, & linũ meum, oleum meum, & potũ meum. Ait enim. Et hæc nescivit, quia dedi ei frumentũ, & vinum, & oleum, & argentũ multiplicaui ei, & aurum quæ fecerũt Baal. Nescivit q̃ nescire non debuerat, quia videlicet non vt cæteræ gentes, sic Israelitica gens opulenta facta est. Aliæ namq; à progenitorib. suis potentibus seculi adquisitas vel possessas hæreditario iure obtinuerunt terras. Hæc aũt gens de peregrinis & aduenis patrib. nata est. Peregrinus erat Abrahã, peregrinus Isaac, peregrinus Iacob, pertrãsẽtes de gẽte in gentẽ, & de regno ad populũ alterũ, & nullã propriã terrã habuerunt. Expectabant enim fundamenta habentẽ ciuitatem (vt ait Apost.) cuius artifex & conditor est Deus. Et quidẽ fides illorũ hoc emeruit, vt illud quoq; quod nõ quærebant. s. terras vel regiones gentium, ipsis & semini ipsorũ repromitteret Deus. At illi qui protinus ex ipsis orti sunt, videlicet filij Iacob, eadẽ pro missione sese indignos effecerunt, vendendo fratrẽ suũ Ioseph. Nam idcirco peregrini facti sunt, & in Aegypto seruierunt. Sed & in deserto, per quod ducebat eos, immeritos gratia liberatoris, verũ sese indignos eadem promissione fecerunt, ita vt diceret Dñs ad Moysen: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus cõtra eos, & deleam eos, faciãq; te in gentem magnam. Ita qui nullã terrã ex possessione paterna hæreditabant, ipsam quoq; quã diuina largitas propter fidem patrum illis promiserat, terram non cõsequi meruerant, nisi Deus propter gloriã & veritatẽ suam cõfirmandam, cũq; patribus eorũ meritam illis suspendisset iram, & exhibuisset misericordiam, eodẽ Moyse suggerente illi in confractione. i. nimia humilitate cordis. Recordare Abrahã, Isaac, & Iacob seruorum tuorũ, quib. iurasti per temetipsum dicens, multiplicabo semen vestrũ sicut stellas cæli, & vniuersam terrã hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eã semper. Hoc ista nesciuit, septẽ aũt mulieres optimè sciũt, quæ in Esaia dicunt. Panẽ nostrum cõedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantũmodo inuocetur nomen tuum super nos, auser opprobrium nostrum. Hoc namque oẽs dicunt ecclesiæ gentium in suggillationem meretricis huius, quæ nec panẽ quẽ comederet, nec vestimenta quibus operiretur habuit, sed sub conditione accepit, vt inuocaret nomen domini, quẽadmodum Psalmista dicit. Et dedit illis regiones gentium, & labores populorũ possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legẽ eius requirant. Nos (inquiunt istæ) tale nihil ex te pro mercede quærimus, vt propter Euangelium, vel fidẽ tuã suscipiendã, terras vel regiones alienas nobis conferas, sed panẽ nostrum cõedemus, & vestimentis nostris operiemur, quæ ante notitiã tui nominis habemus, imò & tibi, & his, qui nomen tuum prędicant, panem nostrum, & vestimẽta nostra libenter impartiemur, tantũmodo dignare dici & esse Deus noster, & opprobriũ vitæ, vel cõuersationis pristinæ nobis aufer, vt nõ simus absq; viro, & non simus sicut hactenus eramus sine Deo in hoc mundo. Dicat ergo. Et hęc nescivit. i. scire aut reminisci noluit, quia ego dedi ei frumẽtum, & vinũ, & oleũ, videlicet dando terrã frumẽti, & vini, & olei, feracẽ, & argentũ multiplicaui ei, & aurũ, maximè dieb. Salomonis, de quo Scriptura refert. Nõ erat argentũ, nec alicuius precij putabatur in diebus Salomonis, quia classis regis per mare cum classe Hyrã semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, dentes elephantorũ, & symias, & pauos. Porrò, ex illa auri abundantia fecit Samaria, scindendo se à domo Dauid, & à domo Salomonis, primũ duos vitulos aureos, & deinde Baal. Cũ ergo dixisset, Et argẽtũ multiplicaui ei, & aurum, pulchrè cõtinuò addidit: Quæ fecerunt Baal. O dira ingratitudo. De auro & de argẽto meo fecerũt mihi cõtraria, vitulos & Baal, cæteraq; deorũ portẽta. Idcirco cõuertar, & sumã frumentũ meũ, in tempore suo, & vinum meũ in tẽpore suo, & liberabo lanam meam, & linum meũ, quæ operiebant ignominiã eius. Cõuertar (inquit) & cõuersus abibo, recedã, & derelinquam eam, vt (sicut iam dixi) ipsa nõ sit vxor mea, & ego nõ sim vir eius. Hoc enim pro parte illorũ rectè dicit, quos pœnitentiã non acturos fuisse præsciuit. Nam q̃ præmissum est, Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & nõ inueniet, & dicet, Vadã, & reuertar ad virũ meum priorẽ. Pro parte illorum dictum est, qui reuersi sunt, aut reuertẽtur ad dominũ, saltem post experimenta malorum, postquã anima per vexationem ad intellectum reducta, illos, quos sequebatur, & quærebat, velut amatores, non apprehendit, aut inuenit sicut amatores, sed sicut hostes crudelissimos, vt vere sunt, experta est. Conuertar ergo, inquit, id est, recedam, & hæc vxor mea iam non erit. Nec isto contentus, adhuc etiam bona temporalia tollam, quæ illi non quasi pro dote prima contuli. Hoc enim est, quod continuò subiungit: Et sumam frumentum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant

Pſal. 104.

Vnde Iudæis olim diuitiæ.

Pſal. 104.

3. Reg. 10

Hebr. 11.

Gen. 37.

Exod. 22.

Ingratitudo Iudæorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

periebant ignominiam eius. Et est sensus. Terram illi optimã dederam, afferẽtem frumentum in tempore suo, & vinum in tempore suo. Quod vtiq; frumentum vel vinũ meum est, quia terra ipsa, sicut per Moysen dixi, mea est, vos aũt coloni mei estis. Sanè hic per frumentũ & vinum vniuersa vult intelligi, quæcunq; ad victũ pertinentia, terra illa proferre potuit. Porrò per lanam & linũ omnẽ intelligamus vestitũ. Sumam ergo (inquit) frumentũ meum, & vinum meum, & liberabo lanã meam, & linum meum. i. ad paupertatem, & omnimodã victus & vestitus inopiam redigã eã, vt sit (sicut suprà dictum est) secundũ diẽ natiuitatis suæ, id est, nihil possideat, suo iure, sicut quando nata est, & seruiuit in Aegypto, nihil, nisi miseræ seruitutis pœnã cognoscatur habuisse. Et notanda diligenter dictionis acrimonia, dũ dicit, Et liberabo lanam meã, & linum meũ. Idem eñ est, ac si dicat, Tantæ illã esse perLeuit. 25.

Liberabo lanã meã, & linum meum.

uersitatis, vt reb. quoq; inanimatis condolẽ dum sit, ꝙ seruiant illi, & magnam esse captiuitatem lanæ & lini, quod vsibus eius famulentur, quæ sit ancilla peccati. Quomodo aũt, vel quando hæc operiebant ignominiã eius? Vt taceamus interim de cõmuni vsu, quo passim corpora virorum ac mulierum tegebantur, quãuis & hoc indignissimũ fuerit, quòd pãnis adoperti, quos dederat deus, libidinibus polluebantur, & simulachris prosternebãtur, vt (inquã) de hoc nũc taceamus, in eo quàm magnificè lana & linum domini operiebant ignominiam eius, quod sanctuariũ domini & omnis cultus tabernaculi vel sacerdotij eius de lana & lino mirificè cõpositus, secundum modum, quem ipse Moysi dictauerat, in sola gente illa tunc habebatur. Nam vestimentorum, quæ fecit Moyses fratri suo Aaron, secundum ordinem vel imperium domini dicentis: Hæc autem erunt vestimenta, in quib. sanctificatus Aaron ministret mihi, rationale & superhumerale, tunicam & lineam strictã cydarim, & baltheũ. Facies illi & filijs eius, vt sacerdotio fungantur mihi, accipiesq; aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumq; bis tinctum, & byssum, horum (inquã) decorem simul & sacramentum nullus sermo noster explicare sufficit. Quam illius mulieris. i. Israeliticæ ignominiam gentis, lana illa & linum illud operiebant? Nimirum peccata eius actualia, simulque originale peccatũ, quo admisso, primi parentes nostri ignominiam suam. i. pudenda sua foliis fici operuerunt. Illã ignominiam in gente illa, lana & linea sacerdotalis cultus ornamenta operiebant. Notandum, quod dicitur, quia operiebaut quidẽ, sed nõ etiam delebãt. Nam tantummodo sanguini Christi Iesu illa talis ignominia non solùm operitur, sed etiã deletur & abluitur. Itaque cũ dicit: Et liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiã eius, subExod. 28.

Infra 14.

intelligendum est, ac si diceret, auferam illi vmbraticum quoq; sacerdotium, quo communis nuditas generis humani in gente hac vtcunq; tegebatur. Nam & postmodum dicit illi: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Magna igitur vituperatio sacerdotum eiusmodi, cùm dicuntur, lana & linum liberari, tanquam à seruitute ignobili, quib. vtiq; magna nobilitas est, quanta potest esse rebus inanimatis, adhiberi ad cultum sacerdotij siue altaris domini. Sequitur adhuc. [Et nũc reuelabo stultitiam, in oculis amatorum eius, & vir non eruet eam de manu mea. Et cessare faciã omne gaudium eius, solennitatẽ eius neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia festa tempora eius.] Liberatis (vt iam dictum est) lana & lino Domini, quæ operiebant ignominiam eius, reuelatur stultitia eius in oculis amatorum eius, vt in oculis ipsorũ appareat contemptibilis, quib. peruersè cõplacere voluit, quia captiuitate genti illi ingruente, ita priuatur tẽporalibus bonis, vt non habeat, in qua gaudere possit, celebrando festiuitates suas, profectò vilis inter gentes apparuit, & insultauerunt ei nationes, quarum Dominus, velut amatoribus sese impudica prostituit. Nihilominus quod sequitur. [Et corrũpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit, Mercedes hæ meæ sunt, quas dederũt mihi amatores mei, & ponam eam in saltum, & comedet eam bestia agri, & volucres cæli, & reptilia terræ.] Sic factum esse constat, quia nimirum ex quo dixit, formatis vitulis aureis, hi sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti, quod erat dicere, Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei, non cessauit cum eis fornicari, & propter hoc Assyriorum atque Chaldæorum exercitus veniens, omnia terræ illius deuastauit nascentia, quorum ficus & vinea delicatissima sunt, & deficientibus habitatoribus, ea quæ nascebantur, bestiæ agri, volucres cæli, & reptilia terræ licenter comederunt. Veruntamen nondum finis, neque enim pœna impœnitentis consummanda, vel finienda erat illa tantum vastitate hostili, sed temporalem vindictam comitatur æterna, sicut Moyses in cantico Deuteronomij protestatus est. Ignis succensus in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Sequitur ergo. [Et visitabo super eam dies Baalim, quibus incendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur dicit Dominius.] Cùm enim dicit, Et visitabo dies Baalim, id est, dies vel solennitates idolorum. Pluralem namque est Baalim, deflexum à singulari, quod est Baal, cùm (inquam) Visitabo dicit, subaudiendum est in die vltionis. Sic enim ad Moysen dixerat, quando primũ idolum, id est, vitulũ cõflatilẽ in deserto populus

Reg. 12.

Deut. 32.

Baalim idola.

Exod 32.

pulus sibi fecerat: Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Quæcunq; extunc idola populus ille coluit, simul hic vno significãtur plurali nomine Baalim, quia videlicet tunc sorduerat Israel cultu Baal, quando iste prophetauit, & contra illum ferè maxima causa erat prophetis, quia propter eum Iezabel prophetas domini occidit. Quis autem est ille dies vltionis, nisi idem, qui crẽdendus est dies salutis? Deniq; tempus vel dies, de quo Apost. dicit, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, sicut; credentibus dies salutis vel propitiationis, sic econtra non credentib. est dies vltionis, in qua Iudæorum perfidiã vlciscitur ipse, de quo Psalmista dicit, Deus vltionum dominus, Deus vltionum liberè egit. Exaltare, qui iudicas terram, redde retributionẽ superbis. In ista die vltionis visitantur super gentẽ illam dies Baalim, visitatione, quã totus orbis nouit, qa & secundũ corpus captiui, & secundũ animã in tenebras exteriores sunt missi, propter dies Baalim, quibus incendebant incensum patres eorũ, quorum iniquitatẽ sic imitati sunt vt meritò propter illã subeant damnationis iudicium. Porrò primũ idolum, qđ post exitum de Aegypto coluerunt, factũ est de ornatu inaurium muliebriũ, sicut scriptum est: Dixitq; ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum auribus & afferte ad me. Fecit populus, quæ iusserat, deferẽs inaures ad Aaron, quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilẽ. Dixeruntq; Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Rectè igitur cum dixisset, Et visitabo super eã dies Baalim, quib. incendebant incensum, statim intulit, Et ornabatur inaure sua, & monili suo. Nã quia primum (vtiã dictum est) de inaurib. suis sibi formauit idolum, rectè inauribus & monilib. suis ad honorem siue cultum Baalim sese ornasse culpatur, vt in omni idolo, quod extunc coluit, formatura prioris idoli, quod ex inaurib. factum est, iudici deo iure ad memoriã reuocetur, vt æmulando dicat, Et ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur. Sequitur.

Dies vltionis.

Psalm. 93.

Exod. 32.

«[Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducã
«eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores eius ex eodem loco, & vallem
«Achor, ad aperiendã spem. Et canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascẽsionis suæ de terra Aegypti.] Propter hoc (inquit, ecce ego lactabo eam. Præmiserat autẽ, Et visitabo super eam dies Baalim, &c. Num ad vnam eandemque partem sermo respicit, cum illic ira, hic autem manifeste sonat gratia? Ergo (vt suprà iam dictum est) ad meliorem partẽ sermo recurrit, id est, ad eam, quæ saltem malis commonita seipsam, & Deum suum tãdem recognoscit, & dicit illud, quod hic idem propheta suprà præmisit, Vadam, & reuertar ad virum meum priorẽ, quia benè mihi erat tunc, magis quàm nunc. Nam vt hoc manifestiùs fiat, capitulum hoc totum hic ponendum est.

[Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & du,,
cam eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius,,
& dabo ei vinitores eius ex eodem loco, &,,
vallem Achor, ad aperiendã spem. Et canet,,
ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies a,,
scensionis suæ de terra Aegypti. Et erit in il,,
lo die, ait Dominus, vocabit me vir meus, &,,
non vocabit me vltrà Baalim, & auferã no,,
mina Baalim de ore eius, & non recordabi,,
tur vltra nominis eorum. Et percutiã eis fœ,,
dus in die illa cum bestia agri, & cum volu,,
cre cæli, & cum reptili terræ, & arcum, & gla,,
dium, & bellum conterã de terra, & dormire,,
eos faciam fiducialiter. Et sponsabo te mihi,,
in sempiternum, & sponsabo te mihi in iudi,,
cio & iustitia, & in misericordia, & miseratio,,
nibus, & spõsabo te mihi in fide, & scies, quia,,
ego dominus, & erit in die illa, exaudiã dicit,,
Dominus, & exaudiã cęlos, & illi exaudient,,
terram, & terra exaudiet triticum, & vinum,,
& oleum, & hæc exaudient Iesrael. Et semi,,
nabo eã mihi in terrã, & miserebor eius, quæ,,
fuit absq; misericordia, & dicã populo meo,,
Populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus,,
es tu.] Notanda quippe diligenter, prolixi capituli siue copiosæ huius promissionis clausula tarda, sed discreta. Postquam dixit, lacta bo eam, ducã eam, loquar ad cor eius, dabo ei vinitores eius, & canet ibi, & vocabit me, Vir meus: & deinde per apostropham, Et sponsa bo te mihi, rursusque & feminabo eam mihi & miserabor eius, quasi quæreres & diceres, quam lactabis, quam duces, cuius ad cor loqueris, cui vinitores dabis, quę canet, vel quę te virum suum vocabit, quam sponsabis tibi vel quam feminabis tibi, & cuius miserebe-

Rom. 9.

ris? Continuò respondit responsione & dictione prouida, dicens: quæ fuit absq; misericordia, & dicam non populo meo, Populus meus es tu. Hoc ita esse, vt diximus, scilicet ad illam ista referri, quæ dixit superiùs, Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, & hanc esse omnẽ animam, quęcunq; ad dominum conuertitur, siue ex gentibus, Apostolus quoque testatur. Cum enim dixisset, volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, continuò subiũxit, Quos & vocauit nos non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, Plebem meam. & non misericordiam consecutam, Misericordiam consecutam. Interea & hoc notandum, quia non dixit, & misebor eius, quæ fuit absque misericordia, sed quæ fuit absque misericordia. Absque misericordia, nunc est gens Israelitica, & idcirco (sicut superiùs dictum est) ex quo in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Que gens absq; Misericordia dicitur.

captiuitatem ductæ sunt decem tribus à rege Assyriorum Salmanassar. Propter hoc sic superius dictum est. Et concepit adhuc, & peperit filiã, & dixit ei, Voca nomẽ eius, Absq; misericordia, quia nõ addã vltrà misereri domui Israel, &c. Proinde & reliqua tribus Iuda nunc est absq; misericordia, quia Iudæi Romanorũ gladijs cõcisi, & in oẽs gẽtes ducti captiui, palã est, quia absq; misericordia sunt. Porrò gẽtilitas absq; misericordia fuit, nunc aũt absq; misericordia nõ est, dicente Deo in hac prophetia, Et miserebor eius, q̃ fuit absq; misericordia. Hinc idẽ, q̃ supra, dicit Apost. Sicut.n. aliquãdo & vos nõ credidistis Deo, Nunc aũt misericordiã consecuti estis, ꝓpter illorũ incredulitatẽ, ita & isti nũc nõ credide runt in vestra misericordia, vt & ipsi misericordiã cõsequantur. Igitur (vt suprà iã dictũ est) nõ ad contigua scripturæ dicta, in quibus manifestè ira sonat, referendum est id, q̃ ait: Ecce ego lactabo, &cæ. sed ad superiora, vbi pars bona pars electa rediẽs ad cor suũ, Vadã (inquit) & reuertar ad virum meum priorẽ, quia benè mihi erat tunc, magis quàm nunc.

Rom. 11.

Dicamus itaque, imò quæramus, quid sit lactari eam, duci in solitudinem, & loqui ad cor eius, & dari ei vinitores eius ex eodem loco, & cætera, quæ sequuntur. Propter hoc, inquit, Ecce ego lactabo eam. Lactari, est dulciter foueri, & propter imbecillitatem ad infantiles delicias reduci. Hoc omninò reprehensibile est in illis, qui ex Iudæis sunt conuersi. Nam illis loquens Apostolus, dicit: Et enim cũ deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis, vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitię. Paruulus enim est. Perfectorũ autem est solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habẽt sensus ad discretionem boni & mali. Porrò gentiũ fides idcirco laudis & meriti maioris est, quia & si illam lactari oportuit, citiùs tamen solidi cibi, id est, sermonis iustitiæ, videlicet spiritalis doctrinæ, perceptibilis extitit lactatio hæc, qua in CHRISTI aduentu omnis Ecclesia, tam ex Iudæis, quàm ex gentibus veniens lactata est. Similis lactationi illi est, qua lactata fuit illa generatio filiorum Israel, quæ ascendit de terra Aegypti. Idcirco cùm dixisset, & ecce ego lactabo eam, addidit, & ducam eam in solitudinem, pauciq; interpositis: Et canet (inquit) ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti. Quis enim nesciat, gentem, siue generationem illam septam spinis in Aegypto habuisse viam, & perinde lactatam fuisse, & ductam in solitudinem per quadraginta annos, & ceciniſſe ascendendo?

Quid est lactari.

Hebr. 5.

Exod. 1.

Nam quia oderãt filios Israel Aegyptij, & affligebant illudentes eis, atq; ad amaritudinẽ perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omniq; famulatu, quo in terræ operibus premebantur, quæ veræ erant spinę miseriarum, idcirco ingemiscentes vociferati sunt ad dominum, qui verè prior fuerat vir fidei patrum ipsorum Abraham, Isaac & Iacob, cuius nequaquam recordarentur, seruientes dijs Aegyptiorum, nisi afflictio vehemens extorsisset gemitum, sensumq; excitasset in negligentia propter abundantiam piscium, & propter ollas carnium consopitum. Tunc propter hoc gentem eandem lactauit Deus multis miraculis, quibus Pharaonem & Aegyptum flagellauit, quod nimirum dulce fuit huic, cum videret pro se tam mirabiliter pugnari de cælo. Quid multa? Transiuit mare rubrum, mersо Pharaone cum currib. & equitibus suis, atque ascendendo cecinit: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare. Ita ducta est in solitudinem, prosequẽte lactatione Domini, ita vt panem plueret illi Dominus, & percussa petra, copiosam daret aquam sitientibus tam iumẽtis, quàm hominibus, atq; illic locutus est ad cor eius, circunducendo & docendo eam, imò & tentando eam, quemadmodum & Moses quodam loco dixit, Tentat vos dominus Deus vester Lactationi illi (vt iam dictum est) simile facturum se pollicetur, dicendo, propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducã eam in solitudinem, &c. Quod & fecit in aduentu filij sui per sacramentum passionis & resurrectionis eiusdem domini nostri Iesu Christi. Nam omnes, quicunq; relictis erroribus pristinis, ad ipsum viuum & verum Deum conuersi sunt, quod est reuerti ad priorem virum, propter hoc ipsum, quòd taliter reuersi sunt, lactauit idem dominus Ecclesiam suam, non solùm verbo dulcissimæ prædicationis, verùm etiam dulcissimis charismatibus Spiritus sancti, & iucundis miraculis, quę tũc temporis per Apostolos & apostolicos viros abundãter & delectabiliter dignatus est operari. Ait ergo: Propter hoc, ecce ego lactabo eam. Continuò quoq; addidit, Et ducam eam in solitudinem. Scimus enim, quia mirabilibus, quæ operata est Gratia spiritus sancti, quæ super Apostolos venit, ita delectati sunt credentes, vt solitariam quoq; vitam appeterent, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est, nec quisquam eorum, qui possidebat aliquid, suũ esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia. Addit adhuc: Et loquar ad cor eius. Et hoc fecit ipse, qui promittit hoc ore suo promisit & impleuit homo factus ipse, qui hæc loquitur in prophetis. Dixit enim: Paracletus aũt, Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quęcũq; dixero vobis. Item: Cum aũt venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatẽ & quæ vẽtura sunt, annunciabit vobis. Qui hęc in articulo passionis suæ dixerat, postmodũ resurgens,

Exod. 15.

Deut. 3.

Act. 2. 4.

Ioan. 14.

Luc. 24.

gens, secundum quod promiserat, locutus est ad cor eorũ, siue docuit eos per spiritũ sanctum omnem veritatem, sicut scriptum est. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerẽt scripturas. Amplius autem die quinquagesimo, dando illis spiritum sanctum, locutus est ad cor eorum, & extunc in ecclesia non desunt, quorum mentibus veritatem insinuet & notitiam scripturarum, vt veritas impleatur dicentis, Et loquar ad cor eius. Addidit adhuc: Et dabo vinitores eius ex eodem loco. Vinitores eius apostoli sunt, & quique apostolici successores officij, id est, prædicatores veritatis. Ipsa namq;, de qua vel in quam hæc dicũtur, Ecclesia domini vinea est, vel vinea dicitur, sicut multis in locis scripturarũ legimus vt in Esaia: Vinea domini sabaoth domus Israel est. Item in Dauid: Vineam de Aegypto transtulisti. Rectè ergo curatores eius hic vinitores dicuntur. Et istos non vndecunque, sed, Ex eodem loco (inquit) dabo ei, id est, de genere ipsius, de gente ipsa quæcunq; vinea domini dici vel esse meretur. Nam vbicunq; vinea domini est, vbicunq; per orbem terrarum sancta Ecclesia diffusa est, in medio eius vel inter ipsos, qui inhabitant fideles, viuunt & ambulant aliqui, quos prælatos Ecclesia sibi eligere possit, agente & ordinante ipso, qui hic loquitur dicens, Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco, vt spiritus sui dona nõ desint in omni loco suæ dominationis. Sic quondã in initio huiusce plantationis, quando comprimebatur inter spinas Aegypti, Moysen & Aaron ex eodem loco vinitores dedit, sic itidem, quando in Babylone captiua trãsmigrauit Zorobabel, Iesum, Neemiam & Esdram vinitores, ex eodem loco dedit. Sic in aduentu suo, quando fructum ex vinea requisiuit, & à malis reiectus est agricolis, vinitores optimos illi, scilicet Apostolos ex eodem loco dedit. Sic vbicunq; per omnes gẽtes eandem vineam. i. ecclẽsiam suam, dilatauit, vinitores illi & patronos inclytos, martyres & confessores, & virgines, ex eisdẽ locis dedit, & nunc vsq; prælatos & necessarios dare non desinit.

Vinitores ecclesiæ prælati.

Esaiæ 5. Psal. 79.

Matth. 21.

"Sequitur adhuc. [Et vallem Achor ad aperi-
"endam spem.] Subauditur, dabo ei. Breuissima cõmemoratione magnum & amplum veteris scripturæ locum nobis illuminat, qui huiusmodi est. Achor, filius Carmi, de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate Hiericho, de qua dixerat Iosue ad omnem Israel: Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus ciuitatem, sitq; ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt. Propter hoc iratus est dominus, nec potuit Israel stare ante hostes suos, sed terga vertit, & fugit, & percussus est à viris vrbis Hai, dicente domino ad Iosue: Non ero vltrà vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est. Factũq; est, & sorte deprehensum Achor, duxerunt ad vallẽ Achor, lapidauit eũ omnis Israel, vocatumq; est nomẽ loci illius, Vallis Achor, vsq; hodie

Iosue 7. Aliàs Achan f. Carmi.

Mysterium vallis Achor.

Tunc demum dixit dominus ad Iosue: Ne timeas, neq; formides, &c. Hoc taliter secundũ historiam factũ, promittit se dominus rursus spiritualiter facturum. Futuro namq; tempore dixit, & dabo ei vinitores ex eodem loco, ad vallem Achor. Ad quid? Ad aperiendam spem, inquit. i. ne ipsa de sua spe dubia vel incerta sit. Pulchrum ergo illius facti historici pandit mysterium, videlicet quia sicut tunc postquam interfectus est Achor, filij Israel sumpserunt spem vincẽdi hostes, nec frustrati sunt, sic postquã synagoga Iudæorũ cũ ciuitate Hierusalem destructa est à Romanis, tẽplumq; succensum, & ipsi Iudæi interẽpti, & in totum mundũ sunt captiui, Apostolis cęteris q; credentibus aperta est spes victorię, qua in totũ mundum fidei in Christum subiugauerunt. Itaq; hic in Euãgelio, Achar de tribu Iuda fuerit Iudas Iscarioth, discipulus Christi, principis confessionis nostrę de tribu Iuda, & cum eo pariter cœtus ille malignantiũ scribarum & pharisęorũ, cum quibus de proditione Saluatoris occultum & furtiuum habuit consilium. Reuera namq; tũc Achar furatus est de anathemate vrbis Hiericho, quã do fur, loculorũ Domini Iudas ille in pretiũ sanguinis accepit triginta argenteos. Neq;. n. ciuitas illa secundum malignitatẽ inhabitantium tam Hierusalem dicenda est, quã Hiericho. Ceciderũt muri ciuitatis illius iam tunc visibiliter in oculis domini, quando dominũ negando & tradendo ad crucifigendum, omne cæleste præsidium à se repulit, tunc autẽ etiam visibiliter, quando Romano exercitu circũdata & subuersa est, & sicut sorte deprehensus Achar ille, suo ore confessus est, & dixit, Verè ego peccaui Domino Deo Israel, & sic & sic feci: & hæc & hæc concupiscens abstuli. Sic iste Iudas Iscarioth, ore domini traditor designatus, postmodum confessus est, proijciens triginta argenteos in templo, discęsq; senioribus & principibus sacerdotum Peccaui, tradens sanguinem iustum, lapidatusque est Achar, prout cum Iuda traditore, illo, totus ille cœtus traditionis coemptor, nec remansit lapis super lapidem. Et hoc totum factum est ad aperiendam spem. Si enim templũ illud, & ciuitas illa in sua gloria permansisset, multum Euangelio Christi obstitisset, nimis gentium fidem & spem impedisset, multos dubitare feciſſet. Amplius dicam quia etiamsi omnes credidissent, & fidẽ Christi recepissent, atque ita factum esset, vt non venirent Romani tollere locum & gentẽ, nihilominus euãgelicam veritatẽ & Christianę fidei regulã cõturbassent. Hoc ex paucis illis qui crediderunt, facili argumẽto cõprobatur Pauci quippe ad fidẽ fuerunt conuersi, cõparatione totius Iudaicæ multitudinis. Scriptũ est aũt in Actibus Apostolorũ: Quia quidam ex illis descendentes Antiochiam de Iudæa, docebant fratres, qui crediderant ex gentibus, & dicebant, Quia nisi circuncidamini

Expedit tẽplum Hierusalem destructũ esse

Acto. 15.

secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundum morem Moysi, non potestis salui fieri. Factaq; est seditio non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, & conuenientibus Apostolis & senioribus videre de verbo hoc cum magna conquisitio fieret, vix ad tempus sedati sunt per testimonia scripturarum. Quid igitur fieri potuisset, vel quantam turbam seditiosos Iudæos putas facturos fuisse si ad fidem Christi conuersi fuissent? Vtique pertinaciùs euangelium circuncisioni miscuissent, & de vtrique neutrum, aut nihil fecissent. Quia si circuncidamini (inquit Apostolus) Christus vobis nihil prodest. Proinde laudanda & veneranda est prouidentia Dei, quæ illos excæcauit, sicut in Esaia dicit, Excæca cor populi huius, & aures aggraua, & oculos claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & cõuertatur, & sanem eum. Multò enim melius est, ab illis nõ cognosci Christum, & non recipi baptismatis sacramentum, per quod, qui conuertuntur, sanãtur, accipiendo remissionem peccatorum, quàm ita cognosci Christum, & baptizari, vt nihilominus circumcisio carnis & carnalis Iudaismus exerceatur. Hoc namq; pacto, & sibi nihil contulissent, & gentibus plurimùm nocuissent. Post om-
"nia hæc dicit. [Et canet ibi iuxta dies iuuen-
"tis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra
"Aegypti.] Canet ibi, inquit. Vbi? In illa lactatione, in illa deductione, in illa cordis allocutione, in illa spei adapertione. Ibi canet, ibi laudes & gratias referet. Quomodo? Iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti, id est, sicut cecinit in diebus, in quibus iuuenis fuit, in diebus quib. ascendit de terra Aegypti. Tunc enim ecclesia Dei iuuenis fuit, & quasi calorem sanguinis sequens iuuenilem, iudicium non habuit maturæ & securæ senectutis, in eo, vt spiritualia corporalibus, cælestia præferret terrenis. Quomodo cecinit in diebus illis? Signatis postibus suis sanguine agni, & percussis primogenitis Aegypti, mare rubrũ trãsiens, merso Pharaone cum curribus, & equitibus suis, cecinit carmen hoc: Cantemus Domino gloriosè enim honorificatus est, &c. Iuxta dies illos, id est, secundum quod in illis diebus prefiguratum est, ecce nunc ecclesia sancta, signatis frontibus signaculo crucis & sacramẽto dominicæ passionis, atq; ita extermi nato primogenito mortis, id est, peccato originali, transiens mare rubrum, id est sacri baptismi sacramentum sanguine Christi rubicundum, sepultis omnibus, carmen gloriosum, cuius illud Mosi cãticum fuit præfiguratum, sicut in Apocalypsi scriptum est: Et vidi tanquam mare vitreum, mixtum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem illius, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Mosi serui Dei, & canticum agni, dicentes: Magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotẽs, iustæ & veræ viæ tuæ rex seculorum, &c. Sequitur [Et erit in
illo die, ait dominus, vocabit me, Vir meus,
& non vocabit me vltrà Baalim, & auferam
nomina Baalim de ore eius, & nõ recordabi-
tur vltrà nominis eorum.] Hoc vt dicitur, i-
ta factum est, & fit. Docéte namq; Magistro & domino nostro Iesu Christo, & spiritu sancto, nunc didicit beata Ecclesia, Deum vocare virum suũ, maximè, quia bona & magna Ecclesiæ pars, beata virgo Maria, sic Deo altissimo mirabiliter coniuncta est, vt semen eius, id est, Verbum eius, vnicum filium eius, vtero proprio conciperet, Deumq; & hominem & ad salutem omnium credentium feliciter pareret. Post ipsam omnis anima, quæcunq; Verbi eiusdem incarnati fidem mente ad iustitiam concipit, & oris confessione ad salutem parit, vniuersa ecclesia, quæ de multis huiusmodi credentibus consistit, rectè dicit Deo, Vir meus, quia vxor Dei dici & esse meretur. Et nõ vocabit me (inquit) vltrà Baalim, subauditur, vt hactenus fecit. Deniq; formatis vitulis, & assũpto Baal, cæterisq; deorũ portentis, q̃ hoc significantur plurali vocabulo Baalim, quotiesdixit, Isti sunt dij tui Israel qui eduxerunt te de terra Aegypti, toties q̃ auditu quoq; nefas est, Israel illũ, qui se eduxerat de terra Aegypti, vocauit Baalim. Et auferã (ait) nomina Baalim de ore eius, & nõ recordabitur vltrà nominis eorũ, videlicet iuxta illud apostolicũ, Aut turpido, aut stulti-
loquium, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos. Nam potest quidem Baalim tolerabilem habere interpretationem, id est, habens me, quod de Deo vero fidelis anima rectè potest dicere. sed hoc nomen Baalim, quod ab Iezabel introductũ est in idolo Sidoniorum, quod illi Baal dicunt, nimis pollutum & inquinatum est, & idcirco nulla nominis eiusdem interpretatio, quãuis pulchra, placere debet. Non ergo (inquit) vltra recordabitur nominis eorũ, & ego vicissim nõ recordabor nominis eius, siue nominũ, sicut in psalmo scriptũ est. Non congregabo conuenticula eorũ de sanguinib. nec memor ero nominũ eorũ per labia mea. i. omniũ eorũ, q̃ impiè gesserunt, pro quib. raptores, adulteri & similia sũt nominati, nõ recordabor, nec pro his puniã eos. [Et percutiam eis fœdus in illa
die cũ bestia agri, & cũ volucre cæli, & cũ re-
ptili terrę & arcum & gladiũ, & bellũ conte-
ram de terra, & dormire eos faciã fiduciali-
ter.] Et percutiã eis, inquit. Quibus? Singulari namq; numero vtebatur, dicendo, Vocabit me, vir meus, & auferam nomina Baalim de ore eius, & nominis eorũ nõ recordabitur nunc aũt in plurali numero loquitur, dicens, Et percutiã eis. Quibus ergo? Nimirũ supra dictis vinitorib. eius, id est, prędicatorib. eius Illis nanq; percussit Dominus fœdus cũ bestia agri, & cũ volucre cęli, & cũ reptili terrę. Quod primũ iuxta literã rectè itelligi potest.

Haben-

Gal. 5.

Esaiæ 6.

Exod. 12.

Psal. 3.

Apoc. 15.

Ephe. 5.

Habentes namque gratiam operationis virtutum Apostoli & patres sancti, & bestijs, & volucribus, atque reptilibus, siue serpentib. imperasse leguntur, & obedierunt eis tam promptè, vt miraculo essent populis, ad gloriam Christi, quasi fœdus pepigissent cu eis. Deniq; iuxta hunc sensum, tam pulchrè, quã veraciter, nunc dicitur, Et percutiam eis fœdus cum brutis animantib. Porrò iuxta anagogen, vinitoribus eiusdem Dominus, cum bestijs, cum volucribus, & cum reptilibus fœdus percusit, quia sanctis apostolis, cęterisq; ex circuncisione credentibus, gentiles in vnitate fidei & gratia Euangelij cõsociauit, quorum prior vita vel conuersatio merebatur bestijs, volucribus atq; reptilibus assimilari, iuxta illam apostoli Petri visionem, de qua in Actibus Apostolorum scriptum est: Et vidi cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erãt omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, & facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Per illa namq; gentes significari ipse intelligens, postmodum dixit: Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Iudæo coniũgi, aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus, neminem communem & immundum dicere hominem. Cũ talibus percussit eis fœdus Dominus, videlicet dicendo illi: Quæ Deus purificauit, ne tu communia dixeris aut immunda. Sed & quoties homo secularis, vel potens, aut superbus aut immitis, aut subdolus, mores in melius commutando, arctius sanctæ religionis propositum assumit, & humilibus, mitibus, atq; simplicibus sese coniungit, percutitur à Domino sanctis fœdus cum bestijs & reptilibus cuiusmodi, & impletur prophetia Esaiæ, dicentis: Habitabit lupus cum agno, & pardus cũ hœdo accubabit, vitulus & ouis, & leo simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur; simul requiescẽt catuli eorum, & leo quasi bos commedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauernam reguli, qui ab lactatus fuerit, manum suam mittet. Nam quod idem alibi dicit Esaias de diebus nouissimis, id est, de aduentu domini. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens cõtra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. Idipsum continuò subiũgit iste, imò Deus in
"isto cum dicit. [Et arcum, & gladium, & bel-
"lum conteram de terra.] Hoc enim toties fit, quoties homo bellator, & militię secularis dudum deditus, arma bellica, quibus homines occiduntur, proijcit, & monastico siue clericali transformatus habitu canit insignia pacis, aut certè factus heremita, qui dudum gladium lanceamq; vibrabat, vomere terram scindit, & falce segetẽ & herbã secat exiguã, sustentando corpusculo necessariam. Sed & in singulis hominib. spiritualiter arcum & gladium, & bellum conterit dominus, quando post pugnam vitiorum, qua fatigabatur miles legittimus, dicens: Condelector legi Dei, secũdum interiorem hominem. Video autẽ legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, tandem liberatur de corpore mortis huius, & hoc gratia Dei per Iesũ Christum. Nam & in Psalmo maximè de hac pace scriptum est: Et factus est in pace locus eius, subauditur Dei, & habitatio eius in Sion. Cõtinuoq; sequitur: Ibi confregit potentias, arcum, scutum, & gladium & bellum, id est, omnem impugnationem vitiorum. Sequitur adhuc. [Et dormire eos faciam fiducialiter.]
Subauditur, in illa pace. Ibi namq; dormitur fiducialiter, videlicet illa dormitione, de qua in Canticis loquitur sponsa: Ego dormio & cor meum vigilat. Vigilanti namq; corde, fiducialiter dormitur, quando remotis curis secularibus, & repressis vitiorum motibus, solum deum libera per gratiã Dei anima sua uiter contemplari delectatur. Vel certè dormire eos fiducialiter, id est. somnum mortis excipere faciam cõfidenter, videlicet pro bona conscientia, quali fretus Apostolus, dissolui, & cum Christo esse cupiebat. His dictis de vinitoribus eius, confestim ad eandẽ vineam id est, ecclesiam vniuersam facit Apostrophã dicitque ad eam. [Et sponsabo te mihi in fem
piternum, & sponsabo te mihi in iudicio, &
iustitia, & misericordia, & miserationibus,
& sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego
dominus] Mira familiaritas, mira gratia, mulier ista, cui hæc loquitur, fornicatrix fuerat, post amatores suos ibat, nisi quod spinis offensa, & maceria, ita vt non posset inuenire vias suas, tandem dixit. Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc, magis quam nunc. Ecce autem ad dispensationem adducitur, & conuertitur ad illam amator Deus, & inter blanditias ineffabiles sponsa fore promittitur, quasi virgo, imò verè virgo. Nam Corinthijs, qui vtique gentes fuerant, & post multos amatores, id est, post multos deos ierat anima eorum, loquitur Apostolus: Aemulor enim vos Dei æmulatione: despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Talis animarum amator Deus, vt quantumcunque anima fornicata fuerit, statim vt Deo vero per fidem coniungitur, virgo sit. Hoc homo facere non potest. neque enim talis est carnis natura, siue lex. Secundum carnem virgo esse non potest, quæ semel corrupta est, imò nec legittima vxor, quæ semel à viro suo repudiata est. Idcirco per prophetam alium dicit ad hanc ipsam mulierem. Vulgò dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltro? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa?

Tuau-

Fœdus vinitorum cum bestijs.

Actor. 10.

Esaiæ 11.

Esaiæ 1.

Rom. 7.

Psalm. 57.

Cant. 5.

Philip. 2.

1. Cor. 11.

Hier. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te. Cum dicit, Et ego suscipiã te, subaudiendum est, secundum prędicta testimonia, Et sponsam, & virginem faciam te.

Trina sponsatio. Nunc igitur diligenter considerandum est familiaritatis, & gratiæ huius trina repetitio. Et spõsabo te mihi in sempiternum. Et sponsabo te mihi in iudicio & iustitia, & in misericordia, & miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide. Quid est illud primum, quod promittit dicendo, Et sponsabo te mihi in sempiternum? Quid, nisi nuptias illas repromittit, quarum iucunditate respersa omnis sancta scriptura legenti & intelligenti animę dulcescit? In quodam loco Euangelij sui sponsus iste dicit. Simile est regnum cælorum homini *Matth. 22* qui fecit nuptias filio suo. Nuptiæ istæ iam nobis innotuerunt quales sint, quia tunc deus pater & rex filio suo nuptias fecit, quando illum incarnari voluit, & nuptiarum istarũ thalamus fuit vterus virginis. In illo namque vtero natura Mulieris huius, natura nostra, natura humana, coniuncta est Naturæ Dei: & exinde, qui Deus erat, processit Christus, Deus & homo, sponsam habens, & ideò *Psal. 18.* sponsus, sicut scriptum est in Psalmo, Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo Ista spõsalia æterna sunt. Cum ergo dixisset, Et sponsabo te mihi, addidit, in sempiternũ, id est, naturam tuæ carnis semel suscipiens, vltrà non dimittam, nec euanescet, vt quidá hæretici putant, sed & verbum, & caro, id est & Deus, & homo, ero in sempiternum. Quid porrò est illud secundum quod promittit, dicens. Et sponsabo te mihi in iudicio & iustitia, & misericordia, & miserationibus? Quid nisi iudicium illud promittit, quod homo factus ipse Deus fecit contra principem mundi, moriendo propter delicta nostra, vt illum eijceret foras? Illa namque hora instante dixit: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi eijcietur foras. Proinde iustitia no- *Ioan. 12.* stra, resurrectio eius est. Quia crucifixus est *Rom. 4.* (inquit Apostolus) propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Misericordia eius, est remissio peccatorum, quod est primum Sancti spiritus datum, de quo ipsa die, qua resurrexit, cum insufflaret stans in medio discipulorum suorum dixit *Ioan. 20.* eis. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Miserationes eius, diuisiones gratiarum sunt, quod est, secundum eiusdem Spiritus sancti datum, de *Acto. 2.* quo scriptum est: Quia die pentecostes apparuerunt Apostolis dispartitæ linguæ, tanquã ignis, seditque supra singulos eorum. In his igitur sponsabo te mihi (inquit) in iudicio & iustitia, & misericordia, & miserationibus, id est, fundam sanguinem meum, & moriar pro te. Vndè iudicatus princeps mundi eijciatur *1. Cor. 12.* foràs, & resurgam propter iustificationem tuam, & miserebor tui, dando Spiritum sanctum in remissionem peccatorum, & miserebor te, dando & distribuendo tibi diuisiones gratiarum, id est, gratiam sanitatum, operationem virtutum, genera linguarum, &c. Quid deinde est illud tertium, quod promittit dicendo, Et sponsabo te mihi in fide? Quid nisi illud, quod ad Romanos scribens, vehementissimè concertat Apostolus, Iustificari *Rom. 4.* hominem ex fide, non ex operibus? Quid (inquit) dicemus inuenisse Abraham, patrem nostrum, secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã sed non apud Deum. Quid enim Scriptura *Gen. 15.* dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò, qui non operatur, credẽti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam: sicut & Dauid dicit, Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati *Psal 31.* quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata, &c. vsque ad id, quod ait: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus ad *Rom. 3.* Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Igitur cum dicit, Et sponsabo te mihi in fide, subaudiendum est, & non in operib. quia videlicet ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi super omnes, qui credunt Sanè cum hæc dicimus, aut legimus non opera decem præceptorum, quæ in tabulis lapideis digito Dei conscripta sunt, repudiamus, sed opera ceremoniarum carnalium in quibus Iudæus gloriatur, cum oderit eas Deus, sicut in Esaia loquitur. Neomeniam *Esaiæ 1.* & sabbathum, & festiuitates alias nonferam, Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea. Tandem hac felici dispensatione promissa, & quasi triplici funiculo trinæ repetitionis insolubiliter cõfirmata, summam sponsalium totiusque dotis breuiter appendit dicendo. [Et scies, quia ego Domi-" nus.] Quid enim? Nunquid parùm est, scire, quòd iste sit Dominus? Nempe sapientes illi *Matt. 22.* magistri & legisperiti: illi scribæ & Pharisæi, *Lucæ 11.* qui tulerãt, vel tulisse videbãtur sibi clauim scientiæ, nescierunt. Cum enim tentassent hunc dominum, vt quasi sapientes in sermone caperent eum, velut insciũm, memor scripturæ, dicentis, Respondе stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiés videatur, talionem illis reddidit, proponendo quæstionem huiusmodi, Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicentibus illis, Dauid. Quomodo (inquit) Dauid in spiritu vocat eum *Psal. 106.* Dominum dicens. Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum. Nescierunt, imò scire noluerunt de filio Dauid, quomodo vel vndè sit filius Dauid, Tu autem scies, inquit, scies, inquã, quia ego dominus, non solùm Dauid, cuius secundum carnem filius sum, verum etiam & angelorum & hominum, & cęli, & terrę, & maris, & omnium quæ in eis sunt, quorum vtique creator, & idcirco domin⁹ sum. Ne quis parum hoc existimet, nimirum hæc sententia vita æterna est. Dixit enim ipse quodam *Ioan. 17.* loco ad patrem. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscãt te solum Deum verum, & quẽ misisti Iesum Christum. Scientia hæc no ex magisterio hominis, sed ex reuelatione procedit Dei patris, & in hac reuelatione vera beatitudo est. Vndè ad Petrum, cum ille incepisset scire, quod iste dominus sit, taliter *Matth. 16.* locutus est: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater " meus, qui in cælis est. Sequitur. [Et erit in " die illa, exaudiam, dicit dominus, exaudiam " cælos, & illi exaudient terram, & terra exau " diet triticum, & vinum, & oleum, & hęc ex- " audiẽt Iesrael.] Si solam spectes in istis quoque dictis literam, valdè exile est, neq; maiestati eius, qui hæc loquitur, domini Dei condignum apparet, quod sonuit litera hęc. Et enim metonomica quidem transfiguratione litera decorata est, dum cæli, & terra, & triticum, & vinum, & oleum exaudiri vel exaudire dicuntur, sed hic in superficie nihil aliud repromitti sentitur, nisi quod temporale est quo anima non reficitur, sed solus venter, qui destruendus est, impletur. Vt ergo dignum Deo in ista quoq; litera sensum consequamur, leuemus ad illum mentis oculos, cui dicit Psalmista, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Primum est, vt istas exauditiões enumeremus. *Psal. 18. Exauditiones quatuor.* Dominus exaudit cælos, & cæli exaudiunt terram, & terra exaudiet triticum, & vinũ, & oleum, & hæc exaudiunt Iesrael. Nimirum quatuor exauditiones sunt & occulta gradatio, sed eam Apostolus planiorem atque clariorem facit, Dum ad Romanos scribens, præmisso, omnis quicunque inuocaue- " rit nomen domini, saluus erit, continuò sub- " iungit, Quomodo ergo inuocabũt in quem *Rom. 10.* non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt; Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prędicabunt, nisi mittantur? Gradatio namque verbis diuersa sed sensibus eadem est, nisi quòd hic descendendo, Apostolus autem quasi ascendendo gradus eosdem disponit. Denique cæli, quos hic dominus sese exaudire promittit, ipsi sunt prædicatores de quibus in quarto gradu dicit Apostolus, Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Si testi- *Psal. 18.* monium quæris, notum & promptum est illud Psalmistæ. Cæli enarrant gloriam Dei, id est, apostoli cæteriq́ue prædicatores annunciant euangelium Christi filij Dei. Itaq; cum dicit hic dominus, exaudiam cælos, sic intelligendum est, spiritu sancto implebo apostolos, vt videlicet authoritatem habeãt prædicandi, tanquam à Deo missi. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Item cum dicit. Et illi exaudient terram, sic intelligendum est, Et illis prædicantibus audient inhabitantes terram, iuxta illud: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quomodo enim audient sine prædicante? cæli ergo audient terram, id est Apostoli per nimiam charitatem non sustinebunt, quin descendant ad erudiendam terrenorum hominum ignorãtiam. Item cum dicit, Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, sic intelligendum est, Et terreni homines credendo suscipiẽt bonum Dei verbum, quemadmodum terra hæc inanimata suscipit semen, siue plantaria paritura triticum, & vinum, & oleum. Sic nimirũ & non aliter, non nisi audiendo credere poterunt. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? item quod dicit, Et hæc exaudient Iesrael, sic intelligendum est, Et eorum credulitas inuocabit semen Dei, id est, Christum, quẽ nisi credunt, inuocare nõ poterunt. Quomodo enim inuocabunt, in quẽ non crediderunt? Totum ergo, quod habemus, quod dominum Iesum Christum scire & inuocare meruimus, miserentis Dei gratiæ ascribendum est, quia videlicet, non prior dominus exaudisset cælos, neque cæli exaudirent terram, neque terra exaudiret triticum & vinum, & oleum, neque hæc exaudirent Iesrael, nisi Deus, vel spiritus sanctus prædicatores misisset: neque illi prædicarẽt, ac per hos homines neque audirent, neque crederent, neq; Christum inuocarent.

Proprietates istarum exauditionum adhuc breuiter percurrere libet. Exaudiuit dominus cælos, quando desiderãtes ipsum visi tauit Apostolos, primò & secundò post resurrectionem suam. Primò, ipsa die, qua resurrexit, quando de ipso loquentibus (sicut Lucas narrat) & dicentibus, quòd surrexit dominus verè, & apparuit Simoni, stetit in *Lucæ 14.* medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Et sicut Ioannes refert, insufflauit & dixit: Acci- *Ioan. 20.* pite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittũtur eis Hoc enim est primũ, quod dedit illis spiritus sancti datum in remissionem peccatorum. Secundò, quando cum essent omnes perseuerantes vnanimes *Act. 2.* in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius, misit eis spiritum sanctum in diuisionem gratiarum, quas linguæ dispartitæ significabant, quæ apparuerunt. Hoc enim est alterum spiritus sancti datum, quo illis dedit vel distribuit diuersorum dona charismatum. Propter istas duas visitationes, quibus illis spiritus sanctus datus est, pulchrè non contentus est semel dixisse, Exaudiam, sed repetiuit, & eodem bis vsus est verbo. Et erit (inquiens) in die illa, exaudiam, dicit dominus, & exaudiam cælos. Ex

los. Exaudierunt cæli terram, quando Apostoli vocibus sanctæ scripturæ, quæ pro terra, siue pro gentibus agunt, obedierunt. Exempli gratia: Cum dixissent, Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, statim addiderunt, Sic enim præcepit nobis dominus, Posui te in lucem gentibus, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Item, Cum pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stãs & deprecans eum, dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. Hoc viso, certi facti sunt, quia vocasset eos Deus, & euangelizare eis. Exaudiuit terra triticum, & vinum, & oleum, quando gentilitas obediuit euangelio Christi, vt viueret secundum eius imperium, vt confirmaret se secundum Dei verbum, quod est bonum & spirituale triticum, & secundum spiritus sancti beneplacitũ, cuius iam dicta duo data rectè intelligũtur per vinum & oleum. Hæc autem exaudierunt & exaudire non desinunt Iesrahel, dum saturant ora mutorum & saturando aperiunt, & linguas infantium disertas faciunt, & aures referant ad audiendum & obediendum, iuxta illud quod de hoc eodem tritico & vino & oleo saturandos prospiciens spiritus prædixit in psalmo, Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt dominum. Laudabunt quippe, non aliud est, quã inuocabunt, quod hic significatur per exauditionis verbum. Sequitur. [Et seminabo eam mihi in terram, & miserebor eius, quæ fuit absque misericordia & dicam non populo meo, Populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu.] Seminabo eam mihi in terram, subauditur, vniuersam, id est, disseminando verbum prædicationis, ecclesiam catholicam in toto orbe terrarum diffundam, vt nõ sit tantùm in vna Iudaica gente, sed in omni gente & natiõe, iuxta quod in Psalmo testatur filius, dictum sibi esse à patre: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et miserebor (inquit) eius. Cuius eius? Quæ fuit absq; misericordia. Hæc omnia faciendo, quæ huc vsq; pollicitus sum, lactando & ducendo eã in solitudinem, loquendo ad cor eius, & cætera peragẽdo miserebor eius. & hæc est misericordia, quam faciam illi, quæ fuit absq; misericordia. Iam suprà hoc diximus, cuncta hæc, quæ hoc prolixæ promissionis capitulo sub relatiuis pronominibus continentur, ab eo, quod ait, Ecce ego lactabo eã, ista clausula compleri, quæ fuit absq; misericordia atq; hic tandem designari, ad quam fiãt promissiones huiusmodi, mira non solùm veritate, verumetiam eloquutionis arte, vt non vsquequaq; irascatur contra scripturã, quam seruari oportebat, illa, contra quam superiùs dictum est, Voca nomẽ eius, Absq; misericordia. Putat namque ipsa, quæ vocatur, Absque misericordia, sibimet bona hæc promitti, & semetipsam esse, de qua nunc dicitur, Et miserebor eius, quæ fuit absq; misericordia. Verùm longè aliud est, vocari, vel esse absq; misericordia, atq; aliud fuisse absq; misericordia. Nam absq; misericordia vocatur, & est domus carnalis Israel, Cui nõ addam (inquit) vltrà misereri. Absq; misericordia verò fuit gentilitas, cui nunc miseretur Deus. Hoc manifestiùs liquet ex eo, q protinus addidit: Et dicam nõ populo meo, Populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu. Iste namq; populus gentilis est, cui Paulus apostolus dicit: Qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, quia aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.

Act. 13. *Esaiæ 49.* *Psal. 21.* *Psalm. 2.* *Ephe. 2.*

FINIS LIBRI PRIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN OSEE PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

SVperiori loco, vbi dictum est, Et dixit dominus ad Osee: Vade, sume tibi vxorem fornicariam, & fac filios fornicationum, Meminimus, & nunc quoq; meminisse debem' versiculi, longèinferiùs in hoc propheta scripti, cum dominus dicit: Et locutus sum prophetis, & ego visionem multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum Diximus, dominum in manu ptophetæ huius assimulatum, in eo videlicet, quòd semel & iterum, ac terriò accesit ad mulierem fornicariam, & fecit filios fornicationum. Huic namq; illud simile est quod tertiò dominus accesit ad gentem Hebraicam. Primò, quando pepigit fœdus siue confirmauit testamentum cum Abraham. Secundò, quando legem dedit in monte Sina, post annos quadringẽtos & triginta. Tertiò, quando propheticũ sermonem

Osee 12. *Ge. 15. 17.* *Exo. 20.*

monem conscribendum misit, qualem primus & scripsit, & cecinit Dauid. At verò à domo eiusdem Dauid scissæ sunt decem tribus post mortem Salomonis, & domum ei' secuta est sola tribus Iuda, & quæ contigua illi erat tribus Beniamin, sicq; de vna domo Iacob duæ factæ sunt domus, altera domus Israel, & altera domus Iuda, de quib. in isto, cum dixisset, Voca nomen eius absq; misericordia, continuò subiunxit, Quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, & domui Iuda miserebor. Istæ (vt alio iam loco diximus) quę sunt mulieres, quarum altera apud Ezechielem dicitur Oolla, altera Ooliba. Videamus igitur sequẽtia. Et dixit dñs ad me. [Adhuc "vade, & dilige mulierem dilectam amico, & "adulteram, sicut diligit dominus filios Isra"el, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & dili"gunt vinatia vuarum.] Mulier ista ipsa est Ooliba, id est, Hierusalem, siue domus Iuda. Et quare hæc dicitur dilecta amica? Videlicet, p eo, quod superius dixit, Et domui Iuda miserebor. Ad distinctionem domus Israel, de qua dixit, Quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, ista dicitur dilecta amico. In quo misertus est domui Iuda? In eo nimirũ, quòd cum domum Israel transtulisset Salmanasser rex Assyriorum domum autem Iuda captiuasset rex Babylonis, domũ quidem Iuda domin' soluit de captiuitate post septuaginta annos, domum autem Israel nõ soluit, sed tenentur captiui in Aila & in Abor, iuxta fluuium Gozan in ciuitatib. Mœdorum. Translatus est (inquit scriptura) Israel de terra in Assyrios vsq; in diem hanc. Dilecta ergo rectè hæc dicitur amico, quia parciùs percussit hanc Oolibam, quàm soro rem eius Oollam, prioris amicitiæ memor, imò pro positi sui, de quo mox dicendum est in præsenti loco. Sed vide, quomodo, cũ dixisset mulierem dilectã amico, statim addidit, Et adulteram, subauditur, sicut est & sororem eius. Sequitur enim: Sicut diligit dominus filios Israel, & ipsi respectant ad deos alienos, & diligunt vinatia vuarum. Idẽ nanque est, ac si dicat, Quia domus Iuda sic adultera est, vt domus Israel. Vtraq; enim cum diligeretur à domino, sæpè respexit ad deos alienos, & dilexit vinatia vuarum, id est, eosdem deos, imò dæmones, qui verè tanquam vinatia vuarum sunt. Sicut enim tempore vindemiæ presis vuis, vinoq; in apothecis recondito vinatia foras proijciuntur: sic habito in supernis iudicio, factaq; bonorum & malorum diuisione angelorum, boni in beatis mansionibus confirmati, mali autem foràs proiecti sunt. Istos deos se esse mentientes ista mulier Ooliba dilexit, & ad eos respexit non minùs, quàm Oolla, id est, dom' Iuda, non minùs, quàm domus Israel, Hierusalem non minùs, quàm Samaria. Vndè in Ezechiele dominus cum dixisset de Oolla, id est, de Samaria, ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios & filias eius tulerũt, & ipsam occiderunt gladio, continuò subiunxit: Quod cum vidisset soror eius Ooliba, plus quàm illa insaniuit libidine, & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter ducibus & magistratibus ad se veniẽtibus, indutis veste varia, equitibus, qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia. Præterea & aliter nunc vsq; Iudæi fastidientes vinum, diligunt vinatia vuarum, quia in omnibus viuificantem fugientes spiritum, occidentem vilem & aridã sequuntur literam. Sed ad ordinem redeamus. Adhuc (inquit) vade, dilige mulierem dilectam amico & adulteram. Postquam ad illam Gomer filiam Debelaim, ô tu Osee semel & iterum ac tertiò accessisti, & illa toties concepit & peperit, adhuc vade & dilige sororem eius, similem adulteram. Et est sensus hic mysticus: Post illa tria, quæ iã dicta vel facta sunt, testamentum confirmatũ cum Abraham, legem datam per Moysen in monte Sina, & Sermonem propheticum à plurib. prophetis administratum & conscriptum. Tandem ô saluator, fili Dei, Verbum Patris, ingredere mundum ad saluãdum genus humanum, & de domo (inquam) Iuda, de semine Dauid, de virgine Maria, homo factus nascere. Hoc namq; erat, mulierem illam diligere, imò & osculum illi dare. Iuxta quod bona pars, delecta pars eiusdẽ per Salomonem dixit: Osculetur me osculo oris sui, quod est dicere: Qui olim per figuras loquens vel apparens, testamentum vel fœdus cum Abraham pepigit, qui deinde in monte Sina legem dedit & qui deinde prophetas misit, ipse iam veniat, & coniungatur mihi per sacrosanctum mysterium suæ Incarnationis. Sequitur. [Et fodiam mihi xv. argenteis, & choro ordei, & dimidio choro ordei. "Et dixi ad eam, dies multos expectabis me, "non fornicaberis, & non eris coniuncta viro. Sed & ego expectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine prin"cipe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine E"phot, & sine Teraphim.] Sicut paulò antè, "cum secundum multitudinem mulieris loqueretur dicendo, & ibat post amatores suos, &c. repentè ad similitudinem vineę trãsiuit, & dixit, Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco. Ita & hic de similitudine mulieris, qua dixerat, Adhuc vade, dilige mulierem dilectam amico, repentè ad similitudinem vineę transiuit, dicens, Et fodi eam mihi. Ad proprietatem namque spectat vineę, quod dicit, Fodi, pro quo verbo in alia trãslatiõne scriptum est, Et conduxi, quia magis hoc pertinere visum est ad similitudinẽ vel proprietatẽ mulieris. Quid aũt sibi vult hęc argenteorum quantitas numero xv. itemq;

4. Reg. 17. *Ezech. 23.* *Diligere vinatia.* *Cant. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

chorus ordei & dimidius chorus ordei? Et quidē multa sunt, quæ hinc potuere dici, videlicet quindenarium argenteorum numerū ad xv. lunā, qua die exierunt filij Israel liberati ab Aegyptijs. Chorū aūt ordei, & dimidiū chorū ordei, qui sunt simul xlv. modij, ad xlv. dies congruè referri, quib. egressi, peruenerunt ad montē Sinai die xlv. Qui enim xlv. die ad eum peruenerunt locū, in quo legē acceperunt, bene xlv modijs ordei fuisse referuntur cōducti. Non quidē hunc sensum ab antiquioribus traditum tenuem arbitramur, sed quia ad Saluatoris aduētum (sicut iam dictum est) præsens spectat locus. Ex tunc enim sedent Iudæi sine rege & principe, secundum hæc eadē tempora literæ huius sacramentum enucleare conamur.

Mysterium huius numeri. Matt.7.

Quærentibus nobis, vt inueniamus iuxta promissum dicentis, Quærite, & inuenietis, tandē illud occurrit, quia neq; in argenteis, neq; in hordeo quātitas ad binarium numerum peruenit, sed neq; in vnitate remanſit. Esset vnitas, si ita dixisset, Et fodi eam mihi x. argenteis. Est enim denarius secunda vnitas. Itemq; si dixisset, Et choro hordei, neq; addidisset, Dimidio choro hordei, esset itidē vnitas in quātitate pacti. Excessit vnitatem, nec tamen ad binarium peruenit, quia neq; viginti sunt argentei, qui numerus binarius decenus est, neq; duo sunt chori hordei, qui binarius est singularis. In vtroq; limite. i. tā in deceno, quā in singulari, vnitas est, & semis, & sicut iam dictum est, in neutro ad binarium peruenit. Porrò, absq; binario, vel minus quàm in binario numero, cōiugium non fit, neq; carnale, quod Deus in initio cōiunxit, neq; spirituale, de quo ad hunc prophetam hic mysticus sermo fit, de quo Apostolus, cum premisisset, Et erunt duo in carne vna continuò subiunxit, Sacramentum hoc magnum est, ego autē dico in Christo, & in Ecclesia. Quid igitur hoc sibi vult, quia neq;, Viginti argenteis dixit, neq; Duobus choris hordei, qui numerus est coniugalis, sed vtrobiq; & super vnitatē ascendit, & tamen ad binarium nō peruenit, nisi quia mulier ista sic dilecta, cuius de carne Christus Deus homo fieri dignatus est, & tanquā spōsus de thalamo suo processit, ad coniugium eiusdē Christi non peruenit? Sequitur enim.

Ephe.3.

“ [Et dixit ad eā: Dies multos expectabis me,
“ nō fornicaberis, & nō eris cū viro, sed & ego
“ expectabo te.] Itaq; defectum cōiugij significat hic defectus, tam deceni, quàm singularis binarij, & idcirco rectē, neq; vnitas sola, neq; binarius totus est, quia gens illa, de qua Christus, ecclesiæ sponsus, natus est, neque virgo est, quippe quæ iam adultera præsenti loco dicta est, neq; vxor aut coniunx esse meretur, quia sine viro, quia filium non cōfitens, nec patrem habet. At contrà, quæ virum hunc habet, quę sponsa dici meretur, & est, & virgo est, & coniunx, atq; idcirco quātitas argenteorum eius vnitate & binario taxata est. Sic enim in cāticis habes: Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, tradidit eā custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. Statimq; vir ipse, scilicet Christus dicit: Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici & ducenti his, qui custodiunt fructus eius. Millenarius quippe, sicut Abacistę meliùs norunt, quarta vnitas est. Eodem nanq; charactere, quo vnus in singulari limite notatur, transiato in *millenum limitem, mille significantur. Ducenti verò in *centeno limite, eodē charactere significantur, quo in singulari duo prænotātur. Igitur sicut illa neq; virgo, neq; viro iuncta est, & idcirco argentei eius neq; decem sunt, neq; viginti, neque chorus vnus, neque chori hordei. Sic econtrà, hæc & virgo & coniunx est, & idcirco argentei eius & mille sunt, & ducenti. Præterea & hoc notandum, quòd illa & argentum accipit & ordeum. Hæc autem solummodo argēteos. Quia habet quidem illa quippiam argenti. i. sermonis sancti in lege & prophetis, & soli ordeo occidentis literæ incumbit. Hæc autē totum, quod habet, argentum est, neque enim ordeum literæ attendit, sed solo viuificantis spiritus argento delectatur. Et dicit: Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terrę, purgatum septuplum. Dicitur ergo illi, quæ non habet gratiam cōiugij. Dies multos expectabis me, nō fornicaberis, & nō eris cūviro. Quid hoc sit cōfestim exponitur his verbis. Quia dies multos sedebūt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine Ephot, & sine Teraphim. Ecce hodie veritatē huius prophetię cōpletā videmus, quia Iudæi ducti in oēs gētes captiui, sine rege, & sine principe sunt. Hoc non fuit antequam Christus veniret, sed sicut prædixerat patriarcha Iacob, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est, vsque ad eius aduentum, & si non semper regem, semper tamē habuerunt principem, ita vt duces & iudices de semetipsis haberēt, etiam cum in Babylonia captiui essent. Nam ibi quoque iudicia sua per semetipsos exercuerunt. Exempli gratia: Susannam quidem condēnantes, vt duceretur ad mortē, sed reuersi ad iudiciū, duos presbyteros, qui falsū aduersus illā testimoniū dixerant, iudicauerunt, & interfecerunt. At vbi Christus venit, quē nō receperūt, iudices & presides alienos habuerunt, & non licuit eis iudicare, vel per semetipsos terminare iudicium. Inde est, quòd cum diceret eis Pilatus de Domino Iesu, Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate. Respondērunt, Nobis nō licet interficere quenquam. Extunc sedent sine rege, & sine principe, & multi dies sunt. Nam quia regem suum Christum nō requirunt, nec regem nec principem de semetipsis habere digni sunt. Sedent, & sine sacrificio, &

Cant.8.

Psal.11.

Gen.46.

Dan.13.

Ioan.18.

fortè, quatuor, fortè, tertio.

cio, & sine altari, quia perdito loco, vbi templum & altare habebant, de quo illis in lege præcipiebatur. In loco, quem elegerit dominus, immolabitis ei, & non in omni loco, nequaquam legales victimas offerunt. Sedent & sine Ephot, & sine Teraphim. Ephot propriè superhumerale vocatur, sed hic pro omni vestimento sacerdotali accipitur. Teraphim propriè appellantur figuræ & simulachra, sed hic pro omni ornamēto sacerdotali positū est. Hęc omnia Iudei perdiderūt. Quomodo aūt expectāt Christum, aut quomodo illos Christus expectat? Dicit em: Dies multos expectabis me, non fornicaberis, & nō eris viro, sed & ego expectabo te. Nimirū malè expectāt, quia respuentes illum, qui iā venit, alium sibi pollicentur Messiam. Hinc ipse, cum dixisset, Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, subiunxit: Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Porrò, Christus illos benè expectat, videlicet, donec plenitudo gentium introeat. Cæcitas (inquit Apostolus) ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gētium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Hoc ipsum est, quod hic continuò subiungit. [Et post

Deut.12.

Ephot. Teraphim.

Ioan.5.

Rom.11.

“ hæc reuertentur filij Israel, & quærent Do-
“ minum Deum suum, & Dauid regem suum,
“ & pauebunt ad dominum, & ad bonum eius
“ in nouissimo dierum.] Interea non fornicaberis (inquit) & non eris viro. Hoc est, nec amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi viro legitimo coniungeris, à quo conducta es. Istis namq; diebus, Israel siue synagoga, neq; fornicatur publicè cum Baal, siue cum vitulis aureis, sicut tunc faciebat, neque viro suo Christo est, ac perinde nec patrē Christi Deum habet. Post istos dies, siue post hæc reuertentur (vt iam dictum est) quia cum plenitudo gentium intrauerit, quærent dominum Deum suum & Dauid regem suum, id est, Deum patrem, & filium eius, confitebuntur, Iesum Christum. Et pauebunt (inquit) ad dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum. Duabus personis, scilicet Patri & filio, tertiam addidit. i. Spiritum sanctum, dum præmisso, Et quærent dominum Deū suum, & Dauid regem suum, subiunxit. Et pauebunt ad dominum. Pauebunt planè. i. ineffabiliter admirabuntur, attoniti pro magnitudine rei, vel gaudij sui, videlicet, quomodo pauebat Thomas, quando dicente sibi domino, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Sicut enim Thomas cum cæteris discipulis illa die non fuit, quando Iesus venit, & dicentibus illis, Vidimus dominum, non credidit: post octō autem dies erat cum eis, & venientem iterum Iesum vidit, & credidit, sic hodie Iudæi nobiscum non sunt, & dicentib. nobis, Resurrexisse illum, quem crucifixerunt, non credunt. Posthæc autem nobiscum erunt, & cognoscent eum, & pauebunt ad bonū eius in nouissimo dierum. Sequitur. [Audite verbum domini filij Israel, quia iudicium domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & nō, est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.] Postquā in capite libri (vt dignum erat) de Christo scripsit, miram similitudinem siue parabolam adhibuit de muliere, ad quam semel & iterum, ac tertiò iussus est accedere. Itemq; de muliere dilecta & adultera, quam iussus est adhuc diligere, nunc demū agit id, quod non quidem primum, sed tamen bonum secundarium est in ordine officij prophetici scilicet peccata redarguendo populi, in quibus tunc erat, & pro quibus tandem mereretur proijci atque disperdi. Sic Ezechiel quoque in capite libri, id est, in prioribus visionibus longè post futura, præscripsit mysteria filij Dei per quatuor facies, hominis, vituli, leonis, atq; aquilæ volātis, & tunc demum, quę minora vel secundaria sunt, prophetauit vel scripsit, scilicet et instantem captiuitatē populi in Babyloniam trāsmigraturi. Tu ergo ingt, fili hominis, fac tibi vasa trāsmigrationis, & trāsmigrabis per diē corā eis, &c. Ait itaq;: Audite verbum dñi filij Israel, quia iudicium domino cum habitatoribus terræ. Filij Israel, iamiam in captiuitatem ducendi, quibus non addet dominus vltrà misereri, quibus dicit dominus, Non populus meus vos, audite verbum domini, audite & scitote, quia iudicio vobiscum agitur, quia vos non sine causa patimini, aut patiemini, sed multis causis præcedentibus. Audite & scitote vos, audiat & sciat orbis vniuersus, omnesq; generationes, tam præsentes, quàm futuræ, causas esse magnas, propter quas relinquamini absque misericordia, propter quas domino vobiscum sit iudiciū sine misericordia. Quænam illę sunt causæ? Ait: Nō est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, &c. Antequam causas huiusmodi pertractemus, sciendum est, quia peccata populi illius non minora, quā gentium peccata percutit, & in sola Christi fide, per quam & Abraham antequam circumcideretur, iustificatus est, iustificatiōem hæc prophetica veritas constituit atque repromittit. Et, vt totū prophetiæ corpus proluceſcat, iam dicimus, quia septies ab hinc vsque ad finem voluminis peccata commemorat atque replicat, & per singulas vices in Christum sermo recurrit, qui solus omniū credentium atque pœnitentium iustitia est. Vices istæ iam numerandæ vel præsignandę sunt. Primò, inter cætera sic proloquens secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi, fornicati sunt, & nō cessauerunt,

Ioan.20.

Futura Iudæorū conuersio.

Exod.12.

Argumēti & summa totius prophetiæ libri huius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo, quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, & cum effœminatis sacrificabant, particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Quibus vtiq; dictis illos non minùs, quàm gẽtiles sub peccato esse causatur atque conuincit, tandem Christum, qui solus iustificat, ad vtrosque taliter loquentem introducit. In tribulatione sua mane consurgent, ad me dicentes: Venite, & reuertamur ad dominum, quia ipse cœpit, & sanabit nos, percutiet & curabit nos, &cę. Secundò ita incipiens. Ipsi autem, sicut Adam, transgressi sunt pactum, ibi preuaricati sunt in me. Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine, & quasi fauces virorum latronum, & cætera, vsque ad illud: Ex diebus Gabaa peccauit Israel, ibi steterunt, non cõprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis, iuxta desiderium meum corripiam eos, congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates, tandem iustum & iustificantem Christum, sic introducit: Ephraim
Infra 10. vitula, docta diligere triturам, & ego transiui super pulchritudinem colli eius. Ascendam super Ephraim, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale, tempus autem requirendi dominum, cum venerit, docebit vos iustitiam.

Tertiò, confestim peccata repetens. Arastis (inquit) impietatem, messuistis iniquitatem, comedistis fructum mendacij, &c. quibus præmissis, continuò Saluatoris eiusdem aduentum repromittit, sic eloquens personam Dei patris. Sicut manè transit, pertransit rex Israel, quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum. Quartò, itidem peccata replicans, & dicens: Baalim immolabant, & simulachris sacrificabãt, & ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quòd curarem eos in funiculis Adam, traham eos in funiculis charitatis, & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt vesceretur, non reuertetur in terram Aegypti, & Assur ipse rex eius, quoniã noluerunt conuerti, &c. repentè ad eundem Saluatorem sermo recurrens, ipsumque repromittẽs Post dominũ inquit ambulabũt, quasi leo rugiet, quia ipse rugiet & formidabunt filij maris, & volabũt quasi auis ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorũ, & collocabo eos in domib. suis, dicit dominus. Denique dominus, de quo ait, quasi leo rugiet, Saluator noster est, de quo & patriarcha Iacob prædixerat, Catulus leonis Iuda,
Gen. 49. ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna ipsa rugijt, & formidauerunt filij maris. Quia resurrexit, & prædicatores Apostolos suos misit, & ti-
Ioan. 14. muerunt, atque ad pœnitentiam conuersæ sunt nationes orbis, & auolauerunt, & nunc vsq; auolare non desinunt, quasi auis ex Aegypto huius seculi, & collocat eos in domibus suis, videlicet in supernis mansionibus, de quibus ait: In domo patris mei mãsiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, &c. Quintò, peccata repercutiens cõfestim dicendo, Circundedit me in negotiatione Ephraim, & in dolo domus Israel, & cætera, vsq; ad id: Idcirco erunt, quasi nubes matutina, & sicut ros, manè præteriens, sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario, continuò Saluator ipse suum repromittens aduentum? Ego autem (inquit) dominus Deus tuus ex terra Aegypti, & Deum absq; me nescies, & saluator non est præter me, &c. Sextò, protinus peccata commemorans dominus, dicendo, Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, & eleuauerũt cor suum, & obliti sunt mei, &c. tunc demum itidem suum repromittens aduentum. De manu mortis (inquit) liberabo eos, & de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus inferne, &c. vsque ad id, Et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. ipse, inquã, videlicet Christus, qui in persona sua dixerat, Ero mors tua, ô mors, quia per mortem suam fortem armatum vicit, & vasa eius diripuit. Septimò, acriter eadem peccata condemnans propheta, dicendo, Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum, in gladio pereat, paruuli eorum elidantur, & fœtę eius discindantur protinus in Christum, vel Christi aduentum respiciens, Conuertere (ait) Israel, ad Deum tuum, &c. vsq; in finem. Quibus vtique & veri Israelis conuersionem, & peccatorum per eundem Christum remissionem & donorum spiritus sancti abundãtem, & gratuitam mystícè præsignat effusionem. Ita quoties peccata gentis percutit, siue enumerat, toties in aduentum siue sacramẽtum filij Dei suum propheticus sermo cursum terminat, illud videlicet innuens, quod iustificari & à peccatis saluari, non aliter, quàm per gratiam vel fidem eius quis possit. Vndè Apost. tam Iudæorum, quàm Gentiũ peccatis opportunè commemoratis, tandem dicit: Iustificati igitur ex fide, pacem habe- *Rom. 3.* mus ad deum, per dominũ nostrum Iesum Christum. Nunc ipsum literę vel expositionis ordinem ingrediamur. Prœmisso (vt iam dictum est) Audite verbum domini filij Israel, quia iudicium domino cum habitatoribus terræ. Quo dicto, nõ tantùm attentos, verùm & attonitos reddere potuisset eos, si haberent aures audiendi, confestim causam ingrediens, sic incipit: Non est enim veritas, & non est misericordia, & nõ est scientia dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc

pter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & volucre cæli, sed & pisces maris congregabuntur. Veruntamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir. Populus enim tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti, &cæ. Ferè totam hanc sermonis prophetici partem, vsq; ad id, quod ait, In tribulatione sua manè cõsurgent ad me. Hic præscribi ratio postularet, nisi festinantis ad expositionem lectoris vitaremus offensam.

Deniq; arbitramur, Apostolum nusquã certiùs respexisse, aut respicere potuisse, vt tisimè peccatis gentilium, diceret protinus conuersus ad Iudæum: Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas, &c. Reuera si nosse cupis, quã verè Iudæo iudicanti gentilem dixerit Eadem enim agis, quę iudicas, mala hæc loco præsenti conscripta de Iudæis, confer malis illis, quæ de gentib. Apostol⁹ commemorauit illic, & luce clariùs liquebit, quia mala illorum, & mala istorũ, non vtique similia, verùm eadem sunt. Verba quidem diuersa, sed res eędem sunt. Illud breuiter prælibandum, quia sicut Apostolus illic ait, Propter quod tradidit illos Deus, videlicet gentiles, in desideria cordis eorum, & in immunditiam, & hoc ipsum traditionis verbum tertiò repetiuit, dicens: Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Itemq;: Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. Ita & hic Iudæum fornicantem idem Deus tertiò tradit, vel tradi iubet, dum dere linquit, & redargui prohibet. Primò namq; dicit: Veruntamen vnusquisq; non iudicet, & non arguatur vir. Populus enim tuus, sicut hi, qui cõtradicunt sacerdoti. Secundò autem, Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & sponsas vestras, cum adulterauerint, quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, & cum effœminatis sacrificabant. Deinde tertio: Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt. Sano quippe intellectui non aliud est, quod iuxta Apost. deus gentiles tradidit, quàm q̃ iuxta hunc prophetam Iudæum virum vetuit argui, non visitare se dixit, dimitti iussit, videlicet secundum desideria cordis sui. Itẽ, quod de gentib. Apostolus ait, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, &c. Hoc idem de Iudæis propheta hic enunciat, breuius tamen, cum dicit: Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adul-
Sapiẽs dispensator Paulus. terium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Vndè miranda & laude digna verè sapientis Apostoli dispensatio, qui in discreptatione Iudæorum & Gentilium, quę causa fuit scribendi epistolam ad Romanos, vtrosque compesceret, prius Gentiles tetigit, quàm Iudæos. Quam ob causam? Videlicet quia ex Iudæis quidem, omnium gentium contemptoribus, totum certamen oriebatur, & reatus eorum maior erat, quia legem habentes, legis erant prævaricatores, atq; idcirco priùs ipsi debuerant repercuti, & ostendi sibimet quales fuerint, sed gentiles ad audiendum patentiores erant. Laudabilis ergo (vt iam dictum est) dispensatio siue discretio redarguentis apostoli, quia redargutionem illorum differens, qui merebantur quidem magis & priùs redargui, sed minùs erant patientes, priùs illos redarguit, qui minùs quidem damnabiles, sed magis erant patientes. Igitur (vt suprà diximus) prolixum sermonis huius prophetici capitulum causa hic postulabat, præscribi & sermoni apostolico conferri, sed nos vtrisque summam sic tetigisse contenti, deinceps carptim singula percurramus, paulatimque singula horum qualiter singulis Apostoli dictis cõsonent, intueamur. Ait. [Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.] Idcirco (inquit) iudicium est domino cum habitatoribus terræ, iudicium (inquam) & non misericordia, neque enim *vbi veritas* addam vltrà misereri domui Israel, quia in *cõfessio peccatorum.* terra, id est, eisdem habitatoribus terræ non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei. Tria hæc, si bene considerentur, digna sunt, vt vbicunque fuerint, cædat iudicium, & accedat misericordia dei, vbicunq; autem non fuerint, misericordia locum non habeat, iudiciumq; fiat. Vbi namque non est veritas, illic neque confessio peccatorum est: & econuerso, vbi confessio peccatorum non est, illic veritas non est. Si dixerimus (inquit Apostolus) quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ecce autem hic, paucis interiectis, dicitur: Veruntamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir. Populus enim tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti. Nimirum contradicere sacerdoti, est peccatum defendere, quia sacerdotis officium est, populum de peccato arguere. Igitur sicut in gentibus veritas non erat, ita & in Iudæis, siue in illo carnali Israel veritas non fuit, aut est. At verò acerbiùs istam veritatis absentiam in gentibus redarguit Apostolus, cum di- *Rom. 1.* cit: Reuelatur enim ira dei de cęlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem dei in iniustitia detinent, quia quod notum est dei, manifestum est illis, &cæt. Ergo vt culpa Iudæorum contra veritatem, culpæ gentilium veraciter æquiparetur, quæramus, & mox occurret, quomodo & illi veritatem dei in iniustitia detinuerunt. Formatis namque vitulis au- *3. Reg. 12*

Universidad de Deusto
Biblioteca

reis, dixerunt: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. In hac iniustitia, tam Hieroboam, quàm populus veritatem Dei detinuit, atq; depressit: non enim ignorabant, sed ignorantiam simulabant, quia quod notum est Dei, manifestum erat in illis, non tantum (sicut gentilibus) à creatura mundi, sed plus quã gentilibus, à scriptura susceptæ legis. Ad summum, quia sciderant sese à domo Dauid, illa veritas non erat in eis, de qua idem dicit: Iurauit dominus Dauid veritatẽ, & nõ frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuã. Misericordia quoq; non est in eis, inquit, & hoc par est ei, quod itidem Apostolus de gentilibus dicit. Sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Vsqueadeò & isti erant sine misericordia, vt nec etiam ieiunãtes misereri scirent, sicut sub eisdem temporibus de ipsis dixit, & scripsit Esaias: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & cõtentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Vt breuiter multa, quæ hinc dici poterant, concludam, cum dicit, Non est misericordia, cõsequitur, quia nec est dilectio, siue charitas, non solummodo in proximũ, verumetiam in Deum. Qui enim non diligit proximum, nec miseretur proximo, constat, quia nec diligit Deum. Hinc Ioannes dicit: Qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum, necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Iustũ ergo etiã pro hoc iudicium domino, vt videlicet, quia non diligunt, nec ipsi diligantur, quia non misereãtur, nec ipsi misericordiam consequantur, sicut iam superiùs, cum dixisset, Et voca nomen eius, Absq; misericordia, confestim ait, Quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum. Et nõ est (ait) scientia dei in terra. Hoc loco, si ad versiculum respicias, qui postmodum sequitur, Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, nimirum, qd hic de Iudæis siue Israeliticis dicit, par est ei, quod de gentilibus itidem Apost. ait, Quia nõ probauerunt deũ habere in notitia. Hoc de illis dixit, quibus non quidẽ ex lege prõptum erat, Dei notitiam habere, sed nihilominus poterat illis notũ esse, imò nec ipsam eius notitiã non poterant non habere. Deus enim (inquit) illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; virtus eius & diuitias, ita vt sint inexcusabiles. Quantò magis de Iudæis idem dici conuenit, quibus non tantum à creatura mundi, verùm ex lege scripta propositam constat fuisse scientiã, siue notitiam dei? Porrò de verbo, quo ait, quodque iam ex parte commemoratum est, Quia tu scientiam repulisti, postmodum suo loco pleniùs dicendum erit. Sequitur. [Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit.] Sine dubio & hoc illi par est, quod de gentilibus ibidem loquens Apostolus: Repletos (ait) omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, deo odibiles, cõtumelioſos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentib. non obedientes, insipientes, incompositos. Nam quod sequitur, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia, idem est, vt iam antè diximus, quod hic præmissum est. Non est enim veritas, non est misericordia. Quòd ille gentiles talibus repletos ait, Hoc idem iste de Iudæis sufficienter exprimit verbo inundationis, dicẽdo, Inundauerunt, quòd nimirum non mediocritatis, sed plenitudinis est verbum. Idcirco hæc dicimus, & idcirco huius prophetici & illius apostolici loci collationem facimus, & facturi sumus, vt memoriam non excidat, quod sicut iam antè diximus, rectissimè Apostolus enumeratis gentilium vitijs, conuersus ad hominẽ Iudæum, Inexcusabilis es (inquit) qui iudicas: eadem enim agis, quæ iudicas. Cætera, cum per se satis pateant, de hoc vno, quod ait, Et sanguis sanguinem tetigit, quæritur, quid sit. Nam rectè quidem intelligitur, ac si dictum esset, Peccatum peccato superaddidit vel appositum est, quia solet sanguinis nomine peccatum designari, vt illic: Libera me de sanguinibus deus, deus salutis meæ, sed hoc sensu nihil aliud dixisse videtur, quã præcedentia sonuerunt. Dicendo namque, Maledictum & mẽdacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerũt, quid aliud sonat, quàm peccatum peccato superadditum? Ergo cum dicit, Et sanguis sanguinem tetigit, videtur consanguinitas culpari, quia contra legem dei est, dicentis: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat. Talibus ac tantis præmissis malis. [Propter hoc (inquit) lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & volucre cæli, sed & pisces maris cõgregabuntur.] Sensus iste est. Quia mala hæc, quę prędixi, inundauerunt, terra ipsa, quæ non peccauit, aut peccare potuit, vtpote res inanimata, vindictæ participationem sustinebit, & lugebit, id est, delectabilis species eius nõ erit, versis in cõtrarium, siue intemperiem elementorum naturis, & deficientibus pariter cum hominibus his, quæ ad vsum creata sunt hominis, scilicet bestiis agri, & volucribus cæli, & piscibus maris. Cõgregabuntur (ait) pisces maris, id est, simul adducentur, vt ipsi quoq; partem sustineant vindictæ pro peccato hominis, & diminuatur copia bonorum omnium non solùm in agris, verumetiam aquis. Sequitur. [Veruntamẽ vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir.] Miro modo,

Psal. 131. Vbi non misericordia, ibi nec charitas.

Esaiæ 58.

1. Ioan. 3.

Scientia de Deo.

Rom. 1.

Vbi suprà.

Sãguis sanguinem tetigit.

Psalm. 50.

Leuit. 18.

modo, qui sic peccata punit, peccantes vetat iudicari, prohibet argui. Cur ita velit, continuò causam subiungit. [Populus enim tuus sicut hi, qui cõtradicunt sacerdoti.] Hic meminisse oportet illius versiculi. Exacerbauit dominum peccator, secundum multitudinẽ iræ suæ non quæret. Quis peccator, vel quãdo exacerbauit dominũ? Nimirum ille peccator, qui cum venerit in profundum malorum, contemnit, tunc exacerbat dominum, quando peccatis suis rebellionem addit, & opera sua defendit, sicq; (vt alibi scriptũ est) currit aduersus dominum extento collo, & pingui ceruice armatus est. Istud, siue peccata illius, secundum multitudinẽ (inquit) iræ suæ non quæret. i. nequaquã in virga iniquitates eius, neq; in verberib. peccata eius visitabit, sed tacebit nũc, loqueturus tẽpore alio. Dicet enim, Hæc fecisti, & tacui. Igitur cum dicit, Vnusquisq; nõ iudicet, & nõ arguatur vir, populus. n. tuus sicut hi, qui cõtradicunt sacerdoti, Magnam nimis irã intendit, quia secundum multitudinẽ iræ suę non quæret, non iudicat, non arguit, vt auferat misericordiam suam ab eis, sicut in initio dixerat, Quia non addã vltrà misereri domui Israel. Itẽ: Quia vos nõ populus meus, & ego non ero Deus vester. Quid enim est, quod ait, Populus enim tuus, sicut hi, qui cõtradicunt sacerdoti, nisi ac si diceret, Quia rebelles sunt, & in superbiã elati, peccata sua defendunt? Sacerdotis nanq; officiũ est (vt iã antè prælibauim⁹) populũ vice Dei de peccatis arguere. Qui ergo sacerdoti cõtradicunt, secundũ exẽplum Adæ, qui Deo cõtradixit, dum peccatum suũ defendit, atq; idcirco sicut ille de paradiso, sic iste (quicunq; est) à Dei regno, & ab ecclesia præsenti pellitur, vt hic idẽ populus in Assyrios. His dictis, cõsestim ad ipsum populum apostrophã facit, & dicit. [Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum.] Me non iudicante, me non arguente, pro eo, q̃ sis, ô populę, sicut hi, qui contradicũt sacerdoti, corrues hodie, subauditur, iniquitate, quæ ruina hodie fit, siue hodierna est, videlicet ad distinctionem sequentis ruinæ, qua rues post hæc in pœnã gehennæ, qui hodie ruis in foueã culpę. Ruet etiã propheta tecum, subauditur cæcus, qui tibi cęco ducatũ præbet, quia pseudopropheta est. Quales nimirũ prophetę Baal extiterũt, CCCC L. viri, qui ruinę primitias perpessi sunt, quã do Helias pro domino zelatus, illos occidit. Itaq; te ruente hodie, quia cæcus es, ruet etiã propheta tecum, nihilominus cæcus. Nunquid enim potest cæcus cæco ducatum præbere? Nonne ambo in foueam cadent? Nam de ipsa cæcitate mox sequitur. [Nocte tacere feci matrem tuam.] Quid enim de nocte dicit, nisi de ignorantiæ tenebris? Deniq; & continuò subiungit, exprimens noctem illã. [Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit sciẽtiam.] Quòd autẽ eadem insciti nox voluntaria fuerit, quòd illas ignorantiæ tenebras spontè admiserit, nolendo intelligere, vt benè ageret sequens versiculus testis est. [Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.] Quòd si adhuc quæritur, vbi vel quando, quid dicendo, quid agendo, populus ille scientiam Dei repulerit? Ecce in libro Regum scriptũ est: Proloquente Hieroboam, omnis multitudo Israel, cum dixisset ad Roboam filium Salomonis, Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, &c. repentè conclamauit. Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ nobis hæreditas in filio Isai? Redi in tabernacula tua Israel. Nunc vide domum tuam Dauid. Recessitque Israel à domo Dauid. Nimirum sic recedendo, scientiam repulit, scire nolens, attendere contemnens, quòd scientia & salus esset ex domo Dauid, cui iurauerat dominus, dicens: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Repellendo ergo Dauid, nonne illum, in quo vera scientia est, fructum ventris eius repulit? Excogitato namque consilio, Hieroboam fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite vltrà ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Igitur ista nox, ista scientiæ repulsio, de qua culpatur populus hic, par illi est, quod loco sæpè dicto Apostolus de gentibus ait: Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam suam in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Nonne faciendo vitulos & colendo illos, immutauerunt gloriam suam Hieroboam & omnis Israel in similitudines eiusmodi, præsertim cum de alio quoque tempore Psalmista dixerit contra eundem populum, non vtique gentium, sed Iudæorum? Immutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Verè ergo istorum quoque obscuratum est insipiens cor, non minùs quàm gentilium, & ipsa cordis obscuratio, nox est, de qua nunc dicit, Nocte tacere feci matrem tuam. Matrem sanè populi dicit, magistram eius synagogam. Hæc nimirum nocte tacere compellitur, dum propter insipientis & obscurati cordis tenebrosam ignorantiam, docendi authoritas siue locus ille aufertur. Tacente autem matre, quæ docebat, necessariò conticuerunt, id est, simul tacuerunt & filij, qui docebantur. Confestim ergo conuersus ad eos, qui mirarentur tinnientibus vtrisque auribus, & dicerẽt, Quare sic fecit dominus terræ huic, & populo huic? Idcirco (ait) conticuit populus meus, quia non habuit, imò habere noluit, scientiam. In quo conticuit? In eo

Sacerdotis officium.

3. Reg. 18.

Matth. 12

Psal. 131.

Rom. 1.

Psal. 105.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In eo videlicet, quod celebrare vel celebris esse desijt, quia festiuitates eius, sabbata eius, neomenias siue kalendas eius, & omnia festa tempora eius ego proieci. Satius nanq; mihi est, vt in captiuitatem ducti cõticescant, quã vt sub nomine meo coram vitulis suis tripudient, & cantando subsiliant. Dicoq; populo huic: Auferà me tumultum carminũ tuorum, & tace descende, in terram captiuitatis, in terram Assyriorum. Quòd si adhuc murmurat, & dicit, Quare sic factum est mihi, dico illi, quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Itaq;, sacerdotio nequaquã fungi, & cõticescere, paria sunt, quia videlicet sicut in functione sacerdotij pollet eloquij libertas, sic econtrà in defunctione vel depositiõe, sacerdotij cadit loquendi authoritas. Sequitur. [Et oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorũ & ego.] Obliuio pro cõtemptu ponitur hic, quemadmodũ & illic, cum dixisset Psalmista, Et mutauerunt gloriam suam in similitudinẽ vituli comedentis fœnum, continuò subiunxit, Obliti sunt Deũ, qui saluauit eos. Causa namq; similis, imò eadem vel maior præcesserat, vt diceret hic, Et oblita es legis Dei tui, quia videlicet tũc vnũ in deserto fecerat vitulũ, nunc aũt duos, alterumq; eorũ in Dan, & alterum posuerunt in Bethel. Loquitur aũt conuersus ad illã, de qua dixerat, Nocte feci tacere matrẽ tuam, videlicet matrem populi synagogã, siue sacerdotũ, aut seniorum cœtum, de quorũ regimine vel magisterio populares pendebant. Oblita ergo es legis. i. contempsisti legẽ Dei tui: par pari refero, quia obliuiscar filiorum tuorum. i. contemnã filios tuos & ego, quemadmodũ & superiùs dixi, quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum. His dictis ad illam matrem. i. sacerdotum & magistrorum turbã siue multitudinem, rursus ad auditores conuertitur, & de eisdem taliter cõquerendo loquitur. [Secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiã cõmutabo. Peccata populi mei comedẽt, & ad iniquitatẽ eorum subleuabunt animas eorũ, & erit sicut populus, sic sacerdos, & visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.] Secundum multitudinem, inquit. Quicquid extra rationẽ numerumq; vel ordinem legitimum effluit vel supercrescit, rectè multitudo siue multiplicitas vocari debet. Constat autẽ, quia dieb. illis turba sacerdotum vltra statutum sanctę legis ordinem terminumq; excreuerat. Scriptum est enim: Et fecit Hieroboam phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Item & alibi scriptũ est: Quia quicunq; volebat, implebat manum suã, & fiebat sacerdos excelsorũ. Ita multiplicati sacerdotes fuerãt, vtpote indifferẽter assumpti de cunctis tribubus. Rex ille, vt putabat, sapienter sibi prouiderat, quiv t sacerdotum multitudinẽ haberet, sacerdotes sibi de extremis populi fecerat. Tales quippe, quãtò in plebe viliores, tantò ad honorem illum promptiores. Et gauisi sunt, sese officio supergredi populum, qui conditione extrema latebant intra vel infra populũ. Ait ergo. Secundum multitudinẽ eorũ, sic peccauerunt mihi. i. quantò plures sunt vel fuerunt, tantò magis populum vt in me peccaret, deceperunt. Econtrà quid ego? Gloriã (inquit) eorum in ignominiã commutabo. Et est sensus. Quoniam ipsi gloriã suã & olim in similitudinem vituli comedentis fœnum, & nũc in similitudinẽ vitulorum comedẽtium fœnum commutauerunt, eueniet illis, vt sint eiusmodi, de quibus rectè dicatur, Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. In quo enim iudicantur isti, vẽtrem suum habere Deum? Videlicet in eo, quod sequitur, Peccata populi mei comedent. Nimirum sacerdotes de extremis populi (vt iã dictum est) assumpti, conditionem siue pauertatẽ pristinam superare certabant, & qui illos constituerat Hieroboam, verã sanctæ legis imitationem se fecisse simulabat. Nam quia præceperat lex, vt filij Leui possessiones proprias non habentes, decimas & oblationes à populo susciperẽt, & inde sumptus haberent, hic de extremis populi sacerdotes fecerat, vt tot decimas atq; oblatiões accepturi, quãtò fuerãt extremi, tantò magis auidi ad colendũ mendaciũ, populumq; decipiendum sese accingerent. Peccata ergo (inquit) populi mei comedẽt. i. sicut cœperũt, quoad poterunt, comedere non desinent. Peccata namq; populi comedebant, qui pro hoc solum, vt ipsi decimas atq; oblationes caperẽt, populum in peccatis & in mendacio detinebant, per omnia æquè, vt gentiles illa Apostoli sententia digni, quam loco sæpè dicto taliter emittit: Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinẽt, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Neq; enim ignorabant sacerdotes eiusmodi, nihil veri esse in vitulis illis aureis, sed veritatem detinebant, veritatem in corde abscondebant, & mendacium prædicabant labijs, dicẽtes, Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Faciebãt hoc nebulones & gulę proprię serui, vt peccata populi comederẽt, qui cum essent de extremis populi, non tantum haberent ad comedendum, nisi populus peccaret, nisi vitulos pro deo colens, ipsos pro sacerdotibus Leuitici generis honoraret, dando & offerendo, quod ventribus eorum sufficeret. Illi accipientes, dantem beatificabãt, & reuera morientes, id est, ad mortẽ peccantes, quasi de vita securos reddebant. Vndè cum dixisset, Peccata populi mei comedẽt, continuò subiunxit, Et ad iniquitatem eorum

Amos 5.

Psalm. 105.

4. Reg. 12.

Multitudo sacerdotũ.

3. Re. 12. 13

Philip. 3.

Num. 18.

Comedere peccata populi.

Rom. 1.

rum subleuabunt animas eorum. Iniquitas quippe illorũ erat discessio à domo Dauid, & à templo domini, & aureorum cultus vitulorum. Ad hanc nimirum iniquitatẽ subleuabant animas eorum, confortantes eos dictis mendacibus, vt in vitulis illis, tanquã in Deo confiderent, nihil metuerent tanquam minorem habentes in auro illo diuinitatem, eò quòd vituli pulchri formati essent, & festiuitates opulentas apud illos sæpè celebrarẽt. De ignominia, quam dicit, Et gloriam eorum in ignominiam commutabo, postmodum latiùs edisserit. Nam interpositò, Et erit sicut populus, sic sacerdos, & visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei, continuò subiungit, [Et comedent, & non saturabuntur, fornicati sunt, & non cessauerunt, quoniam dominum dereliquerunt in non custodiẽdo, Fornicatio, & vinũ, & ebrietas aufert cor. Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annũciauit ei. Spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo. Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama, subter quercum, & populũ, & therebynthum, quia bona erat vmbra eius. Ideo fornicabũtur filię vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. Nõ visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cum adulterauerint, quoniam ipsi cum meretricib. conuersabantur, & cum effœminatis sacrificabant, & populus non intelligens vapulabit, si fornicaris tu Israel, non derelinquat saltem Iuda. Nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethauen, neque iuraueritis, Viuit dominus, quoniam sicut vacca lasciuiens, declinauit Israel. Nunc pascet eos dominus, quasi agnum in latitudine. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt. Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. Ligauit eum spiritus in alis suis, & cõfundentur à sacrificijs suis.] Totus hic locus illi de apostolo similis est sensu & ordine, ab eo, quod ait, Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, vsq; ad illud, Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerũt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Et notandum illud maxime, quòd sicut Apostolus, cum tertiò dicat de gentibus, Tradidit illos Deus, secundo vel medio loco ignominiam illorum magis expresit, dicendo: Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Ita & hic in isto habes de Iudæis. Cùm enim primò dixisset, Veruntamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir. Et nunc secundò dicat, Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Tertiò quoque particeps idolorum Ephraim, Dimitte eum, fornicatione fornicati sunt. Quod idem est, ac si dicat, Tradam, vel trado eum (quo verbo Apostolus vsus est) scilicet in passionẽ ignominiæ. In medio iudicij siue iudicationis huius loco, turpem tam fœminarum, quàm masculorum magis exprimit causam. Ait enim primùm de fœminis: Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatę, & super sponsas vestras, cum adulterauerint. Statimque de masculis subiungit: Quoniam & ipsi cum meretricibus conuersabantur, & cum effœminatis sacrificabant. Nunc ad ordinem reuertamur. Dixerat, Peccata populi mei comedẽt, iudicium commune tam populo, quàm sacerdotibus cõminatus fuerat dicendo: Et erit sicut populus, sic sacerdos, mox que comestionis, imò voracitatis nimietatem culpans, Et comedent (inquit) & non saturabuntur. Statimque subiungit: Fornicati sunt, & non cessauerunt Duo mala principalia, scilicet auaritiam & luxuriam breuiter expresit, quàm insatiabilia sint. Auaritiæ quippe, cum semel animum occupauerit, nihil satis est. Ait ergo: Comedent, & non saturabuntur, id est, accipient à populo sacerdotes, qui de extremis populi constituti sunt, & acceptis (quamuis plurima sint) contenti non erunt. Item luxuria cum hominem imbuerit, nunquam dicit, Sufficit, & licet ad horam extinguatur sitis eius, statim exardescit. Ait ergo: Fornicati sunt, & non cessauerunt, nam & vsque ad decrepitam senectutem in cœno libidinis computruerunt, iuxta illud, Computruerunt iumenta in stercore suo, id est, vitam finierunt bruti & immundi homines in peccato suo. Cur hoc? quare fornicari non cessauerunt, aut cessare potuerunt? Ait, Quoniam dominũ dereliquerunt. In quo? In non custodiendo, id est, in eo, quòd se nõ custodierint. Potuerãt enim se custodire, liberum habendo arbitrium, simulque Dei quærendo auxiliũ. Hoc nõ fecerunt, sed legitimum dereliquerunt dominum, & sponte tyranno mortis. i. peccato, sese subdiderunt. Est aũt ius, vt suis quiq; serui tradantur dominis Ergo & peccato debuerunt tradi, tanquã domino suo, quia omnis, qui facit peccatũ, seruus est peccati. Itaque, quemadmodum sæpedictus Apost. de gentili lib. dicit, Propter ea tradidit illos Deus in desideria cordis eorũ in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & creaturæ potiùs, quàm creatori seruierunt. Ita & de istis dicẽdum, Quia domino suo spiritui fornicationis traditi sunt, vt fornicarentur, & non cessarent, quia dominum dereliquerunt. Fornicatio

Aliàs delinquat.

Roma. 1.

Dies mala infatiabilia

Iohe. 1.

Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nicatio(inquit)& vinum,& ebrietas, aufert cor. Populus meus in ligno ſuo interrogauit,& baculus eius annunciauit ei. Spiritus enim fornicatiõis decepit eos. Vide,quò fornicationis cęcus impetus perduxerit eos? Gẽtiles,quibus iſtos in peccato per omnia conferimus, immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis,& volucrum,& quadrupedum,& ſerpentium. Populus autem meus lignum ſuum, baculum ſuum, pro Deo ſibi poſuit. Quo ergo iſte gentili melior,qui gentilem iudicat? Et vide, quàm rationabiliter, dicturus tantæ amentiæ nimietatem, præmiſit, Fornicatio & vinum, & ebrietas aufert cor, vt videlicet inexcuſabilis ſit in eo,quod amiſit cor, in tantum vt baculum ſuum poneret ſibi pro Deo. Non enim caſu aut fatali neceſsitate cor ſuum perdidit, vt in tantam deueniret amentiam,ſed fornicando, bibendo vinum, & inebriando ſe, vim rationis obruit, vt veri Dei & baculi ſui non agnoſceret diſtantiam. Et verè digna & iuſta peccati exaggeratio, cum dicit, In ligno ſuo,& baculus eius annunciauit ei, quia videlicet de eodem ligno & Deum, & baculũ ſibi fecit, vt ſit ſenſus ſimilis illi, quo & Eſaias idololatriæ ſtultitiã declamat in his verbis. Sumpſit ex eis videlicet lignis ſaltus, & calefactus eſt, & ſuccendit, & coxit panes. De reliquo autem operatus eſt Deum,& adorauit,fecit ſculptile, & curuatus eſt ante illud. Medium eius combuſsit igni, & de medio eius carnes comedit. Coxit pulmẽtum, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit, Vah,calefactus ſum, vidi focum. Reliquum autem eius deum fecit,& ſculptile ſibi, Cor inſipiens adorauit illud. Præterea eſt hic intelligendum genus quoddam diuinationis, de quo propriè dictum ſit, Et baculus eius annunciauit ei, quod Græci (vt ait beatus Hieronymus) rabdomitiam vocant. Vnde & in Ezechiele legimus, quòd virgas ſuas miſcuerit, Nabuchodonoſor cõtra Ammon & Hieruſalem, & exierit virga contra Hieruſalẽ. Et vndè tanta amentia populo quondam meo? Spiritus enim (ait) fornicationis decepit eos,& fornicati ſunt à Deo ſuo. Quo vno breui verſiculo, vtraq; ſcilicet, tam corporalis quàm ſpiritualis cõprehenditur fornicatio, quia videlicet & ſpiritualiter fornicati ſunt, idololatriam ſectando, & corporaliter fornicati ſunt, contumelijs corpora ſua in ſemetipſis afficiendo. De ſpirituali fornicatione protinus dicit, Super capita mõtium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama, Subter quercum & populum & therebynthum, quia bona erat vmbra eius. Hæc erat ſpiritualis fornicatio, de qua dixit,& fornicati ſunt à Deo ſuo. Et notanda,ſecundum verba hæc, vaga licentia, ſiue licentioſa fornicationis huiuſce vagatio. Non dixit, In angulis aut in cubiculis ſacrificabant, ſed, Super capita (inquit) montium, ſuper colles foris ſub diuo, in publico ſubter quercum, ſubter populum, nõ propter metum alicuius neceſſe haberent ſubtegi ſaltem ramis & frondibus, ſed quia bona erat vmbra eius. Fornicationis huius pœna eſt corporalis fornicatio, ſicut Apoſtolus de gentilibus ait, Propterea tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ. Nam fœminæ eorũ immutauerũt naturalem vſum in eũ vſum, qui eſt contra naturam, & de iſta continuò ſequitur: Ideo fornicabuntur filię veſtræ,& ſponſæ veſtræ adulteræ erunt. Nõ viſitabo ſuper filias veſtras, cum fornicatæ fuerint, & ſuper ſpõſas veſtras cũ adulterauerint. Sicut Apoſt. ait: Propterea tradidit,&, Fœminę eorum immutauerunt naturalẽ vſum, ita & hic alia quidẽ, ſed equipollente cõiunctione vſus. Ideo (inquit) fornicabuntur filię veſtræ. Et ille dicendo tradidit, & hic dicẽdo, Non viſitabo cum fornicatæ fuerint, vterq; iuſtum inſinuat iudicium Dei, dum in corporali fornicatione derelinquit, & ſordidari permittit extra omnem dignitatem rationis eos, qui à Deo fornicati ſunt fornicatione ſpirituali. Item, quemadmodum illic continuò Apoſt. ſubiungit, Similiter & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinẽ operantes. Ita & hic protinus ait: Quoniam & ipſi cum meretricibus conuerſabantur,& cum effœminatis ſacrificabant. Quod idem eſt, ac ſi diceret: Et cum fœminis & cum maſculis paſsiuam libidinis nequitiam maſculi perpetrantes, diabolo ſemetipſos ſacrificabant, diabolo corporum ſuorum tẽpla dedicabant. Effœminati nanque dicuntur maſculi fœmineo more peccato ſubditi, iuxta illud: Qui dormierit cũ maſculo coitu fœmineo, morte moriatur. Itẽ, ſicut illic Apoſtolus ait de gentilibus: Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non cognouerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte. Ita & hic continuò de iſtis ſubiungit: Et populus non intelligens, vapulabit. Quòd hic dicit, non intelligentem eſſe populum, qui vtique legem accepit, & ille gentiles non intellexiſſe ait, quos vtique iuſtitiã Dei cognouiſſe præmiſit, non excuſatio eſt ſimpliciũ ignorantiũ & errantiũ, ſed accuſatio eſt contemptus, ſcire recuſantium, intelligere nolentiũ, ſicut ait Pſal. de illo, qui eiuſmodi eſt, noluit intelligere, vt benè ageret. Interea nõ prætereunda eloquutionis cautela, quomodo impatientium offenſionem, quoad poteſt, propheta ſubterfugiat, præſẽs vitando tẽpus, & alia ponendo tẽpora, nunc quidẽ futurum, nunc autẽ præteritum. Non enim ait præſenti tẽpore, Ideo fornicantur, ſed ideo (inquit) fornicabuntur filiæ veſtre. Item non ait, Quoniam & ipſi cum meretricib. conuerſantur, & cũ effœminatis ſacrificãt. Sed, Conuerſabantur (inquit) & ſacrificabant,

Stultitia hominum in idolis.

Eſaiæ 44.

Duplex fornicatio.

Leuit. 20.

Pſalm. 35.

Cautus in loquendo propheta.

cabant, non ad ipſos in faciem, ſed quaſi de alijs ad ipſos loquens per apoſtropham repẽtinam, vt amariſsimã rem atq; aſperrimam, modus dictionis vtcunq; mitiget inuectionem,& nihilominus totã expediat veritatẽ. Quid porrò eſt, quod inter verba, quæ loquitur ſuper Iſrael. i. decem tribus, repentè conuertitur,& dicit, Si fornicaris tu Iſrael, non delinquat ſaltẽ Iuda? Quid niſi fornicationis eiuſdẽ, imò fornicationum earundẽ, ſcelera in Iudam inundaſſe innuit, ſicut ſcriptura vtiq; tam prophetica, quã euangelica

4. Reg. 8. palã teſtis eſt? Ioram quippe filius Ioſaphat, regis Iuda, ambulauit in vijs regum Iſrael, ſicut ambulauerat domus Achab, filia enim Achab erat vxor eius, & fecit, quod malum eſt coram domino. Plena exinde malis hiſtoria regũ Iuda texitur; ita & Eſa. quoque ſub eiſdem regib. viſionem proloquens, & ſuper Iudam & Hieruſalẽ exclamet & dicat,

Eſa. 1. Audite verbũ Domini principes Sodomorum, percipite aurib. legem Dei mei populus Gomorræ. Et ne aliquid minus Iudam, quàm Iſrael fornicatum fuiſſe putes, loqui-

Ezech. 23. tur Deus in Ezechiele, fornicata eſt Oolla ſup me, & inſaniuit ſuper amatores ſuos in Aſſyrios appropinquantes, &c. Poſt quæ cõtinuò ſubiungit: Quod cũ vidiſſet ſoror eius Ooliba, pluſquam illa inſaniuit libidine, & fornicationem ſuper fornicationem ſororis ſuæ ad filios Aſſyriorum præbuit impudenter. Hanc videlicet Oolibam Iudam eſſe, ſiue Hieruſalem, notũ eſt. Nam nomina (inquit) Samaria Oolla,& Hieruſalem Ooliba. Cùm igitur dicit, Si fornicaris tu Iſrael, non delinquat ſaltem Iuda, magna intelligi debet prophetæ admiratio, quòd Iſrael ſemel cœptis fornicationibus cum vitulis aureis, non ſolũ non redijt ad caſtitatem cum templo Domini,& domo Dauid, vnde ſeſe abſciderat, verum etiam in illis fornicationib.

Rom. 3. perſeuerans, Iudam ſiue Hieruſalem ſibimet conſimilem effecit, atq; ita (ſicut Apoſtolus quoq; meminit) omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, &c. Et ne de fornicationibus quoque filiarum ſiue fœ-

Fornicatio fœminarũ Iuda. minarum Iuda minus quid æſtimet, illud vel maximè pro teſtimonio eſt, quod hiſtoria libri Regum refert, Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut Dauid pater eius, & abſtulit effœminatos de terra,

3. Reg. 15. purgauitq́ue omnes ſordes idololorũ, quæ fecerant patres eius, inſuper & Maachã matrem ſuam ammouit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in loco eius, quem conſecrauerat, ſubuertitq́; ſpecum eius, & confregit ſimulachrum turpiſsimum & combuſsit in torrente Cedron, vbi talis erat regina, quales fuiſſe putas cæteras? Protinus ad vtrãque ſcilicet in Hieruſalem & Iudam dicit, Et nolite ingredi Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen, neque iuraueritis, Viuit Dominus, quoniã ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael, nunc paſcit eos dñs, quaſi agnũ in latitudine. Quaſi oblitus, q̃ dixerat, Veruntamẽ vnuſquiſq; nõ iudicet, & non arguatur vir. Populus enim tuus ſicut hi, qui cõtradicũt ſacerdoti. Nunc iterũ iudicat, & arguit dicẽdo, Et nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauẽ. Bethauẽ nãq; ipſa eſt, quę priùs dicebatur Bethel, ex eo vocata Bethauen. i. domus idoli, quòd vnus ex vitulis aureis illic poſitus fuerat ab Hieroboã. Sed & Galgala locus idololatriæ fuerat antiquior, ſicut ſcriptura teſtis eſt, memoriale viri fortis hoc modo prædicans: Cunq́; obtuliſſet Ahath regi Eglon munera, proſequutus eſt ſocios, qui cũ eo venerãt, & reuerſus de Galgalis, vbi erãt idola, dixit ad regẽ: Verbum ſecretum habeo ad te, ô rex. Itẽ poſt pauca: Ahoth autẽ, dum illi turbarentur, effugit,& pertranſijt locũ idolorũ, vnde reuerſus fuerat. Nimirũ ſemel & iterũ dicendo, illum reuerſum eſſe de loco idolorũ, ſiue de Galgalis, vbi erant idola, reuerſionem eius ad deũ pulchrè ſignificat, & idcirco dignum fuiſſe, quem ſuſcitaret Dominus ſaluatorẽ, claman tibus ad ſe filijs Iſrael, quia iam à peccatis eorũ receſſerat. Sed & illud nõ ignorandum, quia Saul contra voluntatem Domini rex petitus, in Galgalis vnctus eſt. Cùm ergo dicit Et nolite ingredi in Galgala, neq; aſcenderitis in Bethauen, neq; iuraueritis, Viuit Dominus, ſuperbiæ ſimul & idololatriæ atque periurij peccata præſenti loco arguit, ſicut iã diximus, penè oblitus eſſe videtur, quòd populum eundẽ vt contradictorem paulò antè iudicari & argui prohibuit. Idcirco valdè notandum, quòd cũ quaſi renunciãdo faciens apoſtropham, dixiſſet, quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael, nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine, continuò ipſe, qui ſuprà dixit, verunta men vnuſquiſq; nõ iudicet, & arguatur vir, ſententiã cõfirmat, iudiciumq́; derelinquendi, cũ dicit, Particeps idolorũ Ephraim, dimitte eum. Idem enim eſt, ac ſi dicat: Nõne ô propheta dixeram tibi, Vnuſquiſq; non iudicet,& non arguatur, populus enim tuus ſicut hi, qui contradicunt ſacerdoti? Vt quid ergo iterũ arguis ſiue aſtruere vis, dicendo, nolite ingredi in Galgala, &c. & ſermonem effundis, vbi nõ eſt auditus? Dimitte eũ, noli iudicare eũ, noli arguere eũ, quia particeps idolorũ eſt,& particeps dæmoniorũ, peccando nõ per ignorantiã, ſed per ſuperbiã atque contemptum. Idcirco dimitte eũ, trade vel traditũ relinque illũ in reprobũ ſenſum, vt faciat Ephraim ea quæ non cõueniunt, vt habeant paſsiones ignominiæ, vt cõtumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, quoniã fornicationes ſuas diligunt atq; defendunt. Nã hoc eſt, quod ſequitur. Separatum eſt conuiuium eorum fornicatione fornicati ſunt, dilexerũt afferre ignominiã protectores eius.

Galgala locus eſt idololatriæ.

Iudic. 3.

1. Reg. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Separatum namq; conuiuiũ, sacrificia dicit dæmoniorũ, quib. consequenter cõmiscetur
Exod. 32. confusio libidinum, iuxta illud. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Propterea dimitte eũ, quoniã sic faciendo, vt tu quoque testaris, sicut vacca lasciuiens declinauit Israel, videlicet iugum legis abijciens, sacerdoti contradicens. Sanè q̃ propheta ait, Nunc pascet eos Dñs, quasi agnũ in latitudine, præsentẽ, quã in hoc quoque seculo mox recepturus erat Israel, significat vltionẽ. Idem nãq; est, ac si dicat: In prę senti tempore, dum spiritus hos regit artus, me scilicet viuente, pascet eos Dñs in latitudine, quasi agnũ, i. abducentur ab Assyrijs in captiuitatẽ, & ibi in captiuitatẽ latitudinis terræ dispergẽtur, ibiq; multo tempore morabuntur. Agnus namq; hoc loco nõ simplicitatem commendat, sed vilitatem insinuat, vt illic: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Itaq; iam tertio iudicauit populum contradictorem derelinqui, priùs dicendo, Veruntamen vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir. Et deinde: Non vĩsitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulterauerint. Et nunc dicendo, Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Iam antè diximus, Apostolũ loquentẽ de gentibus itidem secundum hunc sensum tertiò dixisse, Tradidit illos Deus, videlicet in desideria cordis eorum, in immunditiam, in passiones ignominiæ, in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. Ac perinde tradi hoc esse dimitti vel non argui, eò quòd contradicentes sint. Ad hæc & illud solerter intuendum, quia quã Apostolus in gentibus denotauit superbiam, cuius pœna esset passiua turpitudo libidinis, dicendo, Sed euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt. Eandem & hic denotat in Iudæis siue Israelitis, dicendo: Ligauit eum spiritus in alis suis. Per alas quippe superbia siue mentis elatio designatur, propter quam dæmones quoq; interdum in scripturis per volucres intelliguntur, vt illic. Et aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. Spiritus ergo vtique fornicationis, vt suprà dixit, spiritus enim fornicationis decepit eos, ipse ligauit eum in alis suis, id est, idcirco comprehendit eum, & passionibus ignominiæ subdidit, quia per superbiam sese extulit, & euanuit in cogitationibus suis. Illo spiritu ligante, confundetur, ait, videlicet confusione passionum ignominiæ, in operatione turpitudinis, & hoc à sacrificijs suis, id est, idcirco, quia Deum viuum & verum dereliquit, & dæmonibus sacrificauit in vitulis aureis, & in Baal, cæterisque deorum portentis. Confusionẽ
Rom. 1. istam mors consequitur, de qua idem Apostolus loco sæpè dicto loquitur: Qui cùm iustitiam Dei cognouissent non intellexerũt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Igitur vbi Apostolus immunditias, siue contumelias & passiones, ignominiæ, quas gentiles operati sunt, commemorauit. Ex isto maximè propheta manifestum atque probabile est, quàm verè, quàm constanter, conuersus ad Iudæum gẽtiles iudicantem atque despicientem dixerit, vt suprà iam meminimus. Propter quod inexcusabilis es, ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condẽnas. Eadem enim agis, quæ iudicas. Sequitur ibidem protinus: Scimus enim, quoniã iudicium Dei est secundũ veritatem in eos, qui talia agunt. Quid aliud propheta hic prę *CAP. V.*
senti loco subiungit? Ait enim. [Audite hoc
Psal. 48. sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate, quia vobis iudicium
Agnus. est.] Vobis (inquit) iudicium est, subauditur (vt Apostolus ait) secundum veritatem, id est, absque distinctione personarum. Nam idcirco & sacerdotes, & domũ Israel, id est, populum, & domum regis, id est, principes, ad audiendum & attendendum atque auscultandum inuitauit, quia cum omnibus ita dirigitur veritas iudicij, vt neque sacerdotalibus canis, neque popularibus siue adolescentulæ ætati, neque principum solisj parcat aut reuerentiam exhibeat seueritas iudicantis. Eadem considerata veritate iudicij, nullam Apostolus distinctio
Rom. 11. nem vult habere iudæi & Græci. Omnes enim (inquit) peccauerũt, & egent gratia dei. Veruntamen in sacerdotes sicut maius peccatum, ita & maius redundat iudicium, idcirco præ cæteris in eos inuehitur districtio sermonis prophetici, cùm protinus subiungit, [Quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor, & victimas declinastis in profundum.] His namque verbis magnitudinem peccati illorum describit, quia sicut laqueis & retibus in saltibus, & in montibus capiuntur feræ ac volucres, ita popularem stultitiã fabellis & doctrinæ similibus verſũtijs glutinabant sacerdotes, ne recordarentur domus Dauid, & templi domini, quod erat in Hierosolymis, sed vitulis regis aureis, cęterisq; seruirẽt simulachris, nõ tantũ verbis agendo, ne ire vellent, verumetiã speculando, & insidias ponendo, ne aliqui volẽtes ire valerẽt. Hoc est, quod ait, quoniã laqueus facti estis specu
Mons Tha lationi. Thabor autem mons est situs in cã-
bar. pestribus Galileæ, rotũdus atque sublimis, quẽ hic pro quouis monte ponit. Quia videlicet sicut in monte saltuoso laquei, vel retia tenduntur, vel expanduntur ad capiendum, ita subdola illorum consilia tendebantur, & effectũ habebãt ad decipiendũ. Quod aũt ait, Et victimas declinastis in profundũ, vehementer brutam redarguit talium dolositatem sacerdotum, quia cùm deberent victimas

Superbia per alas designatur.

victimas subleuare in cælum seruiendo & sacrificãdo Creatori, dimiserũt eas in profundum inferni, seruiendo & sacrificando creaturæ auri & argenti, quorũ fulgor oculos in
Exod. 50. tuentium decepit, quia corda cupiditas corripit. Adhuc, ne se de ignorãtia excusent, sententiam infert maximam, maximèq; valen-
"tẽ. [Et ego (inquit) eruditor omniũ eorũ.] Omnes enim erudierat, omnib. in lege sua prædixerat, Non habebis deos alienos corã me. Non facies tibi sculptile, neq; omnẽ similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neq; eorũ, quę sunt in aquis sub terra, nõ adorabis, neq; coles ea. Ergo cũ dicit, Ego eruditor omniũ eorum, idem est, ac si dicat, Excusationẽ non habentes de peccatis suis, quia legem ego publicã dedi omnib. ne similitudinẽ sibi facerent vitulorum, imò nec aliquorũ ex omnib. quæ in cælo, & quæ in terra, & quæ in mari sunt. His
Rom. 3. omnibus iam dictis, cõtinuo quasi prophetа quærat, cur dixerit, particeps idolorũ Ephraim, dimitte eum, causam huiusce dimis-
"sionis reddit, & dicit. [Ego scio Ephraim, &
"Israel non est absconditus à me, quia nunc
"fornicatus est Ephraim, cõtaminatus est Is-
"rael. Non dabunt cogitationes suas, vt reuer
"tantur ad Dominum Deum suum, quia spi-
"ritus fornicationis in medio eorum, & Do-
Fornicatio fœminarũ spiritualis. minum non cognouerunt.] Idcirco (ait) ego dico, dimitte eum, quia scio cogitationes eorum, quod non dabunt cogitationes suas,
3. Reg. 35. vt reuertantur ad Dominum.

Sciendum hoc, & in bonitate de Domino sentiendum, quod neminem dimittat, siue tradat, quo verbo (vt sæpè iam dictum) vtitur Apostolus, nisi quem esse perspicit incorrigibilẽ, quia videlicet (vt idem Apost. ait) vult omnes homines saluos fieri, si ipsi velint. Sed fortè hic objicit quisquã. Sodomitas, Tyrios atq; Sydonios, sciuit pœnitentiã posse agere, & tamen dimisit eos. Ait enim ipse. Væ tibi Corazaim, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro & Sydone essent factæ virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et tu Capernaum (inquit) nunquid vsq; in cælum exaltaberis? Vsq; in infernum descendes. Quia si in Sodoma factæ fuissent virtutes quæ factę sunt in te, fortè mãsissẽt vsq; in hãc diẽ. Quid
Galgala locus idololatriæ. igitur ad hæc dicendum? Quare Tyrios, Sydonios, atq; Sodomitas dimisit, & suas in il-
Iudic. 3. lis virtutes non fecit, si per virtutes factas poterant reuocari, & dare cogitationes suas, vt reuerterentur ad Dominum? Nunquid idcirco quia saluos illos noluit fieri, qui (vt ait Apostolus) vult oẽs homines saluos fieri? An quod verius est, & pœnitentiã in cilicio & cinere agere potuissent, & tamen non dare cogitationes suas, vt reuerterentur ad Dominum? Diligenter nãq; animaduertendum est, quia non paria, vel æquipollentia sunt hæc, pœnitentiam agere, & reuerti ad Dominum. Alioquin Achab regem Israel impium fatebimur reuersum fuisse ad Dominum, quia pœnitentiam egit, pro sanguine Naboth, quem occidit, quia dicenti sibi Helia in sermone Domini. In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent & tuum sanguinem, scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, ieiuna *3. Reg. 19.*
uitq; & dormiuit in sacco. Nũ iste cogitationes suas dedit, vt reuerteretur ad Dñm. Nõ vtique, quia & si pro sanguine Naboth pœnitentiã egit, nõ tamen à peccatis Hieroboã, id est, vitulis aureis recessit, imò & Baal, quẽ Iezabel induxerat, colere non desijt. Egit nãq; pœnitentiã, non vt æternum Dei regnũ consequeretur, sed ne temporali regno Samariæ priuaretur, recepit mercedem suam, mercedem pœnitentiæ, qualẽ quærebat, vt viuens regno non careret, dicente Dño ad Heliam: Quia igitur humiliatus est mei causa, nó inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferã malum domui eius. Sic nimirum Sodomitæ, sic Tyrij & Sydonij, si factæ fuissent in illis virtutes, pœnitentiam quidem egissent, veruntamen non in ea intẽtione vel fide, vt ad inuisibile regnum Dei peruenirent, sed vt in isto visibili seculo, sic ut cæteræ ciuitates, permanerent, & in sua pace florerẽt. Itaq; sciebat quidẽ Dominus, quòd pœnitentiam agerent, si virtutes in illis factæ essent: sed nihilominus sciebat, q̃ cogitationes suas non darent, vt reuerterentur ad Dñm, atq; idcirco dum hæc de illis dicit, Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent, non consequitur, quod illos saluos fieri noluerit, sed q̃ de tali illorũ pœnitentia non curauerit, quæ nõ fieret propter deum, regnumq; futurum, sed propter præsentem statũ. Igitur q̃ de isto dicit, Ego scio Ephraim, & Israel nõ est abscõditus à me, quia nũc fornicat⁹ est Ephraim, cõtaminat⁹ est Israel, nõ dabũt cogitationes suas, vt reuertãtur ad dñm. Propter quod & dixerat, dimitte eum, siue vnusquisq; nõ iudicet, & nõ arguatur vir. Hoc ipsũ de omni homine sentiẽdũ est, tã Iudęo, q̃ Græco quẽcunq; deus derelinquit, videlicet quod ipse sciat vnũquẽq; non solũ qualis nũc sit, verũetiã qualiter in malo perseueraturus sit, nec daturus cogitationes suas, vt reuertatur ad dñm, atq; idcirco derelinquit vel dimittit eũ. Quia nũc (inquit) fornicatus est Ephraim, cõtaminatus est Israel. Hoc scio de prẽsenti, siue de prẽterito, & nihilominus scio, nec abscõditũ est à me de futuro, quia nõ dabũt cogitationes suas, vt reuertãtur, sed incorrigibiles permanebũt. Ephraim Hieroboã dicitur, qui de tribu fuit Ephraim. Israel aũt decẽ tribus, quę cũ illo recesserũt à domo Dauid. Et Ephraim quidẽ. i. Hieroboã fornicatũ, Israel cõtaminatũ esse dicit, quia videlicet Hieroboã vitulos aureos fecit, & populus secundũ fauorẽ eius illos coluit. Quare non dabũt cogitationes

Universidad de Deusto
Biblioteca

suas, vt reuertãtur ad dñm? Quia spiritꝰ (ait) fornicationis in medio eorũ, & dominũ nõ cognouerunt. Magna & vehemens causa, quæ hoc satis efficere valeat, vt nunq̃ in melius mutent cogitationes suas. Nõ dixit tantum, quia spiritus fornicationis in medio eorum, sed addidit, Et dñm nõ cognouerunt, præsertim de his, qui scriptã legẽ acceperũt, atq; idcirco de ignorantia se excusare nõ possunt. Quid (inquã) est de talib. dixisse, dominum nõ cognouerunt, nisi idem q̃ de gentibus Apost. ait, quia deũ habere in notitia non probauerunt? Itaq; nõ cognouerunt, id est, cognoscere noluerũt, vel cognoscentes cõtempserunt. Propterea spiritus fornicationis in medio eorũ, propterea traditi sunt in reprobum sensum, quemadmodum & gentiles, vt facerẽt ea, quæ nõ cõueniunt, ac per inde sic traditi, nõ dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad dñm, portantes iustũ suæ damnationis iudiciũ. Et vt manifestiùs fiat, quod ait dominũ nõ cognouerunt, idẽ esse, ac si diceret, Cognoscere noluerunt, vel cõtempserunt, atq; propter hanc causam tradi tos fuisse illos, vt esset spiritus fornicationis

Rom.1.

" in medio eorum, continuò sequitur. [Et re-
" spondebit arrogantia Israel in faciem eius,
& Israel & Ephraim ruẽt in iniquitate sua.]

Arrogãtia.

Arrogantia namq; est elatio mentis vel spiritus, qua vsq; in Dei contemptũ erigitur, vt eum nõ cognoscat. i. cognoscere vel venerari contemnat. Hæc arrogantia in faciem illius, qui eiusmodi est, tunc respondet, quando redditur ei, quod dignũ est. Quid est illud? Ait Apost. de gentilib. Et sicut nõ probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non cõueniunt. Ista redditio siue retributio mira & terribilis arrogantiæ respõsio est, quã & hic ꝓpheta breuiter insinuat,

" dum præmisso. Et respondebit arrogantia
" Israel in faciem eius, cõtinuò subiungit. [Et
" Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua,

Rom.12.

ruet & etiã Iudas cũ eis.] His iam per ordinẽ transcursis, nunc recolendum atq; replicãdũ est, id, quod iã plus, quã semel diximus. s. Apostolũ, cõmemoratis peccatis gentilium, verissimè simili siue æquali culpæ subiectũ inclamasse Iudæũ, dicendo. Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas: in quo em iudicas alterũ, teipsũ cõdẽnas, eadẽ em agis, quæ iudicas. Et illã veritatẽ apostolicã nullius scripturæ meliùs vel prõptiꝰ quã huius ꝓphetiæ testimonio confirmari

" posse. Sequitur. [In gregib. suis, & in armen-
" tis suis vadent ad quærendũ dominũ, & non
" inuenient, ablatus est eis.] Quod hic dicit,
" In gregibus suis, & in armentis vadent ad
quærendũ dominũ, videlicet, Israel & Iudas, qui in iniquitate sua corruerunt. Hoc est, quod sæpè dictus Apost. ait de eisdẽ, qui (sicut hodie videmus) tanquã rami de radice bonæ oliuæ. i. de fide patrum, fracti sunt, & ceciderunt. Israel verò sectando iustitiã in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia nõ ex fide, sed quasi ex operibus, offenderunt in lapidem offensionis. Et subinde: Ignorãtes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Iustitia illorum est, quam & statuere volunt, in gregibus & armentis suis Dominum quę rere, id est, greges & armenta certatim sacrificare, dissimulando se audire, quod econtra ille reclamat, dicens in Dauid: Non accipiã de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Et in Esaia: Quò mihi multitudinẽ victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem piguium, & sanguinem vitulorum, & agnorũ, & hircorum nolui. Quis quæsiuit hęc de manibus vestris? Deniq; si rectè perpendimus, populo ascendenti ex Aegypto, vbi carnes immolare consueuerat, eiusmodi sacrificia non tam iussa fuere, quã permissa, testante ipso, cũ dicit in Hie. Holocaustomata vestra addite victimis vestris & cõedite carnes, qa nõ sum locutus cũ patribus vestris, & nõ pcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatũ & victimarũ, sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quã mandaui vobis, vt benè sit vobis. Cùm hæc ita sint, nimirum (sicut ait hic) vadent quidem in gregibus suis, & armentis suis ad quærendum Dominum, sed fiet, quod sequitur, Et non inuenient eum, quia videlicet offenderunt in lapidem offensionis, & in petrã scandali, & pro talium iustitia sacrificiorum decertantes, vt illam statuant, iustitiæ Dei (quæ Christus est) non sunt subiecti. Non ergo inuenient eum. Ablatus est eis. Quomodo ablatus est eis? Num quia de loco ad locum transiuit? Non vtique, sed quia ipsi sunt excæcati, & indignos se iudicantes æternæ vitæ, tali bono sunt exhæredati, & collatum est alijs. Nam loco illorum, qui cùm essent naturales rami, propter incredulitatem fracti sunt, & ceciderunt, hi qui erant velut oliaster, inserti sunt in bonam oliuã, & fide stant, id est, illis non credentibus gentes crediderunt, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, quæ ex fide est, & taliter Dominus, vel iustitia Dei Christus ablatus est eis. Dicat quis, Quò ergo deuenit, vel quomodo impleta est veritas Dei, qui pactum pepigit cum Abraham, & cum semine eius, sicut scriptura testatur, dicens: In die illo pepigit Dominus cum Abraham fœdus. Itemque: Et statuam (inquit) pactum meum inter me & te, & inter semen tuum in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & semini tui post te? Ad hæc prouida prophetici spiritus sapientia dicit. [In Domino præuaricati sunt, quia filios alienos genuerũt.] Et,,

Esa.1.

Hier.7.

Gen.15.17

est sensus.

est sensus. Si de pacti ratione agitur, quod cum patribus eorum pepigit Deus, & eius, qui pepigit, veritas requiritur, facilè & vera citer excusatur Deus, quia pactum illud pepigit quidem Deus, sed ipsi pręuaricati sunt, id est, irritum fecerunt, sicut dictum est de illis ad prophetam Hieremiã: Reuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerũt audire verba mea. Et hi ergo abierunt post deos alienos, vt seruirent eis. Irritum fecerunt domus Israel, & domus Iuda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. Vniuersos prævaricationis modos breuiter exprimit, dicendo, quia filios alienos genuerunt. Genuerunt (inquam) non tam carnali procreatione, quàm spirituali seductione. Nec verò tantummodo filios alienos genuerunt, sed & ipsi genitores filij alieni extiterunt, id est, filij quidem carnis, sed non tamen in semine reputandi vel æstimãdi sunt. Non enim (inquit Apostolus) omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filij Dei, sed in Isaac vocabitur tibi semen. id est, non qui filij carnis, hi sunt filij Dei, sed qui filij sunt ꝓmissionis, æstimantur in semine. Ergo filios alienos genuerunt, id est, tales facti sunt, vel taliter suos instituerunt, vel de illis semen illud, de quo ad Abraham dictum est, Et in semine tuo benedicentur omnes gentes, scilicet Christus, veraciter dicat: Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni insurrexerunt adversum me, & claudicauerunt à semitis suis. Duris corde, & incircuncisis auribus, parum est hoc omne malum, quod (sicut sermo propheticus comminatur) non debeant inuenire Dominum, & quod ablatus sit ab eis, trãseundo ad fidem gentium, nisi etiam præsentibus percelliantur malis, qui præsentia tantum bona diligunt. Sequitur ergo. [Nunc de

" uorabit eos mensis cum patribus suis.] Ac si
dicat. Non tantum illud de futuro præparatur eis malum æternum, quod non poterũt inuenire Dominum, verumetiam nunc in præsentiarum auferentur eis bona transitoria, quæ sola diligunt, & inferentur mala tẽporalia, quæ sola metuunt, quæ sunt partes eorum, partes impiorum: nam econtra sanctus & iustus dicit, Portio mea in terra viuẽtium. Cum patribus ergo suis, id est, cum eis, quæ sola diligunt, temporalibus bonis, deuorabit eos mensis. Breue tempus, breuis dierum numerus est mẽsis, semperq; in motu, vel mutatione est, præsertim lunaris, qualem solũ nouerant ex lege, & cõmutabant hi, contra quos propheticus hic sermo dirigitur. Vnde quoties in scriptura sacra decima vel decima quinta die mensis quippiam gestum vel gerendum legimus, sine dubio nihil aliud, quã decimam vel decimam quintam lunam intelligimus. Porrò, luna ipsa nũquam in eodem statu permanet, sed semper mutatur, & nunc quidem cremento proficit, donec plena sit, nunc autem decrementum luminis patitur, donec penitus extinguatur. Itaque mensis hoc loco rectè intelligitur temporalitas atque mutabilitas mundi, vel vitæ præsentis, quæ nunc deuorabit eos, inquit, quia non solùm mala æterna in futuro, sed mala quoque præsentia iamiam recipient in præsenti seculo tam Israel, quã Iudas. Quod iam dudum adimpletum videmus. Nam Israel ex tunc tenetur captiuus in terra Assyriorum, Iudæi verò, Babylonica quidem captiuitate post annos lxx. soluti sunt, sed pòst, Romanis agentib. ceciderunt in ore gladij, & in omnes gentes captiui ducti sunt, & partes suas, id est, terrena, quæ sola quærebant bona, perdiderunt, quia noluerunt partem suam esse Dominum. His dictis, protinus mira prophetici spiritus acrimonia sic inclamat, deuorationem illã iamiam imminere significans, [quam prædixerat. [Clangite buccina in Gabaa, tuba in Ra" ma, vlulate in Bethauen.] Buccina ex cornu" animãtis recuruo fit. Tuba autem ex ære vel argento in lege fieri præcipitur, concrepatque in bellis & in solennitatibus. Gabaa & Rama, ciuitates sunt in tribu Beniamin sibi vicinæ. Hæc est Gabaa, in qua natus est Saul. Rama autem ipsa est, quam rex Israel conatus est occupare, sicut in libro Regum legitur, vt clauderet exitum & introitum tribui Iuda & Beniamin. Porrò Bethauen in tribu Ephraim, quæ antè vocata est, Bethel. Quia igitur præmiserat superiùs decem tribuum & duarum captiuitatem, dicens: Nũc deuorabit eos mẽsis cum patrib. suis. Horta tur eos, quasi iã instãte vicina captiuitate, vt resonẽt buccinis, & tubis cohortantes se inuicem in communem luctum, & est sensus. Nolite vestram captiuitatem humili voce deflere, sed buccinis concrepate & tubis, vt omnes audiant qui incircuitu sunt. Cui sensui benè congruit, quod Gabaa, collis, Rama, excelsa interpretatur: Dicitur ergo eis. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, id est, ascendite in montes & colles, celsaque voce deflete imminentem vobis captiuitatem. Vlulate etiam in Bethauen, vbi est vnus ex aureis vitulis, pro quorum veneratione modò captiui tradentur habitatores eius. Et pulchrè additur. [Post" tergum tuum Beniamin.] Vbi enim tri" bus finitur Beniamin, non procul est hæc ciuitas condita in tribu Ephraim, in posteriori scilicet parte ipsius Beniamin. Itaque cùm de persona tertia in secundam prosilit, dicitque. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, vlulate in Bethauen, post tergum tuum Beniamin. Mira eloquutionis arte, & rem decenter exornat, & instantem tumultum captiuitatis acriter exprimit. Nec moratus eodem spiritus impetu ad personam tertiam recurrit, ac resilit, & dicit. [Ephraim in desolatione erit in die cor

" reptionis.]"

Iudæi fecerunt pactũ irritum.

Hier.11.

Filij alieni

Rom.9.

Gen.22.

Psal.17.53

Mensis lunaris.

Num. 10.

3. Reg. 2. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reptionis.] Suprà dixerat, Ruet etiam Iudas cum eis, scilicet cum Israel & Ephraim, nunc autem de Iuda tacet, & de Ephraim, id est, de decem tribubus dicit: Ephraim in desolatione erit, id est, sine consolatione erit in miserijs captiuitatis. Et rectè: nō enim Iudas quoque tunc temporis sine consolatione habebat esse captiuus in Babylone. Multas quippe consolationes habiturus erat, maximè per Danielis sociorumque eius glorioſam ſanctitatem, per quos ſua magnalia DEVS Iudæorum oſtendit, ita vt poſſent in Deo ſuo gloriari coram rege Babylonis, & deinde poſt annos ſeptuagin ta ſolutione captiuitatis erant conſolandi. Eiuſmodi conſolationibus Iſrael ſiue Ephraim in terra Aſſyriorum captiuus caruit. Rectè igitur (vt iam dictum eſt) Iudas hic prætermiſſus eſt, dum dicitur, Ephraim in deſolatione erit in die correptionis, id eſt, decem tribuum populus conſolationem ex Deo non habebit in die vel tēpore, quo propter iniquitates ſuas hoſtibus traditus fuerit, quarum iniquitatum maximè author extitit Ephraim, id eſt, Hieroboam cæterique reges, qui fuere de tribu Ephraim. Cur ita diſcerni debuerunt, vt Iſrael ſiue Ephraim in deſolatione eſſet, iam loco alio diximus, quia videlicet aliqui de regibus Iudæ iuſti fuerunt, vt Dauid, Ezechias, & Ioſias, aliqui verò, & ſi peccauerunt, colendo deos alienos, conuerſi ſunt, & pœnitentiam egerunt, vt Manaſſes: & ſub alijs quoque regibus ſuis populus Iuda reuerſus eſt ad cultum Dei. Regnum autem Iſrael, id eſt, decem tribuum, pro quibus cunctis hic ponitur Ephraim, ex quo reges illi fuere orti, nullus omninò à peccatis Hieroboam receſſit, id eſt, à vitulis aureis, quos ille fecit. Idcirco & paulò ſuprà dominus dixerat: Ego ſcio Ephraim, & Iſrael nō eſt abſconditus à me, non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Dominum. Mox ne cui dubitare vacet de veritate comminantis. ſequitur & dicit. [In tribubus Iſrael oſtendi fidem.] Ac ſi dicat. Quæcunque hactenus promiſi, vel comminatus ſum Iſraeli, effectum habuerunt, & in omnibus me oſtendi veracem. Ergo & de hoc ſermone nemo ſibi blandiatur, tanquam ſermo ſit incertus, quia profectò ſicut in cæteris, ita & in iſto fidelis & verax comprobabor eſſe Deus. Sequitur. [Facti ſunt principes Iuda, quaſi aſſumentes terminum, ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam. Calumniam patiens Ephraim fractus iudicio, quoniam cœpit abire poſt ſordes.] Hoc quod nunc dicebamus, Iudam aliquoties ſuas terminaſſe iniquitates, Ephraim verò perpetuaſſe ſcelus idololatriæ, atque idcirco Iudæ quidem captiuitatem debuiſſe terminari, Iſraelis verò ſiue Ephraim non debuiſſe fieri, verbis præſentibus placet intelligi, ac ſi dicat Veritas vel Iuſtitia Dei: Idcirco, vt in exordio prophetiæ huius dixi, domui Iuda miſerebor, quia facti ſunt principes Iuda, quaſi aſſumentes terminum, & idcirco non addam vltra miſereri domui Iſrael, quia cœpit abire poſt ſordes, & ſicut iam dixi, non dabit cogitationes ſuas, vt aſſumat terminū, vt ceſſet ire, vt terminet ipſas ſordes. Iuxta hunc ſenſum illud quod ait, Super eos effundam, quaſi aquam iram meam, profectò magnam in ipſa ira ſonat miſericordiæ memoriam. Etenim captiuitas Iudæ fuit quidem ira peccatis debita, *Cant. 3.* ſed ſicut aqua viſibilis mundare ſolet ſordes corporeas, ſic illa captiuitas eadem munda uit populi peccata, vt iam non ſupereſſet in quibuſdam, videlicet in tribus pueris quippiam peccati, propter quod in Babylonia fornace lædi deberent eorum corpora. Igitur quòd ait, Facti ſunt principes Iuda, quaſi aſſumentes terminum, ſic intelligi libet, ac ſi diceret, Vijs ſuis peſſimis terminum poſuerunt, quod reges Iſrael non fecerunt, atque idcirco ira mea, id eſt, præſens captiuitas ſic erit illis, quaſi aqua, id eſt, proficiet ad emundationem peccatorum. Econtrà: Ephraim calumniam patiens, id eſt, captiuus ductus ab Aſſur calumniante illum, fractus eſt, & cecidit iudicio, id eſt, cauſa eius pro *Apoc. 22.* merente aliter iudicatum eſt apud Deum, *Sacerdos* vt non ſoluatur captiuitas eius, ſed perpe- *Ephraim.* tuetur in terra Aſſyriorum. Quare? Quoniam cœpit abire poſt ſordes. Grauiſsimè dictum, quoniam cœpit abire poſt ſordes atque ſubaudieudum eſt, ſordeſcere non deſinet, iuxta illud: Et qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Cùm enim dicit, Cœpit conſummationem ſordium, nondum eſſe innuit, quamuis maximæ ſordes fuerint illi vetuli aurei, quos Hieroboam fecit, & ille Baal, quem Iezabel impia ſuperinduxit. In illis iam ſorduerat Iſrael, erantque magnæ ſordes, & tamen non dixit, quoniam abijt, ſed, quoniam cœpit abire poſt ſordes, nimirum ſubintelligi volens, quia ſicut cœperat, ita & in ſordib. etiā perſeueraret, neq; daret cogitationes ſuas, vt rediret, & earundē ſordium emūdationem quæreret. Ad hæc ſubiungit. [Et ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda.] Mira clementia Ephraim poſt ſordes, quæ veræ ſunt ſordes, abijt. ego autem qui gloria eius eſſe poteram, quaſi ſordes, immò quaſi tinea, & quaſi putredo viſus ſum illi, etenim erubuit me cum gentibus confiteri, quaſi leges meæ cōtemptibiles ſint. Exempli gratia. Circunciſio ſignum fidei reſpicientis in illud ſemen quod Abrahę repromiſit. Hæc & cætera ſanctæ legis obſequia, quæ gentium vicinarū garrulitas irridebat, ſecreta neſciēs myſteria, ſicut porci cōculcare ſolēt margaritas, Ephraim obſeruare erubuit, ac perinde quaſi tinea, & quaſi putredo reputatus

ſum illi,

ſum illi, vt erubeſceret cōfiteri gloriam nominis mei, quemadmodum tinea capitis ab homine nimis verecundo circumtegi ſolet atq; operiri. [Et vidit Ephraim languorem ſuum, & Iuda vinculum ſuū, & abijt Ephraim ab Aſſur, & miſit ad regem vltorem, & ipſe non poterit ſanare vos, nec ſoluere poterit vos à vinculo, quoniam ego quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda. Ego ego capiam, & vadam, & tollam, & non eſt, qui eruat. Vadens, reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam.] Mira malè videntis exprobratio. Ephraim languorem ſuum, & Iudas vidit vinculum ſuum, atq; tam magnum ille ſuum languorem exiſtimauit, & ille tàm forte vinculum ſuum reputauit, vt nullatenus à Deo patrum ſuorum Abraham, Iſaac & Iacob, curari poſſet aut ſolui: & idcirco ad Aſſur quaſi ad fortiorem Deo, confugit, munera mittens illi. Legi namq; in libro Re- *4. Reg. 15. 16.* gum, quia ſub Rege Manahen, qui decem tribubus præfuit, Iſrael Aſſyrijs dona tranſmiſit, vt eum à Damaſcenis hoſtibus liberaret. Iudas quoq; ſub rege Achas, miſit munera Teglath Phalaſſar, vt eum liberaret de oppreſsione regis Damaſci. Nimirum vterque malè vidit, & ille languorem ſuum, & iſte vinculum ſuum: nam ſi benè vidiſſent, ſcirent id, quod ſequitur, Et ipſe non poterit ſanare vos, nec ſoluere vinculum veſtrū imo conuertē[illegible] vobis in aduerſarios, & tāquam in Dei deſertores facient vltionem. *Rex Aſſur, vltor in deſertores dei* Vndè & ſignanter, cùm dixiſſet, Et miſit ad regem, addidit vltorem, vehementer illius populi redarguens inſipientiam, qui cum irato Deo molitur ſibi acquirere hominē auxiliatorem, incurrit eundem Dei vltorem, qui deſertores Dei ducat in captiuitatē tanquam Deo iurauerit facere vltionem. Idcirco dicit: Quoniam ego quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda. Et eſt ſenſus: Licet perrexerint ad Aſſur, & munera miſerint illi, vt illos liberaret, tamen ſanare eos non poterit, nec ſoluere vinculum captiuitatis eorum. Oſtendam enim, quòd me aduerſante vanum ſit omne humanum conſilium, imò quòd irato me ſpes poſita in homine vertatur in contrarium, dum ab illis captiui ducentur, quos ſibimet parauerāt habere refugium, & quia vindex Deus hoc egit, Deus (inquam) hoc agere conſueuit, vt ad quem confugit, ab eodem potiſsimū capiatur, atq; elidatur is, qui à Deo refugiens atq; recedens ad hominē confugit, ſiue dæmonum in ſimulachris auxilia requirit. Veruntamen o, protinus ait, Ego ego capiam, & vadam, tollā, & nō eſt, qui eruat, in bonā accipere partē pulcherrimū atq; rationabile eſt. Nam poſtmodu ipſi qui à domino capiū tur, cuius vtiq; captura bona eſt & ſalubris, taliter dicunt, Venite, & reuertamur ad dominum, quia ipſe cepit, & ſanabit nos. Igitur ſecundum bonam captiuitatem, dē qua & in Pſalmo ſcriptum eſt, Aſcendiſti in altum cepiſti captiuitatē, ſiue aſcendens in altū, captiuam duxit captiuitatē, locum præſentē pertractemus. Recitatis hactenus peccatis, *Infra 6.* & demonſtrato, quod Deo propter eadem peccata irato, ſaluare ſiue ſanare nemo poſſit, tandē ſeipſum ſaluatorem venturū ad ſanandum eos, qui ad ipſum confugiunt, hoc modo repromittit: Ego ego capiā. Ego (inquam) quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda, tandem capiā & vadam. Capiam dicit, & quod capiat nō exprimit. Verū (ſicut iā dictum eſt) hi qui reuertuntur ad Dominū, reuertendo exprimunt, quid capiat dum dicit, quia ipſe cepit & ſanabit nos. Ergo dum dicit, Ego ego capiam promittit ſe capere nos, capere naturam noſtram, vt fiat homo. Proinde reſpiciamus curſum eius, qui nos cepit, & tunc liquido perſpiciemus curſum ſermonis huiuſmodi, qui taliter procurrit. Ego ego capiā, & vadā tollam, & nō eſt qui eruat. Vadens reuertar ad locū meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meā. In tribulatione ſua manè cōſurgent ad me, dicentes. Venite, reuertamur ad dominū, quia ipſe cepit, & ſanabit nos, percutiet & curabit nos. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius, ſciemus, ſequemurque vt cognoſcamus dominum. Saluator noſter CHRISTVS, qui hæc loquitur, ſic fecit. Cepit nos & abijt, quemadmodum dicit, Ego ego capiam, & vadam. capiens nanque naturam noſtram, id eſt, homo factus, tranſiuit ex hoc mundo per paſſionem mortis. Vnde & eius Euangeliſta dicit. Sciens IESVS, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem. Item, Sciens, quia à DEO exiuit, & ad DEVM vadit. Deinde cum taliter iſſet, tulit prędam *Luce 11.* inferni, quemadmodum dixerat, Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſsidet. Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa *Ioan. 13.* arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Cum ergo dixiſſet, Ego ego capiam, & vadam, benè continuò ſubiunxit, Tollā & non eſt qui eruat. Ac ſi dicat: Ego naturam hominis aſſumam, & ad mortis paſsionem vadam, & electos meos, nemine valente reſiſtere, de inferni clauſtris eripiam, ego illa leæna, ego ille catulus leonis, quem longè antè Iacob patriarcha intuens, dixit: Catulus leonis Iuda *Gen. 49.* ad prædam, fili mi aſcendiſti. Requieſcens accubuiſti, vt leo, & quaſi leæna. His peractis, reſurgens ex mortuis, abijt in cælum, vndè venerat, & ſedet ad dexteram patris. Poſtquam ergo dixit, Ego ego capiam, & vadam, tollam, & non eſt qui eruat, benè continuò ſubiunxit. [Vadens, reuertar ad locum meum.] Locus quippe eius, eſt ille,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sedes maiestatis, ille confessus Dei patris, vbi captiuam duxit captiuitatem, quam cepit vbi peregrinam collocauit naturam hominis, cuius origo nõ solũ cẽlũ, sed terra: cuius patria siue locus originalis non altitudo cælorum, sed pulueris exiguitas est. Ad illum locum reuersus, faciem suam ab illo populo, cui hæc scriptura loquitur, abscondit, donec plenitudo gentium subintroeat, & sic omnis Israel saluus fiat. Cum ergo dixisset, Vadam & reuertar ad locum meum, benè "continuò subiunxit. [Donec deficiatis, & "quæratis faciem meam.] Donec deficiatis,
Rom. 10. (inquit) illa nimirum defectione, qua illos nondum defeciſſe, Apostolus gemens dicit, Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quẽrentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Quod ergo dicit, Donec deficiatis, & quæratis faciem meam, idem est, ac si dicat? Donec desinatis velle vestram statuere iustitiam, & gloriari in operibus legis, & credatis in me, solam quẽrentes iustitiam Dei, iustitiam fidei. His dictis protinus de omnibus, tam Iudæis quam Gentilib. quicunq; pœnitentiam acturi, & in Christũ crediturí, & per fidem eius erant iustificandi, i- "dem ipse dicit. [In tribulatione sua manè cõ "surgent ad me] subauditur dicentes.

CAP. VI. [Venite, & reuertamur ad dominũ, quia "ipse cepit & sanabit nos, percutiet & curabit "nos. Viuificabit nos duos dies, in die tertia "suscitabit nos.] Hoc feciſſe, hoc dixiſſe primùm Iudẽos, deinde gentiles, postquã iuit Christus, & reuersus est in locũ suum, id est, postquam ascendit in cẽlum, manifestũ est.
Act. 2. Dato enim Spiritu sancto Apostolis, & loquente Petro ad populum, compuncti sunt corde, & dixerunt ad eũ, & ad reliquos Apostolos, Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ait ad illos. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrũ. In illa tribulatione. i. in illa compunctione, & pœnitentiæ actione consurrexerunt ad dominũ, & consurgunt vsq; hodie manè, id est, transacta & depulsa infidelitatis nocte, abactis tenebris ignorantiæ. Ita consurgentes, dicunt: Venite, & re-
Duplex resurrectio. uertamur ad dominum. Prædicant enim alijs Christum, qui illum cognouerunt, nec sua tantum contenti salute, alijs quoq; vt saluentur, verbum salutis prædicare satagunt. Quod est illud verbũ? Quia ipse (inquiunt) cepit, & sanabit nos, percutiet, & curabit nos. Magnificẽtiùs atq; breuiùs verbũ salutis huius edici non potest. Totus quiconuersionis ad Christum & Christianæ fidei fructus est, hic paucis verbis cõprehensus est, scilicet vtraq; resurrectio, qua resurgimus per Christum, prima animarũ, secunda corporũ. Cũ enim dicit, quia ipse cepit, & sanabit nos, sensus iste est. Quia ipse nostram naturã suscepit, & à peccatis nostris saluos faciet nos, secundum nomen suum, quod est Iesus, id est Saluator. Quamuis autem nos credentes, & in nomine suo baptizatos iam sanauerit, adhuc tamen percutiet, & deinde curabit nos, id est, sententiam mortis huius corporis, de qua dixit, Quia puluis es, & in puluerem reuerteris, super nos dimisit, & ita fiet, sed deinde curabit nos. i. in nouissimo die carnis resurrectione resurgere faciet nos, qui resurrectione animæ, id est, remissione peccatorum sanauit iam, & viuere fecit nos. Hinc est illud, quod Apostolus dicit: Corpus qui *Rom. 8.*
dem mortuum, id est, certissimè moriturũ est propter peccatũ, spiritus verò viuit propter iustificationem. De illa resurrectione carnis, quæ secunda est, continuò dicit. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Et est sensus: Viuificabit nos in nouissimo die, vita vel resurrectione carnis, quã persona sua mortuus propter nos, quia resurrectioni eius, quæ die tertia facta est, hoc ipsum ascribimus, quod suscitabit nos.
Ita sanati & curati. i. anima & corpore viui- *1. Ioan. 3.*
ficati atque suscitati. [Viuemus (ait) in con- "
spectu eius.] id est, immortales erimus: neq; "
enim vltrà mori poterimus propter conspectum eius, quia videbimus eum, sicuti est, & inde similes ei erimus. [Tunc sciemus, se- "
quemurq;, vt cognoscamus dominum.] Scie- "
mus (inquam) & cognoscemus, non sicut nunc ex parte, sed perfectè. Nam hinc & A- *1. Cor. 13.*
postolus ait: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. Item: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Sequemur inquit. Quô sequemur? Nimirum ad vitæ fontes aquarum, sicut alius Propheta dicit: Quia miserator eorum
reget eos, & ad vitæ fontes aquarum po- *Esaiæ 49.*
tabit eos. Et in Apocalypsi legimus, quo- *Apoc. 7.*
niam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarũ. Quod idem est, ac si dicat, Videndo vel cõspiciendo Deum, immortales erunt. Hoc dicent inuicem se cohortantes, hoc dicent Apostoli vel Apostolici viri populis prædicantes, & subiungent. [Quasi dilucu- "
lum præparatus est egressus eius.] Ac si di- "
cant: Quod dicimus, quia ipse cepit, & sanabit nos, non in angulo gestum est, sed sicut diluculum à cunctis videtur, & latere non potest, & ad hoc venit, vt videatur, immò vt illuminet: ita egressus eius, quo de suis inuisibilibus ad visibilia nostra egressus est, cunctis innotuit, cunctus orbis audiuit, nec est, qui se de ignorantia excusare possit.
Hoc est, quod Psamista quoque dicit: In *Psalm. 8.*
sole posuit tabernaculum, id est, in manifesto exhibuit humanitatem suam. Ac deinceps: Nec est, qui se abscondat à calore eius, quia videlicet omnibus tam Iudæis

dæis, quàm gentilibus auditus est aduentus eius, audita est prædicatio euangelij eius.
"Addũt adhuc. [Et veniet nobis, quasi imber "temporaneus, & serotinus terræ.] Iuxta literam, temporaneus imber illa est pluuia, quę
Imber temporaneus et serotinus. iactis seminib à Deo datur terrę Palęstinorũ vt insusa calescant semina. Serotina autem illa dicitur, quæ ad maturitatem eosdem perducit fructus. Siquidem terra illa nõ ita frequenter, vt nostra, de cælo accipit pluuiam, sed tantùm bis in anno.
Spiritualiter pluuiam siue imbrem vtrũque, videlicet temporaneum & serotinum, intelligi oportet, & sancta prophetica atque apostolica scriptura est. Prophetica namque scriptura ipsa est imber temporaneus, quia sicut serotino imbre infusa coalescunt semina, ita hæc promissionem Christi venturi, quæ ad Abraham facta est, frequenti declamatione expectabilem faciebat. Porrò Euangelica vel Apostolica scriptura, imber serotinus est, quia sicut serotino imbre fructus ad maturitatem perducuntur, ita scriptura hæc iam aduenisse Christum confirmat, de quo prophetæ vaticinabantur: Igitur & veniet (inquiunt) nobis, quasi imber temporaneus & serotinus, id est, talis & taliter veniet nobis, vel taliter nobiscum faciet sicut vtriusque scilicet noui ac veteris testamenti scripturæ testificantur. Hęc vbi dixit de illis, qui erant crediturí, & fidem aduentus eius recepturi, confestim ad eos, quos non esse credituros præsciuit, conuertitur, "& dicit. [Quid faciam tibi Ephraim, quid fa "ciam tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nu "bes matutina, & quasi ros manè pertransi- "ens.] Sic nimirum patriarcha Isaac cum filiũ
Gen. 27. suum Iacob benedixit & proinde Esau frater eius eiulatu magno fleret, dicẽs, Nũquid non reseruasti & mihi benedictionem? Respondit & dixit: Dominum tuum illum cõstituí, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui, frumento & vino stabiliui eum, & tibi posthæc, fili mi, quid faciam? Ac deinceps: In pinguedine terræ, & in rore cæli, desuper erit benedictio tua. Profectò ille Isaac typum Christi gessit, duo verò filij (de quibus iam dictum est formam prætulere mysticam vtriusq; populi, scilicet & eius, qui tã tummodo generatione carnis, & eius, qui imitatione fidei semen eius Abrahæ. Et illic
Duo filij Isaac duo populi. Isaac in typo Christi dicit agresti filio: Et tibi post hæc fili mi vltra quid faciam? statimque inuenit, quid faciat, dicitq;, In pinguedine terræ, & in rore cęli desuper erit benedictio tua, & hic Christus in prophetia dicit carnalibus Israelitis siue carnalibus Iudæis, quicunq; filij carnis, & non filij sunt promissionis, quid faciã tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda? statimq; inuenit, vel scit, quid faciat, dũ dicit, Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiẽs. Misericordia hæc parua illa est, quam intendens ille, In pinguedine (inquit) terrę, & in *Misericor-*
rore cæli desuper erit benedictio tua. Parua *dia alia par*
namq; misericordia est temporaliũ siue cor *ua, alia ma*
poralium abundatia rerum, quarum omniũ *gna dicitur*
summa, illic pinguedine terræ, & rore cæli comprehensa est. Porrò, misericordia magna illa est benedictio, quę simplici Iacob in domo habitanti data vel effusa est secundũ verba hæc: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et deinceps, Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incurtuentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Sic nanq; benedicendo, magnam illi misericordiam imprecabatur, eã scilicet, vt de semine eius Christus nasceretur. Proinde, quia misericordiarũ tanta differentia est, idcirco Dauid, qui vtiq; minorẽ misericordiam fuerat consecutus, in pinguedine terræ, & in rore cæli desuper, vtpote rex diues, & inclytus
cum dixisset, Miserere mei Deus, statim ad- *Psal. 50.*
didit, Secundum magnã misericordiam tuã. In quo? Nimirũ in eo, vt nequaquam promissione Christi de semine suo nascituri frustraretur, propter causam Vriæ Ethei. Nam
inde est, q; postmodũ dicit, Vt iustificeris in *2. Reg. 7.*
sermonibus tuis, subauditur, miserere mei, conseruando mihi misericordiam magnam, quam promisisti. Iam enim illi repromisserat Christum, dicendo: Suscitabo semen tuũ post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum Nomini meo, & stabiliam thronum regni eius, vsq; in sempiternum. Igitur & hic, postquam secũdum magnam misericordiam dictum est de filijs promissionis suæ fidei, In tribulatione sua manè consurgent ad me, dicentes, Venite & reuertamur ad dominum, quia ipse cepit & sanabit nos, percutiet & curabit nos, & cæt. confestim ad filios carnis, tanquã ad Esau conuersus, Quid (inquit) faciam tibi Ephraim, quid faciã tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens. Ac si dicat. Populo electo, cuius typus erat Iacob, magnã misericordiam, magnam consequente benedictionem habendo fidem seminis Abrahę, quod est Christus, vobis filijs carnis, qui tãquam Esau tardatis & foris vagamini, post hæc vltrà quid faciam? In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper fuerit hactenus benedictio vel misericordia vestra, sed nũc eadem ipsa properante captiuitate pertranseat, sicut pertransit matutina nubes, & in meridie siue vesperaiam nõ est: & sicut pertransit ros, qui cum manè herbam operuit orto sole, velociter disparet, & iam non est. Sic enim vobis continget, qui manè compluti estis, & matutino rore maduistis, id est, qui præsentem lætitiam & tantummodo caduca præsentis seculi bona requisistis.

Nubes

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nubes vestra pertransit, & ros vester orto sole siccatur, id est, lætitia vestra in tristitiã vertetur, & delitiæ vestrę in futurum nõ inuenientur, vbi verus sol Christus in virtute sua lucens in meridie conspicietur. [Propter hoc dolaui in prophetis, & occidi eos in verbis oris mei.] Propter hoc, inquit, videlicet quia vos tantummodo rerum temporalium matutinam nubem, roremq; transitorium requiritis, & gloriam Dei regnumque futurum non attenditis, ego dolaui, id est, multas percussiones feci, in prophetis, qui vobis secundum vestram intentionem adulati sunt & applauserunt, videntes vana & loquentes mendacia. Quales vtiq; fuerunt prophetæ Baal. Ex illis namq; (sicut in regũ libris legimus) Helias Thesbytes, CCCCL. viros vna die interfecit, idemq; magnam illorum multitudinem percussit Iehu, qui domum Achab subuertit. Hoc totum factum est ad imperium domini. Idcirco cum dixisset, Dolaui in prophetis, protinus addidit, occidi eos in verbis oris mei. Hoc rectè factum est, vt qui propter lucrum temporale, & (vt ait alius propheta) propter pugillum farinæ, non solum magnam Dei misericordiam reliquerant, sed & popularem turbam secum deuocabant. Primùm in ipsis dolaretur & occiderentur, & deinde populus in captiuitatem duceretur, matutina misericordia (de qua iam dictum est) & quasi transitorio rore frustratus. Quàm iustè hæc facta sint vel fiant, nunc toto in orbe scitur, vbicunq; lux veritatis est. Sequitur. [Et iudicia mea quasi lux egredientur.] Et est sensus. Sicut caligantes in nocte oculos lux succedens illuminat, sic illis qui hactenus in nocte ignorantiæ fuerant, annunciata iudicia hæc perspicua erunt, vt dicãt. Iudicia domini vera, iustificata in semetipsa. Egredientur igitur iudicia mea quasi lux, id est, quod voluerim aut quid vtile esse iudicauerim ego, manifestius cognoscetur. Quid est illud? Ait. [Quia misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocaustum.] Huius suæ sententiæ memor Dominus semel & iterum apud Matthæum inuenitur. Vbi enim discumbente eo in domo eiusdem Matthæi, murmurabant Pharisæi, dicentes eius discipulis. Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Non est (inquit) opus valentibus medico, sed male habentibus. Statimq; subiungit Euntes autem discite quid sit, Misericordiã volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Item, vbi discipulis eius esurientibus, & spicas sabbatho vellentibus atq; manducantibus, cum dixissent ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere sabbathis. Ait post alia. Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes istos. Ergo cum dicit in hoc propheta, Quia misericordiam volui, & non sacrificium, dignam suorum reddidit causam iudicio rũ, cur suprà inter cætera dixerit, In gregibus suis & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient eum: quia videlicet, neq; secundum corpus, neq; secundum animam misereri nouerunt proximis, prompti sacrificatores gregum, immolatores armentorum. Nam vtranq; misericordiam, scilicet corporis & animæ testatur se voluisse illa, quam cõmemorauimus, euangelica prolocutione. Vbi enim peccatorem siue publicanum recipiens Matthæum dicit, Euntes discite, quid est, Misericordiã volo, & non sacrificium illam patenter misericordiam se requisisse significat, quæ impenditur circa curam animarum. Vbi verò discipulos suos esurientes, & sabbatho spicas vellentes à sabbathi violatione defendit, dicens, Si autem sciretis, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam cõdemnassetis innocentes istos. Ibi profectò misericordiam, quæ proximis in corporum necessitatibus impenditur, sese voluisse testatur. Igitur iudicia Domini vera, sicut lux manifesta sunt, & causa cadit carnalis Israel siue Ephraim & carnalis Iuda, quia certatim sacrificium obtulerunt, quod Dominus non vult, & viscera misericordiæ non habent, quam Dominus vult, quia holocausta multiplicant, quæ Dominus non requirit, & scientiam Dei negligũt, in qua Dominus & creator creaturam rationalẽ voluit semper, & vult exerceri. Non acquieuerunt voluntati eius, non executi sunt ea, quæ ille voluit, scilicet misericordiam & scientiam dei. Hoc est, quod continuò subiungit. [Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.] Et est sensus: Ipsi autem & peccauerunt, & peccatũ suum per superbiam defendendo, mihiq; contradicendo, contra semetipsos, & contra posteros suos immisericordes & crudeles extiterunt. Sed iam in isto secundi huius voluminis, finem facientes sequentis initium ab hoc eodem capitulo sumamus.

Matth. 12.

Misericordia duplex ad proximum vna in anima, alia in corpore.

Psalm. 18.

3. Reg. 18. 4. Reg. 10. Ezech. 13.

Matth. 9.

FINIS LIBRI SECVNDI.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN OSEE PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

Cant. 2.

IN Canticis Canticorum dilectus amicæ suæ loquitur: Ostende mihi faciem tuam amica mea, speciosa mea, colũba mea, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Vocis siue locutionis eiusmodi nunc oportunè reminiscimur, quia videlicet saluo altiori cælestis gratiæ vel amoris gradu, in quo dilectus Christus & amica eius sancta ecclesia cognoscitur, nimirum sapientis cuiusq; animus dilectus, & sancta scriptura amica vel dilecta est illius quicunq; talis est, vt veraciter testimonium sibi perhibeat conscientia, quòd sanctæ scripturæ pulchritudinem veram, & veritatem pulchram diligat. Illius namq; verba sunt hæc. Dixi sapientiæ, soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meam. Dicit ergo nunc animus studiosus, & ipsa scripturæ præsentis admonet difficultas, vt dicat. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Sanctæ huius scripturæ facies nõ nisi sapienti vnquam offensa est, & vox eius non nisi in auribus diligentis vnquam sonuit, neq; alius scire meretur, vox eius quã dulcis, & facies eius quam decora sit. Dicit enim ille qui scripsit. Quis sapiens & intelliget ista, intelligens & sciet hæc? Igitur semen huius dulcedinis atq; decoris authorem spiritum propitium habere operantes, dilectã hanc siue amicam instanter cœpto itinere sequamur, vt faciem eius videre, & vocem audire, id est, & intentionem eius sentire, & verum eius sensum inspicere mereamur. Cum dixisset in hoc propheta dominus, quia misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocaustum, continuò subiunxit. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. Ab isto rursus capitulo populi peccata incipit declamare. Vndè & hic ad memoriã reuocandum est, quia (sicut superius iam diximus) septies hic propheta gentis suæ peccatricis peccata percutit, totidemque vicibus in aduentum siue sacramentum filij Dei sermo eius recurrit, singulosq; cursus in eodẽ terminat. nimirum sapienti atque intelligenti, quia hæc scire meretur. Illud innuens, quỹ iustificari & à peccatis liberari aliter quam per gratiam vel fidem Christi nemo possit. Hac vice prima, quam nunc vsque tractauimus, sic incepit. Non est enim veritas, & nõ est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Tandem in persona Christi venturi, dixit. In tribulatione sua mane consurgent ad me, &c. & tunc demum ad initium redargutionis redijt, dicẽdo, quia misericordiã vo lui, & nõ sacrificiũ, & scientiam Dei plusquã holocaustum. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. Cum enim dicit, quia misericordiam volui, & scientiam Dei, subaudiendum vel reminiscendum est, quod in initio capituli dixerat, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Nunc itaque ordine cœpto processuri, nõ negligenter præterimus, quia duo dixit in versiculo præsenti. Sicut Adam transgressi sunt, ibi prævaricati sunt in me. Breui versiculo & originale peccatum, & actualia tetigit peccata eorum. Dicẽdo namque, sicut Adam transgressi sunt, actualia peccata vehementer accusat, quia colentes idola, & cætera facientes scelera, non quomodocunque peccauerunt, non per ignorãtiam, aut per infirmitatem deliquerunt, sed qui nequissimus peccandi modus est, scienter peccantes, scientes quod mala facerent, recedendo à domo Dauid, & à templo Domini, quod erat in Hierosolymis, vitulosque aureos colendo, peccatum suum defenderunt, contradicendo sanctis prophetis, quoscunque DOMINVS misit. Vndè & superius DOMINVS dicit. Populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti. Hoc nimirum erat ita transgredi pactum, sicut transgressus est Adam. Ille namque & transgressus est, & transgressionem suam superbè defendit, dicendo, mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Porrò subiungendo, ibi prævaricati sunt in me, originale respicit peccatum. Ibi namque cum dicit, subauditur in Adam. Præmiserat enim, sicut Adam transgressi sunt pactum. Et verè in Adam prævaricati sunt, quia (vt Apostolus ait) per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Itaq; cum dicit, ibi prævaricati sunt in me, benè sæpè dictus Apostolus huic in isto quoq; sermone consonat Prophetæ, causando Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, subiungendo etiam hæc, Non est enim distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei. His dictis, cõtinuò de peccato actuali abũdãtius

Prouer. 7.

Huius prophetæ scriptura difficilis.

Osee 14.

Sicut Adã transgressi sunt.

Gen. 3.

Ibi prævaricati sunt in me.

Rom. 5.

Rom. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius agit, scilicet de peccato idololatrię, & aureorum culto vitulorum, quo sicut Adam transgressi sunt pactum, vt iam dictum est. Sequitur enim. [Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine, & quasi fauces virorum latronũ, particeps sacerdotum in via interficientium, pergentes de Sychem, quia scelus operati sunt.] Galaad est ciuitas sita trans Iordanem in tribu Gad, in qua idolum primitus est consecratum. Erat enim & ciuitas fugitiuorum. Sed quanto celebrior, tanto idololatriæ, & malorum omnium principium fuit. Et quia isti idola primùm consecrarunt, vel maximè sicut præsens testatur, in malum adiuuerũt, idcirco primi ab Assyrijs capti & in captiuitatem ducti sunt. Porrò, Sychen ciuitas in continio decem tribuum & duarum, quę postea Neapolis appellata est, vndè tranlitus erat Israelitis in Hierusalem. Vbi solummodo licebat victimas immolari. Tribus ergo temporibus, quibus secundum legis præceptum populus ad templum domini ascendere debebat, sacerdotes illorum ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, vt magis vitulos aureos in Dan, & in Bethel, quam Dominũ adorarent in Hierusalem, & quos reuocare non poterant, in eadem via interficiebant. Sacerdotum illorũ particeps nunc dicitur Galaad, videlicet eo quòd Galaaditæ coniungendo se iniqua fœderatione, & cooperando sacerdotibus in interfectione. Sensus igitur iste est: Si quæras, cur dixerit, ipsi autem transgressi sunt pactum sicut Adam, qui vtique non per ignorantiam, sed scienter per arrogantiam peccauit, & peccatum suum aduersus Deum sese corripientem proteruè defendit. Ecce effectum siue opus manifestum habes malæ defensionis. Nullum deniq; manifestius defensionis est experimentum, quam illos interficere, quibus admissum non placet communiter suscipere peccatum.

Galaad ciuitas in tribu Gad.

Sychen quæ & Neapolis.

Exod. 23. Deut. 16.

Locus interfectionis erat Galaad, mira peruersione, mira supplantatione. Debuerat namque ciuitas esse non interficientium sed ab interfectione liberantium quempiã fugitiuum, secundum legem domini dicentis, Cumque vltor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius, quia ignorans percussit proximum eius, nec ante biduum, triduúmue eius probatur inimicus & habitauit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium, causam reddens facti sui, & moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore. Rectè igitur dicitur, supplantata sanguine, quia perdito vel derelicto constituto pacis, susceperat pro illo commutationem sanguinis. Dicitur & quasi fauces virorum latronum, quia videlicet sicut latrones in faucibus, id est, cauernis, locisque abditis latentes, & expoliant prætereuntes & interficiunt, sic in ea, quæ debuerat esse asylum fugitiuorum, sanguinarij sacerdotes simplicitati populi insidiantes, expoliabant eos fide interficiebant mente, & quos decipere non poterant, vestibus priuabant, corpore necabant. Pro tanto scelere propheta dolens, exclamat. [In domo Israel vidi horrendum. Ibi fornicatus est Ephraim, cõtaminatus est Israel.] Quid enim magis horrendum, quid magis exclamatione dignum, quàm istud accidisse, non in qualicunq; gente aut natione sed in domo Israel, in gente Dei, in parte domini, sicut Moyses loquitur, pars autem domini populus eius, Iacob funiculum hęreditatis eius? Deniq; gentis alterius peccatum in idolis error est. Israelis autem, qui veri & vnius Dei notitiam habuit, legemque accepit tale peccatum horror est. Propterea toties peccatum illius populi fornicationem appellat, & nunc quoque dicit. Ibi fornicatus est Ephraim, cõtaminatus est Israel. Ephraim (vt sæpè dictum est) ipse Hieroboam de tribu Ephraim. Israel verò decẽ tribus, quæ illo peccante, id est, vitulos aureos pro Deo sibi faciente contaminatæ sunt, sequendo illum. Etenim sicut contaminatur adulterio mulier, sic derelicto Deo populus ille cultu idololatriæ contaminatus est. Hæc aduersus Israel, id est, decem tribus dicta sunt. Sed nũ quid tantummodo illis iratus est? Nónne & super Iudam, grandis ira, quam nunc videmus, pro meritis erat vẽtura? Sequitur. [Sed & Iuda pone messem tibi, cum conuertero captiuitatem populi mei.] Ac si dicat, Dixi quidem in initio prophetici huius sermonis quia non addam vltra misereri domui Israel sed obliuione obliuiscar eorum, & domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo & hoc verum est. Nam Israelis, id est, decem tribuum captiuitas, de terra Assyriorum non reuocabitur. tua verò ô Iuda transmigratio de Babylone est reducenda post annos LXX. Veruntamen cum conuertero illam captiuitatem populi mei, cum reduxero illos in terrã suam, qui ex te supererunt digni vt reliquiæ saluentur pro ipsorum fide & meritis, vsque ad plenitudinem temporis, quo conuertenda est vniuersalis captiuitas omnis populi mei, per aduentum saluatoris Christi: tu Iuda pone messem tibi quæ secanda erit, id est, multitudinem filiorum malè natorum, quibus multipliciter pullulabis, scito demetendam esse Romanorum gladijs, sicut nunc, immò magis, quàm nunc decem tribus demetuntur, & transferuntur ab Assyrijs. Quam ob causam? Quibus pro meritis siue peccatis? Ait. [Cum sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati sũt mendacium, & fur ingressus est spolians, latrunculus foris.] Et est sensus. Cum ad saluandum Israel veniissem, illa iniquitas reuelata est, & illa malitia Iudęorum sese expressit, cuius illa iniquitas Ephraim, illa malitia

Galaad supplantata sanguine. Iosue 20. 21.

Deut. 32.

CAP. VII.

Samariæ

Samariæ typus vel præcursio fuit, quãdo relicta domo Dauid, Hieroboã prætulit, relicto Domino Deo, vitulos aureos colere magis elegit. Diligenter prophetiæ huius locũ hunc, quem nunc ingredimur, pertractare conemur, memores illius dicti in fine voluminis, cuius sæpè meminimus. Quis sapiens & intelliget ista, intelligens & sciet hæc, & scientes tanta esse vel talia quæ hic prophetali oculo præuidet ac præscribit, qualia si nudis eloqueretur verbis, nimis intolerabile esset audire hominib. illius temporis, sicut diximus iam in procemio præsentis opusculi. Deniq; peccatum Iudæ in saluatorem, cuius sanguinem fudit, hic mysticè describit, propter quod talia facta sunt, vel fieri deburerunt in eiusdem excidio gentis. Quæ, pspiciés, hic rectè dicat, sed & Iuda pone messem tibi. Cùm (inquit) sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ. Qui nondum sapiens siue intelligẽs est, qualem sanctus prophetiæ spiritus loco iam dicto requirit, nihil aliud significari hic arbitratur, nisi ac si dictum sit: Cùm per Dauid electum meum vellẽ Israel instruere ad cognoscendum verum Deum, & ad tenendum firmiter solius nominis mei cultum legitimũ, iniquitas filiorum Israel magis exarsit, & malitia illorum pertinatiùs insaniuit, nec antè destiterunt, donec ad posteros deriuato regni gubernaculo iugum excussérunt, & à domo recesserunt eiusdem Dauid, & deos sibi fecerunt iuxta mẽtionẽ suæ iniquitatis, iuxta malitiosa desideria cordis sui.

Dauid Christi typũ gessit. Luca 1.

Verùm ille Dauid non solũ pater secundum carnem extitit saluatoris nostri, verũ etiam figuram eiusdem prætulit in mirabilibus gestis. Regnum eius præparatio fuit regni Christi, imò regnum vnum est Christi & ipsius Dauid, iuxta q̃ & angelus ad Mariam de illo dicit. Et dabit illi dñs Deus sedẽ Dauid patris eius. Ecótra, Hieroboã, & qui illum secuti sunt, relinquentes Dauid, typũ gesserunt Iudæorum & pharisæorum, qui Christum negauerunt ante faciem Pilati, & dixerunt: Non habemns regem nisi Cæsarem. Furor ille, quo Christum condemnãtes, petierunt dimitti sibi Barrabam homicidam & seditionis authorem, illi malitiæ similis extitit qua illi, qui sequuti sunt Hieroboam, veritatem Dei in mendacium commutauerunt. Vel (sicut hic scriptum est) mendacium operati sunt, quia veritate contempta, mendacium in vitulis aureis operati sunt, & coluerunt. Igitur in verbis istis similitudinem pariter cõtemplemur & rem. Similitudinem, in illius statu temporis, scilicet in eo quod ille Ephraim, siue illæ decẽ tribus taliter recesserunt à domo Dauid. Rem verò, in aduentu saluatoris, quando Iudæi rebellantes veritati, negauerunt eum, & populus regis huius esse noluerunt. Itaque cùm dicit, Cùm sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraim. Ponamus ante oculos mentis & illũ Dauid patrẽ carnis Christi, & hũc filium eius verũ Dauid, quia videlicet vterq; suo modo Israel sanare voluit, ille Psalterium cõponendo, iste carnem assumendo. Nã psalterium illud manufactũ typum fuisse carnis vel corporis Christi, testatur ipse, cũ in psalmo personam patris ad eundem filium, dũ in sepulchro corpus eius quiescit, loquentem introducit. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara. Et ille respondens, Exurgã (inquit) diluculo. Illo psalterio suo manufacto Dauid Israel sanare voluit, quia nimirum idcirco verba cęlestia cum psalterio cecinit, vt populũ tantũmodo terrena diligentẽ introduceret ad amorem & spem futuri regni, quæ vera sanitas est cordis. Hoc ante illum nemo fecit, vt promissa cælestia verbis enunciaret manifestis, aut pœnas ignis æterni. Hoc ita verum est, vt apud Moysen ferè nusquam inuenias promissiones paradysi vel regnum Dei, neque cõminationes inferni, nominib. manifestis, præter locum vnum in cantico Deuter. vbi sic dicit. Ignis succẽsus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. Omnia clausa sunt sub figuris, & bona quidem æterna sub nomine terræ Chanaan, terræ quasi lacte & melle manantis, mala verò sempiterna, sub nominib. famis, pestilẽtiæ, gladij, malarumq; bestiarũ reddẽda significat pro meritis. Talis nanq; & ita quodammodo puerilis sensus erat carnalis populi in illius statu temporis, vt non nisi præsentia diligere prospera, non nisi præsentia metuere sciret aduersa. Hinc primus (vt iam dictum est) cælestis regni gloriã patenter expresit verbis, addita vi musicæ dulcedinis, & ordine cõposito diuinæ religionis, volente Domino sanare Israel, scilicet vt sano corde terrena paruipẽderet, cælestia magis desideraret. At verò psalteriũ illud, siue hæc cythara, cui pater hoc dixit. Exurge gloria mea, exurge psalteriũ & cythara, multò amplius hoc egit sic aperiendo os suum, vt Matthæus scribit. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c. Nimirum hæc expectationi carnalis Israel valdè contraria sonuerũt, beatificãdo pauperes, mites, lugẽtes, esuriẽtes ac sitiẽtes iustitiã, misericordes, mũdi cordes, pacificos, & persecutionem propter iustitiam sustinentes. Aliter nanque sentiebat carnalis Israel, scilicet beatos esse tantùm illos, qui prosperarẽtur in via huius seculi, quibus veraciter vt essent superbi, immites, siue tyranni ridentes atque exultantes, quamuis in rebus pessimis, inexpertes miseriarum, atque idcirco nescientes cõpati miseris, luxuriãtes omni voluptate cordis & corporis, belligerantes atq; bellicis elatos triumphis, valentes per potentiã quos vellẽt occidere ac persequi. Profectò sensus hic magna erat infirmitas. Ille autem sanare

Psal 50. Celestina. missa Dauid primus explicauit.

Deut. 32.

Matth. 5.

Carnalis Israel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

volebat Israel, vt sanè saperet. Aduersus vtrũq; reuelata est iniquitas Ephraim, id est, persecuti sunt eos omnes illi, qui noluerũt sanari. Primum quis nesciat, quanta Dauid ille regni Dei Psaltes aduersa pertulit, quanta mala passus est ab illis? Vsqueadeo quo gratis illum odio habuerunt: vt filium quoque illius Absolon regem sibi facerẽt, quia non alium habuerunt, quo duce consurgentes regno eum depellerent. Mortuo Absolon secuti sunt Seba filium Bochri, illo mortuo subticuerunt victi & inuiti per sapientiam eiusdẽ Dauid filijq; eius Salomonis, sed deinde mox vbi occasio data est per imprudẽtiam Roboam, ceruices suas excusserũt, regemq; alium & deos alienos, id est, vitulos aureos sibi fecerunt. Hæc fuit iniquitas Ephraim, & hæc malitia Samariæ, quia videlicet Hieroboam de tribu Ephraim malum hoc iniquè gesit, & Samaria, per quam totum eius regnum intelligitur (fuit enim Metropolis decem tribuum) hoc ipsum malitiosè susceptit, scilicet inuidendo domui Dauid, inuidendo & dedignando tribui Iuda, quod sibi tantũ ex illa tribu reges deberent esse destinati. Dixerunt enim quodam loco viri Israel ad regem Dauid. Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & transduxerunt regem & Dominũ eius Iordanem? Et respondẽs omnis vir Iuda, quia ,ppinquior (inquit) mihi est rex. Et respondens vir Israel, decem partibus, ait, maior ego sum. Ita commota seditione quidam vir Belial nomine Seba filius Bochri cecinit buccina, & ait, Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Denique ex dictis & factis huiusce modi palam datur intelligi, quæ nã illa fuerit malitia Samariæ, de qua nunc loquitur hic, quia nimirum scissuræ illius causa fuit inuidentia, quæ veraciter malitia dici potest, quia cuncta malitiosarum machinamenta cogitationum parit. Maximè verò tunc iniquitas, quæcunque sit, malitia meretur dici, quando sic se exercet, vt cum sapientia vel ratione incedere possit videri. Sapienter autem siue rationabiliter Samaria fecisse sibi videri poterat, sequẽdo, regem q; faciendo Hieroboam de tribu Ephraim, quia patriarcha Iacob cum benediceret filios Ioseph Manassen & Ephraim, iste quidem (ait) scilicet Manasses erit in populos & multiplicabitur, sed frater eius iunior, maior illo erit, & semen illius crescet in gentes. Et in Paralippomenon legimus. Ruben quippe primogenitus erat Israel, sed cũ violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph filij Israel. Et quidem pluraliter dixit filijs Ioseph, sed cùm ille (vt iam dictum est) Ephraim iuniorem priori prætulerit, iure sibi tribus Ephraim de primogenitis videbatur gloriari. Itaq; peccatũ Samariæ recedentis à domo Dauid & inuidentis tribui Iudæ, vt ex ea reges aut principes deberent germinari, rectè malitia debuit nuncupari, quia cũ contra veritatem & rationem ageret, rationis & diuinæ authoritatis patrocinio non carere sibi visa est. Et no tandũ, qualiter dixerit huic, reuelata est iniquitas Ephraim & malitia Samariæ. Non di xit, exorta est siue oriri cœpit iniquitas, cũ sanare vellem Israel, sed reuelata est, latebat quamdiu duces, vel principes habebat Israel, qui illum cogerent ad cultum Dei, qualium optimus vel maximus fuerat Dauid. Reuelabatur autem quando morientes decedebant illi, sicut quodam loco scriptura dicit. Cumque Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictionem gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multò maiora faciebant, quã fecerant patres eorum, sequentes deos alienos & adorantes eos. Non dimiserunt adinuentiones suas, & viam durissimam per quam ambulare consueuerant. Eodem modo tunc reuelata est eadem iniquitas, eadem malitia, quando deceſſerat Dauid, quo regnante, non audebat reuelari, imò & multò magis tunc reuelata est, quàm eatenus aliquãdo reuelata fuisset. Prius nanque vrgente aliqua calamitate, & clamantibus illis ad Dominum cum tribularentur suscitato saluatore aliquo, id est, iudice bono, conuertebantur ad dominum, & deos alienos relinquebant. Extunc autem quando sic reuelata est, vt illos facerent vitulos, nũquam ab eisdem vitulis recesserũt sicut manifestè de singulis regibus scriptura dicit, quia à peccatis Hieroboam non recesserunt. Hanc iniquitatẽ siue malitiam adhuc propheticus sermo persequens, protin addit. [Quia operati sunt mendaciũ, & fur ingressus est spolians, latrunculus foris.] Mendaciũ quippe sunt operati, dicendo de vitulis, qui vtique non erant dij, Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Ad illud opus, vt fieret, & diabolus inuisibiliter, & Hieroboam visibiliter operatus est. Pulchrè ergo & veraciter dictum, Fur ingressus est spolians, scilicet diabolus animas furtim deuorans, per inspiratam occultè malitiam, & latrunculus foris, videlicet Hieroboam latro visibilis, qui foris, id est, exterius idola fabricans, extra domum siue partem domini, & peccare faciẽs Israel, nimirũ grande & crudele latrocinium fecit. Diximus, qualiter illo tempore regnãte seu iam decedente Dauid, iniquitas Ephraim & malitia Samariæ reuelata fuerat, cùm sanare vellet Dominus Israel: Dicamus nunc, qualiter nouissimo tempore, cùm in aduentu suo saluator itidẽ Israel sanare vellet, similis iniquitas vel malitia, imò & multò maior se cundũ similitudinẽ illius reuelata sit. Cùm (inquit) sanare vellẽ Israel, dicat hoc sanator & saluator Israel, sanitatis illius author,

Odium Israel contra Dauid.

2. Reg. 15.

2. Reg. 19.

Malitia Ephraim.

Gen. 48.

1. Para. 5.

Antiqua malitia Israel.

Iudic. 2.

3. Reg. 12.

Osee 6.

de qua

de qua cùm præmisisset paulò antè dicens ipse, In tribulatione sua manè consurgent ad me, verba ipsorum cõsurgentium protinus intulit hoc modo, Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, & sanabit nos, de qua sanatione siue sanitate, id est, peccatorum remissione, primaque resurrectione, quæ est resurrectio animæ iam eodem loco dictum est. Cùm enim illa sanitate sanare vellet Israel, deus homo factꝰ præsentialiter atq; visibiliter incipiẽs prædicare, & sic dicere, Pœnitẽtiã agite, ap,ppinquabit eñ regnũ cælorũ, tunc reuelata est iniquitas Ephraim & iniquitas Samariæ. i. illa iniquitas Iudæorum, illa malitia Scribarum & Pharisæorũ, cuius typus extitit illa iniquitas Ephraim, & illa malitia Samariæ, de qua iam secundũ literam vel historiam dictum est. Exagitauit enim illos spiritus nequam, vt pœnitẽtiæ doctorem cũ verbo prædicationis, opera quæ nemo alius fecit facientem, deriderent, persequerentur, & blasphemarẽt. Exempli gratia, dicendo, Dæmonium habes. Item que, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Non enim placebat illis Christus talis prædicator, pœnitentiæ doctor, pauperta tis persuasor, atque exemplar humilitatis, magister mansuetudinis, monitor ad lugendum pro peccatis, declamator iustitiæ, & cõquisitor misericordiæ, munditiæ cordis collaudator, pacis remunerator, & eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam consolator. Quare? Quam ob causam talia prædicantem repulerunt, odio habuerunt, atque impugnauerunt? videlicet, quia cuncta his contraria sapiebant & diligebant, talemque sibi cupiebant aduenire Messiam, qui illos in hoc seculo extolleret, gentiumq; pacem eo vsque turbaret, donec omnes fines terræ ditioni illorum per bella, bellorũ que triumphos subiugaret, aureamque ac gemmatam illis Hierosolymam in terris construeret, atq; in cæteris his similibus eorum cupiditatem omnino, sicut litera prophetica plerisque in locis sonare videtur, corporaliter expleret. Talem illorum intẽtionem sensumque ipse quodam loco breuiter exprimens, Quomodo (inquit) potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo deo est, non quæritis? Persecuti sunt ergo sanare volentem, tanquam phrenetici medicum percutientes antidotum porrigentem, nec antè destiterunt, donec tradentes illum negarent ante faciẽ Pilati, præeligentes Barrabam latronem, autorem seditionis, eundemque regem suum postulantes crucifigi. Hoc modo reuelata in illis, immò impleta ab illis est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, & sic impleuerunt mensuram patrum suorum, & sic reuelauerunt, ac testificati sunt, quòd essent consentientes patribus eorum. Nam quod inceperunt illi, recedendo à domo Dauid, & occidendo prophetas Domini. Hoc isti ad impleuerunt, crucifigendo filium Dauid, filium Dei, & deinde occidendo, crucifigendo, flagellando, & de ciuitate in ciuitatem persequendo prophetas & sapientes & scribas, quos ille misit. In omnibus his operati sunt mendacium, mentientes aduersus eundem regem suum, quem negauerunt, & velut malum ac seductorẽ accusauerunt. Perspicuum quoque illud est in illis, quod sequitur, Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. Fur namque Iudas proditor, & latrunculus cœtus pharisaicus extitit. Iudas namq; loculorum domini erat fur, sicut Euangelista testatur, quia fur erat & locu los habens, ea quæ mittebantur, portabat. Porrò Pharisæi & sacerdotes in templo latrocinabantur, prædam de populo facientes, vendendo & emendo. Vnde cùm eijceret eos, sumptũ de Esaia testimonium protulit dicens, scriptum est. Domus mea domus orationis vocabitur, & mox illud de Hieremia subiunxit, Vos autem feciſtis illam speluncam latronum. Ille fur intus inter discipulos domini Iesu, pseudodiscipulus & fictus amicus, & ille latrunculus foris, id est, manifestus hostis, consilium simul inierunt, & (sicut iam dictum est) mendacium operati sunt, cuius videlicet mendacij maximus opifex Caiphas, sic mentitus est, toto conspirante illo concilio malignantium ad decipien dum miserum populum: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, ne fortè veniant Romani, & tollant nostrum, & locum & gentem. Adeòc sanareũ vellet Dñs Israel, ille more suo sanari noluit, sicut alijs verbis declamans dicit: Hierusalẽ Hierusalẽ, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Sequitur. [Et ne fortè dicant in cordibus suis, Omnem maliam eorum me recordatum, nunc circũdederunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt.] Magna & vera confirmatio iusti iudicij Dei siue vltionis, quam præmiserat dicens, Sed & Iuda pone messem tibi, messem (sicut iam dictum est) appellãs illius immensitatem excidij, qua à Romanis erant perdendi. Ne fortè (inquit) dicant in cordibus suis, Omnem malitiã eorũ me recordatum. Ac si dicat: Ne fortè murmurẽt, & quasi iniustam reprehendant sententiam dicentis, Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vt quod vindicatum est in patribus, iterum vindicetur in filijs, omnis causa illis tollitur iustæ reprehensionis. Solent namque Iudæi aduersus huiusmodi respondentes dicere nobis. Cur hoc tẽpore vindicari in nos arbitramini, in quod olim vindicatũ fuit? Exempli gratia. Cũ dicimus eis, Illud

Fur Iudas latrunculus cœtus pharisaicus

Ioan. 12.

Matth. 21.

Esa. 59.

Hier. 7.

Ioan. 11.

Matth. 23

Ioan. 5.

Matth. 23.

Cur nõ placuit Iudæis Christus.

Ioan. 8.

Matth. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque peccatum, quod olim in deserto fecerunt patres eorum, faciendo vitulum & adorando illum, hoc tempore visitari super illos, quando sic excæcati sunt. Respondent nobis. Illius malitiæ tunc Dominum fuisse recordatum, siquidem tunc ex illis in vna die viginti tria millia ceciderunt Hæc dicētes, non aduertunt, quia postquam illud factum est per manus filiorum Leui, quibus & Moyses ait, Consecrastis manus vestras hodie Domino vnusquisq; in filio & fratre suo Deinde cùm oraret Moyses dicens, Dimitte eis hanc noxam, ipse respondens, Angelus (inquit) meus præcedet te, ego autem
Exod. 32. in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Igitur ne fortè dicant (ait) in cordibus suis, Omnem malitiam eorum me recordatum, id est, singula quæq; peccata temporibus suis punisse me, atque idcirco non debere nunc omnia venire super generationem istam, dico illis, quia nunc circumuenerunt eos adinuentiones suæ, videlicet quasi longus funiculus, quia cuncta priorum generationū peccata imitati sunt, & illæ adinuētiones corā facie mea factæ sunt, quia nulla pœ-
Longus funiculus peccatorum in Iudæis. nitentiæ satisfactione illa delere curauerut. Tales sunt adinuentiones eorum, quæ illos circumuenerunt, taliter causas mortis in vno homine adinuenerunt, & meritò dictum sit, & meritò fieri debuerit illud dictum, Venient hæc omnia super generationem illam. Omnibus enim, quicunq; à sanguine Abel iusti iustos homines vel prophetas occiderunt similes sese fecerunt Cain, qui Abel iuterfecit, similes Saul, qui Dauid persecutus est, & propter illum sacerdotes Domini, LXVXV. viros trucidauit, & ciuitatem
Gen. 4. illorum percussit in ore gladij, similes Iezabel & Achab, qui Naboth iustum & cæteros prophetas Domini occiderunt. Atque idcir
1. Reg. 21. 3 Reg. 2. co rectè iniquitates illorum, & omnium, quicunque tales extiterunt, isti in generatione sua portauerunt. Quænam sunt adinuentiones illæ quæ eos circumueneruut, & per quas omnibus illis similes sefecerunt? Ait. "[In malitia sua lætificauerunt regem, & in "mendacijs suis principes. Omnes adulteran-"tes, quasi clibanus succensus à coquente. "Quieuit paululum ciuitas à commixtione "fermenti, donec fermentaretur totum. Dies "regis nostri. Cœperunt principes furere à vi"no. Extendit manum suam cum illusori-"bus, quia applicuerunt quasi clibanum cor "suum cùm insidiaretur eis. Tota nocte dormiuit, coquens eos, manè ipse succensus, quasi ignis flāmæ.] Quis iste fuit rex & qui isti principes, quos & in malitia sua, & in mendacijs suis lætificauerunt adulterantes, sic succensi, quomodo succenditur clibanus à coquente? Et quidem sensus est vtilis, qui & si non palam inuenitur, in gestis tamen potest conijci, quòd ita factum sit. Rex Hieroboam & principes eius, qui fauentes illi ad omne facinus paruerūt, hoc modo lætificauerunt. Mysterium propheticum de nece saluatoris, de quo nūc loquebamur, paululum differimus, ne coniecturam vtcunque rationabilem atque probabilem nos neglexisse videamur. Omnes adulterantes, id est, à proprio viro, Deo, recedentes, *Hieroboā regis astutia.* quasi clibanus à coquente, quia sicut clibanus succenditur vt coquat panes, ita illi succensi sunt malitia Hieroboam & igne idolatriæ. Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. Fabricatis quippe idolis, non vim fecit Hieroboam populo, vt ea coleret, ne fortè quibusdam causa Dei religionis resistentibus, cultura idolorum euacuaretur: Ideoq; paululum quieuit ciuitas, donec propria voluntate populus regi consentiret, vt primū principes, deinde satellites illorum regi & principibus fauentes, ad vltimum omnis populus currumperetur. Et hoc est quod dicit donec fermentaretur totum. Quæ enim spō te fiunt, diu permanent, quæ autem necessitate citò soluuntur. Hoc considerans Hieboam, maluit spontè, quàm coactè populum subire nouam idolorū cultura. Itaq; succēsa toti populi massa in veneratiōe vitulorū, cœperūt dicere ad fores Hieroboā. Dies regis nostri, subauditur, iste est, & quē nobis festiuū noster cōstituit imperator. Hunc celebramus, in hoc gaudem⁹, in hoc vitulos aureos adoramus, ita clamante populo, cœperunt (inquit) principes furere à vino. i. non solū nō sunt irati, q debuerant rectores esse populi, sed insuper intelligentiā suæ mētis amittentes, cœperunt furere à vino, videlicet amētiā pasi, tam luxuriæ quā idololatriæ. Quid ad hæc ille Rex? Extēdit (inquit) manum suam cum illusorbus, quia applicuerūt quasi clibanū cor suū, cū insidiaretur eis. Illusores quippe erāt principes, q populo nequiter illudebāt, eumq; à Deo suo longè abducebant, errori eius consentiendo, gratulātes quòd applicuissent cor suum quasi clibanum, vt eos succenderet ille rex, & idololatriæ flammis ardere faceret. Cum illis illusoribus, cum eiusmodi principibus manum suam extendit, quasi benedicendo & pro facili consensu grates agendo, cùm insidiaretur eis, id est, cū iniquum penes se haberet consilium, vt eos omnimò auerteret à templo Domini, ne pergendo Hierosolymam causa adorandi & sacrificandi, paulatim respiscerent, & vnum eundemque cum *1. Reg. 12.* Iuda regem rursus susciperet, talia machinando, tota (inquit) nocte dormiuit, coquens eos, manè ipse succensus quasi ignis flāmæ. Et est sensus, postquam ignem malitiæ cordibus eorum immisit, & vidit eos furere, nullumque esse qui suæ resisteret voluntati, tota nocte dormiuit, hoc est, securus iacuit, versutus in tenebris, coquens eos igne impietatis, mane autem ipse succensus flammis suorum scelerū venit ad immolandum. Hæc secundum coniecturā magis quàm secundum historiam de præterito tempore narrata vtcunq; valeant, nos illud attendentes, quia propheta est, & tantæ profunditatis sibi conscius, vt in fine voluminis dicat illud, quod iam sæpè commemoratum est. Quis sapiens & intelligat ista, intelligens & sciat hæc? Nos ad mysterium
Mystica de Christo expositio textus. saluatoris supra cœptum recurramus, & in futurum tempus respicientem prophetam, intellectuali oculo sequi contendamus. Istę sunt adinuētiōes eorū, adinuētiones Iudęorū, q̄ illos circūuenerūt, quas effugere nō potuerūt, ꝓpter quas bellica Romanorū falce vt secarentur, vt arida messis, iudicati atq; dānati sunt. In malitia sua lætificauerunt regē, & in mendacijs suis principes, omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.
Esa. 1. Isti adulterantes illi sunt, quorum scelus alius propheta præuidens. Audite (inquit) verbum Domini principes Sodomorum, percipite aurib. legem Dei mei populus Gomorræ. Præuidebat nāque sacrilegium Iudæorum, & illam noctem qua insanierunt aduersus Dominum & aduersus Christum eius, non sine quadam similitudine Sodo-
Sodomorū similes Iudæi in nocte paschali. morum. Nota quippe vetus historia est, quia cū hospitaretur Dominus apud Loth, viri ciuitatis vallauerunt domum ipsius ipsa nocte, à puero vsque ad senem, omnis populus simuli vocauerunt Loth & dixerunt ei. Vbi sunt viri qui ad te introierunt nocte, &c. Secundum similitudinem illorum, isti quasi clibanus succensi à coquente diabolo, illa nocte paschali post esum agni sui, crapulati & ebrij circundederunt dominū, & tenuerunt eum, vt traderent gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. In illa malitia sua lætificauerunt regē.
Ioh. 19. Pilatum rectè regē dici. Actor. 4. Quem regem? Vtique Pontium Pilatum siue etiam ipsum Cæsarem, quem se lætificare putauerant adulando, & dicendo, non habemus regem nisi Cæsarem. Nam Pilatū rectè hic regem dici confirmat illud de Actibus Apostolorum, vbi cùm dixissent fideles, orantes, Domine tu qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis, qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt iniania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius, continuò subiunxerunt. Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus, & populus Israel. Reges illos, de quibus scriptū fuerat, astiterunt reges terræ, Pontium Pilatum & Herodem ille scripturæ locus testatur fuisse. Et rectè, tetrarchæ em̄ erāt, id est, singuli quartæ partis regni Iudaici reguli isti. Pontius Pilatus, Herodes, Philippus, &

Lysanias, illum talem suum regem in malitia sua Iudęi lætificauerunt, in eo quod Dominum Iesum comprehenderunt, eiq̄ue crucifigendum tradiderunt. Loquebatur quidem verba quasi tristia, dicendo: Ego in eo *Mendax Pilatus.* nullam inuenio causam, & cætera his simi-
lia, lauans etiā manus suas & dicens: Mun- *Matth. 25* dus ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis, sed mentiebatur homo expers veritatis, & propria possessio mendacij. Etenim is qui, dicente Domino, ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati, omnis qui est ex veritate, audit meam vocem, continuò procaciter dixit, quid est veritas, & non expecto respō so, iterum exiuit. Quàm longè putas à ve- *Ioan. 18.* ritate, & quā mendax extitit? Immò non solùm mendax, verumetiam simulator & callidus, simulans iustitiam quasi pius, cùm impiè lætaretur. Dicet aliquis. Quæ causa vel necessitas illi erat, vt cùm lætaretnr, tristitiam simularet? Nimirum Romani imperij, quæ tunc vigebat, secularem iustitiam ti- *Cur simulabat iustitiam Pilatus.* mebat, ne vocaretur in ius, eò quòd homi-
nem occidisset innocentem, pœnamq; subiret homicidij. Quod tamen postea conti- git. Hic erat timor eius, quem & Euangelista memorat, vbi cùm dixissent Iudæi, nos legem habemus & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit, continuò subiunxit, Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Sed adhuc videtur il- *Ioan. 19.* lum excusare dominus ipse, cùm dicit. Pro *Maius peccatum Iudæorū, quā Pilati.* pterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Non excusat homicidam, sed in com parationem eius Iudaicum scelus magis con demnat. Pilatus namque, qui neque legem, neq; prophetas accepit, sic in nece Domini accusatur tāquam reus homicidij, quia nihil aliud, quàm hominem illum esse scire potuit. Iudæus autem ex lege & prophetis cōuincitur, quia non tantum hominem, sed & regem & Deum suum tradidit, ac perinde maius peccatum habet, de quo & excusationem non habet. Igitur in malitia sua lætificauerunt Pilatum regem siue tetrarcham, aut præsidem, immò non tantùm regem, sed & reges, Pilatum & Herodem. Vt *Luc. 23.* enim cognouit Pilatus (ait Euangelista) q̄ de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes viso Iesu, gauisus est valdè, scilicet visu miraculorum eius sperans regiam ac superbam oculorum suorū curiositatē pascere vel satiare. Sequitur enim. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò q̄ audierat multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Cūq; nihil responderet, spreuit illum Herodes cū exercitu suo, & illusit, indutumq; veste alba, remisit ad Pilatū. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die. Nam antea inimici erant ad inuicem. Hæc fuit lætitia illorū,

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuenire in amicitiam & consensum ad illudendum & perdendum Dominum. Porrò principes, quos in mendacijs suis itidem lætificauerunt, maximè principes sacerdotum Annas & Cayphas extiterunt, qui iniquè lætabantur, quando secundum voluntatem ipsorum turbæ mentiebantur, clamãtes illum seductorem magnũ, malefactorẽ, dicentes, quia inuenimus hunc subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & cætera his similia. Quieuit (inquit) paululum ciuitas ex cõmixtione fermenti donec fermentaretur totum. Festiuitas Iudæorum, qua imminente Dominus quærebatur ad occidendum, notum est quia festiuitas erat azimorum, & ab illa vespera, qua traditus est vsque ad diem octauum, iuxta præceptum legis fermentatum non inueniebatur in domibus eorum. At illi fermentati in semetipsis erant ferméto veteri, fermento malitiæ & nequitiæ. Opportunè ergo tunc ciuitas habuisse denotatur commixtionem fermenti, quando vanissimè cauebat exterius fermẽtum in panibus, & nõ timebat fermentari intrinsecus malitiosis & sanguineis apparatibus. Ab eiusmodi fermentati commixtione paululum ciuitas conquieuit, quia postquam illo consilio malignantium fuere fermentati, cogitantes vt interficerent eum, paululum se continuerunt & quieuerunt Iudæi Hierosolomytani, propter turbas, quæ ascenderant de ciuitatibus vel regionibus alijs, quæ & susceperunt illum cum ramis palmarum, clamantes, Osanna filio Dauid. Hinc est illud, quòd cùm consilium fecissent, vt eum dolo tenerent & occiderent, Dicebant (inquit Euangelista) Non in die festo, causamque subiungit. Ne fortè tumultus fieret populi. Quod vtique nõ dicebant intentione religionis, vt haberet festiuitas ornamentũ pacis, sed ne de manibus eorum tolleretur auxilio eius, qui ad diem festum conuenerat, populi. Nam vbi traditor accessit, qui traderet illum sine turbis, in ista festiuitatis nocte exierunt ad comprehendendum illũ, contra morem religionis, contra edictum legis. Cũ enim dixisset lex, fasciculumq; hysopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & vtrunque postem. Istud quoq; addidit, nulluſq; vestrũ egrediatur hostium domus suæ vsq; manè. Ita malè & maligna intentione ciuitas, quæ epulari debebat in azimis, quieuit, ex quo fermentari cœperat cõmixtione illius fermenti, & commixtum fuerat maligni collectione cõcilij, agentibus hoc senioribus & scribis & pharisæis, & Principib. sacerdotũ, vt quiesceret donec fermentaretur totũ. i. donec magis ac magis omnes in eundem confirmarentur iniquitatis consensum. His dictis repentè propheta voces eorum, qui Dominum comprehenderant, horribiles inclamat, Dies regis nostri. Puta illos dixisse. Honor regis nostri, honor & fidelitas Cæsaris, non enim habemus regem, nisi Cæsarem, & illi honorem in hac die fecimus, capiendo hunc qui prohibebat tributa dari Cæsari. Dies hic memorialis illi sit, pro cuius honore & fidelitate istum, qui se dicit regem esse, illudimus, conspuimus, spinis coronamus, flagellamus, crucifigimus. Hęc & huiusmodi dicentes, cœperunt (inquit) principes furere à vino. Veraciter animo cœperunt furere, quia non ieiuni aut sobrij manè, sed crapulati & ebrij comprehenderunt illum in vespera, clauso iam die, in illa festiuitate, in illa paschali nocte, quando nimirũ delectabile illis de more fuisse nemo ambigat, opulẽter cœnare atque affatim potare. Poti & pleno vẽtre resoluti, modũ furori nescierunt ponere, persequentes hominem inopem & mendicum, & compunctũ corde mortificare. Hinc illud est inter cætera in persona eius dictũ. Aduersum me loquebantur siue exercebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum. Biberant eñ (vt iam dictum est) illa nocte vinum, atq; perinde ebrietate augẽte furorẽ, psallebãt in eũ, psallebant (inquã) non sicut Dauid laudẽ Dei, sed strepebant vocibus horrisonis, opprobria decantantes & blasphemiam nominis Dei, sicut ait ipse. Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Sequitur. Extendit manum suam cũ illusorib. qui applicuerunt quasi clibanum corsuũ, cũ insidiaretur eis. Tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipse succensus quasi ignis flammæ. Quis extendit manum suam cum illis illusoribus? Nimirum Pilatus iam dictus. Quomodo extẽdit manum suam? Profectò cohortẽ mittendo ad capiendũ dñm, sicut testatur Euangelista cũ dicit. Iudas ergo cũ accepisset cohortem, & à Pontificib. & Pharisæis ministros, venit illuc cũ laternis & facib. & armis. Nã cùm sic distinguit, cùm accepisset cohortẽ, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, palam dat intelligi, quia ministros quidem à Pontificibus & Pharisæis accepit, cohortem verò à præside, penes quem & cohortes & cæteri militares imperij Romani erant ordines. Itaq; manũ suam extendit cum illusoribus, manum vtiq; militarem, id est, cohortẽ misit, Pharisæis & Pontificibus suos pariter ministros mittentib. Et rectè hic illusores appellantur, quia nocte illa, cùm tenuissent dominũ, illuserunt eum, expuendo in faciẽ eius, colaphis cædendo, & palmas dando in faciem eius, & cętera faciendo, quæ in Euangelio legimus. Qua fiducia fretus, taliter extendit manum suam? Quia applicuerunt (inquit) quasi clibanũ cor suum, id est, quia bene conscius erat, quòd per inuidiã tradidissent eum. Illo inuidiæ confisus incendio manum suam extendit, in eo quòd ad compre-

Deut. 16. *1. Cor. 5.* *Ioan. 11.* *Non in die festo.* *Exod. 12.* *Iudæi furõtes à vino.* *Psal. 108.* *Psal. 68.* *Pilatus mãnũ extẽdit*

comprehendendum illum, cohortem misit cum insidiaretur eis, id est, ita, vt insidiaretur eis, ita vt flammam inuidiæ magis ac magis accresceret faceret in eis. Dicebat enim. Quid igitur faciam de Ie sũ, qui dicitur Christus? Item, cum adduxisset eum foras & sedisset, pro tribunali. Ecce (inquit) rex vester. Clamantibus illis, tolle tolle, crucifige eum. Regem vestrum (inquit) crucifigam? Talia dicẽdo nimirum insidiabatur eis, id est, hoc agebat, vt inuidiæ flammam magis ac magis augesceret in eis. Et vide nequitiam homi nis mendacissimi, callidi, & insidiatoris. Tota (inquit) nocte dormiuit coquens eos, manè ipse succensus, quasi ignis flammæ. Qua nocte tota illa dormiuit? Nimirum eadem nocte qua manum suam extendit, id est, cohortem misit. Nusquam enim affuit persona eius vel interfuit tota nocte illa, qua illi velut clibanus succensi, furiosè in illum ardentes insanierunt, conclamando, conspuẽdo, colaphis cędendo, palmis in faciem eius dando. Inter hęc intùs continuit se vsq; manè, & tunc apparuit ipse succensus quasi ignis flammę. Siquidẽ manè facto (inquit Euangelista) vinctum adduxerunt eum & tradiderunt Pontio Pilato præsidi, videlicet consiliũ ineuntes, vt eũ morti traderent. In illo consilio is, qui tota nocte dormierat, Pilatus quasi ignis flammæ succensus in verba prorupit, ardens, pariter & succendens, & ardentes instigans verbis supra memoratis, ne ab illo, quo ardebant, inuidiæ in "cendio refrigesceret. Quid multa? [Omnes "calefacti sunt quasi clibanus & deuoraue"runt iudices suos.] Omnes (inquit) calefacti sunt, seditio conualuit, & vidit ipse Pilatus, imò videre gauisus est gaudio maligno, qd seditio conualesceret, nihilq; proficeret cogitando, quòd vllam in eo causam inueniret & fingendo mirari se, quòd instarent, vt regem ipsorum crucifigeret. Ita omnes calefacti flamma zeli & inuidiæ, quasi clibanus, omnes, inquam, principes sacerdotum & ipse Pilatus, scribæ & Pharisæi, persuadentes turbis Iudæorum conclamantes, milites præsidis illudentes, & omnia, quæ scripta sunt peragentes. Sed quid? Et deuorauerunt, inquit, iudices suos. Miro modo dictum, qd iudices suos deuorauerunt. Væ deuoratoribus illis, quia deuorauerunt, id est, condemnauerunt illos, à quibus iudicandi sunt. Iudicum primus ipse est Dominus Iesus Christus, venturus iudex viuorum & mortuorũ cæteri verò iudices Apostoli sunt, quibus ipse locutus est, Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Istos, quantum in ipsis fuit, deuorauerunt, quia videlicet ipsum Dominum sic se occidere putauerunt, vt omninò moreretur & periret nomen eius: Apostolos autem in fugam conuerterunt, & maximum ex illis Petrum negare compulerunt. Igitur miseri, atq; à misericordiæ forib. excludẽdi, mira in felicitate illos deuorauerũt, quos iudices habituri sũt illos iudices habituri, quos deuorarũt, quomodo vel inquantũ potuerũt. Sequitur. [Omnes reges eorũ ceciderũt, nõ est qui "clamet in eis ad me.] Hoc & de illius tempo"ris statu, quo vitulos aureos coluerunt, & de tempore iam dictæ passionis dominicæ rectè intelligendum est. Nam & tunc ita cæciderunt omnes reges decem tribuum, vt non esset vel vnus, qui recederet à peccatis Hieroboam. Et itidem, quando Christum condemnauerunt, ita reges eorum ceciderunt, ita rectores vel principes eorum excęcati sunt, ac velut rami fracti corruerunt, vt non sit in eis qui clamet ad dominum. Clamant quidem, sed non ad dominum, immò contra Dominum, blasphemãdo Christum Deum & dominum. Quod & si extunc clamare & sacrificare contendunt, resultat eis illud propheticum: Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiã. Manus. n. vestrę sanguine plenę sunt, ita cadẽdo quales facti sunt? Ait. [Ephraim "in populis ipse commiscebatur.] Ephraim "ois ille dicitur, qui recesit à domo Dauid, magis aũt ille popul', q crucifixit Christũ filiũ Dauid, qa veraciter sic faciendo recesit à domo Dauid. Sed & de hac & de illa recessione iã diximus, quia hęc illi similis est, imò illic cœpta recesio, hic consummata est. Ergo Ephraim, id est, omnis carnalis Israel & carnalis Iudaismus, apud quẽ nõ est Dauid, neq; semẽ eius Christus, in populis cõmiscebatur & cõmiscetur, id est, inter gentes reputatur. Nã cõtrà Israel verus, inter gentes reputatur, sed habitat solus, iuxta illud. Populus solus habitabit, & inter gentes nõ reputabitur. Item & Moyses benedicendo loquitur. Habitabit Israel confidenter & solus. Hic Israel sanctus & mundus est. Is autem, qui nomine Ephraim in præsenti loco denotatur, immundus est & sordidus, in populis commixtus. Hoc est quod sequitur. [Ephraim factus est subci"nericius panis, qui non reuersatur.] Quod "idem est ac si dicat. Inuidiæ flammis quasi in clibano decoctus, sub cinere peccatorum suorum premitur, & ad pœnitentiam non conuertitur. Nam sicut panis subcinericius, à cinere non emundatur, nisi reuersetur. Ita Iudaicus populus, qui (vt sæpè iam dictum est) veraciter recesit à domo Dauid, atque idcirco à nomine Ephraim per spiritum Propheticum denotatur, à peccatis suis non liberatur, quia ad fidem Christi non conuertitur. Itaque in populis commiscetur, populorum nominibus, quibus commixtus est & similis factus est, iure censetur, iuxta illud: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua CHETEA. Nec verò tantummodo in populis commiscetur,

Matt. 27. *Iohe. 19.* *Matth. 27.* *Iudices, Christus & Apostoli.* *Ephraim.* *Israel vetus.* *Num. 23.* *Deut. 33.* *Ezech. 16.* *Matt. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verumetiam in malis meritispræfertur. Exempli gratia, cum dominus dicit. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic. Et his similia. Diligenter verba propheticæ veritatis persequamur, quib. iste Ephraim "vehementer culpatur. [Comederunt alieni "robur eius, & ipse nesciuit. Sed & cani effusi "sunt in eo, & ipse ignorauit.] Verè manifestum est, quia comederunt alieni robur eius, id est, abstulerunt omnem dignitatem regalem siue principalem, qua olim tanquã in iuuentute sua roborabatur. Ecce enim hodie non est illi rex neq; princeps aut dux, & ipse (inquit) nesciuit. Quid nesciuit? Nimi
Gene. 49. rum illud quod non nescire, sed magnopere scire debuit, quia non prius comederetur non prius omninò deuoraretur, tale illud robur eius, donec veniret verum robur & verè princeps fortitudinis Christus. Sic enim Patriarcha Iacob fuerat prælocutus. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est. Quo tempore venit ille, quem venisse credimus, natum ex utero virginis, quem negauit iste Ephraim, factum est istud. Alieni, scilicet gentiles Romani, commederunt robur eius, id est, regnum eius ablatum tradiderunt suis satellitibus, scilicet Herodi & posteris eius, & postmodum venientes insuper tulerunt locum & gentẽ illius. Hoc ipse nescuit, imò nescire voluit, vt diceret aut dicat quia Christus iam venit, si verus est sermo quem tantus patriarcha dixit. Nec verò taliter comederunt alieni robur illud, vt possit recuperari, sed ita vt irrecuperabile sit Hoc est quod ait, Et cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Ac si dicat: Sicut homi-
Spes Iudæorum vana & fallax. ni præsenectute canescenti iam non est spes vt recuperetur in eo robur iuuentutis. ita populo illi, ex quo regnum sic perdidit, nõ est spes recuperandi, nisi illa quæ vana est, & fallax erit, & frustrabitur eum, quando videlicet pro Christo suscipiet Antichristum. Hoc ipse ignorauit, canos istos in semetipso non attendit. Vir autem quicunque verus Israelita extitit vel nunc est, ipse non ignorat, quia sic senuit & incanuit Ephraim, vt iam non sit sicut heri & nudiustertius, quando toties victus vel captus ab hostibus post fatigationem captiuitatis regnum quasi iuuenile robur recuperare potuit. Eruditus homo canos istos sic intelligit, vt ad similitudinem respiciat Abrahæ senis, & Saræ iã iam decrepitæ matris. Sicut enim illi tunc Isaac genuerunt, quando in illis cani effusi sunt, cum antè Sara sterilis fuisset, ita tunc demum Christus nasci debuit de populo illo, quãdo regno ablato inualidus factus est.
Supra 4. Quomodo hæc ipse nescuit, aut quomodo ignorauit? Malo nimirum & pessimo insciti æ, vel ignorantiæ modo, nolendo intellige re, nolendo scire, repellendo scientiam hanc sicut superius Dominus dicit: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Ergo quod dicitur, & ipse nescivit, & ipse ignorauit, idẽ est, ac si diceretur propter culpam superbiæ cæcatus est, quia scire cõtempsit. Vnde & protinus subditur. *Rom. 11.*
[Et humiliabitur superbia Israel in faciem eius.] Superbia namque Israel palàm nunc est quod in faciem eius humiliata sit, quia propter superbiam contigit cæcitas in Israel, vt Apostolus ait: Velamen quod positũ *2. Cor. 3.*
est super cor eorum, sicut præsignabat velata exterius facies Mosi, humiliatio superbiæ Israel est. In conspectu omniũ, qui reuelata facie contemplantur gloriam domini, humiliatio quæ propter superbiam contigit, cognoscitur in facie eius, in corde & sensu eius. Præterea sic quoque humiliata est eadem superbia in faciem eius, vt tuncab Assy *Seruitus Iudæorum.*
rijs & Babylonijs captiuitatis iugo premeretur, pro eo quòd prophetas occidit, & post ea miserabilius à Romanis disperderetur, pro eo quòd prophetarum dominum Christum crucifixit. Quamuis in eadem humiliatione ceruicem subrigeret aduersus dominum, dicendo, semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam, tamen nihilominus serui peccati, sub hominibus quoq; seruile iugum ferebant, Romanis seruiebant, *Ioan. 8.*
vt cæteris regnis seruierant, & seruitutis eiusdem graue adhuc experimentum capere habebant, cadentes in ore gladij, & in oẽs gẽtes ducti captiui. In his omnibus humiliatur quidem sed nihilominus perseuerat superbia, dum in synagogis suis ipsum quem experti sunt victorẽ Christũ blasphemãt. Hoc est, quod sequitur. [Nec reuersi sunt ad Do,,
minum Deũ suũ, & non quęsierunt eum, in,,
omnib. his.] Verè durę ceruicis popul⁹, qui,,
tot flagellis coercitus, ad dominũ nõ reuerti
tur. Super hoc admirans ipse Dominus in
Esaia loquitur. Super q; percutiã vos vltrà *Esai. 1.*
addentes pręuaricationẽ. Nimirum velut di
strictus dominus, cũ omnes virgas & flagella cuncta castigando consumpserit, miratur
seruum incorrigibilem & contumacem.
Vndè hoc? Videlicet quia velatum & obdu
ratum habent cor, immò quia nec habent
cor. Sequitur enim. [Factus est Ephraim",
quasi columba seducta, non habens cor.] In",
eo, quod non absolutè ait, factus est quasi
columba, sed addidit, seducta, bonam co
lumbæ significationm præsenti loco penitus exterminat. Amplius autem cum apponit adhuc, non habens cor, seductionem eiusdem & vacuitatem totius boni miro exprimit modo. Siquidem aduersus id, quod de columba pro bona similitudine dici vel scribi solet, non habens fel, dicitur hic, non habens cor. Quanta putas distantia est inter non habentem fel, & non habentem cor? Quanta (inquam) differentia, colũba habẽs fel &

fel & non habens cor, à columba non habẽ-
Carnalis Israel & Iudas. te fel & habẽte cor, seiuncta est? Magna profectò & omnino contraria. Sic planè & tanta dissimilitudine seiunctus est carnalis Israel à spirituali, qualis tunc erat ille Ephraim, qui seductus est, vt recederet à domo Dauid, & nunc est iste Iudas qui negauit Christum filium Dei. Columba esse debuit manendo in simplicitate atque vnitate paternę fidei, sed & tunc & nunc seducente diabolo recessit in felle amaritudinis, in inopia cordis. Quo recessit? Quo abijt? [Aegyptum inuocabant," & ad Assyrios abie-
"runt.] Quomodo Aegyptum inuocabant?
Exod. 32. Deos Aegyptios colebant, ex quo corpore & mente de Aegypto exierunt. Tunc enim cum vix exissent, vitulum in deserto fecerunt, & adorauerunt more Aegyptiorũ
Exod. 16. sicut inter eos facere consueuerant. Verba quoque ipsorum Aegyptum inuocantium hæc fuerunt. Vtinam mortui essemus per manum domini in terra Aegypti, quãdo sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panes in saturitate. Item, constituamus nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum.
Num. 14. Et his similia. Postquam autem terram adepti sunt tam bonam, vt Aegyptiacis carnib. vel panibus non indigerent, nihilominus tamen Aegyptum inuocauerunt. Duos enim vitulos fecerunt eadem, imò & maiori dementia, quàm olim in deserto fecerãt & adorauerant vnum. Hoc modo propter suam ingluuiem, atq; luxuriam Aegyptum inuocantes, ad Assyrios quoque abierunt & simi les illis facti sunt, videlicet per superbiam, atq; ita in populis commixti, non tam Israelitæ, quàm Aegyptij vel Assyrij dici meruerũnt. Amplius autem, quando (vt sæpè iam dictum est) Christum negauerunt, regemq; suum esse Cæsarem professi sunt, & non alium, Aegyptum inuocabant & ad Assyrios abierunt, id est, hominum sine Deo, qui solum diligunt hoc seculum, & malignorum spirituũ sese socios in damnatione fecerũt.
"Sed quid sequitur? [Et cum profecti fuerint
"expandam super eos rete meum, quasi vo-
"lucres cæli detraham eos.] Secundum meta
phoram columbæ seductæ, & non habentis cor, pulchrè significat, quòd comprehendãtur in superbia sua, qui per superbiam quidẽ quasi volando sese extollere ausi sunt, sed nihilominus infirmi sunt atq; inualidi, vt co
3. Reg. 12. Ioan. 16. lumba. Cum (inquit) profecti fuerint, videlicet olim, dicendo. Nõ est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai, & nunc clamando, non habemus regem nisi Cæsarem. tunc expandam retemeũ, & quasi volucres cæli detraham eos, vt neque cum gloriosis & liberis quos æmulantur penna libertatis volare possint, neq; apud me liberi sint, sed pœnas dent vanæ spei & pręsumptionis, primùm in Assyrijs & Chaldæis captiui, & deinde sub Romanis per totum orbem vinculis & retibus captiuitatis distracti atq; compediti. His dictis ęquam protinus & iustam accumulat sententiam, dicens. [Cædam eos,,
secundum auditionem cœtus eorum.] Au-,,
ditio namq; cœtus eorum illa extitit, quam hodieq; audimus & legimus, quia vanum sibi finxerunt timorem, & dixerunt: Si dimit
Lucæ 11. timus eum, sic omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum & locum & gentem. Hunc timorem Pontifices & Pharisæi collecto consilio finxerunt, & totum consilium cœtus vniuersus audiuit, & aurẽ libenter apposuit, vt quasi ex necessitate viderentur occidere Christum. Sed quid econtra illis euenit? Non quia occiderunt illum cum Romanis regnauerunt, sed potius hoc exigente, sub Romanis pœnas dederunt, ve neruntq; Romani, locumq; illis & gentem tulerunt. Igitur cædam (inquit) eos secundũ auditionem cœtus eorum, id est, inducam super eos formidinem quam formidauerũt quam sibimet confinxerunt, non verè formidantes, sed formidinem eiusmodi veram videri volentes. [Væ eis, quoniam recesse-"
runt à me: Vastabuntur, quoniam præuari-"
cati sunt me. Et ego redemi eos, & ipsi locu-"
ti sunt contra me mendacia.] Ita cędam eos,"
vt & secundum animam væ illis sit, quoniã
recesserunt à me, & secundum corpus vastẽ
tur, quoniam præuaricati sunt in me. Neq;
enim tantummodo in legem meam præuaricati sunt, in meipsum manus miserunt,
meipsum tradiderunt ad crurcifigẽdum. Et
vide quam ingrati sint. Ego redemi eos, &
olim ex Aegypto, & nunc à peccatis in sanguine meo, scelus quoque meæ mortis ignoscens illis ita vt dicerem. Pater dimitte *Lucæ 23.*
illis, non enim sciunt, quid faciunt, & ipsi
pertinaciter contra me mendacia loquuti
sunt. Nam & militibus copiosam dederunt
pecuniam, dicentes. Dicite, quia discipu-
li nocte venerunt, & furati sunt eum, no- *Matth. 28.*
bis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à præside, Nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia,
fecerunt sicut erant docti. Et diuulgatum
est apud Iudæos verbum istud vsque in ho
diernum diem. Hæc & huiusmodi mendacia contra me loquuti sunt, & loqui non
desinunt.

[Et non clamauerunt ad me in corde suo,,
sed vlulabant in cubilibus suis. Super triti-,,
cum & vinum ruminabant, & recesserunt à,,
me.] Diligenter in verbis istis diuinam per-,,
pendamus iustitiam, quia hic causa est propter quam carnalis Israel existimetur vel reputetur Edom siue Esau, & nõ Israel. Et nõ *Clamor ad*
clamauerunt (inquit) ad me sed vlulabant. *Deum pro terrenis, vlulatus est.*
Quidnam est clamare ad Dominũ nisi desiderare Dominũ? Cæterùm, si quis orationẽ
multiplicet, quantumuis clamãdo, & lachry
mando, non habens intentionem in hoc, vt
ipsum mereatur habere Deum, sed vt aliud

quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid obtineat terrenum siue transitorium,
non veraciter dici potest clamare ad dominum, id est, ita clamare, vt clamor eius ad
Gen. 27. Domini Dei perueniat auditum. Iste qui sic clamat, nimirũ similis est Esau, de quo scriptum est. Auditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno & consternatus ait, Benedic etiam & mihi pater mi. Non vtiq; alium quærebat benedictiõis fructum, nisi hunc, vt in isto seculo diues ac potẽs existeret. Idcirco postmodum sequitur. Cumque eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum, in pinguedine terræ & in rore cæli desuper erit benedictio tua. Sciebat enim quid quæreret, & idcirco illius benedictionẽ eiusmodi præfiniuit. Ait ergo, Et non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis, id est, non fuerunt mihi deuoti, cor eorum mecum rectum nõ fuit, non me ipsum, sed quæ mea sunt quæsierũt, & propter hæc eiulabant in cubilibus suis, id est, in synagogis suis, quæ nimirum non Ecclesia mea, sed cubicula ipsorũ sunt. Verè vlulabant, quia super triticũ (inquit) & vinum ruminabant, sola quæ ventris sunt quærebant, & recesserunt à me, videlicet nõ quæ-
Psalm. 23. rendo habere me. Hoc modo reuera non ad generationem pertinẽt quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob, sed ad generationem Esau. Hoc sentiens Apostolus dicit ad Hebræos.
Hebr. 11. Ne qua radix amaritudinis rursum germinans impediat, & per illam inquinẽtur multi, ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam. Vsque hodie infelices Iudæi sic vlulant in cubiculis suis, neq; inueniunt pœnitentiæ locum, vt benedictionem hæreditare possint, quanquam cum lachrymis inquirant eam. Quare? Quia non clamant ad dominũ in corde suo, sed super triticum & vinũ ruminant, id est, nõ cælestẽ quærunt gratiam, non peccatorum optant remissionem, non regni futuri suspirant gloriam, sed vlulant & ruminant, propter illius terræ iracundiam, in qua tritici & vini se habuisse recolunt abundantiam, sicut in psal-
Psal. 34. mo scriptum est, & in iracundia terræ loquẽtes dolos cogitabant. Nam quia terram illã ab aduentu saluatoris nostri propter sanguinem eius se amisisse nõ ignorant, idcirco irascuntur, & zelo maligno inflãmati blasphe-
Luce 1. mant illum. Et recesserunt à me inquit. Verè recesserunt, imò & legationem miserunt post ipsum, dicentes. Nolumus hũc regnare super nos. [Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorũ, & in me cogitauerunt malitiam.] Sententia hæc magnæ admirationis habet sensum. Idem enim est ac si dicat. Ego, in quem cogitauerunt nequitiam. Ego ille sum qui erudiui eos, ego ille qui confortaui brachia eorum. Erudiui nimirum dando legem, & docendo, non esse vitam hominis tantũ in tritico & vino, super quod nunc ruminant, sed in sermone Dei, quemadmodum Moses dicit, Afflixit te penuria, & de- Deut. 8.
dit tibi cibum manna, quem ignorabas tu & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, qd' Psal. 104.
egreditur ex ore Dei. Postquam erudiui eũ, postquam legem dedi illis, & circunduxi, & docui, custodiendo quasi pupillã oculi mei, tunc demum confortaui brachia eorum, cõstituendo super excelsam terram vt comederet fructus agrorum, & ita cõfortati sunt, vt reges fortes occiderent, duces, principes, & reges eorum, & longo tempore possiderent labores populorum. Ille qui hæc feci illis, ego ipse sum in quem cogitauerunt malitiam, videlicet hanc, vt me crucifigerent. Dixerunt enim, Suspendamus eum in ligno & proinde maledictus erit, nec reputabitur Psal. 117.
filius benedicti, de quo Psalmista cecinit. Be- Deut. 21.
nedictus qui venit in nomine Domini. Moses namque scripsit, quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. Hanc in me malitiã cogitauerũt, sed hæc ipsa malitia eorum excęcauit eos, vt non viderent ac scirent, quod econtrario per crucem eius in omnes gentes benedictio, id est, peccatorum daretur re- Ioan. 12.
missio. & per eam omnia traheret ad seipsũ. "
[Reuersi sunt vt essent absq; iugo, facti sunt "
quasi arcus dolosus.] Mira rebellio peruersorum, quibus quod in rectis corde suaue
est & leue, importabile videtur & ferre non Matt. 11.
possunt. Iugum quippe domini suaue est, & onus eius leue, duræ autem ceruices & malè fortes humeri illorum ferre nõ potuerunt. Idcirco reuersi sunt vt essent absq; iugo, vt non haberent legem aut regem, malis voluntatibus suis contradicentem, sed ita reuertẽdo facti sunt quasi arcus dolosus, id est, semetipsos interfecerunt ac perdiderunt in
modum arcus dolosi, qui retrocidente sa- Arcus dolosus.
gitta, ipsum à quo tenditur, percutit. Fugiendo namq; iugum Dei siue imperiũ Christi, pernicioſum sibi subierunt iugum hominũ, mortiferum sibi fecerunt iugum Romani imperij. Imò & intendẽtes arcum rem ama- Psal. 93.
ram, vt sagittarent in occultis immaculatũ, eodem arcu sagittis ipsis insemetipsos reuersis perierunt, sese æterna damnatione percusserunt, dicendo: Sanguis eius super nos Matt. 27.
& super filios nostros. Hoc est, quod continuò sequitur.

[Cadent in gladio principes eorum à fu- "
rore linguæ suæ.] Furor namque linguæ il- "
lorum quasi gladius acutus extitit, quem-
admodum psalmista cecinit, quia acuerũt vt
gladium linguas suas. Item. Filij hominum Psal. 63.
dentes eorum arma & sagittę, & lingua eo- Psal 56.
rum gladius acutus. Furor linguæ eiusmodi

ille sermone nequam extitit, quem firmauerunt sibi clamando. Tolle tolle, crucifige crucifige. Et hic linguæ gladius sic acutus
Luce 11. Mariæ quoque animam pertransiuit, iuxta dictum Simeonis. Ab illo furore, id est, propter illum furorem linguæ suæ, cadent (inquit) in gladio principes eorum, & sic factũ est. Legimus, & miramur Iosephum narrantem illud miserabile excidium Hierosolymorum, in quo sic ceciderunt, vt nunquam suum possint recuperare statum, foris Romanorum, intus gladijs concisi suorum conciuium & cõtribuliũ, vt multò aliter quam gladius cecidisset Assyriorum siue Babyloniorum. Et meritò, quia nimis longum traxerant peccatorum funiculum. Ait enim
" [Ista subsannatio eorum in terra Aegypti.]
Et est sensus. Ista peccantium insania non
Rebellio Iudæorum cõtra Moysen noua est, sed inueterata, ex quo gens ista nata est in terra Aegypti. Illic namque patres istorum, qui subsannauerunt Christum dominum legis & prophetarum, subsannauerunt Mosen missum sibi à Deo, vt liberaret eos de manu Aegyptiorum. Licet enim clamarent ad dominum propter afflictionẽ & duram seruitutem, tamen mira dementia missum sibi liberatorem subsannauerunt, dedignando intelligere quod visitarentur,
Act. 7. & saluandi essent per illum. Hinc Stephanus prothomartyr cum præmisisset. Existimabat aũt intelligere fratres suos, quoniam
Num. 16. Deus per manus ipsius daret salutem illis. At illi (inquit) non intellexerunt. Et post pauca hunc Moysen, quem negauerunt dicentes, quis te constituit principem & iudicem? Hunc Deus principem & redemptorẽ misit, qui accepit verba vitæ dare nobis, cui noluerunt obedire patres nostri, sed repule-
Exod. 32. runt, & auersi sunt cordibus suis in Aegyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos. Moysi enim huic, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit. Et vitulum fecerunt in illis diebus. Ergo quod in Aegypto subsannatio illorum iam sæuierit, palàm est, & ex ipsorũ quoque verbis attestantibus potest colligi. Cum enim persequeretur eos Pharao, illi videntes exercitum eius, dixerunt. Forsitan non erant sepulchra in Aegypto, ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Quid
Exod. 14. hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Aegypto? Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes, recede à nobis vt seruiamus Aegyptijs? Illic nimirũ testantur, se illum repulisse mira inuidentiæ crudelitate, vt cum clamarent ad dominum ob suam liberationem, personam liberantis odirent, & cum sibi salutem cuperẽt, illi personæ quam nouerant gloriam ministerij salutaris inuiderent. Eodem morbo corrupti, cum regem nimis importunè quæsissent, data tam sibi secundũ cor domini personam odere regnantẽ, inuidebantq; gloriæ triumphatoris, cuius contra gentes inimicas gloriabã Malitia eorum triumphis, in tantum vt contra illum sus- rum contra
citarent filium eius Absalon, deinde Seba Dauid.
filium Bochri, deinde Hieroboam filiũ Naboth semel & iterum dicentes, non est no- 2. Reg. 15.
bis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai. Eadẽ iniquitate siue subsannatione perseuerante, cum regem magnum per prophetas prænunciatum expectassent Messiam, ad magnam generis sui gloriam venientis odere personam, & illam quam ex lectione poterant animaduertere Christi gloriam stanti in medio ipsorum personæ nimis crudeliter inuidebant. Igitur ista subsannatio eorum terra Aegypti, id est, sic subsannauerunt Moysen in terra Aegypti, sic subsannauerunt Christum filium Dei, sic subsannauerunt Dauid, sic subsannando negauerunt Moysen, negauerunt Dauid, negauerunt Christum ante faciem Pilati. Et idcirco cadent in ore gladij (vt iam dictũ est) propter
CA. VIII. istum linguæ suæ furorem, propter istam suam subsannationem. Quid proinde facies ô Propheta? [In gutture tuo sit tuba quasi" aquila super domum Domini, pro eo, quod" transgressi sunt fœdus meum & legem meã" præuaricati sunt. Me inuocabant, Deus me-" us, cognouimus te. Proiecit Israel bonum," inimicus persequetur eum.] Hæc annuncia" & annunciando in gutture tuo sit tuba, quia videlicet populo huic bellum est, & non
pax. Aquila namque veniet super domum Aquila contra Iudæos.
Domini, id est, Romanum imperium, cuius militare signum aquila erat, veniet super ciuitatem in qua est domus Domini. In Ezechiele, vbi contra Iudam prophetia dirigitur, decem tribubus iam in Assyrios translatis per Aquilam Nabuchodonosor significatur his verbis. Aquila grandis alarum magnarum longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum & tulit medullam cedri, summitatem eius auul-
sit, & cętera. Nescitis quid ista significent? Dic. Ecce veniet rex Babylonis in Hierusa- Ezech. 17.
lem, & assumet reges & principes eius, & adducet eos ad se in Babylonem. Hic autem vbi non aduersus Iudam tantum, sed aduersus omnem Israel prophetia texitur, & quasi tuba declamare iubetur, rectè secundũ supra dicta per aquilam excellentia Romani intelligitur imperij cuius (vt iam dictum est) militare signum aquila fuit, ante susceptum vexillũ crucis, eo q; aquila rex auium esse dicatur, & cuius ob honorem Herodes quoq; aureã fixit aquilã super templũ domini, vt refert Iosephus. Hęc aquila (inquit) sua per domum Domini. i. Romanũ imperium ad destruendã irrecuperabiliter gloriam sacerdotij Iudaici veniet. Quam ob causam? Pactũ Dei cum Salomone.
Pro eo (inquit) qd' transgressi sunt pactum meũ, & legẽ meã ꝓuaricati sunt. Poterat. n. obijcere quis & dicere, o ꝙ istud deus faceret vel fieri sineret, cõtra suũ statutũ, contra fœ-

dus vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus vel pactum, quod pepigit cum patribus eorum. Nam vt de cæteris taceamus, nunc ad Salomonem, qui primus ædificauit illam domũ Domini, taliter dixit. Exaudiui orationem tuam & deprecationem, qua deprecatus es coram me. Sanctificaui domum hãc quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum. Sed vide quid postmodum sequitur. Si autem auersione auersi fueritis vos & filij vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & cæremonias quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis Deos alienos, & adoraueritis eos, auferam Israel de superficie terræ quam dedi eis, & templum quod sanctificaui Nomini meo, proijciam à conspectu meo, eritque in prouerbium & in fabulam cunctis populis, & domus hæc erit in exemplum. Ergo in pacto domus illa stetit, id est, sub conditione seruandæ iustitiæ, quam profectò seruandã ab illis non esse, Deus præsciuit. Nam si seruandam esse præsciret, nequaquam conditionaliter illis bona sua permitteret, toties dicendo, si præcepta mea seruaueritis, si in vijs meis ambulaueritis, quod in lege frequens, sed absolutè & modo prædicatiuo, vel promissiuo, sicut ad Abraham locutus est in promissione seminis, quod est Christus. Non enim dixit, si egressus fueris de terra tua, sed egredere (inquit) de terra tua, &c. & benedicam tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Itemque, in re promissione non dixit, si feceris rem hanc, & non peperceris filio tuo vnigenito, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Quæ vniuersaliter populo pro cultu tabernaculi vel domus Domini, pro cæremonijs seruandis promissa sunt, sub conditione posuit prouidentia Dei præscientis, quòd conditionem vel pactum promissionis non essent seruaturi, & quod pactum istud irritũ facturi essent, sicut & Hieremias verbis declamat manifestis. Cum enim præmisisset, Audite verba pacti huius, & facite illa, postmodum hæc intulit. Et hi ergo abierũt post Deos alienos vt seruirent eis, irritum fecerunt domus Israel & domus Iuda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. Itemq; alio loco dicit. Et nolite cõfidere in verbis mendacij, dicentes. Templũ domini, templũ domini, tẽplũ domini est, quoniã si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra habitabo vobiscum in loco isto. Igitur cum dixisset, in gutture tuo sit tuba, quia aquila super domum Domini, ne quasi de mutabilitate argueretur, quòd abijceret domum quam prius elegisset vel in pactum suscepisset, causam reddidit protinus dicens, pro eo, quod transgressi sint fœdus meum, & legẽ meam præuaricati sint, quod idem ac si diceret, quia pactum meum irritum fecerunt. Et ista quidem causa contra Iudaicos flatus sufficiens est, nec aliam audiri digni sunt, quamdiu suam volentes statuere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti, dum inter cętera quibus sese aduersus fidem Christi defendunt, illud quoq; subsannant dicendo cõ sequenter, esse mutabilem Deum, si domũ suam nomini suo sanctificatam abiecit, apud Christianos quæsiturus aliam. Qui autẽ iam pro emerita fide dignus est, vt intret in sanctuarium Domini, & intelligat in nouissimis eorum, causas alias audit & reddit, intelligit & dicit, quare super illam domum Domini aquila semel & iterum venire debuerit. Semel namque venit super illam Nabuchodonosor, quem in Ezechiele (vt iam dictum est) per aquilam oportet intelligi, & eandem domum incendio conflagrauit. Iterum venit Romanum imperium cum victricibus aquilis, & non solummodo domũ illam, sed & locum & gentem irrecuperabiliter tulit. Semel vel primo permittente deo idcirco factum est, vt vetus illud sacerdotiũ corriperetur. Secundo idcirco factum est, vt omninò tolleretur. Corripiendi namque atque instruendi erant illius temporis tam populus quàm sacerdotes, vt scirent ipsi & ipsorum posteri, quia non propter locum gẽtem, sed propter gentem locum elegit Dominus, & quia auro & lapidibus, quibus prę fulgebat illa domus, nõ magis quam fumo aut fauilla delectatur, nisi cordium corporumque templa sibi ad habitandum præparentur. Tollendum autem omninò erat in aduentu Christi domus vel templi illius sacerdotium, quia temporis illius sacrificium non fuerat iussum, sed permissum, donec cũ iussu & præsentia Christi veniret sacerdotium necessarium secundum ordinem Melchisedech. Nam quod illud sacrificium non fuerit iussum (vt iam dictum est) sed permissum, testatur ipse Dominus in Hieremia dicens. Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia nõ sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarum sed hoc verbum præcepi eis, dicens. Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt benè sit vobis. Ergo Sacrificium illud nõ iussum erat, sed permissum. Ad quid autem permissum? Ad hoc maximè vt ordo illius carnalẽ retineret populum, ne citius dilaberetur ad Aegyptiorum, cæterarumq; sacrificia gentium, vt saltem sub nomine veri Dei pingues hostias carnium sacrificarent, à quibus omninò auelli nequaquam possent. Hoc ipsum interea testari cœpit Spiritꝰ Sãctus per os Dauid, quamuis ille in eadem religione sacrificantium, studiosissimus fuit. Ait enm, Nũquid manducabo carnes taurorum aut sanguinẽ hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis. Nimirum istæ voces parùm profecisse

3.Reg.9.

Verba pacti conditionaliter posita.

Gen. 12.
Gen. 22.

Hier. 11.

Hier. 7.

Aquila super domum domini.

4.Reg.vlt.

2.Mach.5.

Sacrificium Iudæorũ nõ iussum, sed permissum fuit.

Hier.7.

sent ad decutiendum supercilium illius sacerdotij, si post aduentum Christi stetisset & locus, & gens, & non venisset talis aquila super illam domũ domini. Deniq; adhuc, postquã lapis super lapidẽ nõ remãsit, Christum blasphemant vbiq; terrarũ captiui, & blasphemando impedimentũ facere moliũtur currentib. quadrigis Euangelij Christi. Quid facerent, si roborati in terra sua consistentes, domumq; illam splendidam super stitẽ habentes, tales suæ perfidei fulcimentũ digito demonstrare possent? Tali ergo debuit aquila veniẽte domus Domini destrui, quẽadmodũ & Danieli angelus prædixit. Et post hebdomadas (inquit) sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce vẽturo, & finis eius vastitas, & post finẽ belli statuta desolatio. Et deficiet hostia & sacrificiũ, & in templo erit abominatio desolationis, & vsq; ad cõsummationẽ & finem perseuerabit desolatio. Nunc ad literæ textum reuertamur. Cũ causam reddidisset cur aqui la venire permitteretur super domũ dñi, dicendo, pro eo q trãsgressi sunt fœdus meũ, & legẽ meã præuaricati sunt, continuò subiunxit. Me inuocabant, Deus meus cognouimus te. Et est sensus. Mira impudentia, cùm sint transgressores, cũ sint præuaricatores, inuocant me dicentes, Deus meus, Deus meus cognouimꝰ te. Tale est illud in Esaia. Me etenim de die in diẽ quærũt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiã fecerit, & iudiciũ Dei sui non dereliquerit. Mentiũtur ergo dicendo, Deus meus cognouimus te. Ipse Dei filius refellit eos in hoc dicto. Est (inquit) pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noster est, & nó cognouistis eum. Quare? Nimirum quia iuxta & illud quod prophetauit Esaias. Populus hic labijs me honorat, cor autẽ illorũ lõgè est à me. Ita modis omnib. verbis ipsorũ opera contraria sunt. Idcirco protinus hic propheta subiungit. Proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. Quod bonum, vel quẽ bonum Israel ptoiecit, nisi Deũ qui summum bonum, qui solus, & summè bonus est, cui dicit oretenus, Deus meus cognouimus te? Deniq; illũ proiecit, non modò, quia dudum dixit, Non est nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Isai, & vitulos sibi pro Deo statuit: verumetiam, quia, quod maius est, Dei filium extra ciuitatẽ proiecit, negans eum ante faciem Pilati, & foris inter sceleratos proiectum, crucifixit. Idcirco inimicus persequetur eum, inquit, nimirum iuxta maledictiones, quas præscius Moyses in lege præscripsit: Tradat te Dominus corruentẽ ante hostes tuos. Per vnã viam egrediaris cõtra eos, & p septẽ fugias, & dispergaris per omnia regna terræ, sitq; cadauer tuũ in escã cunctis volatilibus cæli, & bestijs terræ, & nõ sit, q abigat. Quòd ita factũ sit, assertione nostra non indiget. Sequitur. [Ipsi regnauerunt & nõ ex me. principes extiterũt, & non cognoui. argentum suũ & aurũ suum fecerunt sibi idola vt interirent.] Qui regnauerunt nõ ex me? Nimirũ ipsi qui bonũ proiecerunt; primũ qui cũ Hieroboam recesserunt à domo Dauid, deinde qui crucifixerũt, vel negauerunt filium Dei, filiũ Dauid. Primò videndum de illis regib. qui regno scisso à domo Dauid, super decem tribus regnauerunt, vtrum verò ex Deo regnauerint, an non. Videtur nanq; repugnare verbis istis illud, quod in illa diuisione regni scriptum est. Apprehendensq; Ahias palliũ suum nouũ, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, & ait ad Hieroboam. Tolle tibi decẽ scissuras. Hæc enim dicit dñs Deus Israel. Ecce ego scindã regnũ de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Item, cùm congregasset Roboã multitudinẽ exercitus, vt reduceret regnũ sibi, factus est sermo Domini ad Semeã virum Dei, dicens. Loquere ad Roboã, & ad omnem domũ Iuda, dicẽs. Non ascendetis, nec bellabitis contra fratres vestros, filios Israel. Reuertatur vir in domum suam, à me enim factum est verbum hoc. Hæc (vt iam dictum est) repugnare videntur verbis istis. Ipsi regnauerunt, & non ex me. principes extiterunt, & non cognoui. Sed absit, vt sanctæ scripturæ verba sibimet repugnantia vel contraria sint. Quærimus ergo, qualiter & veritas historiæ consistat, & nihilominus vera sit hæc sententia prophetica. Hoc intendentes originem perpendimus illius mali, vel schismatis, quia nimirum facto illo prior extitit, quod historia narrat expletũ per manus Ahiæ Sylonitis, & confirmatum per Semeiam, virum Dei. Quænam illius mali origo fuit, nisi odium, quo Israel regem suum Dauid semper odio habuit? Nunquã enim volens sapientiã, fortitudinem, atq; humilitatem, qui fuere tres primi fortes Dauid, populus ille sustinuit, vtpotè malis intentus studijs, & idololatriæ cultui, cui seruire non poterat, regnante Dauid. Huius rei summũ illud iudicium fuit, quod cùm non haberent aliũ, quem statuere possent super illum depellendum, filium eius Absalon susceperunt. Verùm quãdiu vixit Dauid, quamdiu filiũs eius Salomon cũ sapientia processit, peccata illorum consummari nõ potuerũt, vt liceret eis iudicio Dei peruenire ad effectũ. At vbi merita domus eiusdem Dauid, quæ peccatis illorum præponderauerant, sic infirmata sunt, vt Salomon per fornicationes deprauatus, seruiret dijs alienis, tunc demum manum suam Deus subtraxit, & prævalens Israel contra domum Dauid, velut equus indomitus sese excutiens, frenum rupit, & abijt fuisq; studijs congruum sessorem Hieroboam suscepit. Hoc nimirum ex Deo non fuit, & idcir-

Psal.49. Oportuit templũ destrui.

Dani. 9.

Proiecit Israel bonum

3.Reg. 12.

Deut. 28.

Esa. 58.

Ioan. 8.

Esa.29.

Obiectio.

3.Reg. 11.

2.Para.11.

Solutio.

3.Reg. 11.

Odium Israel contra Dauid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

co nunc dicit. Ipſi regnauerunt,& nõ ex me principes extiterunt & non cognoui. Vt autem nõ poſſet nos retinere vel reuocare Roboam,diuino factum eſt iudicio,atque idcirco illic ait,à me enim factum eſt verbũ hoc. Ad ſummum eius ſententiæ, qua dictũ eſt, ipſi regnauerunt & non ex me,illud pro foribus argumentũ eſt, quia regnauerunt abſque legitima Dei vnctione. Vnctio nanque regalis in domo Dauid, & in tribu Iuda remanſit reges autem decem tribuum abſque vnctione regnauerunt. Sanè vnus Iehu filius Ioſaphat filij. Nam ſi, quantulacunq; vnctione rex conſtitutus eſt, & hoc ex Domino, veruntamen non eundem Iehu comprobante, ſed condignam de domo Achab vltionẽ exigente. Tantũmodo lenticulam olei fundens ſuper caput eius vnus de filijs prophetarũ dixit. Hæc dicit dominus Deus Iſrael: Vnxi te regem ſuper populum Domini Iſrael, & percuties domum Achab domini tui,& vlciſcam ſanguinẽ ſeruorum meorum prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorum domini de manu Iezabel, perdã omnem domum Achab,&c. Iſte vnus regnauerit ex domino,& principem illum cognoſcere, Deus vtcunque dignatus ſit, veruntamen tantummodo ad vindictam,quia domum Achab deleuit & Baal exterminauit non autem ad gratiam,quia peccata Hieroboam id eſt, vitulos aureos, non dereliquit. Quapropter vera vndique eſt ſententia. Ipſi regnauerunt,& non ex me, principes extiterunt, & non cognoui, quia præter iſtum vnum vnctum vnctionis imperfectæ, cæteri omnes, ſicut abſq; vnctione ita regnauerunt abſq; vocatione diuinæ gratiæ. Nũc demum & de illis animaduertendum, qui vſqueadeo receſſerunt à domo Dauid, vt crucifigerent filium Dauid, filium Dei,quã verè dictum ſit, Ipſi regnauerunt & non ex me,principes extiterunt & non cognoui. Rectè enim hoc in reprobationem illorum debuit prophetari, qui vtique voluerunt tẽporaliter in hoc ſeculo extolli abſque adiutorio viſitantis gratiæ dei, ſicut in Euangelica parabola ipſe dñs innuit,cùm dicit. Agricolæ autẽ videntes filium,dixerunt intra ſe. Hic eſt hæres, venite occidamus eum,& noſtra erit hæreditas, & appræhenſum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderũt. Quid hæc parabola innuit,niſi quia Scribæ & Phariſæi,videntes Ieſum,nõ ignorauerunt, ſed oderũt illũ,quemadmodũ & ipſe dicit. Nũc autem & viderunt & oderunt & me, & patrem meum. Cũ enim agricolæ dixerunt, hic eſt hæres,nemo eſt in eis, qui ſe de ignorantia excuſet. Ergo cùm dicunt,venite occidamus eum,& noſtra erit hæreditas,rectè & veraciter dicat is,qui occiditur. Ipſi regnauerunt & non ex me,id eſt, voluerunt ſine me regnare,& ſine me diuites eſſe, ſedendo ſuper cathedrã Moyſi,& prædã faciendo de populo,ita vt mentã quoq; & anetũ decimarent,non curando iuſtitiam,& fidẽ,&c. quæcunque grauiora ſunt legis. Sed cùm illi ore ſuo ſemetipſos iudicantes dixiſſent. Malos malè perdet,& vineam ſuam locabit alijs agricolis,quid iſte intulit? Ideo dico vobis (ait) quia auferetur à vibis regnũ dei,& dabitur genti facienti fructus eius. Igitur quod ait. Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt & non cognoui,idem eſt ac ſi dicat. Ipſi quidem regnare voluerunt, ſed auferetur ab eis regnũ dei,quia non regnare voluerunt ex me, & in principatu ſuo cognoſcere noluerunt me, ſuę modis omnibus ſtudentes auaritię. Nam hoc eſt qnod ſequitur. Argentum ſuum & aurũ ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent. Et eſt ſenſus. Argentum & aurum plus dilexerunt quàm deum,imò ne vllum auri & argenti detrimẽtum paterentur, oderunt Chriſtum & patrem eius deum, oderunt & crucifixerunt Chriſtũ dei filium. Latrocinabãtur enim in illo dei templo aurumque & argentum ſibi cõgregabant, prædam facientes de populo. Nonne autem Apoſtolus Chriſti teſtatur, quia auaritia ſimulachrorũ eſt ſeruitus? Rectè igitur ait, quia argentũ ſuum & aurũ ſuũ fecerunt ſibi idola, quia ſimulachrorum ſeruitus eſt auaritia, maximè in illis qui præſentes habentes Chriſtum dei filiũ, contra ipſorum auaritiã diſputantẽ, argento & auro magis fauerũt, & aduerſariũ mammonæ, id eſt, contẽptorem argenti & auri Chriſtũ interfecerunt. Quo fructu? Qua mercede? Vt interirent, ait. Etenim fructus idolorum eiuſmodi, fructus mãmonæ, fructus argenti & auri, interitus eſt animæ illorũ & corporis. Interierunt ſpiritualiter inuiſibilibus malignorum ſpirituũ phantaſijs, interierunt corporaliter viſibilib. Romanorũ gladijs. Itaque vicit domus Dauid, victi ſunt oẽs, qui receſſerũt à domo Dauid. Sequitur ergo. [Proiectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eis.] Lõga quidẽ concertatio facta eſt inter domũ Dauid, & vitulos aureos quos Hieroboã fecit, ſed tandẽ vicit domus Dauid, vicit (inquã) quando Chriſtus filius Dauid, in crucem aſcẽdit. Ibi cornu Dauid, cornu ſalutis, ductũ & erectũ nobis in domo Dauid confregit, proiecit, atq; cõtriuit vitulũ Samariæ. i. omnẽ impietatẽ diuidentem ſe à domo Dauid, in qua princeps ſedet nunc ipſe filius Dauid, cuius videlicet diuiſionis initiũ, ſępè dictus ille materialis vitulus Samarię extitit. Et pulchrè, cũ duo fuerint vituli ſingulariter nũc, proiectus eſt, vitulus, inquit. Plus eñ ſignificat, quã ſi dixiſſet duo vituli, ſicut interdum ſingulariter per militẽ plus intelligimus, quàm per milites pluraliter. Militem nanq; dicere ſolemns, exercitum ſignificantes. Proiectus ergo (inquit) eſt vitulus tuus Samaria, id eſt, cecidit omnis idololatria, & ab illo principe domus Dauid,

Reges Iſrael abſq; vnctione.

4. Reg. 9.

Matth. 21.

Ioan. 15.

Matth. 23

Ibidem.

Colloſſ. 3.

Dauid, Deo & homine Chriſto ſententiam acceperunt. Omnes dij gentium dæmonia, & principes mundi huius eiectus eſt foras. Illud quoq; pulchrũ eſt attendere, quod loco præſenti Samariam cõpellat, quia videlicet quando paſſionis Chriſti ſacramento deſtrui cœpit error ſiue idololatria, fieri hoc cœptum eſt à Samaria. Cùm enim Hieruſalem non ſuſciperet, imò perſequeretur fidẽ Chriſti, ſicut ſcriptũ eſt, Facta eſt autem perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ. Samaria verbũ Dei cum gaudio magno ſuſcepit, ſicut ordo lectionis in Actibus Apoſtolorum patenter depromit. Iratus eſt (inquit) furor meus. In quibus vel cõtra quos iratus eſt, niſi in illis vel contra illos qui vitulum fecerunt, qui idolo latriam pertinaciter ſectati ſunt, qui propter ſimulachrorum ſeruitutẽ à domo Dauid receſſerunt, imò natum de domo Dauid Chriſtum negauerunt? Nimirum inter iſtos concluduntur, & maximè ſunt vel fuerunt ſcribæ, vel phariſæi. Et idcircò iam extunc templum vel altare illorum, non altare Dei, ſed vitulus Samariæ meretur dici. Ecce furor domini iratus eſt in eis, & vitulus eorũ proiectus eſt, domus autem Dauid magnificata eſt. Templum quippe & ſacrificium illorũ ablatum eſt, Chriſtus autẽ & eccleſia eius in æternum manet. Et quare iratus eſt furor meus in eis? Videlicet, quia non poſſunt emundari. Nam hoc eſt, quod admirando pariter & interrogando confeſtim ſubiungit.

"[Vſquequo non poterunt emundari? Quia
"ex Iſrael ipſe eſt. Artifex fecit illum, & non
"eſt Deus] Cũ interrogando dicit, Vſquequo non poterunt emundari, ſubaudiri vult in æternum, Et cauſam reddit, cur in ſempiternum non poſſunt emundari. Quia ex Iſrael ipſe eſt (inquit) artifex fecit illum. Cauſa hæc diligenter animaduertenda eſt. Sciendum inprimis, incorrigibilẽ eſſe illum, qui non per ignorantiam in mendacium cadit, ſed per malitiã de corde ſuo mendacium cõfingit. Ille nanq; verbum dicit contra ſpiritũ ſanctum, qui ſciens veritatem Dei, contra mendacium cogitat, & veritatem in mendacio detinet, ſicut Apoſtolus dicit. Quicunq; talis eſt, reus eſt æterni delicti, & non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neque in futuro, quia ex ipſo eſt quod facit, aut dicit, non ab alio ſeductus, ſed de corde ſuo ſeductionem confingens, & proprio iudicio condemnatus. Nimirum talis ille Hieroboam extitit, & hoc ſacræ ſcripturæ conditor ſpiritus ſanctus nobis intimatum eſſe voluit, peccatum eius exprimens verbis huiuſcemodi, dixit Hieroboam in corde ſuo. Nunc reuertur regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo domini in Hieruſalem, & conuertetur cor populi huius ad domum ſuam Roboam regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis. Nolite vltra aſcendere in Hieruſalem. Ecce dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Vera igitur impoſsibilis emundationis cauſa, quam dixit, quia ex Iſrael ipſe eſt, artifex fecit illum. Id eſt, quia Iſrael & rex eius Hieroboam nõ aliunde inductus, aut ab alio ſeductus, aureum vitulum putauit eſſe Deum, ſed artificio malicioſo cõfinxit illum, ſciens eum non eſſe Deum, & hoc ſolum intendens, vt populus ſibi ſubditus, tali præſtigio faſcinatus, verũ nequaquã requireret Deũ. Idcirco non poterunt emundari, & in illo peccato cuncti reges Iſrael cordis fuere impœnitentis. Porrò Baal non ita ſuſceptus eſt, vt dici poſſet, qa ex Iſrael ipſe eſt, quia videlicet ne quaq; Iſrael ſiue rex Iſrael illũ de corde ſuo artifici cõmẽto cõfixit, ſed Iezabel à Sydoni aduenies, ſecũ illum aduexit, & ſuſcepit eũ Iſrael pro fauore reginæ, & regis Achab, pel lecti nimiumque proni ad ſeruiendum ſæuitiæ muliebri, & idcirco quandoq; potuerũt emundari, vt non colerent illum, ſicut in eiſdem ſacris habemus literis. Iehu nanq; ſtudioſè ſuper hoc fecit, quod rectum erat, & placebat in oculis domini & deleuit Baal de Iſrael. Non ita peccatũ Iudæ extitit, quãuis & Baal &c. idolorum portenta coluerit. Nullum quippe illorum ex ipſo fuit, ſed aliunde accepit, & idcirco emundari potuit, aliquoties emũdatus eſt, ſicut legimus, qui rex ille, & ille ſtatuas, vel ſimulachra confregit, lucoſque ſubuertit, & fecit, quod rectum erat in oculis domini. At poſtquam eo peruentum eſt, vt peccatum peccarent Iudæi, de quo veraciter dicas, quia ex ipſis eſt, & quia peccati eiuſdem fuere artifices, iam non poſſunt emundari. Quod illud peccatũ eſt? Nimirum illud mendacium auriolum, quod fabricati ſunt, dicentes: Blaſphemauit, quia dixit ſe filium dei benedicti, & ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum & locum & gentem. Quod (inquam) fabricati ſunt, dando pecuniam copioſam militibus, vt dicerent, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. Sicut veraciter illic de vitulo dictum eſt, quia ex Iſrael ipſe eſt, artifex fecit illum & non eſt Deus. Ita & hic veraciter dicas de hoc mendacio, quia ex Iſrael, ſiue ex Iudæis eſt, artifex fecit, id eſt, malitioſa mens excogitauit, & confinxit illud, & non eſt verum. Vtrunque etenim excogitato ſiue accepto conſilio, factum eſſe, ſcriptura refert. Et ſicut illic, cùm lingua foris vitulum oſtentans diceret, iſti ſunt dij tui Iſrael, conſcientia teſtis, intus refragabatur, ſciens & dicens, quia non eſt deus. Ita & hic, dum conſultarent, & per pecuniam obtinerent, quatenus verbum hoc diuulgaretur, furati

Peccatũ in ſpiritum S.

Matth. 19.

Tit. 3.

3. Reg. 12.

4. Reg. 10.

Marc. 14.

Ioan. 11.

Matth. vl.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt eum nobis dormientibus, sciebant,& conscientiam refragantem intus audiebant, quia non est verũ. Postquã sic peccauerunt, non veritatẽ ignorando, sed mendaciũ excogitando iã emundari nõ potuerunt, iã nõ remittitur eis, neq; in hoc seculo, neq; in futuro, quia tale peccatum consequitur impœnitens cor semper resistens Spiritui S. Vtrũque proiectũ est,& ille vitulus,ad quẽ transuersi sunt olim,recedentes à domo Dauid, & illud simulachrum auaritiæ, cui seruientes crucifixerunt Christũ filium Dauid,& iratus est furor dñi in eis. Verè proiectus est vitulus. Sequitur enim. [Quoniã in aranearum telas erit vitulus Samariæ.] Item: Verè iratus est furor eius in eis. Vnde & protinus subiungit. [Quia in ventum seminabũt, & turbinem metent. Culmus non est in eis germen, nõ faciet farinã. Quod & si fecerit, alieni comedent eam.] Ab his experimentis vtrunq; cõprobatur,& q̃ vitulus proiectus sit,& quòd furor dñi iratus sit in eis. Magnã quippe proiectionem siue abiectionẽ demõstrat hoc argumentum, quòd vitulus quondam præcultus aureolus,& ob frequentiam festiuitatũ perpolitus, derelinquitur in telas aranearũ, i. ita negligitur, vt vacet araneis suarum cõtextione telarum rotum cooperire & sorpidare vitulum. Hoc ita vt dicitur, factum est per passionis Christi triumphũ, non tantum in vitulo Samariæ, sed in cunctis simulachris gentium. Nihilominus & vitulus mendacij Iudaici, de quo iam dictũ est, factus est in telas aranearum. i. tam infirmum est atq; inualidum cõtra veritatem, vt sunt telę aranearum. Hinc Esa. dicit: Oua aspidum ruperunt, & telas araneę texuerũt. Telæ eorum nõ erunt in vestimentum, neque operietur operib. suis. Exempli gratia, vt appareat quã facilè mendacium illorum solui possit, dicimus eis. O milites vigiles, qui dicitis, vt estis docti, quia discipuli eius venerunt nocte, & furati sunt eum nobis dormientibus, si dormistis, (vt dicitis) vnde hoc ipsum scire potestis, q̃ venerint & eum furati sint? Ergo telas araneæ texuistis vos, & consiliarij vestri, quia quã facile soluitur tela araneæ, dissipati & vestri cõpositio mẽdacij Itẽ. Magnã innuit irã, q̃ ait, quia ventum seminabũt, & turbinẽ metent, culmus stans nõ est in eis germẽ, quia nõ faciet farinam. Et q̃ & si fecerit, alieni cõedent eam. Belli quippe turbinẽ & famem panis sonant hæc sono literali, sed longè grauiora sunt, quæ intelligimus sensu spirituali, scilicet turbinem iudicij æterni, & famem audiendi verbum Dei. At ille populus eiusmodi erat, qui spiritualia siue inuisibilia hæc mala nõ perti mescseret, præsentia tãtũ & corporalia cupiẽs bona, metuens mala. Ergo secundum eius puerilẽ intellectum benè literã hoc modo contexuit, vt exterius sonet famẽ panis, interius significet famẽ audiendi verbũ Dei, qua videlicet fame nunc ille populus perijt. Vẽtum aũt seminabunt. i. opera inutilia facient, & sicut ventum solet sequi turbo tempestatis, sic opera illorum sine dubio sequetur valida tẽpestas iudicij Dei. Culmus stans apud eos, litera est legis & prophetarũ, & iste culmus non est germen, siue nõ habet germen in eis. Notandum diligenter, q̃ cùm dixisset, culmus stans nequaquã ait, nõ est in eo germen, sed non est in eis germen. Denique in culmo sacræ literæ est germen, siue granum spiritualis intelligentiæ, sed non in eis, quia non intelligunt spiritum viuificantẽ, solamque ruminant literã occidentẽ. Hoc ipsum repetit verbis alijs, dicendo, non faciet farinam, quod & si fecerit, alieni comedẽt eam. Nam non faciet farinã, subauditur in eis, sic ut iam dixerat, non est in eis germen. In quibus autẽ est germen, aut facit culmus ille farinam? Nimirum in alienis. i. in gentib. siue populis qui in Christum credentes, de culmo literæ illius comedunt spiritualis intelligentiæ farinã. Nã hoc est quod ait. Quod & si fecerit, alieni comedent eam. Pro minimo esset infidelib. illis talẽ pati famem siue sterilitatẽ, nisi etiã corporaliter nunc præsentia mala sustinerent. Sequitur ergo.

Tela aranearum mendacium Iudæorum.

Psal. 59.

Culmus stans litera est legis.

[Deuoratus est Israel, nunc factus est in nationib. quasi vas immundum, quia ipsi ascenderunt ad Assur.] Et est sensus. Deuorauerunt hostes Israel, ita vt iam non sit populus, sicut prædictum fuerat, & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, siue & ego ad æmulationẽ vos adducã & non gentẽ, cùm ceciderunt in ore gladij, qui superfuerint ex eis, captiui ducentur in oẽs gentes, & vbicunque non fuerint pro immundis habebuntur, vt verè sunt. Ipsi enim sunt qui cũ blasphemarent dñm, dicentes. In Beelzebub principe dæmoniorum ejcit dæmonia, taliter denotati sunt. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens, dicit. Reuertar in domum meã vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit scopis mundatam, & tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora priorib. bus. De homine namq; immundus spiritus exiuit, & per loca inaquosa ambulauit, quãdo de populo Israel per Moysen & Aaron cultum Dei susciciente recesit, & gentes possedit. Ibi requiem quęrens, non inuenit, quia veniens Christus expectatio gentium, fortiter istum inquietauit, & foras misit. Reuersus ergo est in domum suam, id est, in illius populi synagogam, quam quia inuenit scopis mundatam, & ornatam, id est, per hypocrisim pulchram, suamq; volentes stauere iustitiam, nunc ingressus habitat ibi, cum septem alijs spiritibus nequioribus se, scilicet cum omni spiritu impietatis & blasphemiæ. Rectè ergo dictum est, nunc factus est in natio-

Iudæi in natibus mundi.

Psal. 77.

Matth. 12.

Luce 11. in nationibus quasi vas immundum, habitãtem quippe habet in se spiritũ immundum. Ipsæ autẽ nationes vasa, immunda sunt, direpta illi forti armato, quẽadmodũ ait ipse Christus, semetipsum significans. Aut quomodo potest quisquã intrare in domũ fortis & diripere vasa eius, nisi prius alligauerit fortẽ, & tunc domum illius diripiat. Sic immũdus Israel cur factus est? Quia ipsi (inqt) ascenderunt ad Assur. Assur, q̃ interpretatur dirigens plerisq; scripturarũ locis superbum diabolum significat, vt illic. Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse, in manu eius indignatio mea. Et post pauca. Et erit cũ impleuerit dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Hierusalẽ, visitabo super fructum magnifici cordis, regis Assur, & super gloriã altitudinis oculorum eius. Ergo quia ipsi ascenderunt ad Assur. i. quia sese in superbiã extulerunt, ita vt filij sint Assur, sicut dñs ait, vos ex parte diaboli estis, idcir

Esa. 10.

Ioan. 8. co quasi vas immundũ facti sunt in nationibus. Cõpleta est igitur & illa beatæ Mariæ

Luce 2. prophetia, quam dixit.] Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inães. Quia videlicet ,,ppter superbiã & dispersi sũt, factiq; cõtemptibiles vbiq; terrarũ, & culmus stans (vtiã dictum est) nõ facit in eis farinã. Quòd & si facit, nos alieni esurientes cõedimus eã. Ascensum illum quo ascenderunt ad Assur, adhuc denotat, ita subiungẽs. [Onager solitarius sibi Ephraim, munera dederunt amatoribus, sed & cũ mercede conduxerunt nationes.] Onager. i. agrestis asinus, hominem stultum atq; superbũ significat, sicut in Iob scriptum est. Vir vanus in superbiã erigitur & quasi pullum Onagri liberũ se natum putat. Rectè ergo per Onagrum carnalis Israel siue Iudæus hic intelligitur, qui vinculo dominiligari, & ad præsepe eius duci contempsit sicut in Esaia ipse dñs dicit. Cognouit bos possessorẽ suum, & asinus præsæpe dñi sui, Israel autẽ me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Nã sicut per bouẽ, qui possessorem suum, & per asinũ, qui præsepe domini sui cognouit, credens ac fidelis quisq; intelligitur, ille de Iudæis, iste de gentibus, sic Israel, qui dominũ eundẽ non cognouit, vel populus, qui eum non intellexit, imò cognoscere aut intelligere noluit, rectè Onager dicitur. i. asinus quidem, sed superbus asinus præstultitia, sed infrenis & præsepij dominici cõtemptor, vel ignarus præsuperbia. Iste Onager solitarius, id est, populus à rectore Deo profugus & solus, vtpotè, Dei desertor, & à Deo desertus, quid fecit, aut quo declinauit? Munera (inquit) dederunt amatorib. sed & mercede conduxerũt natiões. Qualib. munera dedit amatoribus? Profectò amatoribus sine fide, amatoribus amantibus in simulatione, qui sic amant, vt amantes faciant, qui sic amare simulant, vt decipiant, vt videlicet cum animas deuocauerint à Deo vero creatore suo, protinus denudatos, & auxiliũ non habentes inuadant, vt possideant, suãq; tyrannidem in eos exerceant. Ergo ironicè dictum amatoribus, nã veraciter dicere posset hostibus, tales Assirij, cæteraq; nationes fuerunt, quibus Israel misisse munera refert historia sacra, diuinũ non sperantem auxilium. Vt verò de futuris more prophetico dictum intelligas, tunc amatorib. munera dederunt, quando Christum filium Dei crucifigentes. Barrabã qua si pro munere diei festi, non vtiq; Deo, sed diabolo cunctisq; malignis spiritib. falsissimis amatoribus, certissimis deceptoribus, reseruauerunt, & ob destruendam dominidictũ copiosa pecunia militibus data cõpauerunt. Quid faciat dñs Onagro huic, populo huic, qui taliter effugit? Ait. [Nunc congregabo eos, & quiescent paulisper ab onere regis & principũ.] Et est sensus. Quoniam ipsi effugerũt à me, cõgregabo eos in obsidionẽ & in gladiũ, prius Assyriorum, & Chaldæorũ, & deinde Romanorũ, & deinde (sicut superius iam dixi) multis diebus sine rege & sine principe sedebunt. Et nota quod dixit, quiescent paulisper, quia videlicet labor illis erat, & grande onus, habere reges & principes, qualium seueritas Onagrum illũ ad præsepe dñi religaret, quales fuere iudices vsq; ad Samuel, per quos Israel saluatus est, quales fuere reges, Dauid, Ezechias, & Iozias, ac deinde rursus principes, vsque ad Machabæos duces, & ad vltimum ipse Christus, regum rex, & principũ princeps. Istiomnes onus fuere illis, nec eos ferre poterant impatientes; tanquã sub nimio pondere curui & anheli, propriæ voluntatis amatores, quomodo pueri lasciui, & adolescentes petulantes, magistros sæueros & pædagogos odisse solent austeriores. Quiescent paulisper ab eiusmodi onere requietione nimis damnosa, nunc enim dimittam eos secundũ desideria cordis eorum, vt eant in adinuentionibus suis. Quiescent quidẽ, si paulisper quia cũ excusserint se occidendo, scilicet maximum regẽ & principem suum, Christum, atq; hoc facto quiescere se putauerũt diu ab onere velut importabili, tunc alio premẽtur onere, nec requiescent grauissimis hostibus suppositi. [Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt aræ ei in delictũ, scribã ei multiplices leges meas, quę velut alienę reputatę sunt.] Causa hęc est malorũ sequentiũ. Quomodo multiplicauit altaria ad peccandũ? Videlicet in eo, quòd aliud quid coluit extra vnũ Deum, quod sacrificauit extra sanctuarium vel ordinẽ legitimũ. Siquidem vnus erat Deus, & vnum, altare eius, quocunque in loco vel quantiscunque in locis vna fide nomen eius inuocatur. Ille autem altare aliud fecit vitulo suo, qui (vt su-

Onager populus Iudæus.

Iob. 11.

Esaiæ 1.

Quiescent paulisper.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pra dictum est) non est Deus. Hoc vtiq; fuit multiplicare altaria ad peccandũ, & taliter extructæ factæ sunt ei aræ in delictũ, quando Baal quoq; & cætera deorũ portẽta susci piens, tot aras habuit, quot dæmonib. sacrificauit. Reddã ei multiplicitatis vicẽ. nã quia multiplicauit altaria, multiplicabo & ego leges meas, noua lege reprobando sacrificia quæ illis lex vetus instituerat. Vnde & sequi "tur. [Hostias offerent, immolabunt carnes, "& cõedent, & dãs non suscipiet eas.] Istæ leges carnium & hostiarum velut alienę cõputantur ei, sed tamen meæ sunt. Nónne & Dauid hoc idẽ testatur cũ dicit: Tu es sacerdos *Psal. 109.* in ętrnũ secundũ ordinẽ Melchisedech? Reprobauerunt illi altare meum, & altaria sua multiplicauerunt, reprobabo & ego sacrificia carniũ illorũ, & multiplicabo leges meas, quas illi per cæcitatẽ mentis intelligere non poterunt, & velut alienas cõputabunt, sed tamen meæ sunt. Immolabunt carnes, & dominus nõ suscipiet, immolabitur sacrificiũ nouum, & dominus suscipiet. Non erunt veteris & noui sacrificij leges cõtrarię, sed multiplices. Ipsi aũt dicunt esse contrarias, quia cæci sunt. Scribere nihilominus, & scribere non desinit eidẽ populo dominus leges suas
Excæcatio Iudæorum. leges euangelicas. Notandũ hoc est, quia nõ dixit tantũ scribam leges, sed scribã (inquit) ei qui videlicet leges ipse multiplices, quas
2. Cor. 3. velut alienas cõputant, cõtinentur in ipsius libris, testificatæ sunt à lege & prophetis. Magna est hic vindicta peccatorũ præcedentium, quòd sic cæci facti sunt, velut alienas computent leges istas, quascunq; per doctores vel scribas euangelicæ veritatis, per ministros noui testamenti Deus scribit, non litera, sed spiritu. magna (inquã) dãnatio, quod à claritate ista sub velamine cordis absconduntur. Hoc est quod protinus subiungi- "tur. [Nunc recordabitur iniquitatis eorum, "& visitabit peccata eorum.] Nunc enim id est, in hoc ipso, quòd velut alienas cõputant & non suscipiunt, non intelligunt, aut intelligere nolunt leges istas, recordatur dominus iniquitatis eorũ, & excęcatio hæc, visitatio est peccatorum eorum quæ fecerunt à die quã primũ in deserto vitulum formauerunt, vsque ad illã diem, qua Christi sanguinem fuderunt, sicut vindex prædixit Deus
Exod. 32. ad Moysen. Ego aũt in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Hæc est vindicta, quã in Psalmo sanguinis Christi exposcens, cùm dixisset: Et dederunt in escã meã fel, & in siti mea potauerunt me aceto, cõtinuò subiunxit. Fiat mensa eorum coram
Psal. 68. ipsis in laqueũ, & in retributiones, & in scãdalum. Obscurentur oculi eorũ, ne videãt, & dorsum eorum semper incurua. Hoc idẽ & in præsenti loco propheta secretius innuẽs, continuò subiungit.

[Ipsi in Aegyptum conuertentur.] Aegyptus nanq; in tenebras transfertur. Est ergo sensus, Ipsi excæcabuntur & aggrauabũt cor sicut aggrauauit Pharao & Aegyptus. Vnde & Apost. cũ de ipsis dolore intimo loqueretur, repentè Pharaonẽ pro exemplo intulit hoc modo. Dicit em̃ scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam *Rom. 9.* virtutẽ meam, & vt annuncietur nomẽ meũ in vniersa terra. Est em̃ hoc simile illi, quia videlicet sicut Pharao & Aegyptij videndo magnalia Dei, magis ac magis præ inuidia sũt indurati & excæcati, sic isti, qui debuerant esse Israel, quanto maiorem ex iam dictis legibus audiunt gloriam Christi, tanto magis indurantur & scandalizantur, & in blasphemias offendunt & corruũt cæcis oculis. Veraciter ita dictum, ipsi in Aegyptũ conuertentur. i. fient Aegyptus, sicut Aegyptij superbiendo atq; inuidendo excæcabuntur atque indurabuntur. Vnde sequitur adhuc, "[Et oblitus est Israel factoris sui, & ædifica- "uit delubra.] Idem enim est ac si dicat. Et cæcitas contigit in Israel, qua nimis obscuratus, oblitus est factoris sui, spẽ suã in Deo non posuit. Et quid egit ille oblitus domini? Et ædificauit (inquit) delubra. Verè ergo in Aegyptum conuersus est, quia spirituali Pharaoni, id est, diabolo ædificauit habitacula, maiori seruitutis miseria, quam olim Pharaoni illi ciuitates Phyton & Rames̃es ædificauerant. [Et Iudas multiplica- "uit vrbes munitas.] Et est sensus, Non in do- "mino confisus est, sed in ciuitatibus munitis, *Exo. 1.* quasi possint illũ munitiones eiusmodi deo aduersante tueri. Sed vide quid contra dicat Deus. [Et mittam ignem in ciuitate eius, & deuorabit ædes illius.] Hæc secundum præ- "teriti temporis historiã ita vt dicuntur ge- "sta sunt, quia sicut historia Regum narrat. XIIII. anno Ezechiæ ascendit Sennacherib, & oẽs ciuitates munitas cœpit, destruxit, & igne combusit. Deinde multò magis Nabu *4. Reg. 18.* chodonosor rex Babylonis, & ciuitatẽ Hierusalem, templum quoque combusit. Ad postremum verò Romanus exercitus prophetiam hanc maximè adimpleuit, quia tũc ignis illius populi ædes irrecuperabiliter de- *4. Reg. vl.* uorauit. Spiritualiter delubra & vrbes munitæ, quas ille Israel siue Iudas ædificauit & multiplicauit, superstitiones fuere, & machinamenta impietatis, quibus sese defendunt, ex quo Christus veritas, & veritatis propugnator aduenit, in quibus adhuc sese quasi muniti protegũt aduersus prædicationẽ euangelicæ fidei. Propter q̃ & igni dupliciter sunt traditi, iuxta illud de cantico Deutero- *Deut. 32.* nomij. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.

FINIS LIBRI TERTII.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN OSEE PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

Luce 23. PROLIXA inuectione peccata Iudæ siue Israel aut Ephraim spiritus propheticus præsenti loco declamans, mala illis ventura denũciat acerba nimis & diuturna, non ante finienda, donec veniret Romanus exercitus, & cumulatam in vltionem sanguinis Christi miseriarum mensuram in illis cõpleret. Testatur hoc ipse, qui in prophetis olim loquebatur Christus, cum per semetipsum testimoniũ de præsenti prophetæ huius declamatione sumens, ita loquitur du-
Matth. 23. ctus ad crucifigendum. Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros, quia ecce dies venient, in quibus dicent. Beatæ steriles, & vẽtres, quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collib. operite nos. Hoc namque Propheta hic ante prædixerat & sic infra scriptum est. Lappa & tribulus ascendet super aras eorum, & dicent montibus, operite nos. & collib', cadite super nos. Dicebat autem dominus de tribulatione & ira, quę ventura erat per manus Romanorũ populo illi in vltionem sanguinis sui. Igitur quocunq; nomine propheta hic vtatur, siue Iudam, siue Israel, siue Ephraim vocet eos, ipsi sunt Iudęi illius temporis, quod prophe ta prospicit intendens in aduentum Christi, & maximè illis mala ista denunciantur, qui patrum suorum recedẽtium à domo Dauid mensuram impleturi erant, crucifigẽdo magnum & verum Dauid. Nunc itaque cœpto
CAP. IX. tenore, ordinem prophetiæ persequamur.

"[Noli lætari Israel, noli exultare sicut popu "li, quia fornicatus es à Deo tuo. Dilexisti "mercedem super omnes areas tritici. Area "& torcular non pascent eos, & vinum me- "tietur eis. Non habitabũt in terra domini.] Notum est, quia lætari & exultare voluit Israel sicut populi, & hoc peccatum eius manifestum est, vt inferius hic propheta dicit, ex diebus Gabaa, id est, ex diebus Saul, qui fuit de Gabaa. Tunc enim Israel hoc ipsum, qd̃
3. Reg. 3. vellet lætari & exultare sicut populi, manifestauit Samueli his verbis, Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis. Constitue nobis regem vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Cumq; diceret dominus, audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim abiecerunt te, sed me, ne regnẽ super eos, iuxta opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Aegypto, vsque ad diem hanc, sicut dereliquerũt me & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi. Cum (inquam) hæc & cætera dicit dominus, & Samuel ille cuncta contestaretur, itelet lætari & exultare sicut populi, dicens illi, rum firmius manifestauit Israel, quòd vel- Nequaquam. Rex enim erit super nos, & e-
Osee 10. rimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. Nimirum hæc lætitia populorum, hæc exultatio est gentium, regem alium habere quàm DEVM, & hac lætitia lætari, tali exultatione exultare voluit Israel, quando regẽ Saulem expetiuit, quando secutus est Hieroboam, relicta domo Dauid, quando Christum negauit ante faciem Pilati, dicens: Nos non habemus regem nisi Cæsarem. Verùm taliter lætari, tali modo exultare non conceditur populo illi, qui legem accepit, & cultum professus est DEI, qualiter lætantur vel quomodo exultant cæteri populi, qui nunquam habuerunt notitiam DEI, vt vacet illis, quemadmodum & cæteris gentib. deserto DEO prosperari in temporalibus bonis. Ait ergo. Noli lætari Israel, noli exultare sicut populi, subauditur, quia non conceditur tibi. Quare? Quia fornicatus es à DEO tuo, inquit. Ac si dicat, Aliter enim iudicas vt adultera, quæ fornicando recessit à viro suo, atque aliter meretrix, quæ nulli fidem dederat, neque vnquam astricta fuerat vinculo coniugali. Tu virum Deum sortita fueras, & tali marito contempto dormisti cum altero viro, immò cum pluribus viris, olim in deserto & in Samaria, siue etiam in Hierosolymis, cum vitulis aureis, & cum Baal, cæterisque portentis, & nouissimè cum Barraba latrone, quem tibi negato Christo prælegisti, & hæc adulteria maritus deprehendit. Præcepit autem lex ipsa, quam tu professa es. Si spiritus zelotipię *Num. 5.* cõcitauerit virũ contra vxorem suam, addu cet eam ad sacerdotem. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius, & ponet super manus eius sacrificium recordationis & oblationem zelotipiæ. Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit, adiurabitq; eam & dicet. Si declinasti à viro tuo, atq; polluta es, & concubuisti cũ altero, his maledictionibus subiacebis. Det te dominus in maledictionem, exemplumq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

cunctorum in populo suo. Putrescere faciat fœmur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumescente putrescat fœmur tuum. Et respondebit omnis populus, Amen, Amen. Non sic examinatur, vel in isto seculo iudicatur meretrix, cui nō est vir, quem iure aduersus eam spiritus zelotipiæ concitare possit. Noli igitur lætari, noli exultare sicut populi tui, quia deo tuo fornicatus es, quia videlicet lætitiam siue exultationem populorum non concedunt tibi, quæ in te conscriptæ sunt legis maledictiones. Maledictus eris in ciuitate, maledictus *Deut.28.* in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus vēntris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum, &c. Porrò, populis saltem ista conceduntur temporalia bona, vt (verbi gratia) sint promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, vt sint oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassę. Cur ita? Qua ratione sic apud Deum iudicatum est? Videlicet, quia populi suos labores possidēt tu autem labores aliorum pro mercede accepisti conseruandæ legis Dei, sicut in Psalmo *Psal. 104.* scriptum est, Et dedit illis regiones gentium & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius. Hac mercede accepta. datorem Deum diligere, & legem eius custodire debueras. Sed quid? Dilexisti mercedem (ait) super omnes areas tritici. Peruersa dilectio tua. Nam Deum diligere, mercede autem vti debueras. Tu autem econtrario, mercedem dilexisti, Deum contempsisti. Ergo fornicatus es à Deo tuo, quia dilectionem, qua Deum diligere debueras, ad diligendam mercedem detorsisti, & hoc nō parcè, non quomodocunq;, sed super omnes areas tritici, id est, tam immensa cupiditate, tam profunda auaritia, vt te explere nō queant omnes areæ tritici. Tua namque auaritia ignis est, qui nunquam dicit sufficit. Talem tamque peruersum tuæ dilectionis ordinem dominus ipse detestans in Euangelio dicit: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentā, & anetū & cyminū, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, *Matth.23.* iudicium & misericordiā & fidem. Item. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi. *Luca 11.* Tam honoris quàm pecuniæ mercedem te dilexisse redarguit, quia nimirum in vtroq; peruersa est dilectio animæ fornicantis à Deo, Diligentis rē Dei, neglecto Deo. Quid igitur? Quid fieri censet propheticus sermo? Area (inquit) & torcular non pascet eos, & vinum mentietur eis. Ad auditores se conuertens totusque auersus à fornicante populo spiritus, qui hæc dicit, alijs annunciat, quid iustè propter hoc euenturum sit. Ac si dicat, Quoniam dilexit mercedem meam, & meipsum contempsit, ipsa merces tolletur ei, scilicet triticum & vinum, & cum in illis sperauit, mentientur ei, sicut continetur in maledictionibus legis. Sementem mul- *Deut.28.* tam iacies in terra, & modicum congregabis quia locustæ omnia deuorabunt. Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur vermibus. Parum hoc erat, vt area tritici non pasceret eos, & vinum pariter mentiretur eis, nisi etiam & olim Assyrio vastante, & post Romano exercitu debellante, ducerentur captiui. Ait ergo, repentè sententiam complens. Non habitabunt in terra domini, subauditur, sed in omnes gentes ducentur captiui, & nusquam requies erit illis, quemadmodum itidem Moyses prædixit. Disperget te dominus in omnes populos, à summitate terræ, vsque ad terminos eius. In gentibus quoque illis non requiesces, neq; erit requies vestigio pedis *Vbi supra.* tui, & cætera. Et notandum, quod non dixerit, non habitabunt in terra sua, sed nō habitabunt (ait) in terra domini. Non vult profiteri, quòd terra illa, ad quam possidendam ingressi sunt filij Israel, terra ipso- *Terra do-* rum fuerit aut esse debuerit, sed terra domini. Et rectè, nam hoc ipsum confirmatur auctoritate ipsius domini dicentis inter cætera, legittima terræ, quæ obseruari iussit. Terra quoque non vestra in perpetuum, quia mea est, vos autem aduenæ & coloni mei estis. Neque enim terra fuit ab initio illius populi, sed neque suis eandem terram adquisiuit meritis, cum fuerit populus durissimæ ceruicis. Vndè & Moyses dicit in Deuteronomio: Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos dominus Deus tuus in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas & æquitatem cordis tui, ingredieris vt possideas terras eorum, sed quia illę egerunt impietatem, introeunte te deletæ sunt, & vt cō pleret verbum suum dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. Scito igitur, quòd non propter iustias tuas dominus Deus tuus dederit tibi, terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ ceruicis sis populus. Rectè igitur dictum, non habitabunt in terra domini, pro eo vt diceret, non permanebunt in terra, quam dominus dedit illis, quæ nequaquam ipsorum erat, sed terra domini, quia videlicet nec ipsorum ab initio fuit, nec eam pro vllis adepti sunt meritis suis. Porrò & alia est terra, quæ dignius dicatur terra domini, scilicet terra viuen- *Psal.141.* tium, in qua & Psalmista portionē suam esse *Psal.26.* dicit, & credit videre bona domini. Num ergo saltem in illa terra poterunt habitare coloni

coloni isti, & suscipiet eos illa terra viuentiū quos ista terra Chanaan euomuit? Nequaquam. Sequitur enim.

"[Reuersus est Ephraim in Aegyptum,
"& in Assyrijs pollutum comedit. Non libabunt Deo vinum, & non placebunt ei. Sacrificia eorum quasi panis lugentium, omnes
"qui comedent eum contaminabuntur, quia
"panis eorum, animæ ipsorum, non intrabūt
"in domum domini.] Rectè, ergo non specialiter dixerat, non habitabunt in ista terra domini, sed generaliter, non habitabunt in terra domini, quia videlicet sicut de illa corporaliter eiecti sunt in terra domini, sic spiritu aliter atque inuisibiliter damnati sunt, vt animæ ipsorum non intrent in illam cælestē domum domini. Quare? Quia reuersus est (inquit) Ephraim in Aegyptum, id est, qui debuerant esse filij Abrahæ, Aegyptij facti sunt, videlicet superbientes in peccatis suis, & propter superbiam suam excęcati & indu- *Supra 7.* rati. Notandum, quia tertiò iam in ista inue- *Supra 8.* ctione hoc ipsum dixit, licet verbis aut syllabis, parumper demutatis. Supra nam dixerat, Aegyptum inuocabant, & ad Assyrios abierunt. Ac deinceps, Ipsi in Aegyptū conuertentur, & oblitus est Israel factoris sui. Nunc tertio dicit: Reuersus est Israel in Aegyptum, & in Assyrijs pollutum comedit.

Notanda sunt etiā incremata mali, secundum modos cuiusq; dictionis. Nam quod secundo ait: Ipsi in Aegyptum conuertentur, plus est quam id, quod primo dixerat, Aegyptum inuocabant, & quod tertio dicit: Reuersus est Ephraim in Aegyptū, plus est quam id, quod secundò dicit, ipsi in Aegyptum conuertentur. Præterito namque tempore dicendo, reuersus est in Aegyptū, consumatamm dissessionem exprimit, atq; addendo, & in Assyrijs pollutum comedit, peccati vel apostasiæ eius delectationem vehementer coarguit. Secundum hæc dicta nimirum populus ille de malo in deterius atq; *3. Reg.12* in pessimum declinauit. Quādo primùm de Aegypto exierant, facientes vitulum, Aegyptum inuocabant, dicentes: faciamus nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum, sed suę voluntati permisi non fuerunt. Quandoverò peccatum illud auxerunt, & recedentes à domo Dauid, non vnum tantum, sed duos vitulos fecerunt, & suæ voluntati permissi sunt, rectè secundum illud prophetico spiritui dicere conueniebat, quia ipsi in Aegyptum conuertentur. Sed eiusdem conuersionis nondum finis erat. Adhuc enim suos ad eos dominus prophetas mittebat, adhuc lucerna Dauid reseruabatur in tribu Iuda, vbi tandem crucifixerunt Christum, illuc demum propheta intuitum intendens, iam præterito vtitur tempore, dicendo: reuersus est Ephraim in Aegyptum, id est, Iudæi excæcati sunt, tenebræ facti sunt, obscurati sūt oculi eorum, & sic Pharao & Aegyptus aggrauauit cor suum, addendo, & in Assyrijs pollutum comedit, non libabunt deo vinū, & non placebunt ei. Euidenter astruit, quia quicquid extunc quasi sacrum Iudæi comedunt, cum Assyrijs, id est, malignis spiriti- *Assyrij ma-* bus pollutum comedunt, quicquid extunc *ligni spiri-* libant, quicquid sacrificant, non Deo placitum, sed deo est aduersum, secundum quod *tus.* & per Esaiam dicit idē deus. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorū nolui. Ne afferatis vltrà sacrificium frustra. Hæc & cætera cum dicit, profectò confirmat præsentem prophetiæ locum, dicentis. Non libabunt deo vinum, & non placebunt ei. Et vt exprimeret, quam pollutum comedit in Assyrijs, id est, cum spiritibus maligni qui per Assyrios solent designari, pro- *Panis lugē* tinus ait. Sacrificia eorum quasi panis lugen- *tium.* tium, omnes qui comedunt eum, contaminabuntur apud Iudæos, cum pro mortuo sacrificium offerebatur, ipsum sacrificium vocabatur panis lugentium, videlicet propter hoc, quia pro mortuo erat oblatum, in cuius morte parentes lugebant. Et quisquis in domo mortui comedisset aliquid vel tetigisset, reputabatur immundus. Vndè & aliorsum comedebant vsque ad septimum diem. Est ergo sensus. Sicuti ea, quę in domo mortui erant, immunda fiebant, & quisquis ea comedisset aut bibisset, reputabatur immundus, sic istorum sacrificia, quæ dominus in Esaia sese odisse testatur, immunda sunt, & quisquis inde comedit, contamina- *Gala.6.* tur. Quare? Quia panis (inquit) animæ ipsorum, subauditur, repositus, iuxta illud. Quę enim seminauerit homo, hæc & metet. non intrabit in domum domini, videlicet quia sacrificatur, vel offertur extra gratiā domini extra fidē Christi. Hęc propheta quasi ad circunstantes respiciens, dixerat nunc ad ipsos quibus antè loquebatur, iterum oculos fortiter zelo terribiles conuertit & dicit. [Quid,, facietis in die solenni, & in die festiuitatis domini?] Hæc sub interrogatione, vt eos euigilare faceret exclamauit, cunctisque qui audiunt in attentionem excitatis, rursum se conuertit, & causam reddit, cur eos tam grauiter percunctatus sit. Ait enim.

[Ecce enim profecti sunt à vastitate, Aegyptus congregabit eos. Memphis sepeliet,, eos, desiderabile argenti eorum vrtica hæ-,, reditauit, lappa in tabernaculis eorum. Ve-,, nerunt dies visitationis, venerunt dies re-,, tributionis.] Tanquam diceret, derident,, isti quasi me promittētem longinquum die dum dico. Quid facietis in die solemni, & in die festiuitatis DOMINI. Sicut mos eorum est, illudere prophetis. Exempli gratia, sicut in Esaia dicunt, Manda re-

manda,

Universidad de Deusto
Biblioteca

manda,manda remanda.expecta reexpecta, expecta reexpecta,modicum ibi, modicum ibi. Quoniam ergo non credunt diem illum aut certè contemnunt, quasi non propè, sed longè venturum,ecce de propinquo molestum datur illis argumentum, vt non vacet eis dissimulare diem illum quandoque venturum,quem dico solennem,quem dico domini festiuitatem. Ecce enim profecti sunt, id est,sine dubio in proximo proficiscentur à vastitate decem tribus in Assyrios, & reliquæ duæ in Babylonios. Illuc proficiscentur à vastitate, id est, hic relinquentes, solã vastationem terræ, vastata enim remanebit gladio & igne. Qui superfuerunt ex eis, Aegyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos. Hoc ita factum est. Reliquiæ ex Iudæis interfecto Godolia, quem rex Babylonis terræ præfecerat,contra domini præceptum fugientes Chaldæos,ingressi sunt Aegyptũ, & postea (sicut Hieremię testatur liber) ibi
4.Reg.23. Hier.41. à Nabuchodonosor interempti sunt. Memphis,cuius habitores sepelierunt eos,ante cõditam Alexandriam metropolis erat Aegypti. Cur cum dixisset,ecce profecti sunt, subiunxit à vastitate,satis aperit his verbis. Desiderabile argenti eorum,vrtica hęreditauit lappa in tabernaculis eorum. Longam nimirum & magnam his verbis significat vastitatem,quia vbi erant quondam domus pulcherrimę desiderabiles,& desiderabili argẽto comparatæ,ibi lappæ ortæ sunt atq; vrticæ. Ab isto præsentium vel citius venientium malorum argumento, malorum fidẽ capere poterant malorum de longitudo, vt non liberet eos ridere vel subsannare ad percunctationem dicentis, quid facietis in die solenni, & in die festiuitatis domini. Sanè dies ille solẽnis,dies festiuitatis domini quis sit,manifestius aperit, cum repetit, & dicit.
Esai.63. Venerunt dies vastationis,venerunt, id est, certissimè venturi sunt dies retributionis. Siue cum singulariter diem, siue cum pluraliter dies dicit, idipsum intendit. Etenim quod hic dies dicitur,alibi dicitur etiam annus. Nam in Esaia Christus ipse dicit. Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Dicitur etiam tempus, vt verè extitit quando dominus noster in hũc mundum venit,quando & ciuitati, quæ illũ
Lucæ 19. venientem cognoscere noluit, flens super illam,dixit, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tẽpus visitationis tuæ. Quod illic dicitur tempus visitationis,& in Esaia annus retributionis,hic dicuntur dies visitationis,dies retributionis. Istud tempus visitationis, iste dies vel annus retributionis, visitanti domino solennis dies est festiuitatis, quia extunc gloria & honore coronatus est filius hominis, & sicut in Canticis Canticorũ legimus, dies desponsionis eius,dies lætitiæ cordis eius extitit. Illis autem phreneticis, qui visitantis medici gratiam non cognouerunt, imò repulerunt,dies est retributionis,dies interfectionis,sicut de eiusmodi die Esaias dicit, di- Esai. 22.
es.n.interfectionis & cõculcationis & fletuũ à domino Deo exercituũ in valle visionis. Sequitur.[Scito te Israel stultũ,prophetã in-,, sanum, virum spiritualem, propter multitu-,, dinem iniquitatis tuæ & multitudinem amẽ-,, tiæ tuæ.]Iterum conuersus ad eum, de quo,, præcedentia quasi ad auditores loquebatur consilium illi præbere atque sensatas cogitationes insinuare nititur. Consilium quippe sanum est dicentis,scito te stultum, scito te insanum,scito te spiritualem,id est,amentẽ, post spiritualia nequitiæ euntem spiritum, erroris sequentem,istud nanq; scire via vel principiũ est sapientiæ. Hoc ille de semetipso scit,quem respexit,quem eruditione sua dignum iudicauit spiritus timoris domini. Hinc namq; Salomon dicit. Visio quam lo- Prouer.30.
quutus est vir,cum quo est dominus, & qui Deo secum morante,confortatus ait. Stultissimus sum virorum,& sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non noui sanctorum scientiam. Ad magnã ergo visionem illum excitare intendit, adhortando, vt sciat se esse stultum,quia videlicet hæc est visio quam loquutus est vir, cũ quo est Deus. Hoc & Apost. intẽdẽs. Si quis 1.Cor.3.
(ait)sibi videtur inter vos esse sapiens, stul- Inflati scie tia Iudæi.
tus fiat,vt sit sapiens. Nec verò abs re taliter, sed pro negotio magno illum populum admonet,quia videlicet ferè nullius gentis homines adeò delectantur videri sapientes aut scientes & magistri, vt homines populi Israel. Idcirco spiritu superbiæ decepti magistri facti sunt erroris, qui nolunt esse discipuli veritatis. Inde est illud væ,quod illis Dominus enunciat his verbis. Væ vobis legisperitis,quia tulistis clauim scientiæ. Ipsi non introistis,& eos qui introierunt prohibuistis.
Hier.6. Est igitur sensus, O Israel qui tibi sapiens videris,qui cum multa mentis elatione prophetasti, & prophetis tuis arrisisti, dicentibus,pax pax,& non venient super vos mala scito te & confitere stultum, scito & confitere te prophetam insanum insanias falsas sequutum,scito te virum spiritualem, id est, spiritu erroris deceptum,& hęc tibi accidisse propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter multitudinẽ amentiæ. Si enim hoc scieris,si istud confessus fueris,tunc loquente tecum Deo sapiens fieri poteris,& iniqui- Sapien.8.
tates tuæ remittentur tibi. Quod si nunc scire nolueris,scies quandoque, & sine fructu pœnitentiæ pœnitebit te, quòd stultus fueris,iuxta illud sapientis. Ergo errauimus à via veritatis, iustitiæ lumen non reluxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem domini ignorauimus. Clamauit ad Israelem suggerens, immò & inculcans, vt sciat & confiteatur

fiteatur,quòd stultus sit. At ille pertinaciter stultitiam suam defendit,dicens,quòd sapiens sit. Itaque rursus ad auditores conuer-
"titur,& conquerendo dicit. [Speculator E-
"phraim cum deo meo propheta loquens rui
"næ,factus est super omnes vias eius, insania
"in domo eius. Profundè peccauerunt, sicut
"in diebus Gabaa. Recordabitur iniquitatis
"eorum,& visitabit peccata eorum.] Magna vehementer malitiæ vel præsumptionis admiratio,dum dicit, speculator Ephraim cũ
Speculator cum Deo. Deo meo. Qui d enim est,speculatorem esse cum Deo,nisi speculationis subtilitate contendere cum Deo. Deniq; sicut pugnare cũ inimico,idem est,quod pugnare contra inimicum, ita speculari cum DEO, idem est hoc loco, quod speculari contra DEVM. Non enim dixit speculator DEI, quod bonumesset. Hoc enim debet esse is,quemcunque DEVS vice sua pro animarum custodia vigilaturum posuit, sed dixit speculator cum Deo, quod malum est. Sic enim rectè denotatur ille, quicunque aliquo machinamento diuinis molitur obuiare cõsilijs. Hoc egit Ephraim. Hoc Hieroboam
3.Reg.12. fecit. Dixit enim in corde suo. Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in domo domini in Hierusalem,& conuertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regẽ Iuda,interficientq; me & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos,& dixit eis. Nolite vltra ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Posuitq; vnum in Bethel,& alterum in Dan. Talis fuit speculator,& sic astutè(vt putabat)speculatus Ephraim,& hanc speculationem cum speculatione Dei contulit,prætulitq; illius consilio vel speculationi dicentis sibi. Si igitur audieris omnia, quæ præcipio tibi, & ambulaueris in vijs meis, & feceris quod rectũ est coram me,custodiens mandata mea & præcepta mea,sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum,& ædificabo tibi domum fidelem quomodo ædificaui Dauid, & tradam tibi Israel & affligam semen Dauid super hoc, veruntamen non cunctis diebus. Nunquid non melius se sibi prouidere putauit,consilium aliud excogitando sibi? Ait ergo, Speculator Ephraim cum Deo meo. Dictũ hoc admirantis pariter & dolentis sonat affectũ. Non enim tantũ dixit,speculator cum Deo, sed speculator cum Deo meo. Habuit & prophetas Ephraim, videlicet quales erant illi quadringẽti quinquaginta viri,quos vno die Helias interfecit,& quales postea Iehu sacrificio simulato Baal,quotquot erant, omnes occidit. Imò & ab initio,factis vitulis aureis sicut sacerdotes,ita & prophetas Hieroboã sibimet instituit. De quibus erat ille, qui virum Dei venientem de Iuda in sermone domini contra Hieroboam fefellit, & reduxit secum vt comederet & biberet in domo eius,propter quod cum abijsset,inuenit eum leo in via,& occidit. Cum ergo dixisset speculator Ephraim cum Deo meo, subiunxit atque ait,Propheta laqueus ruinæ factus est sup omnes vias eius. Propheta dixit Ephraim, id est prophetas habentem. Et quia prophetæ illi verè insanierant,& nihil quod ad sanitatem pertineret, prophetabant, sed tãtummodo inutilia quædam insana mente diuinabant,idcirco subiunxit atque ait. Insania in domo Dei eius. Quis autem erat Deus eius? Vtiq; vitulus aureus,& talis domus Dei erat ea,quæ fuerat vocata Bethel,id est, domus Dei. Illic insaniam, id est, insanã prophetiam iam tunc fuisse manifestũ est. Scri- 3.Reg.13.
ptum est enim sic. Prophetæ aũt quidam senex habitauit in Bethel,ad quem venit filius suus,& narrabat ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel,& verba quæ locutus fuerat ad regem, &c. Eiusmodi prophetia quam illi prophetabant, rectè hic dicitur insania. Quid enim insanius, vt exempli gratia de eodem,quem nunc commemorauimus,aliquid proferamus? Quid (inquã) insanius,quàm quòd & illum virum Dei decepit,& in inobedientiã ruere fecit,sciens & hoc intendens,quod euenit? Exclamauit enim & dixit,Quia inobediens fuisti ori domini,& non custodisti mandatum, quod pcepit tibi,non inferetur cadauer tuũ in sepulchrum patrũ tuorũ. Item cũ occidisset illum leo,& ille sepelisset eum,dixit ad filios suos. Cũ mortuus fuero,sepelite me in sepulchro in quo vir dei sepultus est,iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini. Verè iste insanus erat, taliter nequam alij, nequior sibi. Quid enim iste, nisi per insaniã semeipsum occidit,suæq; animę mortem cum morte aliena apertis perpetrauit oculis? Etenim ó insane,si propterea non infertur cadauer eius in sepulchrũ patrũ eius, quia inobediẽs fuit ori domini, Tibi quid fiet, qui hoc scienter fecisti,quòd factus es inobediens ori domini? Talis prophetia sic insaniens propheta, laqueus (inquit) ruinæ factus est super omnes vias eius, subauditur Ephraim, & ad illaqueandum intenti omnes erãt prophetæ illi,& prævalebant decipiẽdo sub nomine prophetarũ diuinando aliquid. Quid enim dicebant, nisi quod ille iam dictus dixit. Et ego propheta sum similis tui,& angelus locutus est mihi in sermone domini? Si hoc dicendo laqueus factus est viro Dei, ita vt falleret eum,& reduceret secum, quanto magis populum fallebant, & super omnes vias eius laqueum deceptionis tendebant? Neq; enim sinebant, vt auctoritatẽ haberet quispiã de prophetis dni,cũ sese cõferre auderet illi pseudopropheta, diceretq;, Et ego ,,ppheta sũ similis tui. Deniq; pugno etiã interdũ sibi auctoritatẽ cõtrari' ,,ppheta cõtra

prophe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prophetam domini vendicare non dubitabat. Sicut alio loco scriptum est: Nũc igitur (ait Michæas ad regem Achab) ecce dedit dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorũ, qui hic sunt, & dominus loquutus est contra te malum. Accessit autem Sedechias filius Chanaam & percussit Micheam in maxillam & dixit, Me ne ergo dimisit spiritus domini, & loquutus est tibi? Iam vt ad rem summã recurram. i. ad tẽ pus dominicæ passionis, quo totius prophetiæ caput intendit. Tunc verè propheta laqueus ruinæ factus est, quando prophetauit Caiaphas, quod Iesus moriturus erat pro gente. Hoc nimirum intendens populo insinuare, quod nisi illum interficerẽt, futurum esset, vt venirent Romani, & tollerent eorum locum & gentem. Sic namque prophetando cunctos illaqueauit, & attraxit in cõsensum peccati, quod velut laqueus inexplicabilis, & loco, & genti (sicut iam apparet) magnæ ruinæ causa extitit. Illic populus Iudaicus rectè dicẽdus erat Ephraim, quia (sicut superius iam dictum est) illic Ephraim, id est, decem tribuum recedentium à domo Dauid, peccata consummauit, crucifigendo Christum filium & Dominum Dauid. Dicatur ergo speculator Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius. Speculatus est enim & quasi speculando contendit cum Deo, putans quod consilium Dei suo destruere posset consilio. Dixit enim, Quid facimus, quia hic homo signa multa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Deus autem econtra speculabatur, quòd si non dimitterent eum, sic omnes crederent in eum. Sed & in omnibus quæcunq; aiebat vel dicebat Dominus, speculator aderat ille Ephraim, ille falsitatis fabricator pharisaicus liuor, vt illius admiranda opera vel negarent, vel sinistra interpretatione deprauarent, & vt eum aliquando saltem in sermone caperent. Vndè Psalmista, cùm dixisset. Inimici mei dixerũt mala mihi, quãdo morietur, peribit nomen eius, continuò de quolibet illorum subiunxit. Etsi ingrediebatur fores, vt videret, vana loquebatur cor eius, congregauit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. Et est sensus, Si quis illorum accedebat ad sermonẽ vel conuictũ meum, ad hoc tantùm accedebat, vt insidiaretur mihi, & egrediens ad eos, loquebatur in idipsum, id est, secundum ipsam iniquitatem, quam cor eius congregauit sibi. Nimirum, quia sic malitiosè egit ille Ephraim, Ecce insania in domo Dei eius. insania (inquam) quam totus orbis audiuit. Insanierunt enim extunc horribiliter seditiosi. & illam seditionem quam in Barraba latrone maluerũt hæreditare, condemnato Iesu pacis principe, sic ventilauerunt intus obsessi vt (sicut Iosephus testatur) admirationem simul & dolorem facerent obsidentibus Romanis. Fiebat autem hoc maximè in templo, cuius præsidio firmissimo seditiosi malè vtebantur. Rectè ergo dictum, insania in domo dei eius. Et quid erat Deus eius, nisi mammon, cui seruiendo, domum illam fecerant spelũcam latronum, & in eo diu latrocinati fuerant? O inexcusabilem malitiã illorum. Pro fundè (inquit) peccauerunt sicut in diebus Gabaa, id est, Sicut facere cœperunt in dieb. Saul, qui fuit de Gabaa, quando Dominus non ignorans quantum in profundum peccat descendere cœpissent, ac peruenturi essent. Dixit ad Samuelem. Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Deniq; non statim factum est, vt non regnaret Dominus super eos, præsertim cum postmodum, amoto Saul, Dauid illis regem dederit, secundum cor suum, sed certissimè futurum erat, vt quod facere cœperat, dicẽdo. Constitue nobis regem, sicut & vniuersæ habent nationes, itemq; nequaquam audiemus te. Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes. Hoc ipsum perficerent, negando Christum Regem & dicendo, non habemus regem, nisi Cæsarem. Horum quidem medium fuit, q decem tribus recesserunt à domo Dauid, Hieroboam & vitulos aureos secuti, sed tota serie temporum vel generationum, vnus idemq; extitit funiculus peccati, quo meritò deberent, Domino flagellante, de templo & de regno eius eijci. Hoc est, quod protinus dicit. Recordabitur iniquitatis eorũ, & visitabit peccata eorum, vt videlicet, quemadmodum dixit. Venient hæc omnia super generationem istam, duplicem recordationis & visitationis recipiant vindictam, temporalem pariter & æternam. Et vt manifestum sit, hoc idem intendere spiritum propheticum, quod Dominus intendit, dicendo (vt iam dictum est) venient hæc omnia super generationem istam, quòd scilicet superiora patrum peccata portare debeant imitatores filij, repetit altius & dicit. [Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum. Ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor & abalienati sunt in confusionẽ, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Ephraim, quasi auis auolauit, gloria eorum à partu & ab vtero & à conceptu.] Hic iam ipsa Dei persona loquens in propheta, peccata ipsa, quæ visitanda erant, commemorans, prius sua breuiter quidem, sed mirabiliter ad memoriam audientium beneficia reuocat, vt ingratitudinem illorum contra quos sermo est, quilibet perpendens, admiretur cum Moyse, vt dicat. Generatio praua atq; peruersa, hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens? Quasi vuas (inquit) in deserto

Caiaphas speculator cum Deo. Ioan.11.

1.Reg.8.

Matth.23.

Psal.48.

Deute.32. Israel bonus, Ephraim malus.

serto inueni Israel. Israel hoc loco totum bonum, totum electum oportet intelligi. Nam econtra per Ephraim, qui quasi auis auolauit, omnes illi sunt intelligendi, qui tantum modo filij carnis, & non filij sunt promissionis, quorum idcirco gloria dicitur esse à partu & ab vtero, & à conceptu, quia in sola carne gloriantur Abrahæ, atque idcirco non æstimantur in semine, Israel ego quasi vuas inueni, id est, sic super filijs Israel credentibus, in me gauisus sum, quomodo gaudet quispiam cum in transitu vel itinere dulces ad comedendum vuas inuenerit. Ista inuentio gratiæ fuit. Vbinam inueni? In deserto, id est, in tali loco, vbi mirum fuit vuas nasci, vbi pro magno habendum sit Israelem, id est, animas Deum videntes siue rectas potuisse inueniri. Desertum illud, fuit terra Aegypti, quia videlicet desertum est terra, vel gens omnis, quę Deum verum deserens, vel non habens, ab eodem iustè deserta est. Non solum autem desertum, verumetiam locus erat horroris, iuxta illud Deuter. Inuenit eã in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis. Et quidem illud quoq; desertum, per quod circũdixit eos quadraginta annis, hic valet intelligi, sed magis horridum erat illis desertum ipsa Aegyptus, vbi seruientes in operibus luti & lateris hoc ipsum vapulabant, quòd quasi desertos se esse, gementes ad dominum vociferabantur. Quod illic inuenit Israel quasi vuas, id est, quòd audiuit gemitum eorum, propter dilectionem patrum fecit, sicut scriptura testatur, vbi præmisso, quia ascendit clamor eorum ad dominum pro operibus, & audiuit gemitum eorum, continuò subiunctum est. Ac recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham, Isaac, & Iacob, respexitque dominus filios Israel, & liberauit eos. Benè ergo cum dixisset, quasi vuas in deserto inueni Israel, continuò subiunxit, Quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum. Et est sensus, Quando gemitum eorum audiui, recordatus sum fœderis quod pepigi cum patribus eorum.

Quomodo autem patres illi, vel qua significatione quasi prima poma ficulneæ dicãtur, ille locus scripturę nos instruit, quòd Adam & Eua cum admisso peccato cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Rectè namque genus humanum propter hoc ipsum ficulnea dicitur, quia primi patres generis humani transgressores facti, folijs ficulneæ puden da contexisse noscuntur. Cuius nimirum ficulneæ quasi prima poma fuerũt patres eorum, quia videlicet primis seculi temporib. isti de humano genere Deo placuerunt. Nó quasi prima folia, sed quasi prima poma (inquit) inueni patres eorum. Quantò meliora sunt folijs poma, tãto vtiliores cætera multitudine hominũ inueni patres eorum. Etenim, quod non sine gemitu recolendum est, *Plura folia* ficulnea hæc multum in folijs luxuriata est, *quã poma* multã citò folia dilatauit, pauciora verò po*huius ficul*ma tardius protulit. Homines quos more*nea.* suo natura produxit extra benedictionem vel gratiam creatoris dicentis, Crescite & multiplicamini, & ad illam pertinentes irã, qua mulieri post admissum peccatum dixit, Multiplicabo erumnas tuas & conceptus tuos, huius ficulneæ non poma, sed folia sunt. Porrò, filij benedictionis poma sunt eiusdẽ arboris, & patres Israel (de quibus iam dictum est) quasi prima poma fuerunt in summitate arboris, quia pro merito primæ fidei principatum obtinent, & summi sunt in vniuersitate generis humani. Ipsi autẽ (inquit) intrauerunt ad Beelphegor. Non solum hoc fecerunt, sed inter omnia quæ fecerunt, hoc fuit turpissimum, quod spiritu fornicationis seducti per mulieres Madian initiati sunt Beelphegor, quem Latini nuncupant Priapum. Et hoc facientes abalienati sunt (ait) in confusionem. i. alieni facti sunt, & non filij patrũ talium quos vidi, quos cognoui, quos elegi, vt essem Deus eorum, & ab illa gloria traducti sunt in confusionẽ, in ignominiam Dei sui, ventris sui, & eorum quæ sub ventre sunt, comedendo sacrificia mortuorum & fornicando cum mulieribus, quę illos ad sacrificia sua vocauerunt. Vis scire, quãtam in cõfusionem abalienati sunt? Et facti sunt (ait) abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Ergo facti sunt sicut Beelphegor, ad quem intrauerunt. Et reuera sic facti sunt, testante alio propheta, cum dicit de simulachris eiusmodi. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Et notandum, quòd neque iste dixit, & facti sunt abominabiles sicut quæ fecerunt, sed sicut ea quæ dixerunt, neque ille tantummodo dixit, similes illis qui faciunt ea, sed addidit, & omnes qui confidunt in eis. Talis vnusquisque est, quale illud est quod diligit, vel in quo confidit. & hoc adeò verum est, vt qui Deum diligunt, vel qui Deo confidunt, authoritate sanctæ scripturæ dicantur etiam dij vel filij Dei. Cæterùm si quis faciat iniquitatem, & non etiam diligat, nondum rectè dicitur abominabilis, sicut illa quæ fecit. Potest enim fieri, vt recuperet honestatem & beatitudinem, Deo contegente mala eius facta, iuxta illud Psalmistæ. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Nomen eorum qui dilexerunt mala quę fecerunt, cõfestim exprimit, dicẽdo. Ephraim quasi auis auolauit. Etenim peccata Ephraim, id est, Hieroboam, qui fuit de tribu Ephraim, tempore illo erant vituli aurei, & peccata illa sic dilexerunt, vt ne vnus quidem de regibus decem tribuum recesserit ab eis, atque idcirco cuncti quicunque vel prius vel posterius fuerunt, suam diligentes iniquitatem, rectè hic denotantur nomine

Ficulnea genus humanum. Gen.3.

Nume.25

Psalm.113.

Psalm.81. Ioan.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ephraim. Et vide qualiter opposuerit, Israel quasi vuas inueni (inquit) & partes eorum quasi prima poma in cacumine ficulneæ vidi. Ephraim autem quasi auis auolauit. Secundum similitudinem hanc sæpè contingit, in eadem vite, qua dependet vua, super eandem ficulnea in qua dulcia insunt poma, plerunque auis sedet sibi, sed longè aliter ad votum vel commodum agricolæ propius accedentis. Denique vua pomumque manum eius expectat, vt carpat & in os suum mittat, auis autem exiliens euolat. Sic nimirum Ephraim, quicunque ille est filius carnis non promissionis, non expectauit manum domini, non voluntati eius paruit, sed indomitus effugiens, regem suum Dauid dereliquit, Christum filium Dauid denegauit. Israel autem, quicunque extitit filius promissionis, radici bonæ inhærens, atque inde trahens amoris pinguedinem præstitit, & tanquam vua, vel vt pomum ficulneæ, colligentem atque eligentem dominum delectauit. In quo gloriatur vua ista, vel pomum istud, socium radicis, quod portat illa paternæ fidei radix, in eo gloriari nequaquam illa poterit auis, ille volatilis & refuga Ephraim. Sed quid? Gloria eorum (inquit) à partu, & ab vtero, & à conceptu. Et est sensus, In eo gloriantur quod secundum carnem semen sunt Abrahæ, quòd secundum carnem semen faciunt in Israel, quòd vxores eorum multum pariunt, quòd veteri nuptarum steriles non sunt, quòd conceptus eorum multiplices sunt. In huiusmodi
Ioan.8. gloriantur, & dicunt, Semen Abrahæ sumus, pater noster Abraham est. [Quod & si enutrierint filios, absque liberis eos faciam in hominibus.] Ac si dicat, Gloriantur ipsi tanquam commodi, & multum prole sua conferentes Israeliticæ carni, sed palam faciam, quod non delecter ego in multitudine filiorum, qui non promissionis vel fidei, sed tantummodo carnis sunt filij. Nam & si enutrierint & educauerint, si vsque ad adolescentiam, & vsque ad iuuenile robur, gloriam partus, gloriam vteri & conceptus sui perduxerint, faciam vt absque liberis sint, vt cadant in gladio filij coram parentum oculis, nullosque genuisse filios, illis potius optabile sit. Non autem isto contentus ero. [Sed & væ eis cum recessero ab eis.] Ac si dicat, Non solum hoc malum erit eis, vt fiant absque liberis, vt cadant in ore gladij materialis filij quos enutrierint, sed postquam sic recessero ab eis, postquam sic tradidero illos in manu hostili, sequitur adhuc væ, id est, iudicium æternæ damnationis, iuxta quod
Psalm. 62. & Psalmista cum dixisset. Tradentur in manus gladij, cósestim addidit, partes vulpium erunt. Idem enim est, ac si diceret. Corpora illorum gladijs, animæ verò tradentur spiritibus malignis. Quam ob causam? Ait. [Ephraim (vt vidi) Tyrus erat fundata in pulchritudine.] Et est sensus, Idcirco tam terribile portabunt iudicium, corpore & anima damnati, quia peccatum eorum nõ ex ignorantia vel infirmitate procedit, sed ex superbia, quam per Tyrum notum est significari. Exempli gratia, cum ad Ezechielem dominus dicit. Fili hominis, dic principi Tyri. Hæc dicit dominus Deus. Eo quòd eleuatum est cor tuũ, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo & non Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei. Et subinde, Hæc dicit domi- *Ezech.28.*
nus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs paradysi Dei fuisti, cũ ergo præmittẽs, absq; liberis eos faciã in hominib⁹, sed & vę eis, cũ recessero ab eis, statim subiungit, Ephraim Tyrus erat, fundata in pulchritudine miro modo iustę damnationis causam reddit sufficientem, id est, superbiæ magnitudinem. Et rectè per Tyrum vitium designatur pec- *Tyrus superbiæ symbolum.*
catoris superbientis, peccata sua defendentis, quia videlicet sicut Tyrus circumuallata mari, non sine periculo pugnantium poterat impugnari, ita quicũque eiusmodi est, non sine periculo redarguentium solet redargui, vt hic idem populus, qui redarguentes prophetas, & ipsum dominum prophetarũ occidit. Et notanda qualitas distinctionis, cum dicit, Ephraim (vt vidi) Tyrus erat. Idem est ac si dicat, Ephraim in oculis meis superbus apparebat. Grauissimæ nanque denotationis est, superbum quemque dici in oculis domini, sicut ecotra humilem esse vel dici in oculis domini, magnæ approbationis est. Porrò, pulchritudo est de qua *Pulchritudo vana superborum.*
dicit, fundata in pulchritudine, falsa est & vana, qua superbi omnes sibimet pulchri videntur, dum suas sordes cognoscere dedignantur, quin & irasci solent, dum illis à corripiẽte quòd sordidi sint, aliquo modo suggeritur. Sic Tyrus fundata est, sic sibi stare videtur, qui superbus & arrogãs est. Propterea iustum est Ephraim pati id quod iam dictum est. Et hoc ipsum repetitur, cum protinus subiungit. [Ephraim educit ad inter-
fectionem filios suos.] Ac si dicat. Propterea, sicut iam præmisi, dicens, absque liberis faciam eos, ita nunc repetens dico. Ephraim educit ad interfectionem filios suos, id est, interficiendos & morti destinatos generat filios, imò & ipse interficit eos malo exemplo, vt perinde interficiantur gladio. Sequitur. [Da eis domine. Quid dabis eis? Da eis
vuluam sine liberis, & vbera arentia.] Mira
inclamatio, mira postulatio. Audierat propheta magnam iustæ sententiæ sęueritatem, iustam filiorum interfectionem, & mirabiliter infelicium parentum miseratus angustiam exclamauit, & dixit. Da eis domine. Statimque sermone nondum peracto, datum quod quærit doléter apud semetipsum perpendens percunctatur, & dicit, Quid dabis eis?

bis eis? Quid volo vt des illis? Nunquid vt salui sint? Nunquid vt væ non sit illis, aut vt viuant cum liberis? Non vtique tale quid postulare ausus sum, sed da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia. Quare? Nimirum quia dies illi tales erunt vt dicant, Beatæ steriles & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. *Lucæ 23.* Hoc sciens ipse dominus cum ad crucifigendum duceretur, dixit mulieribus quę plangebant eum, & lamentabantur. Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles & ventres quę non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Itaque idcirco da eis vuluam domine sine liberis, quia beati ventres qui non genuerunt, & idcirco da eis vbera arentia quia beata vbera quæ non lactauerunt. O infelix fœcunditas & fœcunda infelicitas, cuius in comparatione sterilitas, quæ in illa gente pro maledictione reputabatur, beatitudo est. Hæc interlocuto propheta, rationem suam prosequitur in sua persona, diuina maiestas, & dicit. [Omnes nequitiæ eorum in
Galgalis, quia ibi eos exosos habui.] Supra dixerat. Væ eis cum recessero ab eis, &c. nunc dicit, Omnes nequitiæ eorum in Galgalis. Et est sensus. Non mireris o Propheta, nec tibi plus iusto dura videatur sententia siue vltio nimis festinata, quia nequitiæ eorum quæ vindicantur propter quas sententia profertur, non nouæ sunt, sed inueteratæ sunt, & ab antiquis diebus semper in peius profecerunt. Primus namque in Galgalis,
Galgala vetus idolorum locus. quam in Bethel idola coluerunt, quia videlicet idolum vitulinum, in Bethel coluerunt
Iudic.3. temporibus Regum, sed supra iam temporibus Iudicum in Galgalis nequiter egerunt habendo illic idola, sicut scriptum est in libro Iudicum. Cumque obtulisset Ahot regi Eglon munera, prosecutus est locios qui cum eo venerant, & reuersus de Galgalis vbi erant idola, verbum (ait) secretum habeo ad te ô rex. Et post pauca, Ahot autem, dum illi turbarẽtur, aufugit, & pertransijt loca idolorum vnde reuersus fuerat. Et pulchrè dictum, quia de loco idolorum, id est, de Galgalis, reuersus fuerat animo quippe idolatriã, quam sectabatur Israel, reliquerat, & miro modo ante hęc in eodem libro scriptum est. Ascenditque angelus domini de
Iudic.2. Galgala ad locum fletus, & ait Cur hoc feciltis? Denique idcirco de Galgala, vbi erant idola (sicut iam dictum est) angelus domini ad eos ascendisse dicitur, vt subintelligas eum ad videndas nequitias descendisse illuc eodem descensionis modo, quo alibi dictum est. Clamor Sodomorum & Go-
Gen.18. morrhæ multiplicatus est, descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Præterea, regem sibi fecerunt Saulem, contra voluntatem domini, & cum dominus non lætaretur in eis, Imò diceret ad Samuelem, non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua quæ fece- *1.Reg.8.*
runt à die qua eduxi eos de Aegypto, vsque ad diem hanc sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi. Ipsi tantum contemnentes offensionem siue conquestionem domini lætabantur, sicut illic manifestè scriptum est. Et immolauerunt ibi victimas pacificas coram domino, & lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis. Verè nimis, quia nimium est, homines lætari cum malefecerint, & exul- *Proverb.2.*
tare in rebus pessimis, sicut lætabantur hi cũ tam malefacerent, vt dominum abijcerent, ne regnaret super eos. Vndè & hoc valdè notandum, quia lætitia taliter lętantium ibidem in confusionem versa est. Illic enim
1.Reg.13. Saul præsumptuosè contra legem, qui non erat de tribu Leui, holocaustum obtulit, & propter hoc audire meruit. Nequaquam regnum tuum vltra confirmet. Quærit dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei dominus, vt sit dux super populum suum eo quod non seruaueris quæ præcepit dominus. Igitur non nouæ sunt nequitiæ, propter quas nunc prædico vę illis, quia iamdudum istæ illorum nequitiæ fuerunt in Galgalis, & ibi lætati sunt in rebus pessimis. Et idcirco non plus iusto festiua nunc est sententia iudicantis, quia sicut lętati sunt in malis, ita non desinent lętari donec loquantur super me labijs, & moueant capita sua dicentes. Vah qui destruit templum Dei, &c. t. Ibi (inquit) exosos eos habui. Vbi? In ipsis nequitijs, quia sic nequiter egerunt & agunt, vt etiam exultent in rebus pessimis. [Propter malitiam adinuẽtionum
eorum de domo mea eijciam eos, non addam vt diligam eos.] Hoc iam tertiò factũ
est. Prius namque in Assyrios decem tribus eiecit dominus de domo sua, id est, de Bethel, quod interpretatur domus Dei, quod nomen Iacob vbi imposuit Hieroboam verò fecit illam esse domum idoli, ponendo illic vnum de vitulis aureis. Deinde tribum Iuda eiecit de domo sua, id est, de templo, quod erat in Hierosolymis, & in Babylonem transmigrare fecit. Veruntamen tunc addidit, vt diligeret eos, reduxit enim eos soluta captiuitate post septuaginta annos. Porrò, iam tertio sic eiecit eos de domo sua, vt hoc ipsum terribili signo significare dignum duceret, cum flagello ejiciens vendentes & ementes de templo, dicens eis Scriptum est. Domus mea domus orationis vo- *Matt.21.*
cabitur, vos autem fecistis illam speluncam *Ioan.2.*
latronum. Ita eiectis illis postmodum (sicut illic significatum est) vt caderent in ore gladij, & captiui ducerentur in omnes gentes, non addam (inquit) vt diligam eos, quia videlicet cum in præsenti puniantur, non eue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nietillis remiſsio ſaltem in futuro ſeculo. Sciendum autem, quia de domo ſua neminem Deus eijcit, niſi eum qui ſponte ſua, mente auerſa, recedit. Sequitur ergo, & cauſam dicit, cur de domo ſua ſeſe illos eijcere prædixerit. [Omnes principes eorum recedentes.] Idem enim eſt ac ſi dicat. Idcirco de domo mea eijciam illos, quia principes eorum omnes recedentes ſunt. Omnes animo receſſerunt, & quamuis labijs me honorent, *Eſaiæ 26.* cor eorum longè eſt à me. Et quidem de regibus decem tribuum palam ſcriptura refert, quia omnes recedentes à Deo fuerunt. Nullus enim illorum receſsit à peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Iſrael. Porrò de ſcribis & Phariſæis & Principibus ſacerdotum, quòd verè recedentes fuerint, Deus ipſe iudex fuit & teſtis, dicente ſaluatore. *Lucæ 16.* Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda veſtra, & cætera huiuſmodi. Itaque ſi quæris, cur de domo ſua illos Deus eiecerit, cur in eccleſia, vel in domo Dei non ſint recepti, dicit tibi: quia omnes ipſi recedentes ſunt, id eſt, quia priuſquam corpore viſibiliter eijcerentur, mente receſſerunt, animo longe fuerunt, & idcirco etiam corporaliter eiecti ſunt, & ipſa (quæ ſola diligebant, terrena, domus Dei lucra vel commoda perdiderunt. His dictis, & tali cauſa reddita, confeſtim ſententiam quam præſcripſerat, confirmat, repetens ita. "[Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exic-
"cata eſt, fructum nequaquam facient. Quod
"& ſi genuerunt, interficiam amantiſsima v-
"teri eorum. Abijciet eos Deus meus, quia
"non audierunt eum, & erunt vagi in natio-
"nibus.] Quid enim ſupra dixerat, Quòd & ſi enutrierint filios, abſq; liberis eos faciam in hominibus, idem nunc repetijt, dicendo, quòd & ſi genuerint, interficiam amantiſsima vteri eorum. Porrò, quod ait, percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exiccata eſt, fructum nequaquam facient, multum erat ſecundum ſentum ipſorum, vt ſuperius dixerat, gloria eorum à partu eſt, & ab vtero, & à conceptu. Dum enim gloriantur in carnis fructu, & multiplici partu ſiue conceptu cótendunt non implerí in ſe, quod nunc ait, radix eorum exiccata eſt, fructum nequaquã facient. Cum ergo hoc dixiſſent, rectè & oportunè, quaſi dicta corrigens, ſententiamque integram perficiens, continuò ſubiunxit. Quod & ſi genuerint, interficiam amantiſsimã vteri eorum. Ac ſi dicat, Quamdiu genuerint, & fructum ventris multiplicant, videtur eis quòd fructum faciant, non putant quòd radix eorũ exiccata ſit, vel quòd ſint percuſsi ferro abſcilionis, & de terra viuentium eradicati, ſed amantiſsimorum occiſione filiorum diſcrutiati, clamabunt & dicent, quod filios non genuiſſe melius fuiſſet ſibi. Hęc Deo dicente, ſtatim in ſua perſona propheta, veræ ac iuſtæ ſententiæ teſtis conſonat, & dicit. Abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus. Quibus vtique verbis vtranque damnationem exprimit, de qua iam ſuperius dictum eſt, quia videlicet & ſecundum animam regno Dei priuati ſunt, quos Deus abiecit, & ſecundum corpus captiui, ſuoque loco expulſi, qui vagi ſunt in nationibus, idcirco quia non audierunt eum, id eſt, non quia non intellexerunt, ſed quia intelligere noluerunt. Sequitur [Vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei. Secũdum multitudinem fructus ſui multiplicauit ſibi altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulachris.] Supràdixerat, radix eorum exiccata eſt, fructum nequaquam facient, nunc autem dicit, vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei. Et exponens quid dixerit, fructus adæquatus eſt ei, ſubiunxit atque ait. Secundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulachris. Ergò vbi dicit, fructum nequaquam facient, *Duplex fructus bonus ſcilicet & malus.* ſubaudiendum eſt, bonum: & exiccata eſt radix eorum, ſubauditur ab omni pinguedine fidei vel dilectionis Dei, hic autem vbi nunc dicit, vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei, ſubauditur malus. Fructus namque malus altaria ſunt multiplicia, ſimulachra exuberantia, fructus ille, cuius ſecundum multitudinem altaria vel ſimulachra multiplicauit, altaria ſubiũgens, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulachris: fructus iſte, ſcilicet vbertas terræ in rationibus diuinitatis, nec bonus eſt, nec malus eſt, ſed vtriuſque, ſcilicet boni & mali medius, videlicet qui boni fructus, id eſt, bonorum meritorum, quædam temporalis merces eſſe debuerit, ſed per prauitatem malè vtentium quoddam malorum operum inſtrumẽtum tactus ſit. Proinde ſuapte nutura in iudicio diuinitatis neque malus neque bonus *Eſaiæ 50.* iſte fructus meretur addici, ſed (ſicut iam dictum eſt) vtriuſq;, ſcilicet boni ac mali medius: ille autem, de quo dixerat, nequaquam fructum facient, ſine dubio bonus, & ille, de quo ſubiunxit, Fructus adæquatus eſt ei, ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, ſine dubio fructus intelligitur malus. Fructus bonus & fructus malus mira inuectione diſcernitur in Eſaia, dum in illo dicit Deus de iſta vite frondoſa. Et expectaui vt faceret iudicium & ecce iniquitas, & iuſtitiam & ecce clamor. Et quidem quo tempore vitis hæc frondoſa, ſcilicet Iſrael, à domo Dauid receſſerat, non valdè multum deorum altaria enarratur feciſſe ſibi ſiue ſimulachra, niſi tantum vitulorum duorum alterum poſuit in Bethel, & alterũ in Dan, ſed hoc ipſum iure multiplicitatis arguitur, quia multum eſt, extra vnius Dei altare habere vel vnum altare aliud. Sic eo tẽpore quo in tantum receſsit à domo Dauid, vt ipſum

vt ipſum crucifigeret filium Dauid, nõ alios legitur habuiſſe deos, quinimo de vnius veri Dei cultu plurimũ ſuperba religione gloriabatur, ſed in hoc altarium atque ſimulachrorum multiplicitas rectè condemnatur, *Ephe. 5.* quòd veri & ſummi ſacerdotis Chriſti ſecũdum ordinem Melchiſedech, altare vel ſacrificium refugiens, altare aliud, altare ſuũ, & ſacrificiũ ſanguinis hircorũ & vitulorũ ſibi obfirmauit, nimiũ intendens auaritię quę eſt ſimulachrorum ſeruitꝰ. Porrò fructum ſuum vitis hæc in eo malè ſibi adæquauit, quod ſecundum amaritudinem radicis ſiue cordis ſui, aceto ſiue vino myrrhato ſitientem in cruce potauit. [Diuiſum eſt cor eo-
"rum, nunc interibunt.] Recto & valde iuſto iudicio cor eorum diuiſum eſt, qui ſeipſos à *Iudæorum diuiſio inter ſeſe.* Deo diuiſerunt. Palam ex hiſtoriæ Regum ſerie cognoſcitur, quàm vera, quàm multipliciter cor eorum diuiſum fuerit ex quo diuiſerunt ſeſe à domo Dauid, quippe qui ferè decies contra ſemetipſos diuiſi, reges alios, percuſsis alijs, ſibi locauerunt, & tandem iuxta vocem hanc propheticam (nunc interibunt) in captiuitatem irreuocabilem ducti ſunt. Porrò tempore illo quo ſemetipſos à vero Dauid, id eſt, à filio Dei diuiſerunt, mirum dictu eſt, quàm crudeli diſcordia contra ſemetipſos diuiſa fuerit multitudo Iudæorum, ſicut miſerabilis excidij illorũ tragœdia teſtatur, Ioſepho ſcribẽte, per totum vulgata mundum. Multo quippe crudeliores ſibimet per impacabiles ſeditiones intus extiterunt, quàm eſſe potuerit foris obſidẽs exercitꝰ Romanorum. Et reuera iuſtè, quia principem pacis Ieſum condemnantes, Barrabam ſibi prælegerant ſeditionis authorẽ. Illos ergo prophetali oculo præuidens, breui quidem, ſed altera declamatione, iuſtam in illos depromit Dei ſententiam, diuiſum eſt (inquiens) cor eorum, nunc interibunt. Diuiſionem namque conſequitur interitus, iuxta illud. Omne regnum in ſeipſum diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum *Matt. 12.* cadet. Interitum atq; ruinam regni ſiue cordis eorum diuiſi, ſequentibus verbis expri-
"mit, ita dicens. [Ipſe confringet ſimulachra
"eorum, depopulabitur aras eorum.] Hoc & tunc de propè factum eſt, quando Aſſyrijs captiuantibus depopulatione merita vaſtati ſunt, & tunc de longè futurum erat, quando venientes Romani tollerent & locum & gẽtem eorum. Tunc enim confracta ſunt duriſsima confractione ſimulachra eorum. Et notandum, quòd non dixit. Hoſtiles exercitus confringet, ſed ipſe ſcilicet Deus meus, qui (vt ſupra dictũ eſt) abijciet eos, cõfringet ſimulachra eorũ, depopulabitur aras eorũ. *Regula notatu digna contra ſuperbiam.* Non vult Deus, vt homini attribuatur, quando per hominem ſecũdum merita peccantium vindicta diuinitatis exercetur. Sed & ſi qs ſibimet attribuit, quod Deo permittente contra populum Dei quippiam facere prævaluit, ipſe cæleſtem contra ſemetipſum indignationem magis adducit, fitque interdum, vt propter hoc ipſum minus nocere poſsit. Vnde in cantico Deuteronomij, cum *Deute. 32.* dixiſſet, ceſſare faciam ex hominibꝰ memoriam eorum, continuò ſubiunxit. Sed propter irã inimicorum diſtuli, ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerent. Manus noſtra excelſa, & non dominus, fecit hæc omnia. Aſſur ille, per quem tũc temporis Deus confregit ſimulachra eorum, & depopulatus eſt aras eorum, ſibimet arrogauit quòd ſua hoc virtute fecerit, & idcirco dicitur in eum cum indignatione Dei. Væ Aſſur. Vir- *Eſaiæ 10.* ga furoris mei & baculus ipſe, in manu eius indignatio mea. Super hoc ille gloriabatur, quaſi omnia ſuis faceret viribus, & idcirco poſtmodum dicitur contra eum. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? Dicebat enim, quemadmodum idem propheta præmiſit. In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum, & principes eorum depredatus ſum. Nimirum ita gloriando, ſic ſe exaltando, cæleſtem (vt iam dictum eſt) ſuper ſemetipſum indignationem adduxit, quæ protinus intẽtatur in eum verbis iſtis. Propter hoc mittet dominator Deus exercituũm in pinguibus eius tenuitatẽ, & ſubtus gloria eius ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis. Cum igitur ſic vehementer ſermo propheticus enunciat. Ipſe cõfringet ſimulachra eorum, & depopulabitur aras eorum, idẽ eſſe intelligamꝰ ac ſi dicat, nõ manus hoſtium excelſa, ſed dominus fecit hæc omnia. Ipſe & tunc per Aſſyrios confregit & depopulatus eſt, & deinde per Romanos cõfracturus erat ſimulachra eorum & depopulaturus aras eorum, quia à domo Dauid receſſerunt, quia filium Dauid Chriſtum crucifixerunt. Quam ob cauſam? Ait. [Quia nunc dicent, non eſt rex nobis. Non"
enim timemus dominum, & rex quid faciet"
nobis.] Grandis nimirum & vehemens cau"
ſa damnationis eſt, quia dicere, non eſt rex nobis, & hoc peccantium conſcientiam dice- *Cõtemptus et cõtumacia Iudæorum.* re, non enim timemus dominum, id eſt, propoſitum habemus non timere dominum, & proinde cum tumore cordis effari, rex quid faciet nobis quemadmodum dixerant pri- *3. Reg. 12.* us, quæ pars nobis in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſai. Sicut enim hoc illi dixerant, ſic & ſequaces illorum aduerſus verum Dauid dicturi erant. Nolumus hũc regnare ſuper nos. Hoc enim apertis vocibus conclamauerunt, ita vt dicente Pilato, regem ve- *Lucæ 19.* ſtrum crucifigam, reſponderunt: Non habe- *Ioan. 19.* mus regem niſi Cæſarem. Profectò hæc dicentes pariter quoq; dicebant, non enim timemus dominum, id eſt, propoſitum habebant non timere dominum, non portare timoris eius iugum, ſed contumaciter dirum

Universidad de Deusto
Biblioteca

pere, & proijcere omnia vincula ſanctorum eius mandatorum. Nimirum vbi conſcientia rebellis ſeſe tali & tanta præſumptione induit, conſequebatur vt dicerent etiam hoc, & rex quid faciet nobis? Conſequebatur namque vt regem contemnerent DEI filium, quibus propoſitum eſt, non timere DEVM. Neque enim ignorauerunt, ſed contempſerunt & oderunt. Vndè ipſe rex reprobatus ab eiſdem, dicentibus, & rex quid faciet nobis, cum dixiſſet: Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, continuò ſubiunxit. Nunc autem & viderunt & oderunt & me & patrem meum. Propter hoc, ecce ipſe deſtruxit ſimulachra auaritiæ eorum, & depopulatus eſt templum & altare eorum. His dictis ite-
"rum qui loquebatur de ipſis, conuertitur
"ad ipſos, & dicit. [Loquimini verba viſio-
"nis inutilis, & ferietis fœdus, & germina-
"bit quaſi amaritudo iudicium ſuper ſulcos agri.] Manifeſtum eſt hic, cum dicit, loquimini, non imperium volentis, ſed permiſsionem eſſe indignantis, & auerſionem dimittentis, vt ſit ſenſus. Iam docendi non eſtis quid vtile ſit, ſiue monendi vt vtilia loquamini, vos enim non per ignorantiam errando inutilia loquimini, ſed ſcietia & cum profundo malignitatis conſilio mendacia conſtruitis, & arrogantia deprauati prophetatis de cordib. veſtris, veram autem & vtilem prophetiã intelligere nõ vultis. Loquimini igitur qualia potius vos eligitis, loquimini verba viſionis inutilis, nam vtilia verba loqui vel ſigna facere quæ profint, ne-
Signa pſeudoprophetarum inutilia ſunt. que vos queritis, neque datum aut permiſſum eſt vobis. Sciendum quippe de pſeudoprophetis, quòd & ſi aliquando futura diuinant, nihil tamen vtile prophetant, & licet nonnulla ſigna & prodigia feciſſe vel facturi eſſe legantur, nihil tamen vtilitatis aliquod eorum ſignum habere comprobatur. Vndè & Iohannes in Apocalypſi cum dixiſſet, & fecit ſigna magna, & ſeducit habitantes in terra, propter ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ. Eandem ſignorum magnitudinem vanam, totamque inutilem fore inſinuans, determinando ſic ait. Ita vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominũ. Quid enim vtilitatis habet, ignem in conſpectu hominũ vel ſuper homines de aere miniſterio dæmoniaco cadere? Eiuſmodi ſigna non ſunt illius generis, cuius illa quę nobis domin⁹ in ſemetipſo deſignauit,
Matt. 11. euntes (inquiens) renuntiate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Hæc vtilia ſunt, ſicut & verba ipſa, quibus propter hæc eadem ſigna iuſtum eſt credi, vos autem ô prophetæ vitulorum

Ioan. 15.

(quos Hieroboam fecit, quos Ephraim coluit) loquimini verba viſionis inutilis, quòniam ita vultis, & ferietis fœdus, ſubauditur nequaquam cum DEO, ſed cum men-
Eſaiæ 28. dacio, quemadmodum & Eſaias talibus illuſoribus dicit: Dixiſtis enim. Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Huiuſmodi fœdus ferietis, & propter hoc germinabit quaſi amaritudo iudicium, vt videlicet fœdus veſtrum deleatur, & in inimicitias impacabiles conuertatur, fiatque vobis ſicut ibidem apud eundem Eſaiam dominus dicit. Et ſubuertet grando ſpem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Flagellum inundans cum tranſierit eritis ei in conculcationem, & cætera. Hoc iudicium germinabit fœdus veſtrum (ait) quaſi amaritudo, id eſt, vt verè amaritudo, vt verè amara radix, iuxta illud *Deut. 29.* Moyſi, Ne fortè ſit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus cuius cor auerſum eſt, vt vadat & ſeruiat dijs gentium, & ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem ſeruitutem deorum alienorũ, & Moyſes radicem dixit eſſe generantẽ fel & amaritudinẽ. Et iſte, cum dixiſſet, & germinabit quaſi amaritudo iudicium ſuper ſulcos agri, videlicet remaneant inculti, cultoribus in captiuitatem ductis, continuò ſubiunxit. [Vaccas Bethauen coluerunt habita-"
"tores Samariæ.] Nam hæc eſt amaritudo"
germinans iudicium. Hæc eſt radix (vt ait Moyſes) germinans fel & amaritudinem. Ad auditores rurſus ſeſe conuertit ſermo propheticus, miro modo clamans cauſam propter quam Iſrael iudicetur. Vaccas (inquit) Bethauen coluerunt habitatores Samariæ. [Quia luxit ſuper eum populus e-"
"ius, quia migrauit ab eo. Siquidem & ip-"
"ſe in Aſſur delatus es munus regi Vltori,"
"Confuſio Iſrael capiet, & confundetur Iſ-"
"rael in voluntate ſua.] Cum irriſione non vitulos ſexus maſculini, ſed vaccas, id eſt, fœminas appellauit, vt videlicet Iſrael non ſolùm deos vitulos, ſed deas vaccas coluerit. Nec dixit tantùm vaccas coluerunt, ſed vaccas Bethauen coluerunt. Magna quippe diſtinctio vaccarum eſt earum quæ figi poterant in Bethauen, id eſt, in domo idoli, & earum quæ gradiuntur in armentis, & ſpatiantur in paſcuis. Iſtæ namque vaccæ viuunt & ſentiunt, illæ aureæ ſiue ex alio quocunque metallo formatæ, non ſolùm inſenſibilia, verùm & inanimata ſimulachra ſunt. Conſtat autem, quia corpore inanimato corpus animatum viuẽs & ſentiens longè præſtantius eſt. Pulchrè igitur &

tur & vehementer redarguit nimis depreſſam hominum ſtultitiam dicendo, vaccas Bethauen, id eſt, vaccas non ſaltem viuentes & lactis alimoniam præſtantes, ſed inanimatas vaccarum ſimilitudines coluerunt. Notandum & hoc, quia non dixit coluerunt reges Samariæ, ſed coluerunt habitatores Samariæ. Colere
Populus inexcuſabilis, quia ſpõtè coluit vitulos. namque rectè dicitur, qui ſua voluntate & animi diligentia celebrat & adorat ſiue veneratur. Non ergo populum excuſabilem videri ſermo hic propheticus patitur, cum dicit, Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ. Hoc enim non propriè dictum eſſet aut dici poſſet, ſi regibus vitulos colentibus, metu tantùm & non propria fuiſſent obſecuti voluntate, ſi inuiti paruiſſent, & non ſponte conſenſiſſent. Et vndè conſtat, quòd habitatores Samariæ vaccas illas coluerunt? Ait. Quia luxit ſuper eum populus eius. Vt oſtenderet vaccas Bethauen, vnum in Bethel vitulum ſentiendum, non intulit, luxit ſuper eis populus, ſed ſuper eo, id eſt, vitulo aureo. Quando vel quam ob cauſam luxit populus ſuper eo? Videlicet, quia tempore neceſsitatis & anguſtiæ vituli quoque aurei inter munera cætera regibus Aſſyrijs directi ſunt. Legimus in Regum volumine, Regem Iſrael Manahen regi Aſſyriorum Phul miſiſſe argenti talenta mille, vt ei præberet auxilium, inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos eſſe directos. Et vt ſciamus (inquiunt) hoc eſſe quod dicimus, perſpicuè ſequens verſus oſtendit. Siquidem ipſe in Aſſur delatus eſt munus regi Vltori. Idcirco populus luxit, qui vtique non lugeret niſi volens, niſi cum amore magis quàm pro regum timore tali idololatriæ deſeruiſſet. Cum ergo dixiſſet, vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, vt confirmaret eos reuera vitulum coluiſſe, voluntariè vitulo deſeruiſſe, cauſam reddidit non firmam, dicendo, quia luxit ſuper eo populus eius. Conſequitur enim, quòd cum amore poſſederint vel habuerint qui luxerunt, quando ablatus eſt eis. Populus eius, ſubauditur vituli, non ſine magno improperio dicitur, qui debuerat eſſe vnius veri DEI populus. Porrò, & hoc tradunt Hebræi, quòd à ſacerdotibus vituli aurei furto ſublati, & pro his ænei deaurati fuerint repoſiti. Cum igitur lugeret populus tempore neceſsitatis & anguſtiæ, ſicut iam dictum eſt, vitulos aureos regibus Aſſyrijs eſſe directos, exultabant æditui, quòd fraus eorum nequaquam potuiſſet argui vel deprehendi. Hoc eſt quod continuò ſubiungit.

[Et æditui eius ſuper eum exultaue-"
runt in gloria eius, quia migrauit ab eo.]"
Lugente populo exultabant æditui in gloria eius, ſubauditur populi, hoc eſt, in vitulo quem habebant pro gloria. nam gloriam incommutabilis Dei commutauerant in ſimilitudinem imaginis corruptibilis, non hominis, ſed vituli. Et quæ pars vitæ deteſtabilior habetur, populus ne qui luxit ſuper vitulo tanquam ſuper DEO ſibi ablato, an æditui vel ſacerdotes qui exultauerunt, eo quòd non eſſet deprehenſum furtum quod fecerant in illo tali Deo? Profundius baratrum damnationis merito illuſoribus illis arbitramur deſtinatum, quia populares fortè errando luxerunt, illi autem irridendo, in rebus peſsimis exultauerunt, quia migrauit ab eo, id eſt, à populo. Et eſt ſenſus. Exultauerunt quòd migraſſet, quòd ſic Aſſyrijs regibus datus eſſet, quaſi iam vltrà deprehendi non poſſet, vtrum aureus an æreus eſſet. Sed quid deinde? Confuſio (inquit) Ephraim capiet, & confundetur Iſrael in voluntate ſua. Poſtquam enim in Aſſur pro munere vitulus velut aureus delatus eſt, deprehenſa fraus regi Iſrael literis indicatur, & vndè ſe placere æſtimauerunt, inde vel maximè confunduntur, & offendunt eos, quibus munera miſerant, æſtimantes non furto ſacerdotum, ſed fraude regum atque conſilio hoc eſſe perfectum. Inde confuſio cœpit Ephraim, inde confuſus eſt Iſrael. Sequitur.

[Tranſire fecit Samaria regem ſuum,"
quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ, & diſ-"
perdentur excelſa idoli, peccatum Iſra-"
el.] Siquidem pro merito iniquitatis"
perſeuerantis hoc emeruit Samaria ſiue"
decem tribus, vt rex eius tranſiret, & regnum eius ſolueretur, ſicut ſpuma ſuper faciem aquæ, quæ vera nimirum ſimilitudo eſt. Sicut enim olla feruente ſuperiores aquæ in ſpumam bullaſque ſur-
Rex Iſrael ſicut ſpuma aquæ. gentes irrumpunt, ipſæque bullæ ſubſilientes colliduntur, & alijs emergentibus, aliæ crepant & diſiliunt, ita Samaria vel decem tribus, iugi feruentes igne diſcordiæ, reges alios ſuper alios creauerunt, & vſque ad decem vices (ſicut ex ipſa libri Regum lectione colligi promptum eſt) percuſsis regibus, alij reges ſuperſederunt, ſecundum numerum ſciſſurarũ decem pallij, quo deſciſſo, propheta, ſcilicet Ahias Sylonites, dixerat ad Hieroboam. Tolle tibi decem ſciſſuras. Hæc enim dicit dominus DEVS Iſrael. Ecce

Universidad de Deusto
Biblioteca

ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Decies namque (sicut iam dictum est) regnum illud decem tribuum per discordiam scissum fuit, decies quasi spumam siue bullam super faciem aquæ transire fecit regem suum, alio percusso suscipiens alium. Primò namque scissum est Hieroboam. Secùdò, Baasa percussit Nadab filium Hieroboam, & regnauit pro eo. *4. Reg. 9.* Tertiò, Zambri dux mediæ partis equitum percussit Ela filium Baasa, & regnauit pro eo. Quartò, Amri, qui erat princeps militiæ super Israel, rex factus est ab exercitu, & illo mortuo in peccatis suis, Achab filius eius regnauit pro eo. Quinto loco Iorã filiũ Achab occidit Iehu, & regnauit ꝓ eo. Sextò, Zacharias abnepotem Iehu percussit Sellũ, & regnauit ꝓ eo. Septimò, eundẽ Sellũ percussit Manahen, & regnauit pro eo. Octauò, Phacee filius Romeliæ, percussit Phaceiam filiũ Manahen, & regnauit pro eo. Nonò, Phacee filium Romeliæ, percussit Osee filius Ela, & regnauit pro eo. Decimò, tãdem dissidio scissum est regnum in rege Assyriorum, qui Osee iam dictum obsedit, & vinctum misit in carcerem, & transtulit Israel in Assyrios. Sic & sic Samaria malis suis regem suũ transire fecit. Et disperdentur (ait) excelsa idoli, de quibus videlicet toties scriptura refert, veruntamen adhuc populus immolabat & adolebat incẽsum in excelsis, quod erat peccatum Israel. Cuncta hæc, vt cætera superiora, altius (sicut prophetalem decet dignitatem) nos animaduertere commonet illud,

"quod continuò subiunctũ est. [Lappa & tri-
"bulus ascendet supra aras eorũ & dicent mõ-
"tibus, operite nos, & collibus, cadite super
"nos.] Hoc enim nequaquam de angustia captiuitatis illius, qua tunc in Assyrios translati sunt, sed potius de excidio penè inenarrabili, quo Iudæi propter scelus dominicæ mortis subuersi, & in omnes gentes captiui ducti sunt, prædictum esse authoritate sua dominus ipse comprobat, qui sequentibus & lamentantibus mulieribus, dum ad mortem duceretur, dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent. Beatæ steriles & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, cooperite nos. Notandũ quippe, quòd non sic ait: tunc dicent montibus, sed incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos. Idem namque est ac si diceret. Tunc in illa tribulatione siue angustia incipiet impleri, quod per Osee prædictum est. Quòd si tunc cœpit impleri, & tunc dicere inceperũt montibus, cadite super nos, quando venerũt illi dies, quos tunc venturos esse dicebat dominus noster, non vtiq; ad illa tempora sua, vel ad mala quæ præsens ipse vidit propheta intendebat, quando hæc dixit vel scripsit. Et reuera, si ritè perpendas, illud quod tunc Israel passus est, quod anno nono Osee regis Israel cepit rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios, posuitq; eos in Haila & in Abor iuxta fluuium Gozam in *4. Reg. 17.* ciuitatibus Medorum, non tale vel tãgrande fuit malum, vt propter illud propheticus dignaretur sic exclamare spiritus, & dicent montibus, operite nos: & collibus, cadite super nos. Quinimo etiam si in seruos & ancillas venundare illos rex Assyriorum maluisset, quàm ponere in ciuitatibus suis, tolerabile, imò & optabile fuisset malum, comparatione tam miserabilis Hierosolymorum excidij. Quemadmodum Hester quoq; cũ *Hester 7.* dixisset regi, traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus, continuò subiunxit. Atque vtinam in seruos & famulas vẽderemur, esset vtcũque tolerabile malum, & gemens tacerem. Igitur quoniam & illa, quæ de verbis istis propheticis tractauimus, partim non ex nota rei gestæ historia, sed ex Hebræorum traditione sumpta sunt, vt supra meminimus. Ipse autem propheta nõ Iudæis perfidis, sed sapienti hęc intelligibilia fore insinuat, cum dicit: Quis sapiens & intelliget ista, intelligens & sciet hæc, rursus eadẽ repetere libet, & prophetiam secundum tempora quæ tũc futura erant, notis conferre vel proferre rebus vel sensibus eodẽ tenore vel cursu, quousq; ad præsentem locum peruenimus, Christum & eius tempora non dubitantes huius vel omnis sanctæ prophetiæ summam esse vel caput. Vaccas (inquit) Bethauen coluerunt habitatores Samariæ. Habitatores Samariæ veraciter Iudæi fuere, qui ciuitatem sanctam Hierusalem & templum in illa diuini nominis videbantur inhabitare non vtiq; corde, sed tantùm corpore. Si enim dominum nostrum non dubitauerunt Samaritanum dicere, qui vtiq; secundum carnẽ Iudæus ex Iudæis erat, & hoc idcirco dicere ausi sunt, quòd in ciuitate Samaritanorum duos dies manserat, postquam locutus est cum muliere Samaritana, quãtò magis ipsa scriptura dicere debuit, habitatores Samariæ, qui nimis crudeliter imitati sunt, atque impleuerunt peccatum Samariæ? Samaria namq; recessit à domo Dauid, regemq; aliũ & deos alios sibi fecit. Iudæi verò negauerunt & crucifixerunt filium Dauid, filium Dei, regemque suum Cæsarem esse professi sunt, & tunc quidem Barrabam sibi dimitti petierunt, & Antichristum pro Christo suscepturi sunt. Verè ergo habitatores Samariæ. i. alieni à Dauid & à ciuitate eius Hierusalem, & à templo, quod est in ea, & templo dominici corporis, in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Isti coluerunt vaccas Bethauen, videlicet quali-bus alius propheta loquitur: Audite verbum hoc

Lucæ 13.

De qua tribulatiõe hic sentit propheta.

Repetitaex positio præcedentium.
Ioan. 8.
Ibidem 4.
Habitatores Samariæ.
Ioan. 19.
Matth. 27.
Coloss. 2.
Vaccæ Bethauen.
Amos 4.

bũm hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris, afferte & bibemus. Iurauit dominus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruẽtibus, & per aperturas exibitis altera contra alteram, & proijciemini in Armon, dicit dominus. Vaccæ itaque illius temporis altera contra alteram, principes sacerdotum Annas & Caiphas extiterũt. *Matth. 21. Mammon deus Iudæorum.* ita devorantes plebem, sicut herbam virentem vaccæ deuorare solent, & hoc in Bethauen, quod interpretatur domus idoli, id est, in illo templo, quod dicebatur templum domini, & debebat esse domus orationis, sed erat domus mammon quippe quam ipsi fecerant speluncam latronum. Istas vtique vaccas Iudęi coluerunt, voluntaria namque crudelitate illis principibus sacerdotum sese submiserunt & consenserunt ad occidendũ dominum in illa Bethauen, id est, propter illam domum idoli sui, scilicet mammonæ vel pecuniæ suę, & quasi diuino oraculo crediderunt vaccis illis, dicentibus sibi. Occidamus eum, ne fortè veniant Romani, & tollant nostrum & locum & gentem. Talia sibi immugientes vaccas pingues illi coluerunt, id est, libenter audierunt. Vndè hoc comprobatum. Quia luxit (inquit) super eo populus eius. Hoc manifestum est. Luctum *Ioan. 11.* namque spontaneũ populus sibimet assumpsit super eo, subauditur Deo suo, videlicet mammona iniquo, cui nimirum seruiẽs nequaquam seruiebat Deo, & quodammodo lugebat, talem inter se haberi hominem qui diceretur Christus, qui rex Israel acclamaretur, quem nisi occiderent, venirent Romani, & tollerent ipsorum locum, tam pulchrũ tantarumq; diuitiarum. Hoc illi simile fuit, quòd impia Iezabel iubente, primates populi luctum simulauerunt, & prædicauerũt ieunium, vt quasi necessario iustitiæ iudicio interficerent Naboth, summittentes duos viros filios Belial contra eum, qui falsum dicerent testimonium. Et populus quidem totus crudelitati intentus, voluntariam necessitatem occidendi dominum quasi tristis susceperit, sed principes sacerdotum scribæ & Pharisæi gaudebant intra cordis sui secretũ, quòd prævaluisset malitiæ suæ commentũ. Ait ergo. Et ęditui eius super eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo. Siquidem & ipse in Assur delatus est munus *4. Reg. 21.* regi Vltori. Aeditui namque tunc erant illi, non veritatis, sed erroris & malitię, iuxta illam sententiam domini, quia tulistis (inquit) clauim scientiæ. Ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Exultauerunt (ait) in gloria eius, quia migrauit ab eo, id est, exultauerunt in pecunijs populi, quia prædam faciebant de populo, sperãtes quod deinceps sua lucra facerent occiso Christo, qui reprehendebat auaritiam ipsorum. Nam quòd tali spe vel intentione Christum occi- *Matth. 21.* derent, illa probat parabola, in qua videntes agricolę filium patrisfamilias, dixerunt: Hic est hæres, occidamus eum, & nostra erit hęreditas. Cui autem dubium, vel quis nesciat, quomodo migrauerit ab eo, scilicet populo *Iudæi tradi ti sunt regi vltori diabò lo.* deus suus mammon, cui seruiebat, vt meritò veniret in manus Romanorum argentum ipsorum & aurum & locus & gens? Siquidem ipsi hoc emeruerunt, quando congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes. Dicite, quia discipuli eius noctę venerũt, & furati sunt eum nobis dormiẽtibus. Hoc nempè modo Deus ipsorum, qui non est alius, nisi mammon iniquus, in Assyrijs delatus est munus regi Vltori, quia profectò pecunia ipsorum malignis spiritibus, & diabolo patri mendacij dedicata est, quando tale mendacium coemerunt. Proinde iusto valdè iudicio prouenit, vt traderentur illi regi vltori, vt & super eos rex atque pater mendacij regnaret, & in eos vltionem per manus Romanorum exerceret. Et illi quidem ad horam nimis paruam exultauerunt, putantes quòd deinceps liberius copiosa pecunia migrare deberet à populo in marsupia ipsorum, sed exultatio illa in verum conuersa est luctum, quia magnam & miserabilem, toto mirante seculo, vltionem sustinuerunt. Vndè & subditur. Confusio * Israel, capiet, *Alias, E-* & confundetur Israel, sicut nunc palam fa- *phraim.* ctum est, quando ceciderunt in ore gladij, & in omnes gentes captiui ducti sunt, & in residuis eorum toti mũdo spectaculum est, non solum dispersio qua dispersi sunt, verumetiam cæcitas mentis, quę in Israel contigit. Et benè, cum dixisset, confundetur Israel, addidit, in voluntate sua, quia videlicet sic voluerunt Iudæi, sic electione præfinxerunt ac præscripserunt sibi Christum regem negantes, & Cęsarem profitentes, Christum *Iudæi abs- que rege.* occidentes, & Barrabam dimittentes, & clamantes coram Pilato, sanguis eius super nos & super filios nostros. Sequitur. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ, & disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel. Samaria (sicut iam dictum est) hoc loco rectè dicitur etiam Iudæa, quia reuera secundum supra dictas rationes Samariæ, quæ à domo Dauid scissa fuerat, similem sese in peius fecit Iudæa, quæ verum Dauid CHRISTVM regem habere recusat. Transire ergo fecit regem suum, id est, regem habere maluit transitorium, quàm regem suum. Verùm non conceditur ei, vt saltem transitorium regem habere posset, sed omninò ablatum est illi regnum, & dux pariter & rex ab ea transiuit. Nec enim saltem dignatus est Cęsarum quisquam regnare super eos, aut in regno suo ciues habere illos, sed tantummodo captiuos,

licet

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet adulati sint dicentes, non habemus regem nisi Cęsarē. Sicut repentè transit spuma super faciem aquæ, sic in breui dissipatum & adnihilatum est regnū Iudææ, & disperditū sunt excelsa idoli peccatum Israel, lapis quippe super lapidem non remansit, & destructum est, subuertētibus Romanis illud, quod debebat esse templū Domini, erat autem excelsum idoli, & peccatum Israel, ex quo polluti sunt sanguine Christi, homicidæ, & serui peccati, serui mammonæ Dei vel idoli sui. Et quid mirum, si iam post necem Christi templum illud vocetur excelsum idoli, cum antea domus eadem spelunca latronum facta vocata fuerit? Disperdentur ergo excelsa idoli, id est, adnihilabitur caput superbiæ Iudaicæ, & fundus auaritiæ pharisaicæ, pulchritudo templi, de quo salus exiuit, sicut significatur in euangelio, cum dicitur: Iesus autem abscondit se & exiuit de templo. Quanta autem perditione, quanta cum tribulatione gentis hoc deberet fieri, verbis sequentibus exprimit, cum dicit: Lappa & tribulus ascendet super aras eorum, & dicent montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos. Quod enim dicit, lappa & tribulus ascendet super aras eorum, signum est vltimæ solitudinis, vt neparietes quidem & extrema ædificiorum vestigia relinquantur. Cum autem subiungit, & dicent montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos: iram & tribulationem illam vehementer edicere nititur, quæ tanta extitit vt satis declamari non possit. Eorum nanque erat dicere montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos, quippe qui magis mori optarent, quàm cernere quæ afferunt mortem. Et reuera satis pulchrè atque eleganter exprimit litera hæc, quantò desiderio latere voluisset, si possibile fuisset. Etenim cum per omne tempus obsidionis (vt Iosephus refert) occisorum, siue fame, cæterisque cladibus mortuorum numerus ad decies centena milia collectus fuerit, qui superfuerunt ad valles, & in specus subterraneos confugerunt, & in cloacis quoque delitescere frustra conati sunt. Sic delituisse vel delitescere voluisse, nimirum dixisse fuit montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos. Quare autem dominus noster hoc testimonium de propheta sumens, sic dicere maluit, tunc incipient dicere: Cur non ait dicent, sed dicere incipient? Videlicet, quia non illic finis, sed initium dolorum extitit quando sic ceciderunt in ore gladij. Tempus aliud erit, veniet dies alius, dies iudicij, quo maiori cum angustia dicent montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos, dicent sanctis patrib. & patriarchis, protegite nos, dicent Moysi & prophetis, excusate nos. Verùm id frustra dicent, nam econtra est, qui accuset vos (ait dominus) Moyses in quo vos sperates. Et verba quidem diuersa de montibus & collibus prædicata sunt, dicendo montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos, sed sensu eadem sunt. Nam propheta quidem, dicent (ait) montibus, operite nos, & collibus, cadite: dominus autem, tunc (inquit) incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. Sequitur. [Ex diebus Gabaa peccauit, Israel. Ibi steterunt. Non comprehendet eos, in Gabaa prælium super filijs iniquitatis., Iuxta desiderium meum corripiam eos., Congregabuntur super eos populi cum corripientur propter duas iniquitates suas.] Semel & iterum ac tertiò, imo & quartò antiquitatem siue vetustatem peccati illorum commemorat, vt nulli videatur nimium festina vel plus iusto seuera punientis sententia. Primò namque superiùs dixit, ista subsannatio eorum in terra Aegypti: & post aliqua rursus ait, Profundè peccauerunt sic in diebus Gabaa. Item, Omnes nequitię eorum in Galgalis, quia ibi exosos habui eos. Nunc quarta iam vice secundum eandem intentionem dicit. Ex diebus Gabaa peccauit Israel, id est, ex eodem tempore quo in Gabaa peccare nō desijt Israel. Peccauit autem illic semel & iterum Israel peccata, quorum in scriptura sæuum & horribile monumentum est. Venit leuita in ciuitatem illam cum vxore sua, illucque diuertit, & ecce homines ciuitatis illius circundederunt nocte domum in qua manebat, volentes eum occidere, & vxorem eius incredibili libidinis furore vexantes. Denique mortua est. Vbi tanta regnabat corporalis nequitia fornicationis, iam increuerat nequitia quoque spiritualis, & hoc nihilominus eadem scriptura denarrat, referens præcedenti lectione, idolum factum in domo Michæ. Et quanta illud instantia, qua violentia rapuerunt ad se filij stirpis Dan cum sacerdote, dicentes ei: Veni nobiscum, vt habeamus te patrem & sacerdotem, &cætera. Sed filij Israel illam fornicationem idololatriæ pro nihilo ducentes, imò & ipsi facientes pro illa corporali fornicatione ascenderunt oppugnare Gabaa, contra filios Beniamin, & semel atque iterum bello conciti, tandemque victores, penè vnam ex Israel tribum deleuerunt. Post hæc Saul, ex eadem vrbe rex assumptus est, tāta cum offensione Dei, vt diceret ad Samuelem. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Nimirum sic & sic peccantem Israel, filij quoque postmodum nati simul peccauerunt, vero & iusto iudicio Dei sic enunciante, sic eos arguente, vt dicat Ibi steterunt. Idem enim est ac si dicat. Filioli, quamuis post multa tempora nati illic peccauerunt, in illis patribus suis preuaricati sunt, quia videlicet à peccatis eorum non recesserunt, imò peiora faciendo mēsuram illorum impleuerunt. Idcirco etiā durius atque fortius super eas dari debuit

Excelsa idoli tēplum Iudæorum.

Ioan. 8.

Fuga Iudæorum in obsidione.

Peccatū Israel duplex in Gabaa.

Iudic. 19.

1. Reg. 8.

Ioan. 5.

debuit iudicium. Quod intendens, continuò dicit. Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filijs iniquitatis. Et est sensus. Quod malum passuri sunt, non tale erit quale fuit illud prælium in Gabaa, quod habuerunt cōtra filios iniquitatis, quorum incredibilis furor libidinis mulierem vexando interfecit, sed multò vehementius, incomparabiliter maius. Hoc est quod protinus ait. Iuxta desiderium meum corripiam eos. Magna & vehemens comminatio, quæ secundum literę sonum hoc significat, quod vindictæ magnitudinem facere Deus (qui vtique impassibilis est) habeat in desiderio. Simile est huic illud quod in Esa. dicit. Heu consolabor super hostibus meis. Dictum est autem ad similitudinem hominis multum exacerbati, & vltionem videre adeò desiderantis, vt antequam fiat, nullo modo possit consolari. Et quid facturus sit, protinus breuiter innuit. Congregabuntur (ait) super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas.

Esaiæ 1.

Duæ iniquitates Iudæorum. Hiere. 1.

Propter duas iniquitates corripiendum dicit Israel, iuxta illud quod in Hieremia loquitur idem Deus. Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas quæ continere non possunt aquas, hoc de gente alia, de populo quouis Deum ignorante, dici non poterat. Gens enim quæcunque verum ignorans Deum, falsos deos colebat, vnam tantum fecisse iniquitatem rectè dicitur. gēs autem hæc, in qua Deus notus erat, declinando in idololatriam, duas habere iniquitates veraciter culpatur, id est, Deum verum reliquisse, & pro illo vel contra illum deos alienos coluisse. Dupliciter namque reus est, qui bonum sciens, malum potius eligit, ille verò simpliciter, qui bonum nesciens, malum pro bono suscipit. Itaque & quando vitulum vnum populus ille fecit in deserto & coluit, post multa quæ viderat magnalia veri Dei, & quando deserens domum Dauid & templum domini, duos vitulos sibi statuit, imò & quoties illos vel illos gentium deos adorauit. Amplius autem quando Barrabam sibi dimitti, CHRISTVM autem crucifigi petiuit, duas iniquitates fecit, dupliciter peccauit, bonum reprobans, & malum eligens: dulce amarum, & amarum dulce ponens: tenebras lucem, & lucem tenebras appellans. Cum igitur corripientur propter duas iniquitates suas, congregabuntur (ait) super eos populi, vt videlicet propter seditionis authorem, quē sibi elegerunt, tradantur in manus gladij, & propter hoc quod Christum negauerunt, vulpium, id est, malignorum spirituum partes sint. Sequitur. [Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transiui super pulchritudinem colli eius. Ascendam super Ephraim, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.] Quærebas fortè admirans, quæ causa vel quod vinculum tam forte populum illum idololatriæ subligatum, tam diu tenuerit ex diebus Gabaa, imò ex diebus Aegypti, sicut superius ait, ista subsannatio eorum in terra Aegypti. Quasi istud quæreres, causam veram habili atque eleganti similitudine cōuenienter exprimit. Ephraim (inquit) vitula docta diligere trituram. Consuetudo hic terræ promissionis tangitur, vbi vitulæ cum cæteris animalibus fruges terere consueuerunt. Cum autem grauissimo labore fatigantur, solent prodire ab area. Iterum autem diligentes aream, eo quòd fruges in ea comedant, vndè est illud, Non alligabis os boui trituranti, spontè ad aream redeunt. Igitur Ephraim similis est vaccæ vitulæ, quia didicit aream terere. Et non solum didicit, verumetiam à nimia consuetudine cœpit amare quod docta est, licet trituratio laborem inferat. Sic & populus Israeliticus, licet frequenter affligeretur, & multa aduersa pateretur propter idololatriam, tamen voluntates suas & ingluuiem ventris sequi desiderans, vltro ad idola reuertebatur. Poterat hoc ipsum alia quacunque similitudine quàm per eiusmodi vitulam designari, sed mira proprietate vsus est intuitus spiritus prophetici, dum talem proponere similitudinem maluit. Nam quia vitulos colebat Ephraim siue Israel scissus à domo Dauid, imò & coluit ab initio vitulum, quando egressus est de terra Aegypti, pulchrè nimis eadē gens hic vitula dicta est, dum arguitur, quod à vero Deo fornicando cultui vitulorum succubuerit. Magnam deinde sonat iram dicendo, & ego transiui super pulchritudinem colli eius, ascendam super Ephraim. Pulchritudo nanque colli superbiam designat eorundem peccātium, & in peccatis suis complacentium sibi. Porro transitus siue ascensus, de quo dicit: Ego trāsiui siue ascendam Ephraim, tam futuro quā præterito tempore certissimum esse significans quod facere intendit, vindicta est eadem quam in Exodo legimus præscriptam his verbis. Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Nec vana illa comminatio extitit: Semel enim ascēdit, semel humanatus est, semel passus, mortuus est, & resurrexit, & in cælum ascendit, & tunc demum illum populum dura ceruice ascensus sui nimis impatientem deleuit. Quod hic pulchritudo colli, hoc ibidem dicitur ornatus, cum dominus dicit. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciā tibi. Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum à monte Oreb. Quamdiu peccator ornatus incedit. i. in peccatis suis superbit, quā diu pulchram ceruicem erigit, complacēdo sibi, lætabundus quod malè fecerit, & exultans in rebus pessimis, quodammodo nescit Deꝰ quid faciat illi, nescit misericordia quali aditu

Cur vitula similitudo affertur hic.

Supra 7.

Pulchritudo colli superbia est.

Exod. 33.

Prouer. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aditu ad illum veniat remota seueritate iudicij, atque idcirco cum dixisset sententiam iudicialem, populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui & delebo te, protinus consilium offerens, iam nunc(ait) depone ornatum tuum, vt sciam quid faciã tibi, id est, humiliare pœnitendo, vt miserear tui. Igitur quod hic ait, & ego ascendi siue ascendam super pulchritudinem colli eius, videlicet vitulæ diligentis triturам, id est, populi toties tamque pertinaciter recurrentis ad idololatriam, illam designati ram, quam tunc idem populus bibit vsque ad fundum calicis, quando Deus homo factus in medio eius ascendit. Extunc enim cõfracta est pulchritudo ceruicis, quia ceciderũt in ore gladij, & in omnes gẽtes captiui ducti sunt peccatores superbi. Porrò idem ascensus, sicut in ruinam superborum blasphemantium, ita & in resurrectionem positus est humilium credentium atque confitentium. Sequitur ergo. Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob, Ecce videmus & orbis vniersus nouit quia contrita ceruice Ephraim, arauit Iudas, & Iacob sulcos sibi confregit, quia disperditis incredulis Iudeis qui negauerunt filium Dauid, sicut olim recesserat Ephraim à domo Dauid, euangelicæ prædicationis vomer corda gentium exarauit, & Iacob, id est, supplantator, videlicet gentilis populus, sulcos sibi confregit, agriculturam exercens ad seminandum vel recipiendum semen verbum Dei. Iudas arauit, quandoquidem Iudæis erant Apostoli secundum hoc ipsum nomen quod est Iudas, id est, confessio, primi confitentes Christum filium Dei viui gentibus prædicauerunt. Ipsæ autem gentes Iacob effectæ sunt, quia supplantauerunt Esau, dum primogenita salutis tulerunt, quæ fuerant Iudæorum. Arando sulci fiunt, confringendo autem sulcos, id quod aratum est, idoneum fit ad semen contegendum atq; confouendũ. Cõgratulatur protinus propheticę gratię spiritus agricolis siue aratoribus istis, & dicit.

Gẽtiles facti sunt Iudas.

"[Seminate vobis in iustitia, metite in ore mi
"sericordiæ, innouate vobis nouale.] Seminant quippe prædicatores, quando verbum annunciant, metunt autem, quando de credentium confessione exultant. Idcirco sic pulchrè distinctum est, seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ. quia videlicet (sicut Apostolus ait) corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et quia sua quisque iustitia vel salute contentus esse non debet, sed dare operã vt etiã alios saluet, subiungit atque ait. Innouate vobis nouale. Nouale quippe innouare, est inculta prius loca excolere, vtpote saltibus explanare. Porrò gentes prius erant quasi syluæ, nimirum à feris, videlicet malignis spiritibus obsessæ. Nam econtra comparatione gentium Iudæi domus erant pulchræ, terra culta & ciuitates opulentæ. Vndè Psalmista cum dixisset. Ecce audiuimus eam, scilicet ecclesiam, siue dominicæ incarnationis & sanctificationis eius arcam, in Ephrata, quæ est Bethleem. Per Ephratam, Iudæos intelligi volens, statim quia de Iudæis ad gentes eadem sanctificationis arca transiuit, subiunxit atque ait. Inuenimus eam in campis syluæ, id est, in gentibus qui de sylua campi, de infructuosis cultiles facti sunt & fœcundi. Igitur innouate vobis nouale, id est, gentibus euangelium Christi prædicando nouam ecclesiam, nouum acquisitionis populum, vobis parate Deo ad vestram salutem & gloriam acquirite. Et quia cum plenitudo gentium subintroierit, futurum est vt cum misericordia respiciat vitulam, id est, synagogam illam, cuius super pulchritudinem colli nunc tam seuerè transiuit. Sequitur & dicit. [Tempus autem requirendi dominum cum venerit qui docebit vos iustitiam.] Tempus quippe requirendi dominum reliquijs Israel tunc erit, cum plenitudo gentium subintroierit. Tunc enim veniet dominus & docebit eos iustitiam, iniquitate auersa, quemadmodum & Apostolus cum dixisset, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintroierit, & sic omnis Israel saluus fieret, testimonium propheticum apponens, sicut(ait) scriptum est. Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob.

Nouale ex gentibus.

Psalm. 131.

Rom. 10.

Rom. 11.

Esaiæ 59.

FINIS LIBRI QVARTI.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN OSEE PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

Sup. 4. PRopter prophetię prę sentis ordinẽ illustrius retinendũ, iam dictũ, & iterũ atq; iterum dicendũ est, quia ab eo quod ait, non est veritas, & nõ est scientia in terra, septies vsq; ad finem voluminis peccata cõmemorat atq; replicat, & per singulas vices in Christũ sermo recurrit, qui solus omnium credentiũ atque pœnitentium iustitia est. Secunda iam vice ab eo quod ait. Ipsi aũt sicut Adã transgressi sunt pactum, longa & vehementi declamatione peccatorum declamauit abundantiam sic concludens. Tempus autẽ requirendi dominũ cũ venerit, q docebit vos iustitiã. Tertiò nunc eadẽ peccata repetẽs dicit. [Arastis impietatẽ, iniqtatẽ messuistis, cõedistis fructũ mendacij, quia cõfisus es in vijs tuis.] Aptissimè per similitudinẽ arantiũ, metentiũ, & fructus suos comedentium, pertinaciã incorrigibilium denotat peccatorũ, qui malè inciendo, in peius proficiunt, & pessimè sinientes deficiunt. Sicut enim hæc per incrementa differũt, arare, metere, & cõedere fructũ. sic in peccatorib. distantiam per incrementa peccati diuinum perpendit iudicium. Denique cũ ppositio peccati opere corruptus laborat animus, versatq; cogitatu intimo, qualiter voluntatem impiam ad operis perducat effectum, aranti vel seminanti similis est. Cùm autem expleto iniquitatis opere exilit lætabundus quòd malè fecerit, & exultans in rebus pessimis, similis est metenti, cùm deinde ad hoc etiam eruperit, vt superbo spiritu, sua contra redarguentem legem Dei peccata defendat, & securus incedat corde impœnitenti, similis est ei qui post messem reconditos fructus comedit. Proinde cùm dixisset, comedistis fructum mendacij, continuò quasi quæreretur ab aliquo illorum cui hæc dicit, quomodo vel quare dicit quòd comederim fructum mẽdacij, subiungit atque ait: Quia confisus es in vijs tuis. Idem enim est si dicat. Quia tu peccata tua superba ceruice defendis. Eisdem incrementis originale, id est, Adæ peccatum, peractũ est. Primò quippe impietatem arauit, quando Dei similitudinem appetiuit. Nisi enim intus prius tumuisset, nisi diuinitatem vel diuinæ maiestatis similitudinem appetisset, foris tentatus tam facilè non cederet. Deinde iniquitatem messuit, quando propositũ sibi præceptum de ligno scientię boni ac mali transgressus est, inobediens voci domini. Deinde comedit fructum mendacij, quando in ipso peccato sibi complacuit, seq; aduersus redarguentem Deum defendit. Exinde omnis vitiosa propago vitiati parentis eadem incrementa cõtraxit, exempli gratia, vt ille Ephraim siue Hieroboã, cuius peccatum toties in sanctis & propheticis cõmemorãtur literis. Arauit nanq; impietatẽ, quando excogitauit cõsilium & dixit. Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt sacrificia faciat in domo dñi, in Hierusalem, &c. Messuit iniquitatem, quando excogitato cõsilio fecit duos vitulos aureos, & dixit. Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Comedit fructum mendacij, dum ita regnando nõ cum Deo, prophetas ad se missos in sermone Dei (sicut scriptura refert) incorrectus cõtempsit, & cõfisus est in vijs suis, in vitulis suis. Ad summum cœtus ille Iudaicus, qui non vtcunq; recesit à domo Dauid, sed etiã crucifixit filium Dauid, tunc arauit impietatem, quando quærebant principes sacerdotũ & scribæ quomodo illum interficerent. Messuit iniquitatẽ, quando petierunt & obtinuerunt à Pilato, vt interficerent eum. Fructum mendacij nunc vsq; cõedunt, quod videlicet mendacium siue mendacij fructum data militib. pecunia copiosa cõparauerunt, vt dicerẽt, quia discipuli eius nocte venerũt & furati sunt eum nobis dormientib. Diuulgatum est enim verbum illud apud Iudæos vsq; in hodiernum diẽ. Et confidunt in vijs suis, dum iustitiam suã statuere volentes, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Vbi sic arando, sic metendo, sic nihilominus comedendo, siue confitendo, peccatum cumulatum atq; roboratum est, iã profectò iudicij vel sentẽtiæ vindicis tempus & locus est. Sequitur ergo. [In multitudine fortium tuorum cõsurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vastabuntur.] Quicunque modis supra dictis peccata sua consummat, rectè fortes suos habere dicitur, fortes vtique malos, bonis fortibus cõtrarios. Quales fuere fortè Dauid fortes primi, ad quos cætera rum fortiũ nullus peruenit. Tres illi fortes, tres eius fuere virtutes, videlicet sapientia, humilitas, & fortitudo, quas scriptura taliter designat, breuiterq; comprehendit. Hæc nomina fortium Dauid, Dauid sedens in cathedra sapientissimus inter tres. Sedens in cathedra sapientissimus, hoc est sapientia. Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus. Hæc est humilitas, Qui octingentos interfecit impetu vno. Hæc est fortitudo, for-

Incrementa peccati.

Peccatũ Iudæorum in Christum.

3. Reg. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus illis contrarios fortes habent isti, videlicet insipientiã, superbiam, & temeritatem, quã putant verã esse fortitudinem, & proinde nullam merentur clementiã, citamq; experiuntur vindictã. Hoc est q̃ ait. In multitudine fortiũ tuorum cõsurget tumultus in populo, & oẽs munitiones tuę vastabuntur. Sic factum est, & quando decẽ tribus captiuæ translatæ sunt in Assyrios, sic factum est, quando Iudæi, vincentib. Romanis, ceciderunt in ore gladij, & in omnes gentes captiui ducti sunt. Consurrexit enim tumultus in populo illo, triplici discordia (sicut historiæ referunt) contra semetipsum diuiso, & omnes munitiones eius vastatæ sunt, ita vt non relinqueretur lapis super lapidẽ. Hoc euenit in multitudine fortiũ, id est, propter multitudinem fortium eius, de qualib. iam dictum est, quia videlicet tales fuere Iudæi malè fortes, sicut testatur ipse saluator in Psal. dicens. Quia ecce cœperunt animam meam, & irruerunt in me fortes. Nunc ad ipsos deuastandos apostrophã faciens, dicit "Propheticus sermo. [Sicut vastatus est Salma-
"na à domo eius qui iudicauit Baal in die prę
"lij, matre super filijs allisa. sic fecit vobis Be-
"thel à facie malitiæ nequitiarum vestrarũ.]
Nota rei gestæ historia est, cui vastationem illorum similẽ fore denunciat. In lib. nanq; Iudicum scriptum est, angelum apparuisse Gedeoni, qui dixit ei. Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian. Ac dejnceps Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septẽ, destrues q̃; arã Baal, quæ est patris tui, & nemus quod circa aram est, succide. Hoc facto iubente dño perrexit cum trecentis viris, & vicit Madiã mirabili genere prælij. Diuisit trecentos viros, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasq́ue vacuas ac lampades in medio lagenarum. Ingressusq́ue ipse, & trecenti viri qui cum eo erant in parte castrorum, incipientibus vigilijs noctis mediæ, & custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clãgere & complodere in lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampadas, & dextris sonantes tubas, clamaueruntq;, Gladius domini & Gedeonis. Omnia itaque castra turbata sunt & mutua se cæde truncabant fugientes, conclamantibus & persequentibus viris Israel. Apprænsi sunt & interfecti duo viri Madiã, Oreb, & Zeb, & deinde Sebee & Salmana reges Madiã. Diẽ illum appellat hic prophetа diẽ prælij, cũ dicit. Sicut vastatus est Salmana à domo eius qui iudicauit Baal in die prę lij. Nã qui iudicauit Baal, ipse est Gedeõ. Vnde vocatus est Hieroboal, eo q̃ dixisset pater eius, vlciscatur se de eo Baal, qui suffodit arã eius. Porrò Esa. diẽ eundẽ, diẽ appellat Madian. Iugum (ait) oneris eius, & virgã humeri eius, & sceptrũ exactoris eius super

Esa. 9.

asti, sicut in die Madian. Vterq;, tã iste, q̃ ille triũphũ Christi, quo triũphauit, tã de inuisibilib. quã de visibilib. hostib⁹ suis, triũpho illo assimulauit, quo taliter triũphauit Gedeon de Madian cũ illis CCC. viris. Nimirum Psalmista quoq; inimicos Dei hostes & aduersarios, Christi illis principib. Madian, quorum vnus fuit hic Salmana, similes imprecatur fore in ruina. deus (inq̃t) pone principes eorum, sicut Oreb & Zeb, & Zebee, & Salmana. Magnum & memorabile prælium, cuius secundum similitudinẽ spirituale bellum dñi, tribus prophetis testibus, Esaia, Dauid, & isto Osee confirmatum & prænuncia tum est fore gerendum. Nam sicut à catholicis atq; orthodoxis est tractãdo depromptũ. Gedeon Christi CCC. cum eo viri prædicatorum sanctæ trinitatis typũ gesserunt, Madian verò cunctorum Christi inimicorum, quòd viri illi non gladios, sed sinistris quidem manib. atq; in lagenis lãpadas, dexteris verò sonantes tenuere tubas, eius rei typus extitit, quòd sancti prædicatores in minore suorum salutẽ corporum, in maiore verò cura verbũ prædicationis habuerunt. Confractis hydrijs siue lagenis lampades micuerunt, concrepante sonitu tubarum, & hostes in fugam versi disperierunt, quia prostratis in morte corporibus, magnitudo gratiarũ, quæ in illis erat occultior, magis claruit per signa miraculorum, & sic dissipata sunt contraria Christo molimina hostium, malignorum spirituum siue impiorum hominum.

Triumphus Christi simẽlis triumpho Gedeonis.

Psal. 26.

Nunc secundum literæ præsentis ordinẽ siue tenorem cœptum prosequamur intellectum. Sicut vastatus est (inquit) Salmana à domo eius qui iudicauit Baalin die prę lij, matre super filios allisa, sic fecit vobis Bethel à facie malitiæ nequitiarum vestrarum. Non dixit. sicut vastatus est Madian, sed sicut vastatus est Salmana, qui fuit rex Madiã. sic enim ibidem scriptum est. Dixitq́ue Gedeon ad viros Socoth. Date (obsecro) panes populo qui mecum est, quia valdè defecerunt, vt possimus persequi Zebee & Salmana & reges Madiã. Quomodo vastat⁹ est ille Salmana? Cùm comprehendisset eos Gedeon, videlicet Zebee & Salmana dixit ad eos. Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor? Qui responderunt, Similes tui, & vnus ex eis quasi filius regis. Quibus ille ait. Fratres mei fuerunt, filij matris meæ. Viuit Dominus si seruassetis eos, non vos occiderem. & cætera quæ concluduntur sic. Surrexitq́ue Gedeon, & interfecit Zebee & Salmana, Idcirco propheta cùm dixisset, sicut vastatus est Salmana à domo eius, qui iudicauit Baal in die prælij, addidit, matre super filijs allisa, quia videlicet matrem ipsius Gedeon vehementer allisserant super filijs, quorum mors maternorum viscerũ allisio non esse non poterat, quam etiam ob causam noluit seruare Gedeon, sed interfecit

Salmana vastatus.

Iud. 8.

Bethel.

terfecit eũdem Salmana. Sic fecit vobis (ait) Bethel à facie malitiæ nequitiarum vestrarum. Siue ad illius temporis statũ respicias, quo decem tribus in Assyrios trãslatæ sunt, siue ad illius, quo Iudæi Romanorum gladijs excisi sunt, vera est vtrobiq; similitudo, quia proinde hæc passi sunt, quòd & priores illi prophetas occiderunt, & iuniores isti Christum & Apostolos interfecerũt, & hoc faciendo matrem super filijs allisẽrũt, id est, Ecclesiam Dei grauiter contristauerunt. Illis fuit Bethel ciuitas eiusdẽ nominis, in qua vnum posuerant de vitulis quos coluerunt. Istis autẽ Bethel, extitit ipsa domus domini, quæ erat in Hierosolymis secundum interpretationem nominis, interpretatur enim Bethel domus Dei, in qua non deo, sed mammonæ seruierunt. Illa domus fecit eis à facie malitiæ nequitiarum ipsorum, vt sicut vastatus est Salmana, sic ipsi vastarentur & vltimum paterentur exterminium. Quare? Quia videlicet iam nõ erant sicut Abraham vel sicut Israel, sed sicut Salmana qui rex erat Madianites, quod nomen interpretatur consummatio, significãs eos in omni nequitia cosummatos modis omnibus, de quibus supra dictum est, arando impietatẽ, metendo iniquitatem, comedendo fructum mendacij, & confidendo in vijs suis. Dicat illis igitur Gedeon, q̃ interpretatur circuiens vterum, scilicet dñs noster Iesus Christus, q̃ non de virili semine conceptus, sed per semetipsum de cælo veniens, introiuit & impleuit virginis vterum. Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor? Et sit sensus. Quid vobis conscientia vestra respondet, quales fuerunt illi quos misi ad vos, ex quibus occidistis & crucifixistis, ex quibus flagellastis in synagogis vestris, & persecuti estis de ciuitate in ciuitatem? Non enim veritas reamillorum cessat conuenire conscientiam, sed semper accusantes secum cogitationes circumferunt. Dicuntur autẽ hoc feciſſe in Thabor. Et rectè, quia Thabor interpretatur veniens lumen, & ipsi in aduentu & ꝓpter aduentũ veri luminis, quod est Christus, hoc fecerunt, nolentes videre aut ab aliquo videri siue demonstrari tantum lumen. Respondent illi. Similes tui & vnus ex eis, quasi filius regis. Nequaquam enim respondere nõ possunt, quia non ignoranter, sed scienter peccauerunt, & liquido sciebãt eos similes fuisse Christi, videlicet prophetas, & sapientes, & scribas, & vnum ex eis quasi filium regis, imò verum filium regis qui hoc ipsum requirit, qui conscientias eorum conuincit, qui ad iudicium mortis iubet eos produci, fratres (inquit) mei fuerũt, filij matris meæ. Si seruassetis eos, non vos occiderem. Verè fratres suos esse Christus beatos Apostolos dicit, quia & antequã clarificassent eum passionibus vel mortib. suis, dixit Mariæ cùm resurrexisset à mortuis:

Matth. 23.

Rom. 2.

Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum. Sunt & filij matris eius, videlicet supernæ Hierusalem, quæ est mater omnium nostrum, cuius & Christus secundum carnem filius factus est, filius singularis, primogenitus ex mortuis. Si seruassetis eos (inquit) non vos occiderem, quia videlicet dimissus fuisset Iudeis reatus quoque mortis Christi, si post resurrectionem eius, Apostolis eius credidissent, secundum orationem, qua orauit, quando illum crucifixerunt. Pater dimittet illis, nõ enim sciunt quid faciunt. His præmissis cõtinuò saluatoris eiusdem gratiam, qua iustificantur credentes electi, sic eloquitur persona Dei patris. [Sicut manè transit, pertrãsijt rex Israel, quia puer Israel, & dilexi eũ, & ex Aegypto vocaui filium meum.] Sensus iste est. Rex Israel non nisi Deus esse deberat, & Christus Dei filius, quem patriarcharum fides expectauerat. Vnde cùm quærerent regem filij Israel, displicuit sermo in oculis Samuelis, domino quoque dicente ad eum. Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Verum nequaquam expectauit tempora legitima regni Dei, quis quis in Israel regnare potuit, sed certatim in alterutros surgendo, regesq́ue alios percutiendo, alij regnauerunt quousque regnaret Herodes, qui non erat de genere Israel. In illo cessauit homo transiturus regnare in Israel, quamuis quidam de posteris eiusdem Herodis aliquas post illum lacerauerint potius, quã rexerint eiusdem regni patres, quia tunc rex Christus natus, cuius regnum non trãsit, sed in æternum permanet. Igitur transire & cessare debuit rex Israel, eo maximè tempore, quando talis erat rex Herodes, qui neque de Iuda, neque de vlla esset tribu Israel, quo tempore verus rex Christus natus est. Nimirum ita factum est. Nam sicut manè transit, pertransijt rex Israel, & finitũ est terrenum regnum Israel. Et quidem cito manè transit, veruntamen iterum reuertitur. Rex autem eiusmodi siue regnum Israel non reuertetur amplius. Rectè ergo cũ dixisset, sicut manè transit, non contentus fuit dixisse, transijt rex Israel, sed omnimodum & irreuocabilem exprimens transitũ, pertransijt (inquit) rex Israel, quia iam vltra non rediturus est, sicut manè transit quidem, sed iterum transmissa nocte rediturum est. Quare? Quia puer (inquit) Israel subauditur natus est, qui solus cælesti imperio reperdendum Herodes ille alienigena rex. Et dilexi eum, ait, videlicet iuxta alium prophetam, per quem hic idem Deus pater Iouus est. Ecce puer meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Et rectissimè puer iste præséti loco dicitur Israel, ꝓpter illud q̃

Ioan. 20.

Galat. 4.

Luce 23.

CAP. XI.

1. Reg. 8.

Transitorius rex Israel.

Puer Israel Christus.

Matth. 12.

Esa. 42.

Matth. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequitur, & ex Aegyto vocaui filium meũ. Iste nanque puer pertulit tentationes siue tribulationes Israel, incipiens ab eo, quòd fugit ex Israel in Aegyptum, vbi quondam ille peregrinatus est Israel. Quod sciens diuinus Euangelista, cùm dixisset, qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secesssit in Aegyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis, continuò testimonium hoc ita subintulit. Vt adimpleretur quod dictum est à domino per prophetam dicentem. Ex Aegypto vocaui filium meum. Vbi seruiuit propter peccata sua domus Israel, quia vendiderant fratrem suum Ioseph, illic exul factus est iste rex Israel. Vocatus ex Aegypto, quadraginta diebus tentatus est in deserto. Illic quondam Israel, egressus ex Aegypto, tentatus est, quia tentauit Deũ in deserto quadraginta annos, quia deliquit detrahendo terræ repromissionis, quam per quadraginta dies explorauit, & idcirco diẽ pro anno computante illi iudice Deo, mansit illic (vt dictũ est) quadraginta annos. Hic autem, qui non tentauit, sed tentatus est, statim post quadraginta dies in veram repromissionis terram introire, suosque auditores introducere cœpit, prædicando, dæmones eijciendo, & cætera miracula faciendo, mortem patiendo, & à mortuis resurgendo, atque in cælum ascendendo. Rectè igitur hic filius præsenti loco Israel dictus est, & pulchrè ad illam eius fugam in Aegyptum & reditum hoc pertinet testimoniu ab Euangelista sumptum. Ex Aegypto vocaui filium meum. Et quidem populus quoque Israel, cùm vocaretur ex Aegypto, filius dictus est, sicut scriptum est. Dicesque ad Pharaonem. Hæc dicit dominus. Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi, dimitte filiũ meum vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Ergo populus quoque Israel pro parte electorum filius quidem dictus est, sed hoc non nisi gratia huius, qui filius est vnicus, non adoptatus, sed genitus, qui de populo illo secundum carnem nasciturus erat, vt multos filios per passionem suã in gloriam adduceret, non dedignatus eos habere fratres & cohæredes. Alioqui nisi venisset qui venturus erat hic dilectus filius Dei, Israel quoque sicut cæteræ gentes, nequaquam poterat tanti patris filius dici, testante Apostolo, qui cùm ex illo sit populo, tamen dicit, Eramus enim & nos aliquãdo natura filij iræ, sicut & cæteri. Quod si quæras, quid olim factum sit, quando Israel de Aegypto ascendit. Quoniam quidẽ (sicut Euangelista dicit) tunc quando puer Iesus in Aegyptum fugit, & inde redijt, impletum est illud quod dictum est à domino p hunc prophetam dicentẽ. Ex Aegypto vocaui filium meum. Audi quod sequitur.

"[Vocauerunt eos & sic abierunt à facie eorum, Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant.] Hic iam quarto peccata eiusdem populi replicans, ad superiora tempora sermo recurrit. Ait est sensus, Ego quidẽ vocaui tunc temporis filios Israel ex Aegypto, at illi tunc non exierunt ex Aegypto, præterquam paucissimi. Corpore quidem exierunt, sed animo non exierunt. Alij vocauerunt eos, & ipsi me contemnentes, potius sequuti sunt illos. Denique cum corpore ex Aegypto exirent, vsqueadeo mente in Agypto remanserunt, vt simulachris Aegyptijs sacrificarent, insuper & Baalim immolarent. Et quidem Hieroboal, qui & Gedeon, destruxit idolum Baal, sed postea ad immolandum illi reuoluti sunt, vocantibus maximè regibus suis & impia Iezabel, & à facie illorum taliter abeundo, nequaquam ex Aegypto se exisse testati sunt, qui peccata Aegyptiaca non deseruerũt. [Et ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierũt quòd curarem eos.] Miram Dei patientiam, cuius & Paulus in Actibus Apostolorum meminit his verbis, & per quadraginta annorum tempus, mores eorum sustinuit in deserto, præsens locus, quamuis breuiter, magnificè satis innuit. Et ego (inquit) quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis. Sicut enim nutricius puerulum, qui nondum ad intelligibilem ætatem peruenit, sed nec discretionem adhuc habere potest boni ac mali, patienter suffert, & infantiles eius ineptias, quamuis interdum commotus reuerberet, adhibitis sępius consolatur blandimẽtis, & quãlibet ingratum portat in brachijs, sic dñs Deus, qui hæc loquitur, populũ rudem & spiritualia nescientẽ mysteria cælestis regni Dei, patienter sustinuit, & quãuis multorum ex illis corpora prosterneret in deserto, residuis tamen multis & magnis blandiebatur miraculis, circunducendo illos & docendo (vt Moyses ait) & custodiendo quasi pupillam oculi sui. Hoc est quod ait, & portabam eos in brachijs meis, per brachia nanq; fortitudinẽ eorũ, quæ facta sunt miraculorum vult intelligi. Vnde scriptura cùm dixisset, indurauitque Dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & persequutus est filios Israel, continuò subiunxit. At illi egressi erant in manu excelsa. Et Psalmista. Et eduxit Israel (inqt) de medio eius in manu potẽti & brachio excelso. Nec verò ab re per nomen hic Ephraim exprimitur, cũ hęc vna tãtũ tribus fuerit illi⁹ populi, sed qa maior ingratitudo tribus illius extitit in eo q Hieroboã de tribu Ephraim vitulos aureos fecit, rectè grauius eadẽ tribus denotatur, vbicũq; potiora super ingratã gẽtẽ cõmemorantur beneficia Dei. Et nescierunt (inquit) quod curarem eos. Reuera nescierunt, in tantum, vt dum ipse quædam curationis ligamenta, id est, legalia daret illis præcepta, illi perterriti & pauore concussi, stărent procul dicentes Moysi. Loquere tu nobis & audiemus. Non loquatur nobis dñs, ne fortè moriamur. Econtra Moyses vt scirẽt, quòd dominus nõ occidere, sed curare vellet eos, Nolite (ait) timere. Vt enim probaret vos, venit Deus. & vt terror illius ac pauor esset in vobis, & non peccaretis. Secundum sensum verborum eorundem, quæ tunc loquutus est dominus, sequitur in propheta & dicit. [In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis.] Cũ enim dixisset Moyses, Prophetam de gente tua & de fratrib. tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies, subiungens protinus, vt petisti (ait) à domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est, atq; dixisti, Vltra nõ audiam vocẽ domini Dei mei, & ignem hũc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait dominus. Benè omnia sunt loquuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetur q̃ue ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autẽ verba eius, quę loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Denique sicut illic in eiusmodi verbis, ita & hic dicendo, in funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis, incarnationem vnigeniti filij sui Deus pater hominibus repromittit. Quando enim hoc factũ est, tunc reuera prophetam suscitauit Deus hominib. de medio fratrum suorum, similem Moysi, id est, Deum talem factum cui possent homines loqui, sicut loquuti sunt Moysi, cui dixerãt, Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur. Et nunc in funiculis Adam traxit nos, vt potè factus filius Adam siue filius hominis, qui funiculi sunt charitatis. In eo nanque quòd factus est ex carne Adam filius hominis, miro modo sibi nos colligauit, & traxit ad se in funiculis charitatis, & ex eo scimus quod curet nos, nam eatenus & nescierunt (ait) q̃ curarem eos. Funiculorum eorundem attritionem in eo maximè tandem intendit, quòd veniens in hunc mũdum peccatum gulæ (per quod primus homo perijt, & per quod iam dicti filij Israel tentauerunt Deum, concupiscendo concupiscentiam in deserto) corrigeret in electis suis, informando illos ad operandum cibũ, qui non perit, ad manducandum & bibendum sacramentũ corporis & sanguinis sui.

"Sequitur ergo [Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum vt vesceretur.] Maxillis nanq; dentes radicati continentur, & per eas primùm cõminutus ad interiora cibus transmittitur. Rectè ergo per maxillas gula denotatur, per quam primus (vt iam dictum est) homo perijt, & p quam filij Israel Deũ tentantes, dixerunt, Nũquid poterit Deus parare mensam in deserto, & cætera huiusmodi. Sed & cũ præsens adesset, diceretque illis. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Dixerũt ei. Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto. Hoc nimirum intendebant, vt vel eodem modo, quo patres eorum sine opere suo panem illum maducauerunt, vel sicut ipse paulò antè de quinque panibus & duobus piscibus satiauerat quinque millia hominum, ita pasceret eos, atque hoc modo quasi maxillis hiantibus, ciborum quã habebãt, expromebant concupiscentiam. Cùm ergo dicit, Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum vt vesceretur. Hic est sensus. Et ego extrahens illos in funiculis Adam, in funiculis charitatis (sicut iam dictum est) reprimam atque coercebo in illis intemperatam edendi appetẽtiam, per quam primus homo perijt, & cui secundum exemplum eius nimium sunt dediti, dicendo illis. Operamini non cibũ qui perit, & cætera huiusmodi. Etenim ego sum panis viuus qui de cælo descendi, quo nimirum descensu declinaui ad eum vt vesceretur, atque vescendo pane hoc, viueret quisquis in fide & in obedientia benè operans, infidelitatem atque inobedientiam cuperet in semetipso euadere, per quam in primo parente malè comedente fuerat mortuus. Sequitur. [Nõ reuertetur in terram Aegypti, & Assur ipse rex eius, quoniam noluerunt conuerti. Cœpit gladius in ciuitatibus eius, consumet electos eius, & comedet capita eorum, & populus meus pendebit ad reditum meũ. Iugũ autẽ imponetur eis simul, quod non auferetur.] Quando, vt supra dictum est, in brachijs suis populũ illũ portabat per desertum, & panẽ. i. manna dabat illi viui & viuificipanis figuratiuũ, tũc multoties murmurando cõtendebant dicendo. Cõstituam⁹ nobis ducẽ, & reuertamur in Aegyptũ. Quãdo autem ipse per semetipsum declinauit ad eum, vt vesceretur, quando se descendisse de cælo testatus est panis viuus, vt qui manducauerit ex eo, non moriatur, eo tempore non erat tumultus iste in populo, vt constituens sibi ducem in Aegyptum reuerteretur, quinimò in ciuitate & templo illo plũrimum gloriabatur, sed nihilominus ipse Assur. i. diabolus rex est eius. Quare? Quoniã noluerunt (inquit) conuerti, subauditur, vt vescerentur pane illo, qui (vt iam dictum est) declinauit. i. qui de cælo descẽdit ad hoc vt vesceretur operarius quisquis operis dei. Quod autem reuera rex eius extunc sit Assur. i diabolus, pro eo quod regem suum, regem iustitiæ & principẽ pacis negauit & blasphemauit, & ad eũ noluit cõuerti, claruit ex subsequentib. Cœpit enim (inquit) gladius in ciuitatib. eius, videlicet quando populus ille à Romano exercitu circundatus est. Miro nanque modo, antequã hostilib. machinis mu-

Matth. 2.

Ex Aegypto vocaui filium meu Gen. 37.

Num. 14.

Exod. 4.

Nutricius Ephraim.

Eph. 2.

Iud. 3.

Deut. 18.

Actor. 13.

Exod. 20.

Psal 108. Ioan. 6.

Maxilla gulam designat. Psal. 77. Ioan. 6.

Exod. 16.

Num. 14.

Ioan. 6.

Assur diabolus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

muri deforis pulsarentur, intus seditiosorum gladijs innumera miserabiliũ ciuiũ corpora necabãtur, sicut mira & cunctis seculis peruulgata Hierosolymitani excidij tragœdia Iosepho describẽte testatur. Rectè ergo & veraciter dictum, cœpit gladius in ciuitatibus eius, quia prius vastauit eos intus gladius, quam pauor foris ex hostium præsentia clausis incuteretur. Quod sequitur dicens. Et consumet electos eius, & comedet capita eorum, id est, ac si dicat, quia destruet non solùm duces aut principes, sed & omnem principatum eorum, secundum Danielis quoque prophetiam, qui cùm dixisset & post hebdomadas sexaginta occidetur Christus, & non erit eis populus qui eũ negaturus est, prosequutus est ita dicẽs, Et ciuitatẽ & sanctuariũ dissipabit populus cũ duce venturo, & finis eius vastitas, & post finẽ belli statuta desolatio. Et deficiet hostia & sacrificiũ, & in templo erit abominatio desolationis, & vsq; ad consummationem & finẽ perseuerabit desolatio. Cũ autẽ (vt ait ille) & non erit eis populus, qui eum negaturus est, Iudęi cũ Christo nihil habeãt, Christũ autem se expectare cõtẽdunt. Hoc est quod præsenti loco nunc dicit, & populus meus pendebit ad reditum meum. Pendent enim nunc inter vtrunq;, vtpotè neq; Deum patrum suorum habentes, neq; idola colentes, sicut quondam Baal, & vitulos coluerunt. Et redibit quidem Christus ad eos, ita vt reliquię saluę fiant, sed interim eis qui non credunt, iugũ impositum est, quod non auferetur, iugum peccati, iugum captiuitatis, qua in oẽs gentes captiui ducti sunt.

Dani. 9.

Quomodo nunc pendent Iudæi

"Hoc intendens ac prospiciens, vt videlicet
"reliquiæ saluæ fiant, continuò dicit [Quo-
"modo dabo te Ephraim, protegã te Israel?
"Quomodo dabo te? Sicut Adama ponam te,
"vt Seboim. Cóuersum est in me cor meum,
"pariter conturbata est pœnitudo mea. Non
"faciam furorem iræ meæ, non conuertar vt
"disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, &
non homo in medio tui sanctus.] Notũ est
Adama & Seboim ciuitates fuisse Sodomorum. Quinque namq; ciuitates fuerunt, Sodoma, & Gomorra, Adama & Seeboim, & Seboim, & Balla, quæ & Segor. Vnde & ipsa regio Pentapolis dicta est. Illæ ciuitates per ignem & sulphurem ita subuersæ sunt, vt nullæ ex eis reliquiæ superessent. Cũ ergo dicit, quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israel? subauditur, qui protegi nõ mereris, statimq; meritam subiungit sententiã dicens. Sicut Adama ponam te, vt Seboim, tantã illi populo cõminatur repulsam, vt ne reliquiæ quidẽ ex eo debeant saluari. Hoc dicto, confestim quasi dolore cordis tactus intrinsecũs, nimiã ipse sui sæueritatẽ cẽset esse iudicij, & dicit: Cõuersũ est in me cor meũ, pariter conturbata est pœnitudo mea. Et est sensus, statim vt loquutus sum aduersum te malũ, & crudelem protuli sententiam, tetigit me pietas vincente misericordia, veluti austeritatẽ iudicis pietas mitigat patris. Non faciam (ait) furorẽ iræ meæ, non conuertar vt disperdam Ephraim, subauditur, eo modo quo disperdidi Adama & Seboim, nullis reliquijs earum reseruatis. Non ita conuertar, non ita mutabor ab insita mihi clementia, vt taliter compleam furorẽ meum, quoniã deus ego & nõ homo in medio tui sanctus. Homo dum irascitur, accepta iniuria profundè læsus, eo totus intendit vt vindictam exigat, & de pœnis satietur eius qui læsit, nec enim pœnitentiã, sed solam (vtiã dictum est) quærit vindictam. Ego autẽ Deus sum in medio tui sanctus, nõ pro furore vindictã aut pœnam, sed pro misericordia peccatorum desiderans pœnitentiam. [Non ergo ingrediar ciuitatẽ.] Id est, non indiscretè, percutiam ad modum hominis, qui cùm iratus (vt sæpe dictum est) offensam irruperit ciuitatem, furore ardens nullã ætatum aut ordinum siue conditionum habet discretionem, omnes pariter inuoluens, vniuersos indiscretè percutiens, & fugientes insequens, & obuiantes iugulans. Secundum hunc sensum dicit & Apostolus. Nunquid repulit DEVS populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Et subinde. Quid dicit Heliæ responsum diuinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Non ergo DEVS genti iratus est, sed incredulitati, quia non sic iratus est, vt nullas ex illo populo suo reliquias, si conuertantur suscipere velit. Non (inquam) idcirco Iudæus quisquam repellitur, quia gens Iudaica Christum occidit, sed qui Christum negat, siue Iudæus, siue Gentilis, ipsemet sese facit in sua persona repelli. Vnde loco supra memorato, cùm dixisset Daniel, Et post hebdomadas sexaginta occidetur Christus, subiungens, Et non erit ei populus (ait) qui eum negaturus est. Non dixit, nõ erit eius populus qui eum occisurus est, sed qui eum negaturus est. Nam occisio Christi occisoribus confitentibus sine dubio donatur, secundum ipsius precem dicentis, pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt, negationis autem pertinacia damnãtur, nullamquam veniam meretur. Itaque non vt Adama & Seboim, quorum corporale incendium nullus euasit inhabitantium, posuit deus illum populum suum, quia corporali excidio multi superfuerunt, & reliquiæ ex illis subuerterentur cùm intrauerit plenitudo Gentium, nisi sponte sua, nisi gratuita misericordia furorem iræ suæ repressisset, iusto valdè iudicio,

Rom. 11.

Gen. 14.

Clementia Dei.

Deus ego & nõ homo.

Luc. 23.

dicio, sicut Adama & sicut Seboim nullis reseruatis reliquijs, perdidisset. Vndè & Esaias loquitur. Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus.

Esai. 1.

"Sequitur. [Post dominum ambulabũt, qua-
"si leo rugiet, quia ipse rugiet, & formidabũt
"filij maris, & auolabunt quasi aues ex Aegy
"pto, quasi columba de terra Assyriorũ. Et
"collocabo eos in domibus suis, dicit domi-
"nus.] Idcirco (ait) non omninò disperdam, quia post dominum reliquiæ ambulabunt, id est, credent in Christum. Etenim Christus ab eis in tempore beneplacito cognoscetur & timebitur, sicut ex suo rugitu leo cognoscitur, & formidatur. Ipse enim quasi leo rugiet, inquit. Hoc ipsum, non semel cõtentus, repetit & dicit, quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris. Dominus noster Iesus Christus quasi leo rugijt, quando infernum contriuit & mortem vicit, secundum prophetiam Iacob dicentis. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. Requiescẽs accubuisti, vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Itaq; post dominum rugientem, quemadmodum rugit leo, ambulabunt, & formidabunt, id est, in Christum deuicta morte, & spoliatis inferis glorificatum credent, eiusque vestigia sequentur, & in timore illi subditi erunt. Sed quinam sunt, qui ita post dominum ambulabunt, & ita formidabunt? Filij maris, inquit. Non dixit, filij Ephraim siue filij Israel, quibus supra dixerat quomodo dabo te Ephraim? Protegã te Israel? Filij maris inquit, id est, quicunque crediderint & baptizati fuerint. Moriturus enim erat Iesus non tantum pro gente siue pro reliquijs gentis, sed vt filios dei, qui erãt dispersi, congregaret in vnum. Benè ergo magis vniuersali enunciatione dixit, filij maris, id est, filij baptismi, filij gratiæ regenerantis, quacunque ex gente siue natione sint. Reliquiæ filiorum cum istis post dominum ambulabunt & formidabunt, & ita qui dispersi erant filij dei, congregabuntur in vnũ. Istam vnitatis eorum congregationem propheta pulcherrimè exornat, cum dicit, Et auolabunt quasi auis ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorum, & collocabo eos in domibus suis, dicit dominus. Aegyptus siue terra Assyriorum mundus iste est omnibus errantib. & principem huius mundi sectantibus, qui intelligitur per Assur. Pulchrè namque quasi auis auolare dicitur, qui terrenas cupiditates relinquendo, cælestem gratiam sequuntur, & sic euadunt, vt vestigia culpæ nulla in eis inueniat insequutor diabolus, sicut auolatus auium vestigia nũlla supersunt, dum liberis per aera pennis feruntur. Nec verò contentus dixisse nomine generali, & auolabunt quasi auis, sed cõtinuò specialiter exprimit eius auis similitudinem, cui competenter assimiletur gratia cælestis, dicendo: & quasi columba de terra Assyriorum. Columba namq; maximè pro eo, quod in hac specie spiritus sanctus super dominum nostium cum baptizaretur, apparuit, regenerantem eiusdem spiritus sancti gratiam significat, cuius vtique sacramentis viuificati, auolauimus ex Aegypto & de terra Assyriorum, id est, de ignorantię tenebris & de terrenarum affectibus cupiditatum. Et sic auolantes collocabo eos in domibus suis, dicit dominus. In domibus suis, id est, in mansionibus sibi præparatis. Nam ab origine mundi, quando creatis hominibus primis benedixit illis & ait. Crescite & multiplicamini, & replete terram, præparauit illis domos siue mansiones æternas, de quibus continuò moriturus dixit. In domo patris mei, multæ mansiones sunt, & in nouissimo die dicturus est. Venite benedicti patris mei percipite paratum vobis regnum à constitutione mundi. Sequitur. [Circundedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel. Iudas autem testis descendit cum Deo suo, & cum sanctis fidelis. Ephraim pascit ventum & sequitur æstum. Tota die mendacium & vastitatem multiplicat, & fœdus cum Assyrijs inijt, & oleum in Aegypto ferebat.]

Dominus vt leo rugijt.

Gene. 49.

Filij maris.

Ioan. 11.

Auolare quasi auis.

Quasi columba.

Matt. 3.

Ioan. 14.

Matth. 25.

CAP. XII

Quinta iam declamatione peccata populi, sese iustificare volentis, sermo prophetici accusat, & ante tribunal suum reum addicit maiestas, cuius manus non est, qui effugiat, si iudicio cum hominibus contendat. Circumdedit me (ait) in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel. Secundum euidentem literæ sonum ad illa tempora lectorem mittit, quando (vt sæpè iam dictum est) Hieroboam, qui erat de tribu Ephraim, vitulos aureos fecit. Tunc enim & ipse in negatione, & domus Israel in dolo DEVM circumdedit, quando eiusmodi consilium excogitauit, tam ipse, quam domus Israel, quatenus depellerent à se domum Dauid. Ibi reuera dolus extitit, quia non per ignorantiam, sed per malitiam Israel peccauit, ibi manifestè DEVM negauit, qui eduxit Israel de terra Aegypti, quando & hoc nomen & hoc opus vitulis illis asscripsit dicendo, isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra AEgypti. Sed nunquid is, qui hæc loquitur solos in isto Propheta vitulos illos attendit, quos illo tempore fecerat Ephraim, & non magis illos vitulos multos & tauros, de quibus in alio Propheta iam dixerat, circundederunt me vituli, multi tauri pingues obsederunt me? Ergo ad illa magis tempora prospicientem, spiritum Propheticum sequamur, quando peccatum illius Ephraim, qui tunc negauit Dauid, imò dominum ipsum in Dauid, ad quem promissio facta fuerat, dicendo, quæ nobis pars in Dauid aut quæ hæreditas in filio Isai, sic imitati

Psal. 21.

3. Reg. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan.10. sunt desertores filij Dei, filij Dauid, vt circũ darent eum dicentes. Quousq; animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palã. Tunc enim in negatione circũdederunt eũ, & hæc dixerunt ei, quia profectò talis corũ intentio fuit, vt confitentem se esse Christũ accusarent eum & negarent. quod & fecerunt ante faciem Pilati. Item, quando miserunt ad eum quosdam ex Pharisæis cum Matth.22. Herodianis dicentes, Magister, scimus quia verax es, & viam dei in veritate doces, dic ergo nobis, licet censum dari Cæsari, an non? Tunc vtiq; in dolo circundedit eum domus Israel, quippe qui consilium inierãt, vt caperent eum in sermone. Hæc & his similia facturos siue dicturos hæredes peccati illius Ephraim siue Israel, qui recessit à domo Dauid, veraciter nũc dicit, circundedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel. Porrò, his qui illum susceperũt & confessi sunt, secundum præsentem Petri & Apostoli confessionem dicentis, Tu Matt.16. es Christus filius Dei viui, conguit illud, qđ protinus dicit, Iudas autem testis descendit cum Deo suo, & cum sanctis fidelis. Iudas namque confessio interpretatur, & idcirco confessiores virtutis vniuersi rectè hoc nomine significantur. Et notanda diligenter hæc oppositio, Ephraim in negatione domi num circundedit. Iudas autem hoc ipsum, quod est Iudas, id est, in confessione est testis cum Deo suo descendit. Nimirum negatio & Iudas, id est, confessio, contraria sunt. Item, circundare dominum, & descendere cum domino, contraria sunt. Nihil verius hoc præconio prophetali. Qui enim in negatione dominum circundat, contra dominũ superbit, & superbiendo incidit in iudicium diaboli: & econtra, qui cõfitetur dominum filium Dei in humilitate filij hominis confitendo descendit, vndè & meretur exaltari. Iste Iudas rectè dicitur testis, non qualiscunque, sed fidelis, videlicet ex opposito domus Israel, quæ dominum in dolo circundedit. Dolus namque & fidelitas contraria sunt. Confessor igitur & testis fidelis cũ deo suo, & cum sanctis descendit. Exempli gratia, quando vnus ex illis, qui venit in testimo- Ioan.i. nium, vt testimonium perhiberet de lumine, confessus est & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Itẽ, qui post mẽ venturus est (ait) ante me factus est, quia prior me erat, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Hoc modo nimirum omnes sancti descendunt, & cum illis omnis cõfessor & testis fidelis descendit, confitendo scilicet, quod ille prior omnibus extiterit, & quod de plenitudine eius omnes ipsi accepe rũt. Econtra, superbi omnes, quales erant illo tempore, scribæ & Pharisæi, tolluntur in sublime, vndè & facti sunt sicut puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Ait ergo Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum. Ventum namq; pascere, est superbiæ spiritu inflari, sequi verò æstum, luxuria corrumpi quæ peccata vel vitia consequentia sunt, ita vt cum superbia spiritum erexerit, carnem quoque corrumpat spiritus fornicationis. Quod item sequitur, Tota die mendacium & vastitatem multiplicat, quàm veraciter eisdem congruat, palam est qui tota die, id est, pertinaciter fingendo mendacium, vanumq; timorem, ac dicendo, si dimittimus Ioan.11. eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum & locum & gẽtem. Vastitatem vtique multiplicauerunt, id est multiplicem suis vrbibus euersionem comparauerunt. Quomodo autem ille talis Ephraim, id est, populus desertor veri Dauid, fœdus cum Assyrijs inijt, & oleum in Aegyptum ferebat, nisi malignorum spirituum voluntatem faciendo, & imperio mũ di huius malè adulando, ita vt diceret, non habemus regem nisi Cęsarem? Oleum nam- Psal. 140. que interdum adulationis significat suauitatem, vt illic, Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, id est, adulatio cuiusquam non delectabit mentem meam. Et quidem ille, dicendo, non habemus regẽ, nisi Cæsarem, & si hunc dimittis, non es amicus Cæsars, & cætera huiusmodi, oleum in Ioan.9. Aegytum ferebat, sed nec saltem ad tempus illis Aegyptijs, id est, gentilib. principib. Romanis acceptũ fuit. Nã pro suauitate talis olei nullã societatis gratiã, imò magnã euersionis suæ pœnam consequuti sunt. Sequitur. [Iudiciũ.n. domini cũ Iuda, & visitatio sup ,, Iacob. Iuxta vias eius & iuxta adinuentio- ,, nes eius reddet ei. In vtero supplantauit fra- ,, trem suũ, & in fortitudine sua directus est ,, cum angelo, & inualuit ad angelũ, & cõfor- ,, tatus est, fleuit & rogauit eũ] Dixerat domi ,, nus, circundedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel, Iudas aũt testis descendit cũ deo suo, & cũ sanctis fidelis. Nunc quasi quęrat aliquis, q causa iurgij fuerit Ephraim vt negaret, q causa domui Israel, vt idolũ excogitaret, cũ Iudas econtra testis fidelis cũ Deo suo descenderet, subiungit ipse propheta dicens in sua persona. Iudiciũ. n. dñi cũ Iuda, & visitatio super Iacob. Et est sensus. Idcirco dominũ circundederunt negantes, & in dolo loquentes, quia dominus ipse iudiciũ posuit cũ Iuda, & visitationẽ egit super Iacob, discernendo videlicet & discernendum esse docendo, qui nam sint veraciter Iudæi, & qui econtra Iudæos se esse dicant cum non sint, sed sint in synagoga satanæ. Qui (inquam) sint veraciter Iacob, & Act.3. qui econtra Iacob siue Israel se esse dicant cum non sint, sed sint Esau. Tale namque iudicium cum Iuda, talem visitationem adueniens dominus noster exercuit super Iacob vt non eos reputare velit Iudæos, siue filios Iacob, pro eo quod sunt filij carnis, nisi sint etiam filij promissionis vel fidei. Vndè & Apostolus dicit: Non enim omnes, qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque quia semẽ sunt Abrahæ, omnes filij Dei, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filj Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Denique quod nihil prosit esse filios carnis, qui non sunt filij promissionis, iustissima confirmat sentẽtia, cum dicit. Iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei. Cui ei? Nimirum ei, qui cum deberet esse Iacob siue Iudas testis fidelis, factus est Ephraim, qui recessit in fideliter à domo Dauid, imò & Chanaan dici meretur, sicut habemus in sequentibus. Cum ergo dicit: Iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei, subintelligendũ Rom.2. est, æquè vt Gentili. Ira enim & indignatio (inquit Apostolus) tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum Iudæi primùm, & Græci. Non est enim personarum acceptio apud Deum. Veritatem iudicij siue veram sententiam iudicis discernentis, quis verè Iacob dicatur & sit, verbis istis breuiter diffinit. In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est, cum angelo, & inualuit ad angelum, & confortatus est, fleuit & rogauit eum. Cum Gen.25. enim hæc dicit, valde subtiliter exigit, vt si- Verè Iacob militer faciat, quicunque hoc astruere vult, quis est & quod ex Iacob sit: & hoc declamat, quòd po- dicitur. pulus ille veraciter Iacob dicatur & sit, qui similiter agit. In vtero (inquit) supplantauit fratrem suum, vndè dictus est Iacob, id est supplantator. Ergo qui vult veraciter dici vel esse Iacob, in huius vitæ angustijs, confligat sensu veritatis contra populum istum, qui cũ sit crudelitate rufus, cupiditate terrenus, moribus hispidus, Deum sibi arrogat cum Dei filium non habeat, & pugnando vsque ad victoriam, tollat eius primogenita. Item & in fortitudine sua (inquit) directus est cum angelo, & inualuit ad angelum, & confortatus est, & fleuit & rogauit eum. No Gen.25. tam historiam contingit, videlicet cum Iacob reuerteretur de Mesopotamia, traductisque omnib. quæ ad se pertinebant, transvadum Iacob remansisset solus, Ecce vir luctabatur cum eo vsq; mane. Qui cum videret, quòd eum superare non posset, dixit ad eum. Dimitte me, iam enim ascendit aurora Respõdit. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco. Ergo & qui non solum Iacob, verumetiam Israel veraciter dici vel esse vult, similiter in fortitudine sua, id est, in fide sua dirigatur cum Christo, magni consilij angelo, & inualescat ad angelum hunc, videlicet & agendo pœnitentiam, & faciendo dignum pœnitentiæ fructum. Nam quod ait, & confortatus est, subiungens, fleuit & rogauit eum, re- Fortes vt Iacob sunt pœnitentes. Matth. 11. ctè dicas de fortitudine pœnitentium, quia reuera fortes sunt, flendo instanter, & rogando perseueranter remissionem peccatorum iuxta illud. A diebus autem Ioannis regnũ cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Quisquis taliter imitatur patrem Iacob, qui cum angelo luctatus est, & tanquã victor benedictionem exegit ab eo, hic nimirum quacunque ex gente vel natione sit, verè est iam Iacob, & dici meretur Israel. Addit adhuc. [In Bethel inuenit eum, & ibi ,, loquutus est nobiscum, & dominus Deus ,, exercituum, dominus memoriale eius.] Pa- ,, tenter hic angelum, cum quo directus est, siue luctatus ille patriarcha Iacob, ipsum asserit fuisse dominum, dicendo. In Bethel inuenit eum, & Dominus Deus exercituum dominus memoriale eius. Nam eum, quem superius inuenerat in Bethel, ipsum fuisse dominum, scriptura testis est. Sic enim scriptum est. Viditque in somnis scalam stan- Gen.28. tem super terram, & cacumen illius tangens cælum, angelos quoque Dei ascendẽtes & descendentes per eam, & dominum innixũ scalæ, dicentem sibi. Ego sum dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. In Bethel ergo inuenit eum, scilicet angelum, cũ quo luctatus est postmodum, qui & dixit ei. Quoniam si contra Deum fortis fuisti, Extra ecquanto magis contra homines præualebis? clesiam non Interpretatur autem Bethel domus Dei. Er- inuenitur go & quisquis inualescere cupit ad illum ta- peccatorũ lem angelum, vt fletibus tãquam victor ob- remissio. tineat remissionem peccatorum, in Bethel quærat vt inueniat eum, id est, in domo Dei quæ est Ecclesia. Nam extra istam Dei domum nullus est locus in quo inueniat quis vel in quo suum cuiquam impartiatur alloquium. Vndè nunc ait. Et ibi loquutus est nobiscum. Quis vel quãtus iste sit quem vel tunc ille Iacob in Bethel inuenerit, vel nunc inuenire debeat in domo Dei, quisquis eiusdem Iacob siue Israel semen veraciter meretur nuncupari, manifestius exprimit, cum protinus dicit. Et dominus DEVS exercituum dominus memoriale eius. Nam reuera hic magni consilij angelus dominus est, DEVS est. Dominus (inquam) DEVS exercituum, omnium videlicet creator & rex angelorum, & omnium electorum hominum. Et hoc nomen, quod est dominus, ita est memoriale eius, sicut & Dei patris eius. Nemo enim in spiritu DEI loquens, diffitetur aut obliuiscitur, sed memoriter tenet, & dicit, dominus Deus. Nunc ad auditorem propheta sese conuertit, dicitque ei. [Et tu ad dominum ,, DEVM tuum conuerteris, misericordi- ,, am & iudicium cũstodi, & spera in Deo tuo, ,, semper.] Cum dicit & tu, subintelligen- ,, dum est, quemadmodum ille, siue secundum exemplum illius. Et quemadmodum tunc ille Iacob ad dominũ Deum suum conuersus est? Quomodo misericordiam & iudiciũ custodiuit, & sperauit in Deo suo semp? Nimirũ cũ peregrinaretur, fratrẽ suũ Esau fugitans,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fugitans, qui iam non peregrinus, sed præpotens factus erat, accipiendo vxores de filiabus Chanaan, inter quas Isaac pater suus habitabat, tunc omni humano solatio destitutus, flendo (vt iam dictum est) & rogando conuertit se ad dominum Deum suum, inualuitque ad angelum, confortatus cum flebili oratione hac. Deus patris mei Abraham & Deus patris mei Isaac. Domine tu dixisti mihi, reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciã tibi, minor sum cunctis miserationib. tuis, & veritate quam expleſti seruo tuo. in baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior, erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo. Ita ergo & tu, quoties te persequitur Esau, id est, quilibet frater fallus, cuiuscunq; exemplum fuit Esau, immò & quoties spiritum tuum caro tua persequitur, conuertere ad dominum Deum tuum, & ora eum, atque vt exaudiri merearis, rogando fortiter, sicut ille in fortitudine sua cum angelo directus est, perseuceranter esto fortis, quemadmodum ille, cum dixit, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Misericordiam & iudicium ille custodiuit, videlicet ambulando in vijs domini. Nã vniuersæ viæ domini misericordia & iudicium, siue misericordia & veritas. Proinde & meritò sperauit in domino Deo suo semper, id est, in omnibus aduersis, quæ multa passus est, nec spe sua fruſtratus est. Nam & de manu Esau, quem timebat, eruit eum dominus, & tandem post dies peregrinationis suæ plurimos, post annos vitæ suæ CXXX. visa rursus facie filij sui Ioseph, consolatus est semetipsum, dicens, quòd iam lætus moriturus esset. Huiusmodi iudicium cum Iuda, & hæc visitatio super Iacob, vt quisq; secundum hæc exempla viuit patris illius, ille duntaxat dicatur & sit Iudæus, ille Iacob, imò & Israel verè vocetur. Quid contra is, qui cum sit fidei vel meritis eiusdem patris contrarius, in sola carne Iacob, siue in carnali tantum Iudaismo gloriatur? Audi quod sequitur. [Chanaan est, in manu eius statera doloſa, calumniam dilexit.] Mira & condigna secundum cuiusque merita nominum siue appellationum positio, imò oppositio. Illi qui secundum exemplum patris iam dicti in fortitudine sua dirigitur cum angelo, & inualescit ad angelum, rectè dicitur, nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis? Huic autem qui similiter non facit, imò inuidet similiter facienti, dicitur secundum sensum sermonis huius prophetici: Ne quaquam Iacob appellabitur nomen tuum sed Chanaan. Hoc & in alio propheta confirmat idem Deus, cum dicit: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Amorrhæus namque & Cethæus posteri Chanaan extiterunt. Quam ob causam maximè meretur vocari Chanaan, quisquis secundum carnem Iudæus dicatur, siue Israelita, secundum mores à tali vel tanto patre degenerat. Nimirum propter maliciosam terrenæ cupiditatis duplicitatem, quæ pulchrè talibus exprimitur verbis. In manu eius statera doloſa, calumniam dilexit. Hoc namque contrarium illi est, quod de patre illo scriptura dicit. Iacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis. Simplicitas eo prouexit illum, vt vocari mereretur Israel, doloſitas eo deuoluit filios carnis illius, vt vocentur Chanaan. Quod si habendo in manu sua stateram doloſam contra iustitiam legis Dei dicentis sit tibi æquus modius, iustusq; sextarius, merentur appellari Chanaan, quãto magis pro eo quod consilium facientes, vt Iesum tenerent & occiderent, statera hoc peregerunt, appendenda triginta argenteis sanguinis eius pretium, non iam Iudæi, sed Chananæi dicendi sunt? Nimirum de Iudæis illius temporis veraciter prophetic⁹ sermo dicat. Chanaan calumniam dilexit, quia maiori diligẽtia vel instantia calumniati sunt vt crucifigerent Christum regem, verum Dauid, quã olim sese scidisset à domo Dauid ille Ephraim, de quo hic propheta protinus dicit. [Et Ephraim dixit, veruntamen diues effectus sum, inueni idolum mihi Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.] Manifestius expresit quem in precedenti versiculo nomine Chanaan denotauerit, subiungendo, Et dixit Ephraim. Nam qui nascendo erat Ephraim, & pro discessione à domo Dauid, non qualiscunque, sed notabilis Ephraim, ipse stateram doloſam in manu habendo, & idolum sibi inueniendo, Chanaan rectè dici meruit. Et vide quàm mira fatuitatis consolatio. Cum haberet iste Chanaan in manu sua stateram doloſam, & accusantem se nusquam posse euadere peccati conscientiam, consolatus est semetipsum, & dixit: Veruntamen diues effectus sum. Vndecunque (inquit) vel quomodocunque acquisierim, siue iusta siue doloſa in manu mea statera fuerit, diues effectus sum, quod quærebam adeptus sum, inueni idolum mihi. Et hoc quidem ille dixerit Hieroboam de tribu Ephraim, qui euincere potuit, vt pro Deo vitulum faceret coli. Iudæi verò temporis illius, quod maximè propheta respicit, quo videlicet venit vt regnaret verus Dauid, cũ audissent eum contra auaritiam suam disputantem, maximeq; scribæ & Pharisæi, cum illum crucifixissent, gauisi sunt, quasi illo interempto, deinceps vacaret sibi seruire idolo suo, scilicet mammonæ, id est, vacare lucris suis. Cum itaque conscientia crudeli torqueretur hic talis Chanaã siue Ephraim consolabatur semetipsum, veruntamẽ (inquiẽs) diues effect⁹ sum. Ecõtra ille dicebat:

Gen. 25.

Leuit. 9.

Ezech. 16.

Iudæorum auaritia.

Verun-

Væ diuitib. Lucæ 6. Iacob. 5. Veruntamen, væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestrã. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Iacobus quoq; Apostolus contra diuites eosdẽ dicit, Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs, quæ aduenient vobis. At ille diues Chanaan, id est, Iudaicus siue Pharisaicus cœtus, dicebat sibi, quemadmodum hic propheta præscribit. Omnes labores mei nõ inuenient mihi iniquitatem meam, quam peccaui. Et est sensus. Omnia peccata mea non poterunt vindicari, neque fieri potest vt iniquitas, quam peccaui, puniatur euersione ciuitatis & templi. Nunquid enim crederet, vel audire posset quod locus ille, tam lucrosus, propter sanguinem Iesu Christi

Act. 6. destruendus foret? Denique hoc Stephano prothomartyri pro crimine asscriptum est, quod ita prædicaret sicut scriptura refert. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum, & sanctum, & legẽ. Audiuimus enim eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus

Iacob. 5. destruet locum istum. Agite ergo diuites (in quit Apostolus iam dictus) plorate vlulantes in miserijs, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimẽta vestra à tineis comesta sunt. Et subinde. Epulati (ait) estis super terram & in luxurijs enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis, & non restitit vobis. Vanè ergo se consolatus est hic, qui stateram habens doloſam, calumniam dilexit, dicendo. Veruntamen diues effectus sum, quia nec diuitiæ suæ proderunt illi, nec malè commutati nominis Chanaan hæreditate carebit. Sequitur. [Et ego dominus Deus tuus ex terra Aegypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis.] Hoc anterioribus cõiungitur dictis, neque enim Chanaan illi, cuius in manu statera doloſa est, aut Ephraim, qui sibi idolum inuenit, & gloriatus est diuitem se esse, gratiam istam repromittit, sed ei cui dixerat, & tu ad dominum Deum tuum conuerteris, misericordiam & iudiciũ custodi, & spera in Deo tuo semper. Hic ille est, qui habito iudicio cum Iuda, seu visitatione super Iacob, verè Iudæus, & verus esse Israelita repertus est, imitando illum, qui in vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum angelo, sicut iam dictum est. Itaque ad illud quod dixerat, & spera in Deo tuo semper, coniungitur id, quod ait. Et ego dominus Deus tuus ex terra Aegypti, id est, ex eo tempore quo egressus ex ignorãtię tenebris

Tabernacula Iacob. verum mihi fidei sacrificium obtulisti. Tabernacula illa quæ repromittit, dicendo: adhuc sedere te faciã in tabernaculis, illa sunt,

Psal. 83. de quibus Psalmista. Quam dilecta (inquit) tabernacula tua domine virtutum, subiungens, concupiscit & deficit anima mea in atrijs domini. Tabernacula quippe, id est, tegumenta peregrinantium, siue in malitia laborantium, discreti in ecclesia sunt ordines Deo seruientium, in quibus posita anima cõcupiscit & deficit in atria domini, desiderando ab istis angustijs transmigrare in illam amplitudinem Hierusalem supercelestis, vbi tanta amplitudo est, vt nullius possessio alterius possessione possit arctari, sufficiatque vnicuiq; quod possidet, ita vt amplius nolit. Notandus ergo ordo dictorum, quia cum dixisset, ego dominus Deus tuus ex terra Aegypti, adhuc ait, sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis. Notũ quippe est, quod egressi de terra Aegypti filij Israel in tabernaculis habitauerunt. Vndè & festiuitatem tabernaculorum scænophegiam celeberrimam habuerunt singulis annis. Est itaq; sensus. Olim patres tuos, ascẽdentes de terra Aegypti, habitare feci in tabernaculis, donec introducerem eos in terram promissionis. Sed sicut alia est Aegyptus, quam in illa Aegyptus significauit, & alia terra promissionis, cuius illa terra typũ prætulit, ita adhuc alia sunt tabernacula, quorum illa tabernacula significatiua fuerunt, & in illis te sedere faciam, sicut in diebus festiuitatis, id est, sicut significatum est illis tabernaculorum festis, quia omnia in figura contingebant illis. Et reuera quicunq; credendo in Christum de spirituali Aegypto exiuit, in alijs, id est, in spiritualibus sedet tabernaculis, dicitq; sedens, concupiscit, & deficit anima mea in atrijs domini. His dictis protinus subiungitur. [Et locutus sum per prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum.]

Exo. 23.

1. Cor. 10.

Hoc ita sensui coniungitur præcedenti. Ego (inquam) dominus DEVS tuus ex terra Aegypti, & extunc ita factis & dictis innotui, vt nemo se de ignorantia nominis mei excusare possit. Nam vt innotescerem visionem extunc multiplicaui, ex quo Moysi apparui de medio rubi in flamma ignis, & ille dixit. Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Et tunc per illum Prophetam, & per alios prophetas locutus sum, & visionem multiplicaui, id est, videndus atque cognoscendus prophetis multipliciter apparui, & in manu prophetarum assimilatus sum, videlicet opera multa faciendo, quæ mei ipsius quasdam similitudines prætulerunt. Exempli gratia, In manu Mosi decem plagis contraria quidem Aegyptus & Pharao flagellatus est, sed non nisi per immolati sanguinem agni ad perfectũ victoria perduci potuit. Illic nimirum in Manu Mosi assimilatus sum, hoc deniq; tunc assimilatum vel prefiguratũ est, cũ decem iustitię ceptis legalib. qui illa ante meũ seruaret aduentũ, sancti homines, vexarent quidẽ spiritualem

Pharao-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pharaonem, id est, diabolum, repugnando & resistendo illi, atque contendendo exire de regno mortis, sed non prealerent. Nihil enim ad perfectum adductura erat lex (sicut Apostolus dicit) donec tandem ingrederer mundum immolandus, & sacrificiũ iustitiæ futurus verus agnus Dei, qui per meũ sanguinem solus implerem, vt per iustitiam hominũ, quantumuis fortiter præcepta legis adimplentiũ fieri non potuit. Eiusmodi factis multiplicibus multisq; similitudinibus in manu Mosi & prophetarum assimilatus sum. De ignorantia talium, quoniam scripta sunt, maximè tribus Iuda, penes quã & templum, & religionis siue sacerdotij cultus erat, excusari non poterat. Sequitur ergo. [Si in Galaad idolum, tamen frustra errant in Galgal bobus immolantes.] Et est sensus. Si decẽ tribus idola colunt, quæ templo Dei, sacerdotibus & Dei religione carẽt, tu tamen ô Iuda frustra deum dereliquisti, & in Galgal idola colis, cũ habeas templum & sacerdotium, & cætera, quæ ad diuini cultus pertinent ritum. Galaad nanq; & mons est, & ciuitas iuxta eundem montem sita trans Iordanem in tribu Gad, de qua superius legimus. Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine. Galgal verò in tribu Iuda prope Bethel, de qua supra dictum est. Omnes nequitiæ eorum in Galgalis. Itaque & per Galaad decem tribus, & per Galgal tribus Iuda rectè denotatur, secundum tropum, qui synecdoche dicitur, id est, conceptio, cùm à parte totum, vel à toto pars intelligitur. Aliter & sic intelligi potest, etiam si Galaad idolũ sit, siue quamuis Galaaditæ abundent idolis, tamen in Galgal errant mira superstitionis insania, non contenti vno in loco fixa portenta venerari, sed semper de loco ad locum cursitantes, & idolorũ loca diuersa visentes, quasi præclaris festiuitatibus inuitati. Nam & protinus subiungit. [Nam & altaria eorum quasi acerui super sulcos agri.] Quod est dicere: Cùm enim vno in loco, hoc est, in Hierosolymis vni Deo sacrificia vel primitias offerre debuerint, adeò multiplicauerunt altaria (sicut superius iam dictum est) & ita exuberauerunt simulachris, & in vicis tam multa stabant altaria, vt solẽt manipulorum congesti stare acerui. Hoccine est hereditarium paternæ fidei, quod habito iudicio Domini cum Iuda, & visitatiõe super Iacob, filij Iuda vel filij Iacob mereantur nuncupari? Nõ vtique. Sequitur enim. [Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel in vxore, & in vxore seruiuit. In Propheta autem eduxit Israel de Aegypto, & in propheta seruatus.] Causa ista non minimè operatur in illo iudicio, siue operatione domini super Iacob in discernendo, quis veraciter & quis falsò dicatur esse semen Iacob. Cur enim ille fugit in regionẽ Syrię, & seruiuit in vxore? Videlicet ne quando ad eiusmodi perducerentur altaria per mulieres Chanaan. Dixit enim Rebecca ad Isaac. Tædet me vitæ meæ propter filias Eth. Si acceperit Iacob vxorẽ de stirpe huius terræ, nolo viuere. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit, præcepitq; ei, dicens, noli accipere coniugem de terra Chanan, sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Batuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Itaque mulieres terræ illius fugit, quæ possent illi scandalum esse & causa peccati, & exemplum eius sequendum esse, propter causam eandem, Moses ita scripsit. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis eorum, neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis, irascetur; furordomini, & delebit te citò. Isti autem econtra de Galaad in Galgal, de Galgal in Galaad cursitabant, quærendo & sequendo idola, quæ ille de gente in gentem, & de regno in populum alterum pertranseundo fugiebat. Falso igitur filios illius se esse dicunt, cum sint potius Chanaan (sicut supra dictum est) cuius opera sectati sunt. Magnum profecto præconiũ est fugientis, in eo quod dicitur, & in vxore seruiuit. Maluit vxorem iuxta beneplacitũ Dei patris ac matris, propria seruitute acquirere, quàm filias Chanaan ducere cum offensione, sicut fecit Esau, de quo scriptum est. Esau verò quadragenarius duxit vxores. Iudith filiam Beheri Ethæi, & Bascinath filiam Heloim eiusdem loci, quæ ambę offenderant animum Isaac & Rebeccæ, vxor illa in qua seruiuit Rachel extitit. Non pro Lia seruiuit, aut conuẽtionem fecit, sed pro Rachel, quam solam diligens à patre petiuit. Id circo autem repetijt dicendo, & seruiuit in vxore, & in vxore seruiuit, quia videlicet bis pro vna eademq; Rachel septennem seruitutem subijt. Septem quippe annis seruiuit, antequam coniugem duceret, & debito coniugio fraudatus est, sed quęrela deprompta, protinus post Liæ copulam, quam non quæsierat, optatis potius nuptijs Rachel, rursus seruiuit septem alijs annis. Et notãdum, quod sic repente nomen commutatur, dicẽdo, fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel in vxore. Quãdo fugit, dicebatur Iacob, quando autem seruiuit, meruit vocari Israel, auctis vtique meritis. sicut narratio continet reuersionis eiusdem de seruitio redeuntis. Ad eandem distinctionem tanti patris, & eorum qui, quamuis carnis eius filij nequaquam tamen merentur in semine reputari, spectat ad illud, quod protinus subiũgit: In propheta autem eduxit dominus Israel de Aegypto, & in propheta seruatus est. Nam econtra subaudiendum est. Isti autem de Aegypto mente nequaquam sunt egressi, imò

Gen. 27.

Deut. 4.

Laus Iacob ab vxoribus

si, imò ipsi sunt Aegyptus, faciẽdo sibi, & colendo deos Aegypti. s. vitulos, quorũ cultũ didicerunt in terra Aegypti. Vnde cõfestim "in sua persona Deus cõquirendo dicit. [Ad "iracundiã me prouocauit Ephraim in amari "tudinibus suis, & sanguis eius super eum ve "niet.] Statimque propheta subsequitur. [Et "opprobriũ eius restituet ei dñs Deus suus. "Loquente Ephraim horror inuasit Israel, & "deliquit in Baal, & mortuus est. Et nunc ad"diderunt ad peccandũ feceruntq; sibi confla "tile de argento suo, quasi similitudinẽ ido"lorum. Factura artificũ tota est. His ipsi dicunt, immolatè homines vitulos adorãtes.]

CA. XIII. Hæc omnia quæ hic dicta sunt declamatiõe vehemẽti prophetæ iudiciũ dñi, & visitationem super Iacob iustificantis, fortiter conuincũt eos, q̃ non sint aut mereantur dici Israel, qualem dñs in propheta veraciter de Aegypto eduxit. Alij nanq; & lõgè diuersi, immò & contrarij Israel vero & fideli, quẽ in ꝓpheta Moyse dñs eduxit de Aegypto, vero corde dicente. Eamus & sacrificemus dño Deo nostro. Illi fuerũt qui in amaritudinib. suis eundẽ dominum ad iracundiam prouocauerunt, tentando, & malè loquendo de ipso, semperq; murmurando cõtra eũ. Et illi quidẽ Israel, qualis erat Iosue si ue Caleph, in eodẽ propheta seruatus est, ascendendo per mare rubrũ, illorum autem corpora prostrata sunt in deserto. Illorũ omnium deterrimus & maximè notabilis extitit Ephraim. i. Hieroboã de tribu Ephraim, qui populum scindens à domo Dauid, vitulos aureos pro Deo colendos instituit. Idcirco confestim in illum sermo recurrit, dicente dño. Ad iracundiã me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius, id est, peccatũ eius, super eum veniet, vt scilicet intereat, & regnum perdat in posteris suis, q̃ tali modo retinendum putauit. Et quia præsens pœna non sola redditur impœnitẽti, subiungens propheta. Et opprobriũ (inquit) eius restituet ei dñs Deus suus, id est, in futuro quoq; seculo tanti opprobrij memoria nõ delebitur, qui in tantum se deiecit, vt deserto creatore Deo, coleret non tam vitulũ, quã inanimatam & insensibilẽ similitudinem vituli. Nec verò sui solius, sed & omniũ, quos ad tantum opprobrium induxit, perditio in illum redundabit. Idcirco peccatũ eius amplius declamans. Loquente (inquit) Ephraim, horror inuasit Israel, & deliquit in Baal, & mortuus est. Et est sensus, Dicente Hieroboã. Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerũt de terra Aegypti. Horrẽdus horror, & erroneus pauor inuasit Israel, vt aut verum putaret, aut obloqui nõ auderet, & non solùm vitulos illos, sed & Baal, agente Achab cum Iezabel, coleret, atque hoc modo mortuus est. Extunc vsus idololatriæ tantum excreuit, vt penè in omni loco singuli propria pro posse sibimet fabricarent idola in agris & in domibus suis. Hoc est quod ait. Et nũc addiderunt ad peccandum, feceruntq; sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinẽ idolorum, vt scilicet haberent ipsi quoq; suos vitulos. Nam quia rex deos habebat aureos, ipsi secundũ suam possibilitatẽ fecerunt sibi deos argenteos. Totum hoc (ait) factura est artificum, sicut alibi scriptum est. Simulachra gentiũ argentum & aurũ, opera manuũ hominum. Quod cùm ita sit, rectè admiratur, & dicit. His ipsi dicunt, immolate homines vitulos adorantes. Nam verè mira, & nimis misera stultitia, mandare homines, qui sunt opus Dei, tali facturæ artificum immolari. Hoc tam grande malũ nequaquã illis fuit inusitatum. Scriptũ est enim, Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs. Et effuderunt sanguinẽ innocentum, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarũ, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Qui autem sunt ipsi qui hæc dicunt? Nimirũ sacerdotes siue artifices quorũ illa factura est. Vos (aiũt) ô cultores idolorũ, quib. nõ suppetunt hostiæ, filios vestros, & filias vestras, idola siue vitulos nobiscum adorantes, eisdem vitulis immolate. Tantis ac talibus causis redditis, qui bus in iudicio domini cũ Iuda siue visitatione super Iacob conuincantur, q̃ potius semen Chanaan, quã semen Iacob mereantur dici, nunc super est pronunciare condignas iudicij sentẽtias, & diffinire, qualẽ pœnã isti falsi filij, & qualẽ gratiã iure recipiant veri filij patris illius Iacob, cuius Deus dominus dicatur esse vel dici. Sequitur ergo. [Idcirco "erunt quasi nubes matutina, & sicut ros ma"tutinus præteriens. Sicut puluis turbine ra"ptus ex area, & sicut fumus de fumario. Ego "aũt dominus Deus tuus ex terra Aegypti, & "Deũ absq; me nescies, & saluator non est prę"ter me. Ego cognoui te in deserto, in terra "solitudinis.] Prior nanq; sentẽtia super illos "filios carnis, & nõ fidei Iacob depromitur, quod ipsorũ memoria sit peritura, sequens ad istos, nõ tantũ carnis, sed & fidei filios, q̃ in aduentu saluatoris Christi saluandi sint in domino salute æterna. In illorũ qui reprobãtur, sententia, quatuor ista pro similitudine posita sunt, nubes, ros, puluis, & fumus. Notandũ verò quod nullũ horũ simpliciter positum est, sed cũ adiectione, quæ malum significet, quia videlicet vnũquodq; horum simpliciter positũ, in bonã partẽ accipi plerũque solet. Scriptũ est enim. Qui sunt isti qui vt nubes volant? Itẽ, Concrescat in pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquiũ meũ. Vel vt Abrahã loquitur ad Deum. Loquar ad dominũ cũ sim puluis & cinis. Et Psalmista dicit, Qui respicit terrã, & facit eã tremere, qui tangit mõtes & fumigant. Itaq; quatuor hæc omnia simpliciter in scripturis posita, in bonã partem accipi possunt, idcirco singula hic cũ adiectionib. congruis posita sunt, per

Dij aurei & argentei

Homines immolari idolis, olim apud Iudæos.

Psal. 105.

3. Reg. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quas in sempiterni boni significatione distin guuntur. Nubes matutina, rositè matutinus & manè pertransiens, puluis turbine ex area raptus, fumus itè de fumario turbine raptus dicitur, atq; ita hæc omnia peritura cõueniè ter significant memoriã illorum, qui cũ deberent esse semen Iacob, ipsi per suũ vitium in illum Chanaan, qui à patre sancto maledictus est, degenerauerunt. Et quidè hoc, scilicet, delendã esse memoriã illorũ, quatuor ista pariter significant, veruntamen in proprijs significationib. diuersa sunt. Etenim duo postrema, videlicet puluis turbine raptus ex area, & fumus de fumario, manifestam exprimunt iram, duo aũt præcedentia, nubes matutina, & ros matutinus præteriẽs, temporalẽ licet & citò transiturã quandam misericordiã, iuxta illud, quod suprà in hoc eodem propheta dictum est. Quid faciam tibi Ephraim, quid faciã tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens. Deniq; & hic & illic nubes matutina, & ros manè pertransiens temporalia significãt genti illi collata, bono quidem secundum se, sed malo illorũ citò transitura. Duo sequentia manifestè sempiterna significãt mala, sicut iam dictũ. Etenim hęc impiorum retributione perire, sicut disperijt puluis turbine raptus ex area, & sicut deficit fumus turbine raptus de fumario. Psalmista quoq; dicente. Non sic impij non sic, sed tanquã puluis, quẽ proijcit ventus à facie terræ. Itẽ, Inimici verò dñi, mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes, quem admodum fumus, deficient. Sit itaq; nubes illa matutina, siue ros ille manè pertransiẽs, talium pars filiorũ, qualis fuit Esau, cui dixit pater Isaac? In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua. Nam illorum qui sunt semen Iacob, vel reputantur in semine, suntq; Israelitæ, pars dñs est, sicut protinus verbis sequentib. exprimitur. Ego aũt dominus Deus tuus ex terra Aegypti, & Deum absq; me nescies, & saluator non est præter me. Ecce cognoui te in deserto in terra solitudinis. Qui enim hæc loquitur dominus Deus, dicens, & saluator non est præter me, Christus est Dei filius, fructus benedictionis illius, quã non meruit Esau. Iacob autẽ adeptus est secundum verba hæc. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuę. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Hoc nimirum in spiritu S. agebatur, vt quando diuidendi erant Iacob & Esau, iuxta illud diuinum oraculum, Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, non de Esau, sed de Iacob semen Abrahæ, quod est Christus, nasceretur. Hic ergo cũ dicit, ego aũt dominus Deus tuus. Notandũ quod addit, ex terra Aegypti. In hoc nanq; breuiter astruit, quòd non sit Deus recens, quamuis in nouissimis dieb. de virgine natus sit. Poterat aũt dicere sic, ego aũt dñs Deus tuus ex Abrahã, quemadmodũ & Iudæis dicentibus, XL. annos nondum habes, & Abraham vidisti? Respondens, Amen amen (inqt) dico vobis, antequam Abrahã fieret, ego sum. Cur ergo dicere maluit, ex terra Aegypti? Videlicet quia tunc magis innotuit, & potè tiam suam ostẽdit in signis & prodigijs, qualia Abrahæ non ostendit, propter quod & Moysi tunc ait. Ego dominus qui apparui Abraham, & Isaac, & Iacob in Deo omnipotente. & nomen meũ Adonay non indicaui eis. Tunc etenim fœdus pepigit cum illis in monte Synai, vt esset Deus eorum. Qui dixerunt ad Moysen. Omnia quæ locutus est dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populũ, & ait. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit dominus vobiscum super cunctis sermonib. his. Sermonem eorundem initiũ erat hoc. Non habebis deos alienos coram me. Rectè ergo & hic ait. Et deum absque me nescies. Continuò quoq; addit, Et saluator non est præter me. Iste deus & saluator Christus est deus, quia creauit, saluator quia factus homo saluauit. Vnde & Iesus, quod interpretatur saluator, nũcupari voluit. Verè præter hunc saluator non est, quia nõ est in alio aliquo salus, nec enim nomen aliud sub cælo datũ hominib. in quo oporteat nos saluos fieri. Gratiosa valdè commemoratio est, qua tandẽ dicit. Ego cognoui te in deserto in terra solitudinis. Neq; emẽ exiguũ quid est ei, q omnia scit, & oẽs per scientiã nouit, notum esse per gratiã illa notitia, iuxta quã vni illorũ vero Israelitæ, scilicet Moysi dicit, Inuenisti enim gratiã corã me, & teipsũ noui ex nomine. Et quod vni illi dictũ hoc esse legimus, sed quod vni dicit, omnib. dicit, quot tunc temporis, imò & ante & post tempus illud præscitos, atq; prædestinatos elegit, quia cũctorũ nomina in lib. vitæ scripsit. Proinpe & hoc sciendum, quia quiq; electi, in deserto cognoscuntur, maximè & in terra solitudinis, in deserto huius seculi, vbi Deũ nemo vnquã vidit, in solitudine cordis & occulto cur scientiæ latantis, vbi solus de animã tentationib. circũuentã prospiciens, exercet, & probat, & legitimè currentẽ cognitione sua dignam ducens, profitetur quia cognoscit. Talibus & ita cognitis siue nominatis ipse in euangelio dicit. Gaudete, quia nomina vestra sunt scripta sunt in cælis.

Gen. 37.

Christus Deus filiorum Iacob non recẽs.

Gen. 25.

Exod. 6.

Exod. 24

Matth. 1.

Ioan. 8.

FINIS LIBRI QVINTI.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN OSEE PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SEXTVS.

Sexta nunc repetitione peccata gentis eiusdem dominus depromẽs ad auditorem sese cõuertit & dicit. [Iuxta pascua sua adimpleti sunt & saturati sunt. Et eleuauerunt cor suum & obliti sunt mei.]Dictum hoc, Dei quidẽ benefacientis cõmendat bonitatẽ, sed nihilominus eorum quibus benefactum est, vehementer condẽnat ingratitudinem. Simile nãque illi est, q̃ de eisdem Psalmista dicit. Et manducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorũ attulit eis, non sunt fraudati à desiderijs suis. Et subinde, In omnibus his peccauerunt adhuc, & non conuertentur in imici mei retrorsum. Nũc ipsorum proprietatem dictorum cõsideremus. Iuxta pascuà sua (inquit) adimpleti sunt, & saturati sunt. Quendam non bonum siue laudabilẽ adimpletionis & saturitatis modũ insinuat, ita determinando, adimpleti sunt, & saturati sunt iuxta pascua sua. Quænam vel qualia fuerũt pascua sua? Nimirum ea quæ desiderauerũt, propter quæ murmurauerũt, & de Deo male loquuti sunt. Exempli gratia, quando dixerunt. Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mentẽ nobis veniunt cucumeres, & pepones, porricij, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciũt oculi nostri, nisi mã. Quia taliter & talia desiderauerũt & desiderãtes vsq; ad nauseã impleti sũt, rectè pascua sua hęc dicta sunt. Neque enim Deum propter ipsum, sed propter ista sequuti sunt. Cæterùm qui Deum sequuntur propter ipsum, non hæc talia dicuntur pascua ipsorum, sed sermo dei cibus vel pascua ipsorũ est, iuxta illud Deut. Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Cùm ergo dicit, iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, vehementer illos reprehendit. Idem enim est, ac si dicat, Manducando & bibendo totam receperunt mercedem suam, pro eo quòd exierunt de terra Aegypti, & ad tempus susceperunt legem Dei. Omninò delictũ est, propter talia pascua Deũ sequi. Idcirco tales vituperans in Euangelio dicit, Amen Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Similiter & omnes sese existiment vituperari, quicunque altari Christi præsto sunt, non propter dilectionem sacramentorum quæ concelebrant, sed propter hoc solùm, vt de altaris sumptibus viuant. Igitur quod ait, iuxta pascua sua, adimpleti sunt, & saturati sunt, illi simile est (vt iam diximus) q̃ Psalmista dicit. Et desideriũ eorũ attulit eis dominus. Nimirum talis plenitudo ventris, mentis elationem, talis saturitas obliuionem Dei generat. Notum & manifestum est, quia taliter illis accidit. Vnde & cõtinuò dicit, Et eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei. Nam qui terram optimam in possessionem acceperũt, cuius fructibus adimpleti, & diuites facti sunt, elati in superbiam, regem sibi petierunt, nolentes audire vocem domini & Samuelis, sed dicentes: Nequaquam. Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit nos rex noster. Eadem mentis elatione repulerunt domum Dauid, et fecerunt sibi regem Hieroboam, qui pro Deo vitulos illis fecit, quæ nimirum res magna fuit obliuio Dei. Idcirco nunc dicit, & obliti sunt mei. Subaudiendum verò est, sed non licuit aut licebit eis penitus obliuisci. Sequitur enim. [Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.]Sensus iste est. Tradam illos regnis quatuor, quæ intelliguntur per leænam & pardam & vrsam & bestiam agri, quam sine nomine posuit, vt ab illis oppressi atq; conscissi, magnitudine miseriarum cogãtur reminisci mei, cuius sunt obliti. Per istas nanque quatuor bestias regna quatuor, scilicet Babylonicum, Persicum, Macedonicum, atque Romanum, illa maximè Danielis visio dat intelligi, qua dicit. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habebat quasi aquilæ. Alia similis vrso. Alia quasi pardus. Quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis Sicut ille, ita & hic bestiam quartam sine nomine posuit, dicendo, bestia agri scindet eos. Igitur ero (inquit) eis quasi leæna, & sicut pardus, id est, tradam eos Babylonijs atque Macedonijs in via Assyriorum, id est, pro eo quòd superbè incedendo cõtra me direxerunt. Assyrij nanque dirigentes interpretantur. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis. Aiunt, qui de bestiarum scripsere naturis, inter omnes feras nihil esse sæuius vrsa, cũ

Deut. 8.

Ioan. 6.

Iudæi sequebantur Deum propter pascua sua, non propter ipsum.

Quatuor regna.

Dani. 7.

1. Reg. 8.

3. Reg. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hester 7. perdiderit catulos, vel indiguerit cibis. Cũ ergo per vrsum apud Danielem regnũ Persorum atq; Medorum significetur, non incongruè per huiusmodi vrsæ ferocitatem illius Aman Agagitæ crudelitas pessima intelligitur, qui indignans, quod Mardochæus non se adoraret nec sibi genu flecteret, pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas, audierat enim quod esset gẽtis Iudææ, magisq; voluit omnem Iudæorũ qui erant in regno Assueri, perdere nationẽ. Et quia mala hæc sub regnis iam dictis propter peccata sua erant passuri. Et dirumpam (ait) interiora iecoris eorum. In iecore nanque, iuxta physicos, voluptatis & concupiscentiæ consistit vis Itaq; per interiora iecoris, omnem concupiscentiã, quæ peccatũ parit, breuiter innuit, quæ videlicet interiora quasi per eiusmodi feras dirupta sunt, quia peccata illorum regnis illis opprimentibus punita sunt. Et quia peccata ipsa in tribulatione confitentibus, tandem parcere habebat, subiungit atq; ait, Et consumam eos ibi quasi leo. Tradunt nanq; physici, leonẽ prostrato parcere homini. Ergo ibi, id est, sub regnis illis, non vtcunq; siue absq; vlla discretione, sed quasi leo consumã eos, ait, quia videlicet ira mea terribilis quidem super eos erit, sed prostratis & peccata sua in tribulatione confitentibus parcam illis. Qui tãdem fiet? Bestia agri scindet eos, bestia quarta ter-
Dani. 7. ribilis (vt ait Daniel) atq; mirabilis & fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atq; cõminuens, & reliqua pedib. suis conculcans, & omninò dissimilis cæteris bestijs. Quomodo scindet eos? Nimirum exscindendo miserabili excidio, & in omnes gentes ducendo captiuos. Nuncad ipsum populum taliter scindendum conuertitur,
"& dicit. [Perditio tua Israel, tantummodo
"in me auxilium tuum.] Ac si dicat. Tu ipse perditionis tuæ causa es, tu tibi perditionem thezaurisasti, recedendo à me, qui solus tibi poteram & consueueram auxiliari, & nusquam tibi auxilium est, nisi apud me, si pœnitentiam egeris. Et quod verè tantummodo in ipso auxilium sit, increpando confir-
"mat sequentibus verbis. [Vbi est rex tuus?
"Maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus
"tuis, & iudices tuos, de quibus dixisti, Da
"mihi regem & principem. Dabo tibi regem
"in furore meo, & auferam in indignatione
"mea.] Vehemẽter vanã populi percutit æstimationem, qui regem sibi petiuit, cum regẽ Deum haberet & ab hoc percũctatur, vt ad considerandum excitet & scire faciat, quia tantummodo in Deo auxilium est. Similis huic percũctationi illa est. Vbi sunt dij eorũ
Deut. 32. in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminu? Nam quem admodum illic deficiente responsione, cõpetenter subiungit. Videte quod ego sim solus, & nõ sit alius Deus præter me. Ita & hic, cùm dicit, vbi est rex tuus & iudices tui, de quibus dixisti, da mihi regem & principem, subiunxit atq; ait. Dabo tibi regem in furore meo & auferam in indignatione mea. Factum nanque hoc fuerat in primo rege Saul, quem petenti po- 1. Reg. 8.
pulo dederat. Denique in furore suo regem illum dedit, sicut ipsa eius verba indicant, cùm dicit. Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarũ suarũ, & cætera, quę hoc modo concludit, Greges quoq; vestros addecimabit, vosq; eritis serui & clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos dominus in die illa, quia petistis vobis regem. Ita in furore suo datum, abstulit in indignatione sua, dicens ad Samuel. Pœnitet me, quòd constituerim Saul regem. Et subinde dicit scriptura. Spiritus autem domini recesit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à domino itidem de Hieroboam cæterisq; regibus decem tribuum sentiendum, quia volentibus illis & scindentibus sese à domo Dauid, in furore suo dedit illos & in indignatione sua abstulit. Alios in vita sua, alios percutiens Ibidem 11.
in posteritate sua. Porrò Dauid neque populus prior petiuit, neque dominus in furore suo dedit, sed dominus prior in misericordia elegit, in gratia dedit, in summa dignatione firmauit & custodiuit. Itaq; cùm dicit, de quibus dixisti, da mihi regem & principem, subaudiendum est, & ego respondi tibi in occulto iudicio, dicens, Dabo tibi regem in furore meo, & auferã in indignatione mea. Sequitur. [Colligata est iniquitas Ephraim,
"absconditum peccatum eius. Dolores partu
"rientis venient ei. Ipse filius non sapiẽs. Nũc
"enim non stabit in contritione filiorum.] Iã
"sæpe dictum est, Ephraim, id est, reges decẽ tribuum, ita pariter viam Hieroboam sequutos fuisse, qui peccare fecit Israel, vt nullus eorum, scriptura testante, à peccatis eius recederet. Ergo quasi quæreres, quæ nam furoris aut indignationis causa fuerit, colligata est (ait) iniquitas Ephraim, id est, soluta non est, neque solui poterat iniquitas regum illorum, eò quòd incorrigibiles, & impœnitentes fuerint, semperque iniquitatem quisque illorum defenderit. Nam hoc est quod sequitur. Abscondítum pecca- Abscondítum peccatũ.
tum eius. Abscondítum nanque peccatum dicit, vbi nulla voce cõfessiõis aperitur, imò & superbiæ defensionis scuto contegitur. Ibi iniquitas ita colligata est, vt solui aut dimitti non possit. Econtra sanctus dicit. De- Psal. 31.
lictum meum cognitum tibi feci, dixi confitebor aduersum me iustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Ille talis filius est sapiens, de isto autem dicitur, ipse filius non sapiens. Quomodo enim sapiens filius, qui à patre recesit

à quo

Exod. 4. à quo fuerat adoptatus, dicẽte ad Pharaonẽ, filius meus primogenitus Israel? Et quidem nunc coram hominibus peccatum suum abscondit, & coram Deo cùm abscondere nõ possit, impœnitenti corde defendit, sed dolores (inquit) parturientis venient ei. Sicut enim mulier cõceptum suum ad tempus quidem dissimulare potest, sed tandem parturiendo doloribus attestantibus, occultà prodit, sic quisquis eiusmodi est, peccatum suũ vtcunq; dissimulare ad tempus & abscondere potest, sed in tempore suo cuncta cordis
Matth. 10. eius occulta cum dolore manifestabuntur, iuxta illud. Nihil opertum quod non reuelẽtur, neq; occultum cp non sciatur. Tunc vtique parebit sibi, quia ipse filius non sapiens. Et vnde hoc probatur quod sit filius non sapiens? Ait, Nunc enim non stabit in contri-
Contritio filiorum. tione filiorum. Et est sensus, Qui enim verè filij sunt, ipsorum est contritio, & ipsi in tribulatione stant, id est, pœnitentiam agunt, habentes cor contritum & humiliatum. Deniq; ita conteri siue confringi, hoc verè stare est, sicut de quodam eiusmodi filiorum scriptum est. Et dixit vt disperderet eos, si
Psal. 105. Exod. 32. non Moyses electus eius stetisset in confractiõe in cõspectu eius. Nã cõfractionẽ nimiã & vehemẽtẽ dicit humilitatem, in qua sic stẽtit, vt Deũ teneret homo fortis dicẽtẽ, dimitte me. In huiusmodi contritione qui stãt, & filij sapientes sunt. Ità enim se conterẽdo per pœnitentiam sapientes filij fiunt. Is aũt qui (vt iam dictum est) corde impœnitenti suã iniquitatem colligauit, filius quidẽ dici po-
Ioan. 8. test dum iactat se & dicit, vnum patrem habemus Deum, sed non sapiens filius dicitur aut est. Restat igitur, vt quemadmodum illi furorem debitũ adiudicauit atq; indignationem, sic ecótra filijs istis, quorum est contritio, id est, cor contritum & humiliatum, dignam & gratiosam repromittat consolationem. Audiamus illam verè magna & so-
"nora declamatione depromptam. [De ma-
"nu mortis liberabo eos, de morte redimam
"eos. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.] Christus Dei filius, victor mortis & author vitæ. Hoc in persona sua magna voce, magna veritatis eloquitur authoritate, Liberabo eos (inquit) de manu mortis, redimam eos de morte. Quos eos, nisi filios, quorum (vt iam diximus) contritio est, quorum cor contritum in pœnitẽtiæ studio est?
Abel primus pœnitẽtiæ. Horum in catalogo primus est Abel, cuius ipsum nomen pœnitentiæ significat lamentum, transfertur enim in luctum. Ab illo vsque ad vltimum electum cuncti pœnitentiã
Rom. 3.5. agentes, & peccatores se esse confitentes (Omnes enim in Adam peccauerunt) consolationem istam accipiunt, de manu mortis liberati, de morte redempti. Nec verò ab re ita semel & iterum depromitur miserationis dignatio, de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, sed pro duplici morte, qua omnes mortui sumus in Adam, alia corporis, alia verò animæ. Itaque de manu mortis scilicet eius, qua mortuus est Adam, in qua die præceptũ transgressus est, quæ mors est animæ, liberabo eos. De morte quam indixit Deus his verbis. Quia puluis es & in puluerem reuerteris, quę mors est corporis, redimam eos. Quomodo liberabo eos? Quali redimam precio? Ait, Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. Non auro neque argento, sed morte mea mortem ipsorum interficiendo. Moriar, vt ipsi viuant, & ad infernum descendam. Nam hoc est quod dicit ad ipsam mortem, ad ipsum infernum apostropham faciens, mortis & inferni potens debellator, vitæ & mortis dominator. Ero mors tua ô mors, morsus tuus Morsus
ero inferne. Qualiter deberet vel posset tuus ero in-
mors mortis esse, breuiter innuit dicendo, ferne.
morsus tuus ero inferne. Et est sensus, Tu deceptus mordebis me, quemadmodum innuitur per id quod de te ipso dicitur ad Iob. Iob 40.
In oculis eius quasi hamo capiet eum. Item, An extrahere poteris Leuiathã hamo? Ego factus homo tibi hamus ero, quia quemadmodum in hamo carnis teneritudo ostendi tur, & acumen ferri occultatur, sic humanitatis infirmitas te humani generis inimice inuitabit, vt mordeas & diuinitatis interior fortitudo transfiget, vt captiuus pendeas. Quia taliter morsus tuus efficiar, mors mortis ero, quia viscera mortis interiora tua in inferno non sustinebunt, cùm vitam morderis, & dirupto ventre vitam remittes, morte mortua euadentibus viuis quicũque vita ista sunt digni. Aliter infernũ Christus momordit quando partem, suos videlicet electos liberauit, partem autem, id est, reprobos reliquit. Nam ex eo quod mordemus, partem consumimus, partem relinquimus. Sequitur. [Consolatio abscondita est,
ab oculis meis, quia ipse inter fratres diui-
dit.] Vbi audiuit propheta de gratia liberatoris & redemptoris quod gauderet, vidit et iam quod carne sua de gente sua vel fratribus suis Israelitis, quod meritò doleret. Il- Rom. 9.
lud videlicet quod & Apostolus penè incõsolabiliter gemit his verbis. Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnẽ, Diuisio in-
qui est super omnia Deus benedictus in se- ter fratres
cula amen. Diuisionem inter fratres, quam luctuosa.
illic Apostolus continuo dolore gemit, hic futuram luget, dicens: Consolatio abscondita est ab oculis meis. Quis ita inter fratres

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuisit, nisi infernus, cuius morsū se fore liberator & redemptor dixit? diabolus nanq;, qui designatur nomine inferni, Iudæos excęcando à tribu ipsorum, & Apostolis eius diuisit vt eijcerent eos, & oporteret illos euangelizare potius gentib. extraneis. Propter hoc inquit) absconditа est consolatio ab oculis meis. Non dicit perijt consolatio, sed abscondita est, id est, non citò potest inueniri, non leuiter possum consolari. Inueniтur aút in illa spe, qua & Apostolus seipsum cōsolatus est, qui cū dixisset. Cæcitas ex parte contigit in Israel, subiunxit donec plenitudo gentium subintraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Ad hunc sensum pertinet id quod continuò hic propheta subiungit.

"[Adducet ventum vrentem dūs de deserto ascendentem, & siccabit venas eius, & de
"solabit fontem eius, & ipse diripiet thesaurū omnis vasis desiderabilis.] Ventum vrentē hoc loco spiritum sanctum dicit, quemadmodum & illic iuxta mysticum sensum gratiæ, quæ nos in baptismo Christi saluauit. Cunq; extendisset Moyses manū super mare abstulit illud dominus vento flante vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum. Ventum ergo vrentem, id est, spiritum Sanctum vehementer ardentem adducet dominus, subauditur, cū plenitudo gentium introierit, & siccabit venas eius, subauditur inferni, & desolabit fontem eius, auferēdo scilicet oēs causas & abundantiam incredulitatis, vt reliquiæ Israel saluæ fiant. Interim & ipse (inquit) diripiet thesaurū omnis vasis desiderabilis, quia videlicet ipse est ille qui fortior superuenit, cùm fortis armatus custodiret atrium suum, & vniuersa arma illius distribuit. Vas desiderabile & thesaurus pretiosus vtiq; est omnis electus. Et quia nemi nem relinquit, siue gentilis siue Iudæus sit, quicunq; inuocat nomen domini, rectè vniuersali enunciatione dictum est, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. Hoc fit & fieri non desinit per ventum de deserto ascendentem, scilicet per spiritum S. de humilitate Christi procedentē, qui à suis desertus fuerat. Venrum vrentem, id est, carnis petulantiam & humores vitiorum suo calore desiccantem. Tandem & huius sextę repetitionis fine in Christum, qui iustitia nostra est, reducto. Septimo, quæ & vltima, sic inchoatur peccatorum & eiusdem iustitiæ
"commemoratio [Pereat Samaria, quoniam
"ad amaritudinem concitauit Deum suum.
"In gladio pereat, paruuli eorū elidantur, &
CAP. xiiij fœtæ eius discindātur.] Dissimile hoc initiū est cæteris omnibus quia videlicet illa talia sunt, vt peccata replicent, & præ oculis ostendant, hic autē tanquam desperata correctio ne statim in primo sermone, non tam peccata, quàm idolorum vindicem depromit sententiam. Pereat (inquit) Samaria. Quare? Quoniam ad amaritudinem concitauit deū suum. Magna hæc & terribilis causa siue ac cusatio est. Deus em naturaliter dulcis est, nec parua potest esse causa, per quā ad amaritudinē concitatus esse videatur. Cor impœnitens hoc effecit, & huius criminis rea fuit Samaria, cuius de regib. nullus omninò recessit à peccatis Hieroboā, qui peccare fecit Israel. Pereat ergo, inqt) quia iustitiæ cōcedendum est, nullā quippe cor impœnitēs cō sequitur veniā. Nec verò solūmodo secundum animā, verūetiam secundum corpus vt pereat cōcedendum est. Idcirco cū dixisset, pereat Samaria, corporalē quoq; concesit perditionē, dicēdo, in gladio pereat, &c. Hic à nomine vel cōdemnatione Samariæ synagoga illa nō excipitur, quæ peccatū Samarię supergressa est, dū non tantūmodo vt illa scidit se à domo Dauid, verūetiam (vt sæpe iā dictum est) crucifixit Christū filium Dauid filiū Dei, & idcirco perijt, quoniā ad amaritudinē concitauit Deū suum, in tantū vt sitienté in cruce potaret aceto, siue (vt alius Euangelista scribit) vinu daret ei bibere cū felle mixtum. Proinde vt periret illa, dominus ipse concesit, & ore proprio prædixit. Et quia iustitiæ ratio postulabat, vt periret, per humanitatis quidem affectum fleuit super illam, & flendo prædixit, sed per diuinitatis virtutē impassibilem, super ipsam quā flebat, fixam & immobilem sententiam tenuit. Dixit Samariæ vt pereat, dicat nunc Israel quid faciat, ait. [Conuertere Israel ad
"dominum Deū tuum, quoniā corruisti in in
"iquitate tua.] Qui hæc loquitur in calce voluminis, ipse est Christus, finis omnis cōsummationis qui missus ad oues quæ perierunt domus Israel, sic prædicare exorsus est. Pœnitētiam agite, appropinquabit enim regnū cælorum. Secundum eundem sensum hic dicit. Conuertere Israel ad dominum Deū tuum. Causam confestim, cur conuerti oporteat, vel vnde pœnitentia sit agenda subiungit, quoniam corruisti in iniquitate tua. Cùm dicit, in iniquitate tua, breuiter insinuat, quod omni peccanti iniquitas, quācunque perpetrauit, sibimet à seipso sit imputanda, ne vllo modo se excusetaut defendat, sicut fecit Adam, in quo omnes peccauimus & corruimus, tam gentes quā Iudæi, quemadmodum Apostolus dicit. Eramus enim aliquando, & nos filij iræ, sicut & cæteri. Illi originali peccato actuali iungendo peccata, non minus Israel, quàm gens aliqua corruit, sicut hactenus sermo propheticus peccata eius toties commemorando comprobauit. Conuertere igitur ô Israel tu primus, conuersione quippe opus est, quia corruisti, & hoc ipsum confitere, quia in iniquitate tua corruisti, nam confessio hæc initium est confessionis. Dicant fortè aliqui, quemadmodū & illi, qui cōpuncti corde dixerunt ad Petrū & ad reliquos Apostolos. Quid faciemus viri fratres? Ad hæc vel huiusmo-

Cor impœnitens Samaria.

Luca 19.

Ioan. 19. Matth. 23

Luca 19.

Matth. 15. Ibidem 4.

Ephes. 2.

Actor. 2.

vel huiusmodi quæcunq; perterriti dicere possunt, compuncti, & iniquitatem suam cognoscentes protinus occurrit & dicit. [Tol
"lite vobiscum verba, & conuertimini ad do
"minum, & dicite ei. Omnem aufer iniquita-
"tem, & accipe bonū, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.] Qui conuertimini ad Dominum, verba (inquit) tollite vobiscum Quare verba & non potius munera? Videlicet, vt sciatis, quia non est difficultas apud Deum, non exigit à vobis illa, quæ fortè nō possetis consequi pro redemptione animarum vestrarum. Non ergo dico, tollite aurū tollite vobiscum argentum, seu multitudinem hircorum aut vitulorū, & cætera talia, quæ non omnibus præsto sunt, sed verba, quæ consequi potestis absque dispendio rerum, verba confessionis & precum tollite vobiscum, & hæc vobis in promptu adesse possunt, Deo autem pro salute vestra sufficiunt, & pro iniquitatibus vestris satisfaciunt. Cum istis subsidijs conuertimini ad dominum Deum, qui vestrorum non eget bonorum, & sicut iam dixi, non solicitemini, quasi munera non habentes grandia precio si auri & argenti, quibus honoretis propiciandam faciem tam magni, tamque potentis Domini, sed dicite illi, Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum. Non dicatis, non habemus iniquitatem, quia tunc mentimini & vosipsos seducitis, sed dicite ei, Omnem aufer iniquitatem, quia iniquitates nostrę multæ sunt. Confidenter dicite, & accipite bonū
1. Ioan. 1. scientes quale requirat bonum, & hoc scien
Psal. 49. do subiungite, & reddemus vitulos non armentorum, sed labiorum nostrorum. Suffi-
Vituli labiorum. ciens namque es, plenus es. Atque idcirco non opus habes manducare carnes taurorū, aut potare sanguinem hircorum, sed tantūmodo vt immolentur tibi vituli labiorum, id est, sacrificium laudis. Et hoc melius placebit tibi, quia testimonium est bonæ volūtatis. Proinde Psalmista cum dixisset, Laudabo nomen Dei cum cantico, & mgnificabo eum in laude, quod nimirum est vitulos
Psal. 68. labiorum reddere, subiunxit atque ait. Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas Hoc intereà prouidendum est, ne post redditos labiorū vitulos, id est, post verba confessionis & laudis iterentur opera iniquitatis. Itaque sequitur, & super hac re instruite eos, quid dicant, quid promittant, dum ex persona ipsorum
"verba infert huiusmodi. [Assur non salua
"bit nos, super equos non ascendemus hæc di
"cemus vltra, dij nostri opera manuum no-
"strarum, quia eius, qui in te est misereberis
"populi.] Subaudiendum nanque est, & hoc dicite ei. Et quid est hoc dicere ei? Assur non saluabit nos, nisi ac si dicant. Non sicut hactenus fecimus, confidemus in homine, neque ponemus carnem brachium nostrum? Sæpè namque Israel (sicut sacrę testantur hi storiæ) confisus est in principibus, & in filijs hominum, & auxilia quæsiuit ipsorum, quorum Assyrij potentissimi fuerūt. Item, quid est dicere ei, super equos non ascendemus, nisi ac si dicant, Hi in curribus, & hi in equis Psal. 19. nos autem in nomine Domini Dei nostri in uocabimus? Denique & in hoc Israel peccauit, quod super equos ascendere nimium affectauit, malè æmulando curuus, & æquitatum Pharaonis, cum filij Israel de Aegypto pedites exierunt, & gloriosè saluati fuerint. Pharao verò cum curribus & æquitibus suis in mari demersus perierit. Propterea redarguit eos alio loco scriptura, dicens, Aegyptus enim homo & non Deus & equi eorū caro, & non spiritus. Idcirco rex Israel, quādo venit benedictus in nomine Domini, nō super equum aut super currum ascendit, sed super pullum asinæ filium subiugalis, in cōtemptum superbiæ seculi maximè gloriantis in curribus & in equis. De tertio quod dicunt, nec dicemus vltra, dij nostri opera manuum nostrarum, notum est ex quo cœperint vt dicerent, isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, cum formassent vitulum in ipso exitu de terra Aegypti, quomodo extunc peccauerunt in idolis, sicut scriptum est. Et commixti sunt inter gen Psal. 105. tes, & didicerunt opera eorum, & seruierūt sculptilibus eorum. Super tribus itaq; scele- Tria scelera ribus emendationē promitte, inquit, de qui Israel. bus omnia pendent peccata, quorum vnum est cōfidere in filijs hominum, aliud magnificari in multitudine equorum & curuū. Tertium contaminari in sordib. idolorum. Ex istis enim omnia generantur peccata, quæcū que populum Israeliticum nō minus quàm cæteras gentes admisisse, scriptura tam historica quàm prophetica narrat aut reprehendit. Qua verò fiducia, qua virtutis vel possibilitatis conscientia tantā tantorum criminum emendationē promittere debetis? Núquit confidere potestis, quod virib. vestris excutere positis iugum cuiuscunq; peccati, cui vos semel tradidistis. Non vtiq;, quia nō Rom 9. volentis, neq; currētis, sed miserētis est dei. Cum ergo dixeritis, Assur non saluabit nos, super equos non ascendemus, nec dicemus vltra dij nostri opera manuum nostrarum, quod est omnimodam spondere peccatorum emendationem, etiam dicite ei, quia eius, qui in te est, misereberis populi, vt sit sensus. In tuæ miserationis auxilio sperantes hæc promittimus, quia tuum est, & honorem tuum condecet, vt illius populi, qui in te est, qui in te credit, misereris, manumque porrigas, vt mala consueta relinquere, pristinamque conuersationem possint in melius mutare. Quicunque hæc verba vobiscum tollitis, quicunque huiusmodi labiorum vitulos redditis, pœnitentiæ studio dediti, audite quid ipse, qui ad pœnitentiam inuitat, consilio salutis vestræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

"iamdudum elocutus sit. [Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia auer
"sus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Is
"rael germinabit quasi lilium. Erumpet ra
"dix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & quasi
"oliua gloria eius, & odor eius, vt Libani. Cõ
"uertentur sedentes in vmbra eius, viuent tri
"tico, & germinabunt quasi vinea, Memoria
"le eius sicut vinum Libani.] Manifestius hic ipsa loquitur persona Saluatoris, suum ad salutem pœnitentium repromittens aduentum, promissione dulcisona, dulcedine gratiosa. Sanabo (inquit) contritiones eorũ, id est, in gaudium conuertam tristitiam illorum, quicunque ad pœnitentiam contristati sunt, habentes cor contritum & humiliatum. Tales namque contritiones eorum sanatione dignæ sunt, tales contritiones paracletum, id est, consolatorem merentur habere Spiritum sanctum. Non pro munerib. quæ ipsi priores mihi dederunt. Quis enim prior dedit mihi, & retribuetur ei? Sed gratis sanabo eos gratuita peccatorum remissione curabo eos. Et hoc est, quod ait, diligã eos spontaneè Sponte veniam, & homo factus spontaneum subibo sanandi officium. Quia auersus est (inquit) furor meus ab eis, iuxta quod alibi scriptum est, super hac eadem re. Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatẽ Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum: Mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ. Iratus quippe fuerat Deus humano generi in Adam, & irã illam omnes portauimus. Vndè & alibi dicit, Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Meus ille furor auersus est ab eis, in plenitudo temporis quando cõpletum est quod prædictum fuerat. Benedixisti domine terram tuam, vt videlicet de sacra virgine nascerer ego nouus Adam. Nam eandem intendens benedictionem, ero (inquit) quasi ros, Israel germinabit quasi liliũ. Et enim quasi ros extitit, quando per spiritũ sancti gratiam, virginem obumbrans, in vterum eius descendit. Tunc veraciter germinauit Israel quasi lilium quia veri Israhelitę scilicet Apostoli, non in carne, sed in spiritu fructificauerunt, noua cõuersatione imitantes lilium, id est, magistrum & præceptorem suum Christum, virgineæ pulchritudinis filium. In illa pulchritudine fortitudo nihilominus aderit, vt constantissimæ sint fidei, propter quod continuò dicit. Erumpet radix eius vt Libani. Libanus quippe mons est cuius ligna excellentissima, quantum ad auras extendunt verticem tantum radicem in imã demergunt, vt stabili mole consistant, & nulla tempestate quatiãtur. Libanus quoque nomine suo eandem, quam & lilium, mundiciæ pulchritudinem significant, interpretatur enim candidatio. Ergo erumpet radix eius vt Libani, id est, Apostoli, cæteriq; prædicatores de radice Israel, quæ Christus est, tales consurgent, vt sint fide fortes, conuersatione mundi. Ibũt rami eius, id est, pro ficient de virtute in virtutem auditores eius Et erit quasi oliua gloria eius, id est, loquetur (sicut alibi scriptum est) pacem gentib. Oliua namq; pacem significat, & apud gentiles quoq; in medio bellorum furore pacis insigne esse consueuit. Erit ergo gloria eius, quasi oliua, inquit, id est, pacem euangelizabit, pacem inter Deum & homines confirmabit, sicut & tunc significari voluit, quando veniens ad passionem, per quam nos deo reconciliauit, cum ramis palmarum & oliuarum susceptus est à turbis. Et odor eius vt Libani, subauditur erit, id est, bonam vbiq; opinionem habebit, dicẽte Apostolo, Christi enim bonus odor sumus in omni loco. Iste odor, ista pacis & misericordiæ gloria, gẽtes ad credendum inuitabit. Sequitur ergo, Conuertentur sedentes in vmbra eius. Conuertentur sedentes id est, conuersi sedebunt in vmbra eius, & propter hoc ipsum, quòd sedentes erunt, protegentur sub vmbra eius Sessio namq; humilitatem significat, iuxta illud quod Psalmista cum dixisset. Vanum est vobis ante lucem surgere, subiunxit atq; ait, surgite postquam sederitis, id est, tunc demum sperate exaltari, postquã vosmetipsos humiliaueritis. Taliter sedentibus vitalis alimonia cælitus administratur, & de bono semper proficiunt in melius. Dicit itaq; contiuò. Viuent tritico, & germinabunt quasi vinea. Triticum namque quo interior homo viuit, est sermo Dei, cuius nimirum intelligentia, nõ erectis, sed sedentibus, id est, non superbis, sed humilibus dari consueuit. Sanè vinea, cuius secundum similitudinem germinare dicuntur, à mala vinea distinguenda est. Est enim mala vinea, de qua dicitur in cantico Deuteronomij. De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorræ. Ait ergo, Memoriale eius sicut vinum Libani. Multum namq; vinea hæc per hoc ipsum, quod dicitur, memoriale eius sicut vinum Libani, ab illa discernitur vinea Sodomorum, cuius vua dicitur & est vua fellis, cuius botrus dicitur & est amarissimus. Deniq; vinum Libani, imò & ipsum Libanum serpentes fugere dicuntur, maximè propter odorem cedri, quem non possunt ferre. Illic autem dictum est, Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidũ insanabile. Potest tamen vinum Libani, vinum mixtum dici & diuersis pigmentis conditũ, vt odorem habeat suauissimum, quorum videlicet pigmentorum thus maximè odoriferum est. Libanus namq; apud Græcos & Hebræos, & mós dicitur & thus. Sequitur, [Ephraim qd mihi vltra idola. Ego axaudiã, & dirigã eũ, ego vt abietẽ virentẽ, ex me fructus eius inuẽtus est.] Triumphaliter in vltimis aduersariũ pcutit, cõsũmatã prospiciẽs victoriam

Rom. 11. *Psal. 89.* *Psal. 85.* *Christus quasi ros in vtero virginis.* *Libanus.* *Zach. 6.* *2. Cor. 2.* *Sedere humilium est.* *Psal. 126.* *Deut. 32.* *Vinum Libani.* *Ephraim omnis aduersarius veritatis.*

victoriam in proposito suo, gratia dei. Siquidem Ephraim iste est omnis aduersarius veritatis, quisquis vsquam scandalum vel offendiculum animabus posuit, aut ponere non desinit, ne pertingat ad notitiam veritatis, secundum exemplum illius Ephraim, id est Hieroboam de tribu Ephraim, qui aureos fecit vitulos, hoc intendens ne filij Israel ascendendo frequẽter ad orandũ in Hierusalem, aliquando reuerterentur ad domũ Dauid. Et quidem tunc ille secundum intentionem suam pręualuit, & in peccato idololatrię populum detinuit. At verò cum modo supradicto factus fuero quasi ros, & Israel germinauerit quasi lilium, ó tu Ephraim, quid mihi vltra idola: Nũquid in via prædicationis euangelicæ mihi ostẽdere poterũt? Nunquid spiritualem Israel ab oriente & occidente venientem ad fidem euangelij, vt credat in me filiũ Dauid, auertere poterunt simulachra vel figmenta mendacij tui, sicut carnalem in Israel, ne ascenderet in Hierusalem, & reuerteretur ad regem suum Dauid, auerterunt aurei vituli? Non. Sed quid? Ego exaudiam & dirigam eum, ego vt abietem virentem, subauditur, dirigam eum. Via recta conscendet ille spiritualis Israel in cælestem Hierusalem secundum similitudinem abietis virentis, & recta statura sursum tendentis, vt perueniat ad regem suum Dauid, ad me deum & saluatorem suum filium Dauid. Eo tendentẽ ego exaudiam, & dirigam eum, & hic fructus eius, vt scilicet perueniat eo quo tendit, ex me inuentus est, quia videlicet sine me nihil facere potest, & hoc ipse confitens, multum carnali Israeli dissimilis est, qui suam iustitiam statuere volens, iustitiæ dei subiectus non est. [Quis sapiẽs, & intelliget ista, intelligẽs, & sciet hęc?] Hunc versiculum ab exordio voluminis sẽper præ oculis habuimus, & idcirco semper scripturam hanc, tanquam verè cælestis thesauri clausam, venerantes thecam, nihil condignum nos effari posse perspeximus, siue aliquem quicunque ille sit, nisi cui aperire dignatus sit sanctus & verus qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Si enim ipse qui scripsit, vel difficile, vel impossibile confitetur, intelligere & scire hæc, quid nos facere possumus, qui lippientibus ocullis & peccatorum sordibus obscuratis, clarissimum iubar solis non possumus intueri? Veruntamen quęcũque illa sunt, quæ adhuc clausa nos latent, quantulacunq; illa sint, quæ exinde nos intelligere vel scire potuimus, dicamus cum ipso in conclusione id, quod verũ est. [Quia "rectæ viæ domini, & iusti ambulabũt in eis. " Præuaricatores verò corruent in eis.] Viæ" domini de quibus maximè in hoc propheta tractatur, illa sunt iudicia domini verè incõ præhensibilia, quibus à Iudæis recessit, & ad gentes transiuit. In istis vijs iusti ambulant. Exempli gratia, Paulus Apostolus vas electionis, qui quamuis dolore continuo doleat pro eisdem fratribus suis, nihilominus tamen rectas confitetur vias domini, & dicit. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Præuaricatores verò maximè Iudæi corruũt in eis, dum se iustificant, & veritati resultant, inuidentes gentium saluti. Animaduertimus quippe, maximè ex hoc propheta (sicut suo iam loco diximus) conuinci, non minus illos, quàm gentes peccasse, & indiguisse gratia Dei, quod Apostolus ad Romanos scribẽs vehementer affirmat, dicẽdo: Eadem enim agis, quæ iudicas. Deniq; super hoc septies (sicut nos distinximus) in isto conuincuntur proheta, quia videlicet septies peccata illius populi replicãs, per singulas vices in gratiam vel aduentum Christi recurrit, cuius solius omnem hominem, tam Iudæum, quàm Gentilem iustificat. Proinde illud, quod populo præuaricatori Moyses imprecatur, cũ dicit. Tradat te dominus corruentem ante hostes tuos, per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias. In ista quoque quamuis habili scriptura delectabiliter spectari potest, viri præuaricatores iam dicti, seipsos iustificantes, conuincuntur repetitione septemplici, atq; ita corruunt septies.

Rom. 10. *Ibid. 11.* *Rom. 2.* *Deut. 23.* *Humilis cõfessio auctoris.* *Spiritualis Israel.* *Ioan. 15.*

FINIS LIBRI SEXTI ET VLTIMI IN OSEE PROPHETAM.

PRO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLOGVS RVPERTI IN IOHELEM PROPHETAM.

QVI operantur in me (ait Sapientia) nō peccabunt, & qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Sapientia quæ hæc loquitur, Christus est, quē & Apostolus prædicat Dei virtutem & Dei sapientiam, quæ & alibi protestatur. Ego (inquiens) ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Hæc sapientia maximè in prophetis latet, & idcirco elucidari postulat: magnam elucidantibus sese remunerationem, id est vitam æternam repromittens. Tantæ remunerationis spe, studium nostrum nos exigui sanctorum patrum coniungimus studijs, qui summopere desudauerunt, tam in prophetici s quàm in cæteris sanctis scripturis, hoc studentes, vt sapientia Dei Christus, quę latebat in illis, posset agnosci, & faciem eius expositio clara legentibus insigniter ostendere, quam sub literæ grosso velamine prouidentia sancti spiritus indignis occultā esse voluit. Hanc vitæ æternæ spem, primaiam & præparatoria merces corroborat atque lætificat, si fiat nobis quod promisit, dicens: Et qui operantur in me, nō peccabunt. Sicut enim multam malitiam docuit ociosi tas, sic econtra occupatio bona, & meditatio scripturarum sæpè cogitationes nequam, & grandia, quæ subintrare poterant, excludit peccata. Ferè de omnibus, quæ scriptitare audemus, vel hactenus ausi fuimus, hæc apud omnes nostra responsio vera esse potest, vt nequaquam præsumptioni seu vanæ temeritati deputent, quod nos postremi homines, post magna sanctorum patrum opera in scripturis sapientię quicquam operamur, quia videlicet idcirco taliter exercemur, vt secundum promissiones eius, & in præsenti non vsquequaque peccemus, & in futuro vitā æternam habeamus. Igitur oculo simplici, id est, intentione fideli te requirentes, teque elucidare cupientes, nos aspirando præueni, & adiuuando prosequere sapientia Dei, quæ in te operantibus, teque elucidantibus, tantam remunerationem reprō mittis, & post Osee secundum Iohel, qui illum in ordine duodecim prophetarum sequitur, reuelata facie nobis annue contemplari.

Eccles. 14. 2. Corin. 1.

Meditatio in scripturis.

FINIS PROLOGI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN IOHELEM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

"VERBVM Domini
"quod factum est ad
"Iohel filiū Phatuel.] De eo, quod ad prophetas dicitur, vel scribitur, esse factum est verbum domini, in initio prophetæ p̄cedenti, scilicet Osee diximus, secundum patrum sanctorum sentētiam, fideiq; catholicæ regulam, quia videlicet ad prophetas quidem factum est, id est, in tempore vel ex tempore accesit hoc verbum. Ad Deum autem nequaquam factum est, neque enim factura est: sicut Arriani garriūt, sed in principio erat apud ipsum. Hoc namq; verbum est Christus filius Dei, quem & hic Iohel filius Phatuel, tam proprio quàm paterno nomine significat non minus, quàm præcessor eius Osee filius Beheri. Iohel namque est Deus. Phatuel latitudo Dei interpretatur. Porrò de verbo Domini, de Christo filio dei, iādudū lōgo victrix certamine fides obtinuit, & p̄dicat, qa est Deus. Et q̄ est latitudo dei, nisi dilectio vel charitas Dei? Etenim Psalmista cum dixisset. Omnis consummationis vidi finem charitatem intelligi volēs, de qua & Apostolus. Finis (inquit) præcepti est charitas, continuò subiunxit, latum mandatum tuum nimis. Huius nimirum latitudinis Dei, Christum esse filium, apostolus idem confirmat his verbis. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Igitur & huius tā proprium, quàm paternū vocabulum, hoc innuit, quia hi ad quos factus est sermo dei, per gratiam sunt dij & filij dilectionis Dei, sicut & ipse vnicus dilectionis filius scriptū esse meminit, dicens Iudæis, Nonne scriptum est in lege vestra, ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes? Non pauca vel parua esse existimanda sunt, ea quæ dicturus est propheta

Verbū domini Christus est.

Psal. 118. 1. Tim. 1. Coloss. 1. Ioan. 10.

pheta tāti nominis licet sermone breui, præsertim quia sic incipit. [Audite hæc senes, & "auribus percipite omnes habitatores terræ. "Si factum est in diebus vestris, aut in diebus "patrum vestrorū super hoc filijs vestris nar "rate, & filij vestri filijs suis, & filij eorum ge "nerationi alteræ. Residuum erucæ comedit "locusta, & residuum locustæ comedit bru"chus, & residuum bruchi comedit rubigo. "Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate om "nes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoni"am perijt ab ore vestro.] Hæc & cętera, quę sequuntur verè multa & magna sunt, taliſq; modus ipse dicendi quo enunciantur, imò fortiter auribus nostris illiduntur, vt verè non solum dormientes, verumetiam præ ebrietate absorpti & sepulti reputentur, quicunque ad clamores istos tam terrificos non excitātur. Prædicit enim, tam primum quā secundum domini nostri Iesu Christi aduētum, diem magnum & horribilem, hoc vehementer intendens, vt homines ad eius aduentum per pœnitentiam sese præparent. Summa hæc prophetæ intentio est. Etenim quæcunq; alia prius vel citius ventura prædicit, idcirco & à Deo fieri, & per prophetas prænunciari oportuit, vt citius adimpleta, fidem mortalibus facerent de maiorib. longè pòst futuris. Notanda igitur mira discretio prophetæ, imò spiritus sancti per prophetam loquentis, qui apud multitudinem non vnius moris sese verba facere persentiens, ita & in exordio quo attentos facere intendit cunctos auditores, bifariam discernit ac distinguit. Audite (inquit) hęc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ. Senes & habitatores terræ, hoc differunt, quo cæli & terra apud Esaiam dicentem. Audite cæli & auribus percipite terra. Senum quippe talium tam venerabilis senectus est, vt etiam cæli meritò vocentur. Senes videlicet, propter mentis caniciem vel sensuum maturitatem, iuxta illud sapientis. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Cęli autem pro eo, quod dicere possunt nostra autem conuersatio in cęlis est. Porrò habitatores terræ cum reprehensione hic dicuntur omnes illi, qui tam terrena corda gerunt, & adeò terrena sapiunt, vt terra quoq; vocari mereantur, de qualibus & ad serpentem dictum est, terram comedes cunctis diebus. In duas partes istas omne hominum genus diuiditur, & vtraq; pars hic in isto propheta inuenit vel audit, vndè excitetur siue terreatur. Nam alij sunt quorum ita incanuit fides, exemplo senis Abrahæ patris ipsorum, vt de actibus hominum curam esse Deo non dubitent, & audientes promissionem de Christo venturo, minasq; de iudicio futuro, quamuis temporalibus prosperis abundent, nihilominus tamen ventura credant atq; formidēt. Alij verò & istis multum dissimiles sunt, qui dummodo præsentibus bonis affluant, de futuris bonis aut malis nullum habent respectum. Illos nimirū temporalibus oportet aduersis excitari, vt saltem vexatio sola intellectum det auditui. Itaq; iam in exordio postulata attentione, vt omnes habeant aures audiendi, cōfestim dicit. Si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum, super hoc filijs vestris narrate, & filij vestri filijs suis, & filij eorum generationi alteræ. Ac si dicat. Nulla hæc meminit ætas, quæ dicturus sum, nec vestro, nec patrum vestrorum atque maiorum facta sunt tempore. Quæ sunt illa? Residuum (inquit) erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Mala de proximo ventura præmisit habitatoribus terræ, postea dicturus de Christo iudicioq; futuro, qualia debeant expectare, vt dubitare illis non liceat de rebus maioribus procul venturis, cum ista de rebus minoribus prophetiæ pars citò completa fuerit. Deniq; per erucam Assyrios, Babylonios: atq; Chaldæos intelligimus, qui de vno orbis climate procedentes, tam decem tribuum, quas Hieroboam separauit à domo Dauid, quā duarum, hoc est Iuda & Beniamin, cuncta vastarunt. Per locustam, Medos, Persas, qui subuerso imperio Chaldæorum, Iudęos habuerunt captiuos. Per bruchum Macedones & omnes Alexandri successores, maximeque regem Antiochum cognomento Epiphanem, qui instar bruchi sedit in Iudæa & omnes priorum regum reliquias deuorauit, sub quo Machabæorum bella narrantur. Per rubiginē imperium Romanorum, qui quarti & vltimi in tantum oppressere Iudæos, vt de suis eos finibus protrahentes ducerent vel transmitterent captiuos, cuius rei mirabilem atque miserabilem tragœdiam plenius scribit Iosephus septē volumine bus Vespasiani & Titi denarrās triumphos Hæc quatuor regna subuerterunt Iudæā.

Nec mirum, quod hic ipsa eadem regna sub nominibus eiusmodi vermium præ-nunciantur, quæ apud Danielem per feras terribiles, Leænam, vrsum, pardum, & aliam, quæ sine nomine mirabilis & fortis dicitur, dentes ferreos habens magnos, significātur. Etenim cōtra hominum quidem maximè iudęorum imbecillitatem, regna illa quasi bestiæ fortes atque feroces extiterūt. Sed coram omnipotentia diuinitatis infirma & fragilia, siue etiam exigua tanquam locusta, velut eruca, quasi bruchus, & seu rubigo reputata sunt, & vana fuit omnis pulchritudo eorū. Saltē hæc aurib. percipite oēs habitatores terræ. Si iam dicerem vobis illud, quod post aliqua dicturus sum senibus, de aduentu domini, & de die eius venturo magno & horribili, nihilque mali siue aduersi contingeret,

Esaiæ 1.

Senes verè venerabiles Sapien. 4.

Philip. 3.

Gene. 3. Duo hominū genera.

Quid eruca, locusta, bruchus, & rubigo significent.

Quatuor præcipua Regna. Danie. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contingeret vestris diebus, dormitaretis lasciuientes in stratis vestris, & conuersi in latus aliud diceretis, mihi in tempore longo fieri istud, sed nec fidem adhiberetis meis sermonibus. Aliter audiunt senes. Neq; enim afflictionibus excitati, sed pro sola dilectione, ad custodiam euigilant mandatorũ Dei.

Ezech. 12. Abraham senex bonæ senectutis & plenus
Gene. 12. dierum, sicut scriptura testatur, nullam adhuc tubam audierat futuri per ignem iudicij, & pro sola dilectione creatoris, de terra & cognatione sua dicto obaudiens exiuit. Similiter cæteri senes quicunque secundum exemplum illius senectute bona seruierunt nequaquam præsentibus malis indigent, vt excitentur, sed futura sponte credunt, quæcunque bona probis, quæcunque mala reprobis, promittit, vel cominatur Deus. Vos habitatores terræ, quia non sponte auditis, eruca, locusta, brucho, & rubigine (de quibus iam dictum est) oportet circuncingi, vt non dormiatis. Expergiscimini ebrij & flete & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore vestro. Notandũ, quo sensu dicat, qui bibitis vinũ addẽdo,

Bibere vinum in dulcedine. in dulcedine. Non enim vini creaturã, sed bibentium tali sermone condemnat luxuriã, eo quod non tantum ad necessitatem implendam, sed ad voluptatem concitandam, vinum, quia dulce est, immoderate hauriãt. Nunquam autem sine doloris amaritudine amittitur, quod cum dulcedine possidetur aut bibitur. Quoniam ergo perijt ab ore vestro, expergiscimini (inquit) ô ebrij qui (sicut alius propheta dicit) potentes estis ad bi-

Esaiæ 5. bendum vinum, & viri fortes ad miscẽdam ebrietatem. Expergiscimini, id est, hoc argumento finite vos perdoceri, quod cura sit Deo de hominum factis, & quod in nouissimo die suo magno & horribili (sicut prædiximus vobis) cuncta in iudicium adducturus sit, quia iam partim iudicat, & partim punit, dum ab ore vestro dulce vinum perit. Sic expergefacti, tunc demum flete & vlulate, id est, pœnitentiam agite, vt mala ventura, mala his multa maiora possitis euadere.

"Quomodo perijt vinum? Ait. [Gens enim
"ascendit super terram meam fortis & innu-
"merabilis. Dentes eius vt dentes leonis, &
"molares eius vt catuli leonum. Posuit vine-
"am meam in desertum, ficum meam decor-
"ticauit. Nudans spoliauit eam, & proiecit, al-
"bi facti sunt rami eius.] Sub metaphora locustarum hostium, describitur aduentus, hoc loco magis Assyriorum & Babyloniorum, qui tunc imminebant. Nam de regno Medorum atque Persarum, qui post futuri erant, & Macedonum, quos multo post fuisse cognouimus Romanorum quoque qui vltimi cuncta deleuerunt posterius, per ordinem agere videtur, singularumq; superuentura Iudæis prænunciare mala per declamationes singulas. Sicut enim quatuor

Quatuor regnis contra Iudæos. præmisit, erucam, locustam, bruchum, & rubiginem, quatuor illa significans regna, *mala à quib* sic etiam quatuor inclamat mala, considerans sub eisdem regnis euentura. Primo nã- que sic dicit, Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore vestro. Deinde secundò, Plange quasi virgo accincta sac co super virum pubertatis tuæ. Perijt sacrificiũ & libatio de domo domini, &c. Deinde tertiò, Accingite vos & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris, ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei, quoniam interijt de domo Dei vestri sacrificium & libatio, & cæt. Deinde quartò, Canite tuba in Sion, vlulate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, &c. Quatuor istas inclamationes secundum regnorum quatuor fieri pressuras arbitramur, de quibus iam dictum, & adhuc plenius per ordinem dicendum est. Nam quod deinde sequitur. Nunc ergo dicit dominus, Cõuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, euangelicam pœnitentiæ prædicationem præmit ac personat, quæ primò Hierosolymis incepta, deinde in omnes gẽtes prædicata est. Nunc iam ad ordinem reuertamur. Gens enim (inquit) ascendebat su-

Leuit. 9. *Gẽs fortis.* per terrã meã fortis & innumerabilis. Quomodo fortis, quæ erucę comparatur siue locustis? Sed verè (vt iam dictum est) gens vel regnum Assyriorum siue Babyloniorum verè fortitudinis Dei respectu, iure exiguis & segnibus comparatur vermiculis, attamẽ contra Iudæorum imbecillitatem veraciter gens fortis prædicatur & innumerabilis.

Infra. 2. Proinde & locustam & bruchum & rubigi-
nem & erucam in hoc eodem propheta dominus fortitudinem suam nuncupat his verbis, Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos. Est ergo in his quędã fortitudo Dei, sed nõ illa forti-

Infirmitas hominis. tudo, quæ non possit infirmari. infirma est fortitudo, sed tamen sufficiens contra infirmitatem hominis, qui ne pulici quidem resistere valet, vt dormire possit. Itaq; non minus locustarum siue erucarum multitudine, quã ipsũ qui per illas figuratur exercitũ Chaldæorum fortem dicas & innumerabilem. Quid enim locustis innumerabilius & fortius, quibus humana resistere non potest industria. Protinus fortitudinem gentis eiusdem exprimit iuxta cœptam metaphorã locusticæ multitudinis. Dentes (inquit) eius

Dentes locustæ nociui vt dentes leonis, & molares eius vt catuli leonum. Nam quia locusta dente exiguo nocere consueuit, pulchrè genti, quam per locustam figurauit, non arma ferrea, sed dentes nociuos asscribit. Miro autem modo dẽtes locustæ hic dicuntur esse, vt dentes leonis. Sic & in Apocalypsi similitudines locu-

Apoc. 9. starum similes dicuntur equis paratis in prę
lium,

lium, & dentes eorum sicut leonum. Quàm parua corpuscula, quã magnos, quã valentes in ore suo dentes habere dicuntur. Imò quã infirmi, quã breuis actus homines, quantam potestatẽ irato Deo contra populũ peccatorẽ habere permittũtur. Narratur quippe impietas hostiũ sub figura locustarũ, & rursus sic de ipsis locustis dicitur, quasi si hostibus cõparẽtur cũ locustas legeris, hostes cogites, cũ hostes cogitaueris, redeas ad locustas. Dẽtes ergo eius videlicet gentis locustarũ (quæ omnia tropicè intelligẽda sunt) quasi dentes leonum & molares illius vt catuli leonũ, vt qui multitudine, & breuis vitæ iuuenili saltu locustis coæquantur, in ferocitate & crudelitate leonib. cõparẽtur. Hæc (inquit) gẽs

Psal. 77. posuit vineã meam in desertum, videlicet ilã, de qua Psalmista. Vineã (inquit) de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plãtasti eã. Et sicũ meam decorticauit. s. eũdem populũ Iudæorũ, ad quẽ & ego tandẽ veni, vt ex ea cõederem fructus, & non inueni, maledixique ei & aruit, propter perseuerantẽ eandẽ sterilitatẽ, ob quã & illud cõtigit, q̃ eandem sicu olim tali à multitudo locustarũ decorticauit. Nudans (inquit) spoliauit eã, & proiecit, albi fracti sunt rami eius. Omnia sub me

Matth. 11. taphora locustarũ dicta noscamus, quæ in tãtum cuncta populantur, vt derodant arborum cortices, exutasq; proijciant, & omni virore cõsumpto albos ramos aridosq; derelinquant. Sic factũ est, & sic perijt ab ore vestro vinũ, ô vos habitatores terræ qui bibitis vinum in dulcedine, vt expergiscamini vos ebrij, diutina ebrietate sepulti, vt recogitet vnusquisq; vestrũ, & dicat, quid feci, &

"pœnitentię ad fletũ atq; vlulatũ confortami-
"ni. Sequitur [Plãge quasi virgo accincta sac-
"co super virũ pubertatis * tuæ, perijt sacrifi-
"cium, & libatio de domo domini, luxerunt

Alias, suæ. sacerdotes ministri dni.] Post regnũ Assyriorum atq; Chaldæorũ, siue Babyloniorũ, regnum Medorũ atq; Persarũ Iudæos captiuos tenuit. Sub illo regno Neemias planxit, & fleuit, quẽadmodum ipse inter cætera refert his verbis. Ego enim (inquit) erã pincerna regis, factum aũt in mense Nisan anno vicesimo Artaxercis regis, & vinum erat ante eum. Et leuaui vinum, & dedi regi, & eram quasi languidus ante faciẽ eius. Hæc & cætera quæ sequuntur legentes, planè aduertimus illi tempori & rei cõgruere, q̃ hic propheta declamans, Plãge (inquit) quasi virgo, accincta sacco, super virum pubertatis tuæ. Quã ob causam? Perijt sacrificiũ (ait) & libatio de domo dni, luxerunt sacerdotes ministri dni. Deniq; & istã causam suæ mœstitiæ Neemias idẽ præmiserat, dicẽs. Et venit Aman vnus de fratribus meis ipse & viri Iuda, & interrogaui eos de Iudæis qui remanserant & supererant de captiuitate, & de Hierusalem, & dixerunt mihi. Qui remanserũt & derelicti sunt de captiuitate ibi in prouincia, in afflictiõe magna sunt & in opprobrio, & murus Hierusalem dissipatus est, & portæ eius cõbustæ sunt igni. Cumq; audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, & luxi dies multos, & ieiunabã & orabã ante faciẽ Dei cæli. Rectè igitur & hic, & quicunq; talẽ ob causam plangebant, assimulari iubentur virgini plangenti super virum, pubertatis suæ, flebant enim non vt illi supradicti, pro eo q̃ perijsset ab ore ipsorũ vinum, & non iam biberent illud in dulcedine, sed pro eo quod perisset, & sacrificium & libatio de domo domini in Hierusalem. Porrò, Deum qui in Abraham, Isaac, & Iacob despondit sibi virginem sponsam, nulla idololatriæ sorde maculatam, viro pubertatis assimulat, dicendo: super virũ pubertatis tuæ. Vir nanq; pubertatis siue vir virginis dici quilibet consueuit qui virginẽ sponsam siue vxorem duxit. Secundum hanc similitudinem, & per Hiere-

Hier. 3. miam redarguendo loquitur Deus. Non vt dnm me vocasti & patrem, & principem virginitatis tuæ. Nec verò prætereundũ, quod cùm dixisset, plange quasi virgo, addidit amicta sacco. Deniq; sub eodem regno Persarum, scilicet & Medorum, cũ vellet Amã omnem Iudæorũ, qui erant in regno Assueri, perdere nationẽ, eò quòd Mardochæus

Luctus sub Assuero. non sibi flecteret genu, nec se adoraret. Mardochæus hoc audiens, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerẽ capiti, & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui. Similiter & cæteri Iudæi flebant, & ie unabant, & regina Hester præ cæteris id agente,

Hester 4. quæ & Mardochæo verba hæc mandauit. Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susis repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus ac noctibus, & ego cum ancillulis meis similiter ieiunabo, tũc ingrediar ad regẽ. Tunc profectò gens ipsa, cui nunc dicitur, plange quasi virgo, erat amicta sacco, & plangebat super virum pubertatis suæ, id est, super Deum patrũ suorum, q̃ offendissent eum Hester ipsa sic inter cætera confitente, ac dicẽte Peccaui mus enim in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorũ, coluimus enim deos eorum. Iustus es domine. Hæc & huiusmodi dicentes, nimirum reminiscebãtur etiã terræ optimę quã dederat eis Deus, & condolebant sibimet, quod ipsis in captiuitatem ductis, terra ipsa vastitatem diutinam pateretur. Rectè ergo subiungitur, [Depopulata est regio, luxit humus, quoniam vastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumentum & hordeo, quia perijt messis agri. Vinea confusa est, & ficus elanguit. Malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt, quia confusum est gaudium à filijs hominum.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neem. 2.

Hæc omnia secundum prophetiam hanc accidisse sub iam dicto Babyloniorum regno, & perseueraſſe vsque ad Persarũ & Medorum imperium, illa præmemorati Neemiæ conquestio manifestat, cùm dicit. Et timui valdè ac nimis, & dixi regi. Rex in æternũ viue. Quare non mœret vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorũ patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni: Vbi ergo quasi virgini super viro puber tatis suæ commemoratio facta est, quem offendit, quamobrem & plangere iubetur, cõgruè cuncta hæc vtilia, quæ gignit humus optima, depopulata siue deuastata & confusa esse, elanguisse atque perisse commemorantur, vt ex istis quoque causa planctus illi dignè augeatur. Pertinent enim ista quoq; ad dotem, quam illa de tali viro cõsequuta est, quando egressa de Aegypto & illum sequuta, legitimas matrimonij tabulas suscepit in monte Synai. Terram enim Chanaan pro hoc ipso talis ille vir dedit illi, vt seruaret fidem coniugij, sicut Psalmista testatur his verbis. Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possiederũt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Et vide in hac commoratione, quã valida reprehensio sit, licet breuis. Nam & si quæreres, quare depopulata est regio, & luxit humus, quam ob causam vastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum, & cætera perierunt siue aruerunt, cõfestim causam reddens, quia confusum est (inquit) gaudium à filijs hominum, id est, quia confuderunt gaudium, siue non seruauerunt ordinem gaudij filij hominum. Primùm enim & principaliter gaudere debuerant in domino, secundariè verò non in bonis, sed de bonis domini, super frumento, vino, & oleo, & cæteris quę dantur à domino. Hic erat rectus ordo gaudij. Hunc ordinem ita confuderunt filij hominum, vt in domino gaudere negligerent, in bonis autem domini gaudere cuperent. Hoc fecerunt filij hominum, & idcirco plãge quasi virgo, quia tales tecum vel apud te fuerunt, qui virũ pubertatis tuæ tibi offensum, & illi domũ suam quasi extraneum fecerunt. Sequitur.

Dos gentis Iudaicæ ex Chanaã

Psal. 105.

Rectus ordo gaudij.

" [Accingite vos & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris, ingredimini, cubate in " sacco ministri Dei mei, quoniam interijt de " domo Dei vestri sacrificium & libatio. Sacri " ficate ieiunium, vocate cœtum, congregate " senes, omnes habitatores terræ in domum " Dei vestri, & clamate ad dominũ, a, a, a diei, " quia propè est dies domini & quasi vastitas " à potente veniet.] Post regnum Persarum atque Medorum, de quo iam dictum est, talia nimirum Iudæis acciderunt sub regno Græcorum, propter quæ sic inclamare debuerit spiritus propheticus, non minus, imò & plus quàm inclamauerat propter mala quæ futura erant sub duobus regnis præcedentibus. Tunc enim secundum prophetiam Danielis, de vno ex quatuor cornibus hirci magni, qui arietem misit in terram & conculcauit, egressum est cornu vnum modicum, & factum est magnum contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem, & magnificatũ est vsque ad fortitudinẽ cæli, & deiecit de fortitudine & de stellis, & conculcauit eas, & vsque ad principẽ fortitudinis magnificatus est, & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Hic fuit Antiochus illustris, filius Antiochi regis, vt testatur liber Machabæorum, radix peccati, qui & ædificauit abominandum idolum desolationis super altare Dei, & tanta fecit, quanta legentes horremus, tam in primo, quàm in secundo Machabæorum libris. Tunc vtique interijt de domo dei sacrificium & libatio, & propter hoc accinxerunt se & planxerunt sacerdotes, & vlulauerunt ministri altaris, & ingressi sunt & cubauerunt in sacco ministri domini. Exempli gratia, & congregati sunt (inquit) & venerunt in Masphat, & ieiunauerunt, & induerunt se cilicijs & cinere in capite suo, & destituerunt vestimenta sua, & expanderũt libros legis, & attulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias & decimas, & suscitauerunt Nazareos, qui impleuerũt dies, & clamauerũt voce magna in cælũ dicẽtes. Quid faciemus istis, & quo eos ducemus? &c. Hos propheta prospiciens ieiunantes, & ieiunandi necessitatem habẽtes, sanctificate (inquit) ieiunium, vocate cœtum. Nimirum quod ait, sanctificate ieiunium, tale est, quale illud apud Esa. Nolite ieiunare sicut vsq; in hanc diem. Et subinde: Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt libros, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, egenos vagosque induc in domum tuam. Ita sanctificantes, id est, sanctum facientes ieiunium, vocate (inquit) cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ. Cœtum conuocatum in duos greges dispares diuidit, scilicet senum & habitatorum terræ, dicendo: congregate senes, omnes habitatores terræ, de quorum distantia suprà diximus, vbi ait. Audite hæc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ. Cùm ergo cõgregati fuerint, clamate (inquit) ad dominum, & dicite: a, a, a diei, quia propè est dies domini, & quasi vastitas à potente veniet. Malis præsentibus commoniti, & senibus attestantibus certificati, credant & clament omnes habitatores terræ, quia propè est dies domini, quia veniet dies iudicij, quia veniet dies domini magnus horribilis. Nam sicut longè posterius prophe-ta testatur, hæc omnia fient antequam veniet dies domini magnus & horribilis, & id circo scient antequam veniat, vt sine dubio credatur venturus, cùm fuerint facta ista quæ per eosdem prophetas sunt prænuncia ta. Si quis enim de illa parte prophetiæ, id est, de die Domini magno & horribili dubitare voluerit, ostendatur illi pro argumẽto completa hæc prophetiæ pars, scilicet eruca & locusta & bruchus, de quibus iam diximus, vt compellatur scire, q; ille quoque dies quasi vastitas à potente veniet, quasi vastitas, inquam, vt videlicet (sicut Esaias ait) ponat vniuersum orbẽ desertum, & peccatores perdat ex eo. Dicaturque eis qui eiusmodi sunt. Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt, de domo Dei vestri lætitia & exultatio? Et est sensus, Quid adhuc increduli permanetis? Quid adhuc aduentum diei Domini magni & horribilis dubitalem esse vultis? Nunquid non vidistis, aut videtis oculis vestris prophetiæ partem completam esse quam prophetauimus vobis? Nunquid non iam venerunt eruca, locusta, & bruchus, atque illis deuastantibus perierunt alimenta, perijt de domo dei vestri lætitia & exultatio? Adhuc aliquibus in impœnitentia permanentibus, conuersus idem prophetiæ spiritus ad suos.

Sanctificare ieiunium

Esa. 58.

Esa. 13.

" [Computruerunt iumenta in stercore " suo.] Iumenta namque in stercore suo putrescere est, carnales quosque & luxuriosos in fœtore luxurię vitam finire, quales vtique fuerunt illi, tempore iam dicti Antiochi, sicut idem liber Machab. testatur. Exempli gratia, cùm dicit. Et enim ausus est Iason sub ipsa arte gymnasium constituere, & optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere. Item, Pessima autem & vniuersis grauis malorum erat incursio. Nam templum luxuria & commessationibus erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se vltro ingerebant, introferentes ea, quæ non licebãt. Itaque secundum illud tempus congruè sic exclamat, computruerunt iumenta in stercore suo, luxuriantibus illis mira cordis impœnitentia, cùm perissent coram oculis ipsorum alimenta, & de domo Dei lætitia & exultatio. Denique iam Antiochus ciuitatem armis ceperat, erantque toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vinc ti. Desolationem eiusmodi adhuc declaman s. Sequitur & dicit. [Demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusu m est triticum, quid ingemuit animal, mugierunt greges * armenti? Quia non est pascua eis, sed & greges pecorum desperierunt. Ad te domine clamabo, quia ignis cõedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. Sed bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te, quoniam exiccati sunt fontes aquarum, & ignis comedit speciosa deserti.] Quoniã (inquit) consumsum est triticum, idcirco horrea demolita sunt, & quia vinum perijt, apothecę dissipatæ sunt, quia nimirum si frumenta & vina non fuerint, frustra horrea & torcularia præparãtur. Sed quid sibi vult, quod per cunctatur & dicit, quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti, statimque causam illorum respondet dicens: quia non est pascua eis? Nimirum brutis animalibus & gregibus armenti similes eos vult haberi, quamuis homines sint, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, & hoc solum esse miserum siue dolendum reputantes, si ventri quippiam desit. Huiusmodi animalia siue greges non solùm ingemiscunt quãdo non est pascua eis, sed & greges (inquit) pecorum disperierunt, id est, eiusmodi homines, qui multi sunt quasi greges pecorũ in tempore tentationis recedunt, murmurãtes si non fuerint saturati, & blasphemantes Deum. Quod si aliquis quærat, dicens: Tu autem quid agis ô propheta, vt exemplum tuum sequatur homo rationalis, quem nõ vis aut censes brutum esse animal? Ad te (inquit) domine clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. Et est sensus. Tibi domine peccata mea confitebor, ego vel omnis rationalis & sensatus homo, quia propter peccata nostra traditi sumus in manu hostili, qui terram nostram vastauerunt & succenderunt igni. Non solùm autem hoc, sed & bestiæ agri (inquit) quasi area sitiens imbrẽ, suspexerunt ad te, quoniã exiccati sunt fontes aquarũ, id est, tanta siccitas est & defectus imbrium, vt exiccatis fontibus, bestiæ quoque agri siti pereant, pœnam sustinentes, propter peccata hominum. Et ignis (inquit) deuorauit speciosa deserti, id est, loca prius speciosa comburendo, in desertũ redegit. Hoc non semel dixisse contentus est, sed secundo repetiuit. Nam ante iam dixerat, quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. Postmodum idem tertio dicturus est his verbis. Populus mul tus & fortis, similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis, & generationis. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti. Quòd enim semel & iterum ac tertio ciuitas illa Hierusalem incendio conflagrauit. Primùm, succedentibus Babylonijs, secundo rege Antiocho, sicut scriptum est de illo, & irruit super ciuitatem repentè, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israel, & accepit spolia ciuitatis, & succendit eam igni. Tertio, concremata est instantibus Romanis, quod excidium nimis horribile perspiciens, quarta iam vice vehementissimè clamat, & dicit. [Canite tuba in Syon, vlulate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ,

Infra. 2.

Alias arietum.

In stercore suo computrescere.

2. Mac. 4.

2. Mac. 6.

2. Mac. 5.

Lucius Iudæorũ sub regno Græcorum.

Dies domini ex præcedentib. manifestis credi debet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis ac turbinis quasi mare expansum super montes populus multus & fortis, similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis & generationis. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neq; est qui effugiat eum.] Populus hic multus & fortis, non incongruè populus intelligitur Romanus. De quo enim alio populo rectiùs, quàm de isto dicitur, similis ei non fuit à principio? Denique neque populus fuit Babylonius, neque Assyrius, neque populus secundi regni Persicus aut Medus, neque populus tertij regni Macedo siue Græcus similis ei fuit, sicut & Daniel de quarta bestia, quæ quartum hoc regnum significabat, asserit his verbis, Et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis & fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat cæteris bestijs quas videram. Canite ergo (inquit) tuba in Syon, vlulate in monte sancto meo, & cætera vt supra. Tribus exclamationibus quæ præcesserant, acrior hæc quarta, multoque vehementior est, videlicet secundum dissimilitudinem quartæ bestiæ, de qua testatur Daniel, vt iam dictum est. Nam terribile quidem est, quod dixerat, expergescimini & flete, prospiciés Assyrios siue Babylonios, & quòd dixerat, plange quasi virgo amicta sacco, intuens Persas & Medos, & quòd clamauerat, accingite vos & plangite sacerdotes prænidens regnũ Græcorum, sub quo Iudæos attriuit Antiochus Epiphanes, sed multò terribiliùs est quod nunc ait, Romanorum aduentum prænuncians. Canite tuba in Syon, vlulate in mõte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, quia veniet dies Domini, quia propè est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis ac turbinis. Vnde simul attendẽdum, quia tria quidem exterminia, quæ tria regna fuerunt, prophetæ prædixerũt, quod autem à quarto Romanorum regno factũ est excidium, prophetæ simul & euangeliũ. Exempli gratia, Cùm ducerent Dominum Iesum ad crucifigendum, & sequeretur illum turba multa populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum, conuersus ad illas, dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce veniẽt dies, in quibus dicent. Beatæ steriles ventres quæ nõ genuerunt, & vbera quæ non lactauerũt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos. Item quibus dicentib. de tẽplo, q̃ lapidibus bonis & donis esset ornatũ, dixit: Hęc q̃ videtis venient dies, in quib. nõ relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Pulchrè igitur nõ ipse propheta ex persona sua nunc edicit, siue edixerat de cæteris malis, quæ ventura erant sub tribus anterioribus regnis, expergiscimini & flete, plange quasi virgo, accingite vos & plangite sacerdotes, sed alijs committit hoc annunciandum, Christo videlicet & Apostolis eius, dicendo, canite tuba in Syon. Stephanus prothomartyr, dum tuba caneret euangelica, super cantu isto siue nuncio accusatus est à dicentib. Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legẽ. Audiuimus enim eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Ibidem quoq; scriptum est. Tunc submiserunt viros, qui dicerent se audisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & Deum. At ille subsequenti oratione, de verbo quidem blasphemiæ in Moysen & Deum siue legem sese insigniter expurgauit, de verbo autem hoc, quomodo Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, nullam excusationem protulit, sed hæc tantum dixit. Salomon autem ædificauit illi domum, sed non excelsus in manufactis habitat. Verum quippe erat, destruendum esse locum illum, & hæc euangelica tuba canere in Syon, magnumq; exinde vlulatum veraciter prædicare poterat in illo monte Dei sancto. Quòd autem tempora eiusmodi dicuntur Domini, quemadmodum hic, cùm dicitur, quia venit dies Domini, aduersus dormientes & ebrios, dictum valdè congruit, qualibus suprà dixit, expergiscimini ebrij. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt nocte ebrij sunt, videlicet suimet obliti, & immemores Dei, atque ita in peccatis mala securitate circundati, vt clausis oculis non videant, quòd de actibus hominum Deo cura sit. Nimirum quando coguntur per aduersitatis pœnam, malorum actuum suorum reminisci, & videre quid fecerint, tunc illis dies fit, veruntamen non simpliciter dies aut dies solis siue splendoris & claritatis, sed dies (inquit) tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, qualis vtique Iudæis futurus erat dies ille, siue tempus illud, quo circundarentur ab hostibus Romanis. Tunc (inquit) conturbentur omnes habitatores terræ, & hæc vtiq; per concessionem dicit, quia sic oportet euenire. Et rectè hic illos appellat habitatores terræ, q̃ Christum occiderunt, quasi propter habitationem terræ, sicut dixerat ipse per Psalmistam. Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant, videlicet cùm dicerent, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & veniẽt Romani & tollent nostrũ & locum & gentẽ. Et illud quidẽ tempus (sicut iã dictũ est) dies domini dicitur, veruntamẽ nondũ magnus, q̃ tantũ de vltimo die iudicij solet dici, quemadmodum & hic propheta postmodũ, antequã (inquit) veniat dies dñi magnus & horribilis. Tenebras & caliginẽ, nubẽ & turbinẽ illius diei cuius cunctis vocib. magnitudo granditer declamatur, venturæ calamitatis magnæ rei cõparat, dicendo, quasi mare expansum super mõtes. Quid enim maius siue formidabilius in hoc mundo ante finẽ eius euenire potest, quã si expandatur mare super montes, sicut in diluuio factum est: Est ergo sensus, sicut in diluuio nõ magis montes sese fluctib. eximere potuerunt quã valles, ita in illa Romanæ multitudinis vel fortitudinis inundatione, nõ magis superbi principes sacerdotum sibimet consulere quiuerunt quã exigui quiq; siue populares. Et vide quã congrua cõparatio vel similitudo sit. Sequitur enim. Populus multus & fortis, similis ei non fuit à principio, & post eum nõ erit vsq; in annos generationis & generationis. Cõgrua nanq; similitudo est maris & populi Romani tã multi & tã fortis qui vniuersas ferè orbis terræ nationes multitudine operuit, fortitudine conuulsit, more fluctuũ iens & rediens, & contra montes vniuersos intumescens, eosq; operiens. i. cũctos reges vel regna gentium suis virib. oppримés. Huic nimirũ populo similis nõ fuit ab initio, & post eũ non erit vsq; in annos generationis & generationis. Daniele quoque (vt supra dictũ est) attestante de bestia quarta, qua Romanũ figurabatur imperiũ, quia dissimilis erat cæteris bestijs, videlicet leænæ, vrso, & pardo, quib. regna præcedentia significabantur. Ante faciem eius (inquit) ignis vorans, & post eũ exurens flãma. Hoc vt dicitur, ita factum esse legentib. excidiũ illud Hierosolymorum, Ioseph narrante, luce clarius est. Nã & antequã ciuitatẽ Romanus circũdaret exercitus, ipsi qui quasi pro defensione fuerant introducti, triplici discordia debacchantes intus, & ædificia ciuitatis, & plurimos sumptus, qui diuturno poterãt sufficere bello, multis cõsumpserunt incẽdijs, & postquã hostes ingressi sunt victores victi, vsq; ad cõsummatum exitũ rebelles, donec & templum & quicquid supererat intra mœnia miseræ ciuitatis cõcremaretur, furore incredibili perstiterunt, miserantibus & parcere volẽtibus aduersarijs. Qualis ante aduentum populi tã fortis regionis facies extiterit, & qualis per aduentum eius affecta sit, breuiter exprimit, cũ subiungit: Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neq; est qui effugiat eum. Et est sensus, cũ veniret exercitus hostilis, talis erat regio corã illo, siue illa terra promissionis, quasi hortus voluptatis, videlicet vinetis, palmetis, atq; oliuetis, cæterisq; cõsita arboribus diuersi generis, & præterea templo augustissimo insignita, quo nihil pulchrius aut gloriosius in mundo esse potuit. Cũ autem victor descenderet, id est, exercitus talis post eum remansit, vt solitudo deserti, secundũ verba dñi flentis super Hierusalẽ, & dicentis: Quia si cognouisses & tu. Et quidẽ in hac die, quæ ad pacem tibi. Nunc aũt abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te & circundabunt te, & coangustabunt te vndiq;, & ad terrã prosternent te, & filios qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidẽ, eò q̃ nõ cognouisti tempus visitationis tuæ. Et filios tuos (ait) prosternent qui in te sunt, videlicet ita, vt non sit qui effugiat, quẽadmodum hic cũ dixisset, & post eum solitudo deserti, subiunxit, neq; est qui effugiat eũ. Nullus quippe ex tanta multitudine, quæ dinumerari nõ poterat effugisse legitur, quin fame & gladio perirent foris & intus, & qui reliqui esse potuerunt, in captiuitatẽ ducerẽtur. Adhuc de fortitudine populi tam multi grandisimo eius amore loquitur. [Quasi aspectus equorum aspectus eorum, & quasi equites sic current. Sicut sonitus quadrigarum super capita mõtium exilient, sicut sonitus flãmæ ignis deuorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam. Sicut fortes current, & quasi viri bellatores ascendent murum. Viri in vijs suis gradientur, & non declinabũt à semitis suis. Vnusquisq; fratrem suum nõ coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt. Sed & per fenestras cadent, & non demolientur. Vrbem ingredientur, in muro corruẽt. Domos conscendent, per fenestras intrabũt quasi fur.] Fortitudinem atq; velocitatem tam multi populi breuib. & celeriter currẽtibus declamauit sententijs. O ergo senes & habitatores terræ, quibus in exordio dixerat. Audite hæc, & auribus percipite omnes, quamuis erucam, locustã, bruchum, & rubiginem nominauerit, ne subsannetis quasi ad viles & paruas res oratoriste ineptè vos attentos fecerit, quia nimirum erucæ istæ sue locustæ, bruchus hic siue rubigo ista, vobis non paruæ res aut vermiculi sunt viles, quamlibet apud cælestem fortitudinem regnorum omnium vani homines propter suã vanitatẽ sint cõtemptibiles. Vobis enim homines, de quibus agitur, imò contra vos viri fortes, viri veloces sunt. Nominauit quidẽ locustas & cætera huiusmodi, sed nihilominus fortes atq; veloces sunt. Hoc est quod ait, Quasi aspectus equorum aspectus eorũ, & quasi equites sic current. Nam in equis & in equitibus fortitudo simul & velocitas vsu requiruntur Et hic quidem cùm dicitur, quasi aspectus equorum aspectus eorum, dictiuncula quasi, similitudinem significat: hic autem, & quasi equites sic currunt, veritatem siue rei proprietatem. Non enim quasi vel sicut semper tantummodo significat similitudinem, sed interdum quoque rei veritatem. Exempli gratia, Et vidimus gloriam

Dani. 7.

Matth. 24 Marc. 13.

Actor. 6.

Dies domini contra dormientes.

1. Tes. 5.

Psal. 34. Ioan. 11.

Pop. Rom. sicut mare expansum super montes.

Luc. 9.

Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

riam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, id est, vere vnigeniti à patre. Item in Psalmo,
Psal. 25. in conuertēdo Dominus captiuitatē Syon, facti sumus sicut consolati, id est, verè consolati. Itaque & quasi equites sic currebant, id est, non sicut erucæ aut locustæ vulgares, segnes erunt, aut breuiter fallent, sed viri bellatores erunt, & equis currentibus ibunt. Quòd autem equis similes pronunciantur,
Quales sint equi domini. dicendo: quasi aspectus equorum, superbiā atque fortitudinem, simulq; præliandi auiditatem illos habere innuit, secundū gestus
Iob 39. eiusmodi animalis, naturaliter ferocis & superbi, dicente Domino ad beatum Iob. Gloria narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter, In occursum pergit armatus, cōtemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus, feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tuba sonare clangorem. V-
Alias, Vah Abac. 3. bi audierit buccinam, dicet* Vua. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatū exercitus. Hæc dicta sint de quolibet equo Domini, de qualibus scriptū est. Qui ascendis super equos tuos, & quadrigę tuæ saluatio, sed mystice intelliguntur, vt nihilominus de equo quadrupede secundum literam congruè vel veraciter enunciari nō dubitētur. Quòd si de quolibet sancto & forti prædicatore, cuius sessor est Dominus, &
Rom. impeuiū equus fortis. idcirco pericula mundi non timet, spirituali ter ista rectè intelliguntur, cur non etiam superbia regnorum supradictorum, maximeq; Romana potentia carnaliter similis esse
Iob 39. dicatur? Itaque quasi aspectus equorum aspectus eorum, quia quemadmodū dicit idē dominus. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circūdabis collo eius hinnitum? solis ipse regnis iam dictis, & maximè Romano imperio præbere potuit fortitudinē, & collo circundare hinnitum, vt præ sola superbia vel cupiditate, quasi hinniendo consurgeret aduersus omne regnum, donec sibi faceret esse subditum, vt gloria narium eius esset terror, id est, gloriaretur quoties terrifici belli sibi daretur occasio, vt terram vngula foderet, regum orbis terrarum nimis cupidè conquirendo thesauros, vt exultans audacter armatus in occursum pergeret, vt contemneret pauorem, & gladio non cederet. Quod deinde sequitur, sicut sonitus quadrigarum super capita montium exiliēt, certam designat illorum gloriam triumphalem, quòd sine dubio victoriam perficiant, & cum quadrigis victricibus more suo ducant triumphi pompam nobilem & quodāmodo superbiam siue temeritatem subsannat Iudaicam, dicendo: super capita montiū exilient, quòd Deo sibimet irato ausi sunt contra semetipsos prouocare ad bellum victores omnium gentium, quasi ipsi montes intransmeabiles essent. Deinde ꝙ ait, sicut sonitus flāmæ ignis deuorantis stipulam, igni procul dubio cōsummādum esse declamat eandē victoriam. Vltima declamatio- *Eloquētia prophetica decor.*
nis clausula qualitatē pulchrè eximit erucæ siue locustarū, dicendo, velut populus fortis præparatus ad prælium, inculcans & replicans, quia non realiter locustæ existimandæ sunt, sed sub nomine illo multitudo hominum. Et vide in ipsa superficie sermonis prophetici, quantus eloquentiæ decor sit. Quinque etenim similitudines positæ sunt, & semper sequens præcedente vehemētiùs sonat, & plus terroris exhibet, quasi aspectus equorum aspectus eorū. Hoc iam terribile est, sed amplius id quod sequitur, & quasi equites, sic current. Plus enim equitem cōstat esse, quàm equum. Quod deinde sequitur multo plus est, sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient. Itemq; multò amplius ac terribilius, sicut sonitus flammæ, ignis deuorātis stipulam. Ac deinde quod sequitur, manifestius atque abundantius est, velut populus fortis præparatus ad prælium. Ita quasi ascendendo atq; crescendo in maius per singulos gradus, vis perficit atque acrimonia grandisona plus quàm rethoricæ declamationis, & post excursum, quasi resumpto spiritu, breuiori processu prosequitur & dicit: A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam. Quod quomodo, vel quam ferè fa- *Vultus redacti in ollam nimia fame.*
ctum sit legentibus palam est ex iam dicti narratione historiographi. Dira nanque obsidione cruciati, fame incredibili denigrati & tumefacti, vultus redacti sunt in ollā, qui viuidi & pulchri fuerant. Hæc & cætera quæ sequuntur intellectui plana sunt, quia videlicet Romani, sicut viri fortes cucurrerunt, & sicut viri bellatores ascenderunt murum, & in vijs suis gradientes, id est, ab incepto non deficientes, à semitis suis nō declinauerunt, neque enim propter difficultatem aliquā victoriæ spē deposuerunt, & vnusquisq; fratrē suū non coarctabat, qꝑ facere solent fugientes erumpendo qua possunt, inordinati atque confusi, sed in suo calle ambulabant singuli, quod maximè in illo populo laudabile fuit, tenendo videlicet ordines suos, semperque procedendo cum disciplina militari. Hoc tantū paruula quæstione indiget, quod deinceps ait, per fenestras cadent, & non demolientur, & deinde subsequutus vrbē ingredientur, in muro currēt, domos cōscendent, tandem subiungit, per fenestras intrabūt quasi fur. Quomodo enim equitibus siue quadrigis Romani imperij cōgruit, vt per fenestras cadere, ꝓ fenestras intrare, in modū furis dicātur. Tā forti quippe imperio similitudo furis vel ascēsus ꝓ fenestras incōgruè ascribi videtur. Sed sciēdū Rom. imperiū sicut fortitudinis laudē, sic ecōtra ꝓfundę auaritię meruisse vituperationē, & hoc vitiū in illo denotari, dū dicitur, ꝓ fenestras ascēdēt siue intrabunt quasi fur. Et

reuera

reuera de fenestris eiusmodi in illo excidio non omninò tacetur, Iosepho inter cætera
Verba Iosephi. narrante, ac dicente. Hic itaq; tunc militum quidem non expectato cuiusquam edicto, neque tantum facinus veritus, sed diuino quodam motus impetu, à contubernali suo sustollitur, & ex ardente materia raptum ignem in fenestram infert auream, vndè ad mœnia circum templum ædificata de septētrionali regione aditus erat. & post pauca, Pleroſq; autem prædarum spes incitabat, suspicantes intus omnia pecunijs esse referta, quoniam fores auro factas conspicerēt. Pro pter huiusmodi causam illos non merito sic denotatos dubitauerim, vt per fenestras ascendere dicantur in modum furis. Sed & vt de isto, si parum videtur, taceam, quam furis nequitiam vel cupiditatem non excedit
Scissi ventres & aurum inde quæsitum. illud, quod idem scribit. Quidam enim (inquit) apud Syros ex transfugis deprehenditur è simo ventris aureos colligens, trāsglutientes autem eos veniebant, quia cunctos seditiosi scrutabantur, & maxima vis auri erat in ciuitate. Verùm hac arte per vnum detecta, totis castris fama percrebuit, quod auro transfugæ pleni venirent. Arabum ergo multitudo & Syri scissos ventres supplicum rimabantur. Et hac ego (inquit) clade nullam credo sæuiorem contigisse Iudæis. Vna deniq; nocte duorum milium patefacta sunt viscera. Hęc nimirum considerando, non ineptè quisquam dicat, hostes illos pro fortitudine quidē viros bellatores, sed pro cupiditate nimia crudelissimis furibus
"fuisse comparabiles. Sequitur. [A facie eius
"contremuit terra, moti sunt cæli, sol & luna
"obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splē-
"dorem suum. Et dominus dedit vocem suā
"ante faciem exercitus sui, quia multa sunt ni
"mis castra eius, quia fortia & facientia ver-
"bum eius. Magnus enim dies domini, & ter-
"ribilis valde, & quis sustinebit eum?] A facie (inquit) eius. Cuius eius? Nimirum populi multi, & fortis, populi Romani, cui similis à principio non fuit. A facie talis populi, id est, in signum venturi, & hæc omnia, quæ dicta sunt facturi, terra contremuit, & tremore suo magnam iram Iudæis venturam significauit, videlicet quando scelere illorum pendens in cruce dominus, spiritum tradidit. Nec verò solummodo terra tremuit, sed
Matth. 27. & cæli (inquit) moti sunt, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Tunc enim à sexta hora tenebrę factę sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam, & sicut iam dictum est, vbi clamans voce magna, emisit spiritum, terra mota est, & petræ scissæ sunt. Hoc factum est à facie, id est, in signum eiusdem populi venturi, ad vlciscendum sanguinem domini, sic-
Luc. 23. ut tunc quoque ibidem ipse dixit. Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed & super vosipsas flete, & super filios vestros, quoniā ecce venient dies, in quibus dicent: Beatę steriles & ventres, quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos. Vndè notandum, quod cum dixisset hic, terra contremuit, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, continuò per coniunctionem cē lerrimam, & Dominus (inquit) dedit vocē suam ante faciem exercitus sui. Per hoc nāque animaduertere licet, quòd cum illo terræ motu & tenebris illis Dominus noster, dum tradens spiritum, voce magna clamauit hæc significauit, quod iustitia eius illum exercitum suum exercitum Romani imperij vocaret ad vindictam sanguinis sui, & ꝙ sanguis eius de terra non ante clamare desineret, donec idem exercitus adueniret. Et *Castra Christi mōrientis magna & fortia.*
vide quam magnificè dictum sit vel dici cō ueniat de homine crucifixo, & quasi dereli-
cto atque dicente. Deus meus vt quid dereliquisti me, quod haberet exercitum, cuius ante faciem talem vocem suā daret. Quòd si miraris, quod dicatur de paupere tale quid, subiūxit amplius & copiosius verbis huiusmodi, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius. Nā verè in illa quoq; hora, qua sic videbatur derelictus, multa nimis erant & fortia castra eius non solum castra angelorum, de quibus ait Petro. Conuerte gladiū tuum in locum suū, an putas quia non possum rogare patrē meū & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones angelorum? Veruntamen castra Romanorum, quæ venirent & facerēt verbum eius, circundando ciuitatē, vallo circundando illam, & coangustando vndiq;, & prosternendo illā ad terrā, & filios eius, qui
Matth. 26. erant in ea, & non relinquendo lapidem super lapidem secundū verbum eius. Non mireris quia maius his videbis. Magnus enim (inquit) dies domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum? Nimirum & hoc ibidē
Ibidem 25. ipse testatus est. Dixit enim. Veruntamē dico vobis, amodo videbitis filiū hominis sedentem à dextris virtutis, & venientē in nubibus cæli, subauditur, cū potestate magna, & maiestate, quemadmodum alibi dixit. Nā virtutes (inquit) cælorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis veniētem in nube cum potestate magna, & maiestate. Itaq; non mirum, quod dictum est, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius, non (inquam) mirum cō parationē maiorum. Magnus enim dies do-
Actor. 10. mini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum? Quod idem est, ac si dicat. Ipse enim cōstitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum, & magnus erit ille dies eusdem domini, quando ad iudicandum viuos & mortuos veniet cum nubibus cæli. His clamoribus præmissis de malis imminentibus, quę propter peccata fieri oportebat sub illis qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuor principalibus regnis, conuertitur ad re
"liquos, & dicit. [Nunc ergo dicit dominus,
"Conuertimini ad me in toto corde vestro,
"in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite cor
"da vestra, & non vestimenta vestra, & con-
"uertimini ad dominum Deum vestrũ, quia
"benignus & misericors est, patiens & mul-
"tus misericordia, & prestabilis super malitia.
"Quis scit, si conuertatur & ignoscat, & relin
"quat post se benedictionem? Sacrificium &
"libamen, Domino Deo nostro.] Ergo (in-
quit) quoniam perijt vinum ab ore bibentium in dulcedine, quoniam perijt sacrificium, & libatio de domo domini, quoniam item interijt de domo Dei nostri sacrificiũ & libatio, quoniam itidem ascendit populus multus & fortis, cui similis à principio non fuit, atque ita secundum verbum Domini, quod locutus est per os nostrum, contriuerunt vos regna, Babylonicum, Persicũ siue Medicum, Macedonicum atq; Romanum, nunc vos, qui hæc videtis fieri, conuertimini, non dubitantes de illo die iudicij, siue die domini magno & horribili, quoniam futurus sit secũdum testimonium eiusdem propheticæ veritatis, cuius pars magna impletur sub illis regnis, videntibus oculis vestris. Conuertimini (inquam) ad me dicit dominus, in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Nam hæc est vera conuersio, primùm cor per pœnitentiam mutare interius. Cæterum ieiunare, flere, & plangere, & hoc habitu foris incedere, corde interius pristinam peccandi intentionem retinente, nõ est veraciter conuerti ad me. Prius itaque in toto corde vestro conuertimini ad me, & tunc demum animi pœnitentiam, ieiunio, & fletu, & planctibus indicate, vt nunc ieiunantes, postea saturemini, nunc flentes, postea rideatis, nũc plãgentes, postea cõsolemini. Et quia consuetudinis est, vt in tristib. atq; aduersis scindatis vestes, quod & põtifex ad domini saluatoris crimen augendum in Euangelio fecisse memoratur, & Paulum & Barnabam audientes verba blasphemiæ, legimus perpetrasse, idcirco ego præcipio vobis, vt nequaquam scindatis vestimenta, sed corda, quæ plena sunt peccatorum, quæ instar vtrium, nisi scissa fuerint, sponte rumpuntur. Cum hoc feceritis, redite ad Dominum Deum vestrum, quem vobis priora peccata alienum fecerant, nec desperetis veniam scelerum magnitudine, quia magna peccata magna delebit misericordia. Est enim beniguus & misericors malens pœnitẽtiam peccatorum, quam mortem. Patiens & multus misericordia, qui non humanam imitetur impatientiam, sed longo tempore nostram pœnitentiam præstoletur, & præstabilis, siue pœnitens super malitijs, vt si nos egerimus super peccatis pœnitentiam, & ipsum pœniteat comminationis suæ, & mala, quæ comminatus est nobis, non inferat, nostræq; mutatione sententiæ, & ipse mutetur. Et notandum, quàm diligenter in ipsa pœnitentia cautos esse cupit, & securitatem tollit, cum dicit. Quis scit, si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem. Ac si dicat. Ego quidem hortor (quod meũ est) ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui esse clementem, dicente Dauid, Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatẽ meã. Sed quia profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei nosse non possumus, sententiam temperet, & opto potius quàm præsumo. Tantum interim sacrificium & libamẽ Deo nostro, subaudis, offeratur, sacrificium contriti cordis & libamen piæ confessionis ac boni operis, & quod nescimus, videlicet si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, in eius arbitrio relinquamus, pendentes in spe miserationis. Quomodo nunc Deus conuerti, & post se benedictionem relinquere dicatur, vel speretur, illud pro exemplo est, quod ipse in Exodo loquitur. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti. Deniq; verbis istis sese ad sanguinis signum conuerti, & videre sanguinẽ, ac transire, atque benedictionem & vitam post se relinquere, sese profitetur. Secundum hanc similitudinem post passionem domini nostri Iesu Christi, sanguine eius postes suos, id est, frontes suas signantes cuncti, qui pœnitentiam in nomine eius prædicatam susceperũt spem habent non vanam, quod conuertatur Deus ad signum istud, & relinquat post se benedictionem, transiens, & Aegyptios, id est, cunctos superbos atque impœnitentes æterni iudicij sententia percutiens. Hãc pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicandam in omnes gentes, incipi oportebat ab Hierusalem, sicut & ipse testatus est, post quam resurrexit loquẽs apostolis suis. Quoniam sicut scriptũ est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius, pœnitentiã & remissionem peccatorũ in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Sequitur ergo. [Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.] Hoc totum sic futurum esse prophetat, vt simul hortetur, quatenus intente & studiose fiat. Sion nanq; hęc est Hierusalẽ, vnde oportebat (vt iam dictum est) incipi pœnitentiæ prædicationem, quam prædicare vtique tuba canere, quia rem valde magnam Euangelica prædicatio personat, scilicet, iram venturam, vt eam quisque pœnitendo

Vera ad deum conuersio.

Matth. 26. *Actor. 14.*

Exod. 12.

Luca 24.

Tuba euãgelica præ nitentium.

pœnitẽdo effugiat. Petrus apost. ista primus tuba cecinit in illa Siõ, ab isti⁹ ꝓphetæ testimonio, ꝙ postmodũ seqtur, incipiẽs, & post tandẽ dicẽs. Pœnitẽtiã agite, & ⁊ baptizetur vnusquisq; vestrũ in remissionẽ peccatorum alijs etiã verbis plurimis testificãs, & exhortãs eos, & dicẽs. Saluamini à generatione ista praua. ꝙd nisi tuba canebat, dicẽdo: Saluamini à generatione ista praua? Vẽturos quippe Romanos, futurũq; illius prauę generationis excidiũ significabat, vt agẽtes pœnitẽtiã, nõ solum remissionẽ peccatorum & vitam futuram, sed etiam saluationem præsentem sibi adquirerent, vt præsentia quoque mala mererentur euadere venientia super generationem illam, quod & factum est. Immnente namque excidio, diuinitùs admoniti sunt fideles, vt exirent, atque ita saluati sunt à generatione illa, sicut saluatus est Loth ab incendio Sodomorum, nulluſq; cum illis cõclusus vel obsessus est Christianorum. Notandum quòd ita canentibus tuba in Syon, Sanctificate (inquit) ieiunium. Multò namque plus est sanctificare, quam prædicare ieiunium; quia videlicet ieiunare vel ieiuniũ prædicare, impij quoque possunt, qui nõ remissionem peccatorum, sed tantummodo malorum præsentium ieiunando quærunt remedium. Tale fuit ieiunium Achab, qui occidit Naboth, vt vineam eius possideret. Cum enim audisset sermones Heliæ, scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suã, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulabat demisso capite. Quam ob causam? Nũquid vt peccatorum remissionem acciperet & salutem æternam obtineret. Non vtique, sed ne temporali regno viuens careret. Ergo ieiunauit quidem, sed non sanctificauit ieiunium, atque idcirco non mercedem recepit sanctorum, sed mercedem suam, mercedem transitoriam, dicente Domino ad Heliam. Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. Igitur sanctificate ieiunium, id est, idcirco vt sancti sitis, celebrare ieiunium, & ad illud vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, id est, sanctificando per baptismum nouam Christianitatis constituite Ecclesiam, atque in sinu eius pariter & coadiuuate senes, & congregate paruulos ac sugentes vbera, vt videlicet senum, id est, sapientium maturitas, paruulos quibus adhuc lacte opus est, erudiat, & ad solidum vsque cibum perducat. Quod deinde subiungit, Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, idem est, quod & Apostolus dicit: Hoc itaq; dico fratres, tempus breue est. Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habẽtes, sint. Item, Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Mulier innupta & virgo cõgitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore & spiritu. Nimirum secundum huiusmodi prædicationem euangelicam siue apostolicam viuere, hoc est sponsum de cubili suo, & spõsam de thalamo suo exire. Sequitur. [Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes, ministri domini & dicent. Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt non dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis, vbi est Deus eorum?] Copiosior ad pœnitentiã, & conuersionem hæc admonitio est, post illa grandia populi multi & fortis, cui similis à principio non fuit, bella siue incendia, quẽ populum Romanum intelligimus, quàm in cæteris superioribus locis, vbi regna priora, Babylonicum, Persicum, atque Macedonicum, significari animaduertimus. Et rectè, quia videlicet vbi quartum hoc regnum, quarta hæc bestia terribilis atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, gentes cęteras, & maximè Iudęos comedit atque comminuit, & reliqua pedib. suis conculcauit, multò maior, multoque celebrior pœnitentiæ prædicatio siue pœnitentialis religio per mundum vniuersum audita & susceptа est. Non desijt eadem bestia, quæ impios punierat Iudæos, persequi & cõterere martyres pios, & quantò magis illos afflixit, tantò magis fideles omnes ad oration nem & pœnitentiæ fletum excitauit. Hoc ergo futurum præuidens. Inter vestibulum (inquit) & altare plorabũt sacerdotes ministri dei, & dicẽt. Parce dñe parce populo tuo & ne des hæreditatem tuam in opprobriũ, vt dominentur eis nationes. Quod dicit, Inter vestibulum, quod nos ante fores porticum posimus dicere, & altare, assiduitatem significat religionis & continentiæ sacerdotum, & leuitarum cæterorumque ministrorum domini, qui vt parati sint semper ad orationes & hostias DEO iugiter offerendas, circa templum vel Ecclesias DEO dicatas in sacris, castisque domibus, hodieque regulari cum disciplina commanent, quemadmodum hic propheta, cum hæc diceret, futurum esse præuidebat. Qui ieiusmodi sunt, & sui non obliuiscuntur propositi, quo proposuerunt esse sacerdotes vel ministri domini, plorant & orãt die ac nocte, cre bris noctium vigilijs dierumq; ieiunijs, pro peccatis populi Christiani, maximeq; tunc illis hoc egisse non dubium est, quando iam dicto Romano Imperio sæuiente, nimiùs perurgebat feruor persecutionis. Parce (inquit) domine, parce populo. In quo? In eo videlicet, vt non des hæreditatem tuam in opprobriũ. Quod si quęras, quale metuent opprobriũ? vt dominentur (ait) eis nationes. i. vt vincant eos & animis eorũ imperẽt impij gentiles, te Deũ viuũ & verũ Christũq; filiũ tuum blasphemãtes. Hoc idẽ in psalmo metuentes

1. Cor. 7.

Act. 2.

Gen. 19.

Daniel. 7.

Plus est sanctificare ꝙ prædicare ieiunium.

3. Reg. 21.

Sanctificare ecclesiã.

Assiduitas religionis & continẽtie in ministris domini

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal. 79. tuente ipsi dicunt: Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propicius esto peccatis nostris propter nomen sanctum tuum. Denique & quod illic sequuntur, & dicunt ne fortè dicant in gentibus, vbi est Deus eorum. Hoc ipsum hic conquerendo & percũctando loquuntur. Quare dicunt in populis vbi est Deus eorum. Et est sensus. Quare ita propter te mortificamur tota die & æstimamur vt oues occisionis, vt vacet hostibus atque persecutoribus Christianorum insultare & dicere, Vbi est Deus eorum. Intendũt digitum suum in solem aut lunam, aut in aliquod simulachrum aureum vel argenteũ, aut certè lapideum, & dicunt: Ecce dij nostri isti sunt, Deus autem ipsorum vbi est? Nusquam comparet, neque enim videre illum, aut ostendere possunt, & nullũ de illo habentes adiutorium, toto die inter manus nostras mortificantur, & pereunt. Hæc opprobria inter innumera mortium tormenta sustinentes, & peccatis suis humiles sancti reputantes, Parce inquiunt, domine, parce populo tuo, subauditur in eo, vt (sicut alibi scriptum est) non relinquas, id est, non nimis diu manere permittas, virgam peccatorum super sortem iustorum, vt nõ extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Huiusmodi gemitus competitorum, vt verius aduertamus, piorum passiones martyrũ recolamus, quarum in aliquibus scriptum est, quia latẽtes in cryptis & in speluncis fideles, corpora sepeliebant, plorantes & multum tristes, & per multos dies non cessabant mugitus lachrymarum dantes. His ita conquerentib. consolatorio protinus oraculo respõdetur.

Opprobria gentilium contra nos. Psal. 124.

"[Zelatus est dominus terram suam, & peper
"cit populo suo. Et respondit Dominus, & di
"xit populo suo. Ecce ego mittam vobis fru
"mentum, & vinum, & oleum, & replebimi
"ni in eis, & non dabo vos vltra in opprobriũ
"in gentibus. Et eum qui ab aquilone est, pro
"cul faciam à vobis, & expellam eum in terrã
"inuiam & desertam, faciem eius contra ma
"re orientale, & extremum eius ad mare no
"uissimum. Et ascendet fœtor eius, & ascen
"det putredo eius, quia superbè egit.] Insipientium erat, ô sacerdotes & ministri Domini, insipientium erat dicere in populis, vbi est Deus eorum, pro eo quòd videbant virgam peccatorum admissam, super sortem iustorum, & cædi corpora eorum visibiliter, Deo non apparente ad defendendum, & putare illos non habere Deum, aut certè non posse adiuuare Deum ipsorum. Non ita est. Sed quid? Zelatus est Dominus terram suã zelo bono, zelo paterno, & sicut pater percutiens miseretur filiorum suorum, & parcit eis, ita percussit, & percutiendo pepercit populo suo tanquam filijs. Notandum, quòd cum diceret, Zelatus est Dominus terram, addidit, Suam. Terram namque suam dicit, literaliter quidem terram Chanaan à semet ipso filijs Israel datam. vndè & quodam loco dicit. Terra enim mea est, & vos coloni mei estis, spiritualiter autem ecclesiam, quã suo sanguine adquirendo fecit suam. Sicut terram illam zelatus est dominus super filios Israel, eo quòd ingressi contaminassent eam, & tradidit eos in manus gentium, & tamen pepercit populo suo, dando illos in misericordias in conspectu omnium, qui cœperant eos. Sic ecclesiam suam sæpè zelatus est, ne sacramenta eius indigni indignè tractarent, & permisit fieri persecutiones, vt electi cribrarentur sicut triticum, discedente palea qualis in initio fuit proditor Iudas, oportere iudicans hæreses quoque esse, vt qui probati essent, fierent manifesti: & tamen inter ipsas tribulationes fierent clariores, glorificati virtutibus & signis. Hanc disciplinam patris ignorantes dicebant in populis, viden tes corpora martyrum discruciari, Vbi est Deus eorum? Et illi quidem, qui foris erant verum nescientes Deum, dicebant: Vbi est Deus eorum. Qui autem intus esse videbantur, quasi eundem profitendo Deum, dicebant, vbi est sanctitas, vel perfectio viarum illorum? Malæ huius coniecturæ magnum & euidens est in amicis Iob iudicium. Illi namque ex eo, quòd percussus erat malè cõijcientes, quòd coram oculis Domini impius extitisset, qui coram hominibus pij vel iusti opinionem obtinuerat, dicebant. Vbi est timor tuus, fortitudo tua, & perfectio viarũ tuarum? Recordare obsecro te, quis vnquã innocens perijt aut quãdo recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatẽ & seminant dolores, & metunt eos, flagellante Deo perijsse, & spiritu iræ eius esse consumptos, subauditur, vt tu nunc cõsumptus es. Sic insipientes longa cõcertatione cõtendebant, vt cogerent eũ sibi cedere ad cõstituendum sibi, q̃ de vita illius nullatenus benè æstimandum sit, quemcunq; aduersis opprimi, vel flagellis diuinitùs cingi cõtigerit, & quòd neminẽ contingat secundũ corpus consumi, nisi pro merito proprię iniquitatis. At ille plus aliquid sentiens, quàm q̃d hic dictũ est, zelatus est Dominus terrã suã, & pepercit populo suo, videlicet q̃ neq; vt existimare volunt, qui eiusmodi sunt, semp peccatores aut impij reputandi sint, quos Deus afflixerit, neq; omnes quos Deus percutit, aut percuti permittit, percuti zelo corripientis ad purgationem, verum nonnullos ad probationem, vt coronæ illis multiplicẽtur, dicit inter cætera. Saltẽ nunc intelligite, quod Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis cinxerit me. Nam quòd ait, Non æquo iudicio, idẽ est, ac si dicat, Nõ sicut vos putatis, p̃ malitia vel impietatis meæ recompensatione. Vbi nanq; pro impietate sua percutitur impius, æquum iudicium est. Vbi autem peccantem filiũ pater zelatur & parcit,

Iniquũ iudicium de flagellis pio rum.

Iob 4.

Triplex modus flagellandi.

parcit, iudicium ad æquitatem nõ peruenit, quia misericordia iudicium superexaltat: vbi verò vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, percussionibus probatur, vt coronetur, iam non iudicium æquum, aut iudicium misericordia superexaltatum, sed gratia & gloria est. Quapropter sciendum, vbi dixerat, quod Deus nõ æquo iudicio afflixerit me, æquum non poni pro iustitia, vt rectitudine, sed pro æqualitate. Deus namq; siue impium superbientem puniat, siue excedentem filium corripiat, siue sanctum & perfectum per patientiam probare intẽdat, semper iustus & rectus est. Sed iam ad cœpta prophetiæ verba reuertamur. Cum dixisset, zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo, vt ostenderet, in quo pepercerit, subiunxit atq; ait: Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis, & non dabo vos vltrà in opprobrium in gentibus. Sicut & in cæteris, ita & in isto quoq; auditu senes & habitatores terræ, qui in exordio sunt inuitati ad audiendum, discernuntur & diuersè audiunt. Deniq; habitatores terræ frumentum hic tantummodo illud intelligunt, quo venter impletur: & vinum illud quo carneum cor lætificatur: & oleum illud quo carnea facies exhilaratur. Senes autem considerantes maiestatem eius, qui hęc promagno repromittit, digniora vt illum decet sentiunt, videlicet frumentum illud, & oleũ illud, quo edentes & bibentes, & quo delibuti, omnes æternitatem gloriæ consequantur, præsertim, quia sic habes postmodũ in istorum promissione bonorum, Et non cõfundetur populus meus in æternũ. Et istud quidem frumentum corporale, vinumq; & oleum dona Dei sunt, & nonnũquam timentibus Deum pro quadam consolatione dantur, & data sunt, sed frustra dãtur, & frustra sumuntur nisi vtentes istis operemur, vel quæramus frumentum illud, quod est verbum Dei, scilicet Christus, qui de semetipso dicit, Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et vinum, & oleum illud, quod Samaritanus vulneribus eius, qui in latrones inciderat, infudit. Quia nimirum de talibus veraciter dicat Maiestas promittentis, Et replebimini in eis. Sola namq; hęc sunt, quibus repleri possit vsque ad sufficientiam vacuitas nostræ mortalitatis. Huiusmodi sensu præeunte, sequentia quoque dignè intelliguntur: Et non dabo vos vltra in opprobriũ in gentibus, & eum, qui ab aquilone est, procul faciam à vobis, & expellam eum in terram inuiam & desertam, faciem eius contra mare orientale, & extremum eius ad mare nouissimum. Et ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit. [Noli timere terra, exulta & lætarẽ, quoniã magnificauit Dominus vt faceret. Nolite timere, animalia regionis, quia germinauerũt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutem suam. Et filij Syon exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum in principio, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo, & reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus & rubigo, & eruca, fortitudo mea, quam misi in vos, & comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobis mirabilia. Et non confundetur populus meus in æternum, & scietis, quia in medio Israel ego sum, ego dominus Deus vester, & non est amplius, & non confundetur populus meus in æternum.] Nulli dubium esse debet, doctorem iustitiæ, quem hic prophetica gratulatio commemorat, dicendo: Et lętamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, Christũ Dei filium esse, pro quo nimirum, quia datus est in Domino Deo patre eius, qui illum dedit, exultandum & lætandum est. Nunc ergo literæ ordinem repetentes propheticum, qui in illo est, spiritum, quocunque nos ducit, quoad possumus, sequi desideremus. Propter eos qui dicunt in populis, vbi est Deus eorum, Propheta, vt corrigat sensum illorũ peruersum, zelatus est (inquit) dominus terram suam, & pepercit populo suo, id est, nõ sicut illi arbitrari volunt, nullus est, aut dereliquit eos Deus eorum, sed more patris familias zelo paterno filios suos castigans castigauit, & deinde pepercit, non eos tradendo morti, immò promissiones vitæ dando illis. Nam hoc est, quod sequitur, Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Non præmiserat, quod Dominum consuluisset populus suus, & tamen ait, Et respondit Dominus, & in ipsa responsione repromissionem habemus doctoris iustitiæ, qui est Christus & Spiritus sancti, sicut in sequentibus continetur luce clarius. Cum itaque talem literæ ordinem legimus, zelatus est dominus terram suam, & pepercit populo suo, & respondit Dominus, recte subintelligimus, quia zelante domino excitatus populus, & paterno verbere commonitus, clamauit ad dominũ, & tum demum pariter & pepercit, respondit Dominus, vt Christum suum liberatorẽ & æternæ salutis authorem vigilantibus opportunè promitteret auribus, quosdam etiã temporales interim dando saluatores, qui saluarẽt eos in typũ venturi eius, quem erat missurus. Exempli gratia. Quando in Aegypto seruiebant filij Israel dijs alienis, immemores Dei patrum suorũ, zelatus excitando Pharaonẽ, vt esset rex, qui ignorabat Ioseph & q̃ opprimeret eos operib. duris, sicut ipse testatur,

Carnales & spirituales auditores.

Frumentũ, & vinum, oleumq; duplex.

Iohan. 2.

Luc. 10.

Doctor iustitiæ Christus.

Saluatores quidam temporales.

Exod. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

testatur, cum dicit: Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meã, & narretur nomen meum in omni terra. Ita zelante domino excitati sunt: ingemiscentes enim propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Dominum, & audiuit gemitum eorum, & respondit eis, videlicet per Moysen, secundum hæc ipsa verba prophetæ huius dicentis, & respondit dominus, & dixit populo suo. Ecce ego mittã vobis frumentum, & vinum, & oleum, verbi gratia, dicendo. Audi Israel præcepta mea & in corde tuo, quasi in libro scribe, & dabo tibi terram fluentem lac & mel. Et manifestiùs promisit eis istum doctorem iustitiæ, dicente Moyse: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, &c. quemadmodum ad ipsum Moysen dominus ipse dixerat, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquenturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquitur in nomine meo, audire nolue rit, ego vltor existam. Item, quando zelatus est Dominus, & tradidit eos in manus regis Babylonis, eodem zelo excitati clamauerũt ad Dominum maximeq; Dahiel cum socijs suis, & respondit ei Dominus, multa & manifesta de hoc eodem doctore iustitiæ, maximeq; illud, quod taliter narrat ipse: Adhuc me loquente in oratione, ecce Gabriel citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel nunc egressus sum, vt docerem te, & subinde septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consumatur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia & vngatur sanctus sanctorum. Pauciscq; interiectis. Et post hebdomadas (inquit) sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui cum negaturus est. Non multis opus est exemplis, sed hoc indubitanter notandum, quia quoties siue ante siue post aduentum suum zelatus est Dominus terram siue Ecclesiam suam, zelando excitauit electos suos ad inuocationis suæ maiorem instantiam, & in ipsa ira misericordiæ recordatus, sic respondit eis, & taliter egit cũ eis, vt nõ vacaret dicere in populis, Vbi est Deus eorũ. Replebimini ergo (inquit) & non dabo vos vltra in opprobrium in gentibus. Cum hæc dicit, subintelligendum est, quinimò cessare faciam principem opprobrij vestri. Sequitur enim. Et eũ, qui ab aquilone est, repellam à vobis. Etenim quis ab aquilone est, nisi diabolus princeps opprobrij, qui dixit in corde suo. Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis? Et quidem regnorum supradictorum princeps Nabuchodonosor rex Babylonis, Aman de stirpe Agag, qui vniuersum Iudæorum genus, delere voluit, Antiochus Epiphanes, & Nero Romani macula imperij, suo quique tempore princeps fuere opprobrij, quem vtique tunc Deus cessare fecit, quãdo per passionem Iesu Christi filij sui, doctoris sui, cuius clara hic commemoratio fit, foràs misit, dicente illo: Nunc iudicium est mũdi, nunc princeps huius mundi eijcietur foràs. In typum eius, Et Nabuchodonosor de regno suo eiectus, fœnum vt bos comedit, & Amã in patibulo, quod Mardochæo parauerat suspensus, & Antiochus sine manu cõtritus est, qui ita ab aquilone fuerunt, vt aquilonis id est, diaboli typum in semetipsis exprimerent manifestum. Cum ergo dicit, Et eum, qui ab aquilone est, procul faciam à vobis, subintelligendum est, quemadmodum illos similitudinis eius baiulos suo quemq; in tẽpore procul feci. Istius aquilonaris, id est, perfida & frigida malitia congelati diaboli, maximè Babylonius Nabuchodonosor, typum gessit pro eo, quia loco quoq; aquilonarius extitit, id est, secundum situm terræ Iudææ venit à parte aquilonari. Porrò, quod cum dixisset, Et expellã eum in terram inuiam & desertam, continuò subiunxit, faciẽ eius contra mare orientale, & extremum eius ad mare nouissimum, secundum literalẽ sensum non valet intelligi de vllo ex sæpedictis quatuor regnis. Nusquam enim sacræ referunt literę, quòd Iudæę siue Israelis hostes ità Dominus repulerit, vt exercitũ illorum inter duo maria concluderet, quorum alterum orientale siue primũ (vt in alia trãslatione scriptum est) mare illud dicitur, qd iuxta solitudinẽ est, & vergit ad oriẽtem, in quo fuit quondam Sodoma & Gomorrha, Adama & Seboim, quod nunc mortuũ nominatur, eò qd nulla ibi viuant animantia. Nouissimum aũt illud, quod ad occidentem est, & qd ducit in Aegyptũ, in cuius littore Gaza & Ascolon, Azotus cq;, & Ioppe, & Cæsaria, & cæterę vrbes maritimæ sitæ sunt. Inter hæc maria (sicut iam dictum est) hostes Israel domino repellente conclusos fuisse, nulla scriptura refert. Quòd si aliquando factum fuisset, delectabiliter (vt in cæteris vel in plerisq; scripturarum locis fieri solet) super literæ vel historiæ fundamentum allegorici sensus ædificium collocandum esset. Nunc ergo spiritualiter dicta, & spiritualiter intelligenda vel exponenda sunt, scilicet nõ de corporali occisione vel cruore inimicorum, sed tantummodo de spirituali captiuitate nudati inimicorum capitis, id est, diaboli, quem Dominus Iesus expulit, & misit foràs in terram inuiã & desertam, vt in illis tãtummodo commaneret vel potestatem haberet, qui fidem illius, qui illum expulit, foràsq; misit, & euangelicæ prædicationis nõ reciperent gratiam, desertores & deserti, & idcirco deserti, quia desertores Dei. Facies

Rom. 9.
Danie. 6.
Deut. 18.
Danie. 9.
Princeps opprobrij nostri diabolus est.
Esaiæ 14.
Ioan. 12.
Danie. 4.
Hester. 7.
1. Mach. 6.
Mare orientale.
Mare nouissimum.
Diabolus à Christo expulsus.

cies (inquit) eius, subauditur, expulsi, vel foras missi, contra mare orientale, & extremum eius ad mare nouissimum. Primum siue orientale mare, & mare nouissimũ. Prima & secunda est regeneratio vel resurrectio mortuorum. Prima namque regeneratio gratia baptismi est, qua renascimur ex aqua & spiritu sancto. Secunda verò vel nouissima regeneratio mortuorum est corporalis resurrectio, domino attestante: In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ. Prima regeneratio, quę est baptismi gratia, de patefacto Christi latere profluens, siue originem ducens, idcirco mare dicitur, quia in similitudinem maris, per quod filij Israel merso Pharaone cũ curribus & equitibus transierunt omnes filios Dei de morte ad vitam regeneratos, suffocato diabolo & omnib. populis eius trãsmissis ad salutis portum, ipem beatam restituens consequendi vitam, regnumque aperiens immortalitatis, sine dubio percipiendum post huius vitæ tẽporalis exitum. Secunda regeneratio, quę est resurrectio mortuorum, idcirco mare dicitur, & mare nouissimum, quia sine dubio & angelis eius & omnibus qui à sinistris erunt, mare profundum erit, imò (sicut in Apocalypsi legimus) stagnum ignis ardẽtis & sulphuris, in quod iste aquilonaris, id est, diabolus (sicut ad beatum Iob dicit dominus) videntibus cunctis præcipitabitur. Igitur facies expulsi siue foràs missi huius contra me orientale siue primum & extremum eius ad mare nouissimum. Notanda proprietas dictionum, quia facies eius non ad mare, sed contra mare primum, & extremum eius, non contra, sed ad mare nouissimũ. Etenim facies eius, id est, nequissima intentio eius, non ad istud, sed contra istud mare tendit (quod salutaris baptismi gratiam dicimus) omnibus baptizatis in Christo Iesu insidians, vt eos iterum inquinet, & de illis quoque præsumet, sicut ad beatum Iob dicitur: Et habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius. Extremũ autem siue finis eius ad illud mare nouissimum, ad illud ignis ardentis stagnum sulphureum, subaudias per iudicium adducetur, & in illud (sicut iam dictum est) videntibus cũctis præcipitabitur. Et ascendet (inquit) fœtor eius quia superbè egit. Quo ascẽdet, vel quomodo ascẽdet fœtor eius & putredo eius? Nimirum ad visum siue notitiã sanctorum vel electorum omnium sicut in Esaia tam de ipso, quàm de cunctis sequacibus eius angelis & hominibus scriptum est. Et egredientur, subauditur, sancti & electi, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsq; ad satietatem visionis omni carni. Hoc idcirco, quia superbè egit. i. quia cõtra creatorem sese tumidus erexit. De vtrobique, id est, & de culpa superbiæ eius, & de pœna fœtoris vel putredinis eius. Item per Esaiam contra istum sub nomine regis Babylonis dicitur. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo excidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo, &c. Et rectè cadauer eius propter superbiam cõcidisse, & fœtor, imò ipse cadauer & putredo esse dicitur. Vitam namque, id est, Deum, perdidit, & mortuus per malitiam, licet viuat per essentiam. Sicut enim corpus ab anima relictum mortuũ est, sic rationalis creatura à Deo separata veraciter mortua est. Vndè quia cadauerum receptoria sepulchra dicuntur, ipse aũt diabolus Deo (vt iam dictum est) mortuus in impiorum mentibus cubat, rectè per prophetam dicitur, Ibi Assur & omnis multitudo eius, & in circuitu eius sepulchra illius. Quod idem est, ac si apertè dicatur: Ibi diabolus, cuius per superbiam typũ gessit Assur & omnes angeli eius, & ibi sociabuntur ei cuncti reprobi, qui illum secuti sunt, districte iudice his qui à sinistris eius erunt, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Magna sunt hæc, & idcirco ad credendum magna nimirum fide opus est. Idcirco sequitur, & dicit: Noli timere terra, exulta & lętare, quoniam magnificauit dominus vt faceret. Quod dicit, noli timere, idem est ac si dicat, noli diffidere. Timiditas namque pro infidelitate ponitur, vt in Apocalypsi, cum premisisset, Qui vicerit, possidebit hęc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Continuò subiunxit, Timidis autem & incredulis & execrabilibus & homicidis & fornicatoribus & veneficis & idololatris, & omnibus mẽdacibus, pars illorum erit in stagno ignis ardentis & sulphuris. Nam quia timidi sociantur incredulis, sine dubio timiditas mala intelligitur, & contraria fidei, quæ & hæsitatio vel dubietas rectè potest dici, iuxta illud Iacobi Apostoli, Postulet autem in fide, nihil hę sitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat quicquam à Deo. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Rursus exultatio, siue lætitia pro hilaritate fidei ponitur, iuxta quod ad Iudæos dominus dicit. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Nam exultauit, id est, exultanter credidit, hilarem fidem habuit. Igitur cum dicit, Noli timere terra, exulta & lętare, idem est, ac si dicat de

Duplex regeneratio.
Matt. 19.
Apoc. 19.
Iob 40.
Vbi supra.
Esaiæ vlt.
Diabolus mortuus, viuit in impijs.
Ezech. 32.
Matth. 25.
Apoc. 21.
Iacob. 1.
Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus, quæ tibi dicuntur, ô homo, no li hæsitare, vel diffidere, noli terra esse graui corde, sed alacriter crede, ac spei lætitiam habe. Quoniam magnificauit Dominus, vt faceret, id est, magnificus est, qui tanta propo
Psalm. 125 suit & perficere potest: iuxta quod & Psalmista testatur, cum dicit, exultans & lætabundus de futuro, ac si iam factum sit: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis. Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Sed fortè adhuc superesse videtur, quod timeant quicunq; modicę sunt fidei, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus interim, dum in isto corpore sumus, antequam ad illa venturi seculi bona perueniamus, quoniam eruca & locusta, bruchus & rubigo vniuersa consumunt, &
Animalia regionis. ignis comedit speciosa deserti. Sequitur ergo. Nolite timere animalia regiõis, quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus, & vinea dederunt virtutem suam. Ac si dicat, Pars ista, de qua vos ó animalia solicita estis, & propter hoc ipsum animalia potius quàm homines rectè dicimini, quia vos angustat solitudo eiusmodi. Pars, (inquam) ista recuperabilis est, quia cum exusta fuerint, rursus germinabũt speciosa deserti, iterumq; ficus & vinea, cæteraque ligna fructum & virtu-
Matt.6. tem suam dabunt. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia adijcientur vobis. Et in hoc solummodò gaudete, quòd regnum Dei primum quæritis, & inuenire speratis, non in omnib. his quæ adijciuntur vobis. Hoc est, quod continuò dicit: Et filii Sion exultate & lætamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum à principio. Ac si dicat: Animalibus dixi, vt non timeant, consolationem hanc illis ostẽdens, quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, tamdiu illos esse animalia iudicans, qui homines esse deberent, quàm diu pro ventre suo nimium sunt soliciti, vobis autem ô filij Sion, id est, homines rationales, & spe lucrandis cælestibus intenti. Hoc dico, vt exultetis, & lætemini, non in ficu vel vinea, siue in quibuslibet germinibus deserti, quantumcunque speciosis, sed in Domino Deo vestro, & hęc summa sit causa exultationis & lętitię, quia dedit vobis doctorẽ iustitiæ, videlicet Christum, quem fecit vobis nasci ex virgine, qui iustificet et iustificari vos doceat non ex operibus legis, sed ex fide, et huius doctrinæ gratiam descendere faciet ad vos in principio velut imbrem matutinum et serotinũ. In principio (inquam) i. primum Iudęo, deinde Græco. Filij namq; Sion rectè intelliguntur Iudæi, primitiuæ ecclesiæ filij, quicunq; receperunt verbum salutis, quia prius oportuit illis prædicari verbũ Dei. Propterea prædicationem siue doctrinam eandem matutinum imbrem nuncupauit. Et quia cum plenitudo gẽtium subintrauerit, tũc iterum prædicabitur illis, et reliquię saluæ fient ex eis, rectè imbrem illum et matutinum dixit et serotinum. Et implebuntur, ait, areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo, in area frumentum quæritur, in torcularibus verò vinum ab acino, et oleum ab amurca premendo separatur. Significat autem vtrunq;, scilicet area et torcular, pressuras siue tribulationes sanctorũ, quas exẽplo iam dicti doctoris iustitiæ Christi, propter prædicationem doctrinæ eius, sustinere habebant. Implebũtur igitur (ait) areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo, id est, quantò magis tribulati fuerint, quantò grauiores pressuras sustinuerint, tantò maiorem verbi abundantiã, et copiosiorem Spiritus sancti gratiam desuper accipient atq; effundent, à prædicatio
Reddã vo- ne non cessando. Et reddam vobis annos, bis annos. quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos. Hæc iuxta literam, quia à Domino repromissa sunt, ita creduntur accidisse, vt sterilitas præterita nouis frugibus compensaretur, et quicquid locusta, bruchus, rubigo et eruca consumpserant, annis sequentibus impleretur. Sed vt de regnis quatuor sæpè dictis, quæ sub nominibus istis figurantur, ista redditio intelligatur, difficile aut etiam impossibile est. Quomodo enim illis, qui in Babylonica captiuitate, vel sub cęterorum iugo regnorum vita excesserũt, redditio temporalis fieri potuit annorum, id est, messium vel fructuũ annualium, quos ignis vel manus hostilis eisdem viuentibus abstulit? Spiritualem ergo et æternam redditionem oportet intelligamus, quæ in aduentu Saluatoris, qui hic doctor iustitiæ dicitur, reddita est omnibus, qui expectantes regnum Dei, sub eisdem regnis iniustè fuerant oppressi. Omnes enim illos in passione sua Saluator liberauit, descendens ad inferos, et educens eos in illas æternas delitias paradisi. Ibi Daniel et socij eius, cæteriq́ue temporis illius electi, quibus Babylonia captiuitas annos suos abstulit. Ibi Hester et cæteri, quos Persici vel Medici regni superbia nequaquam à cultu dei separare potuit. Ibi Machabæi, quos auertere non potuit Antiochus opprobrium regni Macedonici. Ibi apostoli et martyres sancti, quos Romani imperij bestialis sæuitia vincere non potuit. Reddam igitur vobis annos (ait) quos comedit locusta, bruchus, rubigo et eruca. i. consolabor vos super omnibus malis quæcunq; intulerũt vobis regna illa, regno Dei contra-

contraria. Interea valde notãdum est, quòd
Regna mũdi fortia & exilia. regna illa tam fortia, tamq; potentissima, tã mirabiliter & magnificat & deprimit, vt & minimis vermiculis, locustę, brucho, erucę, & rubigini comparet, & tamen fortitudiné suam nuncupet dicẽdo: Fortitudo mea magna, quam misi in vos. Nec verò istud adeò mirum videbitur, si vt longè superiùs perstrinximus, ita distinguamus, vt ęternę Maiestati comparata hæc regna mundi, quantumuis fortia, nequaquam dubitem nimis esse exilia. Humanæ autem infirmitatis respectu, quoties vanitatem hominum flagellari oportet, sufficere manu dei locustas paruissimas, & flagella esse fortissima, non minùs, quàm regna ipsa, quæ hic significantur
Exodi. 8. 9. per illas. Nonne potentia Dei contra superbiam Aegyptiorum plagis ostensa est per muscas & locustas, & præcipuè per scynipes, qui tam parui sunt culices, vt vix cernantur oculis: Nonne multitudo talium tãta fuit fortitudo Dei, vt non posset resistere exercitus Pharaonis? Si ergo locustę ipsę tãtæ potuere esse fortitudinis, quid mirum, regna quę per istas significãtur dici fortitudiné Dei? Porrò aliter, vel alia dicitur & est
Aliter Christus est fortitudo Dei, quàm bruchus aut locusta. fortitudo Dei Christus, virtus & sapientia Dei. Quod malè intelligentes, imò prauè intelligere laborantes hæretici Arriani, cum in Nicæna synodo requirerẽtur ab episcopis catholicis (vt Ecclesiastica narrat historia) si dicerent Filium Dei non esse creaturam, sed Dei virtutem & Dei sapientiam se-
1. Cor. 1. cundum verba Apostoli, innuebant alterutris dicentes: Quia hæc etiam veniunt ad nos. Nã eruca & locusta dicitur virtus Dei magna. Sed nos eorum mentem corruptam detestantes, locustam quidem & cætera huiusmodi, quibus maximè Aegyptus attrita fuit, magnam Dei fortitudinem esse fatemur. Magnam (inquam) & valentem vsque ad euincendam superbiam Pharaonis duntaxat carnei. Christum autem Dei virtutem siue fortitudinem solam sufficiẽtem ad destruendam tyrannidem Pharaonis spiritualis. Pharaonis, id est, diaboli. Non enim locusta siue eruca, sed sola hæc virtus Dei, Christus, illum foràs mittere potuit. Illud quoq; notandum, quod cum dixisset: Fortitudo mea magna, addidit, quã misi in vos. Veraciter namq; & regna iam dicta, & cæteros hostes misit in eos, & venire permisit dominus in populum suum, propter multas præceptorum suorum transgressiones: sed nihilominus væ illis, quos propter eiusmodi causas cõtra electos suos ad tempus prævalere permisit, sicut exempli gratia, testatur ipse quodam loco, cum de vno talium
Esaiæ 10. dicitur: Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse in manu eius dignatio mea. Tali modo, vt iam dictũ est, redditis annis, quos locusta & bruchus, & rubigo, & eruca comederunt, comedetis (ait) vescentes, & satu-
rabimini, & laudabitis nomen domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia, & non confundetur populus meus in æternũ. Manifestè hic æternæ gloriæ promittitur saturitas, de qua & Dauid: Satiabor (inquit) cũ Psalm. 16.
apparuerit gloria tua. Edent pauperes, & sa- Psalm. 21.
turabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi. Vbi enim alìas est, vel esse potest saturitas electorum Dei, quib. dicit, Et comedetis vescentes & saturabimini, nisi in
Ephe. 2. delitijs paradisi? Ibi namq; ex quo parietem inimicitiarum Christus per passionem suã soluit, saturabuntur beati perfruentes visione Dei, & ibi laudant nomẽ Domini. Nam cibus ipsorum est ipsa laus Dei, qui ipsos mirabiliter reformabit, & non confundentur in æternum, quia liberati à confusione peccati, & æterna gloria glorificati sunt. Et scietis, inquit, quia in medio Israel ego sum, & ego Dominus Deus vester, & non est amplius, & non confundetur populus meus in æternum. Videlicet quod hic sciebatis ex
1. Cor 13. parte, & videbatis per speculum & in ænigmate, ambulantes per fidem, tunc scietis & videbitis facie ad faciem, ambulantes per speciem. Delectabile nimirum sanctis patribus, & cęteris gentis illius electis, fuit & est, scire hoc, quomodo Dominus Deus esset in medio eorũ. Quomodo. n. est in medio
Deus in medio eorum. eorũ, vel quid est, esse in medio eorũ? Profectò in medio eorũ esse, est in veritate naturę humanæ carnẽ de carne illorũ assumHoc pfisse, scire & videre, quia hic est Dñs De⁹ ipsorũ, & nò est amplius, neq; enim extra illum est Deus, cum pater & filius non duo sunt dij, sed filius in patre Deus vnus. Hoc, inquam, scire & videre, Deum filium, Deo patri æqualem secundum diuinitatẽ, sibi consimilem secundum veram humanitatem, ineffabilis felicitatis & gloriæ est. Idcirco, quod paulò antè dixerat, repetiuit, Et non confundetur populus meus in æternũ. Repetitio namq; confirmatio est, Non con-
Gloria patrũ ex carne Christi. fundetur, imò gloriosus erit, magnificus & honorificatus erit populus, cui promissus, & ex cuius carne natus est talis filius, glorioſumque erit eis illud Apostoli, nusquam
Heb. 2. enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, et gloria hæc æterna erit. Remota omni confusione, quæ per peccatum Adæ humano generi accesit. Gloriosa hæc dicta sunt hactenus filijs Sion, quos in Aduentu suo iste Doctor iustitię, Christus requisiuit, et per passionem suam eduxit de tenebris, secundum fidem patrum, qui illum expectauerãt, Sicut testatur Pau-
Heb. 11. lus Apostolus: Defuncti omnes non acceptis promissionibus, descendens quippe ad inferos, et resurgens ex mortuis, omnes introduxit in veram terram repromissionis. Constat autem, quia post expletam suę glorificationis dispensationem, maiorẽ atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. 22. abundantiorem gratię vel ſpiritus ſancti dedit effuſionem, ſcilicet non vni genti, vt prius, ſed vniuerſis gentibus ſecundum veritatem repromiſsionis, qua Abraham dictum eſt, Atque in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Sequitur ergo. [Et erit poſt hæc, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabũt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſeruos & ancillas meas in diebus illis effundam ſpiritum meum.] Quod enim dicit, Super omnem carnem, nullam ſinit fieri gentis vel perſonarum exceptionem. Priuſquam glorificatus eſſet Ieſus, ſuper filios tantùm Sion effuderat ſpiritum ſuum, & de illa ſolummodo gente prophetæ & ſapientes erant. Poſtquam autem glorificatus eſt reſurgendo, & in cælum aſcendendo, cum tanto fructu ſeculorum præteritorum, nullam fecit Iudæorum & Gentilium diſtinctionem, ſed omnibus communiter euãgelizari voluit peccatorum remiſſionẽ. Hoc eſt, quod nunc dicit, Et erit poſt hæc, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem. Veruntamen hoc loco memi niſſe libet, quòd Apoſtolus, cum dixiſſet: Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, confeſtim ita ſubordinauit, vt diceret: Iudæo primum & Græco, videlicet Iudæo credenti, vel bonum operanti glorię honoris, & pacis gradum concedens primũ, vtpote cuius eſt adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, cuius patres, ex quibus CHRISTVS ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia DEVS benedictus in ſecula, amẽ. Græco autem, id eſt, genti, gradum ferè ſecundum quamuis nulla diſtinctio ſit in largitate remiſsionis peccatorum. Hanc ſubordinationem & hic propheta videtur innuere, cum pręmiſſo, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, protinus ita ſubiungit, Et prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, ſed & ſuper ſeruos & ancillas meas in diebus illis effundam ſpiritum meum. Loquebatur nãque filijs Sion, quorum vtiq; filij Apoſtoli erãt, & filię, mater domini noſtri Ieſu Chriſti, & cæteræ mulieres eodem tempore cõmanentes & orantes cum eiſdem Apoſtolis. Sicut Lucas meminit, Hi omnes (inquit) erant perſeuerantes vnanimes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius. Iſti filij & filiæ filiorum Sion, accepto Spiritu ſancto prophetauerunt, id eſt, de cæleſtibus myſterijs varijs linguis loquuti ſunt. Et iſti ſenes, quales erat inter eos prior Petrus, vel deinde Paulus, ſomnia sõniauerunt, & iuuenes, qualis erat Ioannes, viſiones viderunt. Nec verò contentus ero hanc filijs veſtris dediſſe gratiam, ſed & ſuper ſeruos meos (inquit) quacunq; ex gente ſint, effundam ſpiritum meum. Laxior nimirum hæc appellatio eſt ſeruorum atque ancillarum Dei, quam filiorum Sion. Filij namq; Sion vnius, id eſt, Iudaicæ ſunt gentis: ſerui autem & ancillæ Dei, omnium gẽtium ſunt electi, qui etiam non tantum ſerui, ſed filij quoq; appellantur Dei, quẽadmodum Ioannes cum dixiſſet, quia Ieſus moriturus erat pro gente, ſubiunxit atq; ait: Et non tantum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Profectò cauſa iſta effuſionis Spiritus ſancti dignior & locupletior eſt, quòd ſint ſerui & ancillæ Dei, quàm illa, quòd ſint filij Sion, id eſt, Iudæi. Non enim Iudæo tantùm, ſed omnibus ſeruis & ancillis ſuis, bonus dominus gratiam debet. Primùm tamen (vt iam dictum eſt) Iudæo, deinde Græco. Notandum præterea, quòd cum dixiſſet, Sed & ſuper ſeruos & ancillas meas effundam ſpiritum meum, non addidit, Et prophetabunt. Neq; ait, Senes eorum ſomnia ſomniabunt, & iuuenes eorum viſiones videbunt, ſicut dixerat de filijs filiorum Sion. Sciendum quippe, quia licet multi de Eccleſia gẽtium prophetiæ ſpiritum habuerint, ſomnia memorabilia ſomniauerint, & viſiones memoria dignas viderint, ſoli tamen filij Sion, & filij filiorum, ſcilicet prophetę priores, & apoſtoli ſuccedentes, ſoli (inquam) hi ſunt, quorum prophetiæ & ſomnia ſeu viſiones canonicę authoritatis tenent apicem ſummum, tamq; probatę veritatis atq; certitudinis ſunt, quàm lex & euangelium. Rectè igitur hic dictum eſt, Sed & ſuper ſeruos & ancillas meas in diebus illis, effundam ſpiritum meum, & non additum eſt, Et prophetabunt, ſiue ſomniabunt, aut viſiones videbũt: quia videlicet cum ſanctis doctoribus, & omnibus, qui in Eccleſia Chriſti poſt prophetas & Apoſtolos ſanctum intelligentię ſpiritum accipere meruerunt, ſatis benè actum eſt, quòd ſomnia ſeu viſiones prophe ticas atq; apoſtolicas, ſcienter & fideliter interpretari ſiue explanare potuerint.

Iudæo primũ & Græco. Rom. 2. Rom. 9. Act. 1. Libri canonici ſolũ ex filijs Sion, nõ ex gentilibus. Act. 2.

Effuſionis huius rem ſimul & ſignum in die pẽtecoſtes, quãdo ſuper diſcipulos Chriſti Spiritus ſanctus deſcendit, contigiſſe dubium non eſt. Rem videlicet, quia tunc apoſtolis, quia erant filij filiorum Sion (ſicut iã dictum eſt) quiq; eatenus homines erant ſine literis & idiotę, prophetica, imò plus quã prophetica gratia data eſt, & extunc ſomnia ſomniare (de qualibus nonnulla in Actibus Apoſtolorum legimus) & viſiones videre cœperunt, quales maximè in Apocalypſi Ioannis admiramur. Signum autem in eo fuit, quòd omnium gentium loquebantur linguis. Per hoc nanq; ſignificabatur, quòd ſuper omnem carnem, ſiue ſuper ſeruos, & ſuper ancillas Domini in omni gente & natione oporteret eandem ſpiritus ſancti effuſionem

ſionem deriuari. Quod iam tunc ſciens Apoſtolus Petrus, dixit: Viri Iudæ, & qui habitatis Hieruſalem vniuerſi. Hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Nõ enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora dei tertia, ſed hoc eſt, quod dictum eſt per prophetam Iohel: Et erit in nouiſſimis diebus dicit Dominus, Effundã de ſpiritu meo ſuper oẽm carnem, &c. Sequitur. "[Et dabo prodigia in cælo, & in terra, ſanguinẽ & igne, & vaporẽ fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinẽ, antequã veniat dies Domini magnus & horribilis.] Quod hic de ſolis videtur dixiſſe prodigijs, ſcilicet dãda fore illa in cælo & in terra, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, qui eſt dies vniuerſalis iudicij, de cæteris quoq; omnibus, quæ hactenus hic idẽ propheta prædixit, ſentiendum pariterque ſubaudiẽdum eſt. Nam & eruca, & locuſta, & bruchus, & rubigo, ſcilicet quatuor regna erant vẽtura: & deinde effuſio Spiritus ſancti, & hæc iam venerunt, antequam veniat ille dies magnus & horribilis. Vndè ſicut iam ſuperiùs dictum eſt, & illi quibus Petrus Apoſt. præſens prophetæ huius apoſuit teſtimoniũ, & quicunq; extunc vſq; ad nos audierunt, & extunc audituri ſunt, nimirum magnum eſſe illum & horribilẽ diem Domini, certi eſſe debent, imò dubitare non ſinũntur, quin ita ſit, quia veniet, quia iam tanta pars eorum cõplera eſt, quæ vno eodemque ore iſte propheta loquutus eſt. Deniq; magnum ſuper hac re certamen eſt Deo & Verbo eius, Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis. Magnum (inquam) & acre certamen in exigẽdo, vt credatur ſibi, quia veniet talis, & tantus ille dies tremendi iudicij, poſt quẽ iam nullum pœnitentię tẽpus erit, iuxta quod & in Apocalypſi Ioãnes dicit: Et angelus, quem vidi ſtantem ſupra mare, & ſupra terram, leuauit manum ſuam in cælũ, & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorũ, quia tempus amplius non erit, ſed in diebus vocis ſeptimi angeli, cũ cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei. Super hac re concertans, vt ſcilicet credatur ſibi, quia reuera grande nimis negotium eſt, & nimium expedit hoc ſcire miſeris, vt tantã iram effugere poſsint. Nunc dicit: Et dabo prodigia in cælo, & in terra ſanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras & luna in ſanguinem, antequã veniat dies domini magnus & horribilis. Ac ſi dicat: Non credent homines, curã eſſe Deo de actibus ſuis, & quòd ſtatutus ſit ad iudicandum de illis dies ille magnus & horribilis. Non (inquam) credent, non audient, nõ animaduertent, niſi magna & multa viderint prodigia fieri. Effundam igitur ſpiritũ meum (ſicut iã dixi) & per virtutem eius dabo prodigia in cęlo & in terra, & quod prędicatio iudicij cõfirmetur vbiq; ſequentib. ſignis. Dabo ſanguinem, dabo igne, ſubauditur in teſtimonium illis, vt videlicet non ſolummodò miraculorũ prodigijs, ſed etiã magnitudine perſeuerantiæ commoti, cum tot milia teſtium vſq; ad ſanguinem perſeuerare viderint, & ignem charitatis Dei nullis perſecutionum aquis, nullis fluminibus, quamuis multa ſint, poſſe in illis extingui, vt credant eorum teſtimonio, aut inexcuſabiles ſint. Dabo & vaporem fumi, ſimiliter in teſtimonium illis. Fumum hic aut cæcitatem, quę in Iſrael contigit, aut certè, quoniam fumus lachrymas excitare ſolet, compunctionem pœnitentiũ licet intelligi. Etenim vtraq; hæc vim prodigiorum obtinẽt, & euidenter aſtipulantur, futurum eſſe iudicium. Hęc prodigia dantur in terra. Quæ verò ſequuntur? Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem. Prodigia ſunt, quæ dantur in cælo. His quoque verſiculis nos reminiſci facit eorum, quę dominus dixit. Et erunt (inquiens) ſigna in ſole & luna & ſtellis, &c. uſq; ad id, & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. Idem nanq; eſt, quod hic nunc dicitur. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Iam quemadmodum illic dicitur, Et tunc videbunt venientem Filium hominis, ita & hic eodem modo dici poterat, Et tunc veniet dies domini magnus & horribilis. Quicunq; prodigijs talibus excitati, pœnitentiã egerint ſiue conuerſi fuerint, ſalui erunt. Nam & ipſa prodigia (ſicut iam dictum eſt) idcirco fient, vt conuertantur, & ſalui ſint. Hoc eſt, quod ſequitur. [Et erit, omnis qui-" cunq; inuocauerit Nomẽ domini, ſaluus e-" rit.] Cùm dicit, Omnis, ſubaudiendum eſt" abſq; diſtinctione Iudæi et Græci. Etenim Apoſtolus cum hoc intenderet, ac diceret, Non eſt enim diſtinctio Iudæi et Græci, nã idem Dominus omniũ, diues in omnes, qui inuocauerint illum, teſtimonio præſenti vſus eſt: omnis enim (inquiens) quicunque inuocauerit nomen dñi ſaluus erit. Eandẽ diſtinctionem Iudæi et Græci iſte quoq; affert, pariterq; confirmat, quòd rectè vniuerſaliter dixerit, Omnis vno eodemq; verſiculo, quẽ protinus ſubiungit. [Quia in mõ-" te Sion, et in Hieruſalem erit ſaluatio, ſicut" dixit dominus, Et in reſiduis, quos domi-" nus vocauerit.] Nam in monte Sion et in" Hieruſalem, id eſt, in Iudæis, et in reſiduis, id eſt, in Græcis, ſaluatio erit, quoſcunq; inuenerit dominus. i. vocante gratia præuenerit, vt inuocent nomen domini. Interea ſciendum eſt, certum eſſe ordinem ſiue tenorem inuocationis nominis domini, vt ſcilicet ad hoc inuocetur primùm, vt largiatur ſpiritum cogitãdi et agendi, quæ recta ſunt: deinde, vt in illo die ſuo magno et horribili non intret Deus cum homine in iudicium,

Dabo ſanguinem in ignem. Dabo vaporem fumi. Luc. 21. De die domini magno dubitan da non eſt. Apoc. 10. Ibidem. Rom. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad quid inuocandus est Deus.

Psalm.142

Salus ex gratia vocãtis et miserẽtis Dei.

Rom.10.

Prædestinatio Dei.

Rom.8.

sed superexaltet misericordia iudiciũ. Subtiliter atque fideliter adhuc intuendum est, quomodo cum dixisset, Et erit, omnis, quicunq; inuocauerit Nomen Domini, saluus erit, quia in monte Sion & in Hierusalem erit saluatio, sicut dixit dominus: Et in residuis, ita clausit, vt diceret, Quos dominus vocauerit. Nempè hoc ipsum, quòd inuocatur Nomen domini, non inuocantibus, sed gratiæ vocantis (vt dignum est) attribuit. Quod Apost. confirmans, cum hoc exemplo vsus fuisset: omnis enim, quicunq; inuocauerit nomen domini, saluus erit, pulchrã nimis gradationem cõtinuò fecit, Quomodo inuocabũt, in quẽ nõ crediderunt? Aut, Quomodo credẽt ei, quẽ nõ audierũt? Quo modo autẽ audient, sine prædicante? quomodo vetò prędicabunt, nisi mittantur? Sic nimirum ascendendo, vsq; ad Deum recurrit comprobans totum esse ascribẽdum gratiæ vocantis, quod inuocatur nomen Domini, quia videlicet nisi ille misisset, nõ venissent, neq; prædicassent, si non prædicaretur, non audiretur: si non audirent, non crederent: si non crederent, non inuocarent. Vbi porrò dixit hoc Dominus, Quòd in monte Sion siue in Hierusalem, & in residuis, id est, in Iudæis & in Græcis à domino vocandis deberet esse saluatio? Nimirum in præscientia sua, in prędestinatione sua, ante tempora secularia. Etenim quos in tempore vocauit, eos ante omnia tempora pręsciuit & prędestinauit, vt idem Apostolus ait, conformes

CAP. III.

fieri imaginis filij sui. Nũc supereſt, causam

"reddere, vnde, vel in quo ille dies dñi ma-
"gnus sit & horribilis. Sequitur ergo. [Quia
"ecce in diebus illis & in tempore illo, cum
"conuertero captiuitatem Iuda & Hieruſa-
"lem, congregabo omnes gentes, & educam
"illas in vallem Ioſaphat: & diſceptabo cum
"eis ibi ſuper populo meo, & hęreditate mea
"Iſrael, quas diſperſerunt in nationibus, &
"terram meam diuiſerũt, & ſuper populum
"meum miſerunt ſortem, & poſuerunt puerum in proſtibulo, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent.] Magna verò & horribilia ſunt hæc, vt meritò pro ipſis dicatur ille dies domini magnus & horribilis. Dies ille pro ſui magnitudine, & dies multi multorum dierum ſiue annorum dicitur tempus, vtpote cui nulla lucis & tenebrarum viciſſitudo ſiue alternatio ſucceſſura eſt. Dicitq; quia ecce conteſtans in proximo adeſſe, quanuis cuilibet ſtulto longè eſſe videatur, qui dicit in tẽpora longa fiet iſtud. Mentitur ſibi, quia nimirum (ſicut & alius propheta dicit) iuxta dies domini magn⁹, iuxta eſt & velox nimis. Et reuera iuxta eſſe & velociter venire diem illum ſentit, qui ęternitatem attendit, cuius comparatione velut momentum & inane reputatur omne tempus prætereuntis ſeculi, cuius finis ille dies erit. Cum conuertero (inquit) captiuitatem

Dies domini propè est.

Ezech.12. Deut.32.

Iuda & Hieruſalem. Hoc loco Iuda & Hierusalem vna eſt, ſola eſt generatio electorũ ſiue confeſſorum Dei, vnica eſt ciuitas Hierusalem cæleſtis, cuius captiuitas tunc cœpit, quando inuidia diaboli decepti primi homines expulſi ſunt à paradiſi delicijs, in anima mortui, corpore morituri. Eorum captiuitas conuerſa tunc erit, quia reſurgẽt incorrupti, liberati tam à iugo peccati, quã à debito mortis, anima & corpore viui, & in neutro iã morituri. Tunc congregabo (ait) omnes gentes. Hoc ipſum eſt quod in euangelio dominus idem dicit, Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tũc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & cõgregabuntur ante eum omnes gentes. Sed quid ſibi vult quod ait, & educam eas in vallem Ioſaphat? Nimirũ tam propter nominis interpretationem loci huius nunc meminit, quàm propter rem quæ recenti memoria fuerat geſta, quando iſte prophetauit. Tempora nanque quibus prophetauit hic, eadem debemus accipere quæ in Oſee legimus, ipſo dicente, In diebꝰ Oziæ, Ioathan, et Achas, et Ezechiæ regum Iuda, et in dieb. Hieroboam, filij Ioas, regis Iſrael. Porrò ante annos plus minꝰ octogin ta, regnãte Ioſaphat, cõgregati ſunt filij Moab, et filij Ammon, et cũ eis de Moabitis ad Ioſaphat, vt pugnarẽt contra eum, et de his locis, quę trans mare ſunt, et mons Seyr, ſicut ipſe Ioſaphat in oratione ſua dicit: Nunc igitur ecce filij Ammon et Moab, et mons Seyr, per quos non cõceſiſti filijs Iſrael, vt tranſirent, quando egrediebãtur de Aegypto, ſed declinauerunt ab eis, et non interfecerunt illos, econtrario agunt, et nituntur eijcere nos de poſſeſsione, quam tradidiſti nobis domine Deus noſter. Ergo non iudicabis eos? Cum hæc et cætera peroraret, omniſq; Iuda ſtaret coram domino cum paruulis et vxorib. et liberis ſuis, factus eſt ſermo domini ſuper Ihazihel filium Zachariæ in medio turbæ, et ait: Attendite omnis Iuda, et qui habitatis in Hieruſalem, et tu rex Ioſaphat. Hæc dicit dominus vobis. Nolite timere: non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Cras aſcendetis contra eos, tantummodò confidenter ſtate, et videbitis auxilium domini ſuper vos. O Iuda et Hieruſalem noli te timere, ne paueatis, cras egrediemini contra eos, et dominus erit vobiſcum, factumque eſt, vt dominus loquutus eſt. Nam filij Ammon et Moab conſurrexerunt aduerſus habitatores montis Seyr, vt interficerẽt et delerẽt eos. Cumq; hoc opere perpetraſſent, etiam in ſemetipſos verſi, mutuis concidere vulneribus, nec ſuperfuit quiſquam, qui necem poſſet euadere. Idcirco vallis illa dicitur vallis Ioſaphat, ſiue ſecundum interpretationem nominis Ioſaphat, vallis iudicij domini: quia videlicet miro modo ſecundum nomen ſuum, quod interpretatur

Captiuitas noſtra, quã do cœperit.

Gen.3.

Matth.25.

Oſee 1.

2.Paral.2.

domini

domini iudicium, dixerat idem Ioſaphat, Ergo domine Deus non iudicabis eos? et ita iudicauit eos dominus, vt verſi in ſemetipſos mutuis conciderent vulneribus, nec ſupereſſet quiſquam (ſicut iam dictum eſt) qui necem potuiſſet euadere. Dicitur etiam vallis benedictionis pro eo, quòd liberati filij Iuda ibi benedixerunt dominum, ſicut ibidem ſcriptum eſt. Per tres (inquit) dies ſpolia non potuerunt auferre pro prædæ magnitudine. Die autẽ quarta congregati ſunt in valle benedictionis. Etenim quoniam ibi benedixerunt dominum, vocauerunt locũ illum vallis benedictionis vſq; in præſentẽ diẽ. Igitur cum dicit, Cõgregabo oẽs gentes, & educã illas in vallẽ Ioſaphat, rẽ geſtã magni miraculi nobis ad memoriã reducit, pulchreq; innuit, quòd ſecundum ſimilitudinẽ futurũ ſit in die iudicij, vt nullus eorũ ſentẽtiã dãnationis euadere poſſit, qui mala inferunt ſeruis Dei propter hoc ipſum, quòd ſunt ſerui Dei, ſicut nullus eorum necem euadere potuit, qui contra Iudam & Hieruſalem illic fuerant congregati, proprijſque fiunt ex conſcientijs iudicandi, ſicut illi armis ſuis & mutuis vulneribus conciderunt. Illud quoq; non prætereundum, quia ſicut vnus idemq; locus propter cauſas memoratas, & vallis Ioſaphat, id eſt, iudicij domini, & vallis dicitur benedictionis, ita & illa ſeſſio maieſtatis domini ad iudicandum congregatis gentibus, erit ſiniſtris quidem ad damnationẽ, dicendo: Ite maledicti: dextris autem ad benedictionem, dicendo: Venite benedicti patris mei. Cætera proſequamur.

Diſceptatio Dei cũ hominibus horribilis.

Et diſceptabo (inquit) cum eis ſuper populo meo & hereditate mea Iſrael. Mira & grauiſsimi ſenſus plena dictio, cum dicit fortiſsimꝰ Deus, diſceptabo. Qui habet aures audiendi ipſe audit & intelligit, quia horribile eſt hoc, propter quod & ille dies domini magnus dicitur & horribilis. Quid enim horribilius, quàm tali in tempore diſceptatio Dei cum hominibus? Signanter namque dicit ibi, ac ſi nunquam aliàs cum hominib. diſceptauerit, licet multa terribilia poſt illud aquæ iudicium, id eſt, diluuium, cum hominibus vel cõtra homines fecerit. Poſt illud namq; & ſuper Sodomam & Gomorram ignem & ſulphurem pluit, & Pharaonem cum curribus & equitibus ſuis in mari rubro demerſit, & filios Iſrael omnes à viginti annis & ſuprà, qui egreſi fuerãt ex Aegypto, præter pauciſsimos, in deſerto proſtrauit, tam terribiliter, vt quoſdam ex illis viuentes terra deglutiret, & ipſos quos introduxerat in terram repromiſsionis, filios Iſrael, quinquies in ſeruitutem propter tranſgreſsiones tradidit, primò videlicet in manus Cuſanraſathaim regis Meſopotamiæ. Deinde in manus Eglon, regis Moab, tertiò in manus Iabin, regis Chanaan, quartò in manus Madian, quintò in manus Philiſtijm. & poſt hęc tradidit eos in manus regnorum quatuor, ſcilicet Babylonij, Perſici ſiue Medici, Macedonici, atque Romani. Futurum autem eſt, vt Antichriſtum quoque in ſuo tempore permittat proſperari, tantamque fieri tribulationem, qualis non fuit ab initio ſæculi. Nimirum vniuerſa hęc parua ſunt, comparatione illius diei magni & terribilis, idcirco ſignanter nunc dicit de illo die: Diſceptabo ibi, ac ſi illa priora facere, nondum fuerit diſceptare. Super qua re tandem erit illa diſceptatio? Super populo meo (inquit) & hæreditate mea Iſrael. Verè profectò Iſrael eſt, de quo tãtam curam habet Deus, vt ſuper illo diſceptet, & propterea non contentus eſt dixiſſe, Super populo meo, ſed addidit, Et hæreditate mea Iſrael. Et quidem omnis electorum multitudo, quotquot ad vitã æternã præordinati ſunt, populus Dei & hæreditas eius, & vnus, ac verus Iſrael, ſed nunc interim peculiarem illum populum attendamus ex quo Chriſtus ſecũdum carnem, vt ea quæ hic commemorantur mala intuliſſe gentes, certis ex ſcripturarum locis oſtẽdamus. Primùm quòd cum dixiſſet, Et diſceptabo cum eis ſuper populo meo & hæreditate mea Iſrael, ſubiunxit atq; ait, Quos diſperſerunt in nationibus, & terram meam diuiſerunt. Aſſyrij & Chaldæi feciſſe leguntur, quia tranſlatis filijs Iſrael & filijs Iuda, gẽtes alienigenas in ciuitatibus eorum pro illis collocauerunt. Etenim de populo ipſo vix vllas reliquias dimiſerũt, excepto quod de plebe pauperũ, qui penitus nihil habebãt, dimiſit Nabuzardan magiſter militum regis Babylonis in terra Iuda, & dedit eis vineas & ciſternas. Quod deinde ſequitur, et ſuper populum meum miſerunt ſortem, ſcilicet Perſarum et Medorum regnum feciſſe legitur. Sic enim ſcriptum eſt. Menſe primo, cuius vocabulum eſt Niſan, anno 12. regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnã, quæ Hebraicè dicitur Phur, corã Aman, quo die et quo mẽſe gẽs Iudæorũ deberet interfici, et exiuit menſis 12. qui vocatur Adar. Quod deinde ſubiũgitur, et poſuerunt puerũ in proſtibulo, tertium reſpicit regnum ſcilicet Græcorum, ſub quo ita corrupti ſunt Iudæi quoque ex imitatione illorum, vt puerum ponerent in proſtibulum. Sic enim in libro Machabęorum legimus. Super hæc promittebat Iaſon frater Onię, et alia talenta centum quinquaginta, ſi poteſtati eius concederetur, gymnaſium et ephœbian ibi conſtituere. Et ſubinde, Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, et optimos quoſq; ephœborum in lupanaribus ponere. Hoc (vt manifeſtius dicamus) illud eſt quod Apoſt. horribiliter deteſtans in gentibus, maſculi (inquit) eorum relicto naturali vſu fœminę, exarſerunt in deſiderijs ſuis inuicem, maſculi in maſculos turpitudinẽ operãtes,

Gen.29. Exod.14. Nu.14.16. Iud.3.

Matth.24

Hæreditas mea Iſrael

Heſter 3.

2.Mach.4

Rom.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& mercedem (quam oportuit) erroris sui, in semetipsis recipientes. Quod adhuc sequitur, dicens: Et puellam vendiderunt pro vino vt biberent, hoc lenonum est facere, qui puellas meretricari cogentes, luxuriam de luxuria mercantur, dum de corporum illarum turpi & infami mercimonio, fœda, & (vt ita dicam) canina sibi conuiuia faciũt, & exinde bibentes vinum, alienæ luxuriæ pretium propriæ faciunt libidinis incendium. Hoc ibidem sub eodem Græcorum re-
2.Mach.6. gno non omninò tacetur factum. Sic enim scriptum est illic. Nam templum luxuria & comessationibus erat plenum, & scortantiũ cum meretricibus, sacratisq; ædibus mulieres se vltrò ingerebant, introferẽtes ea quæ non licebant. Quartum regnum Romanorum grauiùs quidem Iudaicum populum attriuit, magisq; in nationibus dispersit, sed meritò in disceptatione sua de pressura illa, quam tunc populus ille pertulit, nullã Deus mentionem facit, quia videlicet nullum electorum Dei, qui ad gratiam eius pertineret, vel ad vitam eius prædestinatus esset, illa calamitas inuoluit. Prius enim quàm Romanus veniret exercitus, præmoniti sunt
Tmelis. ab angelo fideles, vt hoc loco cederent, sicut Egesippus refert. His dictis contra gentes omnes vniuersaliter eiusdem iudicij cõ-
"minationem specialiter intorquet, & dicit.
"[Quid mihi & vobis Tyrus & Sydon, & o-
"mnis terminus Palæstinorum? Nunquid vl
"tionem vos reddetis mihi? Etsi vlciscimini
"vos contra me, citò velociter reddam vicis-
"situdinem vobis super caput vestrum. Ar-
"gẽtum enim meum & aurum tulistis, & de-
"siderabilia mea, & pulcherrima intulistis in
"delubra vestra, & filios Iuda, & filios Hie-
"rusalem vendidistis filijs Græcorum, vt lõ-
"gè faceretis eos de finibus suis. Ecce ego su-
"scitabo eos de loco, in quo vendidistis eos,
"& conuertam retributionem vestram in ca
"put vestrum, & vendam filios vestros, & fi-
"lias vestras in manibus filiorum Iuda, & ve
"nundabunt eos Sabæis gẽti longinquę, quia
Dominus loquutus est.] Nisi post Tyrum & Sydonem sermo diuinus omnem quoq; terminum Palæstinorum nominasset, non inueniremus vbi vel quando factum sit secundum literam id quod nunc ait, argentũ enim meum & aurum tulistis, & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra. Nusquam enim Tyrus & Sydõ,
1.Reg.4. sed tantum Palæstini, id est, Philistijm hoc
Hebr.9. fecisse leguntur in primo libro Regum. Pugnauerunt (inquit) Philistijm & cęlus est Israel, & arca Dei capta est. Et subinde: Philistijm autem tulerunt arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. Arca ipsa & tabulæ testamenti in ea simulq; vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & propitiatorio, duo quoq; Cherubin obumbrantia propitiatorium, argentũ & aurum erant, quæ quodãmodo & desiderabilia eius dici poterant. Hęc Palęstini tunc in delubra sua intulerunt, quando (vt iam dictum est) inferentes arcam in templum Dagon, statuerũt eam iuxta Dagon. Porrò hic iam non prætereũdum, quia Iudęi de hoc sermone, quo his dicitur. Ecce ego suscitabo eos, videlicet filios Iuda & Hierusalem, quos vendidistis filijs Græcorum, de loco in quo vendidistis *Iudæorum* eos, & conuertam retributionem vestrã in *vana spes* caput vestrum, & vendam filios vestros in *de futuro* manib. filiorum Iuda, & venundabunt eos *ipsorum im* Sabæis genti longinquæ, quia Dominus lo- *perio.* cutus est. Ex hoc (inquam) sermone vanam sibi, imò miserabilem consolationem assumunt. Illa namq; de Romanis sub nominib. Tyri & Sydonis atq; Palæstinorum hęc intelligi volunt, eo quòd Vespasianus & Titus Romæ templo pacis ædificato vasa templi & vniuersa donaria in delubro illius cõ secrauerit. Promitunt ergo sibi, imò somniant, quòd in vltimo tempore congregarẽ tur à Domino, vt reducantur in Hierusalẽ, neq; hac felicitate contenti, ipsum Deum manibus suis Romanorum filios & filias asserunt traditurum, vt vendãt eos Iudæi nõ Persis & Aethiopib. & cæteris nationibus, quæ vicinæ sunt, sed Sabæis genti longinquissimæ, quia Dominus loquutus est, vt populi sui vlciscatur iniuriam. Nos ecõtra non Romanos, sed ipsos qui se dicunt esse *Apoca.2.* Iudæos & non sunt, sed sunt synagoga satanæ, dicimus designari, ac percuti sub nominibus Tyri & Sydonis, & intra omnem terminum Palęstinorum concludi eandem ob *Ezech.16.* causam, quam & in alio propheta Deus considerans, cum eundem populum redargueret, pater tuus (inquit) Amorræus, & mater tua Cæthea. Etenim sicut Amorræi et Cæthei, ita Tyrij quoque et Sydonij atquẽ Palæstini, non de Sem aut de Iaphet, sed de Cham, qui reprobus extitit, posteritate generati sunt. Et quia Deus non stirpem carnis, sed mores attendit animi, Iudæi quoque quamuis secundum carnem de stirpe Sem per Abraham processerint, nihilominus tamen inter posteros Cham reputãtur, *Iudæi nunc* i. li duntaxat, qui veri patris Noe, quod in- *Tyrij dici* terpretatur requies, scili. et Christi, qui est *possunt.* requies omnib. sanctis, humanam propter eos assumptam despiciunt infirmitatẽ, sicut ille Cham derisit, et foris nunciauit patris nuditatẽ. Causam dicimus, cur præsenti loco Iudęi in synagoga Satanę remanẽtes (vt iam dictum est) sub nominibus Tyri et Sydonis rectè intelligantur. Tyrus et Sydon, sicut et cęterę regiones terrę Chanaan, populo Israel fortè distributę, siue designatę fuerunt: sed quia in corde maris sitę, non facilè ab hostibus obsiderentur, minimè capi vel possideri ab eis potuerunt. Sic ni- *Actor.13.*
mirum Iudęi prędicationis euangelicę armis

mis capi debuerunt, imò & illis prius verbum Dei prædicari oportuit, sed quia profunditate malitiæ semetipsos circundantes, & quasi in abyssо scientiæ nequam se absco dentes, repulerunt illud, & expugnari veritatis & iustitiæ armis non potuerunt, idcirco relictis illis Apostoli ad gentes conuersi sunt. Item causam dicimus, cur ijdem Iudęi in Palæstinorum terminum concludantur.
Possunt & Palæstini vocari. Palæstini, id est, Philistijm, ascendẽtibus ex Aegypto, & transeuntibus mare rubrum filijs Israel. Primi inuiderunt, & deinde cæteri, sicut Moyses in cantico suo cum dixis-
Deute.32. set; Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti. Et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum. Ascenderũt populi & irati sunt, dolores obtinuerũt habitatores Philistijm. Deinde de cæteris. Tunc (ait) conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Ita nimirum credentib. in Christum & ma re baptismi transeuntibus, primùm Iudæi
Act.14. (sicut in Actibus legimus) inuiderunt, dein de gentes cæteræ, quæ & exemplo crebrisq; seditionibus illorum in hoc ipsum excitatæ sunt. Et illi quidẽ Palæstini siue Philistijm, quod interpretatur potione cadentes, argẽtum & aurum domini in sua delubra, id est, in templum Dagon detulerunt, scilicet arcam vndiq; auro circũtectam, & cætera desiderabilia siue pulcherrima, vt erant propitiatorium & duo Cherubin. Isti autem auream siue argenteam dominicæ incarnationis veritatem in mendacio, quãtum in ipsis est, detinent, atq; hoc faciendo desiderabilia Domini reposuerunt in templo Dagon, quod interpretatur piscis tristitiæ, qui videlicet piscis est Leuiathan serpens, vectis tortuosus, & hic in templo suo cubat habitandoin incredulis illorum cordibus. Igitur quod hic dicit Tyro & Sydoni atq; Palæstinis, & filios Iuda, & filios Hierusalẽ vendidistis filijs Græcorum, vt longè faceretis eos de finibus suis. Istud quoq; contra se Iudæi dictum sciant. Filij namq; Iuda, & filij Hierusalẽ Apostoli, cęteriq; discipuli Christi extiterunt, quos illi vendiderunt filijs Græcorum, id est, repellendo verbum Dei, seq; indignos vitę ęternę iudicantes ad gentes expulerunt, quæ omnes sub vno intelligendę sunt nomine Græcorũ, testante Apo-
Rom.10. stolo, cum dicit. Non est enim distinctio Iudæi & Græci. Item, Ira & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum Iudæi primùm & Grę ci. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudęo primùm & Greco. Per
Expulsio apostolorũ ad gentes. Græcum vtiq; omnem gentilem vult intelligi. Illa verò expulsio Apostolorũ ad gen- *Matth.21.* tes, rectè venditio dicitur, quia videlicet, p eadem spe temporalis commodi illos expulerunt, pro qua etiam occiderãt dominum ipsorum. Quænam erat illa spes? Nimirum ipsa quam innuit euangelica parabola, dicẽtibus colonis vineæ ad inuicem, cum vidissent filium patrisfamilias, Hic est hæres, Venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Hæc fuit spes illorum, quòd si Christũ Dei filium occidissent, & discipulos eius expulissent, terræ & templi illius commoda liberiùs obtinerent. Itaq; vendidistis (ait) illos filijs Greçorum, vt longè faceretis eos de finibus suis, id est, terrena tantùm speran tes & amantes, cęlestium prędicatores longè in nationes expulistis, ne prędicarent suę genti, id est, vobis, quibus primùm oportebat prędicari verbum Dei. Hoc autem facientes, dicebant, & dicere non cessant, Deũ ad se pertinere, suumq; Deum esse, seq; persecutionem cunctam pro eius obsequio facere. Idcirco sic exortus est, Quid mihi & vobis? Nunquid vltionem vos reddetis mihi? Ac si dicat. Quid me Deum vestrum esse dicitis, cum constet, quia me non cognouistis? Quid me labijs honoratis, cum cor ve- *Matth.15.* strum longè à me sit? Dicitis, vnum patrem *Ioan.8.* habemus Deum, sed quid mihi & vobis? Ar *Galat.1.* bitramini vos obsequium prestare, & vltio *1.Tim.1.* nem reddere, quando veritatis euangelicę *Ioan.15.* prędicatores persequimini? Faciebat hoc vnus ex vobis quondam Saulus, simpliciter errãs, & abundatius æmulator existebat paternarum suarum traditionum, sed ideo misericordiam consecutus est, quia ignorans fecit in incredulitate. Vos autem per malitiam hoc facitis, excusationem non habentes de peccato vestro, quia vidistis & odistis filium, & me patrem eius. Nunquid ergo vltionem vos reddetis mihi, sicut vultis arbitrari? Non vtiq, sed crudele odium exercetis, & vosipsos contra me vlciscimini. Dico ergo, Et si vlciscimini vos contra me, citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum, vlciscendo me contra vos, quoniã vlciscimini vos contra me. Nõ enim per ignorantiam delinquitis, sed argẽtum meum & aurum, de qualibus scriptum *Argentum* est, Eloquia domini, eloquia casta, argen- *& aurũ dõ* tum igne examinatum: itemque alibi, De- *mini sacra* siderabilia super aurum et lapidem precio- *scriptura* sũ multũ, siue super aurũ et topazion. Hæc est. (inquam) desiderabilia mea et pulcherrima *Psalm. 11.* tulistis cum violentia, et intulistis in delu- *Psalm. 18.* bra vestra, id est, deprauastis doctrina peruersa in cordibus vestris, quę iam non sunt Dei templa, sed dęmonum delubra, et eos qui non aliter docebant, quàm sicut ex me docti sunt, quia ratione superare non potuistis, furore persecuti estis, et longè feciſtis eos de finibus suis. Sed quid? Sicut iam dixi, vicissitudinem ego reddam vobis. Nã ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vẽdidistis eos. Quomodo vel quãdo suscitabo eos? In nouissimo die, de quo antè iã dictũ est, suscitabo illos, vt resurgãt mortui, et veniẽt singuli

Universidad de Deusto
Biblioteca

guli apostolorum siue prædicatorum de locis ad quæ illos eiecistis, & iam dicta venditione vendidistis. Venient (inquam) non soli vel pauci, sed adducentes gentium multitudinem, copiosos exercitus, tenentes arma salutis, quos acquisierunt per verbum Dei, quod repulistis vos, & indignos æternæ vitæ vosipsos iudicastis: Tunc conuertam retributionem vestram in caput vestrum, & vendam filios vestros & filias vestras in manibus filiorum Iuda. Digna & iusta retributionis conuersio in caput vestrum. Vos enim sicut pro Barraba Christum commutastis, & sanguinem eius vendidistis, atque pro pseudoapostolis veros Apostolos tradidistis, & ad gentes eiecistis, ita fiet vobis in illa die resuscitationis. Vos namque iuxta illud, quod scriptum est, iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo, trademini in sententiam damnationis, & illis in sinum Abrahæ, Isaac, & Iacob receptis, vos foràs expellemini. Talis venditio, talis commutatio fiet de vobis in manibus filiorum Iuda, id est, in manibus apostolorum, quia ipsi iudices vestri erunt, sedentes super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Nec verò vendemini genti propinquæ, sed ab eis genti longinquissimæ, id est, malignis spiritibus, quę gẽs longinquissima est communione naiuræ vestræ, ab omni fœdere conditionis humanæ. Per Sabæos namque, quod interpretatur captiuantes, malignos spiritus intelligi licet, sicut illic, iuxta tensum mysticum accipiendum est in libro Iob. Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxtà, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusse runt gladio. Moraliter namque per Sabeos maligni spiritus intelliguntur, qui vbi illis potestas diuinitus data est, labores animæ cunctosque sensus vtiles auferunt, & percutiunt gladijs inuisibilibus. Itaq; vẽdent eos (ait) Sabæis, id est, cruciandos sociabunt eos spiritibus malignis, quia Dominus loquutus est, cuius loquutio vera, cuius sermo veritas est. [Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat, quia fortis ego sum. Erumpite & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Consurgant & ascendãt gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.] Grãdis & fortis hic rethoricæ, imò plus quàm rethoricæ, declamationis impetus: quia videlicet grandis est res, & dicenda nequaquã exiliter. Hoc (inquit) quod prædixi, congregaturum me esse omnes gentes, & deductu rum eas in valle Iosaphat, & cætera quæ sequuntur vsque ad illud, Venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est, clamate, id est, prædicate in gentibus, iuxta illud: Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Item, Euntes docete omnes gentes. Et sanctificate (inquit) bellum, videlicet baptizando eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, quatenus ad illud bellum, vniuersalis iudicij, sanctitatis & iustitiæ sint armis induti & præparati. Et quia ad concursum illius belli sola baptismatis sanctificatio nõ sufficit, suscitate robustos, ascendant omnes viri bellatores, id est, docete eos seruare omnia quę mandaui vobis, vt tunc demũ fiduciam habeant in die iudicij, tanquam robusti, & ascendant tanquam viri bellatores, tanquam iudices terribiles gladios ancipites in manibus suis habentes ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum. Et quia rex belli huius nimium grandis est, eumq; negligi nimis damnosum est. Concidite (inquit) aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas, id est, labores seculi, & vsum huius mundi, cuius figura præterijt, postponite euangelio Christi & verbo Dei, vt in illo studentes arma vobis optima circumponatis, quibus in illo bello opus erit. Infirmus dicat, quia fortis ego sum, id est, quisquis ad illud bellũ sese præparatum esse cupit, tunc demũ fortẽ sese speret in Domino inueniri, cum humiliter cognouerit, quàm in semetipso infirmus sit. Nam virtus in infirmitate, hoc est, infirmitatis propriæ cognitione perficitur. Taliter erumpite, inquit) & venite omnes gentes in circuitu, id est, ab oriente & ab occidente, & à septentrione & meridie. omnes, inquã, gentes, quia videlicet apud Deum nulla personarum acceptio, vel distinctio est, sed omnes pro meritis discernẽs, probos remunerabit, improbos puniet. Itaque venite & congregamini, alij ad dexteram, alij ad sinistram separandi.

Ephes. 6. Actor. 13.

Prou. 11.

Mat. 12. 16.

Sabæi mysticè maligni sunt spiritus. Iob 1.

Marc. vlt.

Matth. vlt.

Sanctificazando eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, quatenus ad illud bellum, vniuersalis iudicij, sanctitatis & iustitiæ sint armis induti & præparati.

Psal. 149.

1. Cor. 7.

Virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12.

Hæc proloquens spiritus propheticus, cum hactenus de multis vel ad multos pluraliter loquutus fuerit, miro modo ad quendam singulariter, repente apostropham facit, dicendo: Ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Quis est iste robustorum possessor, quos ibi Dominus faciet occumbere, nisi is qui apud beatum Iob dicit est esse rex super omnes filios superbię? Nempè ibi robustos eius omnes, id est, superbos, cum eodem rege ipsorum vel principe faciet Dominus occumbere, dicendo sicut in Euangelio legimus, Ite maledicti in ignem ęternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Nec plura cum illo robusto robustorum loqui dignatus, priorem repetit sermonem, et dicit idem Dominus. Consurgant et ascendant gentes in vallem Iosaphat,

Act. 10.

Iob 41.

Matth. 25.

phat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu. De valle Iosaphat iam superiùs dictum est. Notandum verò, quòd cũ ille dixerit, congregabo omnes gentes, & educam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi, nuncaliter hic pronunciat. Consurgant & ascendant omnes in vallem Iosaphat, quando incredulos quosque vel aduersarias potestates dominus ad iudiciũ prouocat, & disceptat cum eis pro populo suo. Deducam eos (inquit) in vallem Iosaphat, quando autem credentes ad prælium cohortatur, Ascendent (ait) omnes viri bellatores, Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat. Qui enim iudicatur, in valle positus est, qui autem viri bellatoris nomen obtinebit illic stando à dextris. amplius autem quicunque sedebit in ordine sedium duodecim, nimirum in alto erit. Quod tandem ita subinfert: Quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu, verbis euangelicis satis aperitur. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & cætera. Sequitur. [Mittite falces, quoniam maturuit messis. Venite & ascendite, quia plenum est torcular, & exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.] Quis dicat, quib. dicat, & quid significet quod dicit. Mittite falces, & quoniam maturuit messis, illa satis indicat Euangelica parabola seminantis, vel boni semi nis & zizaniorum agri. De quibus cum dixissent serui patrisfamilias, Vis imus & colligimus ea, finite, inquit ille, vtraque crescere ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meũ. Messis (inquit dominus) consummatio seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Igitur qui hæc dicit, mittite falces quoniã maturuit messis, filius hominis est, qui & antequam fieret filius hominis est, erat vt nunc est filius Dei, & hæc & cætera loquebatur in prophetis. Et quibus hæc dicit, messores eius angeli sunt, & ipsa maturitas messis finis est seculi, quando secundum præscriptam disceptationem iudicij facienda est separatio tritici & zizaniorum agri. Quod autem sequitur & dicit, Venite & descendite, quia plenum est torcular, & exuberant torcularia, rem eandem per aliam similitudinẽ nihilominus congruè significat: quia videlicet tunc vniuersaliter fiet, quod nunc interdum particulariter fit, vtà reprobis omninò separentur electi, sicut in torcularibus vinum in apothecis reponendum, separatur ab acinis foras proijciendis. Vndè quod ait, quia multiplicata est malitia eorum, sic intelligendũ est, ac si diceret. Quia sic abundante malitia, multorum charitas refriguit, vt amplius differri nõ debeat expressio iudicij, quia electi à reprobis, simplices sequestrentur à malitiosis. His dictis terribiliter inclamat & dicit. [Populi in valle concisionis, quia iuxta est dies domini in valle concisionis. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.] Idcirco populi vel gentes, de quibus suprà dictum est, in valle iudicij siue concisionis congregantur, vt à dextris atque à sinistris dispertiti à Domino iudicentur. Cuius mœrorem diei & tormẽta pereuntium ne sol quidem & luna, astraque cætera poterunt intueri, sed retrahent fulgorem suum, & seueritatem iudicantis, reddentisque vniuscuiusque opus in caput suum, aspicere non audebunt, non quò clementiora sint Dei iudicia, sed quò omnis creatura tormẽtis aliorum pertimescat. Eodem sensu quo hic ait, sol & luna obtenebrati sunt, & stellę retraxerunt lumen suum. Alius propheta dicit, Dies domini ista, tenebræ & non lux. Nunquid non tenebræ dies domini, & non lux? Et caligo, & non splendor in ea? Itemque alius, Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis.

Expositio per verba Christi. Matth. 13.

Matth. 14.

Amos 5. Sopho. 1.

Porrò, quod semel & iterum dicit, in valle concisionis, idem intelligi volens, quod suprà, vbi dixit, in valle Iosaphat, meminisse nos facit historiæ suprà memoratæ, quia in valle Iosaphat congregati filij Ammon & Moab, & montis Seir, vt pugnarent contra Iudam, versi contra semetipsos mutuis concidere vulneribus, vndè & propter hoc ipsum, quod proprijs gladijs concisi sunt, rectè vallis concisionis, sicut econtra pro eo, quòd illic filij Iuda benedixerunt dominum, dicta est vallis benedictionis. Sicut illi mutuis vulneribus semetipsos conciderunt, sic in illa die reprobi omnes proprijs ex conscientijs condemnandi sunt. Sequitur. [Et dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam. Et mouebuntur cæli & terra, & dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.] Quoniam de illo die domini magno & horribili hactenus sermo est, rectè rugitus iste & vox ista domini illa intelligitur, de qua ipse in euangelio dicit. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocẽ filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitę, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Nam vox illa, de qua præmiserat, dicens, Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent: ille rugitus, & illa vox est, qua infernum moriendo ac resurgendo terruit ac vicit, prædamq; ex eo tulit, secundũ prophe-

Vallis concisionis.

Ioan. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen.49. prophetiam Iacob, dicentis, Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, &c. Ab illo rugitu Amos propheta incipit, dicendo: Dominus de Sion rugiet, & Hierusalem dabit vocem suam. Quod idem est, ac si dicat: De Sion egredietur lex, & verbum domini de Hierusalem. Nam quod illic sequitur, & luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est vertex Carmeli, quod interpretatur scientia circuncisionis, intelligitur de superbia scribarum & pharisæorum, qui se profitebantur pastores populi, qui propter suas traditiones reliquerant traditiones Dei, videlicet quod illa quasi speciosa doctrina illorũ, corruscante Christi Euangelio, lugere deberet, & exiccari. Igitur dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam, videlicet quãdo de medio sanctorum, quorum cum millibus veniet, & de medio angelorum, qui cum eo venient, quorum nimirum vna societas rectè Sion dicitur & Hierusalem, sedens in sede maiestatis suæ, dicet *Esaiæ 1.*

Matt. 25. his qui à dextris erunt, Venite benedicti patris mei, possidete regnum. His autem qui à sinistris, Ite maledicti in ignem æternum. Tunc vtique mouebuntur cæli & terra, sicut ait ipse dominus: Nam virtutes cæli mouebuntur. Nec verò paruus erit terræmotus in occursum eius, sed tantus, vt mortui

Matt. 24. omnes impulsi tanquam dormientes excitentur. Et electi quidem ipsi quoque timebunt & trement, sed in ipso timore vel tremore fortem & firmam retinebunt spem. Hoc est quod protinus ait, & dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel. Omnis namque populus electorum Dei rectè dicitur & est, quos omnes tunc eadem maiestate sua miro modo & terrebit & confortabit, quia videlicet nũquam in semetipsis, sed in domino sperauerunt, nunquã de sua, sed de domini fortitudine præsumpserunt.

Rom.10. Quo contra falsi Israelitæ in semetipsis sperant, & de semetipsis fortes videri volunt, dum quærentes suam statuere iustitiam, iustitiæ Dei subiecti non sunt. Hęc omnia gẽtibus prædicata sunt secundum præceptum dicẽtis superiùs, Clamate hoc in gẽtibus, & quæcunque ab eo loco dicta sunt, propheta de persona Dei loquebatur. Nunc tandem ipse Deus in persona sua loquitur & dicit.

«[Et scietis quia ego Dominus Deus vester,
«habitans in Sion, in monte sancto meo, &
«erit Hierusalem sancta, & alieni non transi-
«bunt per eam amplius. Et erit, in die illa stil
«labunt montes dulcedinem, & colles fluent
«lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ.
«Et fons de domo domini egredietur, & ir-
«rigabit torrentem spinarum. Aegyptus in
«desolationem erit, & Idumæa in desertum
«perditionis, pro eo quòd iniquè egerunt in
«filios Iuda, & effuderunt sanguinem inno-
«centem in terra sua. Et Iudæa in æternum
«habitabitur, & Hierusalem in generationẽ & generationem, & mundabo sanguinem, eorum quem nõ mundaueram, & dominus, cõmemorabitur in Sion.] Miro modo verba suæ personæ verbis prophetæ dominus subiungit per coniunctionem, Et. Ac si dicat: Ista omnia, quæ iussi clamari in gentibus, fient, & tunc vos qui estis populus meus, qui dicimini & veri estis filij Israel, quia ego Dominus Deus vester, scietis, inquam, quia videbitis. videbitis autem, non adhuc per speculum in ænigmate, sed ad faciem. Ego ille Dominus Deus vester, tunc cognoscar à vobis habitans in Sion, in monte sancto meo, & quemadmodum alius propheta testatur, tunc loquar ad inimicos meos in terra mea, & in furore meo cõturbabo eos, ego (inquiens) constitutus sum rex ab eo super Sion mõtem sanctum eius. Et tunc erit *Ephe.5.* Hierusalem sancta, videlicet quam (vt Apostolus ait) exhibui mihi sponsam gloriosam non habentem maculam aut rugam, & de qua Ioannes in Apocalypsi, Vidi ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de *Apoc.21.* cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatã viro suo. Et alieni (inquit) non transibunt per eam amplius. Alieni, inquam, scilicet timidi, & increduli, & execrabiles, & homici *Alieni à ciuitate Hierusalem.* dæ, & fornicatores, & venefici, & idolola- træ, & omnes mendaces, qui ante hac per eã transibant, eamque fatigabant, amplius per eam transire non poterunt, quia foràs missi erunt, & sicut illic scriptum est, pars illorũ erit in stagno ardẽti igne & sulphure, quod *Apoc.22.* est mors secũda. Item, Illic scriptum est, Foris canes & malefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Igitur alieni non transibunt per eam amplius, & neque mors vltrà erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, quæ prima abierunt. Et erit, in die illa (inquit) stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ.

Montes illius ciuitatis prophetæ & Apo- *Montes & colles illius Hierusalẽ.* stoli, colles autem cæteri sancti sunt, quorum quia doctrinam subiectæ plebes hic susceperunt, idcirco illic gloriæ quoq; communicabunt, & insitam illis dulcedinem diuinæ charitatis videndo bibent, & conuiuẽdo haurient, quia nimirum pleniùs in illis gloriam Dei videbunt, per quorum doctrinam gloriam Dei cognouerunt. Hoc breui *Psalm.35.* versiculo Psalmista significat dicens: Inebriabuntur ab vbertate vultus tui, & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbunt lumen, & quidem de montibus dulcedo, & de collibus fluet lac, & per omnes riuos Iuda, id est, per omnium fidelium, siue confessorum corda ibunt aquæ salientes in vitam æternam, sed eiusdem dulcedinis, eiusdem lactis, earundemque aquarum fons & in montes & in colles, & in omnes riuos illos,

Prou. 9. illos de domo dñi (inqt) egredietur, quæ videlicet domus rectè intelligitur fabrica corporis Christi, etenim ipsa est domus quã sapiẽtia sibi ædificauit. Ait ergo, Et fons de domo dñi egredietur, & irrigabit torrẽtẽ spinarum, fons vitæ, & torrens voluptatis de illa domo dñi, egrediens, irrigabit torrentẽ spinarũ. i. vniuersitatẽ electorum, vt iam non sit q; erat, decurrendo ab ortu ad occasum, inter spinas tribulationũ atq; peccatorum,

Apoc. 22. sed torrens deliciarũ, abundãs vbertate bonorũ sempiternorũ. De hoc item in Apocalegitur. Et ostendit mihi flumẽ aquæ viuæ, lympidum sicut crystallũ, procedens à sede Dei & agni, in medio plateæ ciuitatis. Et ex vtraq; parte fluminis lignũ vitę afferens fructus duodecim, per menses singulos reddẽs fructũ suũ. Breuiter hic dicendũ, quia fons ille, siue flumen spiritus S. est, qui & in propheta dicit. Ecce ego declino in eos vt flumẽ

Flumen pacis Spiritus sanctus. pacis, & vt torrens inundans gloriæ gentiũ. Hoc (inquã) flumen pacis, hic torrẽs gloriæ, hoc flumen lætitiæ, hic torrens voluptatis,

Esa. 66. hæc vbertas domus Dei, spiritus S. est. Ipse nanq; amor est sponsi & sponsæ, quo nimirum inundatus & sanatus, qui erat torrens spinarũ, torrens erit delitiarũ. i. conditio nostra, quæ mortalis erat & misera, immortalis erit & beata. Ciuitati huic Aegyptus & Idumæa spiritualiter secundũ nouam interpretationẽ, & secundũ rem contrariæ sunt, & idcirco contraria recipient. Aegyptus nãque tenebræ, Idumæa terrenitas interpretatur, omnesq; illos significãs, quos excæcauit malitia ipsorũ, & qui ,ppter cupiditatẽ corda terrena gerunt. Ait ergo, Aegyptus in de

Filij Iuda spiritualiter. solationẽ erit, & Idumæa in desertũ perditionis. Quare? Prò eo (inqt) quod iniquè egerunt in filios Iuda, & effuderunt sanguinem innocentẽ in terra sua, filios Iuda, sicut Hierusalẽ & Syon, nõ carnaliter, sed spiritualiter intelligimus, scilicet oẽs, qui vnum & verum Deũ confitentur, secundũ nomen Iuda, quod interpretatur cõfessio, & propter eandẽ confessionẽ iniqua patiuntur ab Aegypto & à filijs Edom. Qui dicunt, exinanite, exinanite vsq; ad fundamentum in ea,

Psal. 136. subauditur Hierusalẽ. Vellent nanq; exinanire ciuitatẽ. i. Ecclesiam Dei, nullãq; ex ea penitus audiri vocẽ, Iuda. i. confessionis, ac proinde dño habitante in illa cũ abundantia dulcedinis, fluuioq; lactis, ac per oẽs riuos Iuda euntib. aquis, ipsi ecótra erunt in desolationẽ, & in desertum perditionis. Vnde ad huc sequitur. Et Iudæa in æternum habitabitur, & Hierusalẽ in generationẽ & generationem, & mundabo sanguinẽ eorum, quẽ

Carnalis sensus Iudæorũ de mille annorum regno. non mundauerã, & Dñs commorabitur in Syon. Cuncta hæc spiritualiter dicta, miro modo carnali Iudęę, siue Israeli in carne glorianti blandiuntur. Cũ em̃ contra ipsos maximè hæc dicantur, vtpotè q terreni sunt, & terrena diligunt, & sanguinem sanctorũ prophetarũ in terra sua effuderunt, & proinde excæcati meritò, redacti sunt in Aegyptum, ipsi pro semetipsis dicta esse gloriantur. Hęc enim ad opinionem illorum multùm accedere videntur, qua mille annorum regnum in Iudææ sibi finib. pollicentur, & auream Hierusalẽ, & victimarum sanguinem, & filios ac nepotes, & delitias incredibiles, & portas gemmarum varietate distinctas. In illa pulchra annorum longitudine habitaturos se putant secundum hanc prophetiam, de montib. stillas carneæ dulcedinis, & de collibus candidi fluuios lactis, & per omnes riuos Iuda salientes aquas purissimas, tanta vbertate, vt torrentes quoq; spinarum ita cõmutentur, quatenus circum circa non spinæ, sed ligna pulcherrima atq; fructifera nascantur, velut in paradyso delitiarum. Iuxta literam hæc omnia somniant, & errant, sed hic error propheticis profuit semper & prodest literis, vt à suis conseruentur inimicis. Denique tanta sunt, quæ contra illos dicuntur, vt odio nimis impatiẽti illos sine dubio concitarent, si manifestis expressa fuissent vocibus. Itaq; in Esaia loquitur dominus: Li- *Iudæi gaudent in superficie literæ.* ga testimonium, signa legem in discipulis meis, ita & hic necessariò factum credamus, *Esa.8.* vt ligaretur testimonium hoc mysticũ, discipulis Christi repositum, ab inimicis Christi conseruandũ, propter ligaturæ pulchritudinem, propter blandientẽ illis literæ superficiem. Ligaturæ eiusdẽ summa clausura hæc est. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundauerunt. Et dominus commorabitur in Syon. Quorum eorum mundabo sanguinem? Aegyptiorum videlicet & Idumæorum, quos semetipsos esse Iudæei non sentiunt, cùm sint maximi homicidarum, qui sanguinem innocentem effuderunt. Eo rum (inquit) sanguinem mundabo, quẽ non mundauerunt id est, homicidia cæteraq; peccata illorum vindicabo, de quibus pœnitentiam non egerunt. Nam si mundauissent ipsi per temporalem pœnitentiam, ego non mũdarem aut punirẽ per æterni iudicij sententiam. Succinit propheta personæ loquentis domini, cõuersus ad nos, ac dicens: Et dominus commorabitur in Syon, in illa videlicet, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis, cuius portas diligit dominus super omnia tabernacula Iacob, de qua tam mirabiliter, quàm veraciter loquitur spiritus san- *Psal.86.* ctus, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Ibi commorabitur, ibi moram faciet æternam, ibi semper videbitur Deus deorum, semperque desiderabilis erit ad videndum.

FINIS LIBRI IN IOHELEM PROPHETAM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLOGVS RVPERTI
IN AMOS PROPHETAM.

Magisterij spiritus S. in Amos.

TErtius in ordine duodecim prophetarũ, sanctus Amos, magnã doctoris & eruditoris sui spiritus sancti gratiam commendat, ad gloriam ipsius referendo, quis & vnde in ꝓphetam fuerit assumptus. Ait enim ipse in titulo prophetiæ suæ. Verba Amos, qui fuit in pastoralib. de Thecue. Et alibi. Non eram propheta, nec filius prophetæ, sed armentarius vellicans sycomoros, & tulit me dominus, cũ sequerer gregem, & dixit ad me. Vade propheta populo meo Israel. Magnum quippe est præconiũ gratiæ & gloriæ domini, in eo ꝙ pastorẽ implendo, prophetã facere & dignanter voluit, & efficaciter potuit. Porrò nos temeritatis argui veremur, qui verba non hominis, sed Dei verba, non ab humo prolata, sed cælesti magisterio deprõpta tractare nitimur, quorum sub maiestate magni & antiqui, multoq; maiores quã nos, intellectus ꝓprij vires succũbere fatentur. Quis enim (inquit) dignè exprimat tria & quatuor scelera Damasci, Gazæ, Tyri, Edõ, filiorũ Ammon & Moab, in septimo octauo que gradu Iudæ & Israel? Quid igitur? Remittemus laxas manus, & verborũ dignitatem atq; difficultatẽ, dormitionis ac somnij nobis vt pigri occasionẽ faciemus? Si hoc agimus, cõtra nos est illud dictũ sapientis, vt excusari nõ possimus. Vade ad formicas ô piger, & cõsidera vias eius, & disce sapientiam, quæ non habeat ducẽ vel præceptorẽ, nec principẽ, parat æstate cibũ sibi, & cõgregat in messe ꝙ cõedat. Vsquequo piger dormis? Quando cõsurges ex somno tuo? Paulum dormies, paululũ dormitabis: Paululũ conseres manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet tibi vt fons messis tua, & egestas lõgè fugiet à te. Quonã hæc dicta tendunt, nisi vt spẽ suggerant inopi animę, quatenus de adiutorio dei cõfidens properet, exẽplo formicæ, maiora humeris suis onera subire, cibumq; sibi parare? Ventura nanq; est fames pigris & somnolentis, in hoc tempore dormitantibus & occurret illis quasi vir armatus, quã & Psalmista prospiciẽs, cũ dixisset. Nouit dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternũ erit, subiunxit atq; ait. Non cõfundentur in tẽpore malo, & in dieb. famis saturabuntur. Tempus malũ & dies famis nimirum appellat diem iudicij, quando mali & pigri, qui hic neglexerunt omnẽ sermonem procedentẽ ex ore Dei, in quo viuit, & sine quo non viuit homo, esurient & sitient in æternũ. Exurgamus igitur etiã ad hanc partem sermonis Dei, & quisquis hæc opuscula nostra legerit, exoratũ se nouerit, vt cũ bene uolis arridẽs oculis dicat de nobis illud eiusdem sapientis, Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.

Amos 7.

Prou. 6.

Psal. 36.

Deut. 1.

Prou. 30.

Difficultas in hoc propheta.

FINIS PROLOGI.

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN AMOS PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

VErba Amos qui fuit in pastoralib. de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in dieb. Hieroboam filij Ioas regis Israel, ante duos annos terræmotus.] Amos quod interpretatur populus auulsus, ex ipsa sui nominis interpretatione durum præfert præsagium Israeli, ad quẽ mittitur, quod videlicet proxima captiuitate de terra sua foret auellendus, quin aureos colendo vitulos, à domo & stirpe Dauid, quẽ elegerat dominus, fuerat auulsus. Huius verba sunt hæc, de viuo nimirum fonte (quod est vnicum verbum Dei) prolata, & idcirco omni veritati rerũ sequentiũ necessario adimplenda. Qui videlicet Amos fuit in pastoralib. Thecue. Est aũt Thecue vocabulũ oppidi, distãtis à Bethleẽ sex miliarib. ad meridia nã plagam, & vltra nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ, quales Aphri appellãt Mapalia, furnis potius, quàm domibus similes. Tãta est heremi vastitas, quæ vsq; ad mare rubrũ, Persarũq; & Aetiopũ atq; Medorũ terminos dilatatur. Et qa humo arida atq; arenosa nihil omninò frugũ gignitur, cũcta sunt plena pastoralibus, vt sterilitatem terrę cõpensent pecorũ multitudine. Ex hoc numero pastorũ & Amos propheta fuit, imperitus sermone, sed non scientia. Idem em̃ qui per oẽs prophetas spiritus S. per istum quoque locutus est. Porrò Thecue tuba interpretatur. Vnde & hoc ipsũ nomẽ viculi multum congruit rei, scilicet huic prophetiæ, quæ nimirũ si benè auditur, si aures audiendi habemus, tanta & tam fortis est, vt meritò vocetur tuba Dei. Hæc verba vidit super Israel, subauditur veniẽtia velut grande põdus. Cæterũ nisi Israel præuaricatus fuisset, & idcirco nõ aduersa, sed prospera nũciaret, rectius diceretur ad Israel siue pro Israel. Vidit aũt visiõe illa qua possunt verba videri, scilicet visione mentis, quæ vera visio est, ob cuius excellentiã & prophetæ dicuntur videntes. Ozias cuius in diebus hæc vidit cognomento Azarias dictus est, rex Iuda, qui indebitum sibi sacerdotium vendicare conatus, lepra in fronte percussus est, quando iram dñi non solùm pœna eius, sed & terræ motus ostendit, quem Hebræi tunc accidisse cõmemorant. Ante duos annos illius terræ motus hæc verba se vidisse testatur. Cur autẽ terræmotus eiusdem nunc fecerit mentionem, si ratio quæritur, opportunius in proximo dicetur, quando pro necessitate mystici sensus inueniendi, scrutabimur verticem Carmeli, cur præmisso, dñs de Syõ rugiet, & de Hierusalẽ dabit vocem suam, & luxerunt speciosa pastorum, subiunxit atq; ait, & exiccatus est vertex Carmeli. Porrò Hieroboam iste non est filius Naboth, qui peccare fecit Israel, sed filius Ioas, filij Ioathan, filij Iehu, pronepos eiusdem Iehu, sub quo prophetauerunt, Osee, & Iohel, & Amos. Verba ipsa iã nunc aggrediamur. [Dominus de Syon rugiet, & Hierusalẽ dabit vocem suã, & luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est vertex Carmeli.] Ab eo quo summa sanctorum prophetarum intentio tendit, verborum suorũ initiũ facit. s. ab aduentu, qui tunc expectabatur, & Euangelio Christi filij Dei, & quid propter eius reiectionem siue repulsionem infelicibus euenturum foret Iudæis, mirabiliter atq; terribiliter propheta de pastore assumptus edicit. Nam dominus de Syon rugiet, hoc est, Christus Dei filius, Deus & dominus, homo factus, & mortẽ passus, infernum confringet, & mortem euincet, tanquã leo fortissimus, tanquã catulus leonis. i. fortissimus, filius fortissimi Dei, secundũ prophetiã Iacob, dicentis Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Tanto rugitu emisso de Syon, deinde de Hierusalem (quæ vna eademq; ciuitas est) dabit vocem suã. i emittet prædicationẽ euangelicam, ꝙ & fieri oportere secundũ scripturas ipse testatus est, Quoniã sic scriptũ est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remissionẽ peccatorum in oẽs gentes, incipientibus ab Hierusalẽ. Quid deinde miseris euenturum erat Iudæis? Nimirũ geminum malum, duplex contritio, alia tẽporalis, alia æterna, siue alia corporalis, alia spiritualis. De temporali siue corporali, & luxerunt speciosa pastorum, inqt. De æterna siue spirituali, & exiccatus est (inquit) vertex Carmeli. Quæ enim vel quorũ speciosa pastorum luxerunt, & quomodo luxerunt? Speciosa Vtiq; speciosa ciuitas illa Hierusalẽ, quæ & pastorum prophetas & ipsum dñm prophetarum occidit, & augustũ in ea templũ, quo nihil in orbe fuit augustius, &c. quæcunque speciosa siue delectabilia potuerant habere pastores illi falsi, scilicet Scribę & Pharisæi, qui se profitebantur esse pastores, cũ essent lupi rapaces. Luxerunt luctu inconsolabili, circundãtibus & vastantib. cuncta Romanis, quibus vincentib. quicunq; ex Iudæis gladio, fami, & igni superesse potuerunt, in oẽs gentes captiui ducti sunt. Hæc fuit & est cõtritio temporalis, contritio corporalis. Quis porrò erat Carmelus, & quis Carmeli vertex, & quomodo exiccatus est? Interpretatio nominis Carmeli rẽ cito aperit, interpretatur em̃ Carmelus, scientia circuncisionis. Ergo Carmelus secundũ suum nomen significat circuncisionem. i. Iudaismũ carnalem, multum in sua scientia gloriantem. Vertex eiusdem Carmeli, illa fuit genratio, quæ saluatorem crucifixit, generatio cuius (vt sapiẽtia dicit) excelsi erant oculi, & palpebræ in altum resurrectæ. Illa nanq; generatio circũcisionis, summum sibi visa est esse vel habere culmẽ scientiæ, ita vt & claues scientiæ dixerit eam dominus tulisse. Væ, inquit, vobis, quia tulistis clauem scientiæ. Ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Talis est vertex Carmeli, post rugitum domini de Syon, & vocem eius de Hierusalem exiccatus est, quia videlicet extunc ab illis recessit omnis ros supernæ gratiæ, & nubibus suis mandauit Dominus, ne pluerent super eos imbrem, quia repulerunt verbum Dei, & indignos se iudicauerunt æternæ vitæ. Super illum verticem, id est, super illam generationem omnium carnalium nationum omnia peccata venerunt, secundum sententiam ipsius domini, qui cum dixisset, Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, &c. subiũxit atq; ait: Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ, quẽ occidistis inter templũ & altare. Amẽ dico vobis, veniẽt hęc omnia super generationem istã. Sequitur ergo. [Hæc dicit dominus. Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor nõ cõuertã eum, eò ꝙ triturauerit in plaustris ferreis Galaad.]

Amos 7.

Verbũ domini ad Amos durũ Israeli præsagium.

Gen. 49.

Hieroboã hic, pronepos Iehu.

Vertex Carmeli, scribæ & pharisæi.

Prouer. 30.

Luc. 11.

Matth. 23.

Non conuertam eũ

Luc. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Galaad. Hæc est contritio æterna, contritio spiritualis, in eo quod dicit, non conuertam eum. Quem enim dicit cum, nisi verticem Carmeli. i. sicut iam diximus, superbiã scientiæ circuncisionis, cuius illa generatio vertex quidam extitit, nempe cũ dicit, non cõuertam eũ, non licet subaudire Damascum, cũ Damascus sit fœminini generis, sicut & cũ dicitur, super tribus scelerib. Gazæ, & super quatuor non conuertam eum, non licet referri ad Gazã, cũ Gaza nomẽ ciuitatis & fœminei sit generis. Et sicut cùm dicitur, super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor nõ conuertam eum, non conuenit singulariter eũ referri ad pluralitatem filiorũ Ammon. Igitur non cõuertã eum cũ dicit, subaudire necesse est Carmelum, siue verticem Carmeli i. populum Iudaicum circuncisum, maximeq; illã, quæ dominũ crucifixit, generationem eiusdẽ populi, cuius sententia denotatur reprehensibilis ex interpretatione (vt iam dictũ est) nominis Carmeli. Neq; enim leuiter ac sine magnæ indignationis põdere illa generatio hic dicitur vertex Carmeli, sed eodẽ spiritu, & eadẽ ira, qua & diabolus sub nomine principis Tyri, in propheta propter præsumptionem scientię dicitur Cherub, q̃ interpretatur plenitudo sciẽtiæ. Tu (inquit) signaculũ similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradysi Dei fuisti. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei. Item, eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum. Homo quoq; cui persuasit in pretiũ transgressionis scientiã plenarium, dicendo, & eritis sicut dij scientes bonũ & malũ, super eodẽ vitio denotatur in ligno præuaricationis, dum pro eo quod accidit, nomen ironicè scriptum est illi, vt diceretur lignũ sciẽtiæ boni & mali. Ita nimirum per verticem Carmeli, secundum iam dictã intepretationem, terribiliter hic denotari arbitramur superbiã illius generationis siue circũcisionis, nimium de scientia præsumentis, cuius tanta præsumptio, vt Christũ virtutem & sapiẽtiam Dei speraret se circumuenire posse dolis, & ita exinanire consilium Dei, vt illum qui venisset benedictus in nomine domini, faceret haberi maledictũ in manu legis domini, pro eo q̃ dixerat lex, quia maledictus est à Deo qui pendet in ligno. Proinde terribiliter dictum, & cũ metu ac reuerentia cogitandũ, quod propter scelera Damasci, ꝓpter scelera Gazæ, propter scelera Tyri, ꝓpter scelera Edom, propter scelera filiorum Ammon, propter scelera Moab, propter scelera Iuda, & propter scelera Israel, hic iudicet dominus, & damnet illum verticẽ Carmeli, vt non conuertat eum. i. omninò repellat & cæcitati tradat eum secundum alterius prophetiæ testimonium, qua idem dominus dicit. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Quis hoc animaduertere posset, nisi dominus ipse in Luce euangelij consonanter & manifestius dixisset, illud quod iam præmisimus, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti. Itẽq;, Amẽ dico vobis, venient hæc omnia super generationẽ istã. Deniq; si omnia, ergo & Damasci & Gazæ, & Philistijm & Tyri, & Edõ, & Moab, patrum suorum Iuda, atque Hierusalem scelera venire debuerũt super generationem illã secundum prophetiam hanc. Porrò quamuis dicantur venire super illius generationis verticẽ, non tamen remoueri dicuntur ab eisdem, quorũ priorum scelera fuerunt, vel à quibus incœpta sunt. Nam & illi onus suũ singuli portare debuerunt, illa aũt infelicissima generatio, & onera omnium illorum, & suũ debuit portare onus proprium. Verè generatio infelix, in malũ tempus separata, quemadmodũ hic idem propheta quodã loco, cũ exclamasset, væ qui opulenti estis in Syon: inter cætera subiunxit, Qui separati estis in diẽ malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Nempe sicut dominus noster Apostolos suos beatificans & dicens. Ego misi vos metere quod non laborastis, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis, mercedem illorũ non excludit qui laborauerunt & non messuerunt, videlicet sanctorum patriarcharũ, qui expectauerunt, & non acceptis promissionibus, oẽs defuncti sunt, sed istorũ præfert qui sine labore expectationis ipsum prę sentem beatis oculis videre meruerunt, ita nimirum cũ dicit. Venient hæc omnia super generationem istã, pœnam Damasci & cæterorum non aufert, sed generationis eiusdẽ, quæ mensuram illorũ impleuit, maiorem forre censet. Iam literę ordinem prosequamur. Super tribus scelerib. Damasci, & super quatuor nõ conuertã eum. Rectè in initio scelera ponit Damasci, quia videlicet à Damasco initium fuit sanguinis, de quo dominus ait, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti. Is nanq; locus esse dicitur, vbi Cain eum dẽ Abel occidit, & ex eo traxisse causam nominis sui. Damascus nanq; bibens sanguinẽ interpretatur. Cõputanda iam hic sunt scelera tria, & quatuor, & designanda qualitatib. proprijs. Primũ scelus est volũtas peruersa, quę & si opere cõpleri nequeat, tamẽ scelus vtiq; est. Vnde & ꝓpter odiũ, quoniã & occidendi voluntas est, iã quisq; dicitur & est homicida. Omnis enim qui odit fratrẽ suum, homicida est. Iã ergo mortuus est qui odit, sed mors eius intrinsecus latet, & rursus ad vitã conuerti potest, sicut illã puellã dñs suscitauit, quę nondũ erat elata, sed in domo iacebat. Secundum scelus est, voluntatem opere

Ezech. 28.
Gen. 3.
Terribilis Dei sententia contra occisores Christi.
Esa. 6.
Matth. 23.
Infelicissima generatio.
Infr. 6.
Ioan. 4.
Hebr. 11.
In Damasco primum rorum fusus est sanguis, scilicet Abel.
1. Ioan. 3.
Matth. 9.
Luca 7.

opere compleuisse, & hoc facto mortuus est peccator, & foras elatus. Sed adhuc suscitari potest, sicut illum iuuenem Dominus suscitauit, qui per portam ciuitatis mortuus efferebatur. Tertium scelus est, opus malũ in consuetudinem vertisse, & tunc peccator mortuus & sepultus est. Sed adhuc ad vitã suscitari potest, sicut Lazarum sepultum iã quadriduanum & fœtentem Dñs suscitauit. Quartum scelus est, in suo sibi peccato complacere, Deoq; ad pœnitentiam reuocanti, & legi eius redarguenti, superbiæ spiritu resistere. Hoc scelus diabolicum est quod & in Psal. breui versiculo designantur. Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est? Hoc scelus perpetrare & sic loqui, est dicere verbum contra spiritum sanctũ, & non remittetur neque in hoc seculo neq; in futuro. Nõ placet sãcto spiritui, vt cõuertat illum qui sese in hoc scelus erexit. Nunc iam literæ huius distinctionem siue tenorem diligenter attendamus. Super tribus (inquit) sceleribus Damasci, & super quatuor. Non dicit super tribus scelerib. & super quatuor Damasci, sed nomen Damasci tribus & quatuor interponit, & tria, & quatuor scelera subiunxit. Hic tenor in omnibus vigilanter considerandus est. Ita enim super tribus sceleribus Gazæ dicit, demũq; & super quatuor, adiungit. Super tribus sceleribus Edõ (inquit) ac deinde, & super quatuor, ait. Sic omninò & in cæteris. Nusquam tria & quatuor scelera cõiungit. Quod si faceret, & tria & quatuor viderentur esse scelera Damasci, & Gazæ, & Tyri, & Edom, & filiorũ Ammon, & Moab, & Iudæ, & Israelis. Nunc aũt hoc perpendere operepretium est, q̃ singulorum illorum, Damasci videlicet & cæterum, tria tantum scelera sint, quatuor verò verticis Carmeli. i. sæpedictæ generationis, cuius tempore Dñs venit. Denique nec illa quartum scelus habuisset, nisi dominus ad eam venisset, sicut & ipse testatus est? Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatũ non haberent. Nunc autẽ excusationem non habent de peccato suo. Itẽ, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ nõ haberent. Nunc aũt, & viderunt, & oderũt, & me, & patrem meum. Igitur quoniã dominus ad Damascum, ad Gazam, ad Tyrũ, ad Edõ, ad filios Ammõ, & ad Moab non venit: sed neq; ad Iudã, neque ad Israel prioribus temporibus venerat, sicut venit in tẽpore illius generationis, tria tantũ sunt scelera Damasci & cæterorum, quatuor autem verticis Carmeli. i. illius malæ & adulteræ generationis Iudæorũ siue scribarũ & pharisęorum, quia filium Dei, & opera eius viderũt, ipsũq; & patrẽ ipsius oderunt. Deniq; & Damascus, & Gaza, & Tyrus, & Edõ, & filij Ammõ, & Moab, tria hæc scelera, malã voluntatẽ, & malum opus, & mali operis consuetudinem habuerunt, sed de quatuor. i. de superba defensione scelerũ aliquã habere defensionem sibi videri possunt, quia neque Christum viderunt, neq; patrẽ eius bonum cognouerunt, sed neq; legem eius, vel redarguentẽ audierunt. Iuda quidẽ & Israel ante generationẽ istam legem habuerunt, & trãsgressi sunt, atq; in transgressionis suæ defensionem prophetas occiderunt. Veruntamẽ nõ ita, sed in cõparatiõe illius sæpedictæ generationis, multò magis excusabiles sunt. Et enim, & de Iuda, & de Israel, qualiacunque exempla sunt, quod pœnitentiam egissent, si factæ fuissent virtutes in illis, quæ in illa generatione factæ sunt. Deniq; & Achab, rex Israel, cũ audisset sermones dñi per Heliam Thesbitẽ, pro sanguine Nabob, quẽ occiderat, pœnitentiã egit, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et idcirco nõ inducã (ait dñs) malum domui eius in diebus eius. Et Manasses rex Iuda, cũ impiè egisset, multumq; sanguinem innoxium fudisset, postquã coangustatus est, orauit dominum, & egit pœnitentiã valdè corã Deo patrum suorũ. Illa aũt generatio (de qua nũc sermo est) neq; sicut Achab rex Israel de futuris malis prædicenti Dño credidit, neq; sicut Manasses rex Iuda, postq̃ mala ipsa venerunt, ꝓpter tantas angustias pœnitentiam egit, quãuis perirent fame, gladio, & igni, q̃uis qui erant residui, ducerẽtur in oẽs gentes captiui. Cęteris, qui in hoc loco præscribuntur, Damasco, Gazæ, Tyro, Idumææ, filijs Ammõ, quòd si annunciatũ illis fuisset, testis est ipse dominus, qa pœnitentiã egissent. Cùm enim exprobraret ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimę virtutes, nec egissent pœnitentiã, Væ tibi (inquiens) Corozai, væ tibi Bethsaida, subiunxit, atq; ait: Quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitẽtiã egissent. Quod de Tyro testatus est, hoc idem de cæteris ciuitatibus siue gentib. inter quas Tyrus tertio loco hic nominatur licet intelligi. Quòd si quæras, Cur ergo nõ fuit annunciatum, quare virtutes non sunt factæ in illis, quoniam crederent & pœnitẽtiam agerent. Breuiter hic pro tempore respondendum est, quia Deus de tali illorum pœnitentia non curauit, aut curare debuit, quæ nõ ageretur pro æterna salute futuri seculi, sed pro vitanda aduersitate, pro retinẽda prosperitate vitæ præsentis. In hoc duntaxat cunctis illis generatio sæpedicta magis inexcusabilis extitit, & sceleratior cũctis illis, quia neq; temporalis miseriæ cõminationibus, quã illaturi erant Romani neque æterni iudicij vel gehennæ ignis auditui domino prænunciante credidit, semper incredula, semper dura ceruice rebellis. Igitur tria tantum Damasci & cæterorum, verticis autem Carmeli quatuor scelera sunt, quia quartum est cor impœnitens, siue rebellio

Ioan. 11.
Psal. 11.
Ioan. 12.
3. Reg. 21.
Tria scelera aliorum verticis carmeli quatuor.
Ioan. 15.
Matth. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bellio atq; defensio scelerum. Porrò tria & quatuor, septē sunt, quia numerus impar in solubilis, neque enim in partes æquas potest resolui, sicut plerunque vniuersalitatem significat, ita in Cain, qui typus fuit illius generationis, insolubilē siue interminabilem vindictā designat, dicendo de Lamech. Septies vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. Et quidē vindicta videtur extendi, cū dicit de Lamech, septuagies septies, quia numerus prolixior est, sed ecōtra solubilē significat vltionem de Lamech, qui numerus solubilis est, septies verò insolubilem vltionem de Cain, quia numerus insolubilis est. Deniq; septē nullus alius metitur numerus præter vnitatem, septuaginta septem alij quoq; metiuntur numeri, videlicet septem & vndecim. Nam septies vndecim, siue vndecies septem, septuaginta septē sunt. Itaq; cùm dicitur, septies vltio dabitur de Cain insolubilis, & idcirco maior vltio denunciatur, dicendo autē, de Lamech verò septuagies septies, solubilis, & idcirco minor vindictæ modus appenditur. Proinde cū dicit dñs, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur, subaudiendum ast, nisi pœnitentiam egerit. Et in lege quoties dicitur, qui hoc vel illud fecerit, morte moriatur, & in Euangelio, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, necessario subaudiendum est, nisi pœnitentiam egerint. Iste cor non pœnitens se habuisse ostendit, qui nemine vocante in ius, reum se esse confessus est, quoniam (inquiens) occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuore meo. Ille autem & requisitus domino, negauit, proteruè dicens, nescio, nunquid custos fratris mei sum, & cōuictus desperauit. Maior est (inquiens) iniquitas mea, quā vt veniā merear. Igitur & generationis illius vltionē interminabilē significat hic numerus septenarius, cùm dicitur, super tribus sceleribus gentium istarum, & super quatuor non conuertam. quod idem est, ac si diceretur. Propter omnē sanguinem iustum qui effusus est super terrā, proijciā generationem illā, quoniam tribus sceleribus alienis addendo sua quatuor, sicut patrum suorum, ita & omniū gentium mensurā impleuerunt. Scelera Damasci in hoc vno facto comprehendit, eò q̄ triturauerit in plaustris ferreis Galaad. Hoc Damascum fecisse constat, regnante Azahel secundum prophetiā Heliæi. Scriptum est enim. Stetitq; cū eo, & conturbatus est vsq; ad suffusionē vultus, fleuitq; vir Dei, Cui Azahel ait. Quare dñs meus flet? At ille respondit. Quia scio quæ facturus sis filijs Israel mala. Ciuitates eorum munitas igni succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos elides, & prægnantes diuides. Dixitq; Azahel. Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istā tam magnam? Et ait Heliseus. Ostendit mihi dominus, te regem Syriæ fore. Factū est vt ꝓpheta prædixerat, & in facto eius tria scelera, de quib. supra dictū est, hoc modo distinguūtur. Primū scelus vltroneū eius odium fuit, quo aduersus populū Dei cor suū indurauit, nihil ab eo lęsus, imò & deo &, pphetis eius ingratus. Helię. s. & Heliſæo, per quos fuerit rex prędignatus. Nā ad Heliā dñs. Vade (inquit) reuertere in viā tuā per desertū in Damascum, cūq; perueneris illuc, vnges Azahel regē super Syriā. Ad Heliseū aūt idem reuelatū fuerat, cū diceret ad eū (vt iā prēmissum est) ostēdit mihi dominus, te regē Syriæ fore. Secundū scelus fuit, ꝙ odiū illud opere expleuit, dū cōtra regē Israel Achab ad prēliandum in Ramoth Galaad ascēdit, mala vtiq; reddēs pro bonis, sicut & prēcessor eius Benadab. Quid emī boni fecerat cū illo rex Israel? Victi Syri cū dixerūt. Ecce audiuimus quod reges domus Israel clemētes sint. Ponamus itaq; saccos in lūbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & ingrediamur ad regē Israel, forsitan saluabit animas nostras. Egressus est ad eū Benadab, & leuauit eū in currū suū. Qui dixit ei. Ciuitates quas tulit pater meus à patre tuo, reddā, & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedā à te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eū. Hoc fœdus vterq; irrupit, qa propter Ramoth Galaad, q̄ ciuitas erat Israel, vterq; Benadab. s. & Azahel, suo quisq; tēpore ad prælīādū cōtra Israel ascēdit. Tertiū scelus eiusdē Azahel regis Syriæ siue Damasci illud fuit, quòd nō vna victoria contentus in Ramoth Galaad, quotiescunque & quātumcunq; potuit, percusit Israel, & cōcidit in vniuersis finib. eius, sicut postmodū eadē sacra historia testatur. Et percusit eos (inqt) Azahel in vniuersis finib. Israel, à Iordane cōtra oriētalē plagā, oēm plagā Galaad & Gad, & Rubē, & Manasse, ab Azoer quæ est super torrentem Arnon, & Galaad, & Basan. Porrò, Galaad interpretatur aceruus testimonij, significatq; hoc nomē martyres. i. testes Christi, quorum in persecutione ille sæpedictus vertex Carmeli superauit crudelitatem huius Damasci siue regis Damascēni, & tria eius scelera quatuor suis scelerib. abundantius impleuit. Proinde sicut omnis sanguis iustus, ita ille, quem tunc Damascus fudit, super illum verticē venire debuit. Sed iam hic quæri potest, quomodo inter sanguinem iustum sanguis ille posit reputari, quē tunc Damascus effudit. Certum est enim, quia tunc temporis miserabilis Israel, nimirum idololatrię cultibus sordebat, quam ob causam tradebatur in manus hostium, iustam Domini sustinens iram. Ad hoc breuiter respondendum, quia tunc quoque in Israel non nihil iusti sanguinis erat, testante Domino, cùm dicit ad Heliam. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata Baal.

Septenario numero millium vniuersitas significabatur illorum, qui etiam in illo tempore malo, regnantibus Achab & Iezabel, impietati non consenserunt, latentes apud semetipsos, & colentes Deum verum patrū suorum. Ex illis nonnullos ille Damasci beluinus furor triturauit. Cęterum & in omnibus, quos peruagando dissecuit, non merita vitæ, sed veri Dei mentionem tam illi, quā & cæteri persecuti sunt inimici, hoc maximè inuidentes, quod dicerentur habere Deum verum, secundum inuidiam Cain, qui fratrem suum odio habuit, ob illam solummodò causam, quòd visus est illi dignior esse cultor Dei. Ergo nec illorum sanguinem ab omni sanguine iusto, qui effusus est super terram, ratio excipit, sentitque iudicio Domini venisse super illum Carmeli verticem vt exiccaretur, & non contereret eū Dominus, id est, super illius temporis populum Iudaicum, sub quo, & à quo domini & prophetarum sapientiumq; & scribarum, quos ipse misit, sanguis est effusus occidendo, crucifigendo, flagellando, & de ciuitate in ciuitatē ‘‘persequendo. Sequitur. [Et mittam ignem ‘‘in domum Azahel & deuorabit domos Be- ‘‘nadab, & conteram verticem Damasci, & ‘‘disperdam habitatorem de domo idoli, & ‘‘tenentem sceptrum de domo voluptatis, & ‘‘transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit ‘‘Dominus.] Sicut iam supra dictum est, cum dicit Dominus omnia venire super generationem illam à sanguine Abel iusti, quam intelligimus per exiccatum verticem Carmeli, nequaquam tamen à pœna liberi, vel immunes sunt quicunque sanguinem iustum fuderunt, sed in proprijs personis pœnam quoque receperunt, cuius videlicet pœnæ, sicut & culpæ, nōnullam hæreditatem generationi illi transmiserunt. Itaque quod nūcait, Et mittam ignem in domum Azahel, & cæt. sic de illa Damasco, & de illa Syria facta intelligamus super tribus sceleribus suis, id est, propter tria scelera sua, quæ iam suprà diximus, vt ignem illum & dispersionem, qua illa generatio disperijt super eis tribus sceleribus Damasci, & quatuor, quæ suo tēpore adiecit, pariter respiciamus. Legimus quippe quod Theglath Phalasser rex Assyrius, interfecto Rasin rege Damasci, omnē Syriæ populum in Cyrenen trāstulerit. Ob hoc nunc ait, Et conteram vectem Damasci, & disperdam habitantem de domo idoli, omnem videlicet Syrorum fortitudinē, qua veluti quodam vecte aduersariorum impetus submouebat, & vt ostenderet vana idolorum auxilia, cum populus Damasci Assyrio veniente caperetur, signanter ait, Et disperdam habitatorem de campo idoli. Simulque luxuriæ populum arguit, dicendo, Et tenentem sceptrum de domo voluptatis, quem intelligimus Rasin. Quòd autem præmissum est, & mittam ignem in domum Azahel, & deuorabit domos Benadab, dat intelligi, quod Azahel regnantibus Ozia & Hieroboam, iam in Syria mortuus erat, & ei in regnum successerat filius suus Benadab à quo postea omnes reges Syrię & Damasci Benadab vocabulum possederunt. Quapropter nō dixit. Mittam ignem in Azahel, sed, In domum Azahel, id est, in domum eius regiam, cui Benadab filius eo tempore præerat. Veruntamen hoc apertè scriptura non dicit, quod ignis materialis domum eius cōflagrauit, siue quando regnante iam dicto Benadab filio Azahel, Ioas filius Ioahaz Syriam percussit, siue quando rex Assyriorū Rasin interfecit. Sic enim scriptum est: Mortuus est autem Azahel, rex Syriæ, & regnauit Benadab filius eius pro eo. Porrò, Ioas filius Ioahaz tulit vrbes de manu Benadab filij Azahel, quas tulerat de manu Ioahaz patris sui iure prælij, tribus vicibus percussit eum Ioas, & reddidit ciuitates Israeli. Ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenen. Rasin autem interfecit. Nusquam hic vel illic mentio fit ignis, vt possimus ostendere materialis incendij magnitudinē secundum altitudinem prophetici prēconij. Simulque notandum, quod contra omnes istas scelerum declamationes (excepto loco octauo, vbi dicitur, Super tribus sceleribus Israel) eadem pœna ignis eodem modo subscripta est, Et mittam ignem in domum Azahel, & deuorabit domos Benadab, & mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius, & mittam ignem in Theban, & deuorabit ædes Bosræ, & succendam ignem in muro Rabath, & deuorabit ædes eius, & mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth: & mittam ignem in Iudam, & deuorabit ædes Hierusalem. Istæ sunt septem vindictæ ignis, secundum tria & quatuor scelera, quibus omnis iusti sanguinis mensuram Iuda siue Hierusalem illa sæpedicta generatione impleuit, cuius materialem ignem siue incendium totus orbis audiuit. Quapropter si historia deficit, qua materialis ignis secundum prophetiam hanc, illis & illis ædibus atque muris immissus posit ostendi, nihilominus, immò [illegible] altò magis, veritatem prophetiæ miremur, atque veneremur adimpletam, iuxta subtilitatem suæ intentionis, quia nimirum quarum scelerum gentium impleuit, earundem vindictas igneas illa infœlix generatio super semetipsam transtulit, ignemque commeruit, qui hic incipiens nullum haberet finem, secundum illam in Deuteronomio DOMINI sententiam, qua dixerat: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Sequitur. [Hæc, dicit Dominus: Super tribus sceleribus, Gazæ, & super quatuor, non conuertam,

Mysterium in numeris 7. & 77. Gen. 41.

Lamech. Gen. 4. Cain. Matth. 26.

Trin scelera Damasci.

4. Reg. 8.

Primum. 3. Reg. 19.

Secundum 3. Reg. 20.

Tertium. 4. Reg. 10.

3. Reg. 19.

Benadab vegnante, sed ipse Amos.

4. Reg. 4.

4. Reg. 16.

Septem hic vindictæ ignis.

Deut. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

"eum,eò quod transtulerit captiuitatem per-
"fectam,vt concluderet eam in Idumæa, &
"mittam ignem in murum Gazæ, & deuora-
"bit ædes eius,& disperdam habitatorem de
"Azoto,& tenentem sceptrum de Ascalone,
"& conuertam manum meam super Accarõ,
"& peribunt reliqui Philisthinorum,dicit do
"minus Deus.] Quinque ciuitates Philisthi-
norum plerisque locis nominatæ sunt. Ex-
empli gratia,vt illic. Hi sunt autem ani au-
rei,quos reddiderunt Philisthijm pro deli-
cto domino: Azotus vnum,Gaza vnũ,Asca
lon vnum,Geth vnum,Accaron vnum. I-
stas hic omnes præter vnã Geth sermo pro-
pheticus nominatim commemorat, sed ean
dem videlicet Geth non omninò præterit,
dum cæteris nominatis tandem ait, Et peri-
bunt reliqui Philistinorum. De ista gente,
id est,de Philisthijm,hoc sciendum, quia fi-
lijs Israel ascendentibus de Aegypto per ma
re rubrum prima inuidit. Primam enim hãc
inter cæteras gentes tunc temporis nomina
tam audimus in illo dolore inuidiæ ex Can-
tico Moysi. Ascenderunt(inquit)populi,&
irati sunt,dolores obtinuerunt habitatores
Philisthijm. Tunc cõturbati sunt principes
Edom,&c. Inter dolentes dolorem inuidię,
primos posuit habitatores Philistijm. Vide-
retur ergo in ordine gentium sceleratarum
priùs debere posuisse scelera Philisthijm,
quã scelera Damasci,siue Syriæ. Sed ad hoc
sciendum,quia etiam ante exitum de Aegy-
pto,imò & ante discessum Israel in Aegy-
ptum,Syriam in persecutione sanctorũ pro
prius liuor excitauit,testante eodem Moy-
se,cum in Deuteronomio dicit: suscipiensq;
sacerdos cartallum,ponet ante altare domi-
ni Dei tui,& loqueris in conspectu Domini
Dei tui. Syrus persequebatur patrem meũ,
qui descendit in Aegyptum,& ibi peregrina
tus est in paucissimo numero, creuitque in
gentem magnam & robustam, &c. Syrus(in
quit)id est,Laban de Mesopotamia Syriæ,
assumptis fratribus suis persecutus est patrẽ
meum Iacob quem & comprehendit in mõ
te Galaad, sed vidit in somnis dicẽtem Deũ.
Caue ne quicquam asperè loquaris contra
Iacob. Illa persecutio Syri iam tunc,& pericu-
losa fuit,& magnam persecutionem signi
ficauit,qua iam humiles persequi incipiebãt
superbi secundum interpretationem ipsius
nominis Syri. Syrus interpretatur sublimis.
Rectè igitur,non ante,sed post Syriam,siue
Damascum hic ponitur Philisthijm,non ob
istam solummodo causam, verumetiã quia
sicut iam superius dictũ est,vbi initium effu
sum est iusti sanguinis,quando fratrem suũ
Abel iustum Cain funestus occidit. Item,re
ctè quæritur,cur in capite condemnationis
Philisthijm, Gaza potius quam Azotus, hu
ue Ascalon,aut certè Accaron posita sit, di-
cendo,super tribus sceleribus Gazæ? Ad q̃
dicendum,quia Gazæ potius Iudaici scele-
ris simul & damnationis triste præsagium
prætulit,videlicet in eo,quod apud illã Sam
son fortissimus & occubuit,& plures quam
viuus occiderat,moriens occidit. Quo tan-
dem in facto Gazæ, siue Philisthijm scele-
ra,quorum de numero iam dictum est, de-
notatur? Eo quòd (inquit) transtulerit ca-
ptiuitatem perfectam, vt concluderet eam
in Idumæa. hoc videtur dicere, quòd Gazæ
captiuitatem ex populo Idumæorum duxe
rit,& quod Idumęis vendiderit quos cepe-
rat ex Iudæis. Verùm hoc etsi factum est, ta
men non tam clarè factum est, nec tanta ca-
ptiuorum, siue venditorum multitudine,vt
sacris historijs traditum sit, atq; idcirco res
minor videtur,quam vt prophetica decla-
matione,siue conquestione digna sit. Altius
ergo quærendũ,quid Gaza siue Philisthijm
conspiratione habita cum Idumæis, contra
populum Dei fecerit. Iam ante dictum,quia
filijs Israel ascendentibus de Aegypto per
mare rubrum,gens Philisthijm prima inui-
dit. Sciendum autem,nec dubium est, quòd
si Idumæi filij videlicet Esau,filijs Israel tã-
quam fratribus suis, vt iure debuissent auxi
lium ferre voluissent,& Philisthijm & Cha
nanæi,de quibus postmodum dicendum e-
rit,non tam facile illis obsistere tentauissent
Proinde item & illud non dubium est, quin
prima illis cura fuerit,antiquam inuidiæ flã-
mam, quam habuit Esau contra fratrem su-
um Iacob, resuscitare in gente eiusdem E-
sau,id est in Idumæis,immò & augere malis
persuasionum flatibus, vt sibi cæteris genti-
bus potiùs quàm Israelitis Idumæi consen-
tirent,secumq; contra illos communes ini-
micitias susciperent. Hoc primi fecisse Phi
listhijm vigilanter attendẽtib. scriptura in-
dice probantur. Scriptum est enim. Igitur
cum emisisset Pharao populum, non eos
duxit Dominus per viam terræ Philisthijm
quæ vicina est reputans, ne fortè pœniteret
eum, si vidisset aduersum se bella consurge-
re,& reuerteretur in Aegyptum. Si vidis-
set(inquit) aduersum se bella consurgere,
quod vtiq; fieret,nam iam tunc(vt supra di-
ctum est)dolores obtinuerunt habitatores
Philisthijm. Nec verò absq; consensu fratrũ
Israelis,id est,Idumæorum,hoc facere leui-
ter ausi fuissent, immò & communem cum
illis conspirationem eandemque præpara-
uerant voluntatem. Hoc ex eo satis liquet,
quod filijs Israel declinantibus Philisthijm,
primi ex cunctis gentibus armati occurre-
runt eisdem sui fratres Idumæi, sicut scri-
ptum est.

Misit nuncios Moyses de Cades ad Re-
gem Edom, qui dicerent. Hæc mandat fra-
ter tuus Israel. Obsecramus, vt nobis
transire liceat per terram tuam. Ad hæc re-
spondens Edom, Non transibis (inquit)
per me, alioquin armatus occurram tibi.
Rursus supplicantibus respondens, ait.

Quinq; ciuitates Philisthijm. *1.Reg.6.*

Deut. 32.

Deut.26.

Gen.31.

Iudi.16.

Cõspiratio Philisthijm & Edom contra filios Israel.

Exod.13.

Deut.32.

Num.20.

Ibidem.

Non

Non transibitis. Statimque egressus est obuius cum infinita multitudine & manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti, vt concederet transitum per fines suos. Quamobrem diuertit ab eo Israel. Igitur dubitare opus non est, quin illuc propheta respexit, vt diceret, eo quò transtulerit captiuitatẽ perfectam, vt concluderet eam in Idumæa. Perfectam namque captiuitatem, id est, filios Israel consummata atque transacta captiuitate siue peregrinatione de Aegypto ascendẽtes transtulit, id est, declinare, & per viam deserti circuire fecit. Quod nisi dominus præuidisset, & si Israelem per terram Philisthijm duxisset, vtiq; conclusissent eos Philistijm in Idumæa, id est, armatis occurrentibus Idumæis (sicut iam dictum est) ipsi à tergo insecuti fuissent, & ita conclusos oppressissent ac proinde pœniteret Israelem de Aegypto exisse, cum videret vndiq; aduersum se bella consurgere. Horum scelerum, quę in hoc facto numerantur, mensuram illa generatio Iudaici populi, de qua sæpè dictum est, taliter impleuit. Credentibus in Christum plurimis, & ad prædicationẽ Euangelij transeuntibus rubrum mare baptismi, dolores obtinuerunt Iudæos cum scribis & pharisæis, & transferre conati sunt illos, vt concluderent in Idumæam, nimirum quando institerunt, summittendo pseudoapostolos, vt inducerent eos in suas terrenas & carnales cæremonias, sicut in Actibus Apostolorũ scriptum est, & quidam descendentes de Iudęa docebãt fratres, quia nisi circuncidamini secundum legem Moysi, non potestis salui fieri. Item, surrexerunt autem quidam de hæresi pharisæorum, qui crediderunt, dicentes quia oporteret circuncidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi. Hæc & similia dicentes & facientes, non minimas Euangelio Christi seditiones excitauerũt. Itaq; super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eum, inquit, subaudi verticem Carmeli, id est, illam generationẽ Iudaici populi, super quam, sicut cætera omnia, ita & ista tria scelera Gazæ cum suis quatuor iustè venerunt. Quia sicut Gaza siue Philisthijm, & mala voluntate inuiderũt & facto persecuti sunt, & quoad potuerunt, aduersari non destiterunt. Ita ipsi quoq; euangelio Christi, & mala voluntate inuiderunt, & facto aduersati sunt, & nunc vsque blasphemare non desinunt, quartum habentes scelus in eo, quòd legem & prophetas e-
contra testificantes audire contemnunt. Et
mittam(ait)ignem in murum Gazæ, & de-
uorabit ædes eius, & disperdam habitato-
rem de Azoto, & tenentem sceptrum de A-
scalone, & conuertam manum meam super
Accaron, & peribunt reliqui Palæstinorum
dicit Dominus. Hæc iuxta literam vbi vel
quando insigniter facta sint, sacra non nar-
rat historia. Cæterùm in illam generationẽ
ita factum est. Misit namq; dominus ignem
in murum eius per Romanorum manus, &
deuorauit ædes eius, & disperfit habitatores
de Hierusalem, & tenentem sceptrũ, vt iam
non habeãt regem, siue regnum, qui regem
suum Christum negauerunt. Et conuertit
manum suam super eos, quicunq; igni iam
dicto superfuerunt, ita vt dispergerentur, &
in omnes gentes captiui ducerentur. Nomi-
na ipsa, Gaza, Azotus, Ascalon, & Accaron,
& Philisthijm generationi tali cõgruũt. Ga-
za quippe sonat fortitudinem, & Iudæorũ
designat rebellionem aduersus veritatem.
Azotus interpretatur ignis vberis siue pa-
trui, & ardentem in illis significat inuidiam
patris eorum diaboli, quæ exuberat in eis.
Ascalon interpretatur ignis homicida, &
homicidialem illorum furorem designat.
Accaron sterilitas, & inopiam illorum, quia
fructum spiritus fugiunt, & paleam literæ se
ctantur, significat. Philisthijm potione ca-
dentes, & illorum verè ebriosum hoc nomi
ne intelligimus scandalum, iuxta illud, qd̃
in Psalmo scriptum est. Fiat mensa eorum
coram ipsis in laqueum, & in retributionem
& in scandalum. Obscurentur oculi eorum
ne videant, & dorsum eorum semper incur
ua. Sequitur. [Hæc dicit dominus, Super tri-
bus sceleribus Tyri, & super quatuor non
conuertam eum, eo quòd concluserit capti-
uitatem perfectam in Idumæa, & non fuit,
recordata fœderis fratrũ, & immittam ignẽ,
in murum Tyri, & deuorabit ædes eius.]

Actor. 15.

Interpretatio quinque vrbium Philistijm.

Psal.68.

Eandem impietatem quam imputauerat Gazæ, imputat & Tyro, dicens, eo quòd cõcluserat captiuitatem in Idumæa. Quod vt idẽ clarescat ex authoritate scripturæ, quando vel quomodo factum sit supra memoratæ sequentia historiæ respiciamus. Præmisso quod Rex Edom postulanti Israeli transitum per terram suam negauit, statimque egressus est obuiam cum infinita multitudine & manu forti, protinus subiungitur. Quod cum audisset Chananæus rex Arath, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnauit cõtra illum, & victor existẽs duxit ex illo prędam. Pro Chananæo Tyrum hic positam arbitramur, dictumque esse super tribus sceleribus Tyri, pro eo vt diceretur super tribus sceleribus Chananæi. Tyrij namque & Sidonij de Chananæis sunt.

Num. 20.

Quòd si quęritur, cur nomen Tyri potius quam Chananæorum vocabulum hic scribere placuit, scire debemus, quia solas gentes illas propheticus spiritus in hoc ordine condemnare proposuit, quæ nihil ab Israel læsę sunt, & gratuitas contra illũ inimicitias susceperunt, cum ille nõ quæreret terras eorum. Porrò terrã Chanaan obtinere quærebat, & ad possidendã illam ex Aegypto ascẽderat, & idcirco Chananęus vniuersus non ita gratuitas contra Israel inimicitias exerce
bat.

Gentes quæ oderunt Israel gratis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat. Tyrum & Sidonem, quamuis & ipse (vt iam dictum est) de Chananæis essent, Israel, vt possideret, intendisse, vel contra eas pugnasse non legitur. Itaq; suppresso vniuersali nomine Chananæi, nomen ponitur Tyri, eo quod Israelem gratis oderit sicut Syria & Philisthijm, & Edom, & filij Ammon, & Moab, quorum terras dominus, neque promiserat, neque dare volebat illi. Nunc demum videamus vtriusq; loci nonnullam in eodem scelere distantiam. Dixerat de Gaza eo quod transtulerit captiuitatē perfectam, vt concluderet eam in Idumæa, de Chananæo, id est, de Tyro, nunc dicit, eo quod cōcluserit captiuitatem perfectam in Idumæa. Denique transtulisse intentione concludendi minus est, quam conclusisse. Sic in memoratis rebus euenisse manifestum est. Illic enim Philisthijm perfectam captiuitatem illam de Aegypto ascendentem in Idumæa non conclusit, sed tantummodo concludere parata fuit, quamobrem & Dominus Israelem circunduxit per viam deserti, vndè & imputatur philisthijm, quod captiuitatē transtulerit, & deinde Idumæa illi armata occurrit. Porrò, de Chananæo pro quo intelligimus hic positum nomen Tyri, scriptum est, quia cōclusum inter se & Idumæam Israel oppugnauit. Tunc namq; venerat in monte Hor, qui est in finibus terræ Edō. Præmissoq; quamobrem diuertit ab eo Israel, cumque castra mouissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finib. terræ Edom. Ita subsequitur. Quod cum audisset Chananæus rex Arath qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnauit contra illum. Hoc nimirum concluisse fuit. Illud autem tantummodo in voluntate fuit Philisthijm, & idcirco de Gaza dictum est, quia transtulit, vt concluderet. Hic autem de Tyro dicitur quia conclusit. Notandum quoque quàm congruè tali in loco, tali in tempore, vel rementionem faciat captiuitatis. Deniq; hoc verbo crudelitatem viscerum illorum valde percutit, qui captiuitatem perfectam, vel consummatam longo tempore protractam inuidebant solui, nihil læti à captiuis illis, quorum captiuitas talis fuerat, vt omnes homines deberent saltem pro communi humanitate commiscri, & dicere tale quid vt ille Ietro de Madian, cognatus, id est, socer Moysi. Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Aegyptiorū, & de manu Pharaonis. Nunc cognoui quia magnus Dominus super omnes Deos, eo quod superbe egerit contra illos.

Crudelitas earum contra Israel.

Exod. 18.

Item & illud notandum, quod cum dixisset, eo quod concluserit captiuitatem perfectam in Idumæa, addidit pluraliter, & nō sunt recordati fœderis fratrum. Quinam erant? qui non sunt recordati fœderis fratrū? Nimirum Tyrus siue Chananæus & Idumæa, Ambonamq; consilium ineuntes, vnā eandemque voluntatem habuerunt. Idumæa siue Edom, vt contra fratrem de captiuitate reuertente armatus exiret. Chananæus, vt Idumęæ malitiā aduersus fratrem approbaret, pariterque accurrendo cum armis fraternum odium sibi placere ostenderet. Ita fœdus fraternum, fœdus naturale, alter istorum impugnauit, alter vt impugnaretur adiuuit. Præterea, fratres quodam modo Iudæorum Tyrij fuerunt, eo quòd Hyram princeps Tyri cum Dauid atque Salomone habuerit amicitias, in tantum, vt & ille in ædificationem templi atq; palatij ligna cedrina ratibus Ioppen vsque perduceret, & hi frumentum & oleum Tyrijs largirentur, & viginti vrbes in Basan ei dono daret, quas ille, quia graminibus plenæ erant, fusci pere noluit. Verùm quid post illam societatem, ante tempora prophetiæ huius fecerit Tyrus contra Israel, siue contra Iudam, & quomodo vel quando concluserit captiuitatem perfectam, sacra non narrat historia. Item, quod dicit deinde. Et immittam ignē in murum Tyri, & deuorabit ædes eius, sacris literis apertè traditum non inuenitur. Et quidem Nabuchodonosor Chaldæorū rex Tyrum expugnauit & cœpit, secundum prophetiam Ezechielis dicentis: Circundabit te munitionibus, & comportabit aggerē in Aegypto. Et rursus. Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suū seruitute magna aduersus Tyrum, &c. sed cuncta hæc absque ignis conflagratione fieri vel perfici potuerunt. Itaq; quoquo modo in illam Tyrum vindicatum sit, illud dubium non est, quin super generationem illā fæpè dictam scelera eiusdem Tyri, sicut & cætera omnia, venerint, quia quod Tyrus fecisse arguitur, illa spiritualiter impleuit psequendo (vt superius iam dictum est) fidē Euangelij Christi. Proinde cum dicit. super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor nō conuertam eum, subaudiendum est, (vt in cæteris) verticem Carmeli. Neq; enim, qđ dicit eum, referri potest ad Tyrum, cū Tyrus sit fœminini generis. Cur autem vertex Carmeli illam, quę Dominum crucifixit, generationem significet Iudaici populi, fæpè dictum est, & in hac serie lectionis memoriter tenendum est. Sequitur. [Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum, eo quod persequutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerunt vltra furorem suum, & indignationem suā seruauerit vsq; in finem. Et mittam ignem in Themam, & deuorabit ædes Bosræ.] Ecce iam tertiò culpatur Edom primò cum Gaza siue Philisthijm, deinde cum Tyro sceleribus arguebatur, nunc in sua tantum persona dicitur, quid fecerit, & quid recipere mereatur, & meritò, cum singulæ gentes singulis

Tyrij quasi fratres egerāt Israel.

3. Reg. 5. 6

Ezech. 26.

Edom ter arguitur.

singulis vicibus coarguantur, iste Israelis frater impius, tertiò in iudicium sermonis diuini protrahitur, eo quod fratrem suum in gladio persecutus sit, & misericordiam eius violauerit. Leuemus oculos nostros superius, & statum illius consideremus temporis, quando Edom transitum (sicut iam dictum est) fratri suo Israeli per terram suā non concedens, etiam armatus contra illum exiuit cū infinita multitudine & manu forti, & tunc intelligemus, quanta misericordia violatio fuerit. Israel de captiuitate demissus egrediebatur, ipse autem Edom in suo monte habitabat diues, & robustus. Cumq; esset illius frater vterinus, ex eodem patre, & vno (vt Apostolus ait) concubiti pariter generatus, sic vniuersos germanitatis naturales occlusos tenuit affectus, vt crudelior contra illum nulla esset ex cunctis gentibus & cæterarum gentium roboraret manus, persecutionis & odij primus auctor & præuius. Nec verò contra hominem fratrem, sed contra Deum erat odium eius. Quam enim ob causam tali vel tanto contra Israelē odio ferebatur? Nimirum propter benedictionem, qua sibi frater ita Domino disponente fuerat prælatus, idcirco cum dixisset propheta, eo quòd persecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, addidit, & tenuerit vltra furorem suū, & indignationem suam seruauerit vsque in finem. Furorem & indignationem illam dicit, quia furens & indignans Edom, id est, Esau, semper odio habēs Iacob, dixit in corde suo. Venient dies luctus patris mei, vt occidam Iacob fratrem meum. Hoc propositum odij paterni, posteritas de qua nunc sermo est, vsque in finem seruauit, agendo pro posse quicquid furor & indignatio suggessit. Et quidem quamdiu filij Israel in Aegypto seruierunt, & tam duræ seruitutis pensum Pharaoni & Aegyptijs illudentibus in luto & latere soluerunt, consolabatur se nequiter in illo fratre maligno Edom, paululumque requiescebat odij spiritus, non dubium sibi fore existimans, quod cassa semper deberet esse benedictio, qua iunior Iacob sibi priori fuerat prælatus, cum ipse iam regnaret, ille autem misere peregrinaretur. At vbi magnalia Dei facta sunt in Aegypto & illo fratre suo. Vbi illū egressum esse audiuit in manu potenti & brachio excelso, vtique non dubium quin renouatus sit liuor, exarserit furor, efferbuerit indignatio, quippe qui primus in gladio, perpetuus in odio, frequens cōtra illū fuit in bello, donec vincente Dauid persensit, quod benedictionib. Domini inualidior, Iacob infirmior, Israel esset ndignior: facta est namq; vniuersa Idumæa seruiens Dauid sub tributo, & ipse posuit in Idumæa custodes, statuitq; præsidiū. Idcirco malam vbiq; nimisque acerbā passim in scripturis sanctis habet memoriam. Omnes homicidæ, vniuersi persequutores piorum, nomen eius hæreditauerunt vt vocetur Edom, quia videlicet cunctorum ipse fuit exemplum. Exempli gratia, Memento Domine (inquit Psalmista) filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt, exinanite exinanite, vsque ad fundamentum in ea. Idem enim est, ac si dicat, omnes ciues regni Dei, exultantes super flumina Babylonis, id est, super decursum confusionis huius seculi. Memento Domine tribulationum, quas sustinemus illatas à filijs Edom, id est ab imitatoribus Esau, qui propter seuitiæ magnitudinem dictus est Edom, quod interpretatur terrenus, siue sanguinolentus, quia ipsi cupiunt exinanire Hierusalem, vsq; ad fundamentum, vt totum funditus destruatur si dei & veritatis ædificiū. Cunctorum talium homicidarum maximi & notissimi carnales Iudæi sunt, Abrahæ siue Israel filij sunt. Illi etiam secundum exemplum prioris Esau, primogenita sua perdiderunt, scilicet adoptionem filiorum & gloriam, & testamentum, & legislationem, & promissa, quæ illorum (vt Apostolus ait) esse debuerunt, gentes autem, secundum exemplum iunioris Iacob, eadem hæreditauerunt. Et sicut illi ascendenti ex Aegypto Israeli, quanto per carnem propinquior, tanto per odium fuit cæteris gentibus nequior. sic Iudæi, quāto per carnem Christo propinquiores, tanto per inuidiam Christiano populo, ex quo cœpit prædicari fides Euangelica, fuerunt pernicio liores, primiq; ante omnes gentes, & maximi inter omnes gentes inimici ac persecutores. Itaque & quod nunc dicit, super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non cōuertam eum, ad vtrunque quidem est referendum, maximè autem ad illum, qui non carne, sed spiritu est Edom, scilicet Iudaicum populum, qui per verticem Carmeli sæpè dictum, & adhuc dicendum est significatus.

Crudelitas Edom contra Israel.

Gen. 17.

2. Reg. 8.

Rom. 9.

Huius Edom pœna ignis est, de quo iam sæpè diximus, qui illi generationi, quæ Saluatorem crucifixit, taliter immissus est, vt succensus à Romanis, in furore Domini ardeat vsque ad inferni nouissima, sicut ipse in Moyse prædixit. Mittam ergo ignem in Themam, quæ Idumæorum regio est, nominis autem interpretatione vertitur in austrum, & luminosam quondam ciuitatis Hierosolymæ templi significat gloriam. Quodque dicit, deuorabit ædes Bosræ, non alteram ciuitatem, sed ipsam Idumæam secundum literam significat. secundum sensum verò mysticum eandem significat Hierosolymam, DEI quondam & angelorum præsidio munitam. Bosra namque, interpretatur munita, vndè & in Esaia vox admirantium illa est. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens

Deut. 32.

Esaiæ 63.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Admiratio namque est, quòd de Idumæis, id est, de Iudæis, & de ciuitate Hierosolyma quam suo præsidio munierat, talia passus, & suo sanguine aspersus veniat. Sequitur.

"[Hæc dicit Dominus. Super tribus scelerib.
"filiorum Ammon, & super quatuor non cō
"uertam eum, eo quòd dissecuerit prægnan-
"tes Galaad, ad dilatādum terminum suum.
"Et succendam ignem in muro Raboth, &
"deuorabit ædes eius in vlulatu, in die belli,
"& in turbine, in die belli commotionis, & i-
"bit Melchon in captiuitatē, ipse & princeps
"eius simul, dicit dominus.] Ammon iste &
Moab, cuius scelera protinus dicturus est, ex propinquitate Abrahæ fuerunt, scilicet filij Loth: qui filius fuit fratris Abrahæ. Debuerant ergo & ipsi filijs Israel clementio-
res cæteris gentibus esse, præsertim cum illi nihil eos læsissent, neque terras eorum quę-
sissent. Nam isti sunt quorum terras Israeli dominus nominatim interdixit, iam dictus Edom & hic Ammon, & sequēs Moab. Sic enim Moyses in Deuteronomio commemorat: Dixit Dominus ad me. Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau. Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium, quia in possessionē Esau dedi montem Seir. Et rursum. Venimus (inquit) ad iter quod ducit in desertum Moab, dixitque Dominus ad me. Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eos prælium. Non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filijs Loth tradidi eam in possessionem. Ac deinceps. Locutus est (ait) Dominus ad me dicens: Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar, & accedes in vicinam filiorum Ammon. Caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium. Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filijs Loth dedi eam in possessionem. Cum ergo propinqui essent Israeli filij Ammon & Moab (vt iam dictum est) & nihil ab Israel siue à Deo Israel læsi fuissent, clementiorem erga illum cæteris gentibus gerere affectū debuissent. At illi sicut Edom, inclementiores e contra & impietatis principes extiterunt, testante Psalmista, qui cum dixisset. Simul aduersus testamētum tuum disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalech, alienigenę cū habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis, subiunxit atque ait, Facti sunt in adiutorium filijs Loth. Iam inter cæteras gentes nominauerat filios Loth, dicendo Moab & Agareni, Gebal & Ammon, sed non dixerat, quænam gentes in illa conspiratione magis fuissent vehementes. Vt ergo illud quoq; non lateret nos, facti sunt (inquit) in adiutorium filijs Loth. Notandum quippe, quod non dixerit, cæteris factos esse in adiutorium filios Loth, sed cæteros in adiutorium filijs Loth. Non ergo tam cæteri filios Loth, quam filij Loth, cæteros ad inimicitias pertrahebant contra Israel exercendas. Rectè igitur scelēris arguitur Ammon in hoc facto, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandā terminum suum. Non dicit ad vindicandā iniuriam suam, siue ad recuperandum incōmodum suum, sed ad dilatādum terminum suum, quod cupiditatis est indicium, iniurię intemperamentum, crudelitatis argumentum. Quid enim cupidius, quid iniuriosius, quid crudelius, quam pro sola eiusmodi intentione prægnantes dissecuisse? Propterea non crudelitatis Dauid arguendus, sed de iustitia ac fortitudine est collaudandus in eo, quod & ipse similia vel maiora fecit eis, sicut scriptum est. Congregauit itaque Dauid omnem populum, & profectus est aduersus Rabbath. Cumque demicasset, cœpit eam, populum quoque eius adducens serrauit, & circumegit super eos carpenta ferrata, diuisitque cultris, & transduxit in typum laterū Sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon. Non, inquam, crudele hoc, sed iustū fuit, quia sicut fecerunt, ita reddidit eis. Porrò filij Ammon hoc fecisse videntur, regnāte Saul, quando ascendit Naasammonites & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad, supplicantibusq; ac dicentibus, habeto nos fœderatos & seruiemus tibi. In hoc (inquit) feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros. At illos percussit Saul & dispersi sunt, ita vt non relinqueren tur ex eis duo pariter, & nihil tale tunc fecisse leguntur filij Ammon, quod tanta prophetici spiritus cōquæstione sit dignum. Arbitramur ergo, prophetam superiorem magis respexisse historiam, scilicet ad tempora Iudicum, quando Iepthe, expetitus est, vt filios Israel iudicaret, eo quòd vir fortissimus atque pugnator esset, natus de Galaad. Tūc siquidem iratus dominus contra filios Israel, tradiderat eos in manus Philisthijm & filiorum Ammon, afflictiq; sunt & vehementer oppressi per annos octodecim. Pugnabant (inquit scriptura) filij Ammon contra Israel, afflictusq; est Israel nimis. Quibus acriter instantibus, perrexerunt maiores natu de Galaad, vt tollerent in auxiliū Iepthe. Cætera legentibus, & disceptationē Iepthe contra filios Ammon vehementem perspicientibus claret, quod afflictionem illam secerint filij Ammon, maximè in Galaad, & inter cætera prægnantes quoque dissecuerunt, licet hoc ipsum verbum non ibi scriptum sit, & quod ita fecerint, ad dilatandū terminum suum. Mandanti namque Iepthe regi filiorum Ammon, ac dicenti, quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ille respōdit, & falsum locutus est, quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Aegypto à

finibus

finibus Arnon vsq; Iaboc atque Iordanem, propterea comminatur dominus succensurum se ignē in muros Raboth, quæ fuit metropolis Ammonitarum, vt deuorentur ædes illius in clamore & vlulatu vincentis exercitus, in die commotionis & turbinis, quando captiui eius Nabuchodonosor vincente ducentur, & idolum Ammonitarum, quod vocatur Melchon, id est, rex eorum se retur in Assyrios, & principes eius pariter abducentur. Eodē modo quo cætera super generationem illā sæpedictam, ista quoque venire habebant quæ fecerunt filij Ammō, & idcirco q̄ ait dominus, super tribus scelerib filiorum Ammon, & super quatuor non conuertā eum, referendū est ad verticē Carmeli (de quo iam dictum est) & propter fastidium vitandum, non toties oporteret replicari, nisi memoriæ videretur expedire

"legentis. Sequitur. [Hæc dicit dominus. Su-
"per tribus scelerib. Moab, & super quatuor
"non conuertam eum, eò quòd incēderit os-
CAP. II. sa regis Idumææ vsq; ad cinerem. Et mittā
"ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth,
"& morietur in sonitu Moab, & clangore tu-
"bæ, & disperdam iudicem de medio eius, &
"oēs principes eius cum eo, dicit Dominus.]
De Moab & Ammon, maximeq; de Edom iam dictum est, quanti rectè arguantur scelēris, pro eo q̄ contra Israel de Aegypto ascendentē inimicitias exercuerunt, cùm essent carne propinqui. De isto quærentibus, quid sit dictum eò quòd incenderit ossa regis Idumææ iam sepulti (qui cū Ioram rege Israel & Iosaphat rege Iuda ascenderat aduersum Moab) in vltionem doloris à Moa
4. Reg. 3. bitis postea fuisse cōusta atq; succensa. Hęc Hebræorum traditio est. Ob hanc ergo, inquiunt, causam Deus missurum dicit, se ignē in Moab, quo nomine vel metropolis Moabitarū, vel vniuersa significatur prouincia, vt deuoret ædes Carioth, quod nomen est ciuitatis. Verū hoc parum videtur ad magnitudinem propheticæ dignitatis, vt quod spiritus S. loquitur in eis, ex opinione tantum Iudaica, & nō ex sanctis cōprobetur scripturis. Aliud ergo quærimus incendium quod fecit Moab, sacra referente scriptura, legim'
Num. 22. in libro Numeri, quia Balac filius Sepphor
Num. 25. rex Moab misit & accersiuit Balaam filium Beor ariolum, vt veniret & malediceret Israel. Quod cū ille deo prohibēte, facere non posset, tandem dixit. Veruntamen pergens ad populum meū dabo consilium, quid populus tuus, huic populo faciet. Postmodum scriptum est, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adorauerūt deos earum, initiatusq; est Israel Beelphegor. Magnum illud fuit incendium, magna libidinis flamma, quæ cōcremauit populū. Et quid illi homines siue illæ filiæ Moab, nisi regis Idumææ ossa fuerunt? Quis enim est rex Idumææ, nisi spiritus superbiæ, qui dicā- Rex. Idutur super omnes terrenos. i. deditos cupidi- mæ spiritus tati terrenæ, secundum nomē Idumææ? Nā superbia. quod per spiritū superbiæ peruenerint ad illud incendium carnis suæ, vnus pro exemplo est, de quo scriptura refert. Et ecce vnus de filijs Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitē, vidente Moyse & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. Magnę nimirum erat procacitatis & superbiæ, tali in tempore, cū iam dixisset dominus ad Moysen. Tolle cūctos principes populi, & suspende eos contra solē in patibulum, itemque Moyses ad iudices Israel, occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor & ob istam causam flerēt filij Israel ante fores tabernaculi, magnæ (inquā) erat procacitatis, & intollerabilis superbiæ, virū ad scortum ingredi in cō temptum iræ cælestis, videntibus cunctis.

Quo ergo melius nomine dignitas prophetici spiritus fornicatores eiusmodi nuncuparet, quā ossa regis Idumææ. Nunquid filios Israel debuit nuncupare? Et quidem ambobus, scilicet Balaam & Balac cōmune consilium, & vna fuit intentio, incendere filios Israel, sicut in Apocalypsi commemora Apoc. 2. tur, dicendo, quia habes illic tenentes doctrinā Balaam, qui docebat Balac mittere scāda lum coram filijs Israel, edere & fornicari, sed non ita scādalizare ipsos potuit filios Israel, sicut scandalum mittere coram filijs Israel. Aliud nanque est scandalum videre coram se, aliud scandalizari, & ardentis scandalo libidinis inflammari. Vnde sicut hi qui eiusmodi scandalo non vtuntur, rectè membra dicuntur & sunt Christi regis gloriæ, sicut ecōtra illi qui taliter scandalizati vel succensi sunt, membra dicuntur & sunt principis huius mundi, regis Idumææ. Conueniētius autem hic dicuntur ossa, quā membra, licet & menbra sint vel habeant ossa, quia videlicet ignis genuinus ossibus ac medullis insitus, qui tunc adhibita foris palea, scilicet filiabus Moab & Madian, illicito flammauit incendio. Tale nimirum fecisse incendium scelus est, ea præsertim intentione, vt offensus recederet Deus ab Israel, & pro hoc rectè redarguitur, vt sceleratus Moab. At verò vt iuxta supradictam Hebræorum opinionem, ossa mortui hominis igne materiali vsque ad cinerem incenderet, nescio vtrū pro magno haberi potuerit scelere, cū ferè apud omnes gentes solenne fuerit, corpora mortuorum vsq; ad cinerem comburere, cinereśque ipsos sepelire. Hinc & sepulchra dicuntur busta, videlicet à combustione, vt cō bustorum cadauerum cōtinerent reliquias. Rursus ad illam generationem quæ dominum crucifixit, propter quod & omnia mala præteritarum generationum venire debuerunt super eam, istud quoque scelus incendij pertinere non dubium est. Ipsi enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæi carnales dicuntur. Moab. Ioan. 8.

& Moab & Idumææ rectè dicuntur & sunt. Moab quippe interpretatur ex patre, quo autem ipsi ex patre sint vel fuerint, dominus ostendit dicens. Vos ex patre diabolo estis. Ipsi incenderunt ossa regis Idumææ, imò & ossa ipsi regis fuerunt Idumææ, regis omniũ filiorum terrenitatis & superbiæ, ossa incensa libidinis igne, testante Esa. qui generationem illam prospiciens. Audite (inquit) verbum domini principes Sodomorum, percipite legem Dei mei populus Gomorrhæ. Id circo sicut peccati Moab plenitudo, ita & pœnæ eiusdem super generationem illã venit adimpletio. Nam quod dicit, & mittam ignẽ in Moab, & deuorabit ædes Carioth, quod nomen erat ciuitatis in Moab, & morietur in sonitu Moab, & clangore tubæ, & disperdam iudicẽ de medio eius, & oẽs principes eius interficiam cum eo. Quis nesciat totum Romano peractum esse excidio? De tribus scelerib. & de quatuor, & de eo quod dicit non conuertam eum, & sæpe dictum & semper repetere fastidiosum est. Sequitur.

Esa. 1.

"[Hæc dicit dominus. Super tribus scelerib. "Iuda, & super quatuor non conuertam eũ, "eò q̃ abiecerit legẽ domini, & mandata eius "non custodierit. Deceperunt enim eos ido"la sua, post quæ abierunt patres eorum. Et "mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes "Hierusalem.] Ecce & in isto nulla est distinctio gentilis & Iudæi. Sermo diuinus, iudex æquus, nulli personæ parcit, dum Iudam æquè vt Syrum, vt Allophylum, vt Tyrium, vt Idumęum, vt Ammonitem, & Moabitẽ, liberata erit sentẽtia iudicij, nec in pœna disiungit, quos culpa coniunxit. Quòd si subtilitas quæritur rationis, quis dignius debet puniri, quã illi, qui non tantũ naturalem, vt cæteræ gentes, sed scriptam quoq; legem accepit. Vnde notandum, quòd prædictis gentibus non exprobrat abiectionem legis Dei, & cõtemptum mandatorum illius, sed violationem propriorum viscerum, & quod sine affectione, absq; misericordia cuncta crudelia fecerint, nullum habentes respectum cõmunis humanitatis, nullum saltẽ attendẽtes affectum notæ propinquitatis. Iudę autẽ exprobrat, quòd abiecerit legem domini, & mandata eius non custodierit. Quæ quia abiecit, atq; contempsit ordinem & viam, deceperunt eum idola sua. Quamuis enim dicit, deceperunt eum idola sua, nihilominus & illud constat, quia non poterat ante abidolis decipi, nisi legem domini repulisset, & mandata eius non fecisset. Hæc sunt idola, post quæ abierunt patres eorum in Aegypto, bouis Aegyptij simulachra fugientes, &

4. Reg. 21.

adorantes Beelphegor, & colentes Astaroth & Baalim. Nec verò leuiter decepti fuerunt, sed adeo pro idolis suis insanierunt, vt prophetas occiderent reges eorum, & sanguine innoxio replerẽt Hierusalẽ vsq; ad os. Vnde & cõminatur dñs, in Iudã se ignem soremissurum, qui deuoraret ædes & fundamẽta Hierusalẽ, quod & factum est. Quòd si omnia venire debuerunt super generationẽ illam à sanguine Abel iusti (sicut iam sæpe diximus) quanto magis ista, quæ hic Iuda fecisse culpatur? Nẽpe ita diximus & dicimus, omnia venire super generationem illã, quæ passi sunt sancti, à sanguine Abel iusti, quibuscũq; gentibus vel hominib. sanguinẽ iustum effundentibus. Vt illum maximè sanguinem, quẽ Iuda effudit, illuc redundare nõ ignoremus. Vtrũq; nãq; dixit dominus. Væ (inquit) vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarũ, & ornatis monumenta iustorũ, & dicitis. Si fuissemus in dieb. patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarũ. Itaq; testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum, serpentes, genimina viperarum. Hoc ni mirum generationi illi dixit de patribus illis, quorum & secundum carnẽ & secundũ iniquitatem posteri siue hæredes homicidæ Iudæi fuerunt, qui ipsum, qui hæc loquebatur, postea Christum occiderunt. Iterum vt veniat (inquit) super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, & cætera.

Matth. 23.

Prius nimirum fusus fuit sanguis Abel iusti, quàm fierent patres, quorum de carne genitos se esse gloriantur Iudæi. Ergo & cæterarum gentium, de quibus iam supra dictũ est, & Iudæ, de quo nunc sermo est, scelera vel mala super generationẽ illam venire debuerunt. Igitur super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor non conuertam eum, id est, Iniquum filiorum cœtum, qui per vertícem Carmeli designatur, derelinquam q̃pter scelera patrum, quorum ipsi mensurã impleuerunt, factũ est, & quod hic in propheta dicit Dominus. Mittam ignem in Iudam, & deuorabit ædes in Hierusalem, & quod per semetipsum ait id ẽ Dominus. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, & ferè nemo est qui hoc factũ esse nesciat. Sequitur. [Hæc dicit Dominus. Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non con"uertam eum, pro eo quod vendiderit argen"to iustũ, & pauperem pro calciamentis, qui "conterunt super puluerem terræ capita pau"perum, & viam humilem declinant, & filius "& pater eius introierunt ad puellam, vt vio"larent nomen sanctum meum, & super ve"stimẽtis pigneratis accubuerunt iuxta om"ne altare, & vinum damnatorum bibebant" in domo Dei sui.] Circa montem Carmeli ar"duã quasi ascensus viam terimus, toties eundo & redeundo illuc, quoties dicit Dominus, non conuertam eum super tribus & quatuor sceleribus. Deniq; vbicunque vel quotiescunque in hoc ordine scelerum siue sceleratorum, non conuertam eum, audiuimus

diuimus siue legimus, mõtem Carmeli, qui in exordio præscriptus est, subintelligimus, per quem & superbiam significari diximus Iudaismi carnalis, secundum nomen ipsum Carmeli, quod interpretatur scientia circũcisionis, maximeque illã generationem, quę saluatorem crucifixit. Sequentem nos lectorem (si quis est, qui legendo sequi, vel sequẽdo hæc legere velit) fatigatum esse arbitramur, dum toties ad eundem Carmeli verticem vertitur, velut si alte subrectũ & nubibus imminens castrum, in montis vertice, toties adire cogatur anhelo spiritu. Verũ quisquis ille est, æquanimis vt sit rogamus, iam finis est, circunductione hac vel recursu non fatigabitur vlterius. Super tribus (inquit) sceleribus Israel & super quatuor non conuertã eum. Memores propositi iam nos esse conuenit, q̃ initio prophetæ huius præmi

Terræmotus tempore Amos.

simus tunc dicturos esse nos, cur terræmotus fecerit mentionem, quando pro necessitate mystici sensus inueniendi scrutaremur Carmeli verticem, videlicet vbi præmisso, verba Amos, qui fuit in pastoralib. de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Hieroboã filij Ioas regis Israel, subiunxit atq; ait, ante duos annos terræmotus. Tunc Hebræi terræmotũ accidisse memorãt, quando Ozias rex Iuda indebitũ vẽdicãs sibi sacerdotiũ lepra in frõte percussus est. In cõmemoratione ergo ter

2. Para. 26

ræmotus, mentionem quoque fecit lepræ illius. Cur hoc? Idcirco videlicet, quia frons Oziæ regis, quæ sublimior atq; erectior est pars corporis, idem significat quod hic vertex Carmeli, & lepra frõtis. i. quod siccatio verticis Carmeli, scilicet abiectionem super bientis & elatæ generationis, quæ dñm crucifixit. Sicut in Maria sorore Moysi, quãdo contra Moysen superbiendo murmurauit, & ob hoc plaga lepræ percussa est. Ita & in rege Ozia, qui sacerdotium superbiendo vsurpauit, & ob hoc lepra in fronte percussus

Num. 12.

est, vna eademq; significatione superbiæ illius generationis. Differt tamen in eisdem significatio pestis eiusdem. Maria nanque, q̃pter lepræ immunditiam separata septẽ diebus extra castra, & postea reuocata, recipiẽ-

Rom. 11.

dam nouissimè significat synagogam ab infidelitatis lepra curatam, cũ plenitudo gentium intrauerit, sicut Apostolus ait. Ozias autem leprosus permanens vsq; ad diẽ mortis, incurabile significat peccatum eiusdẽ synagogæ pro parte illius sæpedictæ generationis & omnium Iudæorũ, qui nunc interim vita excedunt, lepram habentes perpetuam,

Matth. 12.

nec in hoc seculo nec in futuro curãdam. Et Ozias quidem fortitudo dñi interpretatur, sed hoc nomen generationi illi non nisi per antiphrasim siue per ironiam cõgruit, quia falljtur quasi fortiter agens, dũ blasphemando Christũ, Deo sese obsequiũ præstare profitetur. Filius eñ Ioathan, q̃ interpretatur dũi cõsummatio siue perfectio, regẽs domũ regis leprosi, iuniorẽ significat ex gentib. populum consummatæ & perfectæ fidei, cui datum est regnũ Dei, sicut prædixerat dominus, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti faciẽti fructus eius. Nec illud à mysterio vacat, quod illa plaga lepræ in summitate regiæ frontis cũ terræmotu accidit. Sic

Matth. 27.

etenim quãdo infelix generatio tali sese lepra dãnauit, dicendo. Sanguis eius super nos & super filios nostros, domino postmodum spiritũ tradente, terra mota est, & deinde ad excidium gentis eiusdẽ Romanus orbis cõmotus est. Interim constat, prophetã synagogę vnã eandemq; abiectionẽ, q̃pter superbiam paucis in verbis, & per leprã regię frõtis, & per siccitatẽ denotasse verticis Carmeli. Sunt aũt duo montes, qui vocantur hoc nomine, alter in quo fuit Nabal Carmelus

Carmelus duplex.

maritus Abigail, ad australẽ plagã, alter iuxta Ptolemaidẽ mari imminens, in quo He-

1. Reg. 25.

lias, q̃pheta flexis genib pluuias impetrauit.

1. Reg. 18.

Carmelũ hunc vbi post siccitatẽ triũ annorũ & semisis pluuia data est, hic placet intelligi. Nec enim dubitandũ est spiritũ S. in propheta loquẽtem, rẽ gestã respexisse illius miraculi, quod ante annos nõ valdè multos acciderat filijs Israel, nimirũ in figurã, sicut cætera ferè omnia. Quid enim fuit, q̃ Helias cælum clausit, nisi quia Christus Apostolorũ ora synagogæ peccatrici occlusit & populo, qui illum reiecit, & recesit relicta illis siccitate & fame audiendi, siue intelligendi verbũ Dei? Itẽ quid est, quod rursum orante Helia in vertice Carmeli, facta est pluuia grãdis, nisi quod rursus recipiet Israel roré fidei

Matth. 12.

pluuiãq; salutis, cũ plenitudo gẽtiũ venerit? Tanta nunc interim est infidelitatis siccitas quantã merẽtur scelera 3. & 4. toties hic repetita, quę cũ 7. sint, illos arbitramur esse spiritus, de quib. in euangelio dñs, præmisso, cũ immundus spiritus exierit ab homine, ita cõclusit. Et tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Item pœna propter eandem infidelitatis siccitatem tanta est, quanta intelligi oportet per septem ignis vindictas in hac lectione ordinatas, pœna vniuersalis, pœna interminabilis, secundum significationem numeri septenarij, numeri insolubilis. Quia videlicet, sicut scelera omnium gentium, sic & vindictæ super illam generationem venerunt omnium gentium, quæcunque sanguinem iustum fuderunt. Notandum quippe, quod tãtùm hic in octauo loco, cùm dicitur, super tribus sceleribus Israel, non repetitur vindicta ignis, vt (sicut iam dictum est) tantummodo septem sint, quo numero solet vniuersitas significari. Simulque sciendum, septem tantummodo gẽtes hic esse nominatas, quia videlicet Iuda & Israel gens vna est natura, sed scismate diuisa, ex quo scidit Hieroboã decem tribus à domo Dauid, & à regia tribu Iuda,

Septem vindictæ ignis iuxta septẽ gentes hic positas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bu Iuda. Ad illam maiorẽ sciſionis partem, id eſt, ad decẽ tribus quæ vocãtur Iſrael, hic propheta remiſſus erat, & idcirco vltimum poſuit Iſrael, quia de illo vel contra illũ plura dicturus eſt. Septem igitur gentes, ſeptem gentium ſcelera, ſeptemque ſcelerum vindictas igneas hactenus pro poſſe tranſegimus, nunc tandem cauſas Iſrael in iudicio domini audiamus. Præmiſſo, vt in cæteris, ſuper tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum, protinus ait. Pro eo quod vendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calciamentis, qui contriuit ſuper puluerem terræ capita gentium, & viã humilium declinant, & filius ac pater eius introierunt ad puellam, vt violarent nomẽ ſanctum meum, & ſuper veſtimentis pigneratis accubuerunt iuxta omne altare, & vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui. Mirum fortaſſe cuiuis videatur, quòd in exordio ſcelerum Iſrael, aliud ponere maluit, quã illum (quo ſordebat tunc temporis Iſrael) idololatriæ cultum, præſertim, cum præter cætera nimis graue atq; irremediabile eſſet ſcandalum in vitulis, quos fecit Hieroboam, à quo peccato poſt illum nullus receſsit regum Iſrael. At verò pulchrũ & valdè ordinatum eſt, hoc primùm poni, quòd vendiderit argento iuſtum, quia videlicet primum in illa domo peccatum hoc admiſſum eſt, quod filij Iacob (qui & Iſrael) venderunt Ioſeph fratrem ſuum. Tunc vtiq; vendiderunt argento iuſtum. Et in illa nimirum venditione duplex fuit culpa, quia & frater eorum, & iuſtus erat. Vendiderunt autem eum viginti argenteis. quantum erat hoc tot fratribus pro precio fratris iuſtiũ? Cũ enim decem eſſent ipſi vẽditores vndecimi (Beniamin quippe duodecimus, idemq; paruulus, non erat illic) non niſi duo argentei potuerunt obtingere ſingulis. Benè ergo, cũ dixiſſet, quia vendiderunt iuſtum argento, addidit, & pauperem pro calciamentis, quia videlicet vix calceos, qui valerent, compara re ſibi potuerũt ſinguli de pretio tantæ venditionis. Hoc ſcelus ſic inceptum in illa gente, in tantum proceſsit, vt Chriſtũ ſummè iuſtum, & ſanctum ſanctorum, Iudæi & venũ dari perſuaderẽt, & ipſi emerent triginta argenteis, quo videlicet precio cũ referente Iuda recepiſſent eos, non potuiſſet ſaltem Caiphas, pontifex illius anni, ſatis inſigniter calciari. At verò potuerunt omnes exinde diſcalciari, perdendo locum & gentem & gloriam templi, qua incedebant nimis ſuperbè calciati. Proſequens propheta. Qui conterunt ait ſuper puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant. Hoc facere nimirũ ſuperborum eſt, præſertim cũ manifeſtè prohibeat lex, pauperẽ opprimi. Lex (inquã) primũ data illis, qui maximè pauperes fuerant, & per miſericordiã dei de Aegypto paupertatis camino exierant. Hoc fecerant ipſis Aegyptij, ſubigendo eos operib. duris luti & lateris, & cõtriuerant capita ipſorum ſuper puluerem terræ. i. plus quã puluerem terræ. Illorum videlicet Aegyptiorum fuerat viam humiliũ declinare, quod pulchrè & breuiter ſcriptura innuit, dicente Ioſeph. Cùm (inquit) vocauerit vos Pharao, & dixerit, q̃ eſt opus veſtrum, reſpondebitis. Viri paſtores ſumus ſerui tui, ab infantia noſtra vſque ad præſens, & nos, & patres noſtri. Hæc autem dicetis, vt habitare poſsitis in terra Geſſen, quia deteſtantur Aegyptij omnes paſtores ouium. Nónne ergo ipſi in Aegyptios conuerſi ſunt, cõterendo capita pauperum, & declinando viam humilium? Nempe & illud ſcelus apud eos in tantum præceſsit, vt Chriſti pauperis, & ſingulariter humilis caput & frontem lingua iniurioſiſſima, nimis contumelioſa verberarent & cõtererent. Exempli gratia, cùm dicerent. Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes. Nónne hic eſt fabri filius? Nõne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus & Ioſeph, & Simon, & Iudas? & ſorores eius apud nos ſunt? & his ſimilia. Et filius (inquit) ac pater eius introierunt ad puellam, vt violarent nomẽ ſanctum meum, & hoc nimirum ſcelus eſt, & abominatio deteſtabilis, damnata per iuſtam ſententiam legis, dicentis. Qui dormierit cum nouerca ſua. & reuelauerit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo, ſanguis eorum ſit ſuper eos. Hoc primus in illa gente feciſſe legitur Ruben, qui abijt, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui. Verùm hoc patri quoque imputari non poteſt, cũ dicatur, & filius ac pater eius introierunt ad puellam, vt violarent nomẽ ſanctum meum, quia ſolus filius hoc ſcelus perpetrauit, pater autem iniuriam paſſus eſt, & ipſe vindicauit. Effuſus es (inquit) ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius. Porrò, ſcelus hoc ipſum in poſteris non dubium eſt exercuiſſe, cùm præuidens Eſaias dixerit illos principes Sodomorum & populum Gomorrhæ. Nempe nihil eorum quę fecerant Chananæi, præterierunt Iudæi. Alioquin non eos euomuiſſet terra illa, ſicut & Chananæos euomuerat, Deo iudice, qui vbi hoc ſcelus vt cætera, interdixit, tandem ait. Cuſtodite leges meas atque iudicia, & facite ea, ne vos euomat terra, ad aquã intraturi eſtis & habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc fecerũt, & abominatus ſum eas. In hoc ſcelere violationẽ aſſerit eſſe ſancti nominis ſui, quia videlicet fœdare patrem fœditate eiuſmodi, ſicut Abſolõ quoque fœdauit patrem ſuum Dauid, violare eſt nomen ſanctum eius, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Et ſuper veſtimentis (inquit) pigneratis accubuerunt, iuxta omne altare.

Scelera Iſrael.

Vendidit pro argento iuſtum.

Gen. 37.

Matth. 13.

Exod. 1.

Gen. 48.

Leuit. 20.

Gen. 35.

Gen. 49.

Leuit. 18.

Nimirum

2. Reg. 16. Nimirum pignus pauperis ſaltem retinere,
Epheſ. 3. contra legem eſt. Nam in lege Dominus di-
Deut. 24. cit. Sin autem pauper eſt, non pernoctabit apud te pignus, ſed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum, vt dormiens in veſtimento ſuo benedicat tibi, & habeas iuſtitiam coram domino Deo tuo. Quanto magis ſcelus ſuper veſtimentis pigneratis accubare, & hoc iuxta omne altare? Duplex nanq; crimen in hoc denotatur, ſcilicet turpitudo libidinis, & ſeruitus idololatriæ, intelligitur nanque quod paſsim habentes altaria, fingentes vitulorũ ſimulachra, & adorantes Beelphegor, & colentes Aſtaroth & Balim, cæteraq; deorum & dearum portenta, funibus tenderent veſtimenta pignerata, iuxta omnium illorum altaria, & facerent parapetaſmata, id eſt, velamina, quo fornicantes in tẽplo nullus poſſet aſpicere, & inebriati ac libidini ſeruiẽtes, etiam ipſum vinum quod bibebant, non de proprio labore, ſed de calumnijs emerent. Vnde & protinus ait, & vinum damnatorũ bibebant in domo Dei ſui. Hoc faciebant in phano Dei ſui, vt quos putabant deos, turpitudine ac ſtupris polluerent. Huius quoq; ſceleris menſuram in veſtimentis pauperũ detinendis Iudæi ſic impleuerunt, vt ſaluatorem tradentes, ſcripturam pariter implerent, dicentem. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſorte. Tunc vinum quoque damnationis eius biberunt, iuxta quod ipſe in Pſalm. conquæritur dicens. Et in me pſallebant qui bibebant vinum. Neque enim dubium eſt, ſeniores illos & pontifices ebrioſos, maximeque illa nocte paſchali ebrios, cũ dominum noſtrũ cepiſſent, quaſi pro victoria lætos, fœcundiores ſibijnuicem propinaſſe calices, & eò cuique alacrius vinum porrexiſſe, quo viſus fuiſſet properantior atq; promptior miniſter illorum, pro ſacrilega illorum voluntate, ad comprehendendum illum, ad tenendum, ad cohortandum ſocios, vt cautè ducerent illum, ad inſultandum illi, ad congratulandum principib. ſuper hoc, quaſi victoribus magnis. Sequitur. [Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius, & fortis ipſe quaſi quercus, & contriui fructum eius deſuper, & radices eius ſubter. Ego ſum qui aſcendere vos feci de terra Aegypti, & eduxi vos in deſertũ quadraginta annis, vt poſſideretis terrã Ammorhæi, & ſuſcitaui de filijs veſtris in prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazaræos. Nunquid non ita eſt filij Iſrael, dicit dominus? Et propinabitis Nazaræis vinum, & prophetis mandabitis, dicentes, ne prophetetis.] Mira & terribilis oppoſitio. Quorſum enim tendit hæc per oppoſitionem facta exterminationis Amorrhæi, & altitudinis eius cõmemoratio, niſi vt oſtendat Deus ſeſe ex aduerſo ſtare, & repugnantem eſſe declinantibus viam humilium, & per ſuperbiam conterentibus capita pauperum, quo pro ſcelere arguit Iſraelem factũ de paupere ſuperbum? Ego autem (inquit) exterminaui Amorrhæum. Vtique poterat dicere, ego autem propter ſuperbiam de cælo deieci diabolum. Amorrhæus nanque amaricans interpretatur, & diabolum ſignificat, qui totus felle odij, & omnis nequitiæ ſemper & incurabiliter eſt amarus omniq; dulcedini diuinitatis omninò contrarius. Hunc talem Amorrhæum nimirum Deus exterminauit, de terminis ſuis eiecit, & exterminationis eius immutabilem tenet ſententiam, dicens in pſalmo. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam. Nã ne dubites, quem dicat Amorrhæum illum, inquit, cuius altitudo cedrorum altitudo eius. Profectò illum eſſe diabolum alius propheta teſtatur, dicens Pharaoni in ſermone domini. Cui ſimilis factus es in magnitudine tua? Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano pulcher ramis & frondibus nemoroſus, excelſiusq; altitudine, & inter condenſas frondes eleuatum eſt cacumen eius. Et ſubinde cedri non fuerunt altiores illo in paradyſo Dei, abietes non adæquarunt ſummitatem eius, & platani non fuerunt æquales frondibus illius. Omne lignum paradyſi non eſt aſsimilatum illi. Ergo hic Amorrhæus diabolus eſt, cuius erat typus ille Amorrhæus quem occidit Iſrael viuente adhuc Moyſe, cuius & Pſalmiſta meminit, dicendo. Et occidit reges fortes, Seon regem Amorrhæũ, & Og regem Baſan. Iſti duo reges fuerunt Amorrhæorum, quorum Moyſes in Deuteronomio reminiſcẽs. Solus (inquit Og rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gygantum. Monſtratur lectus eius ferreus, qui eſt in Rabath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus. Vtrorumque ergo miniſci conuenit hic in vno Amorrhæi nomine, ſcilicet & hominis regis ſuperbi, & diaboli omnium regis ac principis, cuius nimirum altitudo quaſi cedrorum fuit imò & cedrus omnib. in paradyſo Dei, id eſt, cunctis angelicis poteſtatibus altiorem ſe eſſe voluit, & fortis ipſe quaſi quercus, quia videlicet ſub Deo flecti, & creatori ſuo contempſit eſſe ſubditus. Mira igitur (vt iam dictum eſt) & terribilis oppoſitio, cum præmiſſo peccato ſuperbiæ Iſrael declinantis viam humilium. Ego (inquit) exterminaui Amorrhæum, &c. Per hoc enim terribiliter innuit quod elati in ſuperbiam infelices Iudæi, in iudicium inciderint diaboli, ſicut & Amorrhæus, homo qui (vt iã dictum eſt) typus erat diaboli, quòd ſcilicet auferretur illis regnum Dei, de quo Amorrhæus diabolus excidit, & tolleretur eis locus ſiue terra, vnde Amorrhæus homo Deo exterminãte diperijt. Cũ itaq; dicit, ego exterminaui Amorrhæũ, ſubintelligendũ eſt, & mutabilis non

Duplex ſcelus in veſte pignerata.

Pſal. 21.
Pſal. 68.

Pſal. 100.

Ezech. 31.

Pſal. 134.

Deut. 3.

Fortes quaſi quercus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum, & ea quæ destruxi, non reædificabo, ita vt qui superbos exterminare cõsueui, vobis superbientibus, & viam humiliũ declinãtibus, nunc fauere incipiã, pro eo q secundum carnem filij Abrahæ estis. Non erit ita, *Matth. 21.* sed sicut Amorrhæo, id est, amaricãte diabolo, propter superbiam deiecto, multas mansiones in domo patris mei suscitandis de terra humilibus reseruaui, & sicut percusso homine Amorrhæo & gygante superbo, patribus vestris, cùm essent pauperes & humiles, terram eis dedi, ita vobis, quoniam viã humilium declinatis, regnũ Dei auferetur, & dabitur genti humili facienti fructus eius, & locus quoque vester terrenus, & gens simul auferetur. Nomen quoque Amorrhæi. i. amaricantis, nónne Iudæo congruit, qui to- *Ioan. 15.* tus in felle positus amaritudinis, sicut ipse Christus ait, & Christum cuius opera vidit & audiuit, & Deum patrẽ eius odit? Vtranque vindictam, vndè iam præfati sumus, breuibus verbis per similitudinẽ altitudinis cedri, siue quercus sese intentare significat, cũ subiungit. Et contriui fructus eius desuper & radices eius subter. Fructus enim Iudaici populi desuper, cælestia fuere dona Dei, & radices eius subter, terrena fuere bona, quibus cordis radicẽ fixit, quod facere debuit, & hunc vtrunq; fructum dominus contriuit, quia (sicut iam dictum est) vtraque bona perdidit in illo Amorrhæo, cuius terram ad tempus possedit, ita & fructus contritus est pariter, & radix, vt non solùm terra eius tolleretur, sed & ipse ferro succideretur, & omnis posteritas eius deleri iussa est. Porrò, & Amorrhæi diaboli tunc fructus desuper contritus est, quando de cælo in hunc aerẽ deiectus est, tunc autem radices eius conterentur subter, quando de isto quoque aere siue mundo, vbi manè fructificat, in perfidorum cordibus penitus euelletur, & in infernum præcipitabitur. Vtraq; bona, quæ *Israel & cælestia & terrena bona amisserunt.* Israeli contulerat, quæq; propter superbiam ablaturus erat, hoc modo ingratis commemorat. Ego sum (inquit) qui ascendere vos feci de terra Aegypti, & eduxi in desertum XL. annis, vt possideretis terrã Amorrhæi. Hoc nanq; beneficium terrenum est. Et suscitaui de filijs vestris prophetas, & de iuuenibus vestris Nazarænos. Hoc beneficiũ cæleste est. Nazaræos. i. sanctos & prophetas de illa gente dominus quã multos suscitauit, qui fecerunt fructum regni dei, quis hoc negare possit? Vtiq; nemo. Idcirco fidenter interrogat. Nunquid non ita est filij Israel, dicit dominus? Sciens quod illi respondere non possunt aliud, nisi quia ita est. Vtrunq; (sicut supra iam dictum est) perdiderunt, scilicet & cæleste Dei regnũ, de quo est multiplicitas prophetarũ & Nazaræorũ. i. sanctorum, & eũ qui fuit Amorrhæi, locũ terrenũ. Verũ illa bona regni Dei, sicut nemo inuit*, nemo nisi volẽs amittit, ita nec illi. Volẽtes nanq; amiserunt, volentes repulerunt. Hoc est q continuò sequitur, & ppinabatis Nazaræis vinũ, & prophetis mandabatis dicentes, ne prophetetis. Nazaræis nanq;, habentibus sùper se continentiæ votum, propinare vinũ, & voti reos facere, satis p argũmento est, nullum velle habere sanctũ, & prophetis mandare, vt non prophetarent, hoc nimirũ erat, nõ solũ loqui, sed etiã agere contra spiritum S. qui loquebatur per os pphetarum. Cũ autem ita spernerent cæleste Dei regnũ, nihilominus tamen semper possidere voluisse nt locum Amorrhæi terrenũ. Profectò supernæ iustitiæ non sic erat cõplacitum. Sed quid? Continuò sequitur. [Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrũ onustum fœno, & peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutẽ suã, & robustus non saluabit animã suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascẽsor equi non saluabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus fugiet in die illa, dicit dõs.] Breuiter cũ dicit. Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrũ onustum fœno, illud innuit quod retinere nõ queant illũ iam sæpedictum Amorrhæi locum, sed transmigrare debeant ad aliũ, quoniam contempserunt illud quod melius est Dei regnum, sicut fœnũ succisum, plaustroque impositũ ad comburendũ, eò q sit aridum, & nullum eum rore cæli iam possit concipere, vel reddere florem aut fructum. Porrò, plaustrum stridens, eo ipso quod stridet, & longè exululat semetipsum onere prægrauatum esse indicat. Illud ergo per hanc similitudinem significare videtur, quod quandocunque Israel succidatur, & de terra sua transferatur, taliter fiat, vt sciãt *2. Para. 7.* gentes longè per circuitũ, quia sic eius promeruit iniquitas. Vnde ad Salomonẽ de huiusmodi loquens Dñs. Omnis (inquit) qui transierit, stupebit, & sibilabit, & dicet: Quare sic fecit dñs terræ huic, & domui huic? Et respondebunt. Quia dereliquerunt dominum Deum suũ, qui eduxit patres eorũ de terra Aegypti, & secuti sunt deos alienos, & adorauerũt eos, & coluerũt, idcirco induxit super eos dñs omne malũ hoc. Nimirũ hoc est dominum, quasi plaustrũ onustum fœno, stridere, & causas excidij vel captiuitatis illorũ latere nõ sinere. Et q plaustrũ tardi* procedit, atque idcirco citius ab insequentibus potest comprehendi, fœnumq; comprehensum facile est dispergi, aut etiã igni succẽdi, peribit (ait) fuga à veloce, & fortis nõ obtinebit virtutẽ suã. Hæc & cætera, si ad decem tribuum, quę tunc imminebat, captiuitatem respicimus, singula de singulis taliter intelligenda traduntur. Peribit fuga à veloce, quem Hebræi Hieroboam filium *Expositio Hebræorũ.* Naboth intelligunt, qui prius in Aegyptum fugerat. Hic autem non ipsos principes, sed domos eorum & sobolem accipiamus.

Et fortis

Et fortis non obtinebit virtutem suam. Fortem Baasa interpretatur, qui fuit ad bella promptissimus, & robustus non saluabit animam suam, hunc Amri sentiunt. Et tenẽs arcum, non stabit, de Iehu filio Namsi, qui Ioram regẽ Israel sagitta percussit, dictum putant Et velox pedibus suis non saluabitur, Manahen intelligunt, qui frustra festinans regi assyriorum dona direxit. Et ascẽsor equi non saluabit animam suam. Hunc *4. Reg. 17.* Phaceæ filium Romeliæ interpretãtur, qui *Melior expositio.* iuncto sibi Syro, sub rege Achaz Iudæ, multa vastauit. Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit dominus, solus Osee, qui vltimus rex decem tribuum fuit, & errantem populum ad Dei cultum reuocare conatus est, quasi nudus egredietur de incendio. Nudum autem vocat, quia sub ipso decem tribus captæ fuut. Hoc Hebræi autumant, ait Beatus Hieronymus. Cæterũ si ista quoque referre cupimus ad tempus illud, quod propheta prospiciens in initio dixit: Dominus de Syon rugiet & de Hierusalem dabit vocem suam, scilicet ad tempus Euangelicæ prędicationis, quod extrema subsecuta est captiuitas illius populi, cœtus ille pharisaicus siue Iudaicus rectè cunctis denotatur nominibus istis. Ille namque veraciter & pro vera similitudine, peccatis exigentibus meretur fœnum dici, falso autem & pro vana suimet æstimatione velox, fortis, robustus, tenens arcum, velox pedibus suis, ascensor equi, & robustus corde, ad tẽpus potuit videri. Vndè notandum, & consideratione dignũ, quia quoties hic malum eis intentat per enunciatiua verba hæc, stridebo super vos, peribit fuga, non obtinebit fortis virtutem, non saluabit robustus, non stabit tenẽs arcum, non saluabitur velox nõ saluabitur ascensor equi, fugiet robustus corde. totidem vicibus, id est, octies, Væ generationi illi, inclamat Dominus no- *Octo vicõ tra Scribas & Pharisæos. Matt. 23.* ster. Væ (inquit) vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarũ, oratione longa orantes. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum. Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicunq; iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debet. Væ vobis Scribę & Pharisæi hypocritę, qui mundatis, quod deforis est calicis & parapsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Vę vobis Scribæ & Pharisęi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum. Econtra respiciendum, *Octo beatitudines.* quia totidem, id est, octo vicibus sanctos suos beatificat idem Dominus. Beati (inquit) *Matt. 5.* pauperes spiritu. Beati mites. Beati qui lugent. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Beati misericordes. Beati mũdo corde. Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Item, damnationis infelicium quot verba sunt superius digesta, stridebo subter vos, &c. totidem, id est, octo beatitudinis sanctorum prædicationes sunt, quoniam ipsorum est regnum cælorũ, quoniam ipsi possidebunt terram, quoniã ipsi consolabuntur, quoniam ipsi saturabũtur, quoniam ipsi misericordiam consequẽtur, quoniam ipsi Deum videbunt, quoniã filij Dei vocabuntur, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Nec frustra & hic nume- *Octonarij numeri mysterium.* rus octonarius in remuneratione piorum, & illic in dãnatione consideratur impiorũ, quia videlicet vtraque pars octaua mundi ætate consummabitur, & tunc manifestè scietur, quia iudicia Domini iusta & vera sunt. Nec ex parte, vt nunc, sed integrè cognoscetur, quàm vero iudicio fiat, vel factũ sit illud, quod hactenus itidem octo vicibus ait, non conuertam eum quæ summatrium & quatuor scelerum vindicta est.

FINIS LIBRI PRIMI IN AMOS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN AMOS PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

MAGNA valdè,& nihilominus iusta iudicia Domini maximâ circa gentem Israeliticam admirãda sunt quia videlicet gens illa,sicut pro parte electorum cunctis insignior,ita pro parte reproborum,cunctis coram Deo & coram hominibus facta est vilior,damnata tam in præsenti,quàm in futuro seculo.& hęc iudicia sunt quidem dignè admiranda, sed non nimis importunè scrutanda. Scriptũ est enim. Et qui nimius scrutator est maiestatis,opprimetur ab ea, quis porrò nimius scrutator maiestatis est iudicandus,nisi qui extra quam debet, maiestatem scrutatur? Certus quippe est locus, in quo tantummodo illam scrutari nobis conceditur, qui videlicet locus sancta scriptura est. In illa & per illam tantummodo licere nobis iudicia domini scrutari, Psalmista testatur,cum dicit. In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui, addendo nanq; oris tui, contentũ se esse indicat authoritate vel testimonio scripturæ sacræ,quam vtique locutum est os Domini & quis extra illam iudicia domini scrutatur, nisi qui proprij cordis suspicionem testatur? Talis vtiq; scrutator maiestatis nimius est, vndè & oppressus ab ea, diuersas & contrarias incurrit hæreses.Contenti igitur competenti loco, mentem benevolam, auremq; attentam diuinæ authoritatis vocibus accommodemus.Quę profectò de oraculo sancti spiritus cum admiranda subtilitate taliter proferũtur. [Audite verbum quod locutus est dominus super vos filij Israel, super omnem cognationem,quam eduxit de terra Aegypti,dicens. Tantũmodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Nũquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis? Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Nunquid dabit catulus leonis vocem suam de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra,antequam quid ceperit? Si clanget tuba in ciuitate,& populus nõ expauescet?Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit? Quia non faciet Dominus Deus verbum,nisi reuelauerit Dominus secretum suum ad seruos suos prophetas.Leo rugiet,quis nõ timebit? dominus Deus locutus est,quis non prophetabit?] Dicta hæc verè clarissima & valdè splẽdida sunt, sed splẽdor & claritas eorum propterea minus lucet,quia nostram caliginem patimur,& à nimia claritate lippientes oculi reuerberãtur. Quòd si sensum eorum,ipso aspirante cuius dicta sunt,aliquatenus consequi meruimus profectò iudicia domini non solum humiliter, verumetiam scitẽr laudare poterimus. Audite (inquit) verbum quod locutus est Dominus super vos filij Israel. Magna dictu rus iste,paulò antè Thecuites pastor, & statim cælestis rhetor, competenter attentum postu'at auditorem,& hoc agit cum commemoratione magni & noti beneficij, dum præmisso audite verbum, quod locutus est Dominus,subiungit,super omnem congregationem quam eduxit de terra Aegypti. Scit namque,quia maximè commemorando beneficium hoc debet effici,vt auditores qui iam poterant esse attenti, sint etiam benevoli. Locutus est autem dominus,dicens, tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ , idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Iam ad istam domini locutionem Israel impœnitens,non tamen impunitus sese in sua pœna erigit, & de ipsa pœna,quam dissimulare vel abscondere non potest, culpam adhuc defendit, & gloriabundus dicit. Idcirco nos tantùm præ cæteris gentibus à Deo corripimur,ducti in omnes gentes captiui, quia nos præ cæteris gentibus diligit, sicut ipse in propheta dicit. Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ,idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eas, cum iudicij dies venerit, in plenitudine peccatorum puniat,ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, tunc demum nos vindicet. Hoc modo semetipsos corpore & anima captiui consolantur adhuc , sed verè frustra, quamdiu impœnitentes sunt, neque peccato abrenunciant,pro quo puniuntur. Quo enim corripiendo DEVS, quo visitando iniquitates tendit Dominus, nisi vt flagellis commonitus peccator,peccatum agnoscat , veniamque precetur ad meliora conuersus ? Illic omninò intendit, vt peccator,in quo displicuit DEO, displiceat etiam sibi. Quod si adeò rebellis est & duræ ceruicis , vt flagellando id effici

Prou. 25.

Psal. 108.

CAP. III.

Procax de fensio Iudæorum in plagis.

Intẽtio dei corripientis

effici non possit, tunc demum non iam vt pater pius, sed vt iudex iratus contumacem foras mittit & abijcit,nullo modo conuenientem vel consentientem sibi. Hanc intentionem suam Deus notam esse volens, post aliqua in eodem propheta dicit. Vndè & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris,& indigentiã panum in omnibus locis vestris,& nó estis reuersi ad me, & cætera. Igitur tantis oppressus malis est populus,non est vndè se consoletur, dum de pœna nequaquam ad correctionem erudi tur. Et quia libimet in hoc blanditur, quod dicit Dominus, tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus, sæuiori sensu hoc idem in ipsum taliter retorquẽdum est. Ita vos cognoui (ait Dominus) ex omnibus cognationibus, vt cognitionem mei vos habere facerem, dãdo vobis legem scriptam,quam cæteris non dederam nationibus. Est autem dignum, vt seruus sciens voluntatem domini sui,& non faciens dignè plagis vapulabit multis, nesciens autem, plagis vapulet paucis. Igitur visitabo super vos omnes iniquitates vestras instante iudicio, remota misericordia, tanta cum sæueritate, vt ne saltem commonitorium vobiscum sermonem conferre libeat. Quod si adhuc quæritis, ecce hoc ipsum quam rationabile sit, per hoc simile intimo cuilibet auri audienti. Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis? Vtique dicetis mihi,Non. Ad hęc,inquam,Nos duo sumus ego qui arguo vel corripio De⁹,& Israel qui corripitur. Nimirum non conuenit nobis, quia me corripientem Deum correptus Israel non audit. In hoc nobis nimium discõuenit,quia ego arguo,ille se defendit. Ecce tot anni sunt,& tot reges fuerunt, ex quo Hieroboam vitulos aureos fecit, misi prophetas, & nullus consentit, nullus enim regum à peccatis Hieroboam recessit. Item & per memetipsũm veni arguens & corripiẽs Deus homo factus. Vos autem iustificatis vos coram hominibus, & cum sitis infirmi, dicitis medico, non es tu nobis necessarius. Igitur non pariter ambulabimus, sed & Israel in Assyrios,& Iuda in omnes gentes ductus captiuus,nulla per prophetas aut prædicatores aliquos mei confabulatione dignus iudicabitur,quia scriptum est. Ne effundas sermonem vbi non est auditus. Quod si & adhuc simile vel exemplum quæritur. Ecce aliud, Nunquid rugiet leo in saltu,nisi habuerit prædam? Leonis quippe natura est quamdiu prædam non inuenerit,silere, inuenta autem præda, rugire, vt quodcunq; illud sit animal, rugitu tremefactum & attonitum concidat,& in prædam fortiori non tam patienter quam impatienter cedat. Porrò,leo per similitudinem Deus fortissimus est,cuius iræ resistere nemo potest. Præda verò eius est,omnis electus,qui vbicunque sit,quoniam ad vitam est prædestinatus, ab ipso Deo requiritur,vt ad vocem eius, siue per angelum,siue per prophetam, siue per scripturas, auditam ille contremiscat,diemque iudicij vel pœnam gehennalem pauescens, totus humiliter succumbat, pœnitentiam apprehendat, sicque in partem eius cedat,vt vnus cumeo spiritus fiat,bene deuoratus, iuxta illud. Macta & manduca. Igitur quod ait, Nunquid rugiet leo in saltu nisi habuerit prædam? Idem est ac si dicat, Nunquid dignum Deo est, illic verba facere, vel illuc prophetam mittere, vbi scit non esse quenquam dignum vitæ æternæ? Ad quod cum ratione exigente responderis, Non. Consequenter,vt iustum est, concedas esse Dei iudicium, in eo quod clausit Israeli ora prophetarum, nullumque super eum suæ prædicationis emittit rugitum. Hoc ipsum & in suo aduentu attendit DEI filius. Vndè & sequitur, Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? Catulus leonis CHRISTVS est filius fortissimus Dei fortissimi, secundum illud patriarchæ Iacob. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. Cubile eius sepulchrum eius extitit, de quo idem continuò subiungit, Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Vox quam dedit iste catulus leonis de illo cubili, Euangelij prædicatio est, quam cunctis gentibus auditam fecit, postquam de illo cubili, id est, de sepulchro exiliuit, resurgendo ex mortuis. Ait ergo. Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? Ac si dicat, Nunquid Euangelium suum illis gentibus vel illis in locis prædicabit, aut prædicari iubebit , vbi nullum sciat esse qui ad se pertineat, & suscipere debeat gratiam prædicationis? Non vtique, immò tacebit, & prædicatores suos illic vocem dare prohibebit. Hinc enim de ipsis prædicatoribus scriptum est, Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti sunt à spiritu sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem Mysiam, tentabant ire Bythiniam,& non permisit eos spiritus Iesu. Ibi ergo vel eo tempore vocem dat iste catulus leonis, vbi vel quando nouit inueniendum esse,quod apprehendat, id est, aliquem qui credendo saluus fiat. Vndè iterum ibidem scriptum est. Cum autem pertransissent Mysiam,ascenderunt Troadem,& visio per nocte Paulo ostẽsa est. Vir Macedo quidam erat stans,& deprecans eum dicens. Transiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quia vocasset nos DEVS Euangelizare eis. Interea notandum est, quod præcedenti versiculo cum dicit. Nunquid rugiet leo, signanter addit, in saltu: & tunc demum subiungit, nisi

Infra. 4

Israel durius puniri debet quã cætera gentes.

Luc. 12.

Eccles. 32. Leo Deus, Præda electi.

Acto. 10.

Acto. 16.

Saltus superexcrescens numerus hominũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi habuerit prædam. Quod itidem subaudiendum est, in hoc sequenti versiculo cum dicit. Nunquid dabit catulus leonis vocem suam, videlicet in saltu? Quid enim per saltū intelligi oportet, nisi multiplicitatem generis humani, quæ super numerum creuit, cuius abundantia tota syluestris & sterilis est? Leo quippe siue catulus leonis non saltum, sed in saltu aliquid apprehendere quærit. i. Deus siue Christus Dei filius non illos, quorum vt nascerentur causa peccatum fuit, sed tantum filios benedictionis per legem siue per Euangelium suum requisiuit, & requirit, & vbi vel quando requirere debeat, vel quinam illi sint, ipse nouit. Quos autem dicimus filios benedictionis? Nimirū illos, quos creatis primis hominibus benedicendo iussit nasci, sicut scriptum est. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculam & fœminam creauit eos. Benedixitque illos Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terrā, & subijcite eam. Solos nimirū electos suos tunc iussit nasci, & nisi peccatum incidisset, soli nati fuissent vel nascerentur electi. Quicunque nascuntur supernumerum electorū vt nascantur, propter peccatum fit, & peccatum causa est multiplicitatis eorum, siue multitudinis, quia videlicet propter peccatum mulieri Dominus dixit. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Ista multiplicitas coram leone isto, siue catulo leonis quidam saltus est, in quo deuoluti sunt, & dispersi errauerunt, omnes electi Dei, vt nō potuissent inueniri vel discerni, nisi magna vigilantia requisisset eos Deus, vel filius dei tanquam famelicus leo, vel vt esuriens catulus leonis. Igitur tribus his versiculis. Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis. Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam. Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit. tribus (inquam) istis versiculis, si rectè intelliguntur, satis excusatum arbitramur Deum, quòd non sine præiudicio dixerit toties superius, non conuertam eum. & qđ perditionis aliquorum hominum causa nō sit eius silentium. Non enim propterea, quia siluit ipse, aliqui perierunt, sed propterea, quia conuerti non poterant, continuit ab illis vocem suam, non ignorans (vt ait Sapientia) quoniam iniqua est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuū. Semen enim erat maledictum ab initio. Sed fortè dicet aliquis. Iste idem catulus leonis suo ore dixit. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitētiam egissent. Item, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque ad hanc diem. Cur ergo saltem illic leo non rugijt, quādoquidem erat ibi, quod apprehendere potuit? Verùm de hoc iam alibi diximus. Et idcirco non diu immorandum est, breuiter tamen repetemus, quia deus de tali illorum pœnitentia non curauit aut curare debuit, quæ non ageretur pro æterna salute futuri sæculi, sed pro vitanda aduersitate, pro retinenda prosperitate vitæ præsentis. Vt ergo verba prophetica prosequamur, sciendum prius est, quia sicut ad spiritum propheticum pertinuit, iustificare Deum, & excusare de his, qui pereunt, ita nihil ominus ad eundem pertinuit, gratiam Dei commendare in his, qui salui fiunt. Hoc animaduerso, videamus quid sequitur. Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? O quàm vilium similitudines rerum, quàm pretiosum prædicant sacramentum. Propheta hic de pastoralib. assumptus, qualia videre vel agere solitus erat in pascuis, tālibus contentus est ad commendanda per aliquas similitudines diuina mysteria sic incipiendo. Et luxerunt speciosa pastorum, & deinde dicendo Dominus de Syon rugiet & nunquid rugiet leo in saltu, & nunquid cadet auis in laqueum, & cætera his similia, quæ cuncta ferè pastoralia sunt. Sufficiunt cælesti magisterio res siue instrumentū non solùm piscatorum, verumetiam pastorum, vt per eorum similitudines docti sint & doceant conuenienter gloriam rerum cælestium. Nunquid cadet (ait) auis in laqueum terræ absque aucupe? Videlicet respondebitis, Non. Nisi enim auceps arte sua laqueum diligenter tendat, & omni satagat industria, quatenus auem capiat, auis fugitiua semper & vaga prius fauces incurrit accipitris, siue columba, siue turtur illa sit, aut certè turdus pinguis. prius (inquam) accipitri cedet in prædam, quàm sua sponte ad regis inclyti deuolet mensam, quam ergo gratiam prouidus auceps habeat illi cum suo illam laqueo cœperit? Vtiq; nullam, sed eiusdem potius industriæ res omnis attribuenda est: sic profecto dum animam errantem & per vanitates & insanias falsas volitantem, veritas DEI suo laqueo comprehenderit, ita vt consentiat veritati, bene illaqueata verbo salutis, cui contradicere non posit, & idcirco nec etiam velit, totum gratiæ Dei attribuendum est, qui boni verbi sui laqueum tendit, vt auicula vaga, scilicet anima prius deueniat in manum domini Dei, quam fauces incurrat diaboli. Ergo per hanc similitudinem versiculus iste Dei gratiam, sequens autem Dei potentiæ efficaciam, efficacem dei commendat potentiam. Ait enim? Nunquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit? Hoc enim idem est, ac si dicat, DEVS intendens opus bonum, opus perfectum. Nunquid verbum meum redibit ad me vacuum? Non vtique. nam etiam in alio propheta dicit ipse, Et quomodo

Filij benedictionis.

Genes. 1.

Gen. 3.

Sapien. 12.

Obiectio.

Matth. 11.

Solutio. Supra in Osee, lib. 2.

Anima vt auis, verbū Dei vt laqueus.

Esaiæ 55. modo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Secundū sensum eundem dictum hoc accipiamus, ac si dicat propheta. Sic laqueus non auferetur de terra, antequam quid capiat. sic verbum meum in vacuum non ibit, sed in eo prosperabitur, vt omnem electorum numerum ad me reducat. Sed nunquid in collectione electorum, quæ per laquei captionem rectè intelligitur, sicut & per laxationem retium piscantium sola operata est, vel operatur sapientiæ ratio, & non etiam fortissimus iudicij terror auditus in omni mundo. Sequitur ergo, Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Tuba namque belli signū, reuelationem iræ Dei significat venturæ super omnē impium, quæ tunc temporis quidem nunciabatur vocibus legis & prophetarum, tandem autem reuelatur per Christi Euangelium. Iustitia enim Dei (inquit Apostolus) in eo reuelatur. Itē, Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatē Dei in iniustitia detinent. Ergo quod ait, si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet, idem esse videtur, ac si dicat. Quamuis verbum vel sapientiam Dei comprehendentem simplices in simplicitate eorum, & sapientes in astutia eorum, per similitudinem laquei significauerunt, nequaquā tamen existimes, quod semper suppresse resonare, vel in angelis susurrare, & de humo audiri debeat verbum Dei. Sic enim terribiliter in toto audietur orbe, sicut tuba clāgens in ciuitate, quam cum populus audierit, sine dubio expauescit. Porrò ciuitas diaboli contraria ciuitati Dei, neq; per subtilitatem laquei, neque per terrorem tubæ clangentis conuertitur, vt respiscat & effugiat iram Dei, & propter hoc neque in hoc sæculo, neque in futuro, malum deest illi, faciente iudicio Dei. Sequitur ergo, Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit? Et quidem in ciuitate illa, id est, in hoc mundo, qui in maligno positus est, malum esse non potest negari, sed quod Dominus malum ipsū faciat, negare contendunt ciues eiusdem ciuitatis, Deo rebelles & increduli. Exempli gratia, Malum venit in ciuitatem Samariæ propter vitulos aureos, quos fecit Hieroboam, cuius à peccatis nullus regum Israel recessit, illud videlicet malum, quod Israel ab Assyrijs captiuus ductus est. Malum itidem venit in ciuitatē Hierusalem, vt primū à Babylonijs, & deinde excinderetur à Romanis. Nónne huiusmodi malum dominus fecit? Etenim malum quidem, quod est iniquitas, dominus nō fecit, sed malum, quod est affectio propter iniquitatem, Dominus induxit. Vnde hoc comprobari poterit? Ait. quia non faciet dominus Deus verbum, nisi reuelarit Dominus secretum suum ad seruos suos prophetas. Nimirum ad comprobandum, quod Dominus fecerit eiusmodi malum, magnum & euidens est argumentū quòd priusquam faciat illud, priusquam veniat ipsum malum, dum adhuc in dispositione Domini latet secretum, reuelat illud seruis suis prophetis, vt illi prænuncient futurum, vt audientes aliqui metuant, sibiq; caueant, & fugiant, iuxta illud. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Sic non fecit Dominus Deus diluuiū, nisi prius reuelaret secretum suum ad Noë seruum suum. Sic non pluit ignem & sulphurem super Sodomam & Gomorrham, nisi prius reuelaret secretum suum ad Abraham amicum suum. Sic nō percussit Aegyptum, neque submersit Pharaonem in mari rubro totumq; eius exercitum, nisi prius reuelaret secretum suum ad Moysen seruum. Sic & de cæteris omnibus sentiendum, quæcunq; acta vel agenda sunt vsque ad nouissimam tubam, qua personante, vltimum celebrabitur iudicium: quia nihil actum vel agēdum est, ita vt non sit ante reuelatum. Itaq; non erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit, quod exinde comprobari potest, quia non fecit quicquā dominus Deus, nisi prius ad seruos suos prophetas secretum suum reuelauerit. Hæc isto dicente, qui pastor fuit, subaudiendū est, ac si dicat, quia malum in Israel faciet dominus, & antequā hoc faciat, ad me seruū & prophetam suū secretum suum reuelauit. Itē & illud memoriter tenendum est, quia rebellis & contemptor Israel cum regibus suis, silentium indicebat prophetis, sicut superius in persona sua dominus dixit. Et propinabatis Nazaræis vinum, & prophetis mandabatis, dicentes, ne prophetetis. Et cui ex omnib. prophetis proteruius mandaret, quā isti qui pastor fuit. Itaq; pecorum quidem pastor, sed regum imperator forti auctoritate sese accingit, & dicit. Leo rugiet, quis nō timebit? Quam similitudinem vt quid arripuerit, sequenti protinus percunctatione aperit, cum dicit. Dominus Deus loquutus est, quis non prophetabit? Est enim hic sensus, Vos reges & principes, & superbi diuites, assueti eius mandare prophetis, & dicere ne prophetetis. Quis est hic? Ego autem dico vobis, quia loquente domino & dicente, vade & propheta, ego ita quasi ad rugitum leonis timeo, & tacere non audeo, & prophetandi necessitatem habeo, quamuis vos reges, & ego sum pastor. Et quid vultis? Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm DEVM, iudicate. Sed nunquid spectandum erat illi ad arbitrium siue iudicium illorum, quibus consue-

Psal. 59.

Gen. 6.

Ibidem 18.

Exod. 3. 4.

Rom. 1.

Quod malum faciat dominus.

Supra 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

consuetudo erat mandare & dicere prophe
tis, ne prophetetis? Nónne secundum velle
illorum, non Deo potius quam hominibus
sed hominibus potius quam Deo putaret es
se obediendum? Nempe Deum præferre ho
mini regi, rebellionem esse censerent. Hinc
enim longè inferius scriptum est, & misit A
masias sacerdotes Bethel ad Hieroboam re
gem Israel dicens. Rebellauit contra te A
mos in medio domus Israel, non poterit ter
ra sustinere vniuersos sermones eius. Rectè
igitur non expectata responsione, cum dixis
set, Leo rugiet, quis non timebit? Dominus
Deus locutus est, quis non prophetabit? con
festim ipsum domini rugitum, ipsam Domi
,,ni Dei loquutionem côstanter adiecit. [Au-
,,ditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus
,,terræ Aegypti, & dicite. Congregamini su-
,,per omnem montem Samariæ, & videte in-
,,sanias multas in medio eius, & calumniam
,,patientes in penetralibus eius, & nescierunt
,,facere rectum, dicit Dominus, thesaurizan-
,,tes iniquitatem, & rapinas in ædibus suis.
,,Propterea hæc dicit Dominus Deus Tribu
,,labitur & circuietur terra, & detrahetur ex
,,te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.]
Hic est rugitus leonis, hæc est loquutio Do
mini terrentis prophetam, ne tacere audeat
prophætare ne differat, iubetur vt annun-
ciet Azoto & terræ Aegypti, quæ sequun-
tur. Dicite (inquit) vt congregentur, quæ in
vicino sunt, & videant scelera Israel, ne ini-
quum putent esse iudicium. Ac si dicat, Pri-
us videte, quæ faciunt, & tunc meam senten
tiam comprobate. Propter huiusmodi soli-
citudinem Moyses sese habere ostendebat,
quando irato domino propter vitulum quē
fecit Aaron, & dicente. Dimitte me, vt ira-
scatur furor meus contra eos, & deleam eos,
faciamq; te in gentem magnam, stans in con
fractione, id est, in nimia cordis humilitate
in conspectu eius orabat, dicens. Ne quæso
dicāt Aegyptij, callidè eduxit eos vt interfi
ceret in montib. & deleret è terra, quiescat
ira tua, & esto placabilis super nequitia po-
puli tui. Igitur quoniam tunc, vt videbatur
amico meo Moysi, non expediebat honori
meo delere illos, ne tale quid dicerent Aegy
ptij, quia nondum innotuerant illis causæ,
propter quas iustè deberem contra populū
meum irasci, nunc insanię, quas faciunt, in-
notescant & Aegyptijs & Azoto, id est, Phi-
listhijm, qui Israelis inimici sunt perpetui,
& videant magnitudinem insaniæ, imò mul
tas insanias in medio Samariæ, vt pro Deo
adorent vitulos, & immolent filios suos, &
præterea calumniam faciant in penetralibus
suis, ita calumnioſi, ita iniusti, vt rectum fa-
cere nesciant, id est, nullo modo approbent
rectitudinem siue iustitiam. Denique hoc
nescire contemnere est. Secundum hūc mo
dum Pharao non intelligēs. Nescio (inquit)
Deum, & Israel non dimittam. Iudæi quo-

Acto. 5.

Infra 7.

Exod. 32.

Nescire per contemptum. Exod. 5. Ioan. 9.

que videntes Dominum & opera eius, qua-
lia nemo alius fecit. nos scimus (aiunt)
quia Mosi locutus est dominus, hunc autē
nescimus vndè sit. Porrò nescire istorū prę- *Exod. 23.*
senti loco maximè cupiditas, quę excęcat o-
culos etiam sapientium, fecisse innuitur, cū
protinus subditur, Thesaurizantes iniqui-
tatem, & rapinas in ædibus suis. Quantæ
hoc damnationis sit, videlicet thesauros cō-
gerere de iniquitate & de rapinis, præsertim
in illo populo, qui pauper in Aegypto fuit,
quē misericordia liberatoris dei de illo ca-
mino paupertatis eduxit, nō satis dignè po-
test edici. Superbia hęc maximè detestabilis
est in seruis illis de paupertate & seruitio re-
dęptis. Idcirco pulchrè cōgregamini (inquit)
super omnem montem Samariæ, & videte,
montium nomine magnitudinem volens
intelligi superbiæ. Nam prouincia quidem
Samariæ in mōtuosis sita est, sed ad cognos-
cendam die iudicij dei iusticiam, plus valet
considerare altitudinem Samiritanæ superbiæ, quàm terrenos siue locales montes Sa-
mariæ. Propterea tribulabitur, ait & circu- *Iudi. 3.*
ietur terra, & detrahetur ex te fortitudo Iu
dę & diripientur ędes tuę, parū esset dixisse,
tribulabitur & circuietur terra, nisi addidis-
set, & detrahetur ex te fortitudo tua. Deniq;
& ante tępora illa tribulata fuerat terra, tūc
videlicet, quando (sicut in libro Iudicū legi-
mus) tradidit dominus Israel in manu Chu-
sanrasathaim regis Mesopotamię, seruieruńt-
q; ei octo annis. & tunc quando confortā-
uit aduersus eos Eglon regem Moab, ser-
ieruntq; ei octodecim annis. & tunc quan
do tradidit illos in manus Iabin regis Cha-
naan, & per viginti annos vehementer op-
pressit eos. & tunc quando tradidit eos in
manus Madian septem annis, & oppressi
sunt valdè ab eis. & tunc quando tradidit e-
os in manus Philistijm & filiorum Ammon,
afflictiq; sunt & vehementer oppressi per ān
nos octodecim. Tot siquidem vicibus, id
est quinquies, tribulata fuerat terra. sed nó-
dum ex te ô Israel detracta fuerat fortitudo
tua. nondum enim captiuus migraueras de
terra tua. Nunc detrahetur ex te fortitudo
tua, & diripiētur ędes tuę. quia captiuus mi-
grabis omni tua suppellectili captiuantibus
Assyrijs in prędam cedente. Nam ac si quę-
rat aliquis ergo ne nullę supererūt reliquię,
continuò subiungit. [Hęc dicit dominus,,,
quomodo si eruat de ore leonis duo crura,,,
aut extremum auriculę, sic eruentur filij Is-,,
rael, qui habitant in Samaria in plaga lectuli,,
& in grabato Damasci.] Reliquię istę, vide-,,
licet duo crura & extremū auriculę cuius- *Reliquiæ Israel missę*
cunq; pecoris paruę sunt sed hoc prosunt e-
ruta de ore leonis, q̄ ex eis potest agnosci, *rę.*
quale fuerit pecus quod leo deuorauit, vtrū *Psal. 58.*
ouis an vitulus, vtrum asellus an pullus e-
quinus. Quamuis quatuor sint crura trans-
euntium sub virga pastoris, duo tamen cru-

ra pro

ra pro iudicio sufficiunt, alterum de anteri-
oribus, alterum de posteriobus. Sic, inquit,
eruentur filij Israel, id est, magnæ deuora-
tioni, multisq; mortibus superer unt aliqui,
quorum calamitas memorari faciet quid
olim fuerint, qualem gratiam pro peccatis
suis amiserint. Recordamur nunc illius in
psalmo versiculi. Deus ostendit mihi super
inimicos meos, ne occidas eos, ne quando
obliuiscantur populi mei, disperge illos in
virtute tua. Neq; enim dictum illud arbitra
mur tantūmodo de illa dispersione Iudæo-
rum, quæ facta est imperio Vespasiani &
Titi, verùm etiam de illa captiuitate de-
cem tribuum, quæ tunc instabat & facta est
captiuantibus Assyrijs. Spiritus prophetiæ
captiuitatem vtramq; prævidit, quæ idcir-
co facta, vt non tantùm vno in loco, sed in
omni terra fidem gentium confirmaret, &
idcirco pars eorum tanquam duo crura aut
extremum auriculæ de ore leonis, id est, de
cæde vastantiū eruta est, & viuere permisi
sunt, vt etiam eorum testimonio, siue mo-
nimento Dei iustitia propagetur, & scriptu
rarum veritas vbique sit, illis circumferen-
tibus, ex quib Christus Dei filius testimo-
nium habens, ex lege & prophetis cogno-
scitur. Misę ergo reliquiæ, quæ sic erutæ
sunt, quæque alijs & non sibi vtiles sunt.
Causam tantæ deuo ationis continuò sub-
iungit dicendo. Qui habitant in Samaria, in
plaga lectuli, & in grabato Damasci. Causa
magna est, & magni reatus criminis, quam
significat ve bis huiuscemodi. Illo namq;
tempore, quo prophetante isto decem tri-
buum captiuitas imminebat, fœderati erāt
filius Romeliæ rex Israel, & Rasin rex Sy-
riæ, & pariter ascenderunt ad præliandum
in Hierusalem. Cumque obsiderēt Achaz,
non valuerunt superare eum. Arguuntur
ergo filij Israel siue habitatores Samariæ,
quod requiescerēt in plaga lectuli, & in gra
bato Damasci, id est, quod siderent in homi
ne, derelicto auxilio Dei, cum scriptum sit,
maledictus qui confidit in homine, & ponit
carnem brachium suum, vt à domino rece-
dat cor eius Et quis vim sensuum verbis va
leat dignè cōsequi, dum dicitur, in plaga le-
ctuli, & in grabato Damasci? Damascū vult
esse in grabatum, imò in grabato iacentem
ægrotum, vt verè erat, cum esset rex eius
homo mortalis & obnoxius peccato atque
corruptioni, quod mirabiliter significatur
per plagam lectuli. Hominis namque sine
Deo quæ videtur esse firmitas, tanta est in-
firmitas, vt plaga lectuli id est, sicut plaga ve
hementissima propter quam plagatus, in
lectulo necessario decumbit, & neque sibi
subuenire potest neq; alij. Nam si nullum
in corpore vulnus recepisset Damascus, id
est, Damasci rex Rasin, tamen nihilominus
ad increpandam stultitiam Israel, qui posue
rat carnem brachium suum, vt à domino

4. Reg. 16. Esaiæ 7. Hier. 17.

Plaga lectuli.

recederet cor eius, pulchrè & veraciter au-
xilium illud dici poterat grabatus, qui est
lectulus ægroti. Poterat (inquam) dici pla-
ga lectuli, siue lectulus plagati. At verò Ra
sin etiam corporaliter plagatus fuit. Mittē- *4. Reg. 16.*
te nanque Achaz nuncios ad regē Assyrio- *Exitus Ra-*
rum, & dicente, ascende & saluum me fac *sin regis*
de manu regis Syriæ, & de manu regis Isra- *Damasci.*
el, qui consurrexerunt aduersum me, ascen
dit rex Assyriorum in Damascum, & vasta
uit eam, & transtulit habitatores eius Cyre
nen. Rasin autem interfecit. taque per pla-
gam lectuli plagatum, imo & interfectum
intelligimus Rasin. Per grabatum autē Da-
masci vastationem atque tran ationem ha
bitatorum eiusdem Damasci, quę nimirum
magna fuit ægritudo, velut in grabato de-
cumbentis. Stultitię igitur Israel reda guī-
tur, qui in tali & tanta infirmitate fiduciam
habuit, qua vt dignum erat) frustratus, ipse
quoque postmodum captiuus discesit, tan
quam in deuorationem leonis, ita vt quic-
quid extunc de illo superfuit, totū pro duo
bus cruribus & pro extremo auriculæ repu
tetur, ad comparationem priscæ integrita-
tis. Sequitur. [Audite & contestamini in do ,,
mo Iacob, dicit Dominus Deus exercituū, ,,
quia in die cum visitare cœpero pręuarica- ,,
tiones Israel super eum, visitabo & super al ,,
taria Bethel, & amputabuntur cornua alta- ,,
ris, & cadent in terram, & percutiam domū ,,
hyemalem cum domo æstiua, & peribunt ,,
domus eburneę, & dissipabuntur ędes mul ,,
tæ, dicit dominus.] Mira & iusta verba do- ,,
mini & spiritus sancti authoritas, quomodo
de ore pastoris non minus quàm de ore im
peratoris pertonat. Supra dixerat, auditum
facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ
Aegypti, nunc audite (inquit) & contesta-
mini in domo Iacob, dicit Dominus Deus
exercituum: & deinde tertio dicturus est,
audite hoc verbum vaccę pingues, quę estis
in monte Samariæ. Si de pastore iam in re-
gem fuisset assumptus, vt Dauid, quid vel-
lemus addi ad tantam maiestatem elocutio
nis? Et vide, quàm pulchrè, quàm congruē
nunc interponit, dicit Dominus Deus exer
cituum, dum visitationem prænunciat su-
per altaria Bethel, videlicet vbi colebat Is-
rael similitudinem vituli comedentis fœ-
num. Nónne opportuna commemoratio-
ne suum declamat patronum Dominū De-
um exercituum: contra illum tunc tempo-
ris patronum Israelis, non Dominum aut
Deum exercituum, sed vitulum cornutū,
non solùm brutum, verùm etiam sensu ca-
rentem, nec solum sensu carentem, verùm
etiam inanimatum. Audite ergo (inquit &
cōtestamini in domo Iacob, ne quis de igno
rantia se excuset, & hoc, non quia dico ego
pastor armentarius, vel pastor vitulorum,
sed quia hoc dicit Dominus Deus exerci-
tuum, contra vestrum deum, non fa tem

O vitulum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quamvidi culus Deus in Bethel.

vitulũ succo vel sanguine plenum, sed inane vituli simulachrum. Et quid dicit, Quia in die, cum visitare cœpero præuaricationes Israel, in die (inquam) id est, in manifesto, ita vt causæ visitationis, scilicet præuaricationes Israel, luce vel die clariores sint, etiam in ædibus Azoti, & in ædib. terræ Aegypti, vt non sit opus dicere, quare sic fecit dominus terræ huic, & populo huic: tunc visitabo etiam super altaria Bethel, vt videlicet memoria vitulorum pereat, quorum vnus in Bethel, quæ debuit esse domus Dei, secundum hoc ipsum nomen quod dicitur Bethel. Et vide quàm magnifice talẽ deum, quàm eleganter vitulum cornutum percutit, dicendo: Et amputabuntur cornua altaris, videlicet propter cornutam quam colebat Israel, formam vituli, fœnum comedẽtis. Amputata ergo cornua altaris, id est, desolati cultores simulachri cornuti, cadent (inquit) in terram, subauditur, non suam, quia captiui ducentur in terram alienam. Quod deinde subiũgit, & percutiam domũ hyemalem cum domo æstiua, simpliciter iuxta literam accipere possumus, tantarum videlicet eos fuisse opum, vt duplices haberent domos, hyemales & æstiuales, quarũ aliæ versæ essent ad aquilonem, aliæ ad austrum, vt pro varietate temporum frigoris & caloris, cæliq; temperiem prouiderent. Itidem quod ait, & peribunt domus eburneæ, iuxta historiam stare potest. Legimus enim Achab regem Israel tantis fluxisse delicijs, vt domum eburneam sibi fecerit. Merito contra tales cælestis iræ seueritas, quibus cum idcirco dedisset dominus regiones gentium & labores populorum in possessionem, vt custodirent iustificationes eius, & legẽ eius requirerent. Ecõtrario cõtra iustificatiões eius, & legẽ eius modis omnib. incedetes, vitulis quoq; aureis nefario cultu applaudebãt, iuxta illud, Incrassatus est dilectus & recalcitrauit. incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deũ factorẽ suũ. Propter eiusmodi crassitudinem, siue incrassationem, impinguationem, dilatationem, atque recalcitrationem tam pulchrè, quàm veraciter, tam iustè quàm fortiter, inuectio

CAP. IIII

ne mirabili consurgens sermo diuinus clamat & dicit. [Audite hoc verbum vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniã facitis egenis & confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris, afferte & bibemus.] Hoc ipsum & quod dicit, audite iam tertio fragore infelicium aurib. illidit. Primò namque dixerat, auditum facite in ædibus Azoti. Deinde quasi propius accedens, audite (inquit) & contestamini in domo Iacob, nunc velut ad summum perueniens, id est, ad ipsos sacerdotes, audite (inquit) hoc verbum vaccæ pingues. Nempè acrius atq; animosius dignum erat percuti tales dæmonum sacerdotes, rerum & animarum hominum voratores, qui assumpti de extremis populi, veritatem in mendacio detinebant, tanquam in hoc ipsum precio conducti. Fecit enim Hieroboam sacerdotes de extremis populi, callidè nimirum agens, & sciens quàm libenter cum suo fauore repentinas homines extremi diuitias exciperent. Ecce vaccæ pingues rectè dicuntur eiusmodi sacerdotes. Poterãt autem dici vituli pingues, satis congruum hoc illis esset, vt vituli dicerentur vitulorum cultores, & in vitulorum simulachris confidentes, atq; ex eorum cõmercio pingues. Quare ergo cum essent sexu virili, vaccas fœminas quàm vitulos masculos eos dicere maluit? Videlicet ob augmẽtum confusionis, quia vitulis erant subacti miro genere fornicationis, vaccæ debuerunt dici, quia sicut visibiliter adorando substernebant se talibus vitulis, ita & inuisibiliter animæ illorũ erant prostitutæ tauris, id est, spiritibus malignis. Itaque non parui ponderis habet, quod dicit, audite hoc verbum vaccæ pingues. Simul namque tria hæc vehementer astruit: & similitudinem, de qua Psalmista, Similes (inquit) illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, & fornicationem, qua deserto creatore fornicabantur cum vitulorum simulachris, & turpem ventris impentionem, quam in otio fouebant, affluentibus de cuncto populo diuitijs, veraciter incrassati, impinguati, dilatati, & exinde recalcitrantes, vtpote pingues vaccæ, non tantùm pingues verum etiam cornupetæ. Nam & superbia pinguium designatur in eo, quod protinus subiũgit, Qui calũniã facitis egenis, & confringitis pauperes. Deinde quod ait, quæ estis in monte Samariæ, & cornupetarum feritas vaccarum in eo quod ait, quæ dicitis dominis vestris, afferte & bibemus, quis satis dignè admiretur? Quis alius, nisi spiritus sanctus taliter per os pastoris loqueretur? Vaccæ pingues & nimium delicatæ, longius à præsepibus, saltem ad adaquandum, non patiuntur duci, sed ad ipsa præsepia iubent sibi lympidas de puro fonte aquas deportari. Et quibus hoc iubent? Dominis suis? Quibus verbis vel qua similitudine magnificentius indignitas rei potuit explicari? Sacerdotes illi de extremis populi (vt iã dictum est) assumpti, & per illam assumptionem supremi ac diuites effecti, atque velut vaccæ pingues ocioso ventre dilatati, accumbebant plenis epularum mensis, satisque agebant pro imperio dicentes dominis suis, regibus suis, afferte vt bibamus, & de cætero securos vos faciemus. Etenim dummodo sumptus nobis & pocula non desint statuta iugiter regalibus edictis, nostri studij, nostræ erit prouidentiæ, præoccupatos tenere animos huius populi, ne velit ascendere vt faciat sacrificia in domo domini in Hierusalem,

3. Reg. 32.

Vaccæ pingues sacerdotes vitulorum.

Quod

quod si fieret, interficerent regem suum, & reuerteretur regnum ad domum Dauid. De hoc periculo securos vos faciemus, tantummodo videte ne desit quod bibamus. Pocula disertos facient nos, vt subornatis vitulis aureolis, pulchrè & eleganter dicamus in auribus populi. Ecce dij tui ô Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti, & non erit, qui nobis assertoribus aliud scire possit. Audite igitur, inquit. [Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus, & per aperturas exibitis altera contra alteram, & proijciemini in Armon dicit Dominus.] Quis est iste sanctus, in quo iurauit Dominus Deus. Vtiq; non debet esse minor aut inferior, quàm ipse Dominus Deus. Homines enim (inquit Apostolus) per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. Abrahæ promittens Deus quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum. Ergo hic sanctus suus, in quo iurat Deus, suus est filius, quem vtiq; sanctum Dei etiam malignus quoque spiritus cum suo tormento euangelista testante confitetur. Erat (inquit) in synagoga homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna dicens, Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te quis scis, sanctus Dei. Igitur in sancto suo, non in minore aut in maiore, sed in coæquali suo iurauit Dominus Deus? Quo autem pertinuit, vt tali pro causa iuraret Dominus in illo sancto suo. Videlicet quia certamen erat Domino Deo contra Israel pro illo sancto suo à domo Dauid, ad quem sancti illius facta fuerat repromissio, & illius promissionis veritatem detinere valebant illæ pingues vaccæ in illo quod colebant mendacio, nec erat pars illis in eadem promisione Dei dicentium, non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Quid iurauit Dominus Deus in illo sancto suo? Quia ecce dies (inquit) venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus, & per aperturas exibitis altera cõtra alteram, & proijciemini in Armon. Sensus iste est, Aduentura est non longè & post multa sęcula, sed iam imminens dies captiuitatis & angustiæ, in quo capiemini prędio, & portabimini atq; auferemini iure victoriæ, iamque viæ captiuitatis vobis apertæ sunt, & exibitis alter contra alterum, vt vestram vicissim & mutuis vultibus conspiciatis miseriam, & proijciemini in locis Armeniæ quæ vocatur Armon, & in ciuitatibus Medorum. Mirari autem magis possumus, quàm eloqui, quantum plus habeat decoris, in eo quòd metaphoram vaccarum cœptam seruauit, vt quas pingues dixerat esse vaccas, earum carnes dicat in contis & in feruentibus ollis esse portandas. Hoc ipsi nonnunquam fieri vidimus, vt præcoctis carnibus feruens & fumans cacabus in contis leuaretur, & de loco ad locum, id est, de culina longius deferretur ad domum conuiuantium. Hoc ergo mirabiliter declamat sermo propheticus, quò feruenti captiuitatis angustia decocti transferantur illuc, vbi sub dominis hominibus captiui, à malignis quoque spiritibus (quoniam sunt impœnitentes) deuorentur. Sequitur. [Venite ad Bethel, & impiè agite ad Galgala, & multiplicate præuaricatiõem, & offerte victimas vestras, tribus diebus decimas vestras, & sacrificate de fermentato laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annunciate. Sic enim voluistis filij Israel.] Grauissimus est hic modus loquutionis, quo nunc dicit: Venite & facite sic & sic, & eadem illorum facta ipse oderit qui hęc dicit. Non est volentis, sed relinquentis: non inuitantis, sed expellentis: non adhortantis, sed indignantis. Idcirco rectè subiunxit & subiungere debuit, sic enim voluistis filij Israel, Ac si dicat, Propterea dico, venite ad Bethel vbi est deus vester, vitulus vester, quia sic voluistis, & hactenus venistis. propterea dico im piè agite quia impiè agitis, & impiè agere vultis. dico, venite ad Galgala, vbi etiam longe ante vitulos Hieroboam erant idola, quia venitis & venire vultis. dico multiplicate præuaricationem, quia multiplicatis & multiplicare vultis. dico, offerte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras, quia offertis & offerre vultis eis, quibus non debetis. Trium namque dierum solẽnitates adulterastis, de quibus lex dicit, imò de quibus ego in lege dixi. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis, scilicet azymorum, solẽnitatẽ mensis primitiuorum, & solennitatem in exitu anni. Solennitates istas ita vos adulterastis, vt non mihi sed vestris eas vitulis celebraretis. ne quid vulgo deesse videretur diuinæ iucunditatis. Siquidem & in mense octauo, quintadecima die mensis, constituit rex vester Hieroboam diem solennem phanis suis & vitulis in excelsis, in similitudinem solennitatis quæ celebrabatur in Iuda. Item dico, sacrificate de fermento laudem, quia sic facitis & facere vultis fermentati fermento veteri, fermẽto malitiæ & nequitiæ, contra omnem sanctæ & spiritualis legis authoritatem, quę fermentatum quid in sacrificio prohibet offerre. Dijs vestris ita placet, vt sitis fermentati, & sine azymis synceritatis & veritatis. Illis ergo de fermẽtato sacrificate laudẽ, quia mihi speciosam de ore vestro, cum sitis peccatores, non potestis sacrificare laudationem. Hæc omnia facientes, vocate voluntarias oblationes & annunciatio: quia sic facitis, & sic facere

Iurauit dominus in sancto suo. Heb. 6.

Luca 4.

3. Reg. 12.

Exod. 23.

3. Reg. 12.

Luca 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vultis vt sacrificia quæ vestris offertis vitulis, eisdem nominibus honoretis, quibus ea quæ mihi offeruntur, nuncupat authoritas legis. Holocaustum, & pro peccato, & pacifica, & hæc annunciate in sono tubæ, cytharæ, in tympano & choro, in chordis & organo, & cymbalis clarè sonantibus, in cymbalis iubilationis, ita vt fortius & altius cantasse iudicemini, quàm tribus Iuda vel domus Dauid in templo Domini, quia plures estis. Hæc omnia (sicut iam dictum est) non intentione volentis, sed indignatione dicta sunt derelinquentis, sicut & alia multa quæ reperiuntur. Exempli gratia, vt illud, quod traditori suo dixit idem Dominus: Quod facis, fac citius. Item: Amice, ad quid venisti? Et in Apocalypsi legimus. Et qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Denique hæc & cætera huiusmodi non sunt dicta iubentis siue voluntariè concedentis, sed permittentis, & derelinquentis, eo quod non ignoret (sicut Sapientia dicit) quoniam iniqua est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non potest immutari cogitatio illorũ in perpetuum. Quid longius petitis Dei iustitiam, excusare oportet responsis? Semetipsum præsenti loco cautius excusat ipse subiunctis. Ait enim. [Vndè & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris, & non estis reuersi ad me, dicit Dominus.] Nimirum cum dicit, & nõ estis reuersi ad me, conuincit eos incorrigibiles fuisse, seipsum autem curam competentem vt corrigerentur per flagellum famis adhibuisse. Magnitudinem flagelli, magnitudinem famis, qua illos corripuit, mirabiliter exprimit, dicendo. Et ego dedi vobis stupo rem dentium in cunctis vrbibus vestris: subiungendo, & indigentiam panum in omnibus locis vestris. Idem enim est, ac si dicat, quia fames non tam diutina, cibus tam rarus extitit, vt cum quippiam reperiretur qualiscunque cibi, dentes obstupescerent, velut re insolita offensi. Legimus quippe, regnante Ioram filio Achab super Israel, famem tam magnam factam esse in Samaria, vt venderetur caput asini octoginta argenteis, quarta pars cadi stercoris columbarum quinque argenteis. Subsequuta est eucstigio fames annorum septem, quam & Helisæus prædixit, loquens ad mulierem, cuius viuere fecerat filium, dicens: Surge & vade tu, & domus tua, & peregrinare vbicunque repereris. Vocabit enim Dominus famẽ, & veniet super terram septem annis. Cum tãta esset feueritas disciplinę corripientis, mirum quòd nullus regũ Israel recessit à peccatis Hieroboam, id est, ab aureis vitulis, quòd Israel tam pertinaciter rebellis tamq; duræ ceruicis extitit, vt ad Dominum Deũ suum nequaquam reuerteretur. Vndè & dignè improperans, & non estis reuersi ad me, dicit Dominus. Sequitur. [Ego quoq; prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent ad messem, & plui super vnam ciuitatem, & super ciuitatem alterã non plui. Pars vna compluta est, & pars super quam non plui, aruit, & venerunt duæ & tres ciuitates ad vnam ciuitatem, vt biberent aquam, & non sunt satiatæ, & non redistis ad me dicit Dominus.] Non solũ stuporem dedi dentium in cunctis vrbib. vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris, sed & prohibui à vobis imbrem cum adhuc superessent tres menses vsq; ad messem, quæ appellatur pluuia serotina, & agris Palæstinæ aruisq; sitientibus, vel maximè necessaria est, vt quando herba turgebat in messem, & triticũ parturiebat, nimia siccitate marcesceret, & ita pereunte frumẽto & fame vrgente, sitis quoq; ardorem, & bibendi penuriam sustinerent. In illis nanque locis, præter paruos fontes omnes cisternarũ aquæ sunt. Et si imbres diuina ira suspenderit, maius sitis, quàm famis periculũ est. Et ne forsitan putarent, hoc lege naturæ, & astrorum cursu ac varietate temporũ vrbibus ac populis accidisse, super vnam vrbem, & super agros eius pluere se dicit, & ab altera imbrem suspendere, vt duæ & tres ciuitates pergant ad aliam ciuitatem, & tamen non satientur aquarum potibus. Talis dispensatio imbrium satis pro argumento esse poterat ad comprobandum, quod non casu, sed cælestis iudicij ratione illa siccitas euenisset. Habebant autem firmiorẽ propheticum sermonem, qui non attenderunt. Propter quod & magis inexcusabiles sunt. Deniq; & famem illam siue stuporem dentium, de quo supra dictũ est, Helisæus propheta prædixit, loquens ad mulierem, cuius viuere fecerat filium, & dicens: Surge, vade tu & domus, & peregrinare vbicunq; repereris. Vocabit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis. Et siccitatem siue prohibitionem imbrium Helias prodixit, & quodammodo fecit, dicens ad Achab. Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Cui vacabat interea saltem suspicari, quod casu mala illa contingerent, vel dubitare an cælesti iudicio prouenirent? Adde quod ijdem prophetæ tanti nominis, tantarumq; virtutum, simul cum sermore prophetico cœlestia signa dederunt, per quæ miserabilis Israel, nisi rationem omninò perdidisset, instrui poterat, quòd neq; vituli Hieroboã, neq; Baal, neq; portenta quę pro dijs colebant, quicquam essent aut valerent, sed solus esset Deus qui eduxerat illos de Aegypto per Moysen & Aaron. Siquidem Helias, qui oratione ora- *Heliasocto decim miracula edid.* uit vt non plueret, si numeres, octo præclara signa fecit, Helisęus verò sedecim, dupla videlicet

Ioan. 13. Matth. 26. Apoca. 22.

Sapien. 12.

4. Reg. 6.

4. Reg. 18.

Inexcusabiles filij Israel.

4. Reg. 2. videlicet quantitate, secundum postulationem qua postulauit, dicente Helia: Postula quod vis vt faciam tibi antequam tollar à te, & dixit. Obsecro vt fiat duplex spiritus tuus in me. Quonam intendebat Helisæus hoc postulans, nisi illo, vt per miraculorum efficaciam erranti populo veri Dei declararet gloriam? Et tamen non redistis ad me, dicit dominus, quia videlicet per hæc omnia non potuit effici, vt illorum vitulorum miserabilis cultus saltem vnius regis tempore relinqueretur. Sequitur. [Percussi vos in vento vrente, & aurugine multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum, oliueta vestra, & ficeta vestra comedit eruca, & non redistis ad me dicit dominus.] Intemperantis erat luxuriæ hortos multiplicare, maximè cum peccato siue ex iniquitate, sicut fecit Achab, qui locutus est

4. Reg. 21. Naboth, & dixit. Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, & quia ille dare noluit, occidit, & possedit. Bene igitur in talibus percussit eos vento vrente, & aurugine & eruca comedente, quia non sine magno dolore perire videbant quæcunq; tali vel tanta sibi instantia multiplicauerant, sed non profuit eis adhibita correptio, nõ enim redistis ad me dicit dominus. [Misi in vos mortem in via Aegypti, percussi in gladio iuuenes vestros vsq; ad captiuitatem equorum vestrorum, & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, & non redistis ad me dicit dominus.] Per omnia flagella, & tormenta eruditur Israel. Vndè & eo tempore, quo ab Aegyptijs auxilia postulabant, mittitur in eos mors, & percutiuntur gladio iuuenes eorũ, & equos quos sibi contra præceptum Dei multiplicauerant, captiuitas sæua concludit, vt putredo castrorum viuentium nares impleat. Veruntamen hæc via Aegypti potest & alius intelligi, videlicet quæ non sit excursus corporis, sed mentis, iuxta quod & in alio propheta dominus dicit. Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam. Eiusmodi viam Aegypti, quæ videlicet, vt iam dictum est) non corporis est, sed mentis, dominus per Moysen interdixit, his verbis. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, neque reducet populum in Aegyptum equitatus numero subleuatus, præsertim cum dominus præceperit vobis, vt nequaquam amplius per eandem viã reuertamini. Nimirum statim vt constituerunt super se regem Hieroboam filium Naboth, ille equitatus numero subleuatus (super plures enim quam domus Dauid, id est, super decem tribus regnauit) populum reduxit in Aegyptum, non pedibus eundo in Aegyptum, sed faciendo vitulos aureos secundum morem Aegyptium.

Via Aegypti, euagatio mentis. Hier. 2.

Deut. 17.

Igitur & vbi dixit primo, ego dedi vobis stuporem dentium, & deinde vbi dixit: ego quoque prohibui à vobis imbrem: & cum dicit, percussi vos in vento vrente, nõ incongruè subauditur, in via Aegypti, quã hic tandem expressit, dicendo, misi in vos mortem in via Aegypti, id est, propter viam Aegypti, propter peccata Hieroboam, qui peccare fecit Israel, vt eum similem faceret Aegyptijs in colendis vitulis, sicut iã dictum secundum morem Aegypti. Etenim propter causam illam mala omnia venerunt super eos, quę hic se fecisse dominus commemorat, intentione corrigendi. Et non redistis (inquit) ad me, nunquam enim vitulos eosdem reliquerunt cuiuslibet mali siue afflictionis oppressi magnitudine. Sequitur. [Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrhã, & facti estis quasi torris raptus de incendio, & non redistis ad me dicit dominus. Quapropter hoc tibi faciam Israel.] Ante illa prophetæ huius tempora nihil tale illi populo euenerat, quale fuit illud quod Sodomam & Gomorrham subuertit Deus. Ergo quamuis præterito tempore dicat, subuerti vos. de futuro intelligendum est, ac si dicat, subuertam vos. Hoc enim prophetis non inusitatũ est, vt præteriti temporis verbo annuncient venturas res. Nec verò dubium, quin decem tribuum præuidens captiuitatẽ, Iudæ quoque siue Hierosolymæ præuiderit subuersionem, præsertim cum postmodum dicat ipse, Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ. Cum ergo dicat, subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomã & Gomorrham, simul & decem tribuum captiuitatem & Iudeorum prænunciat subuersionem, quæ nimirum magis, quam decem tribuum captiuitas subuersioni Sodomæ & Gomorrhæ similis extitit, quia incẽdio ciuitas Hierusalem, tam à Babylonijs quàm à Romanis conflagrata est. Et quoniam subiungit. Et facti estis quasi torris raptus de incendio, & non redijstis ad me, magis de vltima quam fecerunt Romani, quàm de prima per Babylonios facta placet intelligi subuersione. Nam in illa Babylonica subuersione non adeò cordis duri fuerunt, sed redierunt mente ad dominum, ita vt per annos septuaginta corpore mererentur redire in locum suum, post istam verò quæ à Romanis facta est, in incredulitate & duritia cordis perstiterunt. Et quis non miretur, quam congrua similitudine deuorati sunt. Facti estis (inquit) quasi torris raptus de incendio. Etenim sicut torris de incendio raptus, manifesto signo demonstrat id quod est, scilicet de incendio se esse raptum, neque dubitari aut dissimulari potest quin arserit, ita Iudæi ducti in omnes gentes captiui non sinit eos obliuisci, qualiter vel quam ob causam Deus illos

Subuerti, id est, Subuertam.

Infra 6.

Sicut torris raptus de incendio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subuerterit. nec mirum aut iniustum, quod sicut Sodoma & Gomorrha sunt subuersi, quia videlicet iniquitas eorum peccato Sodomæ & Gomorrhæ maior extitit, testante Hieremia, cum dicit. Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum quæ subuersa est in momento. Nam quod verè maior effecta sit iniquitas Iudæorum quàm Sodomæ peccatum, probat subiungendo, & non cœperunt in ea manus. Quid enim est quod dicit, & non cœperunt in ea manus? Legimus, quod in ea, dum apud Loth iustum hospitaretur dominus, vallauerunt domum à puero vsque ad senem omnis populus simul, & dixerunt. Educ huc viros, vt cognoscamus eos. Magna iniquitas, sed non cœperunt in ea manus, id est, non vsque ad effectum operis progressum est. Iniquitas autem Iudæorum quousque progressa est? Cum hospitaretur in Hierusalem, & pascha celebrasset dominus, vallauerunt eum exeuntes, cum gladijs & fustibus, & cœperunt in ea manus, videlicet eum quem in Sodoma nõ cœperunt manus, cœperunt (inquam) cõprehenderunt, illuserunt, flagellauerunt, occiderunt. Igitur iure sicut & Sodoma subuersi sunt, nisi quod pars eorum, quasi torris raptus de incendio, superfuit, quod in eo valet vt celebrior per totum orbem sit memoria Christi, maximè ex monimento combustionis eiusmodi, cunctis commendata populis, iuxta illum iam superius memoratum versiculum Psalmi. Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua. Quod deinde subiungit, quapropter hoc faciam tibi Israel, eiusdem tantæ subuersionis arbitramur esse comminationem, & idcirco vtroque illam tempore videlicet præterito & futuro denunciari, quia nimirum iam tunc quidem factum vel fixum erat in proposito Dei, in re autem nondum factum, sed longè post erat futurum, eò quòd perseuerarent in malis, sicut toties iam improperauit, scilicet per vices quinque dicendo, & non rediistis ad me. Sequitur. [Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel, quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ, dominus Deus exercituum nomen eius.] Notandum in primis, & vigilanter intuendum, quòd cum hactenus ad pluralem numerum sermo factus sit, dicendo. Et ego dedi vobis stuporem dentium, & non estis reuersi ad me, ego quoque prohibui à vobis imbrem, & non rediistis ad me, misi in vos mortem in via Aegypti, & non rediistis ad me, subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomã & Gomorrham, & non rediistis ad me. Nunc vbi magnæ gratiæ magnam consolationem promittit, vocem suam quodammodo mutat, ita vt omisso plurali numero, ad singularem sermo fiat, dicendo. Quapropter hæc faciam tibi, postquam hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel. Ostium nobis aperiente illo, qui habet clauem Dauid, primum illud sentimus, quod præsenti loco per singularem numerum Israel, ab illis pluralis numeri filijs suis toties percussis, & taliter subuersis, & non reuersis ad dominum tantum differt quantum bonę oliuę radix à ramis suis, ramis reprobis, ramis per incredulitatem fractis, sicut Apostolus dicit. Oportebat autem fractis naturalibus ramis, ramos oleastri sanctæ & bonæ radici eiusdem oliuæ inseri, vsque ad plenitudinem numeri electorum, id est, eorum qui ad vitã sunt præordinati, quod & factum est & fit. Vndè idem Apost. vnicuiq; nostrũ qui ex gentilitate venimus, dicit. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autẽ cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non te radicem p.f.r.te. &c. Igitur quod ait, quapropter hæc faciam tibi Israel, sæueritatis est Dei prædicentis, quod ramos naturales propter incredulitatem frangere debeat. quod verò subiungit, Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel, bonitatis est eiusdem Dei, promittentis illi bonæ oliuę, scilicet Israeli, qui per fidem meruit, vt esset hæres mundi, quod oleastrum inserere debeat eius radici, tanto bonorum prouentu ramorum qui inseruntur, vt nullum sentiat damnum de naturalibus ramis suis, qui fracti sunt. Præparare ergo (inquit) in occursum Dei tui, id est, in tua fide suscipe aduentum Christi filij Dei, Dei tui, saluatoris tui. Et quasi quęreret Israel, ad quid sibi dictum sit, in occursum Dei tui. subiungit, & dicit. Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ, dominus Deus exercituum nomen eius. Idcirco dixi, præparare in occursum Dei tui, quia ecce subauditur, venit. quia in proximo est talis ac tantus, qualem ac quantum ista descriptio mirabilis postulat intelligi, quẽ cum fusceperis præparatus in paucis, occurrens in Apostolis radicem tuã aperiet ferro vel sarculo verbi euangelici, de qua, quia fracti sunt tot naturales rami, & dãna tua restituet secundũ admirandã elocutionẽ eius, quæ ex verbis præsentib. intelligenda est propheticæ veritatis. Primò illud clarè videndum, & cum amore suscipiendum, firmiterq; tenendũ est, quia cum persona altera de altera loquitur, & ipse qui loquitur est dominus, & illum de quo loquitur, commendans dicit,

Maior Iudææ quàm Sodomæ iniquitas. Tren. 4.

Gen. 19.

Psalm. 58.

Aduentus Christi.

sit, dominus exercituum nomẽ eius. Quid aliud optaremus, nisi vt Dei filium Iesum Christum æquè vt patrem eius Deum esse dominum Deum exercituum, spiritus sanctus per os prophetarum testificaretur. Res nimirum quæ prędicantur, congruunt tanto nomini eius. nec enim alius potest eas facere, nisi qui sit dominus Deus. Formans (inquit) montes. Poterat dicere, formans lucem, & extendens cælos, siue fundans terram, & effundens maria, nam de filio prædicari hæc æquè vt de patre, verũ est. sed magis ad rem præsentem pertinuit vt diceret, formans montes. Quare? Videlicet quia de Sodoma sermo cœptus est, dicẽdo. subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham. Legimus autẽ, vbi Sodoma subuersa est, dixisse dominum ad Loth. Salua animam tuam, noli respicere post tergum, ne stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Dixit quoq; Loth. Quæso domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quã fecisti mecum vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne apprehendat me malum & moriar. Est ciuitas hęc iuxta, ad quã possum fugere, parua, & saluabor in ea. Igitur ad illam scripturam nos mitti arbitramur, dum in ista postquam dictum est, subuerti vos sicut subuertit deus Sodomam & Gomorrham, subiũgitur. Præparare in occursum Dei tui Israel, quia ecce formans montes. Nimirum qui illic dixit, in monte saluum te fac, ipse hic dicitur formans mõtes. cum dicit de illo pater. Ecce formans montes. Subuertens nanq; gentem illam Iudaicam sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham, formauit euangelicæ perfectionis montes, & dixit Loth, id est, homini declinanti à malo, Loth enim interpretatur declinatio) & dixit (inquam) homini volenti declinare à malo Sodomæ & Gomorrhæ, in montem saluum te fac, id est, fruere perfectione euangelica, ita vt ne saltem vxorem quæras. Et ille quidem in illorum persona qui infirmi sunt, mystica nobis verba formauit dicens, nec possum in monte saluari, quod est à nobis dici, non possumus euangelica perfectione frui, ne fortè vramur, & melius est nubere quàm vri. Verum tamen multi ascenderunt in montes illos, quos iste dominus formauit, id est, apprehẽderunt propositum euangelicæ & apostolicę perfectionis, videlicet neq; nubentes, neque vsti, sed in proposito virginali, ita viuẽtes sicut angeli Dei. Mons primus & maximus omnium montium, quos in aduentu suo formauit iste dominus Deus exercituũ, beata est virgo Maria, de cuius carne carnẽ assumpsit Christus Dei filius absq; opere cõiugali, secundum visionem propheticam qua visum est, quod abscissus esset lapis de monte sine manibus & comminueret omne regnum mundi. Et quidem mirabile est, quòd formauerit montem, de quo ipse tanquam lapis abscinderetur. sed nihilominus mirãdũ est, quod de illa sancta ciuitate Sió cælesti alia scriptura dicit. Et homo natus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus. Post istum montem & alios montes in aduentu suo formauit idem dominus Deus exercituum, scilicet Apostolos suos, quorum ad perfectionẽ quicunq; efficaciter tendit, subuersionis, qua illam Sodomam, id est, perfidiam Iudaicam subuersam esse constat, periculum magnificè euadit, simulq; & securus est à tribulatione carnis, magnũ habens refrigerium, quod pręsẽti loco significatur, dum præmisso, ecce formans montes, subiungitur, & creans ventum. Quid enim per ventum loco præsenti delectabilius placet intelligi, quàm bonam temperiẽ carnis continentis, velut auram dulciter spirantem in illis montibus sanctis. Hæretici ex hoc loco creaturam esse argumentati sunt spiritum sanctum, videlicet propterea quia verbum Hebraicum, latinè interpretatur spiritus. At verò & ventus & spiritus eodem verbo appellatur, ait beatus Hieronymus. Cũ ergo essent peruersæ intentionis, neq; vẽtum, neq; saltem spiritum hominis, sed spiritum sanctum voluerunt intelligi, tam paruo tãque fragili instrumento tam magnam robo rare volentes impietatem, quòd spiritus sanctus creatura sit. Quapropter placet magis castæ fidei talis translatio verbi prædicti, & creans ventum, quàm & creans spiritum. Licet legendo spiritum possemus & deberemus nequaquam spiritum sanctum, sed spiritum intelligere, vel hominis, vel quorumlibet animantium, aut certè nihilo minus ventum, iuxta illud. Ignis, & grando nix, glacies, spiritus procellarum. Pulchrè igitur post Sodomorum subuersionem atque incendium, quod euadere cupit, dicitur illi, in monte saluum te fac. Et creans ventum, id est, instruẽs summos euãgelicæ prædicationis viros, & casto illorum proposito dulce præstans refrigerium, vt ne saltẽ molestè incalescant aliquando carnis ardore, vsq; ad tentationis impatientiam. Montes isti nimirũ sancti & pulchri sunt, & possunt suis meritis his qui tentãtur auxiliari. Quapropter & Psalm. dicit. Leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi. Et quia posse hæc non à semetipsis habent, sed à domino, continuò subiungit. Auxilium meũ à domino. Montibus istis, id est, sanctis apostolis & cuilibet homini, qui secundum illorum exemplum tendens ad perfectionem. Dignum est, accipere ventum roris flantem, siue contra Babylonicam fornacem, siue contra ardentem Sodomiticum sulphurem, familiarius reuelari solet illud, quod est in sanctis scripturis occultum,

Christus verè Deus.

Formans montes.

Gen. 19.

Apoc. 5.

Rom. 11.

1. Cor. 7.

Montes quos Christus format

Daniel. 2.

Hæresis cõ tra spiritũ sanctum.

Psal. 148.

Vetus reſti gerių cõtra tẽtationes.

Psal. 120.

Daniel. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc. 24. sicut de illis Euangelista narrat, quia tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.

Bene ergo cum dixisset, formans montes, & creans ventos, subiunxit. Et annuncians homini eloquium suum. Idem enim est, ac si dicat. Et ipse est sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, & cui vult aperit sensum vt intelligat arcana scripturarum. Cui autem angelorum vel homi num, cui (inquam) præter solum & verum Deum, prædicatio ista conuenit, annunciãs homini eloquium suum? Denique & angelus sanctus & homo sanctus eloquium sepè annunciauit, nunquam autem eloquium suum, sed tantum eloquium Dei annunciauit aut annunciare debuit. Nã omnes quotquot venerunt annunciando eloquium suum, fures sunt & latrones. Et idcirco nõ audierunt eos oues, neque audire debuerunt, vtpote à semetipsis loquentes & cordibus suis prophetantes. Illum qui eiusmodi est, contemni, & non timeri, imò & interfici sacra lex iubet. Propheta (inquit) qui arrogãtia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego nõ præcepi illi vt diceret, aut in nomine deorum alienorum, interficietur. Item, quod in nomine domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hæc dominus non locutus est, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum. De tali modo suum eloquium annunciandi, vel sermonem suum faciendi, dominus ipse apud calumniatores suos excusat se, cum dicit. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Quid est enim, mea doctrina non est mea, nisi ac si diceret, non est sicut vos existimare vultis à meipso conficta, & nulla rerum veritate subnixa? Subiũgit enim, & dicit. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrũ ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Itẽ discipulis suis dicit. Et sermonem, quẽ audistis non est meus, sed eius qui misit me patris. Igitur cum dicit. Et annuncians homini eloquium suum, magnam paucis syllabis authoritatem diuinitatis eius astruit, quia solus est Deus qui suum eloquium annunciando verax sit. Cum autem annuncia turus est, magnam plerunque præire finit ignorantiam, vt postquam annunciauerit, sciat quicunque ille cui annunciauit, quia nihil habet quod non acceperit. Vndè cum dixisset. Et annuncians homini eloquium suum, pulchrè subiunxit, faciens matutinã nebulam. Exempli gratia. Huic Amos prius quam annunciaret eloquium suum, matutinam fecerat nebulam, id est, prius pastorem rusticum quam illustrẽ fecit prophetã.

Matth. 13. Item, & Apostolos prius permisit obcæcatum cor habere, ita vt diceret illis. Adhuc & vos sine intellectu estis, quomodo nondum intelligitis, quam sensum aperiret eis vt intelligerent scripturas. Hoc verè magnum est, & in laudẽ sapientiæ eius, hic decuit commemorari, quòd illis, quibus annunciando eloquium suum, proposuit ostẽdere clarum scientiæ solẽ, prius obduxit vel obduci permittit hebetudinẽ cordis vel ignorantiam quasi matutinam nebulam, vt cum depulsa nebula solem viderint, nõ glorientur quasi non acceperint. Quod deinde subiungit. Et gradiens super excelsa terræ, licet in bonam partem possit intelligi, quòd scilicet ista excelsa sint montes, quos ipse (sicut iam dictum est) formauit. tamẽ quia non dixit. Et habitans in excelsis, sed gradiens super excelsa terræ, & excelsa sæpius in malo intelliguntur (solus enim Deus verè dicitur, & est excelsus) possumus hic intelligere iram, quæ conflata est Hierusalem terrenam generationem excelsam, pro eo quòd annunciatum sibi iam dictum domini nõ recepit, sed repulit eloquium. Denique & alius propheta dicit. quod sceptrum Iacob? nonne Samaria? & quæ excelsa Iudæ? nonne Hierusalem? Super hæc excelsa gradiens dicitur dominus, siue ascẽdens, scilicet ad delẽdum ea, sicut dixit ad Moysen. Loquere filijs Israel, populus duræ ceruicis es, semel ascendã in medio tui, & delebo te. Hoc deniq; tunc factum est, quando venit desolatio eiusdem populi circumuallantibus Romanis, quam & ipse dominus prænuidens. Erit enim (inquit) pressura magna super terram, & ira populo huic. Vndè cum dixisset, & gradiens super excelsa terræ mirò modo subiunxit, dominus Deus exercituum nomen eius. Nam verè iste est dominus Deus exercituum, cui non solum in cælo scientes famulãtur legiones angelorum, sed etiam in terra nescientes ei seruierunt exercitus Romanorum, & vindicauerunt sanguinem ipsius, & sanguinem prophetarum eius, omnemque sanguinem iustum qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, sicut prædixerat ipse Dominus.

Sequitur. [Audite verbum istud quod ego leuo super vos planctum domus Israel. Cecidit, non adijciet vt resurgat, virgo Israel proiecta est in terra sua, non est qui suscitet eam.]

Miro modo, vbi præmiserat, & gradiens super excelsa terræ, Dominus Deus exercituum nomen eius. verba ipsius annuncians homini eloquium suum, cum grandi exclamatione pronunciat. Audite (inquiens) verbum illud quod leuo ego super vos plãctum domus Israel.

Nonne sic habemus in Euangelio, quòd iste dominus annuncians eloquium suum, & non auditus, leuauit planctum, prædicendo futurum, vt ad subuersionem illorum mitteret Romanum exercitum, leuauit (inquam) planctum Hierusalem. Hierusalem

Ioan. 10.

Deu. 18.

Ioan. 7.

Ioan. 14.

Michea 1.

Exod. 33.

Luc. 21.

Planctus domini super Hierusalem. salem (inquiens) quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te sunt missi, subiungens. Ecce relinquetur domus vestra deserta. Nonne planctus erat super eos in altum eleuatus, cum toties diceret ibidem.

Matt. 23. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines: væ vobis qui comeditis domos viduarum: væ vobis qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum prosely tum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos: væ vobis qui dicitis, quicunque iurauerit per templum nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debet: væ vobis qui decimatis mentam & anethum & cyminum: væ vobis qui mundatis quod de foris est calicis, & parapsidis: væ vobis qui similes estis sepulchris dealbatis: væ vobis qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum. Verè planctus est magnus, & quod maius est, non sine lachrymis. Nam sicut alius Euangelista narrat. Videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu. Igitur quod nunc dicit. Audite verbum istud, quod ego leuo super vos plãctum domus Israel. Verba esse domini rectè intelligimus formantis montes (vt supra dictum est) & creantis ventum, & annunciantis homini eloquium suum, facientis matutinam nebulam, & gradientis super excelsa terræ, quia causam, cur leuet planctum super domum Israel, plangendo ipse in Euangelio declamans.

Luc. 19.

Matth. 23. Ecce (inquiens) relinquetur vobis domus vestra deserta. Etenim quod ait. Cecidit, nõ adijciet vt resurgat virgo Israel. Proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. De naturalibus ramis oliuę intelligendum est, qui, vt supra meminimus ex Apostolo, propter incredulitatem fracti sunt, nec inseri possunt. nec enim est qui proiectos in terram suscitare possit, sicut Apostoli experti sunt, hic iam subaudiendum est illud, quod radici bonæ dictum esse supra tractauimus. Tutamen præparare in occursum Dei tui Israel, vt secundum sensum continuetur litera, quæ protinus sequitur. [Quia hæc dicit dominus Deus, Vrbs de qua egrediebãtur mille, relinquentur in ea centum, & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decẽ in domo Israel.] Magna ista consolatio est fideli bonæ radici, quæ in fractura vel excisione ramorum naturalium grãde damnum pertulit, ne propter hæc tristitia magna, & continuus dolor sit cordi eius, quia inferentur alij, domino dicẽte: sic vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centũ, & de qua egrediebantur centũ, relinquentur in ea decem in domo Israel. Quod vt possit vtiliter intelligi, meminisse oportet, quod supra dixit, subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & scire, quia sicut carnalis domus Israel similis Sodomæ in damnatione facta est, sic econtrariò plenitudo gentium (quæ Sodoma erat) spiritualiter domus Israel effecta est. Simulque memoriter recolendum, quia in Sodomis non sunt relicti saltem decem iusti, propter quos dimisisset dominus omni loco, & non deleuisset eos. Sic enim Ahrabam loquens ad dominum, & incipiens à quinquaginta, numerumque paulatim decerpens atque diminuens, tandem finiuit, Obsecro (inquit) ne irascaris domine, si loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerint decem? Ait. Non delebo propter decem. Hoc animaduerso, iam nunc dixit, subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham, simul illum intendisse non dubitemus, vt diceret illam quæ Sodoma fuerat, scilicet ecclesiam de gentibus, non subuertam. quam ob causam? Videlicet propter antiquam sententiam. Debeo enim fidelis esse amico meo fideli Abrahæ, vt vbicunque inuenero decem iustos, non deleam ciuitatem propter eos. Ecce autem non solùm decẽ in ecclesia gentiũ iustos inueniã, verumetiam centum, vnde prius egrediebantur mille, id est, vnde nullus ante relinquebatur, sed abibant omnes in vias suas, sine Deo, alieni à salute, qui videlicet omnes intelliguntur per mille. Millenario namque numero vniuersitas significari solet, vt illic. Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi quod mandauit in mille generationes. Porrò centenario & denario numero perfectio significari solet, vt illic. Centuplum accipiet. Et in libro Machabæorum legimus, Iudas autem Machabeus, qui decimus fuerat, successerat in desertum locum. Decimus namque, id est, in paterna decem præceptorum lege perfectus. Tales vtique, scilicet centesimi & decimi, id est, perfecti, in vrbe, vel ecclesia gentium relinquentur, vnde prius mille egrediebantur, id est, vniuersi condemnabantur, & propter eos qui perfecti erunt, cæteri peccatores quidem, sed pœnitentes, in die iudicij seruabuntur, & relinquentur in domo Israel, velut ale astri in bonam oliuam inserti pro naturalibus ramis, qui fracti sunt. Quantitate quidem plus est centum de mille, quàm in decem relinquẽdis de centum, sed ratione æqualitas in vtroque est, quia videlicet sicut centenus millenni, ita decenus centeni, decima pars est. Benè autem per decimam sanctificatio iustitiæ siue iustorum intelligitur, quia nimirum ex decreto legis, rerum omniũ decimatio, pars domini est. Eadem quę præsenti loco dicimus siue intelligimus, ex alterius prophetę, scilicet Esaię, lectione comprobantur. Cũ enim dixisset, excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat & conuertatur, & sanem

In Sodomis ne decẽ qui dẽ boni sũt inuenti. Gen. 18.

Mysterium in numeris mille et decem. Ephe. 2. Psalm. 104

Matth. 19. 1. Mach. 3.

Decima pars domini. Leui. 27.

Esai. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ſanem eum, vſquequo domine, donec deſolentur ciuitates abſq; habitatore,& domus ſine homine,& terra derelinquetur deſerta. Quibus vtique verbis frangendos eſſe ramos naturales (de quibus iam diximus) ſignificabat,continuò ſubiunxit. Et multiplicabitur quę derelicta fuerat in medio terræ,& adhuc erit in ea decimatio, & conuertetur,& erit in oſtẽſionem ſicut Therebinthus,& ſicut quercus, quæ extendit ramos ſuos. Semen ſanctum erit id quod ſteterit in ea, Nimirum eadem in iſto & in illo iuſtorum ſanctificatio ſiue multiplicatio ſub ſacramento decimationis (quæ pars domini ſiue altaris eius legitima eſt) rectè intelligitur. Et pulchrè Iſraeli bonæ radici inſerendorum multiplicitas ramorum de cunctis gentibus,tanquam ex oleaſtro,ſub nomine decimationis repromittitur, quia videlicet ille primus decimas rerum ſuarum Deo vouiſſe legitur. Si fuerit dominus mecum (ait) & cuſtodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcẽdum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſq; fuero proſperè in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cũctorumq;, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Pulchra viciſſitudo, pulchra recompenſatio. Iſrael in domo Dei decimas gentium ſe relicturum promittit. Cũ enim dixiſſet, vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea decẽ, addidit, in domo Iſrael. Profecto qui tantas illi ſalutis ſiue ſaluandorũ copias deſtinabat, non vane ſic præmiſit & ſic prælocutus eſt, præpara te in occurſum ‹‹dei tui Iſrael. Sequitur. [Quia hæc dicit do‹‹minus domui Iſrael, quærite me,& viuetis, ‹‹& nolite quærere Bethel, & in Galgala no‹‹lite intrare, & in Berſabee non tranſibitis, ‹‹quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit ‹‹inutilis. Quærite dominũ & viuite, ne for‹‹te comburatur vt ignis domus Ioſeph, & ‹‹deuorabit,& nõ erit qui extinguat Bethel.] Locus iſte per coniunctionem, qua ſic incipit, quia hæc dicit dominus domui Iſrael, ad ſuperiora nos remittit, vbi ſic dictum eſt ex perſona domini. Venite ad Bethel & impiè agite ad Galgala, & multiplicate præuaricationem, &c. quæ ita finiuit. Sic enim vos Iuiſtis filij Iſrael. Et eſt ſenſus. Dixi vobis ſuperius, quaſi verbo abhortantis. Venite ad Bethel, & impiè agite. ſed nõ eſt hoc abhortantis ſiue volentis, imò indignantis & odientis. quia ſi voluntas quæritur domini, hæc potius vult, & hæc pro voluntate ſua dicit. Nolite quærere in Bethel, & in Galgala nolite intrare. Ibi quærentes non vtique viuetis, ſed potius moriemini, quia videlicet non ibi ſum ego Deus viuus & viuificans, ſed ibi eſt aureus vitulus, nõ dico mortuus, nec enim aliquando fuit viuus, ſiue animatus. ſed dico vbi eſt vitulus veſter deus veſter neque mortuus neque viuus, ſed tamen mortificans, quia qui quærunt illum, moriuntur. Nolite ergo quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare, qui eſt locus idololatriæ, & in Berſabee non tranſibitis, vbi pertinaci errore idola adorare conſueuiſtis. Notandũ deinde, quod cum dicit, quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis. de Berſabee tacet, quia videlicet victis decem tribubus vrbs nomine Berſabee quæ erat in tribu Iuda, illo tempore neq; capta nep; deſtructa eſt. Hæc domino dicente, ſtatim ſuam propheta per propriam perſonã, pro bona voluntate adhortationem ſubiungit, quærite (inquiens) dominum & viuite, ne forè ſuccendantur vt ignis domus Ioſeph. quam propter Hieroboam, qui de tribu Ephraim, & de domo fuit Ioſeph, decẽ tribus ſentire debemus, quæ appellabantur Iſrael, & ex maiore populi parte nomẽ priſtinum poſsidebãt. Duæ autem tribus, quæ regebantur à ſtirpe Dauid, qui de tribu Iuda fuit, vocatæ ſunt Iudas, & poſsidebant Hieruſalem, in qua erat templũ Dei. Cumque ſuccenſa fuerit domus Ioſeph, deuorabit, atq; conſumet Bethel, & nõ erit qui extinguat, cum à regibus ſuis fuerit ſuccenſa. Hæc omnia ſic dicta ſunt, vt cum in ſuperficie literę vel vocis propheticę, temporis tunc inſtantis captiuitatẽ denuncient, qua decem tribus in Aſſyrios poſtmodũ transferendę erant, nihilominus ſubtiliter inſpecta Iudęorum captiuitate, quę nunc vſque diſperſa manet, conueniant. Quod vt intellectui planius fiat, prius dicendum, quia Bethel domus Dei, Galgala volutabrum, Berſabee puteus iuramenti interpretatur. Quis autem illam neſciat quondam domum dei, de qua vane gloriabantur Iudęi confidentes verbis mendacij & dicentes, templum domini, templum domini, templum domini eſt. Porrò volutabrum illorum, cęremonię carnales erant, imò ſunt, ex quo Chriſtum crucifixerunt. volutabrum, inquam, ita vt Apoſt. pro detrimento illos habeat, & arbitretur vt ſtercora, non ſine authoritate prophetica. Nam in Malach. Ecce ego (inquit dominus) proijciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrũ ſtercus ſolennitatum veſtrarum. Puteus autem iuramenti erat illis profunda cupiditas auri & argenti, et in tantũ puteus iuramenti, vt iuramentum in auro nimis prę ferrent iuramento cp iuratum eſſet in altari, ſiue in tẽplo. vnde dominus, Vę vobis (inquit) duces cęci qui dicitis, quicunq; iurauerit per tẽplum, nihil eſt, qui autẽ iurauerit in domo quod eſt ſuper illud, debet. Igitur quęrite me et viuetis (ait Chriſtus qui vera vita eſt) et nolite quęrere in Bethel. i. in illa domo Dei, quę cũ debuiſſet eſſe domus orationis, facta eſt ſpelunca latronum, quia ſicut per prophetam prædixeram. Reliqui domum meam,

Iacob Deo primus decimas vouit. Gen. 28.

Supra C.

Domus Ioſeph.

Hier. 7.

Philip. 3.

Malach. 1.

Matth. 23.

Ioan. 2.

Hier. 17. Ioan. 8. meam, dimiſi hęreditatem meam, facta eſt mihi hæreditatio mea quaſi ſpelunca hyenæ. Nolite me quærere illic, quia ſum ibi, ex quo volentibus illis me lapidare, abſcõdi me & exiui de templo. Et in Galgala nolite intrare, id eſt, volubrum veterum cæremoniarum contemnite, & habete iã pro ſtercore, vt ne ſaltem circuncidamini illa carnis circunciſione, qua Ioſue populum circuncidit in Galgalis, quia ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Et in Berſabee nõ tranſibitis, id eſt, auaritiæ phariſaicæ profunditatem, quam periuria conſequuntur, non ſectabimini. Talia prædicantibus Apoſtolis Chriſti poſt paſsionem eius, quem illi audire noluerunt, futurum erat quod ſequitur: quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis, ſimulque & quod ſubiungitur, quęrite dominum & viuite, ne fortè comburatur, vt ignis domus Ioſeph, & deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel. Illa namque Bethel, quæ debuit eſſe domus Dei ſiue Chriſti, cuius typum tenuit Ioſeph, non ſolum inutilis facta, verum etiam propter inutilitatem igni combuſta eſt, & deuorauit eam ignis, & nõ fuit qui extingueret, quin etiam inuiſibiliter quoque nunc ardet vſque ad inferni no

Deute. 31. uiſſima, ignis qui in furore domini ſuccenſus eſt, & illa iam non verè Iudæa, ſed Galgala ſupradicto modo dicenda, in omnes ‹‹gentes captiua ducta eſt. Sequitur. [Qui ‹‹conuertitis in abſynthium iudicium, & iu‹‹ſtitiam relinquitis in terra, & facientem Ar‹‹cturum & Orionem, & conuertentem in ‹‹mane tenebras, & diem nocte mutantem, ‹‹qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper ‹‹faciem terræ, dominus nomen eſt eius. Qui ‹‹ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum, & va‹‹ſtitatem ſuper potentem affert.] Hic ſubaudiendum eſt, vobis dico, loquor, qui conuertitis in abſynthium iudicium. Gran dis culpa, magna damnationis cauſa, conuertere dulcedinem iudicij in abſynthium ſiue amaritudinem iniquitatis, & pulchritudinem ſiue ſuauitatem iuſtitiæ in horrorem clamoris. Hoc ipſum apud Eſaiam verbis alijs per figuram vineæ conqueritur dicens, Et expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas: & exponens quid diceret, & expectaui (inquit) vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iuſtitiam, & ecce clamor. Verè infelices, qui tam longum iniquitatis & clamoris traxerunt funiculum, vt vſque ad ipſum peruenirent Chriſtum, iniquo iudicio & clamore condemnandum, claman do, reus eſt mortis: clamando, crucifige crucifige: clamando, ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Debemus enim ſic illa, quæ præſentia vel inſtantia tunc erant tempora reſpicere, vt non dubitemus ſpiritum propheticum potius futurum tempus proſpexiſſe, quo filij peſsimi occidendo Chriſtum, impleturi erant menſuram patrum ſuorum. Nam & ſi illa potiſsima prophetiæ pars in iſto & in cæteris prophetis, abſcondita ſiue operta eſt, propterea nimirum operta eſt, quia crudeles atque rebelles illi patres, non ſolummodo prophetantes aut ſcribentes, occiderent, quod fecerunt, verumetiam ſcripturas incenderent & perderent, ſi tale ſacramentum in obſcura litera non fuiſſet abſconditum. Proinde quod ſequitur. Et facientem Arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem nocte mutantem, qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, dominus eſt nomen eius. Oportunum de eodem CHRISTO teſtimonium eſſe non dubitemus, quia videlicet perſona hæc magis quam perſona patris, opus habebat propter nos defendi ſcripturarum teſtimonijs, quod ſit factor ſyderum noctiſque & diei, imò & omnium quæ facta ſunt, quia ſine ipſo factum eſt nihil. Quare autem cum omnium factor ſit, præſenti loco tantummodo dicitur factor Arcturi & Orionis diei & noctis, & pluuiæ ſuper terram effundendæ? videlicet vt cum potentia creatoris, gratiam quoque myſtice commendet eiuſdem Saluatoris. Arcturus namque qui in cæli axe conſtitutus, ſeptem ſtellarum radijs fulget, ſemper verſatur, & nunquam mergitur, imò & dum verſatur, erigitur. Orion autẽ ipſo ponderetẽpo is hyemalis oritur, ſuoq; ortu tempeſtates excitat, & maria terraſq; perturbat. Vnde apud beatum Iob, vbi dicit, qui facit Arcturum & Oriona & Hyadas & interiora auſtri. Per Arcturum qui (vt iam dictum eſt) ſemper verſatur, & nũquam mergitur (exponente beato Gregorio) ſanctam intelligimus eccleſiã, quæ ſeptiformi ſpiritu ſtabilita, perſecutiones iniquorum ſine ceſſatione tolerat, ſed tamen vſq; ad mundi terminum ſine defectu perdurat. Per Orionem verò ſanctos martyres, qui pondus perſequentiũ, moleſtiamq; paſſuri, ad cęli faciem quaſi in hyeme venerunt. At verò quoniam antiquam noui hominis Chriſti diuinitatem iſtis vel his ſimilibus teſtimonijs confirmare & confirmatã eſſe cupimus, dulcius & delectabilius eſſe arbitramur, ſi intra vniuerſitatem eiuſdem ſanctę eccleſię perſonas illas quaſi digito demonſtremus, quarum propter ſimilitudinem competenter hic Arcturum & Orionem feciſſe dicatur, qui perſonis illis poſterior eſt homo natus. Itaq; per Arcturum, qui (vt iam dictum eſt) ſeptẽ ſtellis fulget, priſtinos intelligamus patres, ex quib. Chriſtus ſecundum carnem, ſcilicet Abrahã, Iſaac, & Iacob, eorumq; coniuges Saram & Rebeccam, Rachel & Liam. Iſta nanq; ſeptem perſonę, veluti Arcturus ſeptẽ ſtellis fulgidus, ſẽper verſabãtur, & nunquã mergebãtur, id

Peruertere iudicium grãdis culpa eſt. Eſaiæ 5.

Cur prophetiæ ſint obſcuræ.

Arcturus & Orion.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,id est,per omnem vitam suam propter fidem Dei peregrinando de loco ad locum proficiscebantur, neque diffidentes vnquã in terram pristinæ natiuitatis suæ reuertebantur. Nunquam Abrahã in Chaldæa reuersus est, cum tot in locis & interdum fame vrgente peregrinaretur, quin etiam ad seruum suum, caue(inquit) ne quando filium meum reducas illuc,cum de Mesopotamia loqueretur,vbi habitabat cognatio eius, ex quo tempore Thare pater eius de Chaldæa fuerat egressus. Quãto magis hæc vetuisset, ne in Chaldæam filius suus reduceretur? Igitur cum dicit,facientem Arcturum,perpulchrũ est intelligi de Deo & homine Christo, quod antequam nasceretur & in cælo factor stellarum,& in terra factor extitit patrum& matrum suarum,velut septem stellarum fulgentium Abraham & Saræ,Isaac & Rebeccæ,Iacob & Rachelis atq; Liæ.Per Orionem verò Moysen intelligimus, qui nimirum sicut Orion in ortu suo (vt iam dictum est) tempestates excitat, & maria terrasque perturbat, ita vt in aduentu suo decem plagarum tempestatibus Aegyptum quassauit,maria diuisit,& Pharaonem cum curribus & equitibus eius submersit.Hoc verò multum ad commendandam maiestatem diuinitatis hominis Iesu Christi, quod talem Orionem fecerit, quẽ tantopere aduersarij eius præferebant ei, dicentes: Nos scimus, quia Moysi loquutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit. Hocipsum quod videlicet illum Orionem fecerit,pulchrè & sapienter ipse innuit quãdo illis dicentibus,in lege aũt Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidari, inclinans se deorsum digito scribebat in terra, significans seipsum esse, cuius digito scriptæ fuissent tabulæ quas Moyses accepit, cuius sibi insidiose obijciebatur authoritas. Post illũ Arcturum & Orionem fecit & illud quod mirabiliter significatur dicendo, & conuertentem in mane tenebras,& diem nocte mutantem. Etenim quando fecit talem Arcturum,& talem Orionem,id est, quando condidit patres suprædictos, & Moysi dedit legem,gentes tenebræ fuerunt, quia Dei notitiam non habuerunt, sed quãdo factus est homo,tenebras illas in mane cõuertit,quia gentes euangelica prædicatione illuminauit. Econtra,diem nocte mutauit, quia Iudæam, in qua prius notus erat Deus, cuius notitia Deus est, propter perfidiam in cæcitate reliquit. Post hæc etiam & illud mirabile fecit,quod doctores ex gentilitate assumpsit, quorum doctrina mundum omnem repleuit. Hoc significat subiungendo, qui vocat aquas maris & effundit eas super faciem terræ. Secundum literam istud ferè quotidie est. Aquas enim maris amarissimas, æthereo calore suspensas excolat & eliquat in dulcem pluuiarum saporem, instar medicinalis cucurbitæ, quæ caloris superioris gyri humorem & sanguinem sursum trahit, Ex quo discimus vnde sint pluuiæ. Nimirum iuxta hanc similitudinem quam multos de profunditate seculi, de salsis & amaris gurgitibus gentilitatis literalibus & philosophicis redundantes studijs, superna gratia vocauit, eorumq; aquaticã scientiam in dulcedinem cælestis sapientiæ conuertit,eisque & ore loquentibus, & calamo scribentibus,faciem terræ, fidẽ ecclesię,plurimis libris,tractatibus copiosis, quasi compluendo sufficienter inebriauit. Hinc Psalmista dicit. Visitasti terram & inebriasti eã. Item pluuiã voluntariam segregabis Deus hereditati tuę.Quod dicit voluntariã, hoc est, voluntariè, nullisque precedentib. meritis datam. Dominus inquit nomen est eius.Constanter, verè, & fiducialiter confitendum est coram hominibus, coram regibus,& coram ducibus,siue iudicibus, corã cunctis gentibus,& contra Iudęos inimicos eius,quia talis & tantus talia & tanta faciens dominus est,& hoc est nomen eius, quamuis ad tempus fuerit despectus, quamuis ad horam fuerit crucifixus, & in sepulchro iacuerit mortuus. Sed perseuerauerunt negare illum inimici eius, dicentes. Nolumus hunc dominum esse, nolumus hunc regnare super nos. Quid ergo sequitur? Qui subridet vastitatem super robustum & depopulationem super potẽtem affert. Quis vastitatem & depopulationem non audiuit illius populi robusti & potentis? Robustus nanque & potens presenti loco mirabiliter dicitur, videlicet ꝓ eo quòd cum robusto superbia,cum potente audacia contra istũ, cuius (vt iam dictum est) nomen est dominus,populus infœlix consurrexit, non vt verè fortis contra infirmũ,sed vt verè phreneticus contra medicum, & malè robustus eiecit,malè potens occidit malè robustus& malè potens post resurrectionem eius. Apostolos eius persequutus est,& eiecit& repulit ipsum quòd volebant illis loqui verbum Dei. Idcirco vastitatem super talem robustum,& depopulationem super talem potentem attulit, hoc ipsum seruientibus Romanis, multò plusquam fecerat famulantibus Assyrijs, obsequentibus iudicio eius Babylonijs, vt & decem tribus in Assyrios irreuocabiliter,& Iuda, & Babyloniã tempore statuto reuocandus transmigraret. Hoc maximè, quòd quasi per Romanos pastus est, ille robustus & potens fecit, hic dominus non parcendo aut compatiendo,sed quasi subridẽdo,propter illud quod dixerant tanquam cauti & prouidi, ne fortè veniant Romani & tollant nostrum & locum & gentem,subridendo inquam, iuxta quod in persona eius sapientia dicit, Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis quod timebatis aduenerit.

Gene. 24.

Moyses velut Orion.

Ioan.9.

Ibid.8.

Doctores ex gentib. velut pluuia ex mari.

Psalm.64.

Psalm.67.

Lucæ 19.

Malè robusti Iudæi.

Ioan.11.

Prouerb.1.

Propriè

Subrisio. Propriè subrisionem possumus appellare, quando quis irascitur, & apertis paululum labijs ridere se simulat, vt iræ magnitudinẽ ostendat. Talibus verbis circa dominũ,qui nullos motus patitur, idcirco scriptura vtitur,vt satis quantum potest affirmet, quòd dominus,quamuis natura sit clemens, nulla tenus tamen robusto & potenti,id est,in peccato superbienti misereatur. Sed sicut item dicit scriptura.Potentes potenter tormenta patientur,exiguo autem concedetur misericordia. Eum qui talis & tantus est,qui talia & tanta potest,conuertitis(ait)in absynthiũ vt cùm sit natura dulcissimus, cunctam suę naturæ contineat dulcedinem, & totius iræ quasi subridendo super vos effundat amaritudinem.Nunc quasi quæreret aliquis,quo modo vel quid agendo tam dulcẽ in absynthium sibi conuertere potuerint, conuertitur ad interrogãtem & dicit.[Oderunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt.]Vigilanter hic animaduertendum est, vt non in incertum vel per cõiecturam diffiniamus robustum illum & potentem, cuius vastitatem siue depopulationem iustè subrideat dulcis dominus,conuersus in absynthiũ. Nõ dicit peccauerunt,siue admiserunt quippiam quod in porta,id est, in iudicijs,quæ in porta cuitatis agi solebãt, esset corripiendum, neq; dixit impefectè locuti sunt,sed corripientem inquit)oderũt, loquentem perfectè abominati sunt. Hoc est irremissibile peccatũ,hoc robustiorũ est atq; potentum,non per ignorantiã, siue per infirmitatem peccare, sed peccatum superbè defendẽdo,corde impœnitenti, corripiẽtem quoque odisse, & abominari illum, qui audeat loqui perfectè, id est,non sibi placentia,sed malis actibus repugnantia. Quis autem in porta corripuit, vel quis perfectè locutus est. Corripuit quidem eos Dauid,& pleraque perfectè locutus est, atque idcirco oderunt illum & abominati sunt, dicentes:quæ nobis pars in Dauid,vel quæ hæreditas in filio Isai,& istum quoque, qui hæc ipsa loquitur, & cæteros prophetas oderunt & abominati sunt. Verũtamen sicut cætera, ita & istud in vno Christo iustè corripiente, & perfectè loquente veraciter & indubitanter est adimpletum. Ipse enim loquitur in Psalmo. Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta. Item. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis impugnabant me gratis. Vnde memor ipse cùm abominarentur eum,& ꝓpter hæc diceret, qui me oderunt & patrem meum oderunt,& deinde, nunc autem & viderunt & oderunt & me & patrem meũ, continuò subiunxit.Sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est,quia odio habuerunt me gratis. Christum ergo præ omnibus etiam hic intelligimus, quem oderunt corripientem in porta,id est,in aperto siue in publico,quemadmodũ ipse dixit. Ego palam locutus sum mundo,& in occulto loquutus sum nihil. Et rectè taliter in porta,id est, non in occulto corripiebat,qui semetipsum portam siue ostium dicebat, & eos qui claues portarum scientiæ tulerant, de iniustitia redarguebat. Ipsum solum perfectè loquentem veraciter dicamus,qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et pro ista quidem parte, pro'isto modo perfectionis, quia non est inuentus dolus in ore eius,perfectè loquens rectè dicatur, sed nihilominus in sapientia siue doctrina solus hic est perfectè loquutus, perfectè(inquam)& tã mirabiliter,vt dicerent ministri principum & pharisæorum,qui missi fuerant vt apprehenderent eum. Nunquã sic loquutus est homo sicut hic homo.Sequitur. [Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem & prædam electam tollebatis ab eo,domos quadro lapide ædificabitis, & nõ habitabitis in eis. Vineas amantissimas plantabitis.& non bibetis vinum earum,quia cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra. Hostes iusti accipientes munus.& pauperes deprimentes in porta. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.] Hic manifestius indicat,quod quamuis verbis præteriti temporis vtatur, dicendo, odio habuerunt in porta, corripientem & loquentem perfectè abominati sunt, diripiebatis pauperem,& prædam electam tollebatis ab eo, de futuro tamen prophetiam texit, & in verum pauperem Christum tendit, dum subiungit, prudens in tempore illo tacebit. At ille pauper nihil in hoc mundo possedit. Quomodo ergo illum diripuerunt, vel quam prædam electam ab eo tulerunt? Nimirum quando crucifixerunt eum, diuiserunt sibi vestimẽta eius, & super vestem eius miserunt sortem, & hæc quidem præda magna fuit pro quantitate sacrilegij, non pro quantitate suppellectilis. Sed altius intuentibus præda illa occurrit, quam per parabolam Euangelicam ipse significauit, in qua agricolæ videntes filium patrisfamilias dixerunt intra se. Hic est hæres, venite occidamus eum,& habebimus hæreditatem eius. Pauperem ergo illum,de quo in Psalmo legitur. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.Itemque: Et persecutus est hominem inopem & mendicum & compunctum cor de mortificare. Pauperem (inquam)id est, humilem Christum diripuerunt,& prædam electam ab eo tulerunt, quando plebem ab illo auerterunt, implentes mensuram patrum suorum regum Israel, quos imitati sunt.Sicut enim illi decem tribus scidẽrũt à domo Dauid, & à templo Domini,& fecerunt adorare simulachra vituli,quod iam factum fuerat, quando texebatur hæc prophetia,sic isti plebẽ auerterunt à filio Dauid,

Christũ ꝓ omnib. oderunt gratis.

Psal.119.

Ioan.15.

Ioan.18. Lucæ 11. Esa.53.

Solus Christus perfectè locutus est.

Ioan.7.

Prædaquã à Christo tulerunt Iudæi.

Matth.21. Psal.40. Psal.108.

P filio Dei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

filio Dei, & fecerũt eos credere ſuis mẽdacijs magis quàm veritati Dei. Idcircò (inquit) domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis, vineas amantiſsimas plantabitis, & non bibetis vinum earum. Vides quale experimentum hic iam ponit ſupradicte cõuerſionis, de qua dixit, qui conuertitis in abſynthium iudicium? Nam in lege clemens dominus, exeuntibus ad bellum audiẽte exercitu taliter proclamandum eſſe iudicauit. Quis eſt homo qui ædificauit domũ nouam, & dedicauit eam? Vadat & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam? Quis eſt homo qui plantauit vineam, & necdũ eam fecit eſſe communẽ, & de qua veſci omnib. liceat? Vadat & reuertatur in domũ ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius eius fungatur officio. Hoc nimirum pro ſua dulcedine tũc iudicauit, nunc aũt conuerſo in abſynthiũ iudicio contraria diſcernit. Domos (inquiẽs) quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis, neq; em captiuator tale quid indulgebat, ſed & domos diruens atq; ſuccendẽs, & vineas ſuccidens, ædificatores atq; plantatores quos gladio non occidet, in captiuitatem properare compellet, atq; ita neq; domos dedicabitis, quas pulchras facietis, neq; bibetis vinum de vineis amantiſsimis, quas ordine conſitas diligenter coluiſtis. Quare? Quia cognoui (inquit) multa ſcelera veſtra, non ſolũ multa, verumetiam (quod peius eſt & venia indignum) fortius cognoui peccata veſtra. Nam peccata veſtra non de infirmitate ſiue de ignorantia, ſed de ſuperba fortitudine, de forti prodeunt ſuperbia, iuxta illud in pſal. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua, prodijt qua ſi ex adipe iniquitas eorum. Illam veſtram iniquitatem in proximum, impietatem in Deum, quæ non ex infirmitate, ſed ex adipe prodijt, ô malè fortes in peccatis, ecce breuiter depromo vobis. Hoſtes iuſti, accipientes munus, & pauperes in porta deprimentes. Nam cũ hoſtis ab obſiſtendo dicatur, ſubiũgendo hoſtes iuſti, accipientes munus, & pauperes in porta deprimentes, non incongruas reddidit cauſas cur dixerit, & fortia cognoui peccata veſtra. Verè hoſtes iuſti, maximè illi, qui menſuram patrum ſuorũ in eo impleuerunt, vt non ſolùm munus acciperent aduerſus pauperes in porta, id eſt, in iudicio deprimendos, quod ſæpe fecerũt, tam ipſi, quàm patres eorum, verumetiam vt ſibi traderetur iuſtus, munus, id eſt, triginta argenteis ſpoponderũt & dederunt. Ideo (inquit) quia taliter fortes ſunt & hoſtes iuſti, prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt. Reuera & in iſto ſermone valdè veracem iſtum prophetam ſuum iuſtus ac prudens ille fecit, quando coram iudicibus iniquis, quia tempus malum erat, tacuit, ſicut Euangelica narrat hiſtoria. Cùm enim dixiſſet Euangeliſta, quia ſurgens princeps ſacerdotum ait illi, nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtificantur. Ieſus autem (inquit) tacebat, & verè tanquam prudens tacebat, ſciens, quia quicquid reſponderet inſidiantibus, in calumniam ſibi verteretur. Vnde & ſecundum alium Euangeliſtam dixit. Si vobis dixero, nõ credetis mihi. Si autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Porrò illa taciturnitas aliam vtique ſignificabat, qua nunc tacet illis, mandando nubibus ſuis, ne pluant ſuper vineã illam imbrem, id eſt, prohibendo ſuos, vt ab illis contineant Euangelij prædicationem, quia tempus malum, iuxta quod ſapientia loquitur: Ne effundas ſermonem, vbi non eſt auditus. Nam inde malum eſt ibi tempus, quia non eſt ibi auditus, his dictis de certa condemnatione hoſtium iuſti, quia poſſunt eſſe inter eos aliqui, licet pauciſsimi, qui errore peccant & non odio iuſti, conuertitur ad eos ſermo propheticus & dicit. [Quærite bonum & non malum, vt viuatis, & erit dominus Deus exercituũ, vobiſcum, ſicut dixiſtis. Odite malum & diligite bonum, & conſtituite in porta iudiciũ, ſi fortè miſereatur dominus Deus reliquijs, Ioſeph.]

Huius nimirum adhortationis fructus non omninò periit, quia videlicet & tunc temporis aliqui bonum quæſierunt, ita vt diceret Dominus ad Heliam. Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua coram Baal, & in tempore Euangelicæ gratiæ ſimiliter factum eſt. Sic enim inquit Apoſtolus. Et in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Pulchrè nimirum nunc meminit Ioſeph, dicendo: ſi fortè miſereatur Dominus Deus reliquijs Ioſeph. Hieroboã nanq; qui peccare fecit Iſrael, de tribu fuit Ephraim, qui filius fuit Ioſeph, cuius vita, ſicut in ſemetipſa laudabilis extitit, ſic in his quę geſsit vel pertulit typum dñi noſtri Ieſu Chriſti prętulit, in quo reliquiæ ſaluę factæ ſunt. Verũ iſta pars quã dicit, & cõſtituite in porta iudiciũ, non habuit effectum. Nũquam enim vel tunc ex quo vitulos fecit Hieroboam, publicum celebrauerunt iudicium, vt vitulos deſererent, & vt redirent ad Dauid regẽ ſuum, nunquam hoc tempore, quo Chriſtum crucifixerunt, ita conſtituerunt in porta iudicium, vt paterentur ſibi publica prædicatione demonſtrari de ſcripturis quodlibet veritatis Chriſti teſtimonium. Sequitur. [Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator. In omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris ſunt, dicetur: væ, væ, & vocabũt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui ſciunt plangere, & in omnibus vijs erit planctus, quia pertranſibo in medio tui dicit Dñs.]

Hoc ex-

Deut. 20.

Peccata fortia.

Pſal. 72.

Hoſtes iuſti.

Matth. 26.

Hoc expoſitione non indiget, quia res nota & manifeſta eſt. Nam vt de captiuitate decẽ tribuum in Aſſyrios, de tranſmigratione Iuda taceamus in Babylonios, quib. in plateis planctus, quibus in vijs non fuit luctus, & in quibus non fuit dictum, væ, væ, quando illi hoſtes iuſti ſcilicet Chriſti, Romana circundati ſunt obſidione? Mirũ & illud fuit, & hoc loco non prætereundum videtur, q priuſquã pro re ab omnibus diceretur, væ, væ, mirabili prodigio quidam (vt refert Ioſephus) in cunctis plateis, & in omnibus vijs clamauit, væ, væ. Ieſus (inquit) filius Anai plebeius & ruſticus, quadriennium priuſquam bellum gereretur, in ſumma ciuitatis pace atq; opulentia, cùm ad feſtum diem veniſſet, repentè exclamare cœpit. Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor vẽtis, vox in Hieruſalem, & templum, vox in maritos, nouaſq; nuptas, vox in omnem populum. Atq; hæc interdiu noctuq; per omnes ciuitatis vicos clamitans circuibat. Propter hoc plagis ad oſſa vſque laceratus, ad ſingulos ictus reſpondebat, Væ, væ, Hieroſolymis. Interroganti prefecto tunc temporis Albino, quis eſſet vel vnde ortus, aut cur iſta diceret, nihil aliud retulit, ſed velut orationem quandã meditatus, væ, væ Hieroſolymis querebatur. Id per annos ſeptem & quinque menſes continuò fecit, donec ob ſidionis tempore paululum requieſcens, & deinde ſupra murum circuiens, iterum, væ, væ, ciuitati, magna voce clamauit. Cùm autem ad extremum addidiſſet, væ etiam mihi, lapis tormento emiſſus ſtatim peremit. Quod tandem ſubiungitur, quia pertranſibo in medio tui dicit dominus, iram ſonat magnam & deſertionem illam, quam in euangelio ſignificatam eſſe animaduertimus, vbi cùm duxiſſent illum vſq; ad ſuperciliũ montis, ſupra quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum, ipſe autẽ inquit Euangeliſta) tranſiens per medium illorum ibat. Sic nanq; tranſeundo & eundo ſignificabat facto, illud ſine dubio futurum, quod paulò antè in myſterio comminatus fuerat illis dicendo. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cælum annis trib. & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Helias, niſi in Sareptho Sydoniæ mulierem viduam. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Heliſæo propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus. Terribiliter nanque quaſi cum interpoſitione iuramenti, in veritate innuebat illis, quod nimiã famem verbi Dei forent paſſuri, quam pertranſeundo relinqueret eis. Hydria farinæ & lechito olei (quod eſt euangelica doctrina & gratia ſpiritus ſancti) apud gentilitatem quandam viduam non deficientem, Helia, id eſt, Deo domino ſcilicet Ieſu Chriſto præſente, & quod in lepra peccati ſui mortui eſſent curato Syro Naaman, id eſt, gentili populo per Heliſæi, id eſt, Ieſu Chriſti lauachrum. Heliſæus nanque Dei mei ſalus interpretatur, quæ videlicet ſalus nobis eſt dominus Ieſus Chriſtus. Illud tandem non prætereundum, quod in tali pertranſitione domini dicuntur vocare agricolam ad luctum. Arbitramur nanque hoc mira cum reprehenſione eſſe dictum. Quid enim? Nunquid agricolæ veraciter ſicut oportet, ſciunt lugere? Aut quę æſtimare debemus eſſe agricolam, niſi illum qui ita ruſticus eſt, vt lugendi non habeat ſcientiam. Verè nanque ſcientia lugentes facit. Et idcirco ſicut in ordine ſpirituum, à ſpiritu timoris domini ſurſum tertius eſt ſpiritus ſcientiæ, in ordine beatitudinum, tertio loco beatitudinem lugentium ponit Dominus. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Stulti igitur, qui pertranſeunte Domino agricolam vocant ad luctum, & non potius vrbanum ſiue eccleſiaſticum in ſancta ſcientia benè exercitatum, id eſt, qui temporalium tantummodo & non ſpiritualium damna bonorum, qui corporum tantummodò, & non potius mortuorum funera lugent animarum. Denique quod cùm dixiſſet & vocabunt agricolam ad luctum, ſubiunxit, & ad planctũ eos qui ſciunt plangere, nõ pro ſuo iudicio, ſed pro vana illorum dixit æſtimatione.

Verba Ioſephi.

Tranſitus domini ab Hieruſalẽ.

Luca 4.

Luca 22.

Eccl. 32.

Ioſeph typus Chriſti.

Vocare agricolã ad luctum.

Eſa. 11.

Matth. 5.

FINIS LIBRI SECVNDI IN AMOS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN AMOS PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

Cant. 4. TOTA pulchra es amica mea, dicit spōsus in Canticis. Et notū est, quod spōsus ille Christus, & amica eius sancta prophetica atq; Apostolica Ecclesia sit. Quæ autem illius amicæ pulchritudo maior esse potest, quam sensus veritatis & scientiæ Dei, quæ in sacris literis latet? Sicut enim ex collocutione dei splendida facta est exterior facies Moysi, sic & Moysi & prophetarum & Apostolorum fideles animæ interiori facie sancto scientiæ spiritu illustratæ splenduerunt, pulchrum & fulgidum habentes sensum veritatis. Item sicut oportuit Moysen velare faciem suam, quando loquebatur ad populum, videntes enim Aaró & filij eius claritatē vultus eius, timuerunt prope accedere, sic & Moysen & prophetas oportuit grossiori subtegere sensus intimi claritatem, quia videlicet illius tēporis homines Iudæi siue filij Israel nullatenus sustinerent, si sacramenta Christi & Ecclesiæ, quæ nouerant, planis & apertis vocibus prædicarent. Quomodo enim tunc sustinerēt, quomodo scripturas saluas esse vellent rebelles & increduli, cùm nunc quoq; ad videndum vel audiendum quippiam spirituale nimis impatientes sint? Hæc idcirco dicimus, ne nobis mirū videatur, quòd hic Amos & prophetæ cæteri tam obscurè locuti sunt, iuxta illud Psalmi. Tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, occulta scientia in prophetis. Nam hoc ipsum quod quasi tenebrosè locuti sunt, oculo fecerūt simplici, & nullam habente partem tenebrarum, id est, nō propter inuidentiam, sed propter cautelam, non inuidendo legentibus intelligentiam, sed præcauendo legentium malitiam, quibus non omnia credenda sunt, sicut margaritæ ante porcum mittendę non sunt. Igitur cùm audiuimus dilectum dicentē. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, & deinde, surge propera amica mea, veni de Libano, veni coronaberis, arbitremur Christum desiderare, vt appareat pulchritudo sanctæ scripturæ, pulchritudo veritatis propheticæ, pulchritudo colūbę, cui⁹ (vt Psalmista dicit) pennæ de argentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Et qa non decet, adducatur siue veniat illa per alios, nisi per illos qui diligunt munditiam cordis. Veni (inquit) de Libano, veni, quod idem ac si dicat. Illi te tractent, qui secundum nomē Libani, quod interpretatur candidiatio, id est, mūdi essent.

Exod. 34. *Cur prophetæ loquuti sunt tā obscurè.* *Psal. 17.* *Matth. 7.* *Cant. 4.* *Psal. 57.*

Huiusce labores, si dignè fiat, primum breuiter exprimit, dicendo: coronaberis. Hoc satis debet esse amatori sapientiæ, quæ pulchritudo est sanctę Ecclesiæ, quod ipsa videlicet in sapentia coronetur. In quo enim sapientia, nisi in sapiente coronabitur? Proinde sicut in Psalmo dominus. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, ita & nunc inclamantes, non nobis domine non nobis, sed verbo tuo, sapientiæ tuæ, scripturis veritatis tuę, præpara coronā. Cœptū peragamus studij cursum. Postquā totiens dixit propheta, siue in propheta dominus. Quærite me & viuetis, quærite dominum & viuite, quærite bonum & nō malum vt viuatis, &c. repentè terribiliter inclamat & dicit. [Væ desiderantibus diem domini. Ad quid eam vobis? Dies domini ista, tenebræ & lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & vrsus occurrat ei, ingrediatur domum & innitatur manu super parietem, & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini, & non lux? & caligo, & non splendor in ea?] Magna exclamatio, mira inuectio dicentis. Væ desiderantibus diem Domini. Non adeo mirum videretur, si ita diceretur. Væ non timentibus diem Domini. Nam non timere, est omnino malorum siue impiorum hominum, desiderare autem potest esse bonorum, adeo vt Apostolus dicat. Cupio dissolui & cum Christo esse. Denique talium quoque desiderium non sine quodam timore est. Quis enim gloriabitur, castum se habere cor? Verùm timor ille non seruilis, sed filialis est, non pœnam habet, quia magna illi in spe consolatio est. Cùm ergo dicit, væ desiderantibus diem Domini, quid nisi audaciā illorum percutit, qui in se confidunt tanquā iusti? Non dubium, quin valdè fatigatus illorum insania, qui erant eiusmodi, taliter in clamauerit. Quid enim prophetis resistendo & cōtradicendo dicere soliti fuerint, qualiter subsannare & irridere, suamque confidentiam ostentare consueuerint, ex alijs colligimus scripturę locis. Exempli gratia. Cū dixisset Esaias. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculū plaustri peccatum, subiunxit atq; ait. Qui dicitis, festinet, cito veniat opus eius, vt videamus & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud. Nimirum hæc dicere est malè & proteruè desiderantium, malè & stultè audientium. Et quis habitum malè confidentis, & audacis animi satis in talibus mirari possit, qualiū vnus Sedechias, percussit Micheam

Prou. 20. *Philip. 1.* *Subsannatio Iudeorum contra prophetas.* *3. Reg. vlt.*

3. Reg. vlt. sit Micheam in maxillam, & dixit. Me nec ergo dimisit spiritus Dñi, & loquutus est tibi? Sed & illud meminisse nūc ad rem pertinet, quod prophetis insultabant, iuxta illud, ꝙ cantantes & ludentes dicunt apud Esaiam. *Esa. 28.* Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicū ibi, modicum ibi. Sic nanque cantabant quasi desiderantes, & velut moræ impatientes, tanquam non concedentes veracem debere prophetam videri, eò quòd non cito res consequerentur verba prophetantis, siue domini mandantis, & post verba nimium expectantis. Sentire ergo possumus, qualiter vel à qualibus defatigatus, siue exasperatus iste sic exclamauerit. Væ desiderantibus diem domini. Ad quid eam vobis? Dies domini ista tenebræ & non lux. Laborat clamans, clamat laborans, vt illius diei domini, antequam veniat, sentire & effugere possimus angustiam. Nam ibi angustiæ peccatoribus erunt vndiq; quomodo si fugiat (inquit) vir à facie leonis, & vrsus occurrat ei, ingrediatur domum & innitatur manu super parietem, & mordeat eum coluber. Multa sunt quæ ex istis similitudinibus conijci possunt. Nam iuxta historiam, & secūdum Iudæorū opinionem iste sensus videtur. Fugientibus à facie Nabuchodonosor leonis, occurrit Assuerus, sub quo Hester narratur historia, siue destructo Assyriorum & Chaldæorum imperio, Medi, Persiq; consurgent. Cumq; regnāte Syro fueritis reuersi, & præcipiente Dario cœperitis ædificare domum domini, & omnem fiduciam habueritis in templo, ita vt requiescatis in eo, & lassas manus super parietes inclinetis, tunc veniet Alexander rex Macedonum, siue Antioch. cognomēto Epyphanes, qui moreretur in templo, & vos initar colubri mordeat, nequaquam foris in Babylone & in Susis, sed intra termi nos terræ sanctæ. Hæc Hebræorum opinio nimis angusta est & tenuis, nec altitudinem attingit diei domini, sed neque ad tempora Romani pertingit imperij, sub quo multò magis væ illis fuit, quàm sub Assyriorum, siue Chaldæorum Persarum & Mœdorum atque Macedonum regnis. Referamus ergo cuncta hæc ad diem Domini, ad aduentum domini. Nam terror maiestatis eius leoni & vrso, non incongruè potest assimilari, præsertim cùm Hieremias in lamentationibus præmittens, sed & cùm clamauero & rogauero, exclusit orationem meam, concluſit vias meas lapidibus quadris, semitā meam subuertit, continuò subiunxerat. Vrsus insidians factus est mihi, leo in absconditis. Itaque cùm dicit, quomodo si fugiat vir à facie leonis, & vrsus occurrat ei, in vtraque similitudine diem intelligimus domini, primum & secundum aduentum domini. Nam in primo aduentu suo tanquam leo super illos venit. Deniq; occisus quidem est velut agnus, & non aperuit os suum, sed tanquam leo resurrexit, & in omnem terram rugitum dedit, vnde & in exordio hic idem propheta dixit. Dominus de Syon rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam. A facie leonis huius tunc quidem fugerunt, sed non effugerunt. nam fugere volentibus occurrit, siue occurret vrsus, id est, ineuitabilis terror secundi aduentus, & merito talis vrsus illis occurrit, quoniam fugerunt à facie leonis. Debuerāt nanque potius coram illo leoni prosterni, id est, agere pœnitentiam ad prædicationē Euangelij Christi. Sicut enim leo prostrato parcere dicitur homini, sic parcit Christus peccatori pœnitentiam agenti. Fugerunt ab eo tanquam rebelles & increduli, & fugiendo exierent de domo domini, de Ecclesia sanctorum Dei, illo insequente, & vindictam exigente eius, qui effusus est super terrā, omnis sanguinis iusti, sicut significauit eis, quā do facto flagello de funiculis, vendentes & ementes omnes de templo eiecit. Ita fugientes ille leo insequutus est, & vrsus occurrit, dum & sicut prænunciauerat dicens. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic, venientibus Romanis ceciderūt in ore gladij, & in omnes gentes ducti sunt captiui, & quod futurū est, videbunt in quē transfixerunt, & de angustia auolare non potuerunt. Interea dum ita in leonē & vrsum, id est, inter iram primi & iram secundi coartantur aduentus, siue diei domini, ingrediūtur domum, & innituntur manu super parietem, confidendo in cæremonijs carnalibus, & patronum se putantes habere Moysen. Nam super illum, quasi super parietem manu innituntur, dum circuncidendo & sabbatizando in Moysē gloriantur, sicut auribus nostris eos iactitātes frequenter audimus. Hoc sciens dominus, est qui accuset vos (ait) Moyses, in quo vos speratis. Nimirum spes illa non vera spes, sed diaboli deceptio est, idcirco cùm dixisset, ingrediatur domum & innitatur manu super parietem, addidit, & mordeat eum coluber. Ita nanque præsumētes & Antichristus hoc seculo seducet, & in futuro diabolus cruciare non desinet. His dictis protinus inclamando percunctatur & dicit. Nunquid non tenebræ dies domini & non lux, & caligo & non splendor in ea? Acriter interrogat, districtè percūctatur, sciēs quia negari non potest quod prædixerat, dies domini ista tenebræ & non lux. Sciens (inquam) confusionem esse tenebrosam, caliginemque confusam, nullamque splendore consilij lucem, vbi dum leo fugitur, vrsus occurrit, & dū vterq; declinatur, adest mordens coluber. Et benè percunctionis acrimoniam vimque geminauit verbis paulum diuersis, dicendo, Tenebræ, & non lux, caligo & non splendor. Nunc (sicut iam antè diximus) dies domini non vnus, sed duo, siue aduentus domini, non vnus tantū sunt,

Tren. 3. *Leo prostrato homini parcit. Ioan. 7.* *Lucæ 21.* *Zach. 12.* *Esa. 8.* *Duo aduentus domini Iudeis vterque damnationem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed duo, alter quo iã venit, alter sine dubio quo venturus est. Vterque Iudæis incredulis prouenit in iudicium damnationis, in dãnationem cæcitatis. Nam de primo, in iudicium (inquit) ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Et Apostolus, Cæcitas (ait) contigit in Israel, & dedit illis spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant. Et in Esaia, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude. Item, Miscuit vobis Dominus spiritum saporis, & claudet oculos vestros, prophetas ac principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et multa his similia. Porrò de secundo aduentu post multa dicit. Et suspiciet sursum, & ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio, angustię, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua. Rectè igitur non contentus fuit semel dixisse. Nunquid nõ tenebræ dies Domini & non lux, sed repetiuit, & caligo & non splendor in ea, quia videlicet in vtroque die, siue aduentu Domini, cum exteriori angustia tribulationis, intus habent tenebras confusionis, & in vtroque obscuratur oculi eorum ne videant, in vtroque fit ‹‹ via illorum tenebræ & lubricum. Sequitur. ‹‹ [Odi & proieci festiuitates vestras, & non ‹‹ capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod ‹‹ si attuleritis holocaustomata & munera ve‹‹ stra non suscipiam, & vota pinguium vestro ‹‹ rum non respiciam. Auferà me tumultum ‹‹ carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ nõ ‹‹ audiam. Et reuelabitur quasi aqua iudicium & iustitia quasi torrens fortis.] Secundum sensum quem à pariete paulò ante habuimus. Vbi dixit, quod innitentem manu mordeat eum coluber, ista satis congruè subiunguntur. Nam sicut illic diximus, paries cui innituntur, carnales cærimoniæ sunt. Quomodo autem staret, siue innitentem super se portaret paries festiuitatum, quas Deus odisset? Odi enim (inquit) & non solùm õdi, verumetiam proieci festiuitates vestras. Rectè ergo & non sine magno mysterio Paulus, cùm staret in concilio Iudæorum pro se rationem reddens, & principes sacerdotum Ananias præciperet astantibus sibi, percutere os eius, tunc dixit ad eum. Percutiat te deus paries dealbate. Cumque qui astabant dicerent, summum sacerdotem Dei maledicis? Nesciebam (inquit) fratres quia princeps sacerdotum est. Verè enim nesciebat, neque scire volebat aut debebat, quod princeps ille sacerdotum esset, cuius sacerdotium secundum prophetiam hanc odisset & proiecisset, eo quòd esset paries, super quem qui inniteretur manu, morderet eum coluber. Necdum vero percussus erat, stabatque adhuc paries illius sacerdotij dealbatus, vtpotè stante templo pulcherrimo, solitaq; religione turbis locum frequẽtantibus atque concelebrantibus, sed postmodum futurum erat, vt per arma Romanorum percuteret atque deleret eum Deus. Ita paries ille percussus ex tunc neque dealbatus, neque superinductus est, vt gloriam pristinam recuperaret. Vnde postmodum hic idem propheta dicit. Hęc ostendit mihi, & ecce dominus stabat super murum litum, & in manu eius trulla cementarij. Et dixit dominus ad me. Quid tu vides Amos? Et dixi, trullam cementarij. Et dixit dominus ad me. Ecce ponam trullam in medio populi mei Israel, non adijciam vltra super inducere eum. Cuncta hæc quæ nunc reprobat dicẽs. Odi & proieci festiuitates vestras, & nõ capiam odorem cœtuum vestrorum, holocaustomata & munera vestra non suscipiã, & vota pinguium vestrorum nõ respiciam, auferà me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam, cuncta (inquam) hæc, dum adhuc starent & celebrarentur, paries superinductus erat & dealbatus, nunc autem palam est, quia proiecit ea Deus. Odisse autem, & proijcere, & non odorari, humana dicitur similitudine, vt nos effectum dei nostris sermonibus cognoscamus.

Notandum interea qualiter dixit, quod si attuleritis mihi holocaustomata vestra & munera vestra, nõ suscipiam. Mihi dixit. Nõ vitulis, quibus sacrificabant in Bethel & in Dan, Hoc aduersus Iudaicam dicimus defensionem, quoniam illi dicunt, idcirco sic Deum loqui & dicere, odi & proieci festiuitates vestras, & cætera, quia tunc temporis sacrificabant vitulis quos fecerat Hieroboam. Et pulchrè dicit. Auferà me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuę non audiam, videlicet cantica Leuitarum, quibus laudabant dominum, tumultum vocans, sonitumque confusum, quia non est pulchra laudatio in ore peccatoris.

His dictis, quibus reprobationẽ manifestè denũciat illius populi siue carnalis Iudaismi, non ab re continuò subiungit, reuelabitur quasi aqua iudiciũ, & iustitia quasi torrẽs fortis. Veraciter nanq; reuelatione indiget, nec ab alio intelligi potest, pfunditas huius iudicij, quo sic iudicatum & sic factum est, vt fractis (sicut iã supra diximus) naturalib. ramis, insererẽtur alij bonę radici, non (inq̃) ab alio potest intelligi, nisi ab illo cui Deus per spirirũ suũ reuelare dignatus sit. Vnde Apostolus, cũ de hac re diu disputasset, tandem sic exclamauit. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Nõ ab re ergo (vt iam dictũ est) Et reuelabitur, inquit, quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrẽs fortis, quia videlicet sicut aqua latentem quidem habet originem, sed cursum manifestum & conspicabilem, sic profunditas iudiciorũ Dei inõprehensibilis quidem est, sed ex multis rebus apparẽtibus cognoscitur, quia iudicium eius omne iustum est. Et benè cũ dixisset, reuelabitur quasi aqua iudicium, addidit, & iustitia quasi torrens fortis. hæc videlicet innuẽs, quòd iustitiæ, siue isto iudicio Dei nullus resistere, nullus saltem respondere possit. quemadmodum idem Apostolus de hac ipsa re concertans, cùm præmisisset. Dicitis itaque mihi, quid ergo adhuc quæritur, voluntati enim eius quis resistit? Repentè iusta cum indignatione inclamauit. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An nõ habet potestatem figulus luti, ex eadẽ massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Rectè igitur vtrunque dixit. Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis. quia videlicet sanctæ scripturæ authoritas, quæ vbique iustitiam Dei defendit, & procacem inquisitorẽ proteruè respondentem fortiter repellit, & humilẽ auditorem aliquantula reuelatione suauiter instruit, quemadmodum idem Apostolus, vbi reprehendit hominem proteruum, dicẽdo. O homo, tu quis es qui respondes Deo, conuersus ad humilem auditorem, blandius loquitur illi dicens. Quod si volẽs Deus ostẽdere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patiẽtia vasa iræ apta in interitum, &c. Nimirum ad eandem iudicij vel iustitiæ reuelationem pertinet id quòd sequitur in isto propheta, cum Deus ipse percũctatur ‹‹ & dicit. [Nũquid hostias & sacrificium ob‹‹ tuliſtis mihi in deserto quadraginta annis ‹‹ domus Israel?] Statimq; subiungit. [Et por‹‹ tastis tabernaculũ Moloch vestro, & imagi‹‹ nationẽ idolorũ vestrorũ, sidus dei vestri, q̃ ‹‹ feciſtis vobis. Et migrare vos faciam trans ‹‹ Damascũ, dixit dominus Deus exercituum ‹‹ nomen eius.] Hoc (inquã) ad reuelationem pertinet iudicij vel iustitiæ Dei. Per hæc nãque multum excusatur Deus, quòd non iniustè populum illum proiecerit, vel quod non mutabilitate animi vsus sit, & nouo cõsilio in eo quod taliter gentem reliquerit, q̃olim bonis exigentib. meritis sibi peculiarem elegerit. Nunquam enim cor illorum cum eo rectum fuit (ait Psalmus) nec fideles habiti sunt in testamento eius. Inde illos cõuincit sub interrogatione dicẽdo. Nunquid hostias & sacrificium obtuliſtis mihi in deserto quadraginta annis, & cæt. Ergo nobis quoque iudicium & iustitiam Dei in hac seueritate, qua naturalibus (vt superius iam dictum est) ramis non pepercit, recurramus apertis oculis ad illa tẽpora, ad quæ nos per præsẽtia dicta remittit. Egressi de terra Aegypti, transito mari rubro, statim fecerunt caput vituli conflatilis, & ei prius altare fecerunt, quàm Deo. prius holocausta & hostias pacificas illi obtulerũt, quàm domino. Adhuc enim Moses in monte cum Deo loquens, de tabernaculi constructione, & constituendo sacrificiorum ritu instruebatur, & inter moras illas fecerũt hoc scelus, & tũc quidẽ Moses, quasi vindictã aliquã fecit, dicẽdo, ponat vir gladiũ in fœmur suum. ceciderunt q̃; in die illa quasi viginti tria millia hominum. sed illa non fuit vindicta vel sententia Domini, neque enim Dominus hæc fieri iussit, sed Moyses Bono zelo districtè pius, piè districtus, iram Dei præuenire accelerauit, vindictam Dei penitus auertere conatus est. At ille sciens quod non cessarẽt ab huiusmodi peccatis, illa quam fecit Moses vindicta contentus esse noluit, sed dixit. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Item. Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Cum ergo præmisso, & reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis, subiungit. Nunquid hostias & sacrificium obtuliſtis mihi in deserto quadraginta annis? Satis excusatum se esse vult, quòd non nouis pro causis mutato animo nouam sententiam quæsierit vel dederit in reiectione illius populi. Et vt competenter sermo sequens coniungatur cum dicit. Nũquid hostias & sacrificia obtuliſtis mihi, sub audiendum est, non, sed vitulo quem feciſtis. ac fortè legendum, Sed portaſtis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sydus Dei vestri, quem feciſtis vobis. Et est sensus, Moyses quidem arripiens vitulum quem feciſtis, combusit & contriuit vsque ad puluerem, sed vos in cultu idololatriæ perseueraſtis, & illas vobis figuras proposuiſtis, quas confringere, vel cælestes esse negare non posset, id est, sydera cæli. Hoc respiciens Stephanus protho martyr, cum dixisset, & vitulum fecerunt in illis diebus, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum, continuò subiungit. Conuertit autẽ Deus, & tradidit eos seruire militiæ cæli, sicut scriptũ est in libro prophetarum. Nunquid victimas & hostias obtuliſtis mihi, & cætera. Qualis autem illa conuersio fuit, qua Deus illos ita conuertit? Nunquid hæc tota fuit intentio Dei vel Moysi vitulum confringentis, vt non formam vituli, sed potius militiam adorarent vel sydera cæli? Nam cum dixisset hic, & portaſtis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, quę sit ipsa imago vel idolũ, sequenti sermone demonstrauit, dicẽdo, sydus Dei vestri, i. luciferi, quã huc vsq; venerantur Sarraceni Qualis ergo illa conuersio fuit? Nimirũ dolenda & lõgè diuersa ab eo, quod Deus intendebat. Idẽ enim est, ac si dicat. Deus quidem vel Moyses, confringendo vitulum, hoc intendit, vt potius conuerterentur ad adorandum sydera cæli, ad portandum non tabernaculum dei,

Ioan. 9.
Rom. 11.
Esa. 6.
Ibidem 29.
Ibidem 8.
Sacerdotiũ Iudæorum proiectum.
Actor. 23.
Paries dealbatus.
Proiectio Iudaicarũ cærimoniarum.
Infra. 7.
Rom. 9.
Exod. 9.
Psal. 77.
Vetus Iudæorum idololatria in deserto
Exod. 32.
Exod. 32.
Ecclesiast. 15.
Rom. 11.
Exod. 32.
Actor. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod Moyses fecit ex præcepto Dei, sed tabernaculum Moloch, id est, regis sui, scilcet luciferi, quem honorabant vt Deum, nuncupantes eum regem suum. Ex eo tempore omnia quæ fecerunt, non Deo, sed idolis fecisse monstratur. Nam quod postquam vitulum fecerunt, quędam domino legimus eos obtulisse, Non voluntate, sed pœnarum metu fecerunt, & eorum interfectione, qui propter idola corruerunt. Reuelatum est ergo iudicium, videlicet illi, qui attendunt in scripturis merita rerum præcedentium, & idcir co migrare (inquit) vos faciam trans Damascum, id est in Babylonem ducemini, quę vtique vobis secundum situm terræ est trans Damascum. Hoc dicit Dominus, hæc facere proposuit ac præfiniuit dominus. Quis vel qualis dominus, Vultis scire nomen eius?

Deus exercituum.

Deus exercituum nomen eius. Et quam ob causam præsenti loco tali nomine illum, nũcupari decuit? Videlicet quia multos iudicio vel iustitiæ suæ famulantes habet exercitus, vt suus contra vos sermo compleatur. Habet exercitus Assyriorum atque Chaldæorum, habet exercitus Medorum atque Persarum, habebit exercitus Macedonum & Græcorum, habebit exercitus Romanorum, per quos vtique manifestum omni mũdo de vobis agetur iudicium, & tunc vobis

CAP. VI. væ. Sequitur enim. [Væ vobis, qui opulenti
"estis in Syon, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum ingredien
"tes pompaticè domum Israel. Transite in
"Calamne & videte, & ite inde in Emath ma
"gnam, & descendite in Geth Palęstinorum,
"& ad optima quæq; regna horum, si latior
"terminus eorum termino vestro est. Qui se
"parati estis in diem malum, & appropinqua
"tis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis e
"burneis, & lasciuitis in stratis vestris. Qui cõ
"editis agnum de grege, & vitulos de medio
"armenti. qui canitis ad vocem psalterij, sicut
"Dauid putauerunt se habere vasa cantici, bi
"bentis in phialis vinum, & optimo vnguen
"to delibuti, & nihil patiebantur super con
"tritione Ioseph.] Manifestè istud væ contra sacerdotes impios declamatur. Illud aũt væ superius, Væ desiderantibus diem domini, communiter omnibus contemptoribus iudicij Dei declamatum est, cuiuscunq; ordinis sint. Non præterire libet hoc loco magnum esse miraculum eloquentiæ præpollẽtis in scripturis sanctis, quia videlicet cum intellectu interno magna sit maiestas mysteriorum cælestiũ, nihilominus in superficie pulcherrimum nitet eloquium, tanquam si pretiosam inuenias thecam, quæ extrinsecus argentea, prætiosum intus aurum reniteat, iuxta illud Psalmi. Pennæ columbę deargẽtatę, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Quod idem est, ac si dicat. Sanctæ scripturæ litera pulchra extrinsecus est & lucida, intrinsecus autẽ multò pulchriora, multò pretiosiora continet spiritualis intelligentiæ mysteria. Sed nunquid ista res assertione nostra indiget? A sanctis patribus magnificè perspectum atque animaduersum est, quod nec in isto propheta, qui de pastore assumptus est, defuerit aut desit illa, qua seculares multum tument, eloquentia, sapientiæ cęlestis comes, Beatus pater Augustinus, diuini sermonis ponderator fidissimus, inter cætera locum hunc pro exemplo tractandum suscipiens. Dicendum (inquit) mihi aliquid esse video & de eloquentia prophetarum, vbi per topologiam multa obteguntur, quę quanto magis trãslatis verbis videntur operiri, tantò magis, cum fuerint aperta, dulcescunt. Et ex illius prophetæ libro potissimũ hoc faciam, qui pastorem vel armentarium fuisse dicit, atque inde diuinitus ablatum, missumq; vt Dei populo prophetaret. cum igitur argueret impios, superbos, luxuriosos, & ideò fraternæ intelligentissimos charitatis, rusticus vel ex rustico iste propheta exclamauit dicens. Væ qui opulenti estis in Syon, & confiditis in monte Samariæ, & cę. Nunquid nam isti, qui prophetas nostros, tanquam inerudito s & locutionis ignaros, velut docti desertique contemnunt, si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluissent? Quid enim est, quod isto eloquio aures sobriæ plus desiderẽt? Primo ipsa inuectio quasi sopitis auribus vt eui gilarẽt, quo fremitu illisa est? Væ vobis, qui opulenti estis in Syon, & cõfiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorũ ingredientes pompaticè domum Israel. Deinde vt beneficijs Dei, qui eis ampla spacia regni dedit, ostenderet ingratos, quoniam confidebant in monte Samarię, vbique vtiq; idola colebantur. Transite (inquit) in Calamne & videte, & ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum, termino vestro est. Simul etiam cum ista dicuntur, locorum nominibus tanquam luminibus ornatur eloquium, quæ sunt Sion, Samariæ, Calamne, Emath magna, & Geth Palæstinorum. Deinde verba, quæ his adiunguntur locis, decentissimè variantur. Opulenti estis, confiditis, transite, ite, descendite. Consequenter denuntiatur futura sub iniquo rege appropinquare captiuitas, cum adiungitur, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Tunc subijciuntur merita luxuriæ. Qui dormitis in lectis eburneis, & & lasciuitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Ista septem membra tres bimembres circuitus ediderunt. Non enim ait, qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lasciuitis in stratis vestris, qui

Mira in sacris literis eloquentia. Psal. 67.

Auguſt. de doct. Chriſtiana, libr. 4. cap. 7.

Artificium eloquentiæ in hoc propheta.

qui comeditis agnum de grege, qui vitulos de medio armenti. Quod si ita diceretur, esse quidem & hoc pulchrum, vt ab vno pro nomine repetito omnia sex membra decurrerent, & pronunciantis voce singula finirentur. sed pulchrius factum est, vt ijdem pronomini essent bina subnexa, quæ tres sententias explicarunt. vnam, ad captiuitatis prenunciationem, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis, alteram ad libidinem, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, ad voracitatem verò tertiam pertinentem, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, vt in potestate sit pronunciantis, vtrum singula finiat, & membra sint sex, an primum & tertium & quintum voce suspendat, & secundum primo, quartum tertio, sextum quinto connectendo, tres bimembres circuitus decentissimè faciat, vnum quo calamitas imminens, alterum quo lectus impurus, tertium pro prodiga mensa monstratur. Deinde luxuriosam remordet aurium voluptatem, vbi cum dixisset, qui canitis ad vocem psalterij (quoniam potest exerceri sapienter à sapientibus musica) mirabili decore dicendi, inuectionis impetu relaxato, & non ad illos, sed de illis loquens. Vt nos musicam sapientis à musica luxuriantis distinguere commoneret, non ait, cui canitis ad vocem Psalterij, & sicut Dauid putatis vos habere vasa cantici, sed cum ad illos dixisset illud, quod luxurioſi audire deberent, qui canitis ad vocem psalterij, imperitiam eorum alijs quoque quodammodo indicauit, adiungens, sicut Dauid putauerũt se habere vasa cantici. Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti. Tria hęc melius pronunciantur, si suspensis duobus prioribus membris, circuitus tertio finiatur Iam verò, quod his omnibus adijcitur, Et nihil patiebantur super contritione Ioseph, miro decore dictum est. Non dixit, nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre Ioseph, vt quicunque frater proprio significaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. Hæc de pulchritudine literæ præsenti loco dicta sint, cum oportuna commemoratione tanti doctoris, qui sanctæ scripturæ venustatem cognoscens, & cognitam esse volens, capitulum hoc proximo exẽplo assumpsit, & quodammodo digitis suis lippientes oculos tersit, vt clarè videamus, quàm splendida comitetur eloquia sapientiam Dei loquentem in prophetis, nõ intenta in eloquẽtiam sapientia, sed à sapientia non recedente eloquentia. Nunc ad sensuum mysteria recurramus. Væ (inquit) qui opulenti estis in Syon, & confiditis in monte Samariæ. Vtrũque excidium, siue vtranque captiuitatem denunciat, id est, & duarum tribuum, quarum regia ciuitas erat Syon, & decem, quarum metropolis erat Samaria. Cum autem dicit, Væ qui opulenti estis in Syon, non illã arbitremur solummodo denunciari captiuitatem, qua transmigrauerunt duæ tribus in Babylonem, redituræ post septuaginta annos, sed multo magis illam, qua nunc dispersi sunt in toto mundo destructa ciuitate & templo, quo stante sacerdotes impij nimis opulenti erant in Syon, qui & de opulentia superbientes pauperem Christum crucifixerunt propter hoc solum, quia disputabat cõtra opulentam auaritiam illorum. Illius nãque temporis optimates & capita populorũ, Annas & Caiphas, cæteriq; principes & seniores, reuera saparati fuerunt in diem malum, & appropinquauerunt solio iniquitatis, qui malo tempore mali nati (melius enim illis erat si non fuissent nati) adiudicauerunt morti filium Dei, quod veraciter fuit appropinquasse se solio iniquitatis. De illo iniquitatis solio furor præcipitem dedit põtificem, quando dicenti, adiuro te per Deũ viuum, vt dicas nobis, si tu es filius Dei, respondit Iesus, tu dixisti, & ille scidit vestimenta sua, dicens, blasphemauit, iamq; extunc nec solium illud iniquitatis subsistere nec pontifex in eo sedere potuit. Non dubitamus, quin illi iam præsentes fuerint prophetico spiritu, ita vt videret eos miro modo appropinquantes, imò irruentes, & impetum clamoris inordinati facientes, solio iniquitatis, quando sedente Pilato pro tribunali, & dicente. Ecce rex vester, tolle tolle clamabant, crucifige eum, nõ habemus regẽ nisi Cæsarem, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Illius ergo temporis optimates reuera (vt iam dictum est) separati fuerunt in diẽ malũ, & appropinquauerunt solio iniquitatis, & illis nihilominus sequẽtia liquet asscribi, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnu de grege, & vitulos de medio armenti. Nam & Iacobus Apostо. secundum hunc ipsum sensum, cum præmisisset, agite nunc diuites plorate vlulantes in miserijs, quæ aduenięt vobis, postmodum subiunxit, Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis iustum, & nõ restitit vobis. Cętera quæ sequuntur, qui canitis ad vocem psalterij, sic ut Dauid putauerunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, & optimo vnguẽto delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph, tam grauiter, quàm veraciter eisdem congruit. quippe de quibus (vt ipse dominus testatus est) bene prophetauit Esaias. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lõgè est à me. Et idcirco falsò putauerunt se habere vasa cãtici, sicut habuit Dauid, quamlibet clarè vel altè canerent ad vocem psalterij labijs suis. Et quis illos dubitet illa nocte, qua dominũ cõprehenderunt, bibisse

Matt. 26.

Marc. 14.

Ioan. 16.

Iacob. 5.

Matth. 15. Eſaiæ 29.

Iudæorum duplex captiuitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bibisse vinum vsq; ad vomitum, cum esset paschalis vespera illorum? Idcirco rectè & hic redarguuntur dicendo, bibentes in phialis vinum. Et in psalmo, cum ex persona ipsius propheta loquens. Aduersum me (inquit) loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. Quã maximè autem & illud verum est, quod tandem infert, & nihil patiebantur super contritione Ioseph, siquidem ritè perpendas, q̃ ipse pulcherrimè censeatur nomine Ioseph, cuius typum prætulit, in seruum venundatus est Ioseph, & humiliatus in compedibus & afflict⁹, ita vt ferrum pertransiret animã eius. Et deinde princeps Aegypti factus. Etenim dum contritus in cruce penderet Dominus, nihil patiebantur super contritione eius. Denique vt taceam, quòd pendentem irridebant, quod prætereuntes blasphemabant eum, insultantes & mouentes capita sua, & dicentes. Vach, qui destruit templum Dei, & in triduo illud reędificat, salua temet ipsum. Vt (inquam) hæc taceam. Illud satis indicat, quàm verè nihil paterentur super contritione eius, quod cũ diceret, sitio, spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Quis enim non miretur, quàm longè à compassione eius fuerint, qui tali in hora, tanta in angustia, tali in siti, dicentem sitio, potauerunt aceto? Magna igitur & subtili statera ponderandum est quod dicit, & nihil patiebantur super contritione Ioseph Dicat itaq; istis impijs dormiẽtibus & lasciuientibus, comedentibus & bibentibus, comedendo & bibendo canentibus, & nihil super contritione Ioseph patientibus, Transite in Calamne & videte, & ite in Emath magnam, & descẽdite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Et quidem satis scitis, quod regnorum omnium vniuersitas termino vestro, id est terra repromissionis, latior sit, sed aliter scire habetis, sed oculis vestris videbitis inuicti & longa ad videndum captiuitate detenti. Hęc irrisio talis est, ac si cum quis projicitur in caminum ignis, dicatur ei, Vade & vide vtrũ caleat. Aut si illi, qui in mare projiciendus est, dicatur, Vade & vide vtrum profundum sit. Calamne ciuitatem Persidis, Et Emath magnam, quæ nunc Antiochia nominatur, magnám videlicet ad distinctionem minoris Emath, quæ appellabatur Epiphania, & Geth Palæstinorum & optima quæque regna horum, satis est dixisse pro cunctis gentibus, ad quas ducendi erant captiui, de qua videlicet captiuitate & protinus subiungit. [Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur factio lasciuientium,] Quid enim est dicere, in capite transmigrantium nunc transmigrabunt, nisi ac si diceret, mirabilius, imò miserabilius, & maiori cum spectaculo totius orbis migrabunt, quàm migrauerunt vnquam homines alij siue populi, quicunq; transmigrârunt siue transmigraturi sunt? Si quidem multi victi, alijs vincentibus, de suis sedibus migrauerunt, & captiui ducti sunt, sed isti ita caput fuere & sunt omnium transmigrantium, vt nullius vnquam trãsmigrationis tale fuerit vel esse potuerit miraculũ. Quod ipse Iosephus perpendens, cum excidium illorum miserabile, meritaq; illorum miserias describeret. sigillatim quidem (ait) iniquitates eorum narrare non potero, vt autem breuiter dicam, neque aliam ciuitatẽ vnquam talia perpessam esse puto, neq; vllam nationem post memoriam hominum malitiæ ferociorem fuisse. Itaque (inquit) in capite transmigrantium nunc migrabunt, id est, pro qualitate & quantitate transmigrationis, omnium transmigrantium siue captiuorum eminentissimi & notissimi erunt. Et quidem, quoniam dicit, nunc migrabunt, de captiuitate, quæ tunc instabat decem tribuum rectè intelligitur dictum. sed nihilominus, imò multò amplius de ista postrema captiuitate est sentiendum, qua Iudæi ducẽtibus Romanis captiuati & dispersi sunt. Neque enim ista latebat spiritum propheticum, cum tota sine dubio propheticæ specu lationis intentio maximè spectaret in Christi aduentum. Et auferetur (ait) factio lasciuientium. Factio, coniuratio vel consensus est malorum. Coniurasse autem vel consensisse illos in Christi necem, notum est, agentibus pontificibus & senioribus, qui turbis persuaserunt, & hoc cum nimia nimisq; crudeli lasciuia, siue lasciua crudelitate, qua illum nocte illa illuserunt, colaphizantes, alapis cædentes, conspuentes, genas illius vellẽtes, spinis coronantes, & ad vltimum crucifigentes. Ergo quod ait, auferetur factio lasciuientium, magnam denunciat futuram imbecillitatem illorum, qui fecerunt ea, quæ iã dicta sunt. Videlicet in eo, quòd (sicut nunc videmus) factiosi esse nequeant, conspirare siue coniurare non valeant, vt quenquam illorum, qui inuocant Christum, interficiant. Et quidem tempore, quo Christum interfecerunt, iam ita diminuti capitis erant, vt de semetipsis iudices non haberent. Vndè & Pilato dicente, Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate. Responderunt, Nobis non licet interficere quenquam. Veruntamen adhuc ita factiosi erãt & esse poterant, vt concilium colligerent, & coram Romanæ potestatis præside petendo illum crucifigi, tumultum facere auderent. & deinde quosdam ex illis sapientibus & prophetis, quos post resurrectionem suã misit ad illos, occidere, crucifigere, in synagogis suis flagellare, & de ciuitate in ciuitatem persequi auderent. At verò post annos quadraginta duos migrauerunt (sicut iam dictum est) in capite transmigrantiũ, & extũc

sic

Psal. 68. Ioseph typus Christi in cruce. Psal. 104. Matt. 27. Ioan. 19. Transmigrantium Caput Iuuenalis. Factio lasciuientiũ. Ioan. 18. Matth. 23.

sic eorum ablata est factio, vt iam fremere, siue aduersus Dominum & aduersus Christum eius palam assistere non audeant, videntes publicè contra se, & circa se adorari Christum, & esse Dominum, iuxta illud. Dominare in medio inimicorum tuorum. Sequitur. [Iurauit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum. Detestor ego superbiam Iacob, & domum eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis.] Mirum dictu est, quod iurauit Dominus, & hoc in anima sua. non quod Deus animam habeat, sed quo humanis loquitur affectib. quid iurauit Dominus Deus in anima sua? Videlicet quod detestetur superbiã Iacob, & domum eius odio habeat, sicut & in Esaia dicit. Neomenias & sabbatha vestra, & dies festos odiuit anima mea, & quod tradat ciuitatem cum habitatoribus suis. Quod dixerat, detestor ego superbiam Iacob, repetiuit & quæ fuerit superbia Iacob exposuit dicendo, & domum eius odi domum eius, id est, templum quod singulare tunc erat, superbiam eius fuisse dicit. Hoc ita esse ex alijs eiusdem domini Dei verbis apud Ezechielẽ comprobatur. Ecce ego (inquit) polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri. Nimirum hoc vel illud non diceret Dominus Deus, nisi superbiam intollerabilem deprehendisset illos habere propter templũ illud. Gloriabantur enim in templo Dei gloriatione peruersa, dum non quærerent, aut curarent, vt in templo suo glorificaretur deus, & in despectum omnium gentium spiritus illorum erigebatur propter templum illud, propter nomen illud, quod apud illos Deus verus nominaretur, licet non honoratur. Hanc superbiam detestari se & odisse iurauit Dominus Deus in anima sua, id est, in semetipso, quoniam neminem (vt ait Apostolus) habuit, per quem iuraret, maiorẽ. Homines enim per maiorem se iurant, & omnes controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. Poterat autem credi verbo eius, etiam si non iurasset. At ipse abundantius voluit ostendere immutabilitatem consilij sui, & idcirco interposuit iusiurãdum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deũ, fortissimũ solatium habeamus. Firmissimam igitur fidem teneamus de reprobatione (vt ait Apostolus) præcedentis mandati, siue sacerdotij vel templi veteris, & de introductione melioris spei, quod videlicet illud Deus cum odio reprobauerit, fidem autem euangelicã cum dilectione approbarit. Sub eodem iuramento confirmatur id, quod subiungit, & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis. Nec vtique leuis, aut parua debuit esse traditio, quam ita comminatus est non sine interpositione iuramenti. Sed & cætera quæ sequuntur, sub eodem iuramento denunciantur. [Quod si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur. Et tollet eũ, propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo, & dicet ei, qui in penetralibus domus est. Nunquid adhuc est apud te? Et respondebit, Finis est. Et dicet ei, Tace, & non recorderis nominis domini. Quia, ecce dominus mandauit, & percutiet domũ, maiorem ruinis, & domũ minorem scissionibus.] Memoriter tenendũ est, quod suprà dixi, subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrã. & non redistis ad me. Gen. 18. Ecce hic in subuersione aliquid est seueritatis plus quam illic. Vbi enim de faciẽda subuersione Sodomorum sermo erat, cum ad vltimum dixisset Abraham, Quid si inuenti fuerint decem iusti? non delebo (ait dominus) propter decem. Nunc autem hic dicit, quia si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur. Reliquos hic intelligimus iustos, sicut & superius vbi dictũ est, Vrbs de qua egrediebantur mille, relinquẽtur in ea centum, & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem. Nimirũ verbis istis, cum dicit, si reliqui fuerint decẽ viri in domo vna, & ipsi morientur. Hoc denunciat, quod nullam iustorum & iniustorum discretionẽ in ira sua foret habitaturus, sed iustos pariter & iniustos Iudæos vna mortis sententia damnaturus. Hoc ipsum in Ezechiele verbis manifestioribus comprobatur, vbi dicit dominus deus. Ecce ego ad te, & etiam gladium meum de vagina sua, & occidam in te iustum & impium. Quid igitur? Nũ suæ Deus oblitus est iustitię, cuius illum memorẽ esse volens Abraham, stetit coram domino & appropinquans, Nũquid (ait) perdes iustũ cum impio? Itemq; ait, Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos si fuerint in eo? Absit à te, vt rẽ hanc facias & occidas iustũ cum impio, fiatq; iustus sicut impius. Nõ est hoc tuũ qui iudicas omnem terrã. Annuit dominus, & dimittam (inquit) omni in loco propter quinquaginta, nõ delebo si inuenero ibi quadraginta quinq;, nõ percutiam propter quadraginta, non faciã si inuenero ibi triginta, non interficiã propter viginti, non delebo propter decem. Num (inquam) tantæ suæ propitiationis oblitus est, cum dicit, quòd si reliqui fuerint decem viri, & ipsi moriẽtur, non in ciuitate, sed in domo vna? Non vtiq;, sed iusti illi nimium sunt iniusti. Reliqui illius iuste sunt relicti, quia taliter iusti sunt, vt suam iustitiam statuere volentes, iustitiæ Dei non sint subiecti, sicut Apostolus dicit. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed nõ secundum scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Quænam sit illa iustitia Dei, manifestans continuò subiungit, Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.

Psal. 109. Esa. 1. Superbia Iudæorum erat templũ quod habebant. Ezech. 24 Iuramentũ Dei. Hebr. 6. Hebr. 7. Supra 4. Supra 5. Ezec. 21. Quæstio. Gen. 18. Responsio. Rom. 10.

Iusti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iustitiam hanc quam rebelli, quamque pertinaci odio forent concepturi, scilicet, Christum, cuius ex fide iustificati sunt omnes sancti & iusti, miro modo insinuat, cum dicit. Et tollet eum propinquus suus & comburet eum, vt efferat ossa de domo, & dicet ei, qui in penetralibus domus est, Nunquid adhuc est apud te? & respondebit, finis est. Et dicet ei, Tace, & non recorderis nominis domini.

Implacabile Iudæorũ odium contra Christũ

Legat qui vult historiam Iosephi, vbi excidium Hierosolymorum describit, & sciet quam veraciter pro re prædictum fuerit malum illud sermonibus huiuscemodi. Tollet eum propinquus suus, & comburet, & dicet, Nunquid adhuc est apud te? Et respondebit, Finis est. Neque enim modus, aut numerus erat intus morientium, & fame pereuntium, nec sufficere poterãt viui mortuis efferendis. Cum autem scire possint, nec dissimulare valeant, hoc illis accidisse propter sanguinem Iesu Christi, mirum valdè est, quod indomabili corde & tunc dixerunt, & nunc vsque dicunt, singuli ad alterum, tace & non recorderis nominis Domini, nominis eiusdem Iesu Christi, quem Deum & dominum esse publica confessione confitentur Christiani. Malunt damnati esse, & damnationem æternam expectare, quàm confiteri, vel audire nomen huius Domini, suffusi mirabiliter felle amaritudinis, odiumque spirantes implacabile contra nomen Domini nostri Iesu Christi, gentiumque inuidentes saluti. Attamen iusti sibi esse videntur nonnulli ex eis, obseruando iustitias carnis, & profitendo præcepta decalogi, quæ sunt, non habere Deos alienos, non facere sculptile, non assumere nomen Domini in vanum, sabbatha custodire, patrem & matrem honorare, non occidere, non mœchari, non furtum facere, non loqui falsum testimonium, non concupiscere. Sed qualis hæc est iustitia illorum, cum illum oderint, per quem vnũ & solum iustificantur omnes quicunq; veraciter iusti sunt? Illum vnum quærit Deus vbi sit, vel apud quos commoretur, vt parcat illis, & quia non est apud illos, idcirco super eos indignationem suam effudit, quemadmodum apud Ezechielem ipse dicit, Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepẽ, & staret oppositus contra me, propterea ne dissiparem eos, & non inueni, & effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumpsi eos. Igitur morientur (ait) etiam iusti, siue (vt apud eũdem Ezechielẽ) & occidam, inquit, in te iustum & impium, etiãm si in domo vna reliqui fuerint viri decem. Morientur (inquam) quia ecce Dominus mandauit, id est, per prophetas locutus est, & sermonem suum complens, percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem sciſsionibus. Maiorem domum decem tribus, quæ appellabantur tribus Israel, dominum minorem duas tribus dicit, quæ regebãtur à stirpe Dauid. Et hoc in percussione domus vtriusque notandum, quòd maiorẽ ruinis, minorem verò sciſsionibus percutiendam fore dicit. Nã Israel, quia maiora peccauerat, feritur ruinis. domus autem Iuda, in qua erat templum, & quæ minora peccauerat, non ruinis percutitur, sed sciſsionibus dum septuaginta annorum captiuitate retinetur. Sed econtra potest dici, quia domus Iuda maiora peccauit. Nam & apud Ezechielem cum præmisisset Dominus. Fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas, deinde inter cætera dicit. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eam sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas, Sodomã videlicet & Samariã, in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. Ergo & sciſsiones domus Iuda maiores intelligi cõuenit ruinis domus Israel. Quod vt liquido claresçat, non illam tantũ captiuitatem septuaginta annorum, sed illã potius attendamus, qua nunc in omnes gentes Iudæi Romano excidio dispersi sunt. Tunc namque domus Iuda, nec sciſsionib. tantùm, nec solummodo ruinis, sed & sciſsionibus & ruinis percussa est. quia ciuitas Hierusalem vt rueret, primum in semetipsa sciſsionibus percussa est. Tito namque vt refert Iosephus, adhuc apud Alexandriam imperium disponente, contigit etiam seditionem, quæ apud Hierosolymam erat, auctã trifariam diuidi, ducibus Eleazaro, Ioanne, & Simone, quorum Eleazarus superiora, Simon autem inferiora ciuitatis loca, Ioannes verò media tenebat. His ducibus à seditione nunquam quiescentibus, quàm miserabilibus domus Iuda sciſsionibus percussa fuerit, qui plenius nosse cupit, narrationem iam dicti legat historiographi. Porrò iustitiam quoque iudicij Dei, quæ domum illam tantis sciſsionibus percussit, scire desideranti prius animaduertendum est, in quo domus hæc minor, id est, domus Iuda, domum maiorem, scilicet domum Israel, peccando superauit, sicut supra diximus cum testimonio prophetę dicentis ad Hierusalem, Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, Sed vicisti eam sceleribus tuis. Peccata, siue sceleratorum vtriusque confitenda, & cõparanda sunt, vt appareat quam veraciter dictum sit. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit. Nimirum peccata Samariæ fuerunt, quod decem tribus, quorum Samaria metropolis extitit, scinderunt sese à domo Dauid, & negauerunt eũ, dicentes, quæ pars nobis in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Isai, & sicut Dauid negauerunt, ita Deum quoque relinquentes, vitulos aureos pro Deo coluerunt. At verò peccata Hierusalem ista fuerunt, quod Christũ filium Dei verum Dauid, & secundum carnem filium Dauid, & secundum diuinitatẽ dominum Dauid, Christum (inquam) deũ & hominem, regem & saluatorem, non solummodo dixerunt, nõ est nobis pars in isto filio dei, filio Dauid, siue nõ habemus regẽ nisi Cæsarẽ, verũetiam, p illo dimitti sibi petierunt Barrabam seditionis authorem. Ista si ritè considerentur, reuera dimidium Samaria non peccauit, quia videlicet quanto iste Deus, & homo filius Dauid maior eo dem patre Dauid, tantò peccatum quod in eum admissum est maius debet æstimari, præsertim cum Hierusalem, nõ solummodo negauerit hunc, sicut Samaria negauit, verumetiam occiderunt, & pro Barrabam (sicut iam dictum est) seditionis authorem dimitti sibi petierit. Idcirco quoniam taliter se scidit à rego Iesu Christi filij Dauid, nimirum valdè iusto iudicio sciſsionibus percussa est, ita vt in malum suum sese à regno Romanorum scindendo victores orbis terrarũ contra se cõcitaret, & quod valdè mirum fuit, foris obsessa, intus trifariam (vt iam dictum est) sciſsa magis seditionibus, quã obsidione deperiret. Sequitur. [Nunquid curre re queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis. Quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absynthium. Qui lætamini in nihili, qui dicitis. Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?] Ad quid istas similitudines equorum & bubalorum induxerit, ipse penè exposuit, dicendo: qui lætamini in nihili, qui dicitis: Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Vanitatẽ atque superbiam miro hic modo percutit, interrogando de equis & bubalis. Irridet nos sapientia Dei, qui confidunt in curribus & in equis, sicut tẽpore cõfidebat Ephraim, & qui superbiæ cornibus arrectis steterunt contra fortitudinem cæli, sicut in Psalmo testatur iste Christus per os prophetæ. Circundederũt me vituli multi, tauri pingues obsederũt me. Irrisio grauissima sonat in verbis huiuscemodi. Idem enim est, ac si dicat sapiẽtia spiritus prophetici. Vos quidem, prædicẽte me, quod maior domus ruinis, & minor sciſsionibus, percutienda sit, nihilominus equitando contenditis esse similes Aegyptijs atque Assyrijs, sed vos benè scitis quod equi currere possunt in petris. Hoc dixisse satis est, subaudiri eñ potest id, q longè spiritus dixit, qa fuga à veloce peribit, & nõ poteritis effugere. Multis aduersitatum præpediti offendiculis, sicut equi vestri nõ queunt currere in petris. Habetq; talis dictio mixtum cum sæueritate iocum, cùm dicitur: Lætantibus in equis, vos reuera lætamini in nihili, quia vestri equi non queunt currere in petris. i. fallaces ad salutem erunt vobis in tempore angustiæ, quando ruinis & sciſsionibus feriemini. Item quod dicit, aut nunquid arari potest in bubalis, si respicias q subsequitur, qui dicitis. Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua, nihilominus iocum in verbis habet amarũ, & ad illum pertinentem risum, de quo sapiẽtia. Ego quoq; (inquit) in interitu vestro ridebo, idem est ac si dicat. Quoniam estis superbi, quapropter (sicut supra dictum est) iuraui in anima mea, dicens. Detestor ego superbiam Iacob, & domum eius odi, quoniam (inquam) in fortitudine vestra cornua vos assumpsisse dicitis, eritis ergo mihi sicut bubali, qui tam indomiti sunt, vt iugum cer uicibus non recipiant, & cum syluestres boues sint, nolint propter feritatem vomere scindere terram. Ita vos mihi eritis vtique inutiles operi vel regno Dei, vobisque euangantibus atque dispersis, adhibebo mihi bones alios, boues domitos, dicamque illis, tollite iugum meũ super vos, & regno Dei fructum operabuntur, iuxta illud. Amen dico vobis, quia auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eus. Reuera dicunt isti bubali, Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua, dum quærentes suam statuere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti, & pro hac seritate conuertũt sibi in amaritudinem iudiciũ, & fructũ iustitiæ in absynthiũ, q herba amarissima est. Nam quia suam (vt iam dictum est) statuere volentes iustitiam, proijciunt à semetipsis Christi iugum, meritò amarum, id est, sine misericordia ferunt iudicium, & quia dulcedinem iustitiæ Dei non quærunt, iustitiæ suę metuunt absynthium, vt nec saltem in isto seculo requiem habeãt, vel in terra sua commanere valeant. Vnde, & sequitur. [Ecce ego susçitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem, & conteret vos ab introitu Emath, vsquè ad torrentem deserti.] Hæc est amaritudo iudicij q̃ biberunt, q̃ in isto quoque seculo contriti atq; subuersi sunt, à principio vsque ad finem, à capite vsque ad caudam, à terminis terræ suæ, qui solem respiciunt, vsque ad torrentem deserti, quod occidentem respicit, id est, ab Emath (quæ & ab Epiphania dicitur ab Antiocho cognomentum Epiphanes nomen sortita est) vsq; ad Rinocruram, inter quam & Pelusium, riuus Nili, siue torrens de heremo veniens, mare ingreditur. Sicut dictum, ita & factũ est, quia de cunctis terminis suis contritus atque subuersus est Israel. Primum decem tribus ab Assyrijs. Deinde Iudam & Beniamin à Chaldæis atque Romanis. Illa cornutorum siue iugum ferre recusantium bubalorum contritio siue subuersio, qualiter futura, qualibus vel quantis incrementis ad cõsumationem peruentura foret, sequentia p-phetæ dicta præsignant. Ait enim. [Hæc ostendit mihi dominus Deus. Et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem gregis. Et factum est, cùm consummasset comedere

Iustitia carnis.

Ezech. 22.

Ibid. 21.

Domus maior & domus minor.

Graius

peccauit Hierusalẽ quàm Samaria.

2. Reg. 12.

Bubali superbi Iudæi

Psal. 21.

Supra. 5.

CAP. VII

Universidad de Deusto
Biblioteca

"dere herbam terræ, & dixi. Domine Deus
"propitius esto obsecro. Quis suscitabit Ia-
"cob quia paruulus est? Misertus est aũt dns
"super hoc sed & istud non erit dixit domi-
"nus Deus. Hæc ostendit mihi dns Deus, &
"ecce vocabat iudiciũ ad ignem dns Deus, &
"deuorauit abyssum multã, & comedit sicut
"partem, & dixi. Dne Deus quiesce obsecro.
"Quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? mi-
"sertus est dominus super hoc, sed & istud nõ
"erit, dixit dns Deus. Hæc ostendit mihi, &
"ecce dominus stans super murum litum, &
"in manu eius trulla cementarij, & dixit do-
"minus ad me. Quid tu vides Amos? Et dixi.
"Trullã cementarij. Et dixit dominus ad me.
"Ecce ego ponã trullam in medio populi mei
"Israel. Nõ adijciam vltra superinducere eũ,
"& demolientur excelsa idoli, & sanctificatio
"nes Israel desolabunturJ Tres istæ ostensio

Tria incremẽta malico Iudæorum

nes siue visiones agnoscendæ sunt, & idcir-
cõ totum præsens capitulũ posuimus, vt præ
sentior sit intellectus rerũ, quæ futuræ præ-
monstrabantur. i. trium incrementorũ, ma-
li siue contritionis atq; subuersionis iam dic-
tæ, quæ de sacris historijs nota habentur. Il
la nunc incremẽta prius cõmemorãda sunt,
& tunc demum præsentis literæ calcanda ve
stigia. Primũ fuit, q̃ ascendit rex Assyrio-

4. Reg. 17. 18. 19. 4. Reg. vl

Hier. vlt.

rum, & transtulit Israel in Assyrios, nec mul
to interiecto tempore ascendit ad vniuersas
ciuitates Iuda munitas, & vsq; Hierusalem
peruenit, sed non præualuit, dicente domi-
no ad Esa. Ponã circulũ in manib. tuis, & ha
mum in labijs tuis, & reducam te in viã per
quam venisti. Venit enim angelus domini
in nocte illa & percussit castra Assyriorum
CLXXXV. millia. Secundum fuit, quando
venit Nabuchodonosor rex Babylonis ipse,
& omnes exercitus eius in Hierusalem &
cœpit eam, & succendit Nabuzardan prin-

Matth. 24 Luc. 19.

ceps exercitus domũ domini, & domum re
gis, & murũ in circuitu destruxit omnis ex-
ercitus Chaldæorum. Tertium fuit, quum
venerunt Romani, & tulerunt locum & gẽ
tem, templum, & ciuitatem, ita vt non re-
linqueretur lapis super lapidem Horum fu
turorũ miræ imagines huic prophetæ tribus
istis ostensionibus præmonstratæ sunt. Cũ
enim dicit: Hæc ostẽdit mihi dominus deus.
Et ecce fictor locustæ, venturum intelligit,

Fictor locusta.

& intelligi vult exercitum Assyriorum pro
multitudine simul & vanitate breuis & trã-
silientis vitæ locustis cõparabilem, nihilomi
nus & pro depopulatione cunctorũ nascen-
tium quã facturi erant in morem locustarũ.
Huius nimirum locustę fictor est dominus,
fictor, inquã, id est, creator est idem qui ma-
gnorum. i. sanctorum siue electorũ hominũ
conditor & Deus. Nec vero indignè fictor
præsenti loco dicitur, quia videlicet talium
exiguitas hominum, qui æternam gloriam
non quærentes vanitatẽ huius seculi breui
saltu pertransierunt, talium (inquam) par-
uitas siue exilitas hoc meretur, vt eorum nõ
conditor, sed fictor dicatur Deus. Hinca-
pud Esaiã legimus Qui sedet super gyrum

Esa. 40.

terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ.
Et cur vel quã rectè hoc dixerit, post aliqua
breuiter aperit dicens Israeli, cui prælocu-
tus fuerat, & tu Israel serue meus Iacob
quem elegi, semen Abrhã amici mei, in quo
apprehendi te ab extremis terræ. Ventilabis

Exod. 10.

eos, & ventus tollet, & turbo dispergetEos.
Nam qui leui euentu, & in breui multitudo
hominum vanitatem sequentium tollitur,
& perit memoria eorum, sicut nonnunquã
flante vento locustam arreptam, & in mare,
iubente domino, proiectam legimus, rectè
& Assyrij, & quilibet eiusmodi homines lo
custarum nomine designantur. Quod autẽ
cùm dixisset ecce fictor locustę, in principio

Tonsor Israel, rex Sennacherib.

germinantium serotini imbris, tempus indi-
cat, quo illa locusta venerit, id est, quando
cuncta virent, & parturit omnis ager, & di-
uersarum arborum flores in sui generis po-
ma rumpuntur, cunctarumque abundan-
tiam rerum flores arborum, atque herbæ se
getum pollicentur. Nimirum illo tempore
deuastari quasi tonderi est, vt ablata pul-
chritudine rerum, nuda inopia velut mani-
festum in fronte pareat caluitium. Idcirco
quia post eandem depopulationem sufficiẽs
vbertas reddita est, siue tunc temporis do-

4. Reg. 19. Esa. 37.

minus Ezechiæ per Esaiam loquens, tibi au
tem (inquit) erit hoc signum, comede hoc an
no, quæ spontè nascuntur, & in anno secun-
do pomis vescere, in anno autem tertio se-
minate, & metite, & plantate vineas, & com
edite fructum eorum. Idcirco (inquam) cũ
dixisset in principio germinantium serotini
imbris, subiunxit Et ecce serotinus post tõ
sorem gregis, subauditur Sennacherib. Nã
quod dictum est, in anno autem tertio semi
nate & metite, supplementum quidem, sed
serotinum fuit, & hoc post tonsuram gregis,
id est, post deuastationẽ Sennacherib. Hunc
tonsorem siue tonsuram Esaias acutam no-

Esa. 7.

uaculam vocat, quæ pilos omnes & capillos
Israelitici corporis raserit. In die illa (inquit)
radet dominus in nauacula conducta, in his
qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum
caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam
Iam cũcta vastauerunt, iam vniuersas ciuita
tes Iuda munitas ceperat, & Hierusalẽ quæ
sola erat residua tõsor ille obsidebat, vt post
tonsuram siue rasuram caput quoque præ-
cideret, cùm (sicut scriptura refert) orauc-

4. Reg. 19. Esa. 37.

runt Ezechias rex & Esaias filius Amos pro
pheta aduersus blasphemias eius, ac vocife-
rati sunt vsque ad cælum. Hoc est quod
protinus ait. Et factum est, cùm consum-
masset comedere herbam terræ, & dixi:
Domine Deus propitius esto obsecro. Iu-
xta metaphoram locustæ dixit, cùm con-
summasset conmedere herbam terræ, id est,
cùm iam omina deuastasset, & terram ope-

riens

riens exercitus multitudine. Quod se dixisse

Vbi supra.

narrat: Domine Deus propitius esto obse-
cro. Futurũ erat vt dicerent Ezechias rex &
Esaias filius propheta, orantes (vt iam dictũ
est) & vociferantes vsque ad cælum. Item,
quod hic ait: Misertus est Dominus super
hoc, sed & istud non erit, dixit Dominus,
futurum erat vt fieret, scilicet vt misereretur,
& sic loqueretur Dominus. Illic etenim
ita scriptum est. Quam ob rem hæc dicit do
minus de rege Assyriorum. Non ingredie-
tur vrbẽ hanc, nec mittet in eam sagittã, nec
occupabit eam clypeus, nec circundabit eã
munitio. Per viam qua venit, reuertetur, &
ciuitatem hanc non ingredietur, dicit domi-
nus, protegamque vrbem hanc, & saluabo
eam propter me, & propter Dauid seruum
meum. Itaque cùm dicit, sed & istud non e-
rit, sensus hic est. Erit quidem vt cęteras ciui
tates Iuda capiat, & cuncta in circuitu Hie-
rusalem deuastet ille tonsor, siue tõsura gre-
gis, id est, exercitus Sennacherib, sed non i-
stud etiam erit, vt vrbem hanc ingrediatur.
Porrò, quod cùm dixisset propheta, Domi-
ne Deus propitius esto obsecro, subiũxit at-

Iacob paruulus, id est humilis.

que ait. Quis suscitabit Iacob quia paruulus
est, quis dignè possit exprimere quali discus
sione dominum excitet atque percellat, vt
memor sit misericordiæ suæ? Cum enim di-
cit, Quis suscitabit, quodammodo consurge
re videtur atque percellere Deum, percun-
tando ipsum, quis nam ille fuerit, qui toties
Iacob de angustijs, & de cæde vastantium
liberauit, & vtrum ipse à semetipso demuta
tus sit, oblitusque naturæ suæ, cui propriũ
fuerat misereri. Subiungit etiã causam, pro-
pter quam toties Iacob suscitasset, & adhuc
suscitare de periculo deberet, dicendo, quia
paruulus est. Paruulus (inquit) id est, humi-
lis. Quod si humilitas & cõtritio cordis cau-

Vbi supra.

sa extitit, propter quã Deus toties illum su-
scitauit, nimirum & tunc suscitare illum di-
gnũ fuit, quia semetipsum & suos Ezechias
rex coram domino humiliauit, sicut scriptũ
est. Et factum est cùm audisset Ezechias ver
ba Rapsacis, scidit vestimenta sua, & obuo-
lutus est sacco, & intrauit in domum domi-
ni, & misit Heliachim qui erat super domũ,
& Sennam scribam, & seniores de sacerdo-
tibus opertos saccis ad Esaiam. Nec verò so-
lummodo habitu tunc Iacob paruulum sese
ostendit, verum etiam verbis testatus est, se
cundum hæc verba regis eiusdem dicentis
ad Esaiam. Leua ergo orationem pro reli-
quijs quę reperte sunt. Iã enim decem tribus
in Assyrios translatæ fuerant, & idcirco pa-
uulus Iacob non tam gentem, quã reliquias
gentis se esse memorauit. Cũ deinde dicit.
Hæc ostendit mihi dominus Deus. Et ecce
vocabat iudiciũ ad ignem dominus Deus,
& deuorauit abyssum multã, & comedit, si-
mul partẽ intelligit vel intelligi vult, q̃ Na-
buchodonosor, regẽ Babylonis vocaturus
foret dns, vt veniret corã Iudã & Hierusalẽ,
templũq; & Hierusalẽ igne succenderet, q̃
erat vocare iudiciũ ad ignem. i. iudicare vs-
que ad ignem. Non em̃ sic dicendum erat de
Nabuchodonosor, sicut dictum fuerat de
Sennacherib, & vrbẽ hanc non ingredietur.
Iusto nanq; iudicio tradenda erat ciuitas in
manus regis Babylonis & seruorũ eius, vt i-
gni succẽderetur. Multa Abyssus. i. vniuer-

Abyssus multa, auãritiæ scilicet.

sitas Iudææ, siue ipsa ciuitas, quæ propter p
fundã auaritiam, abyssus multa dici mereba
tur, in tantũ, vt domum quoq; domini spelũ
cam latronum fecissent, sicut in Hiere. con-

Hier. 7. 12.

questus est dominus Deus. Cumq; subiun-
git. Et comedit simul partẽ, subaudiendũ est
Dei, quia videlicet templum ipsum pars Dei
esse debuerat, quod propter profunditatem
auaritiæ abyssus multa, siue spelunca latro-
num esse poterat. Quod deinde sequitur. Et
dixi, domine Deus, quiesce obsecro, quis su-
scitabit Iacob, quia paruulus est, futurũ erat
vt dicerent Daniel & socij eius post illud iu
dicium ignis in Babylone captiui. Exempli
gratia. In anno primo Darij filij Assueri, ego
Dainel (inquit) intellexi in libris Numerũ

Dani. 9.

annorum, de quo factus est sermo domini
ad Hier. prophetã, vt cõplerentur desolatio
nis Hierusalẽ septuaginta anni, & posui fa-
ciem meã ad dominum Deũ meum, rogare
& deprecari in ieiunijs, sacco, & cinere, &c.
Orare nanque vt solueretur captiuitas post
prænũciatos septuaginta annos, hoc erat di-
cere domine Deus quiesce obsecro. Non hic
ita dictum est, vt suprà, Domine Deus pro-
pitius esto, sed dictũ est domine Deus quie-
sce obsecro. Futurũ nanq; erat, non vt pro-
pitio domino repelleretur Nabuchodono-
sor, sicut repulsus fuerat Sennacherib, sed
vt saltem post vindictam quiesceret cælestis
iræ commotio. De eo quod iterũ ait. Quis

Humilitas Iudæorum in captiuitate Babylonica.

suscitabit Iacob, quia paruulus est, itidẽ sen
tiendum (vt supra diximus) quia videlicet
qui præcipitare, & de angustijs liberare con-
sueuerat Iacob propter humilitatem eius,
qua dicitur paruulus, ipse consequenter de
Babylonica captiuitate illũ suscitare debuit,
quoniam captiui humiliter deprecabantur,
exempli gratia, cùm in oratione supra me-
morata diceret Daniel, Propter peccata e-
nim nostra, & iniquitates patrum nostrorũ
Hierusalem, & populus tuus in opprobriũ
sunt om nibus per circuitũ nostrum. Item,
Quia imminuti sumus plus quã omnes gen
tes, sumusq; humiles in vniuersa terra hodie
propter peccata nostra, & non est in tempo-
re hoc princeps, & propheta, & dux, neque
holocaustum, neque sacrificium, neque ob-
latio, neque incensum, neque locus primi-
tiarum coram te, vt possimus inuenire mi-
sericordiam, sed in animo contrito, & spi-
ritu humilitatis suscipiamur. Sic paruulus
Iacob sæpe suscitatus, adhuc suscitandus e-
rat, & idcirco nunc dicit, Quis suscitabit Ia-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cob pro eo quia est paruulus, vt respondete domino, ego sum qui illum sæpe suscitaui, pro causa huiusmodi quodammodo cõcludatur à dicente. Ergo tu idem de Babylonica captiuitate nunc illum suscita, quia paruulus est adhuc, id est, humilis. Quãdiu paruulus & non impœnitens fuerit, tam diu illum suscitare debebis. Cũ deinde dicit, hæc ostendit mihi, & ecce dominus super murũ litũ, & in manu eius trulla cementarij, valdè notandum est, quia percunctationẽ dñi subinfert, dicentis: Quid tu vides Amos? Hoc in præmissis ostẽsionib. dictũ, vel factum non est. Nam vbi dixit, hæc ostendit mihi dominus Deus, Et ecce fictor locustæ, nõ dictum est, Et dixit dominus ad me, quid tu vides Amos? Item, vbi dixit. Hæc ostendit mihi dominus Deus, & ecce vocabit iudicium ad ignem, non dictum est, & dixit dominus ad me. Quid tu vides Amos? Grauissima res denunciatur per trullam cementarij ponendã in medio populi. Et idcirco vt attentus sit inspector propheta, dicitur ei, Quid tu vides Amos? Item, & illud vigilanter animaduertendum, quia cùm dixisset dominus, ecce ponam trullã in medio populi mei Israel, non adijciam superinducere eum, & demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur, non fuit vltra spiritus in ꝓpheta, vt diceret, vel sicut primo dixerat, domine Deus propitius esto obsecro, vel sicut secundò dixerat, domine Deus quiesce obsecro. Hoc (inquam) valdè notandum & diligenter animaduertendum est, quia nimirũ non ab re taliter demonstratum, & taliter depositum est. Extrema nanque & irrecuperabilis destructio hac offensione tertia prophetæ ostensa est, quæ accidit ad vltionẽ sanguinis Iesu Christi, quæ per manus Romanorum facta est.. Quo ex tempore iam non est propheta, qui pro gente illa intercedat, quatenus propitius sit, & quiescat, quemadmodum Esaias deplorans. Non est (ait) qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Siquidem & quando Sennacherib rex Assyriorum vsq; ad Hierusalẽ venit, tunc & Ezechias rex & Esaias propheta dixerat, Domine deus propitius esto obsecro. Et quando in Babyloniam transmigrauerãt filij Iuda, Daniel & socij eius dixerunt, Domine Deus quiesce obsecro. Nunc autẽ pro templo illo vt restituatur, siue pro sacrificijs illis vt iterũ celebrentur, non est qui intercedat, aut intercedere debeat. Hac igitur obseruata diuersitate tam literæ, quã intelligentiæ, nunc demum cœpta scripturæ vestigia diligentius percurramus. Et ecce (inquit) dominus super murum litum, & in manu eius trulla cemẽtarij. Murum litum ita dixit, ac si diceret parietem dealbatum. Quid autem paries dealbatus, siue murus litus significare existimandus sit, Paulus Apostolus mirabiliter innuit, dum stans in consilio, principe sacerdotum Anania præcipiente astantibus sibi, percutere os eius dixit, Percutiet te deus paries dealbate. Igitur murus siue paries dealbatus sacerdotium illud extitit, quem videlicet murum siue parietem tam diu dominus induxit siue dealbauit, habens in manu trullam cementarij, quam diu carnalem Iudaismum permisit glorioſum videri, stante templo & florente religione in carnalibus cæremonijs. Sed ecce ponam (inquit) trullã in medio populi mei Israel, non adijciam vltra superinducere eum. Nudus erat Israel, nudus & indecorus atque infirmus, qui solebat à me superinduci & solidari, sicut superinducitur, & cõfirmatur paries cum trulla cementarij, & non solùm pulchritudine, sed & contra iniuriam imbrium & creberrimas tempestates fortitudinem accepit. Et quidem semetipsos arbitrãtur esse cementarios, suumq; parietẽ proprio superinducere gestiunt ingenio, sed neq; superinductio pulchra est, quæ ex Deo non est, neque paries stare potest. Vnde & apud Ezechielẽ, cũ de hac ipsa re loqueretur, ait idem dominus. Dic ad eos qui liniunt parietem absq; temperatura, quod casurus sit. Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem. Siquidem ecce cecidit paries. Nunquid non dicetur vobis, vbi est litura quam liuistis? & cætera. Verè vt ait illic, Ecce cecidit paries, nec adijciet DOMINVs super inducere eum. Quod illic dicit, Ecce cecidit paries, hoc idem in isto loquitur. Et demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur. Et quidem cum in Ezechiele loqueretur, iam non solùm in decem tribubus ceciderat paries, verumetiam Iuda partem in Babyloniam transmigrauerat: & ipse Ezechiel vnus de captiuis erat, sed adhuc futurum erat, vt iterum in Iuda caderet paries irrecuperabiliter, post passionẽ dñi factũ est. Idcirco cũ præterito tempore dixisset, illic siquidẽ ecce cecidit paries, subinde futuri temporis verbis subiũxit. Propterea erũpere faciã spiritũ tempestatũ & in indignatiõe mea, & imber inundãs in furore meo erit, & lapides grãdes iræ in cõsummationẽ, & destruã parietem quẽ leuistis absq; tẽperamento, & adæquabo eũ terræ, & reuelabitur fundamẽtũ eius. Ruinã hanc siue destructionẽ parietis, & desolationẽ sanctificationũ Iudaicarum, Danieli loquens angelus Gabriel, luce clarius exprimit his verbis. Et post hebdomadas sexaginta duas, occidetur Christus, & non erit eius populus qui, eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Et deficiet hostia, & sacrificiũ, & in templo erit desolationis abominatio, & vsque ad consummationẽ & finem perseuerabit

Esa. 64.

Ezech. 1.

Dani. 9.

Murus litus seu paries dealbatus.

Actor. 23.

uerabit desolatio. His dictis, quibus vtiq; cõmunia totius gentis mala prænunciata sunt, cõfestim propria quarundam personarum mala terribiliter subiungit, scilicet, Heroboam regis, & Amasiæ sacerdotis illius tem
"poris. Sequitur: [Et cõsurgam super domũ
"Heroboam in gladio. Et misit Amasias sa-
"cerdos Bethel ad Heroboam regẽ Israel, di
"cens: Rebellauit contra te Amos in medio
"domus Israel, non poterit sustinere terra v-
"niuersos sermones eius. Hæc enim dicit A
"mos In gladio morietur Heroboam, & Is-
"rael captiuus migrabit de terra sua. Et dixit
"Amasias ad Amos. Qui vides gradere, fuge
"in terram Iuda, & comede ibi panẽ, & ibi ꝓ-
"phetabis, & in Bethel non adijcies vltra vt
"prophetes, quia significatio regis & domus
"regni est. Et respondit Amos, & dixit ad A-
"masiam. Non sum propheta, & non sum fi-
"lius prophetæ, sed armentarius ego sum, vel
licãs sycomoros. Et tulit me dominus deus,
"cùm sequerer gregem, & dixit ad me Domi
"nus. Vade & propheta ad populum meum
"Israel. Et nunc audi verbum domini, Tu di
"cis, non prophetabis super Israel, & non stil-
"labis super domum idoli, propter hæc dicit
"domin⁹. Vxor tua in ciuitate fornicabitur,
"& filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & hu
"mus tua funiculo metietur. Et tu in terra
"polluta morieris, & Israel captiuus migrabit de terra sua.] Sicut iam dictum est, regis illius tẽporis, qui erat Heroboã, & sacerdotis Amasiæ mala propria vaticinatur hæc ꝓphetiæ pars. Et hoc ad laudem iudicij Dei cõsiderandum est, quia quisquis eorum tantò maior in crimine tanto amplius percutitur districtione vindicis sententiæ. Consurgam (inqt) super domũ Hieroboam in gladio. Zacharias filiꝰ Heroboã filij Ioas, filij Iohã filij Iehu gladio percutiẽdus additur, quod & factum est. Coniurauit enim contra illũ, videlicet Zachariam, Sellum filius Iabes, per cusitq; eum palam & interfecit, regnauitq; pro eo iuxta verbum, quod locutus fuerat dominus ad Iehu. Quia studiosè fecisti omnia, quæ erant in corde meo contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebũt super thronum Israel. Vnde notandum, quòd non dixerit, consurgam super Hieroboam, sed super domum Hieroboã in gladio. Porrò, Amasias dum prophetæ rebellionis crimen impingere nititur, accusando illum, noluit purũ eius referre sermonem, sed auxit de suo quippiam adijciẽs, in quo maius videretur crimen. Videlicet parum illi videbatur ad excitandum regis furorem, quod dixerat ex ore domini, & cõsurgam super domum Hieroboam in gladio. Posset enim hoc intelligi, quod non diceret Hieroboam esse feriendum gladio, sed post mortem eius posteros (quod & factum est) & idcirco deprauauit dictum testis mendax & falsus excusator, dicendo, rebellauit contra te Amos. Hæc cùm dicit, in gladio morietur Hieroboam. Hoc agendo satis indicat, quàm nequissima intentione ori eius eatenus insidiatus fuerit, vt inueniret vnde accusaret eum sacerdos aurei vituli, & exinde diues, immò vacca pinguis, sicut superius hic idem propheta dixit, Audite hoc verbum vaccæ pingues, quæ estis in mõtæ Samariæ. Sacerdotes intelligi volunt, quorum vnus vel maximus erat iste. Tandem inuenit vnde accusaret eum vbi regem nominauit, & (sicut iam dictum est) ne parum videretur crimen, quod de domo regis propheta dixerat, in ipsam regis personam detorsit, corrumpens puritatem sermonis. Idcirco miranda retributio sæueritatis vel iustitiæ Dei, dum fornicario sacerdoti cum vitulis aureis fornicanti, & in eadem fornicatione populum detinenti dicitur, propter diuini vel prophetici sermonis corruptionẽ, vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur, & tu in terra polluta morieris. Nimirum quia rege ipso maior erat in scelere, maior etiam esse debuit in vltione, vt videlicet rex Heroboam non in seipso, sed in domo vindictam corporalem recuperet, id est, in succedente filio, quatenus percuteretur gladio. Hic autem & in semetipso mortem, & in vxore propria fornicationis cladẽ, & in filijs ac filiab suis gladij recuperet vltionem. Hæc de prope ventura citoq; complenda erant, vt in præsentiarum completa, fidem cæteris facerent, quæ longius erant differenda, vt propheta, quem ille falsum efficere nitebatur, fidelis, & verax haberetur ex ipsis aduersarijsui malis, quæ prophetasset, citò comprobatus, quòd non ex corde proprio, sed ex ore domini cuncta esset locutus. Quomodo autem dicit, vel dicere audet. Qui vides gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & ibi prophetabis, & in Bethel non adijcies vltra vt prophetes, quia sanctificatio regis est, & domus regni? Non enim parcè loquitur, non leniter se aduersus Deum erigit cornutus bubalus, vibrans superbię cornu, nec recipiens iugũ Domini, iuxta veritatem eiusdem suprà dicentis. Nunquid arari potest in bubalis. Videntem, id est, prophetam illum appellat, dicendo, qui vides, & tamen se potius & regem suum audiri imperat quàm deum, cuius voluntatem videt, & à quo iussus est vt prophetaret. Quid hic econtra? Non sum, inquit, propheta, nec filius prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros, & tulit me Dominus Deus, cùm sequerer gregem, & dixit ad me, Vade & propheta populo meo Israel. Quid aliud iste loquitur? nisi illud idẽ ꝙ Apostoli dicentes. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Quantum putas in corde suo sæueritatem gerebat iustè indigna-

Suprà 4.

Esa. 64.

Suprà 6.

Amasias falsus accusator.

Actor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus homo ꝓpheticę authoritatis. Et ſancto nobilitatus ſpiritu, dum cælo tonante & imperante vt prophetaret, ranam econtra in limo coaxantem audiret, & dicentē, nō adijcies vltra vt prophetes? Dignam igitur viliſsimi hominis ſuperbiæ pœnam de oraculo pectoris huius, ſpiritus S. protulit, dicendo illi. Et nunc audi verbum domini. Tu dicis, non prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis ſuper domū idoli, ego aūt non ſolum modo non deſinā prophetare ſuper Iſrael, & ſtillare ſuper domum idoli, verū etiā prophetabo tibi. Propriam prophetiæ tuā partem nunc audi. Vxor tua in ciuitate fornicabitur, &c. vt ſupra. Quod verò hæc dicturus in ſpiritu fortitudinis præmittit, dicens. Nō ſum propheta, & non ſum filius prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros, & tulit me dns Deus cū ſequerer gregem. Et dixit ad me, Vade & propheta populo meo Iſrael. Magnū eſt teſtimoniū ſanctæ humilitatis, & benè compoſitæ mentis, ꝙ videlicet non turbato animo, vel cū rancore talia prolaturus ſit, vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, &c. Præmittit humiliter quid fuerit, & quid factus ſit gratia, non meritis, ꝙ videlicet non hæreditario iure propheticum miniſterium aſſumpſerit, vel de corde proprio ꝓphetare cœperit, ſed neceſsitatē habens obediendi, gratiā aſpirantis imperiumq; mittentis domini executus ſit. Reuera qui beneuolis hunc cæteroſq; prophetas aſpicit oculis intelligit, quā ſine præſumptione, quanto in timore prophetauerint, ſicut dicit vnus ex illis. Si occidetur in ſanctuario domini propheta & ſacerdos, formido & laqueus facta eſt nobis vaticinatio & contritio. Quod idē eſt, ac ſi dicat, Pro eo ꝙ occiduntur prophetæ & ſacerdotes corripientes peccata populi, nec ſaltem in ſanctuario dñi queunt eſſe tuti, non abſq; formidine vaticinamus, ſiue ꝓphetamus, ſed ipſam formidinem mortis ſiue contritionis ſuperat terror, & imperium domini, & anguſtiæ nobis vndiq; ſunt, quia ſi ꝓphetauerimus, occidimur, ſi nō prophetauerimus væ nobis eſt, quia diſpenſatio nobis à Deo credita eſt. Cū igitur dicenti ſibi idololatræ ſacerdoti, non adijcies vltra vt prophetes in Bethel, quia ſanctificatio regis eſt, & domus regni, reſpondet. Et nunc audi verbum domini, propter hoc vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur, & tu in terra polluta morieris, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua, concedē dum veritati & cōpatiendum eſt neceſsitati, quia videlicet non impatientis motus animi, ſed iudicantis eſt verbū domini, cuius authoritas neceſsitatē prophetæ facit, licet voluntas non deſit obſequēdi. Et in hac ſæueritate quanta iuſtitia ſit, vt ritè perpendas, cōſidera quis prior iſta dixerit, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua. Si ſuperiora cuncta reſpicias, nuſquā iſtud prophetā dixiſſe reperies ad verbum, licet verba eius eundē habeant ſenſum. Calumniator eius iſte ſacerdos, vt contra illum ageret inuidiā, prori piendo detulit accuſationē tota intentione librată. Hæc (inquiens) dicit Amos, in gladio morietur Hieroboā, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua. De primæ partis falſitate qua dixit, in gladio morietur Hieroboā iam ſuperius diximus. Porrò de hac parte, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua, dicendum eſt, quia verū quidē erat, licet non eadē verba dixiſſet propheta, nam de verbis eius animaduerti poterat, ſed in eodem verbo valdè notabilis atq; damnabilis eſt accuſatoris calumnia. Quid enim? Nunquid non & illud de verbis eius animaduertere potuiſſet, ꝙ eandem captiuitatem condolens prædiceret, prædicendo condoleret? Nonne de proximo & illud prophetā dicentem audierat. Et factum eſt, cū conſummaſſet comedere herbā terræ, Dixi, Domine Deus propitius eſto obſecro. Itemque, Domine Deus quieſce obſecro. Verè ergo calumnioſus ac cuſator & teſtis, qui tantū illa, de quibus poterat inuidia cōflari detulit, & amaris vocibus expreſsit, quæ aūt dignè poſſent mereri gratiam, omninò reticuit. Proinde & in ſententia condemnati ſacerdotis laudabilis eſt iuſtitia Dei, & in propheta prædicanda eſt fortitudo veritatis, qui loquente in ſe Deo confortatus, & quod ſenſerat confeſſus eſt, & non negauit, & quod nondum dixerat ſuperadiecit, meritam dictando iram impio ſacerdoti. In quem quando vel quomodo prę ſcriptæ ſententiæ cōpletę ſint, ſcriptura non refert, ſed in congerie malorum latet. Non enim ſanctæ ſcripturæ vacauit cuncta denarrare, quæ ſingulis acciderunt perſonis vilioribus & obſcuris. Sic & illud quod Micheas Sedechiæ percutienti ſe in maxillā, & dicenti. Me ne ergo dimiſit ſpiritus domini, & locutus eſt tibi? Confeſtim reſpondit, Viſurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum vt abſcondaris ſingulari relatione dignum nō fuit referre, qualiter cōpletum ſit, quia (ſicut iam dictum eſt) nō ita ſe deprimit ſanctæ ſcripturæ maieſtas, vt cūcta denarret, vilibus ab re immorando perſonis.

Humilitas & timor ꝓphetarum. Thren. 3.

Ars Calūniatoris.

Nō omnia enarrat ſcriptura.

3. Reg. vlt.

FINIS LIBRI TERTII IN AMOS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN AMOS PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

Epilogus oſtenſionū.

MEmoriter tenēdum eſt, quas vel quales ſibi factas oſtenſiones propheta iā narrauerit. Prima eſt hæc, Oſtendit mihi dominus Deus, & ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſuram gregis, & cætera, per quem intelligimus Aſſyrios qui trāſlatis decem tribubus vſque Hieruſalem aduerſus Iudam erant venturi, & cuncta vaſtaturi in modum tonſoris, ſiue nouaculæ caput & pilos pedum barbamq; vniuerſam radentis, ſicut Eſaias quoq; prædixit. Secunda eſt hæc, oſtendit mihi dominus, & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, &c. per quæ intelligimus Babylonios, qui erant venturi, & ciuitatem Hieruſalem pariterq; domum Domini igne conflagraturi. Tertia eſt hæc, Oſtendit mihi dominus, & ecce dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cementarij, &c. per quæ intelligimus deſolationem vltimam, quam fecerunt Romani, quæ nunquam recuperāda ſit ſecundum verba dicentis Domini, Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſrael, non adijciam vltrà ſuperinducere eū. Poſt iſtas malorum oſtēſiones principalem quoque malorum eorundem cauſam oſtendi dignus, erat oſtenſione ſiue imagine propria. Hæc autem cauſa auaritia eſt, radix omnium malorum, qua infecti maximè Iudæi ad omne ſcelus prouentus tandem ad hoc peruenerunt, vt dominum gloriæ crucifigerent, ob iſtam maximè cauſam, qui diſputabat contra auaritiam ipſorum, comprobans illius generationis eſſe homines, qui domū patris, quæ debuerat eſſe domus orationis, feciſſent ſpeluncam latronum, iuxta Hieremiæ vaticinium. Sequitur ergo. [Hæc oſtendit mihi dominus, & ecce vncinus pomorū. Et dixit. Quid tu vides Amos? Et dixi. Vncinum pomorum. Et dixit dominus ad me, Venit finis ſuper populum meum Iſrael, nō adijciam vltra, vt pertranſeam eum. Et ſtridebunt cardines templi in die illa dicit Dominus Deus, multi morientur, omni loco proijcietur ſilentium.] Nimirum dum oſtēſo vncino pomorum dicit dominus, venit finis ſuper populum meum Iſrael, ſubaudiendum eſt, propter vncinum iſtum, ſiue propter illud quod ſignificat vncinus iſte pomorum. Hanc autem eſſe auaritiam (ſicut iam dictum eſt) ſequentia declarant. Sequitur enim. [Audite hoc qui conteritis pauperes, & deficere facitis egenos terræ, dicētes, quā, do tranſibit meſis, & venundabimus mercēs & ſabbathum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus menſuram, & augeamus ſyclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, vt, poſſideamus in argento egenos, & pauperes, nundemus?] Itemque poſt aliqua. Vidi (inquit) Dominum ſtantem ſuper altare, & dixit. Percute cardinem, & commoueantur ſu perliminaria. Auaritia enim in capite omnium. Igitur dum cauſam malorum, quæ ventura erant, eſſe aſſerit auaritiæ crimen, mira & mirabiliter congrua ſimilitudine illā denotat, præoſtendens vncinum pomorum. Vncinum, quo arboris rami attrahi ſolent ad carpenda poma, quæ manu attingi non poſſunt. Vnca profecto eſt auaritiæ manus, nec vnquam niſi ad accipiendum extenditur. Porrò homines aliquid habentes, veluti rami ſunt, poma candida ſiue rubicunda, viſuq; pulchra & ad veſcendum delectabilia gerentes. Talibus auaritia callidè inſidiatur, cuiuſlibet artis vncinum innectens, crebroque conuoluens, ſilenter dum timet audiri, vt & damnum fiet pomo detracto, & tamen poſſeſſor non percipiat, donec iam ſaturato fure, damnum ſuum tardè reperiens gemat. Vera & cōueniens in hac oſtenſione ſimilitudo, dum & auaritię dolus vncino, & bona temporalia, circa quæ laborat auaritia pomis aſſimilantur. Pomū quippe res leuis eſt, maximeq; pueros mulcet, viris aūt, & maximè ſenis pro minimo eſt. Sic nimirū bona præſentis ſeculi leuia ſunt, & eos quidē, qui ſenſu paruuli ſunt, nimis oblectant. Sapientibus aūt, qui cæleſtia ſapiunt, contēptibilia ſunt. Quoties aūt eccleſiaſtici viri animā, terreni homines attentauerint, vt ſibi conformem faciant, rectè conquerendo, de illo dicas Dauidicum. Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Et alibi Sanctus vir, reſpiciens, & enumerans vacuos menſes ſuos. Dies mei (inquit) velociores fuerunt curſore, fugerunt, & non viderunt bonum, pertranſierunt quaſi naues poma portātes. Ad ſummum vt perpendas bona omnia temporalia, quæ ſibi vncus auariciæ ſitienter attrahit, rectè ob vtilitatem nomine pomorum denotari, ſciendum eſt, quia primus homo cupiditatis crimen, per quod perijt, non per aurum neq; per argentum, ſed per exiguum pomum admiſit. Nunc cœptā perſequamur

Eſaiæ 7.

Auari maximi Iudæi.

CA. VIII.

Bona temporalia ſicut pomum.

Pſal. 78. Iob. 9.

Gen. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

literam. Quid (inquit) tu vides Amos? Vncinum pomorum. Paruam vtique rem, sed magni vides mali signum. Significat namq; (vt iam dictum est) auaritię malum, propter quod venturus erat finis super illum populum Hoc enim protinus ait, Venit finis super populum meum Israel. Quis vel qualis finis? Profectò malus finis, & quam malus vel quali nomine sit censendus, apud Danielem reperimus his verbis, & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & nō erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio, & deficiet hostia & sacrificiū, & in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Rectè ergo cum dixisset, venit finis super populum meum Israel non adijciam vltra vt pertranseam eum, continuò subiunxit. Et stridebunt cardines templi in die illa dicit dominus Deus. Quis enim non audiuit stridorem cardinum illius templi, id est, subuersionem ciuitatis & sanctuarij factam vincentibus Romanis? Porrò quòd pro illo auditu siue fama tanti excidij stridorem posuit cardinum templi, quid decoris, quantum habet grauitatis? Quod verò addit, multi morientur, quam verum sit, testis est Iosephus, qui tragœdiam illam describens, mortuorū multitudinem refert penè incredibilem. Deinde quod ait, in omni loco proijcietur silētium, idē est ac si dicat. Et qui superfuerint ex eis, ducti in omnes gentes captiui, abiecti & silentes erunt, auctoritatem loquendi nō habebūt. Christum, quem confiteri nolūt, palam blasphemare non audebunt. At verò quod interposuit, non adijciam vltra vt pertranseam eum, videlicet populum meū, breuiter satis innuit, nihil iam prodesse illis ritum paschę sui, siue immolationem paschalis agni, cuius sanguine postes suos signare consueuerant. Olim hic idem Dominus ita dixit. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, ac transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terrā Aegypti. Nunc autem dicit, super eundem populum, non adijciam, vt pertranseam eum. Etenim ex quo fusus est ab eis sanguis agni Dei, sanguis Christi filij Dei, iam non recipitur apud Deum sanguis agni illorum bruti pecoris, sed quæ signatæ sunt signo sanguinis Christi, signaculo crucis filij Dei, illæ sunt domus Israel. Ille autem populus, qui prius dicebatur Israel, inter Aegyptios reputatur, quia non habet hoc signum, & propterea non adijciam (inquit) vt pertrāleam eum, & subaudiendum est, sed percutiā sicut olim terram Aegypti, ita & nunc omnē animam hominis incredituli & malum operantis tam Iudæi, quam Græci, imò prius & durius Iudæi quam Græci. Hæc intelligens propheta in illo quem viderat vncino pomorum, & in his audierat verbis dicentis, venit finis super populum meum, annúciat protinus & dicit. Audite hæc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, Quando transibit messis, & venūdabimus merces & sabbathum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus mensurā & augeamus syclum & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calciamentis, & quisquilias frumenti vendamus? Hoc (inquit) audite quod locutus est dominus ad me, ostendens mihi vncinum pomorum. Devobis enim sermo est qui estis auari, qui hæc talia facitis, qui pauperes diripitis in dolo, sicut vncinus ob carpendo poma ramuscusos attrahit. Dum enim inhiāter desideratis, vt transeunte, id est, consumpta messe, quæ pauperibus paruula est, positis merces carius vendere, dum desideratis sabbathum adesse id est, septimum annum, quo secundum legem sabbatizat, nec licet seminare aut metere, vt tunc demum repositum aperiētes frumentum pro libitu vestro vendatis, minuētes mensuram & augētes syclum, id est, precium, compulso paupere per inopiam, vt isas quoque frumenti vestri emat quisquilias, & in mercimonio tam infelici stateras quoque supponatis dolosas, dum inquam taliter efficitis, vt in argento possideatis egenos fratres vestros, vendunt enim sese vobis necessitate compulsi. & pauperes factos possidetis pro calciamentis, id est, pro precio modico & leui, quanto vix calciamenta possint comparari, nimirum vncino doloso poma carpitis, & idcirco venit super vos finis, qui dicitur vastitas, sicut Daniel ait. Hæc enim agendo, nó cessabitis donec Christum occidatis propter auaritiam vestram, quia contra illam ipse disputabit, & extunc erit super vos finis, extunc inquam vsq; ad consummationem & finem desolatio perseuerabit. Vos, inquam, qui tales estis & talia facitis, audite hæc. Quid audiemus? Nimirum & illud quod iam dixi, quia mihi vncinum pomorum Dominus ostendit, in quo sermo est de vobis, & hoc quod protinus dicturus sum. Quid est illud? [Iurauit Dominus in superbia Iacob. Si oblitus fuero vsque in finem omnia opera eorū. Nunquid super isto non commouebitur terra & lugebit omnis habitator eius? Et ascendet quasi fluuius vniuersus, & eijcietur, & defluet quasi riuus Aegypti. Et erit in die illa dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis, & conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccū, & super omne caput caluitium, & ponam eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima, eius

Finis malus populi Israel. Daniel. 9.

Auaritia Iudæorum diuitum cō tra pauperes.

Vetus pasca inutile. Exod. 12.

Rom. 2.

Danie. 9

"eius quasi diem amarum. Ecce dies veniunt
"dicit Dominus, & emittam famem in terrā,
"non famem panis, neque sitim aquæ, sed au-
"diendi verbum Domini. Et commouebun-
"tur à mari vsque ad mare, & ab aquilone vs-
"que ad orientem circuibunt, quærentes ver
"bum Domini, & non inuenient.] Hoc totū audite vos auari & rapaces, non in attractione pomorum, de qualibus iam dictum est, vobismetipsis complacentes Iurauit dominus. Hoc iam tertio dixi, quia iurauit Dominus. Primò dixi, quia iurauit Dominus Deus in sancto suo. Secundò dixi, quia iurauit Dominus Deus in anima sua. Et ecce nunc tertiò dico, quia iurauit Dominus in superbia Iacob. Trina iuramenti repetitio, valida vestrę condēnationis est confirmatio. Quale autem est hoc iuramentū, iurare Dominum in superbia Iacob? Siquidem iurauit Dominus in sancto suo, idem est ac si dicat, iurauit per animam suā, id est, per semetipsum. Porrò, quod nunc ait, iurauit Dominus in superbia Iacob, non rectè sic intelligitur, ac si dicat, iurauit per superbiam Iacob. Quale est enim iurare Deum per cuiusquam superbiam? Denique nec hominem iurare decet, imò nec licet, per causam siue rem indignam & sanctitati contrariam. Est ergo sic intelligendum, iurauit Dominus in superbia Iacob, ac si diceret, iurauit propter superbiam Iacob. Sic & in Psalmo cum dicit. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi, semper hi errant corde, & isti non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea. Intelligendum est ac si diceret, iuraui propter iram meam, propterea quia me prouocauerunt ad iracundiam, non intrabūt in requiem meam. Sic (inquam) præsenti loco cū dicit, iurauit Dominus in superbia Iacob, si oblitus fuero vsque ni finem omnia opera eorum, intelligendum est ac si dicat, iurauit dominus propter superbiam Iacob, non obliuiscar vsq; in finem omnia opera eorum. Reuera namq; superbia causa est, cur dominus iuret, cur sententiam super peccatorum iuramento firmet, cuius simplex sermo veritas est. Exacerbat enim superbiendo peccator dominum vt iuret, iuxta illud in psalmo Exacerbauit dominum peccator, secūdum multitudinem iræ suæ non quæret. Quamdiu per ignorantiam quis peccat, quamdiu per iuuentutem siue per infirmitatem quis delinquit, ingemiscens, eo quod videat aliā legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se ducentem in lege peccati, quæ est in membris suis, nondum dominum exacerbauit, nondum dominus sententiam super illum iuramēto firmauit. Idcirco Psalmista spem habens, dicit. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris domine. Sola superbia est, cuius delicta dominus non vult obliuisci, propter quam exacerbatus nó quærit secundū multitudinem iræ suæ, id est, non requiret peccatorem, quia multum iratus est illi. Notandum verò qualiter dicat, iurauit dominus in superbia Iacob. Scimus namq; quia Iacob ille patriarcha, cuius secundum carnem erant vel sunt isti filij, magnæ fuit humilitatis, superbiam verò non habuit. Alioquin, quomodo putamus illum potuisse cū Deo luctari, & inualuisse cū angelo, nisi per magnæ humilitatis virtutem, quæ vera est fortitudo? Moyses quoq; quomodo Deum tenere potuisset, dicentem, Dimitte me, nisi quia virtute humilitatis cōfortabatur, stās (sicut psalmista dicit) in confractione, id est, in nimia mentis humilitate in conspectu eius? Iacob ergo non superbus, sed humilis fuit, & inde cum Deo valde luctari potuit. Notandus igitur (vt iam dictum est) modus dictionis, dum non dicit, iurauit Dominus in superbia populi, de quo dixerat. Venit finis super populum meum, sed iurauit Dominus (inquit) in superbia Iacob. Breuiter namq; innuit, valde esse incongruam, magnaque animaduersione dignam superbiam in filijs hominis pauperis, qui tota vita sua fuit humilis, qui suo fratri Esau longè dissimilis, cum ille foris venaretur, simplex domi habitauit, qui ad imperium patris & matris vt vxorem acciperet, peregrè profectus in baculo suo Iordanem transiuit, qui non in lecto eburneo, sed nuda humo decubans lapidem cq; habens suppositum capiti, visionem magnam, scilicet scalam cælos tangentem, & dominum scalæ innixum vidit, qui pro vxore semel & iterum seruiuit annis septenis, & pro mercede de ouibus sumenda, sex annis soceri gregem pauit, quicq; deinde cum duabus turmis regrediens, ciuitatem cq; hic manentem non habens, sed futuram inquirens, peregrinus & aduena super terram de loco in locum iuit, fixis ac refixis tentorijs, tandemcq; in Aegyptū cum omni domo sua deueniens, stansq; in conspectu Pharaonis, peregrinationem suam confiteri non erubuit, dies (inquiens) peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parui & mali, & pastores ouium sumus serui tui, & nos & patres nostri. In filijs, inquam, patris eiusmodi, qui tam humiliter vixit, superbia est valde reprehensibilis, imò & execrabilis. Et idcirco satis congruè iurauit dominus (inquit) in superbia Iacob. breuiter innuens, quam grauiter dominus tulerit, cp à patre tam humili, tam longè superbiendo degenerasset filij. Et quid iurauit? Si oblitus fuero (inquit) id est, nullo modo obliuiscar omnia opera eorum, subauditur, quæcunque fecerunt ex quo egressi ex AEgypto vitulum formauerunt, & adorauerunt. Nam licet tunc Moyses tenuerit Dominum, & placatus fuerit, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum, tamen postmodum dixit, Ego autem in die vl-

Exod. 32.

Superbia deū exacerbat, non infirmitas.

Psalm. 9.

Roman. 7.

Psalm. 24.

Genes. 32. Osee. 12.

Deteſt abilis in filijs Iacob ſuperbia.

Ge. 27. 28.

Genes. 46

Exod. 32.

Matth. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

die vltionis visitabo & hoc peccatum eorũ. Extunc omnia quæcunq; fecerunt non obliuiscar opera eorum, imò & à sanguine Abel iusti, omnia venient super impiam generationem eorũ. Ita iuramento præmisso, quasi quæreres qualiter operum illorum memor eris, quæ iurasti te non debere obliuiscì, adhuc in ipso feruore quo iurauit, interrogat, & dicit, Nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius? Ac si dicat, Nunquid operum illorum recordatio leuis est adhibenda? Nunquid huic populo talia facienti parua debetur ira? Nonne merito reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra aduersus eum consurget? Vtique sic fiet, quia sic fieri iustum est. Iuraui & immutabilis est sententia, vt super isto, vel pro causa ista, quod superbus factus est Iacob, commoueatur terra, commoueatur caput terræ Romanum imperium & aduersus eum consurgat, & ita cõmota terra, vbi mouebitur tanti imperij terrena potestas, lugebit omnis habitator eius, videlicet, quia finxit sibi timorem, quod nõ posset habitare terram, nisi vnus homo moreretur. Dixerunt enim, si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent nostrum & locum & gentem. Idcirco lugebit omnis habitator eius, subauditur terre, quod & factũ est in illa obsidione, vbi confluxerant multitudine increduli, diuino illos ad pœnam iudicio trahente. Vndè & congruè mox subditur, & ascendit quasi fluuius vniuersus, & adijcietur & defluet quasi riuus Aegypti. mirum namq; hoc fuit, quod venturis Romanis ad obsidendum Hierusalem, instante iam solennitate paschali, tanta in illam multitudo confluxit, fiduciam habens in magna firmitate amplæ ciuitatis, vt rectè dicat, & ascendit quasi fluuius vniuersus, subauditur habitator eius. Abundanter enim quasi fluuius venit, & muros ciuitatis confluendo impleuit. Quia verò futurum erat, vt post innumerabilem mortuorum congeriem, ruptis & patefactis muris, reliqui caperentur, & in omnes gentes ducerentur captiui. Re-

Iudæi nunc vt Aegyptij sunt.

ctè subiungit, Et eijcietur & defluet quasi riuus Aegypti. eiecti sunt enim residui (sicut iam dictum est) & per totum orbem defluxerunt, qui quasi fluuius confluxerant, putantes se intus posse tutos contineri. Et quo modo defluxerunt? Quasi riuus Aegypti inquit. Miro modo dictũ, mirumq; innuit mysterium. Noluit dicere, quasi Iordanis, qui fluuius erat terræ illius populi, & obsessis in deq; in captiuitatem ducendis multo vicinior, quã aliquis riuus terræ Aegypti. Quare? Videlicet quia noluit ille populus esse sicut Iordanis, noluit suscipere sacramentum baptismi Christi, qui baptizatus est in fluẽto Iordanis. Idcirco defluxit sicut riuus Aegypti, nam ecce reuera Iudæi & apud Deum & apud homines reputantur & sunt sicut Aegyptij, imò & verè Aegyptij, id est, tenebrosi, quia corde sunt excæcati, Vndè & protinus subiungit, & erit in die illa dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciã terram in die luminis. Quis enim est iste sol, nisi sol iustitiæ Christus, sol verus & æternus qui in ista die, in isto tempore mundum vniuersum illuminauit. Et quando cœpit iste dies luminis, nisi quando visitauit nos oriẽs ex alto sol iste, quem miro modo Maria, id est, maris stella peperit? Nox erat & stella cõsurgente de spiritu creatoris sui concepit, cũ paruula esset, magnum solem peperit, & exinde est dies luminis, meridies autẽ, ex quo idem sol exaltatus est à terra, & resurgens à mortuis in cælum ascendit. In isto meridie siue die luminis, dominus terrã, id est, Iudeã tenebrescere fecit, vt iam non dicantur aut sint Iudæi, sed Aegyptij, id est, tenebrosi & cæci, quia sol Christus illis occidit, eo quòd non credant, qd' mortuus resurrexerit. Hu ius obscurationis & cæcitatis cordium illorum signum illud fuit, quòd meridie, id est, hora sexta, dum crucifixissent illum, iste diurnus siue quotidianus sol obscuratus est, & tenebræ super terram factæ sunt. Tãtum scelus in festiuitate sua, quæ dicitur phase, id est, pascha commiserunt. Sequitur ergo, & dicit firmiter sub eodem firmamento secundum iustũ iudiciũ, Et cõuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsũ vestrum saccum, & super omne caput calui-

Sol Christus in die luminis.

Festa Iudæorum in luctum conuersa.

tium. Hoc ita planũ & notum est, vt expositione non indigeat, quia festiuitates illorum in luctum conuersæ sunt, eo quod in paschali festiuitate sua Christum occidendo, Christi discipulos & matrem eius (iuxta quod prędixerat Simeon, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius) lugere fecerunt. Idcirco imminente (vt iam dictũ est) paschali festiuitate, obsessi lugere cœperunt, cunctasq; festiuitates annuas lugubres habuerunt, & omnia cantica illorum in planctum conuersa sunt, tanta vtiq; tunc miseria fuit, vt nunquam meliorem causam habuerint induendi saccum super dorsum suum, & decaluandi caput suum, quod facere consuetum erat in luctu, ob magni doloris indicium. Quod deinde subiungit, Et ponam eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius quasi diẽ amarum, insanabilem fore denunciat dolorem, irrecuparabilẽ desolationẽ. Qualis est enim planctus vnigeniti? Vtiq; inconsolabilis, quia consolatio non est alterius filij, illi cuius vnigenitus mortuus fuerit. Vnigenitus autem Christus est, non solum Deo patri, verùm etiam synagogæ, cuius de carne carnem assumpsit. Mortuus est illi, ipsa nanque mater crudelis eum occidit, nec vult audire, quod resurrexerit, immò nec vult scire quod ille Christus sit vnigenitus dei. Porrò Deus alium vnigenitum non habet, nec

Luc. 2.

Planctus vnigeniti in consolabilis.

alium mittet, quia ipse vnigenitus est. Idcirco luctus synagogæ, quæ vnigenitum occidit, in æternum inconsolabilis erit, quemadmodum in Zacharia ipse dixit. Et aspicient ad me quẽ confixerunt, & plangent eũ quasi vnigenitũ, & dolebunt sicut doleri solet in morte primogeniti. Et nunc quidẽ super eum lugere nolunt, sed futurũ est in nouissimo vt lugeãt. Idcirco cũ dixisset, & ponã quasi luctũ vnigeniti, continuò subiunxit, & nouissima eius quasi diẽ amarũ. Nouissima nãque sunt ea, quæ sequuntur præsens seculũ. In illis nouissimis promittit illis luctũ, & eafore quasi diẽ amarũ i. verè diẽ amarũ, quẽadmodũ econtra, cũ dicent sancti, facti sumus sicut consolati. i. esse cõstat, ac si dicant verè consolati. Et. n. ille dies in quo (vt iã dictum est) videbunt in quẽ confixerunt, siue aspicient ad eũ, quem confixerunt, verè illis armarus erit, sicut alius propheta dicit. Vox dei domini amara & tribulabitur ibi fortis. Tunc dissimulare nõ poterunt luctũ vnigeniti, quẽ nunc dissimulant dicentes ad alterutrum in malis suis. Tace & nõ recorderis nominis domini. Interim miseri sunt vbiq; terrarũ, neq; vllũ merentur reperire cõsolationis verbũ, sicut olim in Aegypto & in Babylonia, vel quoties afflicti sunt, consolationẽ inueniebant clamantes ad dominũ. Hoc est q̃ continuò dicit, Ecce dies venient dicit dominus. Et mittam famẽ in terrã, nõ famem panis, neq; sitim aquę, sed audiẽdi verbum domini. Et cõmouebuntur à mari vsque ad mare, & ab aquilone, vsq; ad orientẽ circuibunt, quærentes verbũ domini, & non inuenient. Hoc mirũ est, & miserabile, quod ipsi quorũ de terra panẽ scripturarũ, nos aduenæ messuimus & comedimus, famem patiũtur & siti pereunt, esuriunt & nõ comedunt sitiunt & non bibunt. Etenim q̃ amplius mirandum est, ipsi panem hunc nobis deferũt, & circunferunt, & tamen nõ inueniunt, sicut in Euangelio mysticè significatũ est, vbi maxima multitudine veniente ad dominũ, cum vellet illis dare ad manducandũ, erat ibi puer vnus, habens quinq; panes ordeaceos, & duos pisces. Habebat & nõ manducabat, portabat & nõ esuriebat, sed accepit ab illo Iesus & fregit, deditq; illis quos reficere volebat. Sic deniq; Iudæi, quoniã sunt sensu puerili, nescientes quid ferant, panem ferunt verbũ Dei, mente ieiuni, & secundũ animã aridi, quia dñs immisit eis famẽ audiẽdi verbum domini. Hoc inquã mirũ & miserũ est, q̃ onusti verbo Domini circueuntà mari athlanto, vsq; ad mare Bricanicum. i. à meridie ad occidentẽ, & ab aquilone vsq; ad orientem (quæ orbis terrarum quatuor plagæ sunt) quærentes verbũ domini & nõ inueniunt. Videlicet quia cæci sunt, idcirco idipsũ q̃ portant videre non possunt. Excæcauit enim illos malitia ipsorũ. Quomodo autem contingit eis, vt quærant & nõ inueniant, cũ Dominus dicat, quærite & inuenietis, itemque, & qui quærit, inuenit? Quomodo istud conuenit, nisi quia non quærunt, sicut est quærendum, quia non in illo quærunt in quo est quærendum. In Christo, qui quęrit, inuenit, quod comedat vt non esuriat: inuenit, quod bibat vt non sitiat. Ideo dicit. Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Item, Si quis sitit, veniat ad me & bibat. At illi Christum oderunt, consortium nullum cum Christo habere volunt. Quomodo ergo inuenirent, qui mirro modo sine verbo Dei (quod Christus est) verbum Dei quærunt? Mira quærentium dementia, dum ita quærunt verbum domini, vt velint exurgere sibi aliquem prophetam, dolentes, quod non aliquam habeant in homine gloriam, qui signa faciat, & ventura prædicet, ad satisfaciendum cupiditati ipsorum, vt iterum congregentur, & in illam terrenam Hierusalem redeant non iam lapideam, sed aureolam atque gemmatam, secundum vanam nimisq; auaram spem suam. Taliter esurientes nunquã comedent, taliter sitientes, nunquam bibent, taliter quærentes verbum domini nunquam inuenient, sed pro verbo domini spiritum recipiunt erroris, pro Christo Antichristũ sunt recepturi. Sequitur [In die illa deficient virgines pulchræ & adolescentes in siti, qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt viuit Deus tuus Dan, & viuit via Bersabee. & cadent, & non surgent vltra.] Quamuis paulò ante præmisso, & emittam famem in terram, statim subiunxerit, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum domini, tamen cum dicit, in illa die deficient virgines puchræ & adolescentes in siti, rectè vtrunque intelligitur, scilicet tam fames panis & sitis aquæ, quam fames & sitis audiendi verbum domini. Nam etsi nunc Iudæi quamuis captiui, panem habent & aquam, tunc vtique non habuerunt, quando (sicut iam supra dictum est) ab hostibus circundati sunt in vindictam sanguinis Christi. Tunc (inquam) corporaliter quoque defecerunt virgines adolescentes in siti, tanta tamque mira defectione, vt mirum sit si quisquam calamitatem illam absque horrore animi perlegere possit. Verùm quia famis & sitis corporalis comparatione famis & sitis audiendi verbum DOMINI, quæ fames vel sitis animæ est, pro leui reputari debet, idcirco cum dixisset: Et emittam famem in terram, ne putaretur hanc paruam vindictam famis corporeæ rependere illorum auaritiæ. Non famem (inquit) panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum DOMINI, vt sit sensus. Non primùm famem panis & sitim aquæ immittã illis, sed prima erit vindicta fames audiendi verbum Domini, fames autem panis & sitis aquæ superadijcietur eis.

Zach. 12.

Nouissima quasi dies amarus. Sopho. 1.

Ioan. 16.

Matth. 7.

Fames corporalis grà uis quidem est, sed leuior multò, quam est fames animæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Narrat autem vetus hiſtoria, tam Latina quàm Græca,& omnium gentium Barbararum,nihil fame durius, quæ ſæpè compellit obſeſſos humanis veſci carnibus,& in ſuam ſæuire naturam,ita vt nec parentes parcant paruulis liberis, ſicut nec illa infelix Maria pepercit,quæ in illa obſidione paruulum ſuum coxit & comedit. Quid igitur de fame dicendum eſt animarum,quæ poſt vitam preſentem procul dubio ſentitur,ſi hoc facit fames corporum? Vtraq; tunc oppreſſit populum Iudæorum, & nunc vſque opprimit illa, quæ deterior eſt fames & ſitis verbi Domini. Quæ vel quales ſunt virgines,& qui adoleſcentes ita deficientes? Ait. Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt, viuit Deus tuus Dan,& viuit via Berſabee. In illo tempore,quando hæc prophetabantur, vitulus aureus colebatur in Dan,qui ter minus eſt terræ Iudaicæ,& ibant illuc per viam Berſabee,longo videlicet itinere propter reges Iudæ,declinantes eos, quin & idcirco vitulos illos fecerat Hieroboam, ne aſcenderent decem tribus ad orandum in Hieruſalem,reputans,ne conuerteretur cor populi ad Dominum ſuum regem Iuda. In tantã autem veneratione venerat illis talis factura,ſcilicet facies vitulina, vt quomodo ſolitum fuerat iurari, viuit Dominus Deus: Verbi gratia, veluti cũ Ionathas dixit: Viuit dominꝰ, & viuit anima tua rex ſi noui. Siue Helias, viuit Dominus Deus in cuius conſpectu ſto, ita vulgò iurantes iã dicerent: viuit dus Deus Dan,& viuit Berſabee,per quã itur in Dan. Aureus erat ille vitulus,& inde facile perſuaderi poterat populo,quòd eſſet Deus. Quare? Nimirum quia mẽtes eorum obtinuerat auaritiæ ſpiritus,& idcirco apud cogitationes eorum nõ parua res erat aurũ, multoque plus placebat aſpectibus eorum tale metallum quàm mentibus Deus eorũ. Ergo Deus illorum erat aurum, Deus illorum erat Mammon. Nunquid à tali ſcelere queunt immunes exiſtimari ſcribæ & phariſæi temporis illius,quo paſſus eſt Dominus noſter, in quem ſanctorum prophetarum tota intentio tendit? Nónne illorum mentes maximè obtinuerat Mammon,& per eũ dem Deum iurabant,per quem & illi,dicentes: Viuit Deus tuus Dan? Væ vobis(ait ipſe Dominus)duces cæci,qui dicitis: Quicunq; iurauerit per templum,nihil eſt, qui autem iurauerit in auro templi, debet: Nónne iſti Deo præferebant aurum? Qui enim iurat in templo(inquit)iurat in illo & in eo,qui habitat in ipſo. Ergo ſicut templo,ita & illi,qui habitat in templo, præferebant aurum, dicendo: quicunque iurauerit per templum nihil eſt, qui autẽ iurauerit in auro templi, debet. Igitur cum dicit,qui iurant in delicto Samariæ,& dicunt: Viuit Deus tuus Dan, non omittamus illos,qui in auro iurare docebat,quia videlicet multò cupidius iſti aurum coluerunt,quàm illi patres eorum. Illi namque idcirco colebant aurum, ne aſcendendo adorare in Hieruſalem diſcerent reuerti ad Dauid regem ſuum. Iſti autem, vt licentius poſſiderent aurum, per quod docebant eſſe iurandum magis, quàm per DEVM, vel per Dei templum, occiderunt verum Dauid, filiumq; Dauid, filium Dei regem ſuum. Talis eorũ Deus eſt Deus Dan,quod interpretatur iudicium. traxit enim illos ad iudicium æternum. Item talis illorum via eſt via Berſabee, quod interpretatur puteus iuramenti ſiue puteus ſatietatis,quia iurabant in auro,quo volebant quidem,ſed non poterant ſatiari. Proinde cadent(inquit)& non ſurgent vltra, conſumpti fame ſupradicta,fame audiendi verbum Dei,ſicut comperimus ex his,qui ſuperſunt ex illis. Denique maximè his cõuenit, quod ſanctus Iob dicit, Egeſtate & fame ſterilis, qui rodebãt in ſolitudine ſqualentes calamitate & miſeria,& mandebant herbas & arborum cortices,& radix iuniperorum erat cibus eorum. Qui de conuallibus iſta rapientes,cum ſingula repperiſſent,ad ea cum clamore currebant. Nimirum herbis & arboribus & radici iuniperorum comparari poſſumus fabulas & genealogias eorum. Quoties cum illis ſermonem conferimus, ſi qua de fabulis ac genealogijs occaſio incidit, ibi clamoſi atque deſerti ſunt,& veluti quippiam herbarum ſiue corticum aut radicum iuniperi de conuallibus rapientes, ad ſingula cum clamore currunt, dum aliquid nugarũ retexentes declamant,ſuoque arbitratu magiſtri ſunt. Porrò ad enucleandum ſcripturæ ſenſum,ita egeſtate & fame ſterilis,ita ſqualentes & miſeri ſunt, & non ſolum dolere, verumetiam admirari poſſimus imbecillitatem puerilis ſenſus eorum. Sequitur.[Vidi dominum ſtantem ſuper altare,& dixit. Percute cardinem & commoueantur ſuperliminaria. Auaritia enim in capite omnium, & nouiſsimum eorum in gladio interficiã. Non erit fuga eius. Fugiet & non ſaluabitur, ex eis qui fugerit.] Adhuc deprimitur, & magis ac magis declaratur ſententia vindex contra ſupradictam ſuperbiam Iacob, cum dicit. Auaritia enim in capite omniũ. Nam cum auaritia de ſuperbia quoque tractari teſtis eſt ſapiens vir,qui cum dixiſſet, Auaro nihil eſt ſceleſtius,cõtinuò ſubiunxit. Quid ſuperbis terra & cinis? Diuitiarum namque comes ſuperbia eſt. Idcirco Apoſtolus. Diuitibus(inquit)huius mundi præcipe, non ſuperbè ſapere. Sed iam ad mirandæ huius viſionis ſacramentum ingredientes, literæ ordinẽ proſequamur. Vidi (inquit) dominum ſtantem ſuper altare. Magna verè viſio,& magnæ rei ſignificatio extitit. Prophetico deinde ſpiritu vidit,& reuera futurum erat,quod illi talis viſio præoſtendit. Quærimus ergo, vbi vel quando iactum ſit tale quid,

Iurare in Deo Dan.

3. Reg. 12.

1. Reg. 17.

3. Reg. 17.

Iudæorum Deus, aurũ.

Matth. 23.

Iob. 10.

Fabulæ & genealogiæ Iudæorum.

1. Tim. 6.

Dominus ſtans ſuper altare, Chriſtus eſt ſtãs in cruce.

Ecclſ. 10.

quid,cuius in ſignum ſtans dominus ſuper altare videri debuerit. Quærentibus autem in toto Chriſti euangelio, vel in omni euangelicæ gratiæ ſacramento, nihil tam magnũ, nihil tam euidens ſecundum huius viſionis proprietatem nobis occurrit, quam ſchẽma vel habitus domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi. Crucifixus namque & ſacrificiũ pro nobis factus, ſuper altare crucis ſtetit, ſtatione difficili, ſtatiõe laborioſa ſibi. Diligẽter animaduertendum, nec vnquam oculis mentis noſtræ debet abeſſe ſtationis illius ſpectaculum. Pendebat & ſtabat manibus ad crucis cornua confixis, pedibus ligno ſuppedaneo per clauorum fixuram cohærentibus in modum ſtantis. Taliter ſtans ipſe hoſtia, crux verò altare erat. Propter talem eius ſtatiõem futurum erat, vt deſtrueretur illud Iudaicæ ſuperbiæ templum, iuſtè profectò, quia taliter ſtãti crudeles inſultantes dicebant. Vah qui deſtruis templum, & in triduo illud reædificas. Dixit ergo ita ſtans. Percute cardinem & commoueantur ſuperliminaria. Cuicunque dixerit, ſiue videnti hæc prophetæ, ſiue angelo, nimirum illa in viſione percuſsio cardinis & commotio ſuperliminarium certiſsimè affuturum ſignificabat templi exterminium tanta percuſsione, tanta commotione, vt hodieque admiretur orbis terrarum. Quam ob cauſam? Auaritia enim(inquit)in capite omniũ cui videlicet auaritiæ crudeliſsimæ fructus fuit auaris& impijs ſcelꝰ iſtud, quod taliter dominum ſuper altare crucis ſtare fecerũt. Nã cum quotidie diſputaret cõtra auaritiã illorum, illud maximè concitauerat eos, quòd diutiùs non ferens pertinaciam auaritiæ, propter quam domum patris domum orationis, ſpeluncam fecerunt latronum, ſcripturam impleuit dicentem: Zelus domus tuæ comedit me, menſas numulariorum cathedraſque vendentium columbas conuertens, factoque de reſticulis quaſi flagello cunctos eijciens. Auaritia ergo in capite, id eſt, in ſumma intẽtione omnium, & & idcirco percuſſo cardine & motis ſuperliminaribus, id eſt, deſtructo ſummo ſacerdotio, ſummis ſcribarum phariſeorumque oridiuibus, nouiſsimum quoque eorum, id eſt plebeium in gladio interficiam. Non erit fuga eis. Circundati nanque erunt & coangu-ſtati vndique. Quod & ſi fugerit, non ſalua

«bitur qui fugiet ex eis,[Si deſcenderint vſq;
«ad infernum, inde manus mea educet eos,
«Et ſi aſcederint vſque ad cælum, inde detra
«ham eos. Et ſi abſconditi fuerint in vertice
«Carmeli, inde ſcrutans auferã eos. Et ſi cẽla
«uerint ſe ab oculis meis in profundo maris,
«ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos. Et
«ſi abierint in captiuitatem coram inimicis
«ſuis, ibi mandabo gladio, & occidet eos. Et
«ponam oculos meos ſuper eos in malum.]

Mirabiliter dominus, qui ſuper altare crucis ſtare habebat(vt iam dictum eſt) ſimul cum præoſtenſione ſtationis illius omnipotentiam ſuam depromit, mira declamatione aſſerit, quòd manus ſuas nullus inimicorum eius effugere poſsit. Nunc vt verba hæc melius perpendere queamus, ſimul recordemur illud quod idem homo factus, iamque paſſurus, ſiue ſuper aram crucis ſtaturus dixit. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Hoc illis dixit, qui iam illum in crucem leuare cogitabãt. Omnia traham ad me. Cæterum ſi ſolius gratiæ attractionem cogites, cum dicit: omnia traham ad me, ſubaudiendum eſt vtique electa. Si autem hoc attendas, quod per illam in cruce exaltationem filij hominis iudiciariam ſuper viuos & mortuos accepit poteſtatem. accepit enim ſecundum humanitatem, cui nihil deerat ſecundum diuinitatem, cum dicat, omnia traham ad me, ſubintelligendum eſt actione potentiæ, vt manus meas nullus veſtrum poſsit effugere. Habens enim poteſtatem iudicium facere, ſedebo ſuper ſedem maieſtatis meæ, atque omnes gentes congregabuntur ante me, & omnia electa ſtatuam ad dexteram, reproba verò ad ſiniſtrã meam. Nimirum quod illic idipſum intelligendum eſt, & hic, videlicet quod nullus effugere poſsit manus huius domini, qui ſuper altare crucis taliter tamque dolendo habitu, pendendo ſtetit, ſtando pependit. Si deſcenderint(inquit) vſque ad infernum, & cætera. Iſta quinque dixit, quorum tria quidem impoſsibilia erant fieri, vnum impoſsibile nõ fieri, itemque vnum poſsibile fieri. Etenim vt angu-ſtiam fugiens homo viuens, ad infernum deſcendat, ibique viuat vita incolumi, impoſsibile eſt. Attamen dicit. Si deſcerint vſque ad infernum, inde manus mea educet eos. Item, impoſsibile eſt, vt homo pennas volucres aſſumat, & in cælum volet. Attamen dicit, Et ſi aſcenderint vſque ad cælum, inde detraham eos. Item, impoſsibile eſt, vt homo in piſcem mutetur, & profundum maris ſubintret. Attamen dicit, Et ſi cælauerint ſe oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos. Quid igitur per iſta quæ impoſsibilia ſunt, contẽdit, niſi quod manus ſuas homo nuſquam effugere poſsit, cum inde quoque detrahere, vel illucvſque perſequi poſſet, quo nullus viuens profugere poteſt? Vnum eorum quæ dixit, poſsibile eſt (vt iam diximus) fieri, ſcilicet aſcendere in verticem Carmeli. Sed vide quanta cum irriſione dicat, ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli. Valles enim & deſoſſa terrarum potius, quàm vertices montium captare ſolet qui cupit abſcondi, ciuitas autem vel aliud quid in monte poſitum non poteſt abſcondi. Eſt tamen modus quidam in infernum deſcendendi, quo poſsit homo deſcendere, in

Auaritia in capite omnium.

Matth. 27.

Pſalm. 68.

Matth. 21.

Ioan. 12. Omnia trã hã ad me.

Matth. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuga vultus Domini, scilicet cum desperās à Deo, diabolo sese maligno fœdere tradit. Nónullos fuisse eiusmodi in populo E-
Esaiæ 23. saias insinuat, cum dicit, dixistis enim percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio pertracti sumus. Item modo quodam quasi in cælum ascenditur, cum quis superbiæ pennis vltra semetipsum eleuatur. Et modo quodam in profundum maris intratur videlicet sectando curiosa, nimiasq; subeundo curas seculi huius. Quo cunque modo siue illum ad inferna descensum, siue illum ascensum ad cælum, siue demersionem illam in profundum maris
Psalm. 138 intelligas, illud Dauidicum semper decantandum est. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero ad infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Est etiam quidam abscondendi modus in vertice Carmeli, videlicet secundum nomen ipsum Carmeli, quod interpretatur scientia circumcisionis. Cum enim inimici Christi quasi scienter disputant & contendunt de circumcisione carnis, vt videantur rationabiliter repellere à se fidem euangelij, ecce absconditi sunt in vertice Carmeli, sed inde scrutans aufert eos Christus, dum scrutando scripturas nos Christiani falsos illos esse conuincimus. Vltimum eorum quæ dicta sunt, Et si abierint in captiuita-
Duplex mors Iudæorum in captiuitate. tem coram inimicis suis, impossibile erat non fieri, nec enim ipsi dimittere poterant, quin abierint ducti in omnes gentes captiui. Ibi (inquit) mandabo gladio, & occidet eos. Hoc sæpè factum est, vt ex his qui dispersi sunt Iudæis cædes plurima fieret, domino vtique mandante gladio, cuius in ar-
Rom. 13. bitrio gladius omnis est, quia non est potestas, nisi à Deo. Quod deinde subiungit, & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum, modis duobus iam dictis perficit, dum mandat serpenti & mordet eos inuisibiliter morsu malo, qui æterna mors animæ est. dum mandat gladio, & occidit eos occisione visibili, quæ corporalis mors est. Vtrunque hoc intelligimus, & in
Psalm. 62. psalmo, cum dicit, Tradentur in manus gladij Romanorum, & secundum animam partes vulpium, id est, malignorum spirituum sunt. Et secundum animam quidem omnes, quoniam impœnitentes sunt, morsu serpentis moriuntur, & partes vulpium sunt, secundum corpus verò non in omnibus gladio mandatum est vt occidat eos,
Rom. 11. quia præter hoc quod reliquiæ saluandæ sunt, etiam memorię & honori Christi prodest vita & dispersio illorum, quemadmodum ipse dicit in psalmo: Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne *Psalm. 58.* quando obliuiscantur populi mei. Dispergе illos in virtute tua. Multum enim Christum colentibus confert hoc, quod Christi inimici Iudæi inter eos viuunt. Secum nanque libros baiulant, in quibus inueniuntur cuncta, de quibus cõfirmamus fidem Christianam, nec dicere potest quis, quod noua doctrina sit, dum antiquam proferimus authoritatem ex libris quos habent illi. Sequitur. [Et dominus Deus exercituum, qui ,, tangit terram, & tabescit, & lugebunt om- ,, nes habitantes in ea. Et ascendet sicut riuus ,, omnis, & defluet sicut fluuius Aegypti. ,, Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & ,, fasciculũ suũ super terrã fundauit. Qui vo- ,, cat aquas maris, & effundit eas super faciem ,, terræ, dominus nomen eius.] Quia dixerat ,, ibi, mandabo gladio, & occidet eos, valdè conuenienter de illo propheta subiunxit, & dominus Deus exercituum, subauditur, *Dominus* ipse est, qui hoc se facturum dicit, quia *exercituũ* profecto mandare potest gladio, qui domi- *Christus.* nus exercituum est, qui nonvnum tantùm, sed multos exercitus habet, quia videlicet Assyriorum, atque Chaldæorum, præsertim & Mœdorum, Græcorum, atque Romanorum, & omnium gentium exercitus seruierunt & seruiunt ei, quamuis nescientes, vt videlicet regnum aliud alio superueniente destruatur, iusto eius iudicio, sicut postmodum dicturus est, ecce oculi domini Dei super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ. Cum ergo dicit, & Dominus Deus exercituum, subauditur, ipse est, mirari te nõ vult, quòd dixerit se gladio mandare, qui quando stetit (vt iam dictum est) super altare, id est, patibulum crucis, gladium nullum ostendit, nec saltem patrẽ rogare voluit, vt quod facere poterat, plus *Matt. 26.* quàm duodecim legiones angelorum exhiberet sibi. Quod protinus subiungit, qui tangit terram & tabescit, in vtramque partem, scilicet in bonam & in malam intelligi *Alij benè* potest: quia postquam à terra exaltatus est, *alij malè* alij tangentes illum salui facti sunt, alij pe- *tabescunt.* rierunt. Siquidem tangentes illi pauci ex Iudæis, multi ex gentibus tabescentes, & compuncti corde, pœnitentiam egerint. itẽque multi, tam Iudæi quàm gentiles, malè tabescentes & inuidentes, euangelio Christi tangente, id est, percutiente illo, tam in anima, quàm in corpore perierunt & pereunt. Etenim tabescere tam in bona quàm in mala significatione poni, non est dubium. In bona vt illic, tabescere me fecit zelus me- *Psal. 118.* us, quia obliti sunt verba tua inimici mei. In mala vt alibi, Peccator videbit, & irasce- *Psalm. 111.* tur, dentibus suis fremet & tabescet. Item quod sequitur, & lugebunt omnes habitantes in ea, similiter in vtranque partem rectè intelligitur. Nam qui compuncti corde pœnitentiam

nitentiam egerunt, bonum luctum habue-
Matth. 5. runt, iuxta illud, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Qui verò pœnitentiam non egerunt, maximè Iudæi, malum luctũ habuerunt, videlicet de quo superius dictum est. Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum. Item quod sequitur, & ascendet sicut
Supra 8. riuus omnis, & defluet sicut fluuius Aegypti, in vtranq; partem diuidendum est. Nã ascendere bonum, defluere malum est. In his qui pœnitentiam egerunt, fides euangelij, gratia spiritus sancti de fonte Christo procurrens, sicut riuus ascendit in his, qui impœnitentes fuerunt vel sunt, maximè in Iudæis, cuncta carnaliũ cærimoniarum va-
Defluũt cæremonia. nitas & inutilitas defluit, & est vbique contemptibilis, nullusque iam verus Dei cultor illas suscipit. Defluit (inquam) sicut fluuius Aegypti, quia videlicet non vtcunque contemnuntur cærimoniæ carnalis Iudaismi, sed ita, vt quicunque illas exercent, reputentur, & sint velut Aegypti, id est, tenebrosi, & omninò rubri maris, quod est ba-
Matt. 22. ptisma Christi, transitu indigni. In his quoque qui ex gentib. crederunt iste prophetiæ versiculus sic impletur, vt quod valde timendum est, multi vocati pauci verò sint electi. Nam quia pauci electi sunt, rectè dicitur, & ascendet sicut riuus omnis qui videlicet riuus minor est quàm fluuius. & quia multi sunt vocati, qui non pertinguntad electionis ascensum rectè subiungitur, & defluet sicut fluuius Aegypti. Ex ipsis qui ascẽdunt sicut riuus (vt iã dictum est) completum propositum Dei in ædificationem ec-
Ephe. 1. clesiæ Christi, quod est corpus eius, plenitu-
Coloss. 1. do eius, cuius ipse caput est, sicut Apost. dicit. Rectè ergo subiungitur, qui ædificant in cælo ascensionem suam. Ascensio namque riui omnis. i. electi omnis, spiritualem ex ipso gratiã habentis, ascẽsio ipsius est. Quod
Psal. 121. enim illuc ascẽderunt tribus tribus dñi, nõ
Ioan 3. ascendentium facultas, sed gratia vocantis
Ephe. 4. agit. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælis. Et Apost. cum dixisset, qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia, & ipse dedit quidem quosdam apostolos, quosdam autem prophetas. alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores ita sententiam compleuit ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Pulchrè ergo dictum est, qui ædificat ascensionem suam in cælo, quia videlicet ascensus sanctorum, corporis Christi ædificatio est, & quod mẽbra sequuntur ascendendo, gratia capitis est præcuntis, quod solum propria virtute ascendit. Et fasciculum suum (inquit) super terram fundauit. Nimirum quando Christus in cælum ascendit, paruũ apostolorũ numerũ in terra reliquit, & eos-
dẽ misso sancto dilectiõis spiritu, quasi in fasciculũ ligauit vinculo charitatis, & vnitate fidei, & eiulmodi fasciculũ fundauit, id est, in fundamento posuit, & super illum ecclesiam suam ædificauit. Deinde & dẽ gentib. nonnullos tanta impleuit vbertate cælestis gratiæ & verbo doctrinæ, vt secundum a- postolorum imitationem possent ecclesiam Christi instruere. Hinc protinus subiungit, Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ. Maris namque nomine interdum gẽtilitas significatur, vt illic. Propter- *Psalm. 45.* ea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Hoc enim hunc habet sensum, Nõ timebimus tribulationes futuras, quę tunc erunt, quando turbatis & repellentibus verbum domini Iudæis, quibus primum oportebat prædicari euangelium, transferẽtur apostoli in medium gentium. Itaque qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, idem est ac si dicat, qui homines gentiles, salsas & insipidas habentes aquas secularis scientię, surlum vocat & cælestia facit sapere, consiliatque doctores, vt tam loquendo, quàm scribendo compluant terram ecclesię. Quis hæc tãta & talia facit? Dominus (inquit) nomen eius, quia reuera non posset talia facere, non posset de mortuis resurgens in cælo ascensionem suam ędificare, nisi esset dominus. Idcirco & Dauid cum dixisset. Iter faci te ei, qui ascendit super occasum, continuò *Psal. 67.* subiunxit, dominus nomen illi. Hoc Iudæi multum grauiter tulerunt quòd gẽtiles vocati & recepti sunt, inuidentes saluti illorũ. Exempli gratia, ita vt Petro dicerent, Qua- *Act. 11.* re introisti ad viros præputium habentes? Et multa his similia. Rectè ergo sequitur. [Nunquid non vt filij Aethiopum vos estis mihi filij Israel, ait dominus? Nunquid non ,, Israel ascendere feci de terra Aegypti, & Pa- ,, læstinos in Cappadocia, & Syros de Cyre- ,, ne? Ecce oculi domini Dei super regnũ pec- ,, cans, & conteram illud à facie terræ.] Ac si ,, dicat, Quid gloriamini vos Iudæi de pro- ,, prietate Dei, & gentib. derogatis? An Iudæo- *Rom. 3.* rum Deus tantùm? nonne & gentium? Imò & gentium, sicut Aethyopes, ita & vos mihi estis nec magis aut min⁹ propinqui, quia sicut Iudæos, ita & Aethyopes ego creaui. Quod si in hoc gloriamini, & propter hoc vos potius quàm alias gentes ad me pertinere iactatis, quia feci vos ascendere de terra Aegypti. Nunquid propter hoc alterius naturæ siue conditionis, quàm cæteri homines estis? Nempè & Palæstinos de Cappadocia, & Syros ascendere feci de Cyrene. Non ergo erigamini in superbiã, quòd vos de Aegypto eduxerim, & quasi peculiarem populum meum, Pharaoni seruire non passus sim, neque arbitremini, quod propter hoc solis vobis debeatur regnum Dei, quia videlicet & in hoc seculo Aethyopes, Palæstinos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

laestinos, Syros, atque Iudæos, Idistantes locis atque corporibus, mortalitatis lege sociaui, & pro arbitrio meo seruos meos huc illucque committo, & in vniuersas prouincias transfero, & in illa cælesti Sion, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis, similiter omnes, siue ex omnibus gentibus, quoscunque fides commendauerit, cógruis mansionibus collocet, sicut per psalmistam dicit, Memor ero Raab & Babylonis, scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethyopum, hi fuerunt illic. Econtra, sicut æquali conditione omnes sunt facti, ita quicunque peccauerint, æquali iudicij mei sententia punientur, & omnia absq; discretione personarum impia regna subuertam. Nam ecce (inquit) oculi domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ. Quod autem vel cuius gentis regnum tantum peccauit, quàm illius quæ prophetas occidit, & ipsum prophetarum dominum crucifixit? Ne ergo in superbiam erecti, peccatores ex gentibus ad fidem venientes, repellendos esse censeatis, quia Iudæi non minus quàm Græci, imò primum, siue magis quàm Græci, iram & indignationem, tribulationem, & angustiam sunt recepturi, quicunque non acquieuerint veritati, ita vt regnum quoque illorum temporale destruatur, etenim à facie terræ conteram illud. [Veruntamen conterens non conteram domum Iacob, dicit dominus. Ecce enim mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro, & non cadet lapillus super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquabit, & non veniet super nos malum.] Certam, & quæ falli non possit suam Deus commendat prouidentiam, dum præmisso, ecce oculi domini Dei super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ, subiungit, verum conterens non conteram domum Iacob. Idem enim est ac si dicat, Conteram quidem domum Iacob in reprobis, sed non conterã in electis. Impossibile namque est, dum conteritur regnum Iudaicum contritione Romanę virtutis, dum occidũtur, dum disperguntur in omnes gentes captiui, perire Deo quenquam ex illis quos præscíuit & prædestinauit. Non enim regnum vel gentem illam sic contriuit, vt nullum ex illa saluum esse velit. Hinc Apostolus dicit, Nunquid reppulit Deus populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abrahę de tribu Beniamin. Nõ reppulit Deus plebem suam quam præscíuit, &c. Pulchra valde similitudine ipsum mysterium innuit, de quo Apostolus. Nolo enim (inquit) vos ignorare fratres mysteriũ hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. Pulchra (inquam) similitudine idipsum prophetatur hic dicendo, Ecce enim mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro, & nõ cadit lapillus super terram. Cuncta tribulatio siue angustia, qua coangustati & contribulati Iudæi, in omnes gentes sunt euentilati ac dispersi, velut concussio cribri extitit, quomodo si puluerulenta collapsi muri cribro congesta concutiantur, vt puluere in terram cadente soli remaneant lapilli, in opus restaurationis conferendi. Vnde præmisso, in gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquabit, & non veniet super eos malum, continuò subiungit. [In die illo suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant instaurabo, & reædificabo eum sicut in diebus antiquis, vt possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod inuocatum sit super eos nomen meum, dicit dominus faciẽs hæc.] Quem enim sensum hæc habeant, apostoli probant, vbi quęstione suscitata, cur homines ex gentibus Paulus ac Barnabas absq; circuncisione & obseruantia sabbati suscepissent. Petrus respondit vt debuit. Cuius sententiã probãs Iacob, hæc locutus est, Viri fratres audite me, Symõ narrauit, quẽadmodum primum Deus visitabit sumere ex gentibus populum nomine suo, & huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est, Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominum dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomẽ meum, dicit dominus, faciens hæc. Notum à seculo est domino opus suum. Igitur domus Israel, quæ concutitur in cribro, ruinosa domus, & collapsum tabernaculum est, quia dominus stans super altare, id est, in ara crucis appẽsus, ab illis (sicut iam superius dictum est) percuti iussit cardinem, vt commouerentur superliminaria, & lapilli residui, quorum nullus cecidit ĩsper terrã. reliquiæ sunt, de quibus Apostolus cum prẽmisset, sed quid dicit Heliæ responsum diuinum, Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, sic ergo (inquit) & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratię saluę factę sunt. Porrò, peccatores eiusdem populi oẽs in eo sunt peccatores, quòd dicunt, nõ appropinquabit & nõ veniet super nos malũ, & idcir co in gladio moriẽtur, inquit. Ergo nõ parui criminis dicere nõ appropinquabit, & nõ veniet super nos malũ, cũ Deus vel spiritus sanctus dicat per os prophetarũ, appropinquabit & veniet super vos malum. Veraciter crimen hoc esse magnum antiquo & nimis dolendo exemplo est cõprobatum. Nã deus dixit: In quocũq; die comederis ex eo, morte morieris. Econtra serpens, Nequaquam (inquit) morte moriemini. Itaque qui per serpentem dixit, nequaquam moriemini, cum Deus dixisset, moriemini. idẽ spiritus malignus per os pseudoprophetarum dicebat, non appropinquabit & nõ veniet, cum spiritus sanctus per prophetas suos diceret, appropinquabit & veniet super vos malum. Proinde ipsi quidem pseudoprophetæ serpenti similes, & maledictione digni sunt. peccatores autem, qui magis credunt pseudoprophetis, quàm prophetis dñi, tãiustè in gladio moriũtur, quàm iustè Adã siue mulier eius, pro eo quòd serpenti magis quàm Deo credidit, sententiam excepit, vt de paradiso expelleretur. Gladium autem hic non solùm Romanorum intelligimus, quia videlicet eo non omnes peccatores illius populi mortui sunt, sed potius gladium inuisibilem, qui percutit interiora omnis impœnitentis animæ, quem Psalmista metuens. De gladio (inquit) maligno erue me. Ecce in die isto, qui dies salutis est, & tempus acceptabile, suscitatur illud tabernaculum Iacob quod cecidit, quia pro Iudæis incredulis ponuntur gentiles creduli tanquam lapides viui super fundamentum viuorum apostolorum & prophetarum, & hoc modo reædificatur verus Dauid, lapis angularis, sicut in diebus antiquis, id est, nõ ex operib. legis, siue cæremonijs carnis, sed ex fide, per quam Abraham iustificatus est, per quam Noe complacuit, per quam Abel plurimam Deo hostiam obtulit, & possidẽt nũc posteri huius Dauid reliquias Idumeę & oẽs nationes, sine acceptiõe personarum, eo qđ inuocetur nomen domini super eos. Vbi enim inuocatio nominis domini, nulla est distinctio Iudęi & Græci. Et vt scias, qa quicquid audisti stabile & ratum est, nec infectũ remanére potest, non alius, sed ipse, dicit dominus, faciẽs hęc. Quæ sunt hęc? Quęnam nobis ostendis, dicendo: faciens hæc? Nimirum stans super altare, & percutiens cardinem, & superliminaria commouens, in gladio interficiens omnes, quorum in capite auaritia est, tangens terram vt tabescat, & lugere faciens omnes habitantes in ea, ædificans in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundans, vocans aquas maris, & effundens eas super faciem terræ, & conterens regnum peccans, & concutiens in omnibus gentibus domum Israel, suscitans tabernaculum Dauid, id est, ecclesiam suam (ipse est enim verus Dauid) & reliquias Idumæę possidens, id est, de terrenis, & terrena sapientibus hominibus cælestes faciens, cuius dixisse feciisse est. Sequitur. [Ecce dies veniunt, dicit dominus, & compræhendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Israel, & ędificabunt ciuitates desertas, & habitabunt in eis, & plantabunt vineas & bibent vinum earum. Et facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltra de terra sua, quam dedi eis, dicit dominus Deus tuus.] Ecce finis loquendi in hoc propheta vide qualis sit. Si solum respicias literæ corticem, vile est & exiguum, quod à glorioso & magno Deo promittitur, quia bonis & malis commune est, & bonis quidem nõ magnopere curandum, non magna solicitudine quærendum. malis autẽ concupiscibile, quorũ Deus venter est, dequalib. Apost. Esca (inquit) ventri, & venter escæ, Deus autẽ & hunc & illam destruet. Si autẽ corticem discutias, quemadmodum hic idẽ propheta sycomoros vellicabat, & sub vtilitate literæ preciosum, id est, spiritualem sensum requiras, glorioſum est & præclarum, quod Deus gloriæ promittit in hac sermonis consummatione sperantibus in se, quod oculus non vidit, quod auris non audiuit, quod in cor hominis non ascendit. Dicit aliquis, Quæ fuit necessitas, vt maximè in calce sermonis talis promeretur litera, quæ maximè carnales mulceat? Videlicet quia sic expediebat, vt pueros illos, apud quos seruanda erat sancta scriptura, seduceret seductione bona, propter eos quibus proficere habebant mysteria, quæ continentur in prophetis suo tempore reuelanda. Est enim seductio bona, qua non solum reprobus, verumetiam probus aliquis, nesciens diuinis consilijs obsequium præstat, in tantum, vt Hieremias dicat, Seduxisti me domine & seductus sum, fortior me fuisti, & inualuisti. Idẽ enim est ac si dicat, proposueram ego tacere de huiusmodi, tu autem, vt tacere non possem, motum quasi impatientis animi, id est, zelum bonum & fortẽ impegisti. Sequitur namque postmodum & dicit, Et dixi, Non recordabor eius, neq; loquar in nomine illius. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens. Econtra pueris & carnalibus istis dicemus, qui scripturas sanctas nunquam custodissent, si vim illarum intellexissent. Seduxit vos dominus & seducti estis, fortior vobis fuit & inualuit. Si enim ita locutus fuisset in prophetis, vt nihil boni sonare videretur litera vobis pessimis, irasceremini contra spiritum propheticũ, quemadmodum iratus est rex vester Achab contra Michæã prophetam, dicẽs ad Iosaphat regem Iuda, Nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum? Ita irati sanctam scripturam succenderitis, sicut fecit rex Sedechias, qui cum legerentur sibi verba Hieremię, lectis iam tribus pagellis aut quatuor, scidit volumẽ scalpello scribę, & proiecit in ignem qui erat super arulam, donec

Psalm. 86. *Rom. 8.* *Rom. 11.* *Vbi supra.* *Act. 13.* *Domus Israel nunc ruinosa est.* *3. Reg. 19.* *Rom. 11.* *Gene. 3.* *Duplex gladius.* *Psal. 143.* *1. Pet. 2.* *Ephe. 2.* *Hebr. 11.* *1. Cor. 6.* *Esaiæ 64.* *Duplex seductio, bona scl. et mala.* *Iudæi volebãt sibi prophetari bona carnalia.* *Hiere. 20.* *3. Reg. vlt. Hiere. 36.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

donec consumeretur omne volumen igni qui erat in Arula. Bonum ergo fuit vos seduci tanquam pueros, & sic repromitti spiritualibus spiritualia, vt putaretis vobis carnalibus promitti carnalia, qualia sunt hæc, vt arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen comprehendat, sicut per bonam temperiem fieri solet, dum statim post messem impletis horreis ad sufficientiam præsentis anni, subsequens arator semen iaciat in spem futuri, nec mora vlla intercedente vindemiæ tempus sit, quam non sinit vuarum maturitas vltra differri. Hæc enim carnaliter intelligentes, vobismetipsis blandimini, dicentes, Vobisipsis post aduersa rursus prospera promitti, cum impœnitentes sitis. Et per hanc quidem occasionem scriptura sancta penes vos hactenus seruata est, & seruatur. Vos autem captiui, & dispersi estis, & in peccato vestro moriemini. Nũc tandem literam hanc discutientes sensum quæramus, qui intrinsecus latet. Ecce (inquit) dies veniunt dicit dominus, & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen. Isti dies iam venerũt, sicut testatus est ipse dominus ad discipulos suos loquens & dicens, Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem, qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Vt & qui seminat simul gaudeat & qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, & alius qui metit. Ego misi vos metere quòd non seminastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Breuiter dicẽdum, quia qui laborauerunt & seminauerunt patriarchæ & prophetæ, qui autem in labores illorum introierunt, apostoli sunt. Patriarchæ nanq; laborando, id est, peregrinando, & de gente in gentem, & de regno ad populum alterum pertransiendo, seminauerũt, id est, promissiones beati seminis futuri (q̃ est Christus) accipere meruerunt, ipsum autem oculis suis non viderunt, tantummodo spe inhiantes, & per hoc seruientes in modum arantium & seminantium. Apostoli autem præsentem Christum eundem beatis oculis viderunt, & receperunt eum in modum metentium. Propterea dixit illis, beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre quę vos videtis, & nõ viderũt, & audire quę vos auditis, & nõ audierunt. Igitur quod nunc ait, & cõprehendet arator messorem, idem est, ac si dicat, patriarchæ simul & apostoli gaudebunt in semine Abrahæ quod est Christus, in quo promissam pariter accipiant benedictionẽ, vt quemadmodum dicit & qui seminat simul gaudeat & qui metit. Neque enim sic apostoli in labores eorum introierunt, vt eos excluderent, sed ecce simul gaudent, & alij qui ante aduentum eius seminauerunt, & isti qui in aduentu eius messuerunt. Porrò, calcator vuæ, qui comprehendit mittentem semẽ, idem est qui & messor. & mittens semen, idem est qui & arator. Nam (sicut dictum est) anteriores patres sancti, & arantes & mittentes semen fuerunt, Apostoli verò & messores & calcatores vuæ sunt, messores quia præsens Christus maturum fuit illis frumentum, calcatores vuæ quia mustum sancti spiritus de illo sumpserunt, vel quia passioni eius præsentialiter cõmunicantes calicem eius biberunt. Et stillabũt (inquit) montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Montes ijdem apostoli sunt, propter excellentiam meritorum, qui per totum mundum dulcedinem pacis, & remissionis peccatorum stillauerunt, prædicãdo in nomine Iesu Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum. Isti autẽ audientes, & audiendo iustificati, tanquam colles benè culti, fructum bonum reddiderũt. Et conuertam (ait) captiuitatem populi mei Israel, id est, soluam vincula peccatorum, & diruam erroris & ignorantię carcerem, quę vera captiuitas erat, in qua detinebamur nos, qui nũc dicimur & sumus Israel. Quod deinde subiungit, Et ædificabunt ciuitates desertas, & habitabunt in eis, & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, expositione iam non indiget, cum videamus vbiq; terrarum per desertum gentilitatis, quæ prius à Deo deserta fuerat, surrexisse Christi ecclesias, quæ & ciuitates propter fidei firmitatem, & vineæ propter spei quæ non confundit hilaritatem, & horti propter charitatis delicias rectè dicuntur, in quibus habitant qui verbo illas ædificauerunt, vndè bibunt vinum lætitiæ, qui præceptis illas informauerunt, vndè comedunt fructus, qui consilijs prouexerunt, quia sicut qui metit, ita & qui ędificat huiusmodi ciuitates, & qui plantat huiusmodi vineas, & qui facit eiusmodi hortos, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Vndè & sequitur, Et plantabo eos super humum suã, & non euellam eos vltra de terra sua quam dedi eis. Huius namque quam dedit sanctis suis paradisus delitiarum est, in quo primũ hominem posuit. Quia ergo in Adam omnes humum siue terram illam perdiderunt, & exortes facti sunt regni cælorum, per aduentum autem Christi ita recuperauerunt, vt amplius non perdant, rectè cum dixisset, & plãtabo eos super humum suã, protinus addidit, non euellam eos vltra de terra sua quam dedi eis, vertitque se ad aurem cuislibet nostrum gratulabundus dicendo, dicit dominus Deus tuus.

Calcator vuæ.

Ecclesiæ Christi dicuntur ciuitates, vineæ & horti.

Ioan. 4. Aratores patriarchæ, messores apostoli.

Psal. 104.

Lucæ 10.

FINIS LIB. IIII. ET VLTIMI IN AMOS PROPHETAM.

PROLO-

PROLOGVS RVPERTI
IN ABDIAM PROPHETAM.

Abdias fuit tempore Heliæ.

3. Reg. 18.

4. Reg. 1.

QVartus in ordine duodecim prophetarum Abdias est. Hic ille esse perhibetur, qui in libro Regum loquitur ad Heliam, Et nunc dicis mihi, Vade, dic domino tuo, adest Helias. Cumque recessero à te, spiritus domini asportabit te in locum quem ignoro, & ingressus nunciabo Achab, & non inueniens te, interficiet me. Seruus autem tuus timet dominum ab infantia sua. Nunquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Iezabel prophetas domini, quod absconderim de prophetis domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pauerim eos pane & aqua? Dicitur etiam hic fuisse tertius ille princeps quinquagenarius, cui pepercit Helias dicenti, Homo Dei, noli despicere animam meam, & animam seruorum tuorum, qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cęlo, & deuorabit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cũ eis erant, Sed nũc obsecro, vt miserearis animę meæ. Postmodum relicto Oboliæ regis ministerio, factus Helię discipulus prophetauit, qui etiam morte propria obijt, sepultus cum patribꝰ suis in Sebaste ciuitate, vbi & Helisæus propheta, & Ioannes Baptista venerabiliter requiescunt. Igitur quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus dux ecclesię factus est. Vndè & rectè & probabiliter in euangelio suo loquitur dominus noster, Et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Etenim quàm verè dicat, præcedens in isto exemplum probat, qui pro eo quod paruulum prophetarum gregem tunc pauerat in Samaria, factus & ipse propheta nunc in toto orbe Christi pascit ecclesias. Et hoc notandum, quod sicut in Actibus Apostolorum, qui primus martyrio coronandus erat, diuino quodam præsagio vocatus est Stephanus, quod interpretatur coronatus. ita iste, qui taliter domino seruire talemque seruitutis mercedem recipere habebat, vocatus est Abdias, quod interpretatur seruus domini. Accedamus ad hunc seruum domini, & audiamus quid per eum dicat ipse, qui per sanctos prophetas locutus est spiritus domini, non dubitantes, quod quamuis ver suum supputatione paruulus prophetа sit, sensibus tamen sit magnus, id est, totus spiritualis.

Matt. 10.

Abdias seruus domini

FINIS PROLOGI.

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN ABDIAM PROPHETAM
COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Ezech. 1.

1. Reg. 9.

Duplices visiones.

VISIO Abdiæ.] Quæ visio dicitur Abdię, visio est Dei, id est, quam Deus Abdiæ ostendit. Vndè & Ezechiel, aperti sunt (inquit) cæli, & vidi visiones Dei. Propterea qui nunc prophetæ dicuntur, olim dicebantur videntes, eo quod viderent Dei visiones. Nam in libro Regum ita legimus, Olim in Israel sic loquebatur, vnusquisque vadens consulere Deum. Venite & eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns. Visiones autem hæc differunt, quod alibi monstrante Deo, significatiuæ videntur imagines, quales maximè viderunt iam dictus Ezechiel & Daniel. alibi sine imaginibus diuinæ suo modo videntur & percipiuntur locutiones, quemadmodum hic de semetipso dicit, Visio Abdiæ, & tamen nullam se similitudinem siue imaginem narrat vidisse. Et de ista quidem visionis qualitate non dubium est sanctos prophetas certum habuisse visum siue intellectum, spiritu sancto in ipsis loquente. De illa verò qualitate videndi, qua pręmonstrabantur imagines, illud sciendũ, quia non statim intellectus sequebatur visum, sicut de semetipso testatur Daniel. Cũ enim vidisset quatuor bellias grãdes de mari ascendentes, accesi (inquit) ad vnum de assistentibus & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Item, cum vidisset arietem cornibus ventilantem contra occidentem, & contra aquilonem, & contra meridiem, & aduersus eum currentem hircum, qui habebat cornu insigne inter oculos suos, post-

Dani. 7. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum subiunxit, Cum viderem ego Daniel visionem & quærerem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri, & audiui vocem viri inter Vlai & clamauit, & ait, Gabriel fac intelligere istam visionem. [Hæc dicit dominus Deus ad Edō. "Auditum audiuimus à domino, & legatum "ad gentes misit. Surgite & consurgamus ad "uersus eum in prælium.] Edom ipse est Edō, Esau, qui & alio nomine dicitur Seir. Cur autem vocatus est Edom, historia prodit dicens, Coxit autem Iacob pulmentum. Ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait, Da mihi de coctione hac rusa, quam ob causam vocatum est nomen eius Edom. Edom quippe interpretatur rufus, & est nomen hoc gulæ eius monimentum, eo quod pro coctione rufa vendiderit primogenita sua. Attamen idem colore quoque rufus erat, sicut scriptum est, Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus. Vndè notandum, quòd non naturæ accidens color reprehensibilis iudicatus est, vt propter hoc tali vocabulo denotaretur & diceretur Edom, præsertim cum & sanctus Dauid rufus fuerit, sed animi vitium & immoderatus rufæ coctionis appetitus meruit, vt nominis eiusmodi hæreditatem sortiretur. Quid autem genus illius Edom tunc temporis agebat, vel in quo merebatur, vt contra illum visio tam dura prophetę, siue sermo domini demonstraretur? Valde namque dura est, sicut ex tota serie lectionis huius manifestum est. Si temporum illorum gesta reuoluimus, constat quia fœderatus erat Israeli Edom, in tãtum vt cum Ioram filio Achab, sub quo iste Abdias pauerat prophetas domini, pergeret ad prælium contra Moab. Quid igitur super hoc animaduertendum, nisi quia verba visionis huius, cum non hominis, sed spiritus sancti verba sint, spiritualiter pensanda sunt? Edom quippe (quod interpretatur rufus, siue sanguinolentus) nō solus iste homo fuit Isaac & Rebeccæ filius, sed omnis quicunq; vitium eius imitatur, sectando gulam, & fraternum gerendo odium, sicut ille fecisse non ignoratur. Si hoc ita non esset, Apostolus nequaquam diceret, his qui vtiq; secundum carnem, qui ex Esau, qui & Edom, sed ex Iacob geniti fuerant. Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis rursum germinans impediat & per illam inquinentur multi, ne quis fornicator, aut profanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua. Itaque si verba visionis ritè perpendas, quæ nulla testatur historia dignè, & sicut propheticam condecet tubam, cōpleta esse in illo Edom. itemq; recolas, qualis fuerit rerum status in Israel, quo tẽpore prophetauit hic Abdias, dubitare nō debes, quin sub nomine Edom visio sit contra carnalem Israel. Tunc enim regnante Achab & impia Iezabel cœperunt occidi prophetæ domini, ita vt diceret Helias: Domine dereliquerunt pactum tuum filij Israel. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus, & quærunt animam meam. Nimirum qui occidebantur, & ipse Helias qui fugiebat, cęteriq; de quibus ait dominus: Reliqui mihi septem milia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal, ipsi sunt Iacob & Israelitæ. qui autem occidebant eos, ipsi erant Edom, vtpote opere perpetrantes odium quod mente conceperat ille, cuius propter imitationem filij sunt, dicens in corde suo. Venient dies luctus patris mei, vt occidam Iacob fratrem meum. Alioquin quomodo stabit illud, quod in hoc propheta, cum præmissum esset, vt intereat vir de monte Esau, subiunctum est, propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob? Nam ille Esau siue Edom quem Rebecca peperit, oderat quidem semper Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater, sed non interfecit eum. Hi autem qui ex Iacob secũdum carnem geniti, odium imitati sunt Esau, fratres suos interfecerunt, nec destiterunt interficiendo, donec ipsum interficerẽt Christum. Quòd si quæras, quæ fuerit necessitas vt significarentur nomine Edom, cum possent manifestius exprimi nominibus alijs quæ propria viderentur Iudaicæ siue Israeliticæ gentis. Nos ad hæc dicimus, quia nimis incauti & indiscreti fuisset hominis, nudo sermone proprijsque vocabulis declamare perditionem gẽtis, apud quam solam oportebat interim propheticas visiones, & in omnes sanctas scripturas conseruari, donec glorificato Iesu, & dato spiritu, per totum mundum diffunderentur per linguas omnium gentiũ, & clarescerent aperto credentium sensu ad intelligendum. Nunc iam textum visionis huius ingrediamur. Præmisso, hæc dicit dominus ad Edom, statim subiungit: Auditum audiuimus à domino, & legatum ad gentes misit. Hæc ex sua cæterorumq; prophetarũ persona interloquitur priusquã narrare incipiat, quænã sint ea quæ dicit dominus ad Edom. Sic Lucas in actibus Apostolorum præmisso, exurgens Petrus in medio fratrum dixit. priusquam ea narrare incipiat, quæ Petrus dixit, ipse ex sua persona interposuit. Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti. Itaq; quasi quæreret, quis tu, quomodo vel vndè scis, quid dicat dominus Edom? A domino (inquit) audiuimus auditum nos prophetæ, qui ferè omnes loquimur contra Edom. Et ipse misit, id est, certissimè missurus est legatum ad gentes, qui dicat. Surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium, legatus iste Christus est, missus ad gentes & desideratus gentibus, sicut in Aggæo scriptum est:

Edō, Esau, et Seir, tria nomina res vna.
Gen. 25.
3. Reg. 19.
Gen. 27.
1. Reg. 16.
Quæstio.
Cur obscurè scripserit prophetæ.
8. Reg. vlt.
Responsio.
Hebr. 12.
Act. 1.
Carnalis Israel dicitur Edō.
Legatus missus ad gẽtes, Christus est.
Aggæi 2.

ptum est: Mouebo omnes gentes & veniet desideratus cunctis gentibus. Legatus iste non sic ad gẽtes missus dicitur, vt per suam ipse personam ad gentes venerit, aut venire debuerit, quippe qui in Iudæa consummatus est, & peragendum ad gentes suæ legationis officium, suis apostolis imposuit, sicut vnus ex eis Paulus dicit: Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exorante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Legati huius verba sunt hæc, O vos gentes, surgite & consurgamus aduersus Edom in prælium. Nimirum hoc & corporaliter factum est, quando ex Romano imperio cõsurrexerunt gentes ad excidium Iudæorum, & nunc vsq; fit, dum credentes ex gentibus contra illos verbo veritatis dimicãt, tela sumentes ex armario scripturarum sanctarum. Hunc auditum nos à domino audiuimus, qui legatum illum expectamus & recipimus, Edom autem, qui illum non recipit, imò qui illum occidit, sicut ante & post illum prophetas & sapientes & scribas interfecit, quos ille misit, audiat alia quæ dominus ad eum dicit. Quæ sunt illa? [Ecce paruulũ dedi te in gentibus, "contemptibilis tu es valde.] Quale initium eorum, qui dicuntur ad istum Edom. Paruulum (inquit) dedi te in gentibus. Potest quidem paruulus in bono interdum accipi, sed non hic. Sequitur enim, Contemptibilis tu es valde. Ergo paruulum dedi te, id est, inuidum esse ostendi te, de quo rectè dixerit alia scriptura paruulum occidit inuidia. Inuides enim gentibus, quia videlicet comparatione tui magnæ effectæ sunt gentes Christum suscipientes, & ob hoc in fide patris Abrahæ rectè gloriantes. Hinc est illud, Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipiẽtem, in iram vos mittam. Aemularis enim & inuides gẽtibus, videns impletum esse in eis illud propheticum. Inuentus sum à non quærentib. me, palam apparui his qui me non interrogabant. Cum ita sis paruulus, consequenter & rectè contemptibilis tu es valde, subaudi tur, propter interfectionem & propter iniquitatem & fratrem tuum Iacob, quã postmodum dicturus sum, quia videlicet inuidisti vt paruulus, occidisti vt inuidus. Idcirco namque ita contemptibilis es, vt sis veluti Cain vagus & profugus super terram, eiectus à facie domini, quia sicut ille fratrẽ suum Abel, sic & tu Christum & prophetas eius per inuidiam occidisti. Idcirco (inquã) tu contemptibilis es valde, non solum Deo, verum etiam hominibus, inter quos captiuus & dispersus teneris, notam habens tui sceleris ipsam captiuitatem ac dispersiõem, quæ tuam iniquitatem latere non sinit. Nimirum vt ita contemptibilis fieres, præcedens culpa superbiæ causa extitit. Dico ergo. [Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram. Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde te detraham dicit dominus.] Et quidem ille alter Edom, cuius odium tu imitaris, qui secundum carnem diceris Iacob, ita vt litera sonat, in petris habitat. Nã omnis australis regio Idumæorum de Eleutheropoli vsque ad petram & Zailam (hæc est enim possessio Esau) in specubus habitat, sed tu qui omnia quæ de Esau dicuntur, in peius imitaris, in alia petra gloriaris, in alterius petræ habitas scissuris. Quæ est illa petra? Tu secundum carnem pater Abraham. Hinc namq; Esaias, Attendite (inquit) ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis. Abraham & Saram volens intelligi. Subiungit enim protinus & dicit. At tendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos. In scissuris illius petræ tu habitas, & inde superbia te extulit. Verbi gratia, dum dicis, Semen Abrahæ sumus, pater noster Abraham est. Hæc & huiusmodi, superbia te extollente, dicis, scilicet superbiendo contra petram illam, quæ in fundamento posita & Abraham & cæteros omnes sanctos, qui petræ siue lapides vi ui, propter fidem dici merẽtur, portat. Nec verò dixi, aut dico, te in petra, sed in scissuris petræ habitante extolli. Scidisti namque petram illam, id est, carnem Abrahæ scissuris irreparabilibus, & tunc quando decem tribus scindente Hieroboam scissæ sunt à domo Dauid, qui possidebat hæreditatem benedictionis, quo post Abraham & Isaac, simplex Iacob benedici meruit, vt de semine eius Christus nasceretur, & hinc quando negasti filium Dauid, filium Dei dicens, non habemus regem nisi Cæsarem. Sic habitans in scissuris petræ, exaltasti solium tuum, magis eligens nominari super te regnum Romanum, siue nomen Cæsareum, quàm regnum siue nomen pauperis Christi, cuius regnum non de hoc mundo, sed de cælo est. Nimirum frustra decipieris, dicens in corde tuo, quis detrahet me in terram. Denique si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde te detraham dicit dominus. Exaltare nunc vt aquila, & inter sydera pone nidum tuum. Verbi gratia, dicendo, Nos ex fornicatione nõ sumus nati, vnum patrem habemus Deum, qui volatus animi superbiẽtis nimis est altus: ego verò inde te detraham, falsum cõprobando & conuincendo, quòd non Deus pater tuus sit, sed ex patre diabolo tu sis, cuius desideria facere voluisti. Sequitur: [Si fures introissent ad te, si latrones per noctẽ, quomodo cõticuisses? Nõne furati essent sufficiẽtia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, Nunquid nõ saltẽ racemos reliquissent tibi? Quomodo scrutati sunt

2. Cor. 5.
Paruulus hic, id est, inuidus.
Iob 5.
Gen. 4.
Petra Iudæorum, caro Abrahæ.
Ioan. 8.
Scissuræ illius petræ.
Gen. 25.
Ioan. 19.
Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt Esau, inuestigauerunt abscódita eius?] Grauissima irrisio, dicere illi, cuius omnia fures scrutati sunt, & abscondita quoque inuestigauerunt, si fures introissent ad te, quomodo conticuisses? Quisnam ita debet irrideri, nisi is qui valdè est contemptibilis, ita vanus, vt cum à furibus dormiens omninò spoliatus sit, hocipsum adhuc nesciens quia dormiuit, iactitet quòd prouidus sit, & furis aduentum toto prius mense olfacere possit? Vt manifestior sit huiusce irrisionis modus, exemplum vndecunque sumamus. Ethnicus in fabula Terentiana, dum contra fratrem stomachatur, eo quòd filium perdat, sinendo illũ amoribus vacare, taliter à seruo irridetur. Tu (inquit) quãtus quantus, nil nisi sapientia es. Ille futilis omniũ, Sineres verò illum tuũ facere hæc? ille respondens ait: Sinerem illum? An non sex totis mensibus prius olfeciſſem, quàm ille quicquam inciperet? Et seruus pertinaciter deludens, vigilantiam (inquit) tuam tu mihi narras? Tanquam diceret. Non opus est vt mihi narres, noui enim quia filius à te vigilanter custoditus est hactenus, ne amaret. At ille videlicet filius, quem pater vanus tantopere se custodisse iactitabat, amori cuiusdã psaltriæ totus deditus erat, sed amoris famam alius in se transtulerat. Sed omissis iam nugacib. exemplis, veniamus ad rem, ac demonstremus, qui fures quive latrones ad istum Edom introierunt. In psal. gẽtes omnes iussæ prandere manibus, & iubilare deo in voce exultationis. elegit nobis (aiunt) hereditatem suam, speciẽ Iacob quẽ dilexit. Hæc dicendo spiritus sanctus ad historiam mittit nos. Sicut enim Esau siue Edom qui prior natus erat, à Deo reprobatus est, & Iacob dilectus. sic Israeliticus populus, qui prius quadam familiaritate Deo acceptus erat, postmodum reiectus est, Gẽtes verò, quæ nullam eius cognitionem prius habuerant, eius benedictionem receperũt. Nimirum illic Iacob, & hic gentes rectè fures dicuntur, non pro suo vitio, sed pro illius, siue illorũ improperio, quibus in mortifera negligentia dormientibus primitiua sublata sunt. Quis enim, vt interim secundum historiã dicamus, Rebeccam & Iacob fures in illo facto dicere dubitet, præsertim cum dicat ipse Isaac pater, venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionẽ tuam? Eadem ratiõe Iacob dicatur fur, qua dicitur fraudulẽtus. Amplius dicimus, quia dominus ipse furi sese assimilat, dicendo, Si ergo non vigilaueris, veniam ad te cito tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Notum vtiq; est, quia sic dicitur, non in reprehensionem venientis, sed in subsannationem dormientis. Itaq; & quando (sicut iam dictum est) venit germanus fraudulenter, & accepit benedictionẽ, conscia & cooperante matre Rebecca, tunc fures introierunt ad Edom, & quando contingẽte in Israel cęcitate, subintrans plenitudo gentium tulit neglectam à Iudæis benedictionem, id est, Christum, nihilominus, imò per amplius fures introierunt, imò introire non desinũt ad Edom. Diximus de furibus, de latronibus quid dicemus? Siquidem vtrunq; dixit, si fures introissent ad te, & si latrones, per noctem. Nomẽ latronis nusquam in scriptu ris recolimus similitudinem gerere alicui⁹ boni. Nam furi quidem (vt iam dictum est) dominus sese assimilauit, latroni autẽ nunquam, vel ipse, vel pius aliquis assimilari debuit, cũ sit nomen crudelitatis. Ergo gentes in Christum credentes, & credendo incredulum & crudelem Edom, scilicet Iudaicum populũ supplantãtes, fures fuerũt, sicut Iacob, qui vt benedictiõem acciperet, fraudulenter venit. latrones autem scribæ & pharisæi, qui latrocinando suam exercentes auaritiam, animas trucidauerunt eiusdẽ populi. Nam reuera si latrones nõ fuissent, nequaquam dominus præmisso, quia scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur, diceret in eos, vos autem feciſtis eã speluncam latronum. Nonne illic pro latrocinando in templo & agẽdo prædam de populo, ad hoc peruenerunt, vt animas illorũ trucidarent suadendo, vt Christum interficerent? Nonne hoc suadendo, introierunt latrones per noctem? Obduxerũt enim miseris nimiam deceptionis caliginem, ita vt cum essent latrones, viderentur esse consultores. Dixerunt etenim, Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Ad hæc vnus ex ipsis, Caiphas, pontifex illius anni. Vos, inquit, nescitis quicquã, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo, & non tota gens pereat. O suauissimum consultorem, crudelissimum latronem. Ad hæc conticuit ille Edom. i. acquieuit sequens crudele cõsilium. Nam ab illo die cogitauerunt, vt interficerent dominum Iesum. Rectè igitur cum irrisiõe, & ioco amarissimo dicetur in eũ. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Hoc enim amarius dicitur, & acerbius sonat, quã si diceretur admirando, dum fures introirẽt ad te, dum latrones per noctem, quomodo conticuisti? Item quod sequitur, nonne furati essent sufficientia sibi, multo vehemẽtiùs eundẽ Edõ percutit, quã si ita diceretur, furati sunt sufficiẽtia sibi. Hoc de gentibus supradictis Iudæos supplantãtibus, secundum typum qui in Iacob præcesit. Rectè dicat spiritus propheticus, quia furati sunt sufficientia sibi. i. ea tantum tulerunt Iudæis, quæ ad salutem sufficiant sibi. Neq; enim holocaustomata arietum, & adipem pinguium, & sanguinẽ vitulorũ & agnorum & hircorum, neque neomeniam & sabbatum, & festiuitates alias, & Kalendas,

In Adelph

Psalm. 46.

Iacob et gẽtes quomodo dicũtur fures.

Gen. 27.

Apoc. 3.

Rom. 11.

Matt. 21.

Ioan. 11.

Latrones scribæ, & pharisæi.

Furati sũt sufficientia sibi.

Philip. 3.

das, cęteraſq; carnales cæremonias fures isti furari dignati sunt, imò respuerũt & arbitrati sunt vt stercora, sufficere sibi credẽtes fidem & iustitiam, secundum quod sancti apostoli scripserunt eis: Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, & ea quæ vobis fieri non vultis, alij ne feceritis. A quibus custodientes vos benè agetis. Nimirũ tale hoc est, quale vineã introire, & racemos diligenter colligendo, sola folia relinquere. Idcirco conuenienter adhuc proloquens, si vindemiatores (inquit) introissent ad te, nunquid non saltem racemum reliquissent tibi? Denique vineam domini fuisse Israeliticam gentem, passim scriptura cõcinit. Exempli gratia illud in Esaia, Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto in cornu, filio olei, & sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit eam electam, & cætera vsque, vinea enim domini exercituum domus Israel est. Nunquam sic à vindemiatoribus demissa fuit alicuius hominis vinea insensibilis, quo modo ista domini vinea viuens & sensibilis despoliata est à furibus istis. Vindemiatores quippe quamuis diligentes sint, nonnũquam saltem racemum inter folia latentem relinquunt. At verò fures isti sæpedicti, scilicet gentiles ad fidem vocati, & vineam legis & prophetarum ingressi, totum rapuerunt, nihilq; præter folia literę occidentis requirunt illi tacenti & dormienti Edom. Nullum omninò iam habent reliquum viuificantis spiritus racemum. Inde admirando percunctans, & percunctando admirans dicit. Quomodo perscrutati sunt Esau, inuestigauerunt abscondita eius, subauditur, fures isti, qui ad eum introierunt? Quæ autem erant abscondita illius, videlicet Iudaici populi, qui (vt sæpè iam dictum est) nomine & operibus prefiguratus est Edom siue Esau? Quæ (inquam) erant illius abscondita, nisi spiritualia legis & prophetarum sacramenta, qualia congruè significari poterunt vestibus Esau valdè bonis, quas apud se Rebecca domi habebat? Multum scrutati sunt, miro modo abscondita Esau fures isti inuestigauerunt, quando legem & prophetas spiritualiter intelligentes, pelliculis quoq; hœdorum manus & colli nuda protexerunt, id est, priorum operum veterisque superbiæ manifestam confessionem facientes, pœnitentiam egerunt. Ista sunt abscondita Esau, ista sunt valde bona vestimenta eius, quæ Apostolus commemorãs, quorum (inquit) adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Hæc omnia scrutati sunt, & inuestigauerunt, & ad semetipsos transtulerunt. Sequitur. [Vsque ad terminum emiserunt te omnes viri fœderis tui, illuserunt tibi, inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ, qui comedunt tecum, ponent insidias super te.] Grandis reatus extitit huic Edom, quòd multos fœderatos habuit, grandis offensio carnali Israeli, quod toties cum profanis gentibus fœdus pepigit, prohibente dominõ in lege, ac dicente: Nõ inibis fœdus cum eis, neque sociabis cum eis coniugia, quia seducent filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis, irascetur que furor meus, & delebit te cito. ita factum est. Commixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scãdalum. Hoc faciendo & perseuerando, ad hoc vsque peruenerunt, vt Romanæ gentis imperio nimis vltronei se ingerentes atque dicentes, non habemus regem, nisi Cæsarem, Christum Dei filium regem suum crucifigerent. Multi per diuersa temporum curricula taliter fœderati fuerunt huius Edom, quibus dum similis esse contendit, prophetas & ipsum dominum prophetarum occidit. Porrò illusores veraciter, falso autem viri pacis, de quibus nuncait, illuserunt tibi, inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ, qui comedunt tecum ponent insidias super te, sacerdotes fuerunt, maximeque Annas & Caiphas, qui multo pernicio⁹ius illi populo illuserunt, suadendo, vt peterent dimitti sibi Barrabam, & crucifigi Christum, quàm olim illuserant Hierobo-am & sacerdotes eius, faciendo vitulos aureos vt illos colerent, & regem suum Dauid derelinquerent, ostendentes vitulorum pulchras effigies, ac dicentes, isti sunt dij tui Israel. Comedebant enim cum illo infelici Edom, & suam de illo explebant auaritiam, & vt liceret eis comedere prædamque de populo facere, idcirco sic illuserunt, idcirco insidias super eum posuerunt. Illusorum maximus iam dictus extitit illusor Caiphas. Expedit (inquiens) vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & nõ tota gens pereat. Notanda interim diligenter dictionis huiusce qualitas, quia non dixit: insidias ponent sub te vel contra te, sed insidias (inquit) ponent super te. Nimirum satis edici non potest, quàm nequissima sit illusio, quàm pertinaces in illudendo insidiæ, quando is qui suadet vt decipiatur, cũ calliditate suasionis magnitudinem quoq; habet potestatis, sicut habuit idẽ Caiphas & principes alij, qui suaserunt turbis. Superbia etenim plebe superiores, scelerato populo erant sceleratiores, ad suadendũ callidi, & ad prouocandum factiosi. Idcirco contra illos spiritus propheticus per Esa. dicit, Propter hoc audite verbũ domini viri illusores, qui domina-

Act. 15.

Esaiæ 5.

Iudæis in vinea solum folia relicta sunt.

Rom. 9.

Abscondita Esau.

Exod. 32.

Daniel. 7.

Psal. 105.

Viri pacis tuæ Annas et Caiphas.

3. Reg. 12.

Ioan. 11.

Esaiæ 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominamini ſuper populum meum qui eſt in Hieruſalem. Dixiſtis enim, Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, &c. Huiuſmodi fœderati, ſiue viri pacis vſque ad terminum emiſerunt te. Cuius vſque ad rei terminum illum emiſerũt? Nimirum vſque ad terminum benedictionis, extra terminos promiſsionis, quę ad Abraham facta eſt ſecundum hæc verba. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, & in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Extra terminos illius tantæ hæreditatis viri fœderati, viri illuſores illum emiſerunt, quia videlicet iniqua confœderatio illorum cauſa exti tit, vt emitteretur extra tantum videlicet bonum, nec reputaretur in ſemine, quia nõ erat ex fide. Nonne illum priorem Edom, ſiue Eſau tali cauſa emiſit vſquè ad terminum, vt non ſequeretur benedictionem, vt nõ remaneret intra terminos hęreditas, quã illi tanquam primogenito pater Iſaac præſcribere deliberat? Nam quia fœderatos habere voluit homines ſeculi, idcirco extermi natus eſt extra fines ſupernæ benedictionis. Sic enim ſcriptum eſt, Eſau verò quadrage narius duxit vxores Iudith filiam Beheri Aethei, & Beſamath filiam Elom eiuſdem loci, quæ ambæ offenderant animum Rebeccę. Nonne offenſus animus Rebeccę indignum iudicauit filium benedictione, qui ſicut prius primogenita ſua propter eſcam vendiderat, ſic & poſtmodum vxores ducens alienigenas concupiſcentiæ ſeruiuit, quia benedictionem ſeminis Abrahæ contempſit? Nominatus quippe eſſe, & in terra roborari appetens, peccatorum ſe affinitatibus immerſit, ſuper quibus præcauens Abraham, ſeruum fidelem aſtrinxerat iuramento, vt non accipias (inquiens) vxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito. Sed nec illud prætereundum, quod videſ idem Eſau, quod pater ſuus benediſſet Iacob, probans quoque quod non libenter aſpiceret filias Chanaan pater ſuus, fugit ad Iſmahelem & duxit vxorem abſq; his quas prius habebat Malalehel filiam Iſmahel filij Abraham ſororem Nabaioth. Nimirum hoc erat illi magis ac magis vſq; ad terminum emitti & foras eijci, quod ejecto Iſmaheli taliter ſe conſociauit. Sic enim Sara locuta fuerat, Eijce ancillam & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillę cum filio meo Iſaac, & ſic factum fuerat. Secundum hanc ſimilitudinem (vt iam diximus) propter fœderatos ſuos accidiſſe carnali Iſraeli Apoſtolus teſtis eſt, qui ad Galat. ſcribens, Sed quomodo inquit) tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum, ita & nũc. Sed quid dicit ſcriptura? Eijce ancillã & filiũ eius. Non enim erit hęres filius ancillę cum filio liberæ. Nimirum & Iſmahel & Eſau, qui ſecundum carnem nati, perſecuti ſunt Iſaac & Iacob, qui nati ſunt ſecundum ſpiritum, typum prætulerunt carnalium Iudęorum, qui ſpiritualem Iſmahelem perſequi & occidere nõ deſtiterũt, donec ipſi emitterentur, vt iam dictum eſt, vſq; ad terminũ. Sequitur. [Non eſt prudentia in eo, Nunquid non in die illa, dicit dominus, perdam ſapientes ex Idumæa, & prudentiã de monte Eſau? Et timebunt fortes tui à meridie, vt intereat vir de monte Eſau. Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrẽ tuum Iacob operiet te confuſio, & peribis in æternum.] Cum adipſum Edom fieret ſermo propheticus vſque ad hunc locũ, qui comedunt tecum, ponent inſidias ſuper te, auditorem quoque attentum eſſe, & in admirationem excitari volẽs ſuper his quæ dicebantur, repentè conuerſus dicit de eodem Edom. Non eſt prudentia in eo. Verè non eſt in eo prudentia, qui iam dictas ſuperſe poſitas nõ cauit inſidias, ſed fauit inſidiantibus, ſicut improuidus, bona ergo nõ eſt in eo prudentia. Cęterùm iam dicti inſidiatores eius malè prudentes fuerunt, ſicut in eoſdem per alium prophetã dictum eſt, Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Item, Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſciunt. Cum igitur dixiſſet, non eſt prudentia in eo, quoniam eſt prudentia ſiue ſapientia quædam nõ bona, quæ rectius dicitur malitia, continuò ſubiunxit, Nunquid non in die illa, dicit dominus, perdam ſapientes ex Idumæa de monte Eſau? Deinde ſapientia ſiue prudentia, quæ meritò perdẽda iudicatur, malitia ſiue ſtultitia eſt. Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Hoc apud beatum Iob ſcriptum eſt, Cuius ſcripturæ cum meminiſſet Apoſtolus, continuò dixit, Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? & in alio loco dicit, Nam prudentia carnis mors eſt. Item, Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo. Hæcidcirco dicta ſint, quoniam alia prudentia eſt, quam conqueritur non eſſe in illo Edom ſcilicet bona, & alia quam ſe prodituram eſſe dicit de monte, id eſt, de ſuperbia eius, ſcilicet mala, quæ verò nomine dicitur malitia. Simul notandum, quòd cũ dicit, nunquid non in illa die perdam ſapiẽtes ex Idumæa, de futuro tempore ſeſe vãticinari ſatis indicat, quamuis hactenus veris præteriti temporis vſus fuerit. Ecce videmus, ecce mirantes legimus, legentes miramur in hiſtorijs plus quàm tragicis, quã terribiliter ſemetipſos iudicio domini perdiderunt ſapientes & prudentes illi, id eſt, malitioſi, qui ſecundum exemplum Eſau fratrem ſuum ſimplicem Iacob odientes illos, qui verè ſapientes erant & prophetæ, perſecuti ſunt & occiderunt, tandemq; ipſũ dominum, fratrem ſuum ſecundum carnẽ effectum,

Gen. 22.
Vxores Eſau. Gen. 26.
Gen. 24.
Gen. 36.
Gen. 21.
Galat. 4.
Eſaiæ 5.
Hie. 4.
Duplex prudentia.
Eſaiæ 29.
1. Cor. 1.
Iaco. 3.
Rom. 8.
Hiſtoria de Iudæis plus quàm tragica.
Matt. 22.

effectum, diu tentantes, vt eum caperent in ſermone, ad vltimum tale conſilium ſapiẽtiæ ſuæ reppererunt, vt eum ſuſpenderent in ligno, maledictũ illum eſſe volentes propter hoc. Sciebant enim prauè ſapientes, & peruersè prudentes, ſcriptum eſſe in lege, quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno. Veruntamen vbi ſcriptum hoc eſt, ſi verè ſaperent, ſi verè prudentes eſſent, illud quoque ſapuiſſent, quia maledictum non facit pœna, ſed culpa. Proinde ipſam legis ſententiam ponere non pigeat. Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti, appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram, quam dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſsionem. Non tantum dixit, quando appenſus fuerit homo in patibulo, quod pœna eſt, ſed etiam præmiſit culpam, quando peccauerit homo quod morte plectẽdum eſt. Hoc illi ſapientes & prudentes non viderunt, aut videre voluerunt, quia nimirum non erat illorum ſapientia quę illuminat, ſed malitia, quæ excæcat, ſicut ſcriptum eſt. Hæc cogitauerunt & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei. Perdam igitur (inquit) in illa die ſapientes & prudẽtiam de monte Eſau, id eſt, Iudæos terrena ſapientes, & ſecundum ſimilitudinem Eſau ſuperbientes condemnabo ſicut Eſau, vt comprobentur inſipientes, nõ vtcunque, ſed ita vt ferre non poſsint lumẽ ſapientiæ. Nam hoc eſt, quod rurſus ad ipſum conuerſus ſermo propheticus, & timebunt fortes tui à meridie, vt intereat vir de monte Eſau. Meridies hoc tempus gratiæ eſt, ex quo ſol iuſtitiæ Chriſtus in altum aſcendit, ſuæque diuinitatis radios, id eſt, ſpiritus ſancti dona diffundens, mundum illuminauit, & calefecit. Vndè Pſalmiſta, In ſole inquit poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquã ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gigas ad currendã viam, à ſummo cęlo egreſsio eius. Et occurſus eius vſq; ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Ab iſto meridie ſic timent fortes huius Eſau, vt prefiguratum eſt, quando ſplendida facta facie Moyſi ex cõfortio ſermonis Dei, videntes Aaron & filij eius, timuerunt prope accedere. Sic (inquã) timent iſti fortes, id eſt, luminis rebelles, de qualib. in pſalmo ſcriptum eſt, Et irruerunt in me fortes. Timor eorum malignus eſt, vtpote qui ex inuidentia procedit. Inuident enim claritati ſolis huius æterni, & quicquid de gloria eius audiuit, contra ſe putant dictum, qui talem extinguere voluerunt. Inde fit, vt intereat vir de monte huius Eſau, qui dum lumen refugiunt, eunt in interitũ viri in ſuis viribus confidentes, in monte ſuperbiæ caput attollentes, nec iam dici merẽtur viri, ſed potius mulieres, iuxta quod in Eſa. dicit idem dominus, populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eius. Peccatum huius Eſau manifeſtius ſermo propheticus exprimit, cum protinus dicit, propter interfectionẽ & iniquitatẽ in fratrẽ ſuum Iacob, & peribis in ęternum. Si ad illas tantum modo duas reſpicimus perſonas, quæ proprijs nominib. iſtis priores nuncupatæ ſunt Iacob & Eſau, litera non ſtabit, quia videlicet Eſau fratrem ſuum Iacob odio quidem habuit, ſed non etiam interfecit. Atverò de carnalibus filijs Iſrael, ſiue Iudæis notum nimis eſt, quia fratres ſuos prophetas domini, & ipſum dominum ſecundum carnem fratrem ſuum interfecerunt, & propter hoc confuſio operuit eos, & peremit in æternum. Non tantùm quia interfecerunt, ſed quia inſurgentem credere noluerunt. Valdè quippe notandum eſt, quod non dixit hoc ſolum propter interfectionem, ſed addidit & propter iniquitatem in fratrem tuum. Nulli deniq; nociuiſſet ſcelus interfectionis, ſi non perſeueraſſet & iniquitas incredulitatis. Igitur (vt ſæpè dictum eſt) hoc nomen Eſau, ſiue Edom cũctos ſignificat imitatores illius primi, & nomen Iacob cunctos illius ſequaces, quem ille odio habuit Cuncta quę in iſtum crudelem Edom hæc prophetia declamat ventura, concedit Pſalmiſta vt fiant, quia iuſtum eſt, dum voce imprecãtis dicit, Memor eſto domine filiorũ Edom in die Hieruſalem, qui dicunt, exinanite exinanite, vſque ad fundamentum in ea. i. qui ſemetipſos inuicem cohortantes atq; inflammantes in odium eorum, quia cæleſtia ſapiunt, dicunt, Euacuate & auferte illa quę ſunt nobis, vel moribus noſtris cõtraria, & hoc vſque ad fundamentum. i. vſque ad finem, vt omnes cedant in morem noſtrum. Hoc eſt, quod illi improperat ſermo preſens, cum protinus ſubditur, [In die cum ſtares aduersum eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & ſuper Hieruſalem mittebant ſortẽ, tu quoq; eras quaſi vnus ex eis.] Regnantibus Achab in Samaria, & Ioſaphat in Hieruſalem, quo tempore hic Abdias abſconditus prophetas domini pauerat, tale quid feciſſe legimus hunc Edom. Congregati nãque ſunt filij Edom cum filijs Moab, & filijs Ammon, vt pugnarent contra Ioſaphat. Veruntamen tunc neq; cœperunt exercitũ eius vt voluerunt, neq; ingreſsi ſunt portas Hieruſalem. Nanq; orante Ioſaphat, ac dicente, Nunc igitur domine ecce filij Ammõ & Moab, & mons Seyr nituntur eijcere nos de poſſeſsione, quã tradidiſti nobis. factoq; ſermone domini ſuper Ihazihel filium Zacharię leuitam dicentem, O Iuda & Hieruſalem nolite timere, cras egredimini, & dominus

Lex de pendente in ligno.
Iudæi imitati ſunt Eſau.
Eſaiæ 3.
Meridies tempus gratiæ.
Pſalm. 18.
Exod. 34.
Pſalm. 58.
Pſal. 136.
3. Reg. 18.
2. Para. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus erit vobiscum, filij Ammō & Moab consurrexerunt aduersum habitatores mō tis Seyr, vt interficerent, & delerent eos. Cumq; hoc opere perpetrassent etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus. Itaq; veraciter quidem, quando capiebant alieni exercitum Hierusalem, siue capere volebant, alieni (inquam) & extranei, scilicet filij Moab & Ammon. Edom qui & Seyr erat, quasi vnus ex eis, sed (sicut iam dictum est) neq; ceperunt, neque ingressi sunt portas Hierusalem.

Proinde totam visionem hanc propheticam quoniam spiritualis est, spiritualiter (vt cœptum est) persequamur, quia (sicut sæpè iam dictum est) carnalis Israel spiritalem perseq̃ns fratrem suum Israelem, & prophetas domini occides, ipse est Edom. Et reuera quandocunq; ceperunt alieni exercitum eorum qui veraciter Israelitæ fuerunt vel sunt, quādocunq; extranei ingressi portam super Hierusalem mittebant sortem, ipse Israel carnalis erat quasi vnus ex eis, imò peior atq; infestior quàm vnus quilibet ex eis. Primùm circa ipsa tempora, quibus iste prophetauit, alieni. i. Syri præliabātur aduersus Israel, regibus Benadab & Azahel, sed multò sceleratius agebant intra ipsum Israel ipsi qui spiritualiter dici merētur filij Edom. Domine (inquit Helias) prophetas tuos occiderunt, & altaria tua destruxerunt, & relictus sum ego solus, & quærūt animam meam. Deinde vsque ad euangelica tempora, quotiescunq; alieni siue extranei ceperunt, siue ingressi sunt portas Hierusalem, videlicet quando venerunt Babylonij, & post illos Antiochus, & portas eius non solum ingressi sunt, verumetiam propter testamentum Dei perseuerantes, multos occiderunt, viri iniqui ex ipso Israel extiterunt, qui amplius quàm gentiles pernicioſi fratribus fuerunt. Testis est tribulatio Hieremiæ, quem Babylonij seruauerunt, & suæ gentis homines tribulauerunt, testis Machabæorum afflictio, quibus viri iniqui ex Israel, maximeq; impius Alchimus, amplius quàm Græcorum aliquis nocuerunt. Post hæc tam sacra euangelia, quàm apostolorum actus testantur, quàm verisimè dictum sit contra istum Edom. i. carnalem Iudæum, tu quoq; eras quasi vnus ex eis, scilicet alienis siue extraneis gētibus, quibus & Christum tradidit ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & Christi discipulos vbiq; odiosos facere contendit, seditiones concitando, & turbas inflammando quocunq; ibant prædicantes Christi euangelium. Fecerunt etenim hoc Iudæi tandiu, quàm diu licuit eis, quàm diu gens & locus eorum stetit. At verò diuinitas prouida (sicut alibi scriptum est) præcauens in futurū, deleuit eos, & exterminauit per excidium Romanorum, & desolatę sunt ciuitates eorum absq; habitatore, & domus sine homine, & terra derelicta est deserta, vt auferretur eis vocandi & sæuiendi facultas, quibus esset pertinax & insatiabilis voluntas. Hoc certissimum habens in isto propheta spiritus veritatis, protinus constantissimè dicit. [Et nō despicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius. Et non lætaberis super filios Iuda, in die perditionis eorum, & non magnificabis os tuum, in die angustiæ, neq; ingredieris portam populi mei, in die ruinę eorum, neq; despicies, & tu in malis eius, in die vastitatis illius, & non emitteris aduersum exercitum eius in die vastitatis illius, neq; stabis in exitibus vt interficias eos qui fugerint, & non claudes reliquos eius in die tribulationis.] Ad illud quod paulo ante dixerat, propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, & peribis in æternum, coniungitur, & non despicies in die fratris tui. Mirō autem modo hæc omnia, quæ nequissima sunt, iste Edom fecisse affirmatur, cum facturus esse negatur. Quid enim nequius, peregrinum, non qualemcunq;, sed peregrinum fratrem suum despicere in die peregrinationis eius. Lætari in perditione eius, magnificare os in angustia eius, ingredi portas eius subsiliendo in ruinas eius, despicere eū in malis eius, stare in exitibus vt fugientem interficiat, siue claudat reliquos eius. Cum sapientiæ sit edictum, super inimici sine odientis ruina non esse gaudendum, quis nō videat, quàm veraciter supra sit dictum, nō est prudentia in eo, qui talem contra fratrē gerit animum? Igitur versa vice insultet illis, qui in prophetis loquitur spiritus sanct⁹, irrideat eum, & subsannet qui habitat in cęlis dominus, dicens: Et non despicies, nō lętaberis, non magnificabis os tuum, &c. Quē enim despicere potest hic Edom, id est terrenus, scilicet Iudæus, qui tam despicabilis est in toto orbe, sicut eidem supra dictum est, ecce paruulum te dedi in gentibus, contemptibilis tu es valde. Perdidit locum & gentem, quem si non perdidisset, despicere, & os suum magnificare, imò & interficere non desisteret, sed vtiq; captiuus est. Nunc diligenter animaduertendū, quot vel quantis nominibus, cū dixisset in die fratris tui, diem eundem descripsit & illustrauit. Septē quippe dies vni diei subordinauit, dū præmisso, non despicies in die fratris tui, subiūgit, in die peregrinationis eius, in die perditiōis, in die angustiæ, in die ruinæ, in die vastitatis, itemque in die vastitatis, in die tribulationis. Nimirum septenario numero multitudinem cūctarum significat miseriarum siue tribulationum, quas sustinet frater ille simplex & lenis, siue mitis, & humilis corde, quicunq; viuit secundū exemplū Christi, quicunque viuit in hoc die vel tempore peregrinus in præsenti sęculo, quod septem diebus

Carnalis Israel spiritualē semper vt extraneus persecutus est.

2. Reg. 19.

Hie. 38. 39.

1. Mach. 7.
2. Mac. 14.

Act. 13.

Prouer. 24

Nequissima Edom, contra fratrem suum

Septem nō minus vnius diei.

diebus voluitur. Hunc eundem numerum tribulatiōum apud beatum Iob legimus: In sex (inquit) tribulationibus liberabit te, & in septima tanget te malū. Septenario quippe (vt iam dictum est) numero, tribulationū significatur vniuersitas, quas in hoc sæculo sancti patiuntur, quarum septima, id est, vltima cuiusq; electi tribulatio certam consolationem habet, sicut in conditione sæculi septimus dies vesperam non habet. Diem igitur fratris quē Edom persequitur, septiformiter distinctum legentes, non frustra factum arbitremur, qui ciuitatem hic manē tem non habens peregrinatur, qui animam suam perdit propter Deū, siue propter Christum, vt inueniat eam qui angustiatur, spem habens, quia stabit in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, qui ruinā patiens præsentium bonorum, patienter sustinet, propter spem futurorum, qui despicabilis videtur, in vastitate sua, errando in solitudinibus, in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ, vt testimonio fidei probatus inueniatur, qui item vastitate quadā destitutus videtur, dum occiditur, & reipiciens ad dexteram siue ad sinistram, & non inuenit à quo defendatur, qui fugit, & non inuenit qui occurrat, vel apud quē posit latere securus. Poterat dicere, sed & talis dies fratris tui, dies peregrinatiōis eius, dies perditionis, quæ vera tibi videtur perditio, dum perdit animam suam, vt inueniat eam, non diu permanebis. Hoc (inquam) dicere poterat, & quamuis non dixerit, tamē subaudiendum est. Sequitur enim. [Quoniam iuxtà est dies domini super omnes gentes.] Hic quoq; cum dicit, super omnes gentes, subaudiendum est, & primùm super te. Nā protinus sequitur [Sicut feciſti, sic fiet tibi, retributionē tuam conuertet in caput tuum.] Ac si dicat: Interim antequam finiatur dies peregrinatiōis fratris tui, antequam veniat super oēs gētes ille magn⁹ dies domini, scilicet dies iudicij, tu hic in isto sęculo vindictā recipies publicam, audientibus, vidētibus, atq; admirantibus gētibus cunctis, vt despicere iam non possis, imò despicabilis sis, & omni populo Christiano peregrinātę, & angustiam patiente, licet claudatur & interficiatur, valdè contemptibilior sis. Post hanc priuatam atq; propriam portionem tuam, communem sortieris vindictam cum gentibus cæteris in illa (quæ iuxtà est) die domini, die iudicij, die amara, die tribulationis & angustiæ, die calamitatis & miseriæ, die tenebrarum & caliginis, die nebulæ & turbinis, die tubæ & clāgoris, sicut propheta Sophonias dicit: Quibus ex enunciationibus illius diei tam terrificis, præcedentem coniungas, qua dicit, vox diei domini amara tribulabitur ibi fortis, ecce totidem vicibus, id est, septies declamatam habes diem vindicis domini in consolationem huius fratris, cuius diem, in quo tribulatur, septies ille declamauit. Quapropter quoniam iste, de quo loquimur, Edom & primum singularem, siue priuatam perpessurus erat vltionem à gentib. Romanis, & deinde vniuersalem cum cęteris gentibus in die iudicij, pulchrè sic dictū est, sicut feciſti, sic fiet tibi, & deinde repetitum, tribulationem tuam conuertet in caput tuum. Quid enim est dicere, sicut feciſti sic fiet tibi, nisi secundum merita tua retribuetur tibi? Attamē addidit retributionem tuam, conuertet in caput tuum, quia videlicet huius Edom terreni & sanguinoléti, qui Christū & Christi prophetas occidit, duplex est retributio, duplex contritio, secundum quam & alium prophetam, qui cū dixisset, Induc super eos formidinem, subauditur, qua formidauerunt dicentes, ne fortè veniant Romani, & tollant nostrum & locum & gentem, vt fiat eis sicut formidauerunt, nō contentus hac sola retributione, & ęternam adhuc intendens eisdē incredulis, atq; impœnitentibus, & duplici (inquit) contritione contere eos domine Deus meus. Hoc dicto ad istum Edom, conuertitur ad eos, de quibus & propter quos loquebatur, qui primū ab isto, & deinde à cæteris gentibus tribulantur, & dicit eis, confirmando quod dixerat in consolatione eorum, quoniam iuxtà est dies domini super omnes gentes. [Quomodo.n.bibisti super montē sanctum meū, bibent omnes gentes iugiter, & bibēt, & absorbebunt, & erunt quasi non sint.] Hæc si adhuc ad ipsum Edom dicuntur, hunc sensum habent. Sicut enim super montem sanctum meum Syon bibisti atq; in perditiōe, siue ruina filiorum Iuda lætatus es: sic omnes gentes versæ contra te bibent, & de malis tuis satiabūtur. Si autem ad ipsos, qui (vt supra dictū est) tribulantur ab impijs in hoc sæculo, in consolationem ipsorum dicta intelligere malumus, sensui nostro succurrit illud ex Esa. Eleuare (inquit) eleuare, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu domini calicem iræ eius, & vsq; ad fundum calicem soporis bibisti, & potasti vsq; ad feces. Et subinde, Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ. Non adijcies, vt bibas illum vltra, & non ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerūt. Igitur quomodo bibistis vos omnes, quorum de perditione inimici lætati sunt, siue tu frater qui despiceris, qui & diceris Hierusalē. Hęc est vniuersa generatio quærentium dominum, quomodo (inquam) bibisti, permittente Deo affligi, sic bibent omnes gentes persecutrices, equam, imò duplā computationis vicissitudinem recipientes, sicut in Apoc. prænunciatur contra Babylonē, quæ istarum gentium vniuersitas est. Reddite illi, sicut ipse reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius in poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplū.

Iob 5.

Hebr. 11.
Ioan. 12.
Sapient. 5.

Duplex retributio & contritio Iu daīs debetur.

Hier. 17.

Sophon. 1.

Esaiæ 51.

Apoc. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bene ergo cum dixisset hic, quomodo bibistis super montem sanctum meum. i. persequutionem passi estis propter nomen meũ, bibent omnes gẽtes addidit iugiter, quia videlicet non tam de retributione temporali, quàm de æterna sermo est, & hoc ipsum repetitur atq; amplificatur, dicendo, bibent, & absorbebunt, & erunt quasi non sint. Duplum enim (vt iam dictum est) miscebitur illis, quia videlicet durum & amarum sanctis poculum miscuerunt, veruntamen tantùm corpus occiderunt. Ipsis autem ita miscebitur, vt & corpus & anima mittantur in gehennam. Ita non quomodocunq; bibẽt, sed totum damnationis iudicium (quod est in calice iræ domini) ore patulo & grãdi absorbebunt vsq; ad fundum. Cum hoc euenerit, tunc erunt quasi non sint. Erunt enim per substantiam quidem, sed non erunt per vllam possibilitatem. Nam persequi vltra nõ poterunt, regno Dei nullum facient scandalum. Econtra, sanctorum vera & felix erit
"essentia. Vnde protinus sequitur. [Et in mõ
"te Syon erit saluatio, & erit sanctus.] Mons
Psalm. 86. Syon illa gloriosa est ciuitas Hierusalem cẽ
lestis, de qua Dauid. Fundamenta eius (inquit) in montibus sanctis, gloriosa dicta sũt
de te ciuitas Dei. In illa Syon erit saluatio, &
erit sanctus, ipse videlicet Christus, quia est
salus & saluator eius. Quomodo erit in ea
iste sanctus? Multum benè, multum feliciter, quia permanebit in sempiternum parti
ceps naturæ eius, qui est conditor huius fun-
Psalm. 121. dator eius, sicut in psalmo memorato scri-
Exod. 3. ptum est, Et homo natus est in ea. Et ipse fundauit eã altissimus. Illud est saluatoris Syon
eius incommutabilitas erit, quia videlicet &
de ipsa ciuitate Syon, siue Hierusalem alibi
scriptum est, Cuius participatio eius in idipsum. & ipse sanctꝰ dicit, Ego sum qui sum.
Aduersa nimirum hæc est oppositio, quia
gentes sic erunt quasi non sint. Sanctus autẽ
erit, & saluatio ciuitas eius erit, tali essentia
quæ nullis casib. subiacebit, nullum finem
"habebit. [Et possidebit domus Iacob eos, q̃
"se possederant. Et erit domus Iacob ignis,
"& domus Ioseph flamma, & domꝰ Esau sti-
"pula, & succendentur in eis, & deuorabunt
"eos. & non erũt reliquiæ domus Esau, quia
"dominus locutus est.] Mira inuectione sermo propheticus nomẽ Esau, qui & Edom,
persequitur. Prius cõtra illum loquebatur,
Edom nomen pessimũ habet in scripturis. & paulisper cæterarum quoq; pronunciata
damnatione gentium, rursus nunc in illum
inuehitur. Malæ nimis memoriæ & in scripturis sanctis hoc nomẽ Edom, plus quàm
alicuius cæterarum gentium. Exempli gratia, in psal. cũ dicit Dauid, super flumina Ba
Psal 136. bylonis illic sedimus & fleuimus, per Babylonem gentes omnes volens intelligi, quarum in medio omnes sancti ciues regni Dei,
dum in corpore viuunt, tenentur captiui,
quid tibi acerbius sonare videtur, vtrum illud quod vniuersaliter de Babylone, an id
quod singulariter de Edom cõqueruntur?
Deniq; de Babylone, siue ad ipsam Babylonem mitior sermo est, Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus. Itemq;, Filia
Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi
retributionem tuam quam retribuisti nobis. At verò de isto Idom non ita parcè aut
suauiter conquestio deprompta est. Saucius
animus dolorem suum acerrimum non ferens, spiritũ de profundo suscitat, vocemq;
altius in cælum subleuat ad eum, qui solus
laborẽ & dolorem considerat. Memor esto
(inquiens domine filiorũ Edom in die Hierusalẽ. Acerbius namq; fertur vulnus, quod
à fratre (vndè consolatio cõtra cæteros sperari debuerat) infligitur. Sic Iacob, quando
illum in persona sua persequebatur germanus suus Edom. sic Ioseph quando à fratri- *Gen. 27. 37*
bus suis vẽditus est, sic sancti prophetę & apostoli quando à contribulibus suis Iudæis
persecutionem passi, & occisi sunt, sic Chri- *Hæretici*
stiani catholici, quando ab hæreticis, falsis *falsi fratres*
vtiq; fratribus, tribulãtur, amarius atq; acerbius patiuntur, quam cum ab exteris gentibus, cum quibus nullam generis aut professionis habent communionem, infestantur.
Hinc est illud, Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;. Et si is qui
oderat me, super me magna locutus fuisset, *Psalm. 54*
abscõdissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, &c. Nunc ordinem prosequamur. Et possidebit (inquit) domus Iacob
eos qui se possederant. Ista possessio non in
bonum intelligitur eorum qui possidẽtur.
Sequitur enim, Et erit domus Iacob ignis,
& domus Ioseph flamma, & domus Esau
stipula, & succendetur in eis, & deuorabit
eos. Malo ergo suo possidebuntur, videlicet quomodo stipulam possidẽt ignis & flãma. Talis possidentium eminentia potestas
iudiciaria est. Deniq; in iudicio persecutores suos fratres fallos consument sancti omnes, quorum exemplaria prima fuerunt patriarcha Iacob, & filius eius Ioseph, in eo qđ
alter eorum persecutiõem passus est ab ipso
fratre, qui nomine & re fuit Esau, alter verò à fratribus suis, qui non est quidem nomine, sed & re & imitatione fuerunt Esau.
Quomodo isti possederunt Iacob. i. Dei seruos, isti (inquam) scilicet persecutores, falsi
fratres, quorum prima (vt iam dictum est)
exemplaria fuerunt, ille Rebeccæ primogenitus Esau & illi fratres Ioseph? Videlicet
crudeli inuasione possederunt eos, suo tempore Iudæi, & suo tempore hæretici. Habẽdo potestatem occidendi, & de ciuitate in ciuitatem persequendi eos. Possidebit ergo *Domus Iacob.*
eos domus Iacob, id est, seruorum Dei vniuersitas, possessione condigna, non vt eis vtantur, sed vt illi confundantur, & ad iudiciũ oris eorũ igni perpetuo tradantur. Hoc
est enim quod ait: Et erit domꝰ Iacob ignis,
& do-

& domus Ioseph flãma, & domus Esau stipula, quæ nimirum valde congrua confirmatio est. Nã quia ignis flammam generat,
Iacob qui genuit ignis. & Ioseph, qui ab
illo generatus est, flamma dicitur. ipse autẽ
Gen. 27. Esau, qui in terra radicatus est, secundũ insi
mam partem benedictionis, dicente patre,
in pinguedine terræ, & in rore cæli desuper
erit benedictio tua, stipulæ comparatur, cui
ius viror omnis pertransijt, & species emarcuit, & ad nihil vtilis est, nisi vt tradatur igni. Sicut omnes sancti veteris testamenti rectè dicantur ignis, & omnes sancti noui testamenti, ex quo venit Christus, cuius figuram Ioseph tenuit, rectè vocentur flamma.
nam persecutores eorum, similes Esau erũt
stipula, & succendentur in eis, & deuorabũt
eos, & nõ erunt reliquiæ domus Esau, quia
dominus locutus est. Ob magnum sententiæ firmamentum ita concluſit, quia dominus locutus est, vt subaudias, cuius locutio
vel sermo veritas est, & quod loquitur, infectum esse non potest, quemadmodum ait
ipse, futurum prænuncians iudicium. Cælũ
Matt. 24. & terra transibunt, verba autem mea non
"transibunt. Sequitur. [Et hæreditabunt hi
"qui ad austrum mõtem Esau, & qui in cam-
"pestribus Philistijm, & possidebunt regio-
"nem Ephraim, & regionẽ Samarię, & Benia
"min possidebit Galaad, & transmigratio ex
"ercitus huius filiorum Israel omnia Chana-
"næorum vsq; ad Sareptham, & trasmigra-
"tio exercitus huius Hierusalẽ, quæ in Bos-
"phoro est, & possidebit ciuitates Austri. Et
"ascendent saluatores in montẽ Sion, iudica-
"re montem Esau, & erit domino regnum.]
Cuncta hæc iuxta literã adimpleta esse, nulla testatur historia, videlicet quòd carnalis
Israel, siue Iudęus post hanc prophetiã possederit montem Esau, sed nec vel illud vel
cætera quæ sequuntur tanta esse potuerunt
(si tamen vnquam acciderunt) vt dignatus
fuerit spiritus sanctus ea prænunciãdo, propheticam implere tubam toto orbe audiendam. Maximè de eo quod ait, & transmigratio exercitus huius filiorum Israel possidebit omnia Chananæorum vsq; Sareptham,
si simplicem sequamur literã, stare non potest, quia videlicet certum est quòd nunquã
acciderit, neq; accidere debuerit, vt captiuitas decem tribuũ, quæ tunc imminebat, qua
in Assyrios transmigrauerunt, reuocaretur,
& omnia Chananæorum possideret. Neq;
enim cõtrarius sibi esse poterat spiritus propheticus, vt in isto promitteret, quod in alio denegasset, scilicet in Osee dicendo, vo-
Osee 1. ca nomen eius absq; misericordia, quia non
addam vltrà misereri domui Israel, sed oblitione obliuiscar eorum, & domui Iuda miserebor. i. filios Iuda de Babylonica captiuitate post annos septuaginta reuocabo. Sed
nec transmigrationem Hierusalem in Bosphoro vsquã fuisse legimus, quæ regio est maris septentrionalis, vt secundum literã,
& transmigratio Hierusalẽ, quæ in Bospho
ro est, possidebit ciuitates Austri. Cũcta ergo, quia spiritualia sunt, spiritualiter exami
nantes, promissionũ istarum primò numerum cõsideremus, quia septem sunt. Prima *Septẽ promissiones.*
est, & hæreditabunt hi qui ad austrum mon
tem Esau. Secunda, & qui in campestribus
Philistijm. Tertia, & possidebunt regionẽ
Ephraim, & regionem Samariæ. Quarta, &
Beniamin possidebit Galaad. Quinta, &
transmigratio exercitus huius filiorum Is-
rael omnia Chananæorũ vsq; ad Sareptha.
Sexta, & transmigratio Hierusalem, quæ in
Bosphoro est, possidebit ciuitates Austri.
Septima, & ascendent saluatores in mõtem
Syon, iudicare montem Esau. Istæ septem
salutares, atq; cõsolatorię promissiones lau
dem domini complent, dicendo: & erit do-
mino regnum. Erant aũt superius totidẽ. i.
septem dies miseriarum, conscriptæ aduersus hunc sæpè dictum persecutorem fratris
Edom, vbi premisso, & non despicies in die
fratris tui, subiuncta est septiformis descriptio diei eius, dicendo: in die peregrinationis eius, in die perditionis, in die angustiæ,
in die ruinæ, in die vastitatis, in die tribulationis eius, quia videlicet descriptio diei taliter completa est, quoniã iuxta est dies domini. Igitur quemadmodum illic in septenaria repetitione diei i. temporis, quo sancti
in hoc mundo peregrinãtur, vniuersitatem
intelligimus malorum quæ patiuntur. ita &
hic in septem istis promissionibus vniuersitatem perpendimus consolationum, quib.
à domino inter omnes vel post omnes pressuras consolantur. Et istæ promissiones fiunt aduersus eundẽ Edom. i. Iudaicum populum, interfectorem fratris, scilicet domini & sanctorum prophetarum. Ille namque
propter causas multiplices, quamuis consimiles, dicitur hic, & Esau, & Philistijm, & Ephraim, siue Samaria, & Galaad, & Chanaã.
Ipsi autem sancti similiter, propter causas
multiplices. i. gratiarum diuisiones, & habitare ad austrum dicuntur, & esse in campestribus, & nominantur Beniamin, & exercitus filiorum Israel, & Hierusalem, cuius
transmigratio sit Bosphoro, & saluatores,
quibus pro re nomen suum cõmunicet Iesus Christus, summꝰ & vnicus saluator. Dicamus ergo, & hæreditabit (inquit) qui ad
austrum montem Esau verus Iacob. i. supplãtator Iudaici populi, qui dicitur Edom,
siue Esau, ad austrum, quem sancti spiritus
gratiam intelligimus, habitat. Ille autem in
monte se subrigit, dum iustitiam suã volẽs
statuere iustitiæ Dei non est subiectus, secũ- *Rom. 10.*
dum similitudinem germanorum illorum,
quorum alter videlicet Iacob, domi cum *Gen. 27.*
Rebecca matre habitabat, quæ sancti spiritus gratiam significat. alter verò, scilicet Esau, in montibus & saltibus se exercebat, vir

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnarus venandi,& homo agricola. Quomodo ille cum matre habitans, benedictionē hæreditauit & primogenita fratris,ita Christi discipuli sancti spiritus securi gratiam, hæreditauerunt ablatum Iudæis regnum dei, vt facerent fructus eius, sicut in euangelio prædixit ipse eis dominꝰ. Proinde ad au-
Matth. 21. *Ad austrū habitare.* strum habitare dicuntur, id est, ad meridiē, per quem sapientiæ clara lux intelligitur. Sequitur, Et qui in campestribus Philistijm subauditur, hæreditabunt. Ipsi qui in nomine Esau denotantur, & in monte superbiæ sunt, volendo iustitiā suam statuere sicut iā diximus, rectè & Philistijm dicūtur pro eo, quod à gratia exciderūt, dū ex operib. legis & sine fide Christi sese iustificari arbitrātur Philistijm nanq; potione cadētes interpretātur, Dominus enim miscuit, videlicet iu-
Esaiæ 19. dęis, spiritū vertiginis. Dando illis vt Apo-
Rom. 10. stolus meminit) spiritum compunctionis, oculos vt nō videāt, & aures vt non audiāt,
Psalm. 68. & facta est mensa eorū corā ipsis in laqueū, & in rebtributionem, & in scandalum.

Porrò in campestribus habitātes hi sunt humiles, quibus pro humilitatis gratia datus est intellectus vt intelligāt scripturas, & spiritualiter intelligēdo non de sua, sed de dei confidant iustitia. Isti ex fide iustificati obtinent Philistijm secundum mysticam
3. Reg. 17. victoriam Dauid, qui Philistæum percussit mittendo vnum de quinque lapidibus in frontem eius, per quem videlicet vnum lapidem vna fides Iesu Christi figuratur, in qua sola iustificamur, quæ & in quinque libris Moysi mysticè & figuratiue prædicatur. Et possidebunt ait, regionem Ephraim & regionem Samariæ. Ephraim ex qua tri-
Per Ephraim scribæ, et Pharisæi denotātur. bu Hieroboam scidit Israel à domo Dauid, & vitulos aureos pro Deo colendos instituit. Hoc etiam loco scribarum & pharisęorum cætus rectè intelligatur, qui populum aduersus verum Dauid Christum filiū Dei concitauerunt, & mendacium suum contra veritatem euangelicæ fidei excogitare non destiterunt. Similiter Samaria, quoniam ab eodem Hieroboam in peccatum illud seducta regnum habuit diuisum, cōtra regnum Dauidicum, Diuisum significat à Christo populum Iudaicum, sic à senioribus & principib. sacerdotū seductū, quomodo seduxit Samariam ille de tribu Ephraim rex Hieroboam. Regionem igitur Ephraim & regionem Samariæ possidebunt. i. malitiam tam principum, quàm populi superabūt habentes sanctum consilij spiritum, ad destruenda consilia quæ contra dominū cogitauerunt, & eosdē in die iudicij condēnabūt. Et Beniamin possidebit Galaad. Galaad mōs ad quē
Gen. 31. septimo profectionis è Charris Iacob profugus venit, à quo monte & ciuitas in ea cōdita vocabulum sortita est. In illa maximè
Osee 6. idololatria regnabat. Vnde & in Osee scriptum est. Galaad ciuitas operantium idolū supplantata sanguine, & quasi fauces virorum latronum. Porrò Beniamin interpretatur filius dexteræ. Igitur Beniamin possidebit Galaad. i. habentes spiritum fortitudinis nō solum Iudaicam perfidiā, sed & cunctos idololatras iustè iudicabūt. cōtra quos fortiter vsq; ad mortē certauerunt. Et trāsmigratio exercitus huius filiorum Israel omnia Chananęorum vsq; ad Sarepthā. Filij
Filij Israel Israel filij promissionis, omnes electi sunt il-
filij promissionis, Chananæi. lius prioris populi, quorum Israel patriarcha, qui & Iacob secundum carnē pater extitit, quorum Apostoli fuerunt optimi. Chananæi verò secundum hoc ipsum nomen quod est Chananæ, & interpretatur motus eorum, hi sunt qui moto pede per superbiā ceciderunt, etiam si ex eadē carne oriū sunt, testante domino cum dicit in propheta, Pa-
Ezech. 16. ter tuus Amorræus & mater tua Cethea. Amorræus namq; & Cætheus filij Chanaan fuerunt, Iudęi autē secundum carnem filij Israel sunt, & tamen Iudæo per prophetam illud improperatur. Porrò Sarepta oppidū
3. Reg. 17. est Sydoniorum, qui & ipsi Chananęi sunt in via publica situm, vbi quondam vidua pauit Heliam. Cuius videlicet viduę mysterium in schola ecclesię Christi notum est, in eo quod ait, En colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam panē mihi & filio meo. Itaq; transmigratio (inquit) exercitus huius filiorum Israel. i. Apostoli Christi veraciter filij Israel, populum suum, populum Iudaicum se repellentē relinquentes, & ad gentes trāsmigrantes, Chananęos, qui se dicunt Iudęos condemnabunt, & eorum iudices erunt, gentibus autem salutem administrabunt, ita vt impleatur per eos illud quod in illa vidua Sarepthana fuit præfiguratum, sicut & dominus terribiliter innuēs, ore proprio locutus est. In veritate dico vobis, multæ viduę erant in diebus Helię in Israel, quando
Luc. 4. clausum est cęlum annis tribus & mensibus sex, & ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sareptham Sydonię ad mulierem viduam. Ecce & nunc & vsq; ad finem sęculi Helias, quod interpretatur Deus meus, scilicet dominus Iesus Christus, apud istam viduā pascitur, & pascit hydriā farinę eius, id est, modicum scientię quod per naturā habere poterat gentilitas, multiplicando per spiritum scientię spiritualis, & coquendo per mysterium crucis, cuius sacramentū meditatur, profectò duo ligna colligit, & vitalē
Hierusalē in Bosphoro. de scripturis panem facit. Et transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates austri. Hierusalem in scripturis non ignotum est significare ecclesiam, quę est ciuitas cęlestis. Huius nimirum maxima portio fuit à vero sole remota in errore gentilitatis ante aduentum saluatoris, & idcirco rectè intelligitur per transmigrationem quę in Bosphoro est. Bosphorus enim (sicut iā superius dictum est) regio est maris

ris septentrionalis, quo transmigrationē terrenæ Hierusalem fuisse abductā nulla scriptura meminit. Possidebit ergo ciuitates austri. i. meridiei, quod nunc videmus fieri, dum plenitudinem veri luminis & caloris possident, qui prius erant absq; notitia Dei, obscuri & frigidi. quod tale est, ac si de septentrione transferantur homines ad meridiem, ciuitates lucidas habituri propitio Deo, qui sola gratia, & pietate sua gentes vocauit. Et ascendent saluatores in montem Syon, iudicare montem Esau. Saluatores
Saluatores Apostoli. Iacob. 5. rectè dicūtur hi, per quorum ministerium conuersi peccatores saluantur, iuxta quod Apost. Iacobus dicit, Quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte. Hoc maximè post Christum Apostoli fecerunt, per quorum prædicationem gentes ab errore viæ suæ conuersę sunt. Saluatores igitur sunt, & ipsi ascendentes in montē Sion, iudicare montem Esau. i. sedebūt super sedes duodecim, *Matth. 19.* iudicantes duodecim tribus Israel, qui videlicet carnalis Israel (vt sæpè diximus) propter hoc ipsum quod infidelis & persecutor est fratris, dicitur & est Esau. Illorum mōs, in quē ascendent, Sion dicitur, & eminentia virtutum est. Huius autē Esau mons superbiæ tumor est. Huius expectatio iudicij plena timoris est. Et erit domino regnum, domino (inquam cuius hæc omnia dona sunt, quod sancti sic hæreditabūt, sic possidebūt, sic iudicabunt, & post iudicabunt, & post iudicium in regno æternę mensę eius participes erūt, iuxta illud fidele eius promissum, *Luc. 22.* Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, vt edatis & bibatis super mensā meam in regno meo.

ABDIAE LIBRI FINIS.

PROLOGVS RVPERTI
IN IONAM PROPHETAM.

Cant. 8. ANima quæ Christum quærit, intentionem suam cur illum quærat hac voce depromit. Quis mihi det te fratrem meum, sugentē vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deosculer, & iam me nemo despiciat? Magnæ enim despectionis sibi conscia, suoque iudicio multum despicabilis ac despecta per hunc solum se nobilem & inclytam fieri cōfidit, si talem dilectum inuenire, apprehendere, & deosculari meruerit, non tantùm intus in secreto conscientiæ cubiculo, verum etiam foris, id est, ita vt ad amicos quoque dilecti illius perueniat, quod illū viderit, quod agnouerit, quòd in eum crediderit, quòd eū dilexerit. Denique iam tunc despicabilis esse non potest in oculis Dei patris, in conspectu amicorum, videlicet angelorum & hominum sanctorum. Vbi autem vel illa quę-
In scripturis & prophetis deus inuenitur. rit, aut quærere debet, vbi ille inuenitur aut inueniri potest, nisi in scriptura? maximeq; prophetica, quæ vtique verbum domini est? Ibi quęritur & inuenitur, quia profectò, qualis sit ille dilectus, Prophetæ testantur. Et in alijs quidem citius, in alijs difficilius inuenitur. In Iona verò quem nunc ingredi cupimus manifestissimè claret, quod miraculū in illo celebratum fuerit præconium eius. Ipse enim ore proprio dixit, & totus orbis audiuit. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius homi- *Ionas typus saluatoris. Matth. 12.* nis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Igitur & hunc prophetam tanto alacrius ingrediamur, quanto clarius atq; pulchrius in eo Christi testimonium nouimus, quem in scripturis legis & prophetarū quærere propositum habemus. Obsecrantes, vt qui typus est saluatoris, & tribus diebus & noctibus in vētre ceti moratus præfigurauit domini resurrectionem, nobis quoque seruorem obtineat, sanctique spiritus gratiam secundum hoc ipsum nomē suum, quod est Ionas, interpretatur enim columba. Et quis nesciat sæpè in scripturis per columbam sancti spiritus gratiam significari? maximè quia super dominum nostrum idem spiritus sanctus in specie columbæ apparuit. Cæterùm totum hunc prophetam ad intelligentiam referre saluatoris, quòd fugerit, quod nauim ascendens naulum dederit, quod dor- *Luc. 2.* mierit, laboriosum, & vt ante nos dictū est, *Intentio authoris.* sudoris est maximi. Veruntamē quanto difficilius, tanto & pulchrius fieri posse speramus, cooperante secundum beneplacitū suū digito Dei. Labor attentus splendida de obscuris mysteria Christi proferre tentabit.

FINIS PROLOGI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN IONAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

"ET factum est verbũ domini ad Ionam filium Amathi, dicẽs, "Surge & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in "ea, quia ascendit clamor malitię eius coram me.] Mirentur fortasse grammatici, quod per coniunctionem sic incipit, Et factum est verbum domini, cum de litera nihil præcesserit. Nos autem si causam attendimus, cur Ionas ad gentes missus sit prædicare illis, non miramur. Nam non solum benè, verumetiam mirabiliter & grauissimè sonat auribus nostris initium huiusmodi. Quæ enim causa extitit? Illa nimirum, quia filij Israel prophetas domini non audierũt. Tot prophetæ missi sunt, tot mirabilia facta sunt, toties prænunciata est illis captiuitas propter multitudinem peccatorum, nec vnquam pœnitentiam egerunt. Neq; enim saltem vnius regis tempore vitulos aureos colere cessauerunt, & ne vnus quidem ex omnibus regibus decem tribuum receſsit à peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel. Vt de cæteris taceã, Helias missus in sermone, & spiritu domini mira multa fecit, & nequaquam effecit, vt relinquerentur vitulli illi, licet propter signa tandem hoc obtinuerit, vt sciret populus quod Baal non esset Deus, clamaretq;, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. Successit illi discipulus Heliſæus, qui & pro hac intentione vt populum reuocaret, plura quàm ille fecerat, volens signa facere, Obsecro (inquit) vt fiat spiritus tuus duplex in me, factumque est quod petiuit. Nam si ritè numeres, Helias quidem octo, Heliſæus verò sedecim signa fecit, & hoc duplum fuit. Post hæc mortuus est, & sicut ante mortẽ, ita & post mortem eius vitulorum cultus in Israel perseuerauit. Mirabatur autem dominus, & tædebat eum super Israel, sciens quod si ad gẽtes mitteret, multo faciliores ad credẽdum eas inueniret. Vndè ad quendam illorum taliter loquutus est, Fili hominis vade ad domũ Israel, & loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi sermonis & difficilis linguæ tu mitteris ad domum Israel, neque ad populos multos, & profundi sermonis, & ignotę linguę, quorum nó possis audire sermones, & si ad illos mitterem te, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Experimẽto illud comprobari decebat, quod taliter dominus in vituperationem Israelis gentes de facilitate audiendi & credendi præferebat. Ad huius experimenti ministerium electus est hic Ionas, cuius post mortem Heliſæi, taliter scriptura libri Regum mentionem fecit. Ipse videlicet Heroboam filius Ioas filij Iehu regis Israel restituit terminos Israel ab introitu Hemath vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem domini Dei Israel, quem loquutus est per seruum suum Ionam filium Amathi prophetam. Igitur dum per coniunctionem incipit dicendo, Et factum est verbum domini ad Ionam, ad ea nos mittit quæ iam diximus, vt sit sensus, Filij Israel non audierunt quæ præceperat Dominus, mittens ad eos in manu seruorum suorum prophetarum, sed indurauerunt ceruicem suam, & tradiderunt se vt facerent malum coram Domino, & irritarent eum, & idcirco factum est verbum Domini ad Ionam. Surge (inquiens) & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea, quatenus in comparatione gentium damnabilis Israel amplius ostenderetur. Et idcirco iudicium Domini tradentis vel tradituri illos in captiuitatem irreprehensibile comprobaretur, Niniuitis pœnitentiam agentibus, filijs autem Israel in impœnitentia persistentibus. Hic Ionas dicitur filius Amathi, id est, veritatis. Tradunt enim Hebræi, hunc esse filium viduæ Sarepthanæ, quem Helias propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum. Nunc cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum domini in ore tuo verum est. Et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum filium Amathi. Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat. Et ex eo quòd verum Helias loquutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. Porrò, quod ait Dominus, Quia ascendit clamor malitiæ eius, coram me, hoc ipsum est quod in Genesi dicitur, Clamor Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatus est. Et ad Cain, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

Cur à coniunctione incipiat.

Propter duritiã Israelis Ionas ad gentes missus.

3. Reg. 12. 3. Re. 17. 18 4. Reg. 2. Ezech. 3. 4. Reg. 14.

Verbũ quomodo ad Christũ factum sit.

Nunc iam, quoniam Ionas iste missus ad Niniuem typus est saluatoris mittendi ad gentes, dicendum est, quando vbi vel quomodo factum sit ad eum verbum Domini, qui vtiq; ipse secundum diuinitatem vocatur, & est verbũ Domini. Si quæris vbi? nimirum ad fluenta Iordanis. Si quęris quando? videlicet prædicante Ioanne, & baptizante baptismum pœnitentiæ. Si quæris quomodo?

quomodo? vtique apertis cęlis, & descendẽte in eum spiritu sancto in specie columbæ, simulq; personãte voce patris, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. Tunc (inquam) & taliter factum est ad eum verbum domini, quemadmodum & ipse ore proprio confirmauit. Veniẽs quippe Nazareth, vbi erat nutritus, intrauit secundum consuetudinem suam die sabbathi in synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Esaiæ prophetæ. Et vt reuoluit librũ, inuenit locum vbi erat scriptum. Spiritus domini super me propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, prædicare annum domini acceptum, & hæc scriptura (inquit) hodie impleta est in auribus vestris. Vnde quod spiritus sanctus super eũ in specie columbæ descendit, pulchrè ipso quoq; nomine figurauit eum Ionas. Interpretatur enim columba (vt iam dictum est) interpretatur etiam dolens. Quæ nimirum interpretatio & ipsa nihilominus ad mysterium pertinet, quia ipse est, quẽ Esa. viru dolorũ prænũcia uit, & scientẽ infirmitatẽ, subiungens, Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ab ipso baptismo pœnitẽtiæ, quę suscęperat, ieiunio ingrediẽs, deinde prædicãdo, & persecutiones sustinẽdo pœnitentiã continuãs, & pro nobis dolẽs, & dolores nostros vsq; ad patibulũ crucis portans. Nunquid autem nesciebat, quibus pauperibus euangelizare, quibus captiuis remissionem mitteretur prędicare? Nunquid nescire poterat, quod ad gentes pertineret suę prædicationis officium, quod scire & prænũciare prophetæ potuerint? & nouissimus ille Symeon, qui dixit eum salutare domini paratum ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium. Attamẽ ad gentes tunc ire noluit, imò & discipulos ne irent prohibuit dicens, In viam gentium ne abieritis. Et mulieri Chananeę clamanti post se non citò respondit, sed tantummodo Iudæis prædicauit, excepto quod in Samaria duos dies mansit. Sequitur ergo. [Et "surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie "Domini.] Durè quidem sonat, neque salutori cõuenire videtur quod dicitur, vt fugeret Ionas à facie domini. Sed si fugientis intentionem consideres, nec in ipso propheta valde est fuga reprehensibilis, quia nõ eam infidelitas, sed pietas fecit. Cõdolebat enim pio affectu, suę, id est, Hebręę gẽti, eo quod in cõdemnationem eius mitteretur ad prædicandum Niniuitis, vt in comparatione Israelis iustificarentur Assyrij, & in comparatione Assyriorum condemnatus Israel perpetuæ traderetur captiuitati. Non gentium salutem oderat, sed suæ gentis damnationẽ timebat atque idcirco fugiens nõ multum Deo displicebat. Imo propter pietatis magnitudinem valdè complacebat. Magis displicere potuisset, si non doleret, sicut Moyses non displicuit dicendo, Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro quem scripsisti. Nec Apostolus optando esse anathema à Christo pro fratribus suis, sic & iste taliter fugiendo non displicuit, quod maximè rerum exitus comprobauit. Quis enim omnium prophetarũ tanto glorificatus est miraculo, tam mirabili Christi mortem atque resurrectionem prę signauit exemplo? igitur quod illis non valde vituperabiliter fecit fugiendo à facie domini, Christum dominum laudabiliter fecisse, aliquo modo res manifesta innuit. Nã hic nõ quidẽ per inobedientiã vnquã fugit, sed pietatis affectu condemnationẽ suæ gentis ad tẽpus refugit. Testes sunt illæ lachrymæ quas fudit, videns ciuitatem & flens super illam, atque dicens, Quia si cognouisses & tu, & cætera. Testis (inquam) ille est fletus, quam veraciter iudicium diuinitatis quod suæ genti imminebat, refugere voluisset humanitatis affectu. Nouit enim & nosse debet Christiana fides, quod in vno Christus eodemque Christo sicut duæ sunt naturæ, *ex duabus* altera diuinitatis, altera humanitatis, ita & *naturis duæ* erant voluntates siue operationes. Vo*as etiã* luntas diuinitatis erat relinquere Iudæam, *but volun* & tradere Hierusalem in manus hostium. *tates.* Voluntas erat humanitatis, vt liberaretur sua gens vel ciuitas Hierusalem, & tam miserabile non pateretur excidium. Illa iusta, hæc voluntas erat pia. Porrò diuinitatis võluntatem præcedere, humanitatis autem subsequi conueniebat. Obedienter ergo concedens, cum dixisset, Mi pater si possibile est, transeat à me calix iste, nolens gentem suam propter mortis suæ scelus interire, subiunxit protinus. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et iterum, Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Igitur Ionas iussus prædicare in Niniue, fugit in Tharsis, id est, in Mare. Tharsis namque generaliter mare dicitur, vt illic, In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Christus autem ad hoc natus, & cum Deus esset homo factus, vt esset ipse expectatio gentium, & saluator eorum, Iudæorum fluctibus se tradidit, qui propter crebras seditionum tẽpestates, amplius quàm vlla gens mari similes poterant reputari. Neuter eorum, scilicet neque Ionas, neque Christus salutem gentibus inuidit, sed vterque gentis suæ condemnationem imminere condoluit. [Et descendit in Ioppen, & inuenit nauim euntem in Tharsis, & dedit naulum eius, & descendit in eam, vt iret cum eis in Tharsis à facie domini.] Ioppen portum esse Iudææ in Regum quoq; & Paralypomenon libris legimus, ad quem Hyram rex Tyri ligna de Libano ratibus trãsferebat, quæ Hierusalẽ terrestri itinere perueherẽtur. Iuxta regiõis naturã, de monta-

Lucæ 4. Esaiæ 53. Matth. 4. Fuga Ionæ ita & placens Deo. Matth. 10 Matth. 15. Ioan. 4. Exod. 32. Rom. 9. Lucæ 9. Matth. 27. Tharsis mare dicitur generaliter Psalm. 47. Ioppe. 3. Reg. 2. 2. Paral. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

montanis & arduis ad Ioppen & campestria veniens, rectè descendisse dicitur, & notanda fugitiui & timidi festinatio. Non locum fugę otiosè elegit, neque enim ad certum fugere cupiebat locum, sed primam arripit occasionem nauigandi quo libet ire festinans. Secundum hanc similitudinem dominus noster synagogam introiens quondam speciosam. Hoc enim nomen Ioppe interpretatur speciosa, nauim sibi, id est, euangelicæ prædicationis scholam instituit. Illius nauiculæ remiges duodecim Apostoli fuerunt, *Luca 9.* quibus & dedit naulum, id est, dona gratiarum, scilicet virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, promisitq; regnum cęlorum, vt ingressi mare, id est, inquietum populum Iudæorum, per ciuitates & castella circũeundo, & euangelizando fortiter remigarent. Illud quoque ad hoc mysteriũ pulchrè alludit, quod plerosq; illorum, quibus eiusmodi naulum dedit, de puppibus vocauit. Erant enim piscatores, & ad hoc vocauit eos, vt mutato remigio de piscatoribus piscium faceret piscatores hominum. Igitur passibilis adhuc & infirma caro nondum fortiter obediebat, quia voluntatem diuinitatis de repellenda Iudæa gentibusq; assumendis exequi tardabat, & sicut iam dictum est, super ciuitatem *Luca 19.* ruituram flebat. Sed didicit (ait Apostolus) *Hebr. 5.* ex his quę passus est obedientiam. Nam per passionem consummatus, talis effectus est, vt fortiter obediret, nullumq; iam dolore siue compassionem extunc, nisi solis pœnitentibus impendere posset, quippe cum ante passionem suam super impœnitentes fleuerit, nunc impios in inferno ardentes sicis oculis videt. Qualia pati, vel qualiter ex his quæ pateretur obedientiam discere haberet, præsens mystice prefignauit historia.

«[Dominus autem misit ventum magnum «in mare, & facta est tempestas magna in ma «ri, & nauis periclitabatur conteri. Et timue «runt nautæ & clamauerunt ad Deum, & mi «serunt vasa quæ erant in naui, in mare, vt al «leuiaretur ab eis. Et Ionas descendit ad inte «riora nauis, & dormiebat sopore graui.]

Quantum ad historiã, & omnipotentia domini, quo aduersante nihil securum est, & nautarum timiditas, & prophetæ magnanimitas describitur, qui non tempestate, non periculis conturbatur, eundem & in tranquillo & imminente naufragio animum gerens. Deniq; alij clamant ad deos suos, vasa proijciunt, nititur vnusquisq; quod potest, iste tam quietus est & securus animiq; tranquilli, vt ad nauis interiora descendés, som-

Somnus Ionæ ex mag no mœrore obrepsit.

no placido perfruatur. Veruntamen quod & Apostolos legimus in passione domini præ tristitiæ magnitudine sommo fuisse depressos. Porrò, iuxta cœptum mysterium turbatio maris, siue magnitudo tempestatis, & periclitatio maris, Iudaicę sunt seditiones & persecutiões, & vniuersę domini passiones. Timor nautarum, timor est Apostolorũ, & dormitio Ionæ, magna est tranquillitas diuinæ in Christo patiẽtiæ, qua semetipsam cõtinens fortitudo maiestatis, humanitatem suã suosq; discipulos periculis eximere distulit. Quod vt amplius perpendere delectet, simul ad memoriam reuocandum est, quia ipse dominus Deus noster in sua persona quodam tempore nauiculam ascẽdit, & secuti sunt eum discipuli eius, & motus magnus factus est in mari, & timuerunt discipuli, ipse vero dormiebat. Et hic & illic motus maris vim persecutionis, & dormitio taciturnitatem patientiæ eius significauit quam non ferentes, in nostra tribulatione dicimus, Exurge, quare obdormis domine. Alibi quoq;, cum itidem nauicula iactaretur fluctibus, legimus eũ ad discipulos venisse ambulando supra mare, quo miraculo significabat, quod potenter superaret easdem passiones suas. Nunc rem secundum ordinem literæ persequamur.

Matth. 26.

Matth. 8.

Psalm. 45.

Matth. 14.

Dominus (inquit) misit ventum magnũ in mare, & facta est tempestas magna in mari. Quis ille ventus fuit, qui turbas Iudæorum quasi mare turbauit, nisi spiritus seductionis, qui illos in odiũ domini nostri concitauit? Ille intus eos perflauit, vt aduersus eum fremerent, & semetipsos seditionibus turbarent. Sed quomodo eiusmodi vẽtum dominus misit. Iusto videlicet iudicio, quia suo illos sancto spiritui semper restitisse cognouit. Nónepropter eãdem causam ad decipiendum Achab regem Israel misit spiritum mẽdacij? Dixit enim, Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba eiuscemodi, & aliter alius. Egressus est igitur spiritus, & stetit coram domino, & ait, Ego decipiam illum. Cui loquutus est Dominus. In quo? & ille ait, Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit dominus, Decipies & prævalebis, Egredere & facita. Quomodo tunc misit spiritũ mẽdacij ad decipiendum illum, qui cum vxore sua Iezabel occiderat prophetas domini, sic spiritum malũ misit quo concitarentur Iudæi, sicut mare vẽto solet moueri, vt aduersus dominũ fremerent, & mensuram patrum suorum implerent. Dicet aliquis: Ergo ne Iudæos dominus tã malos esse fecit, aut tã malos esse voluit, vt occiderent Christum filium Dei? Nõ vtiq; malos illos fecit, aut malos esse voluit, sed cum mali essent, facultatẽ malitiæ complendæ illis permisit. Sic & de Pharaone oportet intelligi. Nõ. n. illũ Deus malũ esse fecit, sed cũ malus esset, in regẽ illum excitauit, vt in ipso ostenderet fortitudinẽ suam. i. vt de nota persona daret exemplum, quã benè posset deijcere hominum superbiã. Itaq; sicut quęrẽti, Cur deus Pharao-

3. Reg. 22.

Quæstio.

Solutio.

Exod. 7.

Pharaonem cum esset malus excitauerit in regem, rectè respondetur. Idcirco, vt in ipso ostenderet fortitudinem suam. Ita quærenti, Cur Iudæos cum essent mali permiserit habere potestatem occidendi Christum, rectè respondetur vt in illorum scelere terminaret iram suam, vlciscendo super genus humanum in Christo, in quo posuerat iniquitates omnium nostrum. Igitur ventus magnus, quem misit dominus in illud *Esaia 53.* mare, id est, in illum populum amarum & profundæ malitiæ, ille immundus spiritus est, de quo ait Christus eodem loco, vbi tentantibus & signum quærentibus, respon- *Luca 11.* dens non esse signum illis dandum nisi signum huius Ionæ, hæc interlocutus est, Cũ immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem & non inueniens dicit. Reuertar in domum meam vndè exiui. Exierat enim de populo *Exod. 19.* illo, quando in monte Synai legem accepit, reuersus est in eum, quando videns filium Dei dæmonia ejicientem blasphemauit, dicens. In Beelzebub principe dæmoniorum *Matth. 12.* ejcit dæmonia. Idcirco tunc dixit: Cum immundus spiritus exierit ab homine, &c. Illa reuersio dicentis, Reuertar in domum meã vndè exiui. Talis missio fuit domini qualis loco vel tempore supra memorato, quando *3. Reg. 22.* spiritui mendacij dicenti, Ego decipiam Achab sic, & sic ipse respõdit. Decipies & prævalebis. Egredere & facita. Eodem inquam modo dicenti: Reuertar in domum meam vndè exiui, & faciam nouissima illius peiora prioribus. Dixerit iustus iudex dominꝰ. Reuerteris & prævalebis, siue, Reuertere & facita. Nam eo quòd veritatem carnis non receperunt vt salui fierent, idcirco misit in mare illud ventum eiusmodi, idcirco misit & mittet illis Deus operationem erroris, (vt Apost. ait) vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui nõ crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. *Rom. 1.*

Tempestas magnam mari.

Et facta est, inquit, tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. Propter nauigationem Ionæ facta est in mari tẽpestas magna. Propter prædicationẽ Christi facta est in populo Iudæorum commotio magna. Hinc est accusatio illa tumultuantium atque dicentium. Commouit populũ docens per vniuersam Iudæam, incipiens à *Luca 23.* Galilæa vsq; huc. Nauis periclitabatur conteri, & nautæ timuerunt. Euangelica doctrina à contradicentibus & blasphemantibus sæpè impetita est, & apostoli in timore fuerunt. Et illi quidem Deum verum adhuc nescientes, ad Deum suum clamauerunt. Apostoli autem in ipsa periclitatione inter blasphemias Iudæorum Christum filium Dei confessi sunt. Et interim ijdem nautæ mittebant vasa quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis, id est, omnia quæ in hoc sæculo haberi possunt vel concupiscibilia sunt, negligebant, contemnebant atq; abijciebant, vt magis essent liberi atq; expediti secundum consilium dicentis: Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta, neque duas tunicas habeatis. At *Luca 10.* ipse dormiebat, quia cum esset omnipotens, suam omnipotentiam continebat, neque Iudaicæ tempestatis vlciscebatur iniurias. Sequitur ergo. Et Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui. Quomodo enim in tãta inquietudine quietus dormire potuisset, nisi quia, in figura contingebat illi, & Dei nutu agebatur vt dormiret? Denique futurum erat vt (sicut iam dictum est) inter tempestates Iudaicas dominus noster cum esset fortissimus Deus valdè patienter sese haberet, quod dormire quodammodo est. Ille sopor rectè dicitur grauis, quia nimirum graue fuit Apostolis, graue est & nobis, illum qui custos Israel est dormire in aduersis, dum tam blasphemias illatas nomini suo, quàm pressuras, quas in hoc mundo habent eius, non citius compescit. [Et accessit ad eum gubernator, dixitq; ei: Quid tu sopore deprime-ris? Surge, inuoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis & non pereamus.] Gubernator vt naturale est vnumquemq; in suo periculo de alio plus sperare, cum deberet, vectores timidos consolari, cernens discriminis magnitudinẽ excitat dormientem, & arguit improuidæ securitatis, commonetque vt ipse quoque pro virili portione deprecetur deum suum. Hic Petri Apostoli typus est. Ille enim dicẽte domino, Quem dicunt homines esse filium hominis? Itemque, Vos autem quem me esse dicitis? Respondens ante cæteros, vel primus inter cæteros, Tu es (inquit) Christus filius Dei viui. Et pro hoc meritò sic inter cæteros Apostolos in ecclesia quomodo inter cæteros nautas gubernator, siue proreta præeminet in nauicula. At ille talis designatus à domino dicente, Beatus es Simon Bar Iona, &cętera. Cum protinus idem dominus cœpisset ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & die tertia resurgere, assumens eum cœpit increpare illum, dicens, Absit à te domine, propitius esto tibi, non erit tibi hoc. Hæc nimirum dicens, quasi gubernator Ionam cur dormiret, increpabat, quia dominum pati prohibebat, suadens vt sua potius virtute tãquam vigilãs verteretur, vtpote Dei filius potẽs & fortissimus. Sequitur. [Et dixit vir ad Collegam suum, Venite, & mittamus sortes, vt sciamꝰ, quare hoc malum sit nobis, & miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.] Nouerant illi naturam maris, & tanto tẽpore nauigantes, sciebant tẽpestatẽ vẽtorumq; rationes. Et vtiq; si solitos, &

Dormire sopore graui.

Gubernator Petri typ.

Matth. 16.

Matth. 10.

quos

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, non cum sorte authorem naufragij quærerent, & per rem incertam certum cuperent deuitare discrimen. Nec statim debemus sub hoc exẽplo sortib. credere, vel illud de actib Apostolorũ huic testimonio copulare, vbi sorte Matthias in Apostolatũ eligitur, cũ priuilegia singulorũ non possint legem facere communem. At verò iuxta cœptam tropologiam, quotiens aduersus Christi nauiculam Christiq; discipulos mundanorum cõsurgit tempestas fluctuum, talis sors & taliter mittenda est, vt sciat vnusquisque cuius causa malum illud sit, vel quæ sibi causa sit patiendi. Potest enim esse vt in persecutione Christiani nominis non tam ipse Christus, quàm aliud quid in intentione vel conscientia repositum sit. Propter quod patiatur homo qui Christianus dicitur, & vndantibus fluctuet aduersis. Quod si ita non esset, nequaquam Paulus diceret. Et si tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Potest etiam euenire vt in Christum credens, quis pro suo malefacto patiatur quid ab infideli. Hinc Petrus ait. Melius est benefacientes si velit voluntas Dei pati, quàm malefacientes. Item, Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus aut alienorum appetitor. Beata illa conscientia, in qua testimonium habet quis, quod patiatur vt Christianus, quòd patiendi vel passionis causã sit ei Christus. Tunc reuera cadit sors super Christum, sicut cecidit super Ionam, quòd ipse seuientium esset causa fluctuum. Talem conscientiam sancti habent Apostoli inter Iudæos procellosos. Exempli causa. Quando dixit Thomas ad condiscipulos, Eamus "& nos moriemur cum illo. [Et dixerunt ad "eum, indica nobis, cuius causa malum istud "nobis sit. Quod est opus tuum? quæ terra "tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tu?] Notanda breuitas, quæ apud insignem poetam placere solet verbis istis. Iuuenes quæ causa subegit, Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit, Qui genus? vnde domo, pacem ne huc fertis, an arma? Interrogatur persona, regio, iter, ciuitas, vt ex his cognosceretur & causa discriminis. Indica (inquiunt) nobis, cuius causa malũ istud sit? quid operis agas? De qua terra? de quo populo proficiscaris? quo abire festines? Porrò dominũ nostrum non solum sui nautæ, id est, Apostoli sui secretis percunctationibus scisciabantur, vt scirent, verumetiam publicis tumultibus aduersarij eius eadem percunctati sunt, vt viderent quis esset, quid operis ageret, vnde esset, quo tenderet. Cum enim diceret eis, Si nõ crediderit is quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ei, Tu quis es? Item cum diceret. Adhuc modi cum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me. Quæretis me & non inuenietis, & vbi sum ego vos non potestis venire. Dixerunt ad semetipsos. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum. Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Sed & genus eius proteruè quæsierunt, cum, eo dicente & testimonium perhibet de me qui misit me pater, dixerunt, Vbi est pater tuus? Nihilominus quæsierũt, Quod esset opus eius, cum eo dicente, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille, dixerunt. Quod ergo tu facis signũ, vt videamus & credamus tibi? quid operaris? Sed & Pilatus audito sermone dicentium, Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Ingressus prætorium, iterum dixit ad eum, Vndè es tu? Attamen ante interrogauerat & audierat, quod de Herodis potestate, id est, homo Galilæus esset. Si ergo illi, quos mysticè per tumentes maris fluctus intelligimus, interrogauerunt eum quis esset, quod opus eius, quæ terra eius, quo iret, vel quo iturus esset. quanto magis hæc interrogasse constat Apostolos familiares & collaborantes illi in remigio siue nauigatione euangelij, quibus, vt euangelium refert, seorsum loquebatur de regno Dei. Sequitur ergo. [Et dixit ad eos, Hebræus ego sum, "& dominum Deum ego timeo, qui fecit "mare & aridam.] Multum quippe ad mysterium pertinet, quod non dixit, Iudæus aut Israelita sum ego, quæ nomina scilicet Iudæi & Israelitæ discordia diuiserat, quæ per Hieroboam scindentem decem tribus à domo Dauid acciderat, sed dixit, Hebræus ego sum. Hebræus non transitor interpretatur. Et hoc nomen valdè Christo congruit, qui non venit in hunc mundum ad manendum siue ad regnandum, sed ad pertranseundum tanquam viator, non habens hic manentem ciuitatem aut regnum, vt transiret, & transeundo salutis opus ministraret, quemadmodum de semetipso tanquam de alio dicit, & transiens ministrabit illis. Et Euangelista, Sciens (inquit) quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem. Et deinde dicit, Et dominum Deum cæli timeo, nihilominus humanitati eius congruit, quia ipse est de quo propheta prædixit, Et replebit eum spiritus timoris domini. Verè timore sancto timoratus & reuerentissimus extitit, timore qui & verè humiliatus debet dici & æstimari. Huius timoris, id est, humilitatis magisterium profitetur ipse dicendo, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Simul notandum in propheta, quod non dixerit. Et dominum Deum cæli ego fugio, sed ego timeo. Licet enim fugerit à facie domini, nequaquam tamẽ Deum fugit aut fugere voluit. Aliud namque est fugere dominum,

Sortibus nõ credẽdum. Act. 1.

Sors quando & qualiter mittẽda Christiano.

1. Cor. 13.

1. Pet. 3. 4.

Luce 11.

Christus de omnibus illis, de quibus & Ionas interrogatus est.

Ioan. 8.

Ioan. 7.

Ibidem.

Ioan. 6.

Ioan. 19.

Marc. 4.

Hebræi ap tius nomen hic, quã Iudæi aut Israelũ.

3. Reg. 12.

Ioan. 6.

Ioan. 18.

Esaiæ 31.

Luce 12.

Ioan. 13.

Esaiæ 11.

Matth. 11.

Fugere dominum, & a facie domini differunt.

num, aut fugere à facie domini. Semper malum est velle fugere Dominum, & eorũ est maximè, qui illum oderunt, licet effugere non possint, sicut scriptum est. Dextera tua inueniat oẽs qui te oderunt. Fugere autẽ à facie domini, id est, refugere sententiam, vel tremẽdum propositum Dei potest interdũ quì Deum diligit, quemadmodum iste, qui refugiebat administrare prophetale officiũ ad condemnationem suæ gentis. Quo autẽ pertinuit, tali in articulo dicere, qui fecit mare & aridam, præsertim illum qui à facie domini fugiens, ierat in mare, relinquens aridã? nisi vt ostenderet, se certam secundũ rationem de omnipotentia creatoris habere fidem, vel scientiam, quamuis secundum carnis affectum fugitans declinare tentasset impendentem suæ genti pro meritis iram? Sic & dominus noster sine dubio rationalem habens animam, secundum ipsam rationẽ sciebat, insitæ sibi diuinitatis iustam esse sententiam, quæ saluari gentes & derelinqui censebat Iudæam, quamuis per humanitatis affectum gentes differens æmularetur Iudæam, ita vt fleret super eam. Et ille quidem fluctibus circũdatus, & illa tempestate correptus, dominum Deum (inquit) ego timeo. Ipse autem Christus ex his quæ patiebatur, discens obedientiam, sicut mãdatum dedit mihi pater (inquit) ita facio, subiungens protinus, surgite eamus, quod idem erat ac si diceret (vtpotè cælestibus semper mysterijs intentus) quoniam sic est voluntas patris, Iudæa "relicta ad gentes transeamus. [Et timuerunt "viri timore magno, & dixerũt ad eum. Quid "hoc fecisti, cognouerant enim, quod à facie "domini fugeret, quia indicauerat eis Ionas.] Historiæ ordo præposterus est, Quia enim poterat dici, nulla causa timoris fuit, ex eo quod eius confessus est, dicens: Hebræus ego sum, & dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam, statim quod idcirco timuerunt, quia indicauerat eis, se domini fugere conspectum, & eius non fecisse præcepta, causantur & dicunt. Quid hoc fecisti? id est, si times dominum, cur fugis? Si tantæ prædicas potẽtiæ quem colis, quomodo putas te eum posse euadere? Sic & Apostoli Christi non ex hoc timere habebãt, quia dicebat: Quis nam ipse esset, nisi etiam dixisset eis, quod venisset dare animam suã redemptionem pro multis, quasi qui fugisset à facie domini, quod ipse quidem in sua persona, nunquam (vt superius iam dictum est) inobedienter fecit, sed fecerunt illi, quorum ipse super se peccata tulit, propter quos oportebat eum pati vel mori. Cùm enim audissent Adam & vxor eius vocem domini Dei deambulantis in paradyso ad auram post meridiem, absconderunt se à facie domini Dei in medio ligni paradysi. In Adam (inquit) Apostolus omnes peccauerunt, & idcirco rectè dicas, quia omnes in eodem à facie domini se absconderunt. Christus autem non quidem in anima peccauit, aut sese abscondit, sed eorum qui in illo peccauerũt, & in illo sese ab sconderunt à facie domini, super se (vt iam dictũ est) peccata tulit. Hoc Apostolis suis indicauit, quod oporteret ipsum mori, & animam suã dare redemptionem pro illis, & idcirco timuerunt, tam propter semetipsos, quàm propter eum, quia cũ essent adhuc infirmi, non erant ad moriendum pro illo parati. Sequitur ergo. [Et dixe" runt ad eum: Quid faciemus tibi & cessabit" mare à nobis? Quia mare ibat & intumesce" bat. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite" me in mare, & cessabit mare à vobis. Scio e" nim, quia propter me tempestas hæc grandis" est super vos. Et remigabant viri, vt reuerte" rentur ad aridam & non valebant, quia ma" re ibat & intumescebat super eos.] Secundũ" hanc enim similitudinem nautarum, sic timentium & talia dicentium, quis nõ videat, pios egisse aut dixisse Apostolos, quãdo mare ibat & intumescebat super eos, id est, quãdo turba impacabiliter seditiosa dominum quærens circundabat illos? Videntes enim ait Lucas, quod futurum erat, Domine, inquiunt, si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum põtificis, & amputauit auriculam eius dextrã, videlicet Petrus, cuius in nauclero similitudinem intelligimus. Respondens autẽ Iesus ait, Sinite huc vsque. Et apud alium Euangelistam: Conuerte (inquit) gladium tuum in locum suũ, An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus, quàm duodecim legiones angelorũ? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? Sed & paulò antè dixerat: Ecce veniet hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis. Nimirum hæc, & cætera huiusmodi similia sunt sermoni, quem hic Ionas mira magnitudine dixit: Tollite me, & mittite me in mare, & cessabit mare à vobis. At illi remigabant, vt reuerterentur ad aridam, nam etiam in gladio (sicut iam dictum est) percutere cœperant, vt cum ipso domino simul euaderent turbam illam, & non valebant, quia mare ibat, & intumescebat super eos. Pauci enim fortiores erãt, qui persequebantur eos, præsertim ipso, propter quem tempestas grandis erat, sponte patientiam exhibente, quia necessaria mundo erat eius passio vel mors. [Et clamauerunt ad" dominum, & dixerunt: Quæsumus domine," ne pereamus in anima viri istius, & ne des su" per nos sanguinem innocentem, quia tu do" mine, quemadmodum voluisti, fecisti. Et" tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & ste" tit mare à feruore suo. Et timuerunt viri" timore magno, & immolauerunt hostias" Domino, & vota vouerunt.] Clamori" ste nautarum, dolor siue luctus & fletus est discipulorum, quando necessariò tule-

Gen. 3.

Rom. 5.

Psal. 20.

Luce 22.

Matth. 26.

Matth. 20.

T runt Io-

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt Ionam, & in mare miserunt, tunc clamauerunt, quia quando consummata sunt omnia, & corpus eius permissum susciperunt sepelierunt, doloris sui voces emiserunt, primò centurione (sicut Euãgelium refert) *Ibidem 27 Luce 23.* dicente: Verè hic homo iustus erat, & verè homo hic filius Dei erat, omnesque noti eius qui stabant à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, omnisque turba eorum, qui percutientes pectora sua reuertebantur, & quodãmodo dicebant: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & cætera. Sed & in eo, quod relicto eo, discipuli omnes fugerunt, dominum in mare miserunt, quia dimiserunt, quia solum reliquerunt. Quod ita dimiserunt infirmitatis, quod autem sepelierunt, fuit officij. Vtrolibet modo completum intelligas, congrua similitudo istorum, videlicet Apostolorum, in illis nauigantibus præcessit, qui liberauerunt, quantum potuerunt, remigauerunt, quantum valuerunt. Et quia nihil proficiebant, tandem tristes & gementes, prophetam in mare miserunt. Et mare quidem stetit à feruore suo, sed viri timuerunt timore magno, id est, satiati Iudæi, scelere suo, cessauerunt persequi discipulos. At illi propter magistrum & Dominum suum fuerunt in dolore maximo. Et immolauerunt (inquit) hostias Domino, & votum vouerunt. Hostias immolauerunt Apostoli, hostias pœnitentiæ, & confessionis cum luctu & lachrymis. & ipsi hostiæ sunt facti viuentes, præcipueque Petrus, qui illum negauerat, deflendo ipsam negationem. Hostiã immolauit in Euãgelio (quod *Euangeliũ secundum Hebræos.* scribitur, Secundum Hebræos) Iacobus, frater ipsius Domini, quando deuouisse fertur, se non manducaturum panem, nisi prius videret eum à mortuis resurgentem.

CAP. II.

[E præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam. Et erat Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.]

Matth. 12. Piscis iste siue venter piscis huius, authore Domino, cor terræ, id est, sepulchrum significat. Dixit enim: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita e- *Venter infe ri cor terræ.* rit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus. Quamuis ergo dicat ipse Ionas in oratione sua. De ventre inferi clamaui, & exaudisti vocẽ meã. Sic inde intelligimus, & sic intelligendũ est, quod non infernum quo anima descendit, sed sepulchrum quo corpus reconditum est, ven- *Num. 16.* ter piscis significet. Quod si per cor terræ infernum quis intelligendum esse contendat, eo quod profunda, siue inferiora terræ credantur inferius esse, iuxta quod de Dathã & Abyron, quos terra absorbuit, ibidem scriptum est: Descenderuntque viui in infernum, operti humo, respondeat: Quomodo anima Domini, tribus diebus & tribus noctibus in inferno fuisse credenda sit, cùm protinus eadem die, qua de corpore *Luce 23.* emissa est, confracto inferno, paradysum introierit, iuxta quod ipse latroni confitenti dixit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. Igitur præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam, id est, prouidit, vt dominicum corpus in terra quæ grandi ventre morientes cunctos suscipit homines, paratam haberet sepulturam. Quomodo vel quando præparauit? Equidem inspirando Ioseph iustum, quatenus eũ sepeliret, hoc præparauit. Sed est aliud præclarius, in quo huius rei præparationem admireris, videlicet decretum, siue authoritas sanctæ ac mysticæ legis. Quando (inquit) *Lex depen dente in ligno.* peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. Prouidentiam Dei taliter decernentis, satis dignè non possumus admirari. Per hoc enim legis decretum Scribæ & Pharisæi miro modo decepti sunt in sua malitia, vt dominum nostrum verè & singulariter benedictum, putarent maledictum fieri pro tali genere mortis, & capti sunt, vellent nollent, sepultura non careret ipse quem insatiabili odio sunt persequuti. Decepti, inquam, sunt, quia legentes maledictus à DEO qui pendet in ligno, non attenderunt quod præmissum est, quãdo peccauerit homo, quod morte plectendum est. Hoc enim præmittendo sacra & iusta lex maledictum astruit, non ex pœna esse, sed ex causa siue culpa. Ipsi autem æstimari voluerunt, quod maledictum faceret talis pœna. Quæ autem poscebat causa siue vtilitas vt taliter DEVS filio suo *Vtilitas se pulturæ Christi.* Iesu Christo sepulturam prouideret? Illa nimirum, vt sicut anima eius ad inferos descendendo, animas omnium electorum eriperet, ita corpus eius in terra sepultum, corporibusque per sepulturam sociatum, resurrectionis gratiam illis afferret, resurgendo in primis, vt cætera corpora sequerentur, quod futurum est. Magno itaque & venerando consilio de sepeliendis omnibus crucifixis data est lex, dicendo hæc quæ prę dicta sunt, vt dum omnes sepelirentur, vnus *Maledi ctus à Deo solus Chri stus est.* crucifixus sepultura nõ careret. Sed in eadẽ (inqt) die sepelietur. Quã ob causam? Quia maledictus (inquit) à Deo est, qui pendet in ligno. Durè quidem sonat, enunciatio maledicti, vt ipse qui venit benedictus in nomine Domini, maledictus dicatur cũ præscripto legis, sed si ritè perpendas quod additum est à Deo magna suauitas latet in verbo aspero. Longè enim aliud est esse maledictum à Deo, & aliud est maledictum à suo peccato.

Nam qui-

Nam quicunq; damnatione maledicti sunt, non à Deo maledicti sunt, licet eos Deus ipse aliquando maledictos esse prænunciauerit, sicut Cain, cui dixit quidem: Nunc igitur *Gen. 4.* maledictus eris super terram, sed non dixit, maledictus es à me, sicut ego maledico te. Talium namque maledictio, peccatum ipsorum est. Peccatum aũt non est à Deo. Vnus ergo & solus dominus noster Iesus Christus maledictus à Deo fuit, quia maledicta, id *Esa. 53. Quæstio. Galat. 3.* est, peccata omnium nostrum super se tulit, & hoc à Deo. Dominus enim (inquit Esaias) posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Quare ergo (inquit) in lectione Apostoli sic habem⁹: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno? Vbi scriptum hoc esse meminit, non *Responsio.* habetur omnis, & econtrario quod illic habetur à Deo est, in Apostolo non inuenis. Seo est sciendum, quia non secundum Hebraicã veritatem, sed secundum vulgatam, nunc apud Græcos septuaginta interpretũ translationem testimonium posuit, & hoc necessariò, quia videlicet nimis importunũ fuisset demonstrare, tunc aliquid corrigendum esse scripturis, quando veritatem Dei Græcis incipiebat commendare de scripturis, & gratiam Christi qui vt in gentibus benedictionem daret, maledicti opinionẽ sustinuit apud Iudæos, malè intelligentes decreta bonæ & sanctæ legis. Igitur (inquit) in eadem die sepelies eum, & non contaminabis terrã tuã, quã Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. Quæ est illa terra, quam dominus Deus nobis in possessionem dedit, nisi caro Christi, quam (vt iam dictũ est) sepeliri sanctæ legis author spiritus cura- *Hier. 22.* uit. Nam terra quã calcamus, quomodo magis sepulto, & in suo sinu suscepto, quàm in sepulchro crucifixi cadauere contaminaretur. Illud potius corpus contaminatur, id est, pro cõtaminatione & immunditia sua abijcitur, cui meritò contingit, vt non sepeliatur, sicut de quodam pro parte vindictæ dictum est, sepultura asini sepelietur. Hęc id circo prolixius dicta sunt, vt præparatam legis authoritate sepulturam Domino nostro monstraremus, secundum illam præparatio- *Ioan. 19. Quæstio de tribus dieb. Christi in sepulchro.* nem mysticam, siue figuratiuam, de qua sic dictum est: Et præparauit dominus piscem grandẽ, vt deuoraret Ionam. Illa præparatio, id est, decretum legis, viã fecit alteri præparationi, cuius Ioseph vir iustus minister esse meruit, de qua videlicet præparatione sic Euangelia referunt. Erat autẽ in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquã positus fuerat. Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Hoc quæritur, quomodo secundum hunc typũ tres dies & tres noctes dominus in corde terræ fuerit, cũ hora nona diei paraſceues emisso spiritu sepultus, prima sabbati media nocte surrexerit. Ad quod dicendum idem est quod à sanctis patribus est iam dictum, quia totum à parte intelligimus, ita vt ex eo quod in paraſceue mortuus est vnam diem supputemus & noctem, & sabbati alteram, tertiam verò noctem, quæ diei dominicæ mancipatur, ad alterius diei referamus exordiũ. Nec verò incongruè secundũ tropum qui dicitur synecdoche, in tali re to- *Ioan. 17.* tum à parte intelligimus. Dixit enim adhuc viuens mortalis cum mortalibus. Et iam nõ sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quamcumq; causam dicas, siue intelligas propter quam vera citer dixerit, quia iam in mundo non erat, propter eandem causam consequenter intelligis, quia iam in ventre cœti erat. Erat autem iam vespera, siue nox illum diem præcedens, qua crucifixus, mortuus & sepultus est. Rectè ergo totus ille dies paraſceues cũ præeunte nocte sepulturæ deputatur, quia videlicet ab illa vespera, siue hora qua factus in agonia, siue cum morte agonizans, traditus & conprehensus est, quicquid de illo vel circa illum, actum est, quicquid passus est, descendere fuit in ventre ceti, ire in cor terræ, & quippe cu secundũ cor suum de illo facerent, illi qui intendebant non cælo, sed terræ, non cessaturi donec occisus tra- *Ibidem 20.* detur terræ. De sabbato & præeunte ipsius nocte, nulla est quæstio quin toto die illo quieuerit in sepulchro. Tertij diei media nocte surrexit, sed non fuit creditum quod resurrexisset vsq; ad vesperam eiusdem tertij diei, quando stans in medio discipulorũ suorum dixit eis, pax vobis. Proinde & ille dies connumeratur duobus cæteris, vt tres dies sint, & verum est, quod de semetipsa veritas dixit. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita & erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Hic illud quoque nõ prę terire libet, quia si ab hora qua spiritum tra- *Mysterii* didit computes vsque ad horam qua surre- *numeri, sci* xit, id est, vsque ad medium noctis, inuenies *licet trigin* quia tam in quantitate horarũ, quàm in quã *tatres.* titate dierum, ternarius fulget numerus sacer & venerabilis. Nona quippe hora spiritum tradidit, & restabant horæ tres eiusdem diei. Quæ coniunctæ noctis & diei sequentis horis viginti quatuor & illius qua surrexit, noctis medio, id est, horis sex, nimirum faciunt triginta tres, qui in numero ambo sunt ternarij, alter decenus, alter verò singularis. Item in anno eodem modo, idem numerus considerandus est, quia videlicet in eo quo passus est, annus eius tricesimus tertius erat, anno ætatis suæ XXX. baptizat⁹ est, anno prædicationis suæ tertio passus est. Quid sibi vult talis, vel tanta obseruatio numeri ternarij, in dispensatione sanctę eius humanita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

manitatis? Triginta nanque annis, qui nume
Peccatum Adæ. rus (vt iam dictū est) ternarius decenus est, secretus vixit, & tertio suæ prædicationis anno passꝰ est, triginta tribus horis exanimis iacuit, & tertia die resurrexit. Veneramur temporum obseruationem, inesse non dubitantes mysterij dignitatem, quod & si totum, vt est comprehendere non possumus, illud tamen occurrit, quo non minimè delectamur, quia videlicet sanctæ trinitati, patri, & filio, & spiritui sancto, qué ostendit Adā primus, semetipsum ad satisfaciendum pro nobis offerebat iste Adā secundus. Ille nāq; factus cooperante simulq; quodāmodo studium venerabiliter adhibente omnipotentia totius trinitatis ad gloriam suam, secundum hæc verba, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, sic offendit, vt propositam Dei contemneret similitudinem, perdendo fidem, amittendo spem, non habēdo charitatem. Fidem quippe perdidit, qui serpenti magis quàm Deo credidit, serpenti dicenti, nequaquā morte morie
Gen. 3. mini, magis attendit quā Deo dicenti, in quocunque die comederitis ex eo morte moriemini. Spem amisit qui peccati conscius ad latebras confugit, vt absconderet se à facie domini. Charitatem non habuit, qui requirentem se, & arguentem Deum à se superba defensione repulit. Sic ille offendit sanctam trinitatē, & Dei perdidit similitudinem hic autem ad hoc venerat, ad hoc homo natus erat, vt suscepta à Deo humanitas, homini sanctā placaret trinitatem, & in hominibus reformaret similitudinem. Delectet ergo, quod satisfaciens diuinitati in omnibus supradictis ternarium numerum obseruauit.

Adde quod adhuc pulcherrimū est, quia tribus idem dominus noster passionibus est consummatus, & flagellis cæsus, crucifixus, lancea transfixus, inter duos latrones ipse tertius pro latrone Barraba commutatus: Merito ergo placata trinitas suā confestim generi humano faciē cœpit ostendere, eductis omnibus de regione tenebrarum, qui venturi huius fidem habētes ex hac vita migrauerant, & prædicari voluit nobis reiduis vt baptizaremur in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Nunc cætera persequa
"mur. [Et orauit Ionas de ventre piscis ad do
"minum Deū suum, & dixit: Clamaui, de tri-
"bulatione mea ad dominū & exaudiuit me.]
Quod dixit & orauit Ionas ad dominū deū
Psal. 90. Esa. 38. Oratio Ionæ. suum de vtero piscis, & dixit: Intelligimus eum postquam in vtero piscis sospitem se esse senserit, non desperasse de domini misericordia, & totum ad obsecrationem esse cōuersum. Deus enim qui dixerat de iusto, cū ipso sum in tribulatione, & cùm inuocauerit me, dicam ad eum, adsum, adsuit ei. Et dicere potest, quia exauditus est, in tribulatiō ne dilatasti me, & orauit (inquit) Ionas. Si Ionas domini typus est, & ex eo, quod tribus diebus & tribus noctibus in vtero ceti fuit, passionem eius indicat, debet & oratio illius typus esse dominicæ orationis. Proin de primò secundum ipsius Ionæ, deinde secundum personam saluatoris hanc orationē pertractemus. Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me. [De ventre inferi clamaui & exaudisti vocem meam.] Non dixit, clamo, sed clamaui, nec de futuro precatur, sed de præterito gratias agit, indicans quòd eo tempore quo præcipitatus in mare vidit cetum, & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto ore se sorbere, domini recordatus sit, & clamauerit vel cedentibus aquis, & clamore inueniente locum, vel toto cordis affectu, qui vtique in auribus Dei clamor est magnus, clamauerit ei, qui solus nouit corda hominum, qui loquitur ad Moysen, quid clamas ad me, cùm vtique nil ante hanc vocem clamasse Moysen scriptura commemoret. De huius mundi clamore & Apostolus, clamātes (inquit) in cordibus vestris abba pater.
Exod. 4. Rom. 8. Ventrem inferi, aluum ceti præ magnitudine eius dicit. [Et proiecisti me in profundū, in cor maris, & flumen circundedit me.] Coniunctionis per quā sic dicit, & proiecisti me, hic est sensus. Me clamante exaudisti vocem meam, & cùm exaudires, nihilominus proiecisti me in profundum, subauditur, vt ad maiorem virtutis tuæ gloriam eriperes me, quia rursus videbo templum sanctum tuum. Proiecisti me in profundum, & non solum in profundum, quod potuisset fieri, vel esse prope littora, vel non longè ab arida, sed in cor maris, id est, in medio maris. Nam cor animalis in medio est. Et idcirco *Cor maris.* per metaphoram cor maris intelligimus medium maris. Et flumen (ait) circundedit me, id est, inundatio maris fluens ac refluens vndique vallauit me. Hoc ipsum repetens dicit. [Omnes gurgites tui, & fluctus tui super
" me transierunt.] Tuos autem gurgites, &
" tuos fluctus dico non solùm quia tu fecisti
eos, sicut supra dixeram, & DOMINVM Deum ego timeo, qui fecit mare & aridam, verumetiam qui nec eos mouisti propter, me nec intumescere iussisti super me. [Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu
" oculorum tuorum, veruntamen rursus vide-
" bo templum sanctum tuum.] Notandum, quod non nunc primùm dicere, sed dixisse se asserit, abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum. Constat ergo, quod quando in mare mittebatur, in illa tribulatione secundum multitudiuem dolorum eius, & consolationes Domini lætificauerunt animam eius, prophetica illi gratia sese infundente abundantius atque clementius, vt sciret quoniam de tam profunda abiectione adhuc mirabiliter subleuaretur, & adhuc viuens inter viuentes ver-

ret ad

ret ad templum dominicum hostijs & muneribus, competentes gratias mirabili Deo relaturus. Quod in illa se dixisse asserit confirmat in ventre ceti his verbis. [Circunde-
" derunt me aquæ vsque ad animam meam,
" abyssus vallauit me, pelagus cooperuit ca-
" put meum. Ad extrema montium descen-
" di, terræ vectes cōclusērunt me in æternū.
" Et subleuabis de corruptione vitam meam,
" Domine Deus meus.] Cunctis istis declamationibus, quibus rem verisimam veraciter astruit. Circundederunt me aquæ vsque ad animam meam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montiū descendi, terræ vectes concluserunt me. Cūctis, inquā, istis declamationibus subiungendo: Et subleuabis de corruptione vitam meam, competenter altissimo Deo dat gloriam, plenissimè sciens, & fideliter astruens, quia quæcunque vult ille, potens est, & facere, & quia possibile est apud eum, quod apud homines impossibile erat in æternum. Nam propter impossibilitatem hominū cū dixisset, & terræ vectes circundederunt me, addidit, in æternum, & propter impossibilitatem Dei subiunxit. Et subleuabis de corruptione vitam meam, pariterq; addēs cum blandientis affectu, Domine Deus meus. Corruptionem de qua subleuari sperat animam suam, verum ceti dicit, in quo naufragia dirigebantur, inter quæ potuisse hominem seruare, magna est gloria diuinæ omni-
Dani. 3. potentiæ. Quemadmodum & illud, quòd tres pueri missi in caminum æstuantis incendij, in tantum illæsi fuerunt, vt ne vestimenta quidem eorum odor ignis attingeret, & multa alia quæ supra naturam, à Domino naturæ facta sunt. Quàm dulce, quàm salubre est homini, qui post continentis vitæ trā quillitatem, tentationum fluctus incidit, & fortasis pudicitiæ naufragium passus, opus peccati tanquam rictus vel in vtrem ceti incidit, propheticæ huius orationis reminisci, vt eadem fide, simili cordis contritione, tam humili pietatis affectu, domino Deo suo blā ditur, qui solus aquas considerat circundantes, & vsque ad animam intrantes, aquas passionum carnalium & humani cordis abyssum, pelagus concupiscentiæ, vimque fæuiē tis & bullientis naturæ, & angustias animæ siue conscientiæ, quæ cùm infirma sit, per se metipsam non potest euadere vt respiret & resumat auras salubres castitatis & pudicitię cupiditatibus vel prauis amoribus cōclusa, velut quibusdam vectibus terræ. Sequitur.
" [Cùm angustiaretur in me anima mea, Do-
" mini recordatus sum, vt veniat ad te oratio
me ad templum sanctum tuum.]

Hoc quod iam supra diximus planè hic astruit, quia videlicet hora vel momento, quo mittebatur in mare, dixerit, aspiratus gratia spiritus prophetici, abiectus sum ab oculis tuis, veruntamen rursus videbo tem

plum sanctum tuum. Hoc nanque est, quod nunc ait, cùm angustiaretur in me anima *Fidei firmi-* mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad *tas in Iona.* te oratio mea, ad templum sanctum tuum.

Et considerandum, quòd nouo genere oratio fiat pro oratione, dum precatur vt oratio sua conscendat ad templum Dei. Et in hoc magnæ fidei firmitas animaduertenda est. Circundatus aquis, vallatus abysso, cooperтus pelago, conclusus vectibus terræ, non dubitat aut interrogat vtrum orationē suam possit Deus audire, vtrum auris eius hic possit adesse, & de ventre ceti, quid sibi dicatur auditu percipere, sed certum habēs apud se, quia dum nihil vsquam latere potest, orat fideliter, vt orationi Deum tantis tamque profundis angustijs ad se erumpere gestienti, viam ipse faciat, venienté ipse suscipiat. Magna hæc fides magnum meritum habet, coram Deo honorabilis est, quia docta siue erudita est, sanctamque scientiam habet. Quid enim? Nónne oratio fidelis de boni verbi radice procedit? Vbi autem ver- *Verbum fi-* bum radicatum, siue vnde natū est, nisi de *dei verbum* corde Dei patris, qui, vt fides catholicā firmiter tenet, verbi boni genitor est, verbi æterni, quod & ipsum Deus est? Vbicunque ergo conclusus homo siue hominis spiritus, vbicunque fuerit coangustatus, siue inferni siue terræ vectibus, si apud se habet verbum fidei, dum orat, non potest nesciri, quinimò ipso fidei verbo viscera Dei, cor patris altissimi fortiter tangit, vnde est origo verbi boni. Nos ergo ex eo quod ait, cùm angustiare tur in me anima mea, Domini recordatus sum, hanc eruditionem capiamus, vt nouerimus eo tēpore, quo deficit anima nostra, & à corporis compage diuellitur, nos non debere aliò cogitationem vertere, nisi ad eū, qui & in corpore, & iuxta corpus noster est dominus, quia sic nostra oratio perueniet ad templum sanctum eius, ad ipsam altitudinē cæli, cuius immensitas magna domus, & sanctum est templum eius. Hoc facere possunt, hanc fidem penes se in illo mortis articulo illi habere vel retinere queunt, qui in corpore viuentes veritatem dilexerunt. Econtra qui mendacium diligunt, in illa hora magnitudine horroris præfocati verbum bonum inuenire non possunt. Vnde" & protinus sequitur. [Qui custodiunt va-" nitates, frustra misericordiam suam dere-
linquunt.] Non dixit, qui faciunt vanita- *Eccl. 1.* tes: vanitas quippe vanitatum, & omnia *Custodire* vanitas, ne damnare videretur vniuersos, *vanitates.* & cuncto generi humano denegare misericordiam, sed qui custodiunt vanitates siue mendacium, qui transierunt in affectum cordis, qui vanitates non solùm faciunt, sed ita custodiunt, quasi diligant, & putent se inuenisse thesaurum. Misericordiam (inquit) suam derelinquunt. Licet offensa sit, misericordia, quam nos ipsum possu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

possumus intelligere Deũ, Deus enim meus misericordia mea, inquit Psalmista, tamen eos qui custodiunt vanitates non derelinquit, non detestatur, sed expectat vt redeãt. Illi verò stantem misericordiam, & vltrò se offerentem sponte propria derelinquunt.

"[Ego autem cum dote laudis immolabo tibi, quæcunque voui, reddam pro salute mea Domino.] Sensus iste est, Ego autem & si vanitatem feci, non custodio illam, sed potius votum voueo tibi, votum corrigendi, votum obediendi & pergendi quocunque iusseris, & hanc obedientiam immolando tibi in voce laudis, hæc vota pro salute mea domino. Vanitas quippe fuit, quod te præcipiente, vt irem in Niniuem ciuitatem magnam, & prædicarem in ea, præoccupaui vt fugerem à facie tua in Tharsis, metuens ne condemnaretur Israel impœnitens, pœnitentiam agente Niniue, & affectum gentis meę præferens voluntati tuæ, sed hanc ipsam vanitatem non custodiam, id est, in hac intentione non persistam, præsenti vexatione cõmonitus, quod tua voluntas sequenda sit magis, quàm carnis affectus. Infelix Israel tantis tamque crebris malis flagellatus, ad huc vanitates custodit pertinaciter, colendo vitulos aureos, quos Hieroboam fecit artifex vanitatis, nullius quippe regis sui, tempore aliquo à peccatis suis recessit, & hoc agendo, misericordiam suam dereliquit. Ego autem adhuc illi condolens, vanum habui consilium, vt à facie tua fugerem, sed nunc in tribulatione hac, vanitatem illam non custodio, intentionem huiusmodi abijcio. Quod si non facerem, misericordiam meam frustra derelinquerem, frustra, inquã, quia nullum exinde fructum consequerer, neq; is, propter quem fugi à facie tua, refuga Dei sui Israel. Igitur misericordia mea consequenter me non derelinquat, quam ego misericordiam non derelinquo, quæ non nisi derelinquẽtes se derelinquere consueuit, & non nisi impœnitentibus vnquam se abscõdit.[Et dixit dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.] Magnum hoc opus, & testimonium euidens bonitatis, & omnipotentiæ Dei, qui autem suam illuc vsque inclinauit, & quid in ventre ceti ageretur, quid fides loqueretur, quid oratio moliretur, audiuit & appendit, dixitq; & dicere potuit pisci vt euomeret Ionam, & hoc vtiq; non in aquam, vbi periclitaretur, sed in aridam, vbi seruaretur Dixit hoc planè nõ motis labijs, quę non habuit, neque voce elementari, sed illo verbo, per quod & cetum, & ipsum mare fecit. Illius verbi virtute pressus venter beluæ, prophetã reddidit, quomodo & vbi ipsum verbum voluit. Nunciam ad domini nostri Iesu Christi personam, iuxta propositum, reuertentes, hanc ipsam orationem, secundum ipsum reuoluamus, quia (sicut iã diximus) hæc oratio prophetæ, orationis eius typus est. Clamaui de tribulatione mea ad dominum, & exaudiuit me. Apostolum inprimis loquentem audiamus, Qui in dieb. (inquit) carnis suæ preces supplicationesq; ad eũ qui posit saluũ facere à morte, clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Dicat ergo Christus, clamaui, qa reuera clamore valido cum lachrymis clamauit. Vnde clamauit? De tribulatione mea (inquit) de ventre inferi. Duo dixit, de tribulatione, & de vẽtre inferi. Tribulatio fuit illi angustia passionis, & de qua clamauit, ita vt Euangelista refert, quia positis genibus, factus in agonia, prolixius orauit, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã, ab illa hora, vsq; dũ clamans voce magna spiritũ traderet, clamore valido clamauit. Venter inferi, descensus eius ad inferos fuit, totaq; absconsio siue depressio corporis eius, quamdiu in sepulchro iacuit. Equidem de tribulatione quid clamauerit, ab hominib. præsentialiter auditum est. Dixit enim inter alia quæ audita sunt ex ore clamantis, Heli, heli, lamazabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et in consummatione tribulationis clamans dixit, Pater, in manus tuas commendo spiritũ meũ. Porrò de ventre inferi quid clamauerit, audiri non potuit à quoquã mortali, sed antequã ipse in hunc mundũ veniret, spiritus eius sanctus in sancta scriptura prædixit, quid clamaturus esset, sicut & illa quæ (sicut iam diximus) clamans auditus est, Deus meus, deus meus, vt quid dereliquisti me, & pater, in manus tuas commendo spiritum meum: Deniq; Psalmus ille, Domine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte corã te, Intret in conspectu tuo oratio mea, &c. vsq; ad finẽ eiusdem psalmi, verba sunt clamoris eius de ventre inferi, postulantia celebrẽ glorificationem resurrectionis, quod sine dubio prudens lector aduertit. Igitur de tribulatione mea (inquit) clamaui ad dñm, subauditur, pro transgressoribus exorans, vt nõ perirẽt, & exaudiuit me, vt videlicet propter passionem meã, solueretur peccatũ præuaricationis Adę, & omnia delerentur peccata credẽtiũ in me. De vẽtre inferi clamaui, & exaudisti vocẽ meã, subauditur, vt non derelinqueres in inferno animã meã, nec dares sanctũ tuum videre corruptionem. Et proiecisti me in profundum in cor maris, & flumen circundedit me. Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Sensus iste est, Secundum rei veritatẽ exaudisti me, & secũdum æstimationẽ hominum proiecisti me, iuxta psalmum præmemoratum, æstimatus sum cum descendentibus in lacum, & iuxta alterius psalmi versiculũ, Tu verò repulisti, & despexisti, distulisti Christũ tuũ. Hoc enim videbatur illis, q insultantes & capitã sua mouẽtes dicebant, Cõfidit in deo, liberet eum nunc

Correctio & confessio Ionæ.

Luc. 22.

Matth. 27.

Luc. 23.

Psal. 87.

Psal. 85.

Exod. 8.

Psal. 88.

Matth. 27.

Oratio Christi, oratione Ionæ præfigurata.

Hebr. 5.

eum nunc si vult. Itaque secundum æstimationem illorum proiecisti me in profundũ, in cor maris, id est, in omne quod voluerũt de me facere seditiosi Iudæi similes mari, & flumen circundedit me, videlicet affluens tribulatio, qua non parcentes afflixerunt me. Illi omnes gurgites tui, illi omnes fluctus tui, quos passus sum, super me transierunt, id est, sine dubio transibunt, neq; enim permanebunt, sed celerem finem habebũt.

Corpus Christi, templũ sanctũ dei.

Tui namque fuerunt gurgites, tui fluctus, quia videlicet non in ipsorum, qui me afflixerunt, sed in tua potestate erat, quousque inundarent super me fluctuantes insaniæ illorum. Et ego dixi, Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum. Sicut iam dixi, quia proiecisti me in profundum, ita nunc repetens, & ego dixi (inquit) Abiectus

Ioan. 2.

sum à conspectu oculorum tuorum, subauditur, secundum æstimationem illorum, vel secundum rei veritatem, rursus videbo templum sanctum tuum, id est, ego anima, quę descendi ad inferos, rursus ingrediar & resumam corpus meum, quod est templum sanctum tuum, iuxta illud: Soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud. Hoc autem, inquit Euangelista, dicebat de templo corporis sui. Videmus factum, credimus, propter quod & loquimur, adimpletum, quia gurgites tui Deus, gurgites mortalitatis, & omnium fluctus miseriarum, quascunq; induxisti super nos, propter præuaricatoris Adæ gentiũ, super eũ transierũt, & finẽ habent, & ipse rursus vidit templũ sanctũ tuũ. i. resumpsit corpus, qd principaliter est templũ sanctũ tuũ, & nunc in medio ecclesię est, q & ipsa secũdariè dicitur & est tẽplũ sanctũ tuũ & nũc in gaudio videt illud tẽplũ sanctũ tuum. Quemadmodũ dixerat. Iterũ autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.

Ioan. 16.

Vbi autem vel in quo dixerit, quod nunc se dixisse memorat his verbis, & ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum.

Psal. 30.

Psalmista iam ante hunc Ionam, in quo idẽ Christus loquitur, prædixerat in persona ipsius, Ego autem dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Nam quod ait, ego dixi in excessu mẽtis meæ, idem est ac si dicat ego præuidi in profunditate intellectus, qui excedit intelligentiam omnis creaturæ subiungens, ideò exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarẽ ad te, quod & in isto premissum est, de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam, siue clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me. Interea considerare perpulchrum est, quomodo itẽ in alio dicat ipse. In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudisti me. Maiorẽ quippe habet vim in sensu talis dictio, clamaui ad te, quia exaudisti me, quàm si ita dictum esset, exaudisti me, quia clamaui ad te. Denique omnes sancti idcirco exauditi sunt, quia clamauerunt. Iste autem sanctus sanctorum solus est, qui veraciter dicat, clama

Solus Christus quia exaudistime. Ipse est enim electus ex millibus, qui solus idcirco venit in hunc mundum clamare pro omnibus, quia sciuit, quod pro sua reuerentia foret exaudiendus. Hoc ipse in Psalmo innuens, per os prophetæ loquitur, Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio. Et est sensus. Cum ergo intelligerem, quod illa de brutis animantibus sacrificia nolles, quòd nullus ex omnibus iustis de peccato ad plenum satisfaceret, tunc dixi, ecce venio, sciens sine dubio futurum esse, quòd satisfacientem pro omnibus & clamãtem exaudires me. Hinc est, quod clamat magna voce ad monumentũ Lazari, non orat exaudiri se. sed, pater, inquit, gratias ago tibi quoniam exaudisti me, ego autem sciebam, quia semper me amasti, me audis. Breuiter autem concludendum est, quia solus iste est, qui dicat, clamaui ad te, quia exaudisti me, sanctus autem quilibet dicat, quia clamaui ad te, exaudisti me. Sequitur. Circundederunt me aquæ vsq; ad animam meam, abyssus vallauit me, & pelagus cooperuit caput meum, ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum, & subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus. Quoniam in typo Christi propheta eius & passus est & precem fudit, perpulchrum est singulas voces istas ostendere prolatas, secundum ordinem passionis Christi, sicut actuũ passionis eiusdem ordo processit. Circundederunt me, inquit, aquæ vsq; ad animã meam.

Psal. 39.

Ibidem.

Nimirum quando collegerunt Pontifices & Pharisæi consilium, dicentes: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, & cætera. atque ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum, tunc circundederunt eum aquæ vsque ad animam, quia mortis eius, quasi iudiciariam præfinierunt sententiam. Abyssus (inquit) vallauit me. Iudas enim, qui tradebat eum, cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit cum laternis & facibus & armis, tunc vtique Dominum nostrum abyssus vallauit, abyssus videlicet iniquitatis, tenebrosum machinans secretum, secundum quod & ipse iudicans dicit: Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Et pelagus cooperuit caput meum. Profectò quando principe sacerdotum dicente: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es CHRISTVS filius DEI. Respondit, tu dixisti. Et propter hoc conclamauerunt dicentes: Reus est mortis, & expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt, & palmas ei in faciẽ dederunt, tũc pelagus caput eius operuit. Ad extrema mõtium descendi. Veraciter quando ad petitionem

Ioan. 18.

Matth. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem dicentium: Tolle tolle, crucifige eũ, & non hunc dimitte nobis, sed Barrabam, & inter sceleratos reputatus est, & medius duorum latronum crucifixus est, tunc ad extrema siue nouissima montium descendit, ita vt veraciter de illo propheta prędixerit. Non est species ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideraui mus eum despectum & nouissimum virorum. Terrę vectes concluserunt me in æternum. Reuera quando conuenerunt principes sacerdotum, & pharisæi ad Pilatum dicẽtes: Iube ergo custodiri sepulchrum eius vsque ad diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum: & illo dicente, Habetis custodiam, ite custodite sicut scitis illi abeuntes munierunt sepulchrum, signãtes lapidem cum custodibus, tunc terræ vectes concluserunt in æternum secundum ęstimationem eorum, qui gauisi sunt super eo, non putantes quòd resurgeret, sed quod periret nomen eius in æternum. Hoc erat falsum gaudium & vana spes illorum. Porrò secundum rei veritatem futurum erat, vt non videret caro eius corruptionem. Ait ergo: Et subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus, id est, conclusũ vectibus terræ, oppressum signato lapide resurgere facies me tu, qui es dominus & Deus meus, cuius ego seruus & creatura sum secundum formam serui, secundum humanitatem, cuius exanime corpus vectibus terræ concludi potuit. Sequitur. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea, ad templũ sanctum tuum. Angustiam animæ suæ verbis patentibus ipse indicauit dicens: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Amplius autem sudor eius angustiam animæ eius patefecit, qui (iuxta alium Euangelistã) factus in agonia, dum prolixius oraret, sudorem emisit, & factus est sudor eius sicut guttę sanguinis decurrentis in terram. Tunc, inquit, Domini recordatus sum, in eo videlicet, vt consilio, siue proposito diuinitatis postponerem sensum, vel effectum carnis dicendo, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Quænam illa voluntas erat? Vt veniat, inquit, ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. Hoc volebas tu, vt per passionẽ meã gentes saluarem, quemadmodum in persona mea spiritus sanctus per os Dauid prælocutus est dicens: Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hoc erat beneplacitum coram te, vt taliter postularem, imò ego ipse & sacrificium, & oratio pro gentibus moriendo fierem. Iudæos autem quamuis cognatos, siue cõtribules meos pro humanitatis affectu illis non præferrem, imò relinquerem. Quare? Nimirum quia gentibus pœnitentiam agentibus, isti impœnitentes permanent, & hoc est, quod continuò sequitur. Qui custodiunt vanitates frustrà misericordiã suam derelinquũt. Quomodo Iudæi vanitates custodierunt? Verè multo labore, & mira obstinatione, cuius cum indicia multa sint, hæc duo tantum pro testimonio commemorare, ad prę sentem pertinet locum. Postquam illum occiderunt, soliciti fuerunt munire sepulchrũ, signantes lapidem cum custodibus, causam istam fingentes, ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum. Veraciter autem hoc intendentes, quod etsi post tres dies reuiuisceret, sicut recordabantur eum prædixisse, non posset prodire lapide oppressus, & sicut hic habemus, vectibus terræ conclusus. Deinde cum quidam de custodibus venissent in ciuitatem, & nunciassent principibus sacerdotum, omnia quæ facta fuerant, illi congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicẽtes: Dicite quia discipuli eius venerunt nocte, & furati sunt eum nobis dormientibus. Ita laborauerunt custodire vanitatem suam vt etiam pecuniam darẽt copiosam, propter vanitatem custodiendam, vt in mendacio detinere possent veritatem Dei. Quæ vanitas magna est, & maior, quàm vt verbis eam quis possit cõsequi. Hoc ergo facientes, misericordiam suam reliquerunt, id est, gratiã remissionis peccatorum sperauerunt. Vndè notandum, quia non dixit, qui faciunt vanitates, frustra misericordiã suã derelinquent. Neq; enim aditũ misericordiæ perdidissent, pro eo, quod occidendo Christum, vanitatẽ fecerunt, nisi etiam permanendo in incredulitate, suamq; perfidiam ponendo contra fidem Euangelij vanitates custodissent. Proinde multo melius dictum est, misericordiã suam dereliquerunt, quàm si dicas, misericordia sua illos dereliquit, quia videlicet misericordia nullum derelinquit, sed eam derelinquunt omnes custodes vanitatis, omnes defensores perpetratę iniquitatis. Illud quoq; non prætereundum, quod dicendo: derelinquent misericordiam, addit suã, quia videlicet propheticus (vt iam tractauimus de Iudæis) sermo est, quorum Christus primùm misericordia est. Eorum enim adoptio est filiorum, vt ait Apostolus, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa, quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen. Igitur Iudæi vanitates custodiendo, idem verbum Dei repellendo, & indignos vitæ æternæ semetipsos iudicando, misericordiam suam dereliquerunt, & misericordiam nõ derelinquentem, immò visitantem eos repulerunt, tempus visitationis suæ cognoscere nolentes, non misericordiam sempiternam, sed gloriam temporalem quærentes. Sed vide adhuc, quia dicturus, misericordiam suam

Esaiæ 53.

Matth. 27.

Matth. 26. Lucæ 22.

Psal. 2.

Rom. 9.

suam derelinquent, præmisit frustra. Neque enim saltem hoc seruare potuerunt, quod occidendo Christum, sibimet reseruare putauerunt, scilicet locum & gentem, imò & lucrosum templi vel sacerdotij sui priuilegium, pro quo contra omnes gentes spiritu superbiæ nimis elati nomen magnũ & grande emolumentum, tanquam peculiaris vnius Dei populus, capiebant de toto orbe terrarum. Non est factum secundum spẽ illorum, sed sicut ipsi verbum Dei repellendo, vt iam dictum est, indignos vitæ æternæ semetipsos iudicauerunt, ita etiam felicitate præsentis vitæ indigni iudicati sunt, vt caderent in ore gladij, & amisso loco captiui ducerentur in omnes gentes captiui. Ego autẽ in voce laudis immolabo tibi, quæcunque voui reddam pro salute mea Domino. Illi autem misericordiam suam derelinquunt, sed propter eos misericordiæ laus & gloria minor non erit. Nam ego in voce laudis immolabo tibi, linguas alias pro linguis eorũ acquiram, vt cantent tibi, sicut alibi scriptũ est: Propterea confitebor tibi in populis, & psalmum dicam tibi in gentibus. Quæcunq; voui reddam pro salute mea Domino, id est ita gentes notitia tui nominis instruam, ita tuæ dilectionis igne accendam, vt vota multo plura, quam vnquam Iudæi vouerunt, pro salute sua voueant & reddant. Hæc ita dicit vt obediens, quippe vt Apostolus ait: didicit ex his, quæ passus est obedientiam. Siquidem passionibus & ipsa morte eruditus est ad impassibilitatem, quæ eatenus passibilis pro carnis affectu fleuerat super gentem suam, sicque immutatus est cunctis affectibus eiusmodi depositis, vt paratam voluntatem haberet, relinqueret illis domum suam desertam, & conuerti ad gentes. Eius taliter eruditi vox illa per Psalmistam deprompta est. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psallam in gloria mea. Nam quod protinus sequitur. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, vox est patris siue diuinitatis, carnem de sepulchro suscitans. Vndè & in hoc propheta in typum eius continuò subiunctum est: Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam. Dixit enim Dominus terræ & morti, & hunc Dominum nostrum Iesum Christum, qui erat mortuus, reddidit ad vitam, solutis inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab illo.

Hebr. 5.

Psalm. 56.

Psalm. 107.

Act. 2.

FINIS LIBRI PRIMI IN IONAM PROPHETAM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN IONAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

IAM in typum Domini nostri Iesu Christi, qui (vt supra memorauimus) secundũ apostolum didicit ex his, quę passus est obedientiam, Ionas quoque doctus erat per tribulationis magnitudinem obediendum esse imperio cælesti, & ad hoc promptam gerebat voluntatem, voto astrictus in ventre ceti, sicut & ipse indicat, dicendo: Quæcunque voui, reddam pro salute mea Domino. Hoc votum prospiciens dixerat Dominus

CAP. III. pisci, & euomuit Ionam in Aridam. His e-
"narratis, sequitur scriptura & dicit. [Et fa-
"ctũ est verbũ Domini ad Ionam secundò di-
"cens. Surge & vade in Niniuen ciuitatem ma-
"gnam, & prædica in ea, prædicationem quã
"ego loquar ad te.] Magna instantia clemens deus Niniuitarum quærebat pœnitentiam, quam vtique sciebat, tanquam Deus omnia sciens, audita prædicatione non defuturam. Sed dicet aliquis, Quare Dominus non solum Niniuitarum, sed omnium gentiũ Deus, magis de Niniuitis, quàm de cæteris gentibus curauit. Poterat enim fieri, vt alię quoque gentes conuerterentur ad pœnitentiam si prædicatores mittisset illis Deus, sicut per semetipsum testatur ipse Dei filius. Væ tibi inquit, Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factę essent virtutes, quę factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. Itẽ, quia si in Sodomis factę fuissẽt virtutes, q̃ factę sunt in Capharnaũ, permãsissent forsitã vsq; in hãc diẽ. Quare ergo Tyro & Sydoni, Sodomis quoq; prædicatorem aut prophetã nullum misit, sicut hunc Ionã tantopere ad Niniuitas ire cogit, cum & illas gentes, sicut & Niniuitas ad pœnitentiã conuerti posse præscierit? Nunquid illos saluos fieri noluit, & idcirco nullum ad eos misit? Videtur nanq; hoc cõsequi, quod eos saluos esse noluerit, quoniã testimoniũ perhibet illis, q̃ pœnitentiã fuissent acturi, si p̃dicatores mittisset eis, q̃ nõ fecit. Sed ecõtra dicit Apost. q̃ vult oẽs homines saluos fieri. Formosa q̃stio, q̃ & nostris quoq; tẽporibꝫ sollicitauit q̃ plurimos. Pinde p̃senti loco pauliſper immorandũ est. Primò dicendũ, quia

Matth. 11.

1. Tim. 2.

Quæstio.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia cum dicit dominus de illis, quia si factę fuissent virtutes in eis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, quibus vtique nō procurauit, vt fierent virtutes eiusmodi, nō est consequens; vt dicas, quia noluit illos saluos fieri, sed hoc tantum, quia de pœnitentia illorum non curauit. Esset quidē consequens, si omnis pœnitentia ad salutem sufficiens esset, nunc autem non ita est, ille nāque solummodo pœnitentiæ tenor ad salutem perducit, cum idcirco quis pœnitentiā agit, qua iudicium vniuersale & cęlorum regnum futurum esse credit, à quo excludendi sunt, & in gehennam mittendi peccatores. Cum ergo quis idcirco pœnitentiam agit, vt mala ęterna euadat, & bona consequatur sempiterna, fidelis iudicatur, & per fidem agendo pœnitentiam, saluatur. Nulli ex omnibus, quos ad talem pœnitentiam conuerti posse præsciuit, Deus vnquam prędicatores mittere seu notitiam veritatis ostendere neglexit. Est alia pœnitentia siue pœnitēdi intentio, cum quis idcirco pœnitentiam agit, vt præsentia tantum siue præsentis seculi mala effugiat, bona retineat, fidem aut curam non habens futurorum atque æternorum bonorum siue malorum: Si exempla requiras, talis pœnitentia fuit Achab, qui solummodo de sanguine Naboth, quem interfecerat ipse & Iesabel vxor sua, pœnitentiam egit, quia pro illo comminatus fuerat illi Dominus per Heliam dicens, Ecce ego superinducam super te malum, & demetam posteriora tua, & dabo domum tuam sicut domum Hieroboam filij Naboth filij Achia. Propter hoc scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. idcirco sic egit, ne regno priuaretur temporali. Huius intentionis pœnitentia si multū studiosa sit, adipisci meretur quod intendit, sicut prædictus Achab, de quo nunc dominus ad Heliam dixit, Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa non inducā malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malū domui eius. Quòd si segnior sit, & à summis (vt ita dixerim) labijs proferat, peccaui, nil proficit, quemadmodum Saul dixit quidē ad Samuelē, peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, sed nunc porta quæso peccatum meum, & reuertere mecum vt adorem Dominum, sed non obtinuit. Ait enim Samuel, Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & projecit te dominus, nē sis Rex super Israel. Porrò prior ille & melior pœnitentiæ modus, quo non propter temporalia bona, sed propter ipsum deum, & futuri seculi fidem de peccato quis compungitur, interdum absque magno opere siue labore, in prima confessione suscipitur. Exempli gratia, vt Dauid, qui cum dixisset ad Nathan, peccaui Domino, statim audiuit, Dominus quoque transtulit peccatum tuū, non morieris. Igitur cū de Tyro & Sidone, Sodomis quoq; dicit dominus, quia si factæ fuissent virtutes in illis, olim pœnitentiam egissent in cilicio & cinere, siue permānsissent forsitan vsque hodiè, ne aliquem suspicio perturbet, quòd eos saluari noluerit, & idcirco virtutes in eis nō fecerit, sciendum est, duplicem esse modum, siue intentionem pœnitendi, id est, aliud esse cum pro metu mali temporalis siue præsentis, aliud cum pro fide regni Dei pœnitentiam quis agat. Et iniusti quidem sunt vel fuerunt, qui pœnitentiam egissent, non nisi pro emolumento temporali, sicut egissent (vt ait dominus) Tyrij & Sidonij. Iniustissimi autē, qui neque propter temporalia, neque propter æterna mala euitanda pœnitentiam egerunt quales erant Iudæi, quibus & gehennam ignis æterni, & excidium quod facturi erant Romani comminabatur Dominus, & pro neutro ad pœnitentiam conuertebantur. Id circo Tyrii atque Sidonij, Sodomitæ quoq; veraciter quidem iniusti, sed comparatione illorum iustificantur, ita duntaxat, vt nō saluentur, sed vt sit eius remissius. Quid tandē de istis, id est, de Niniuitis dicemus, quibus hunc prophetam dominus ad prædicādum tantopere mittere curauit? Nunquid pro fide regni Dei pœnitentiam erant acturi? non vtiq;, sed pro metu temporalis excidij. Vndè & in primo tempore ad hanc prędicationem pœnitentiam egerunt, & veniam consecuti sunt. Postea verò mala securitate recepta, in pristinis vitijs perseuerantes Dei in se prouocauerunt sententiam, & Astiaxa rege Medorum regnante, apud Iudęos Iosia, subuersi sunt. Quod sciens Tobias ait ad filium suum. Prope erit interitus Niniue, non enim excidet verbum Domini, quod locutus est per Ionas propheta. Et subinde, Video enim, quia iniquitas eius finem dabit ei. Proinde excepto mysterio, quo in pœnitentia Niniuitarum rectè plurimum delectamur: Signum quippe fuit pœnitentiæ gentium secundum Deum, valentis ad consequēdum regnum cælorum. Excepto (inquam) hoc mysterio nihil est in quo cæteris gentibus Niniuitas pœnitentes præferamus, aut præferre debeamus. Nam cætęræ quoque gentes similiter, id est, pro temporalium rerum intentione, pœnitentiam agere potuissent, testante Domino, qui de Tyro & Sydone prædictam sententiam locutus est. Quòd si quæritur adhuc cur eiusmodi experimentum contra impœnitentem Israel, de Niniuitis potius, quam de cæteris gentibus dare complacitum est Deo, & ostendere, quod in comparatione Israelis iustificati essent, quippe qui neque pro temporalium, neque pro æternorum metu malorum pœnitentiam ageret, vitulosque aureos detestaretur, breuiter dicendum est: Niniue

Quæ pœnitentia ad salutem sufficit.

1. Reg. 21.

2. Reg. 12.

Resolutio huius quæstionis.

Tobiæ. 14.

Niniuitæ iustiores quam Iudæi & carnales.

Niniuitæ.

niue ciuitas magna metropolis Assyriorum erat. Intendebat autē Dei iustitia tradere Israelem in manus Assyriorum, quod & factum est anno nono Oseæ. Cepit enim Samanasser Rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios. Translatusque est Israel (ait scriptura) de terra sua in Assyrios, vsque in diem hanc. Præmonstratum ergo erat comparatione Israelis iustificatos esse Assyrios, ne videretur Deus supplantare iudicium, tradendo in manus eorum Israelem, qui se profitebatur peculiarem esse Dei populum. Iniustum namque calumniatoribus videretur, vt Assyrijs in terra sua potenter consistentibus, Israel D E I populus de terra sua transferretur, & in ciuitatibus Assyriorum perpetua captiuitate detineretur. Causa rationabilis data est, quòd scilicet Assyrij, saltem pro amore terræ ad pœnitentiam conuerti possent, quod de Israele diu frustra tentatum fuerat, & huius causæ experimentum, per ministerium Ionæ quæsitum, & inuentum est. Porrò, ad fidem futuri regni D E I suscipiendam, tam isti, quàm illi nimis erant imparati, & idcirco neque manifestè Israeli siue Iudæis, neque vllo modo Assyrijs cæterisue gentibus tunc illud oportebat prædicari. Nunc ad ordinem prophetiæ reuertamur, sacramentum dominicæ resurrectionis in sequentibus præ oculis habentes, cuius in antecedētibus passionis mysterium spectabamus. Et factum est verbum Domini ad Ionam secundo, dicens: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea prę dicationem, quam ego loquar ad te. Non dicitur prophetæ, quare non fecisti, quod tibi fuerat imperatum, sed sufficit ei naufragij & deuorationis sola correptio, vt qui imperantem non sensérat Deum, intelligeret liberantem. De domino nostro homine Iesu Christo in quo cum sit Deus, humanitas laborauit, illud notum esse debet, quia cum post mortis laborem in sepulchro quiesceret, secundò, verbum Domini ad eum factum est, vt ad prædicandum surgeret. Primò namque (vt superius tractauimus) verbum Domini ad eum factum fuerat, dum baptizaretur à Ioanne, quando visus est super eum Spiritus Sanctus in specie columbę & impletum est illud Esaiæ, Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me Dominus, ad Euangelizandum pauperibus misit me, &cæt. Et illud quidem ipse de semetipso testatus est, dicendo: quia hodie impleta est hæc scriptura in aurib. vestris. Illud autem quod ad eum in sepulchro quiescentem, factum vel dictum est verbum, non ipse eodem modo recitauit, sed nihilominus notū est ex psalmo iam supra memorato, vbi vox patris taliter dicit: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, subauditur ad confitendum mihi in populis, ad psallendum mihi in nationibus. Nam protinus persona filij secundum corpus in sepulchro iacentis respondens, exurgam (inquit) diluculo, subiungitque, confitebor tibi in populis, & psallam tibi in nationibus, quod nimirum est prædicare in Niniue ciuitate magna. Prædicationem quam loquitur diuinitas, antiquū habens consilium de saluandis populis, siue rationibus sanctæ Scripturæ testantur. [Et surrexit Ionas, & abijt ad Niniuen ciuitatem magnam, iuxta verbum Domini. Et Niniue erat ciuitas magna, itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere d ei vnius, & clamauit & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.] Iuxta literam, Niniue ciuitas magna erat, & tanti ambitus, vt vix trium dierum posset itinere circumiri. At ille præcepti & superioris naufragij memor, viam trium dierum vnius diei festinatione cōpleuit, quanquam & ita possit intelligi, quod in tertia tantùm parte vrbis prædicauerit, & ad reliquos confestim prædicationis sermo peruenerit. Quod ex eo maximè perpendi potest, quod protinus subiungitur. [Et crediderunt viri Niniuitæ in Domino, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis, à maiore vsque ad minorem peruenit verbum ad Regem Niniue.] Non dixit, & peruenit Ionas, sed peruenit verbum ad Regem Niniue. Et quis super hoc dubitet, quod fama tantæ rei pedibus prophetæ velocior fuerit præsertim cum ille toto die ingrediens clamaret, & clamando vtique paucis in ipso primo introitu innotescere? Videtur ergo facilitas Niniuitarum ad pœnitentiam in eo commendari, quod antequam Ionas peruenire ad Regem Niniue præueniente fama verbi D O M I N I ille crediderit. In mysterio quoque amplius sensus iste placebit. Niniue quoque ciuitas magna itinere trium dierum, mundus iste est, siue orbis nouissimarum trium partium, scilicet Asiæ, Europæ, & Aphricæ. Hunc orbem terrarum trifidum C H R I S T V S I E S V S post passionem & resurrectionem suam, introiuit itinere diei vnius, id est, illustrauit illustratione D E I vnius, vt gentes quæ multa falsarum portenta deorum sectabantur, vnum D E V M cognoscentes, ab errore suo liberarentur. Non quidem in persona sua ad gentes profectus est, sed in Apostolis suis in quibus ipse vtique loquitur, quos cum mitteret dicens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, hoc quoque dixit: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Igitur ipse ad Niniue, id est, ad gentes venit, quia veraciter cum illis est, & in ipsis loquitur, quos ipse misit. Adhuc (inquit) quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et est sensus. Adhuc tempus pœnitētię vobis

Mysterium resurrectionis Christi.

Verbum Domini ad Ionam.

4. Reg. 17.

Matth. 3.
Esaiæ 61.
Lucæ 4.
Psal. 107.

Matt. vlt.

Dies quadraginta.

pus mundi.

Niniue typus mundi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vobis gentibus datum est, & hoc tempus in sua potestate posuit Deus, quod cum impletum fuerit, consummabitur mundus, & per ignem iudicabitur. Numerus quippe quadragenarius pœnitentialis est. Nam & Moyses quadraginta diebus in monte Syna, & Helias fugiens Iezabel, quadraginta diebus ieiunauit, & ipse dominus verus Ionas, missus ad prædicationem mundi quadraginta diebus ieiunans, hæreditatem nobis ieiunij quadragenarij reliquit, vt per singulos annos sacramentum eius paschale celebraturi, ad esum corporis & potum sanguinis eius per tot dies præparemur. Itaque adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, id est, adhuc tempus pœnitentiæ breue datum est gentibus, post quod iam nō erit tempus, sicut & Apocalypsi sua Ioannes angelum fortem de cælo descendentem, qui est Christus ipse dei filius, cum iuramento firmasse testatur, & angelus (inquit) quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manū suam ad cælum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus amplius nō erit, sed in diebus vocis septimi angeli cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium dei, sicut euangelizauit per seruos suos prophetas. Mysterium dei consummabitur, Niniue subuertetur, mundus per ignē iudicabitur, homines impij cum diabolo & angelis eius in ignem æternum mittentur, tempus pœnitentiæ non erit amplius. Talis vel tantæ rei prædicatio clamor vtique est, & fragor omni aures habenti terribilis, ita vt nihil sit terribilius hoc auditu, quemadmodum & ille senserat, qui ita loquitur. Reuelatur enim ira dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitia hominum eorum qui veritatem dei in iniustitia detinent. Bene ergo & hoc ad mysteriū pertinet, quod Ionas introiens ciuitatem clamasse dicitur, quia Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Dominum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsq; ad minimum. Et peruenit verbum vsque ad regem Niniue. [Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit, & dixit: In Niniue ex ore Regis & Principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues & pecora non gustent quicquam, nec pascātur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & clament ad dominum in fortitudine, & conuertatur vir à sua via mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non pereamus?] Res gesta valde memorabilis expositione nō indiget, sed hoc semper memoriter tenendum est, quia in condemnationem Israelis hoc prouenit, quod Niniuitæ pœnitētiam tam citò tamque studiosè egerunt pro metu malorum temporalium, Israel autem toties correptus, per prophetas commonitus, neque pro temporalium, neque pro æternorum timore malorum pœnitētiam egit, vt recederet à peccatis Hieroboam, & aureorum cultum desereret vitulorū. Porrò in mysterio multò delectabilius est, quòd crediderunt viri Niniuitæ in Dominum, id est, quod Iudæis contradicentibus & blasphemantibus, gentes Christi receperunt euangelium, & gauisæ sunt, & glorificauerunt Deum. Nam prædicauerunt quidem ieiunium, & saccis vestiti sunt, id est, omnimoda humilitatis compositione ad tantam gratiā sese comparauerunt, sed hoc cum gaudio fecerunt, præ oculis habentes iucundum præsentis tristitiæ fructum, scilicet remissionē & apertum sibi regnum cælorum. Et peruenit (inquit) verbum ad Regem Niniue. Si totus mundus Niniue, quid nisi Romanum imperium intelligimus per Regem Niniue? Deniq; Romanum imperium sic terrore & potentia cunctis regnis præeminebat, quomodo ducibus siue satrapis in quolibet regno præeminet regia potestas. Ad huiusmodi Regem Niniue verbum priusquam ipse Ionas peruenit, quia videlicet Roma caput mundi, priusquam videret Apostolos Christi, Euangelium eius audiuit, & sapienter appendens, fidelem, & acceptione dignum sermonem iudicauit, magnumque cæteris gentibus fuit exemplum credendi. Neque enim contemnendum putarent, quod sapientia Romana rationabile esse sua credulitate cō probasset. Vnde gratulatus Apostolus, Primùm quidem ait, gratias ago Deo meo sem per per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in volūtate Dei, veniendi ad vos. Nondum ergo ad eos venerat, sicut adhuc amplius subiūgendo manifestat. Nolo enim vos ignorare fratres, quia sæpè proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc, &cæt. Præueniente igitur verbo ad eiusmodi Regem Niniue, ille surrexit de solio suo, &cæter. vt supra. Vsque adeò profecit auditus verbi, & paulatim inualuit, vt de altitudine gloriæ secularis demitteret, & subtus se curuaret genu verticemque inclinaret tanti imperij baptizato Imperatore Constantino per beatū Syluestrum Pontificem Apostolicæ sedis. Nam in illo quantum euangelio Christi terrena potestas assurrexerit, licet satis notum sit, paulisper tamen commemorandum est ex priuilegio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, q̄ idem Constantinus imperator constituit. In quo inter cætera sic dicit, Decreuimus quidem & hoc, vt idē venerabilis pater noster Syluester summus Pontifex, vel eius successores omnes pontifices diademate, videlicet corona quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo, & gemmis pretiosis vti

Exod. 24. 34. *4. Reg. 19.* *Matt. 5.* *Apoc. 10.* *Terror extremi iudicij.* *Rom. 1.* *Mysterium rei gestæ.* *Constantinus magnus.* *Decretum donationis eius.*

vti debeant, & eorum caput ad laudem Dei & domini nostri pro honore B. Petri Apostoli gestare. Ipse verò beatissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam B. Petri Apostoli, omninò ipsa ex auro non est passus vti corona. Frigium verò candidi nitoris, splendidam resurrectionē dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus', & tenentes frenum equi ipsius pro reuerentia B. Petri Apostoli, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes, eodem Frigio omnes successores eius singulariter vti in processionib. admirationem imperij nostri. Vnde vt non pontificalis apex vilescat, sed magis amplior quàm terreni imperij dignitas & gloria potentiæ decoretur. Ecce tam palatium nostrū vt prælatum est, quamq; Romanæ vrbis & omnes Italiæ seu occidētalium regionum prouincias, loca, & ciuitates, præfato beatissimo pontifici patri nostro Syluestro vniuersali papæ tradentes atque relinquentes ei, & successoribus ipsius pontificatus, à quorū potestate & ditione per hanc nostram diualem & sacram pragmaticā constitutionem decernimus disponenda, atque iure sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus, permanenda. Vnde congruum prospeximus nostrum imperium & regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus, & in Byzantij prouincia, in optimo loco, nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperium, quoniam vbi principatus sacerdotum, & Christianæ religionis caput, ab imperatore cælestium constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Nimirum cùm hæc iam dictus Constantinus dixit, & fecit. nunc rex Niniue de solio suo surrexit, tunc Romanum imperium verbo domini assurrexit & abiecit vestimentum suum à se, id est, illas quibus inuolutus fuerat, religiones phanaticas reliquit, susceptā Christiana religione, & induit saccum, & sedit in cinere, vt videlicet ordinare post asperitatem pœnitemtiæ, circundaremur delectamento iustitiæ, dicens cum Psalmista: Conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Religiosus namq; mos & ordinata est traditio professionis euangelicæ, vt prius de pristinis erroribus pœnitentia suscepta catechizetur quisque sacramento passionis dominicę, & deinde Christo consurgat in sacro baptismate, gaudēs de prima resurrectione. id est, de peccatorū remissione. Huius sacramenti, & omnis ecclesiæ religionis lex & ordo, multimodis iam antedictæ Romæ munitur ac roboratur decretis, eò q̄ beati principis Apostolorum Petri sedes facta sit, eiusdem & consortis eius Pauli, sicut prædicatione illustrata, ita & martyrio coronata, cunctis ecclesijs caput altius extulerit, latiusq; denominetur per omnes gentes sacra pontificū eius

Psal. 12. *Romana ecclesia caput omnium ecclesiarum Christi.*

lingua, quā dominata fuerit Cæsarum siue Augustorū purpura. Benè ergo & hoc mysterio congruit, q̄ rex Niniue clamauit, & dixit: In Niniue ex ore regis & principū eius dicens. Homines & iumenta & boues & pecora non gustent quicquam, &c. Sicut enim tunc secundum edictum regis Niniue fieri oportuit, ita secūdum fidem & traditionem beatorum Petri & Pauli, qui sunt vel esse debent os & lingua Romanæ sedis, ordinem ecclesiasticum oportet obseruari. Sanè homines & iumenta saccis operta, & clamantia ad Deum rationabiles & irrationabiles, siue prudētes ac simplices intelligere debemus ad prædicationē euangelij pœnitentiā agentes, iuxta quod alibi dicitur: homines & iumenta saluos facies domine. Dicendo autem quis scit si conuertatur, & ignoscat deus, ambiguum ponitur & incertum, vt dū homines dubij sunt de salute, non tamen desperent, imò fortius agant pœnitentiam, & magis Deum prouocent ad misericordiam. [Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.] Non tunc primùm vidit, quando sic operti sunt, non inquam tūc primùm vidit saccos eorum, quando se illis vestierūt, sed iam dudum viderat priusquā mitteret illuc prophetam, quando pphetas occidebat Israel prædicentes instantē sibi captiuitatē, & non incertus præscierat, q̄ si lōgē ad gentes mitteret prophetas, tale quid nunciando, illi audirent, & pœnitentiam agerent. Vidit ergo, id est, videre fecit per hoc experimentum, quā damnabilis esset Israel, in comparatione gentium, vt non solū prophetæ, sed & totus orbis terrarū audiēs, iustum comprobaret esse iudicium in eo, q̄ gentibus Deus misereretur, Israeli non misereretur eò quòd conuerterentur de via sua mala, Israel autem perseueraret absq; pœnitentia. Malitiam hic pro afflictione accipimus, id est pro subuersione Niniue, quā fuerat locutus, quam per prophetam fuerat cōminatus. Nec verò mutabilitatis est, q̄ qua si pœnitens Deus sæpe dimittit, quod fuerat comminatus, imò maximè stabilitatis & animi est incōmutabilis, q̄a videlicet illa intentione, vt pœnitentiam agant, solet comminari peccatoribus. Proinde & hic cùm dicit, ad huc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et in lege dicit, qui fecerit hoc vel hoc, morte morietur. Sed & in Euangelio cùm loquitur, omnes enim qui acceperint gladio peribunt, prudens lector subaudire debet, nisi conuersus fuerit, nisi pœnitentiam egerit, iuxta illud. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, id est, qualis pœna vel sententia peccatum consequatur, iam præscripsit, quam profectò tunc adimplebit, nisi conuersi fueritis. [Et afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est, & orauit ad

Malitiæ p subuersione *Matth. 26.* *Psal. 7.* *CAPI. III*

Universidad de Deusto
Biblioteca

"uit ad dominum,& dixit. Obsecro domine,
"nunquid non hoc est verbum, cùm adhuc
"essem in terra mea? Propter hoc præoccupa-
"ui vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu
"Deus meus clemens, & misericors, patiens
"& multæ miserationis, ignoscens super ma-
"litia. Et nunc domine, quæso, tolle animam
"meam, quia melior est mihi mors, quàm vi-
"ta.] Afflictionem & iram prophetæ, sed &
verba eius dicentis, & nunc domine, tolle
quæso animam meam à me, &c. vt ritè per-
Afflictio et ira Moysi. pendamus, afflictionem quoque Moysi &
iram eius, & verba eius præ oculos habere
debemus, quia videlicet & ille afflictione
magna afflictus est, & iratus fuit, & dolenter
Deut. 9. locutus, quando peccauit populus. Nam af-
flictionem suam ipse denarrans. Cumque vi
dissem (ait) nos peccasse domino Deo no-
stro, & feciſſe vobis vitulũ conflatilem, pro
cidi ante dominum sicut prius, quadraginta
Exod. 32. diebus & noctibus panem non comedens, &
aquam non bibens, &c. Iram suam in eadẽ
causa foris patefecit, dum stans in porta ca-
strorum ait, Si quis est domini, iungatur mi-
hi, congregatisque ad eum omnibus filijs Le
ui, ponat (inquit) vir gladium super fœmur
suum. Ite & redite de porta vsque ad portã
per medium castrorum, & occidat vnusquis
que fratrem & amicum, & proximum suũ.
Feceruntque ita, ceciderunt que in illo die
Afflictio et ira Ionæ. quasi viginti tria millia hominum. Porrò,
verba eius nimium dolentis & afflicti ista
sunt. Obsecro autem, dimitte eis hanc no-
xam, aut si non facis, dele me de libro tuo
quem scripsisti. Itaque & huius afflictionem
& iram, & verba dicentis. Tolle quæso ani-
mam meam, eodem sensu põderemus, quia
videlicet inde afflictus est afflictiõe magna,
quod Israel iudicio diuino cadebat & in cõ-
paratione eius iustificabatur Niniue Assy-
riorum ciuitas, credendo & pœnitentiam a-
gendo, nec refragari poterat, quin recta es-
set sententia, ac iusta incumberet suæ genti
captiuitas. Afflixit se Moyses pro populo,
vt exaudiretur, afflictus est ille afflictione
magna, eò quòd non exaudiretur. Iratus est
Moyses ira iusta & zelo bono dicendo, Po-
nat vir gladium super fœmur suum, cecide-
runtq; viginti tria millia, iste autem iratus
quidem est, sed non potuit iram suam actu
adimplere, vt auerteret iram domini à popu
3. Reg. 18. lo puniendo, id est, autores siue sacerdotes
vitulorum, sicut Helias quoque occiderat
sacerdotes Baal, quadringẽtos quinquagin-
ta viros. Tædio ergo habens vitam suam,
non dilexit cum conditione vt Moyses, aut
dimitte eis hanc noxã, aut si non facis, dele
me de libro tuo quem scripsisti, sed absolu-
tè. Tolle (inquit) quæso animam meã, quia
melior est mihi mors quã vita, subauditur,
quia timor quem timebã, euenit mihi, & q̃
verebar, accidit, hoc timebã, & hoc verebar,
quia tu Deus clemens & misericors, patiens,
& multæ miserationis, parares ignoscere,
& veniam dare pœnitentibus Niniuitis, &
in illorum pœnitentia demonstrare quàm
damnabilis esset impœnitẽs Israel, & quod
damnationem eius non tua inclementia, sed
ipsius faceret impœnitentia. Propter hoc
præoccupaui vt fugerem in Tharsis, videli-
cet non quod veniam Niniuitis, vel pœnitẽ
tiam inuiderem, sed quod gentem meã quõ-
dam præ cæteris gentibus electam, nunc cæ-
teris peiorem, & plus duræ ceruicis inueniri
timerem. Porrò, cùm Ionas typus Christi
sit, quomodo Christo conuenit affligi & ira
sci? Postquam resurrexit à mortuis, sicut
Ionas cũ sic affligeretur, & sic irasceretur, ex
ierat de ventre ceti? Nam ante resurrectio-
nem suam, afflictus quidẽ fuisse, & iratus de
suæ gentis perditione legitur, quando vidẽs
ciuitatem, fleuit super illam, & ingressus tem *Luce 19.*
plũ vendẽtes & emẽtes in illo terribiliter eie
cit. Sed postquam resurrexit à mortuis, sicut
iam non moritur, ita etiam non affligitur.
Ergo sicut non per suam personã ad gentes
venit, & tamen rectè venisse dicitur, videli-
cet per Apostolos suos, in quibus ipse loqui
tur, sic nihilominus in eisdem affligi rectè
dicitur, qui afflicti & contristati sunt, licet in
sua persona iam non affligatur. Afflictorum
vnus, in quo sine dubio Christus loquitur, *Rom. 9.*
ita dicit Paulus Apostolus. Veritatem
dico in Christo, non mentior, testimonium
mihi perhibente conscientia mea in spiritu
sancto, quoniam tristitia est mihi magna, &
continuus dolor cordi meo. Optabam enim
ego ipse anathema esse à Christo pro fratri-
bus meis, &c. [Et dixit dominus ad Ionam.
Putasne benè irasceris tu?] Quod ad vnum
Ionam dicit dominus, hoc ad omnes dicit,
qui pro officio de hominibus curantes ira-
scuntur. In ipsa nanq; ira sua reuocandi sunt
intus, vt causam siue intentionem suam re-
spiciant & attenta discretione perpendant,
vtrum benè irascantur an non. Nam si non
hominibus, sed hominum peccatis irascun-
tur, si non homines sed homiuum vitia ode
runt, & persequuntur, benè irascuntur, & bo
nus est in eis zelus. Si autem non peccatis, sed
hominibus irascuntur, si non vitia, sed homi
nes oderunt, & persequuntur, malè irascun-
tur, & malus est in ipsis zelus. Hoc igitur vi-
gilanter attendendum & decernendum est
omnibus, dum vni dicitur, Putasne benè i- *Quæ sit ira bona.*
rasceris tu? [Et egressus est Ionas de ciuita-
te, & sedit contra orientẽ ciuitatis, & fecit si
bimet ibi vmbraculũ, & sedebat supter illud
in vmbra, donec videret quid accideret ciui
tati, & præparauit dñs Deus hederã, & ascẽ-
dit super caput Ionæ, vt esset vmbra super ca
put eius, & protegeret eum, laborauerat e-
nim. Et lætatus est Ionas super hedera, læti-
tia magna. Et præparauit Deus vermem a-
scensione diluculi in crastinum, & percus-
sit hederam, & exaruit. Et cùm ortus fuis-
set sol,

"set sol, præcepit dominus vento calido & v-
"renti, & percussit sol super caput Ionæ, & æ-
"stuabat, & petiuit animæ suæ vt moreretur,
"& dixit, melius est mihi mori quàm viuere.]
Afflicto & irato prophetæ amplius impen-
ditur, vnde magis ac magis affligatur & ira-
scatur, quia videlicet per hanc similitudinẽ
hederæ, tam cito exortæ, & tam cito arefa-
ctæ prophetico spiritu intelligere poterat,
antequam fieret, id quod intelligimus nos
quia factum est, videlicet, quòd non solùm
tunc instanti tempore decem tribus, Assy-
rijs tanquam iustioribus, vtpotè impœnitẽ-
tes ad pœnitentiam pronis. Verũ & ipsa Hie
rusalem, & tota gente relicta, quandoq; ad
gentes transitura foret salus. Et secundũ hi-
storiam quidem hæc quæ nunc dicuntur, Et
egressus est Ionas de ciuitate, &c. posterio-
ra sunt præcedentibus, secundum mysteriũ
Mysteriũ huius facti Ionæ. autem anteriora siue priora sunt. Nã quod
egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra
orientem ciuitatis, illud mysticè nobis insi-
nuat, quod dominus siue verbum domini,
totius mundi gentes in initio reliquit, vt A-
postolus ait. Vias suas ingredi permisit. Fe-
citque sibimet vmbraculum, scilicet patres
Abraham, Isaac, & Iacob assumendo, & ge-
nus illorum eligendo, quia requiem sibimet
inuenit in fide illorum. Hoc est nanq; quod
ait: Et sedebat subter illud in vmbra, donec
videret, quid accideret ciuitati. Sic enim in-
Hæderale-gis litera. tra generationem eorum sese continuit, do-
nec veniret tempus reconciliationis gentiũ
quod ipse præsciuit. Quod subinde subiun-
gitur, & præparauit dominus Deus hederã,
& ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra
super caput eius, & protegeret eum, labora-
uerat enim, illud mysticè intelligim⁹, quod
post suaue vmbraculum fidei patrũ legem
dedit, & religionem sacerdotalem per Moy
sen instituit, vt sub illa contegeretur verbũ
domini, siue spiritus veritatis, adoptus figu-
ris, & vtilitate literæ, quæ congruè significa
tur per viriditatem leuis hæderę, siue, vt qui
dam volunt, cucurbitæ. Denique cucurbita
2. Reg. 6. & hædera huius naturæ sunt, vt per terram
reptent, lata habentes folia, in modum pam-
pini, & absque furcis vel adminiculis, quib.
innitantur, altiora non appetant. Sic nimi-
rum litera legis cunctarumq; cęremonia-
rum lata est, & vmbra densissima, semetip-
sam obscurat. Et nisi spiritualis intelligentię
adminiculis subleuetur, neque alta, neq; pre
ciosa est. Et lætatus est (ait) Ionas super hæ-
deram lætitia magna, quia videlicet verbũ
domini, quod est Christus, in prophetis &
sanctis hominibus habitans, priusquam in-
carnaretur, sub illa interim seruabatur, &
honorabatur etiam ab ignorãtib. quibus p
ratione temporis celabatur & celari oporte
bat quod sub vmbraculo literæ continere-
tur. Nec verò incongruè lætitia magna in
eiusmodi lætatus post laborem fuisse dici-
tur, quia nimirum pro parte illorum, qui in-
ter illas cæremonias cõplacuerunt, lætaba-
tur, qui per fidem suam illum lætificauerũt,
imò & ipsius lætitia fuit lætitia ipsorũ, quã-
do illi lætabantur in ipso, exempli gratia, vt
Dauid, quando reducens arcam domini, lu-
debat coram domino in omnib. lignis fabre
factis, & citharis, & lyris & tympanis, & si-
stris & cymbalis, & subsiliebat, atque salta-
bat, & ludam (inquiens) & vilior fiam plus
quàm factus sum, & ero humilis in oculis
meis. In eiusmodi noster Ionas, id est, Chri-
stus siue verbum domini, necdum incarna-
tum, reuera tunc lætitia magna lętabatur, &
requiescebat. Laborauerunt enim, videlicet
mores populi illius in deserto sustinendo,
nec lætari desijt, donec inde carnem assume
ret, & Deus homo fieret. At verò vbi Chri
stus passus est, & resurrexit, prædicari cœpit
Niniuitis i. cunctis gentibus pœnitentia, &
remissio omnium peccatorum in nomine
eius. Tunc omne illud vmbraculum legis, &
cæremoniarum dissipatum est, ita vt & ci-
uitas Hierusalem, & ipsum templum omni-
nò destrueretur, sicut toto orbi notum est.
Exaruit ergo hædera à verme percussa in a-
scensu diluculi. i. in reuelatione resurrectio
nis domini nostri, qui diluculo resurrexit,
vermis hic rectè Romanum imperium in-
telligitur, sicut & in Iohel per erucam, locu
stam, bruchum atque rubiginem, quatuor
principalia regna intelliguntur, quorum vl-
timum Romanũ fuit. Nam primũ Babylo- *Vermis Ro.*
nicum fuit, secundũ Persicum, tertiũ Mace- *imp.*
donicum extitit, à quibus locus & gens illa
diuersis temporibus lacerata, tandẽ à Rom.
imperio irrecuperabiliter est destructa, q̃
ad hoc ipsum vtiq; dñs præparauerat, iuxta
q̃ hic dicitur, quia vermem parauit dñs. Ita-
que sicut per pœnitentiã Niniuitarum con-
uersio gentiũ, sic per ariditatẽ hæderę signi-
ficata est desertio Iudæorũ. Quod deinde se
quitur, Et cũ ortus fuisset sol, præcepit dñs
vento calido & vrenti, & percussit sol caput
Ionę, & æstuabat, illã significat tribulationẽ,
quã in discipulis suis Christus pertulit, ab i-
pſis Iudæis, interim dũ parabatur vermis ad
percutiendã hęderam. i. dum differretur Ro
manorum aduentus, ad subuertendã Iudæã,
etiam priusquam ab hominibus subuertere-
tur, iam coram Deo subuersam, & ex quo
Christi sanguinem fudit omninò arefactã.
Inde fuit illa grandis afflictio & ira Ionæ,
de qua supra dictũ est, quia afflictione ma-
gna afflictus & iratus est. Tristitia nanq; ma-
gna fuit Apostolis, cæterisq; discipulis, ex ea *Actor. 6.*
gente, tam ex spiritu charitatis, quã ex affe-
ctu consanguinitatis, ita vt illis tanquã fra-
tribus afflicto corde condolerẽt, & tanquã
ore sæuero increparent. Exẽpli gratia, vt p-
thomartyr Stephanus, qui magna Charitate
cõpatiens clamauit dicens: Dñe ne statuas il-
lis hoc peccatũ, & magna sæueritate redar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

guens. Dura (inquit) ceruice, & incircuncisi corde & auribus, vos semper spiritui sancto "restitistis, sicut patres vestri, &c. [Et dixit dominus ad Ionã, Putasne benè irascéris tu sup "hæderã? Et dixit, Benè irascor ego vsque ad "mortẽ. Et dixit dñs, Tu doles super hæderã, "in qua nó laborasti, neq; fecisti vt crescéret, "quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte "perit. Et ego nó parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quã CXX. millia homi "num, qui nesciunt quid sit inter dextram & "sinistrã suam, & iumenta multa.] Manifestè hic tanquã argumentũ à maiore factũ est, ad constringendũ prophetam, vt consentiat, & consentiendũ esse censeat misericordiæ circa pœnitentiã Niniuitarum. Nã sine vlla cõtradictione maius est homo vnus, imò & iumentũ vnum anima & sensu vigens, quàm CXX. millia hæderarum siue cucurbitarũ, quæ & si aliqua qualicunq; vita viuunt, nullius tamen habent sensus officium. At ille super ariditate vnius hæderæ siue cucurbitæ magis irascebatur, quã super euersionem doleret, si euenisset secundum suam prophetiam, CXX. millium hominũ, multorumq; iumentorum, & qui irascebatur non seruari sibi hæderam in qua ipse nõ laborauerat, æquanimiter tulisset, vt subuerteret Deus tot homines, totq; iumenta quæ creauerat. Sed obijci potest, quia tãquã propheta, spiritu præsago prẽuidebat, quid illa prẽsignaret cucurbitę ariditas Niniue seruata. s. quod sua gens Israelitica in cõparatione gentium multò damnabilior esset iumẽto, & ob hoc irascebatur, & humano affectu propinquitati suæ condolebut. Ad hoc itaq; scienter dicendum, quia tota illa propinquitas, omnis illa multitudo Israelitica, quę verbũ domini nó recipiebat, imò ꝓphetas verbi domini prẽcones occidebat, & ob hoc in captiuitatẽ ducenda erat, iustè coram oculis domini reputabatur tanquã hædera siue cucurbita. Nam in alio propheta vocẽ audiuimus dicẽtis. Clama. Et illo dicente, quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni, & exiccatum est fœnũ, & cecidit flos, verbum aũt domini manet in æternũ. Ergo & Israel quoniam non recipiebat verbum domini manens in æternum, fœnum erat, & idcirco congrua similitudine monstratum est Ionæ, quanti æstimari deberet illa carnalis propinquitas sua, pro qua emulabatur contra Niniuitas, tanquã si diceret illi dominus, Israel sic mihi est tanquã hædera siue fœnum, quia non manet in eo verbũ domini. Niniuitæ autem qui audierunt & crediderunt, homines sunt, iumenta sunt, id est, tantò superant Israelẽ incredulum, quantò hęderam sensu carentem superant iumẽta, quæ viuunt & sentiunt, siue homines qui viuunt, sentiunt, atque discernunt. Adde & hoc, quod tot homines viuentes nesciunt quid sit inter dextram & sinistram suam, Israel autem habens legem & prophetas excusationem habere de ignorantia nõ potest. Si ergo dolor admittat rationem, correptus propheta sine dubio fatetur, zelo hominis iustiorem esse Dei clementiam. Vt tandem & hoc ipsum ad Christi personam in mysterio referamus, primùm illud reminiscamur, quòd agonizans in passione sua, Tristis est, inquit anima mea vsque ad mortem. Deinde subiungens, Spiritus quidem prõptus est, caro autem infirma. Contristabatur enim pro futura euersione Hierosolymorum in sanguinis sui vindictam, vnde & antea videns ciuitatem, fleuerat super illam, & illa tristitia siue fletus erat ex carne infirma, nam Spiritus promptus erat, sciens non esse curandum de carnalitate, sed de sola iustitia diuina. Dicat ergo spiritus prõptus carni infirmæ, Tu doles super hæderam in qua non laborasti, neque fecisti vt crescéret, & cæt. Denique tota pulchritudo ciuitatis, & cultus templi speciosi, quasi hædera pro paruo haberi debuit in conspectu diuinitatis, pro qua vtiq; noster Ionas, id est, colũba siue dolens Christus non laborauit. Neque enim idcirco Deus homo factus est, laboremque subijt passionis, vt in tali templo, siue in illis gloriaretur aut requiesceret carnalibus templi cæremonijs, sed idcirco vt saluaret Niniue, vt passione sua redimeret mundũ secũdũ illam Dei patris propheticam vocem, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionẽ tuam ternimos terræ. Sed nec fecisti, inquit, vt crescéret herba, id est, nec exegisti vt tibi offerẽtur eiusmodi victimæ & holocausta, iuxta illud Hieremiæ: Non sum locutus, ait, cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc præcepi eis dicens, Audite vocem meã, & ero vobis Deus, & cætera. Eiusmodi hædera sub nocte vna nata est, & sub vna perijt, quia videlicet cito legem populus ille recepit, dicendo, omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Cito deseruit, primùm sequendo Hieroboã, & dicendo, Non est pars nobis in Dauid, atque seruiendo aureis vitulis, & deinde secundum persuasionem pontificum de negando & crucifigendo Christum filium Dei. Dicat ergo (vt iam præfati sumus) spiritus promptus infirmæ carni, Tu doles super hæderam, id est, super propinqua tua gente Iudæa, & ego non parcã Niniue ciuitati magnæ, non prouidebo saluti gentium in toto orbe, quæ ignorant, & errant? Multa nanque sunt in gentibus millia hominũ, qui ad simulachra muta prout ducuntur, eunt, nõ per malitiã, sed per ignorantiã & sine dubio vias suas corrigerent, si haberent veritatis notitiã, si ostẽsum fuerit illis, qd sit inter dextrã & sinistrã suã. i. inter dei veritatem

Israel vt hædera & fœnum.

Esa. 40.

Mysteriũ doloris super hædera

Matthæi 26.

Psal. 2.

Hier. 7.

Exod. 32.

3. Reg. 12.

Qui nesciunt quid sit inter dex. & sinist.

tem & hominũ mendaciũ. Quod quia nondum sciũt, similes sunt puerulis, qui præimbecillitate infantiæ nesciunt quid sit inter dextram, & sinistrã suã, id est, quæ manus, vtrũ dextra an sinistra valentior, & vsui cuilibet aptior sit, qa nondum sunt experti, æqualiter eñ ad huc pro tẽpore, quia nuper de vulua prodierunt, vtrũq; brachiolum, vtraque manus omninò imbecillis est. Talium plus quã CXX. millia erant in illa Niniue, vtpotè ciuitate magna. Nam cũ esset ampla triũ dierum itinere, non incredibile est, tantum in ea fuisse multitudinem, solummodo paruulorum, & lactantium, qui (sicut iam dictum est) nullũ dexteræ & sinistræ suæ, quænam amplius valerent, ceperant experimentum.

Finis libri secundi & vltimi in Ionam Prophetam.

PROLOGVS RVPERTI IN MICHEAM PROPHETAM.

Matth. 11.

Micheas sextus in ordine duodecim prophetarum secundũ nomẽ suum, qꝫ interpretatur humilitas, in oculis suis fuisse humilis credendus est. Mysterium nanq; venturi Christi filij Dei, qꝫ nõ superbis, sed humilib. ab initio reuelatum fuit, iuxta qꝫ ipsemet ore proprio pronuncians: Confiteor, inquit, tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientib. & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, ita huic reuelatum est, vt nõ solũ qꝫ venturus vel nasciturus esset, verum etiam locũ natiuitatis eius præsciret & prædicaret. Ait enim: Et tu Bethlehem Ephrata, paruula es in millib. Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Hoc de dominatore Christo, & de natiuitatis eius loco dictum esse per hunc humilẽ, nec superbi dubitare potuerunt, qui Herodi scitanti ab ipsis vbi Christus nasceretur, respondentes, in Bethlehẽ Iudę debere nasci, testimonio præsenti vsi sunt. Hoc plus cæteris prophetis hic accepisse videtur, vt locum quoq; designaret natiuitatis eius, præter sanctum Dauid, qui magna cum afflictione & vigilijs atq; oratione se hoc ipsum quæsisse & inuenisse commemorat, cũ dicit: Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit dño, votum vouit Deo Iacob, Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei. Si dedero somnũ oculis meis & palpebris meis dormitationẽ. Et requiem temporib. meis, donec inueniã locum domino, tabernaculũ Deo Iacob. His nanq; verbis iuxta literalẽ sensum declarat secùm accepisset promissiones Christi de semine suo nasciturj, locũ quoq; scire voluisse vbi nasceretur, & ꝑ hoc desiderio vouisse qꝫ nullam suo corpori requiem indulgeret, nisi prius desideratæ rei notitiã consequeretur. Etenim cũ protinus subiungit, ecce audiuimus eam in Ephrata, oranti sibi reuelatũ esse clara voce pronunciat, natiuitatem eius futurã in Bethleẽ ciuitate sua, qa videlicet Ephrata ipsa est Bethleẽ. Quod ergo Dauid tanta cũ instantia supplicanti reuelatũ est, nõ parua gratia percepit & hic secundũ nomen suũ humilis natus de Morasthi, qꝫ interpretatur hæreditas, & erat viculus haud grandis. Cuius videlicet vocabuli mysteriũ eidem nihilominus congruit, quẽadmodum & cæteris omnib. quorum hæreditas est verbũ dñi, & dicere possũt cũ Dauid. Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternũ, quia exultatio cordis mei sunt. Hic (vt iam dictũ est) sextus sit in ordine XII. prophetarum, nimirũ quasi in corde voluminis positus, ꝑfunda mysteria continet, & in perscrutando difficultas est. Cũ ergo & difficile sit, & temerariũ posit iudicari, post magnorũ studia patrũ, nos extremos, subsequentes aliquid in huiusmodi profunditatib. scrutari, iam cessandũ putaremus ab intentione scribendi, sed talis interim mentis nostræ debilitas sese aperit, vt ex ipsius consideratione cõmoniti, illius recordaremur versiculi, Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Tædium nanq; in ocio patimur vitæ præsentis, & qua si dormitãdo viã facimus vanis cogitationũ phantasijs, nec est aliud præter huiusmodi studiũ, quod animi nostri statum confirmare possit, vtpotè inopis atq; inertis secundũ similitudinẽ serui, qui neq; quinque talenta neq; duo, sed vnum tantũ accepit. Vnum talentum est intellectus, quo nostra prauitas, sese sentit esse muneratam, & propterea fugiendũ est sibi exemplũ serui nequã, qui fodiendo in terrã talentum abscondit, & nullam saltem alicuius boni sermonis reportauit vsuram. Qualitercunq; aũt alij de nostra intentione iudicent, hoc intendere nos profitemur, vt meditando atq; scribendo præsentis vitæ reuelemus tædium, consolemur exilium, & hæreditate acquiramus testimonia Christi filij Dei in æternum. Illum ergo attendentes, qui omnib. seruis suis dicit: Negotiamini dum venio, lucrum cõquiramus etiam de propheta isto.

Mich. 5.

Soli Dauid & Micheæ reuelatus est locus natiuitatis Christi.

Psal. 31.

Gen. 25.

Ruperti humilitas in studio.

Psal. 118.

Ibidem.

Matth. 25. Luc. 19.

FINIS PROLOGI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN MICHEAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

"Verbum domini quod factum est ad Micheã prophetam Morasthiten, in dieb. Ioathan, Achaz, Ezechiæ, regũ Iuda, quod vidit super Samariã & Hierusalem.] Verbum domini quod descendere consueuit ad prophetas, descendit ad Micheam quoq;, quod (vt iam dictum est) interpretatur humilitas, qui de Morasthi loco, videlicet humili & vicu-
Ruinæ Israel duplices. lo non grandi ortus erat, quod nomen in nostra lingua hæredem sonat, vnde etiã suprà dictum est. Huius verbi domini, verbi prophetici, summa intentio est, sicut & in cæteris prophetis declamare ruinas imminentes Israelitico populo, quas de multitudine gentium instaurari oporteat, per aduentũ Christi. Ruinę autẽ eiusdem Israel duplices sunt, dum & interius à gratia Dei, vel vita æterna cadunt, & exercitus de terra, quam dominus dederat possidendam captiui ducuntur per manus hostium. Vtraque hæc mala, tam
Diuisio huius prophetiæ in partes suas. iste, quàm cæteri prophetę prænunciantes ingemiscunt, & in Christo venturo, quem annunciant, consolationem recipiunt. Libet ergo in primis prophetiam hanc per partes suas distinguere, quia si ritè animaduertimus, tertio repetita sunt in hoc propheta, ea
Rom. 11. quæ diximus, scilicet conquestio siue deploratio cadentium Israelitarũ, qui tanquã naturales rami de bona radice producti, per infidelitatem fracti sunt, & consolatio de aduentu Christi, per cuius gratiam de gentib. tanquã de oleastro rami non naturales inserti sunt. Primũ in exordio, intentione ad audiendum excitata, quod sic se habet, Audite omnes populi, & attendat terra & plenitudo eius, Reiectionem illius gentis, & causas reiectionis sic incipit. In scelere Iacob o-
Infra 2. mne istud, & in peccatis domus Israel. Quod scelus Iacob? Nonne Hierusalem? Ita incipiens & declamans vsq; ad id, Vtinam essem vir non habens spiritum, & mendacium potius loquerer, stillabo tibi vinum & ebrietatem, & erit super quem stillatur populus iste, continuò fidem patrum super carnaliũ filiorum amissione consolatur in Christo, per quem damna illorum de gentibus recuperantur. Ait enim: Congregatione congregabo Iacob, totum in vnum conducam reliquias Israel, partem ponã illum quasi gregẽ in ouili, quasi pecus in medio caularum tumultuabuntur à multitudine hominum.
Ascendet enim pandens iter ante eos, diui-
Infra 3. det, & transient portam, & egredientur per eam, & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. Deinde secundo repetens ac dicens: Audite principes Iacob, & duces domus Israel, nunquid non vestrum est scire iudiciũ, qui odio habetis dominum, & diligitis malum, & cætera vsquè ad id, propter hoc causa vestri. Syon quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi excelsa sylua-
Infra 4. rum, continuò consolationem iam dictam in Christo repromittens dicit: Et erit in nouissimo dierum præparatus mons domus domini in vertice montium, & sublimis erit super colles, & fluent ad eum populi, & prophetabunt gentes multæ, & cætera, inter quæ locum quoque natiuitatis eiusdem CHRISTI prænunciat his verbis: Et tu Bethlehem Ephrata, paruula es in
Infra 5. millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Deinde tertio repetens ac dicens: Audite quæ dominus loquitur, surge contende iudicio aduersum montes, & audiant colles vocem tuam, & cætera vsque ad id, quia filius contumeliam facit patri, filia consurgit aduersus matrem suam, nurus contra socrum suam, inimici hominis domestici eius, quibus vtique verbis condemnatio Iudaicæ siue Israeliticæ Gentis propter incredulita-
Infra 6. tem declamatur protinus per os eiusdem prophetæ taliter electio gentium semetipsam in CHRISTO consolatur. Ego autem ad DOMINVM aspiciam, & expecto Deum Saluatorem meum, & cætera, vsque in hunc finem. Reuertetur & miserebitur nostri. Deponet iniquitates
Infra 7. nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis. His animaduersis, tenebras, de quibus in Psalmo scriptum est. Tenebrosa aqua in nu-
Psal. 17. bibus aeris, id est, occulta scientia in prophetis illuminatas esse arbitramur, quia à candelabro isto, quod est Christus, illuminatur propheta, dum ruinas seminis Abrahæ siue gentis Israeliticæ, quæ diuersis temporibus varijsque casibus acciderunt, & prędicit & deplorat, & restaurationem ex gentibus per Christum futuram prouidens spiritualiter exultat. Igitur verbum Domini scriptura hæc, id est, prophetica est testificatio de aduentu Christi, qui est verbum dñi. Quod videlicet verbum factum est ad Micheam Morasthiten in diebus Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum Iuda, eisdem nimirum temporibus, vel sub eisdem regibus, sub

sub quibus prophetauerunt, Osee, Esaias, excepto vno Ozia, sub quo iste non prophetauit. Quod vidit super Samariam & Hierusalem, plus hic habet in titulo, quam ali-
Super Samariam & Hierusalẽ. quis cæterorum. De nullo namque scriptum est vtrunque hoc super Samariam & Hierusalem, sed aut super Iudam & Hierusalem, aut super Israel, id est, super decem tribus, quæ à diebus Hieroboam scissæ fuerant à domo Dauid, & à Iuda, cuius metropolis erat Hierusalem. Hic vnus Micheas Morasthites secundum nomen suum humilis, & paruo de viculo natus, hæres verbi illius, quod non in vrbe regia, neque in aureo Principum lectulo, sed in paruula Bethlehem, & in præsepi collocandum erat, de paupercula virgine incarnatum, magnam de spiritu fortitudinis sortitur auctoritatem vt videat & sententias detonet super vtrúque regnum, imò super vtranque vnius regni siue gentis diuisionem, id est, super Samariam & Hierusalem. Hoc ex subsequentibus manifestum est. Exempli gratia, cum dicit: Et ponam Samariam quasi aceruum lapidum in agro, cum plantatur vinea, &c. Item, Propter hoc causa vestri, Syon quasi aer arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit.

Nunc iam ordinem prophetici ser-
"monis ingrediamur. [Audite populi om-
"nes, & attendat terra & plenitudo eius, & sit
"Dominus Deus vobis in testem, Dominus
"de templo sancto suo, quia ecce Dominus
"egredietur de loco sancto suo, & descendet
"& calcabit super excelsa terræ, & consumen
"tur montes subter eum, & colles scinden-
"tur sicut cæra à facie ignis, sicut aquæ, quæ
"decurrunt in præceps.] Quid sibi vult tale exordium? Cur omnes populos excitat ad
Quæ est solicitudo huius prophetæ. audiendum? Cuius rei testem illis optat esse Dominum Deum? Quærimus & scire desideramus prophetę solicitudinem, pro qua re solicitus sit, vndè maxima cura sit illi. Iam profectò perfentiscere nos arbitramur, pro qua re angatur fidelis & pius, ac diuini nominis amator animus. Nouit denique leuitatem populorum, ignorantiam Dei habentium, & hoc veretur ne hoc apud illos in opprobrium diuini nominis redundet, quod Deum facturum esse præuidit in gente Israelitica, in gente cum qua fœdus pepigerat cuius Deus erat, in qua notus fuerat. Hoc, inquam, veretur, ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum, aut certè vbi est fidelitas, siue potentia Dei eorum? Huiusmodi solicitudo veraciter hominem deo fidelem comprobat, qualem & sanctum Mosen primum habuisse legimus, qui in omni domo eius fidelis erat. Cum enim iratus Dominus propter vitulum quem fecerant, diceret:
Exod. 32. Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam, ille orans Dominum Deum suũ, ne quæso, inquit, dicant Aegyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra, quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Item & alibi, cũ detraxissent terræ, quam exploratores inspe-
Num. 14. xerant, dicente domino: Feriam igitur eos pestilentia atq; consumam. Ille econtra, vt audiant, inquit, Aegyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, quòd occideres tantam multitudinem quasi vnum hominem, & dicant, non potuit introducere populum istum in terram pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine. Iosue
Iosue. 7. quoq; dum protinus coram arca domini cadens clamaret: Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem, istud quoque quasi maximum post cætera subiunxit. Et quid facies magno nomini tuo? Itaq; & istum hac solicitudine ta-
Pia solicitudo pro nomine domini. liter proclamare sentimus, vt quoniam reuocari iam sententia non potest, neque placari ira Domini, quin Israel de terra sua migret, & in captiuitatem ducatur. Sciant saltem populi causas, & non blasphement nomen Domini. Quia quod Israel relinquitur, non mutabilitatis, sed veritatis Dei est. non infidelitatis, sed iudicij, non potentiæ, sed iustitiæ. & cognoscant omnes, quia quãuis populum illum reliquerit, cui vel pro
Psal. 144. quo patribus iurauit, nihilominus tamen fidelis Dominus est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Maximè autem propter Philisthæos solicitus erat, quæ gens & ante omnes inimica extitit Israel, ab ipso exitu de terra Aegypti, & plus illi molesta fuit iam habitanti in terra promissionis. Et de ipsa gente Philisthijm
1. Reg. 17. acerbiores inimici erant Gethæi propter
2. Reg. 21. Goliam, cæterosque filios Arapha siue Orpha, qui ceciderant in manus Dauid & seruorum eius, sicut in libro Regum legimus. Propterea postmodum dicit, In Geth nolite nunciare, lachrymis ne ploretis, subauditur, quia sine dubio non condolebunt, sed insultabunt vobis & subsannabunt nomen Domini. Igitur, inquit, audite popu-
Deus Iudæ is in hostem conuersus. li omnes & attendat terra & plenitudo eius, videlicet vt sciatis iudicium Domini, propter quas causas in hostem sit conuersus illis, super quos inuocatum nomen eius fuit, quorum patres in amicitiam recepit, quibus & iurauit dare terram, de qua nunc filios eorum migrare facit Malorũ istorum causas audite, & sit Dominus Deus vobis in testem, videlicet pro semetipso testificans & semetipsum defendens, quòd non ex parte sui, sed ex parte populi irritum factum sit pactum, quod cum eis pepigit. Siquidem malum hoc antequam super eos induceret, ipse per prophetas suos non prędiceret, causasue prescriberet, non mirũ ò populi, quod videretur vobis deus reprehensibilis. nec. n. esset

Universidad de Deusto
Biblioteca

vndè apud vos iudicium vel iuſtitia eius adeò poſſet defendi. Cumque aliquando vobis diceretur, conuertimini ad hunc viuum & verum Deum, qui Deus ſcribitur Hebræorum, & de quo pſalmus loquitur: Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius, forte eſſet vobis ſuſpectus tanquam Deus non fidelis, qui non fuerit cognitus, & nunc abſconderet faciem ſuam, fieretque incognitus, relinquendo illos quos aliquando ſuſcepit, ſine cauſa & fortuita mutabilitate animi & idcirco non apponeretis cor ad illum, neque voſmetipſos crederetis illi. Sit ergo vobis in teſtem ipſe Dominus Deus, dominus de templo ſancto ſuo, ſcilicet de habitaculo pectorum fidelium prophetarum ſuorum, qui templum eius ſunt, quos per fidem inhabitat, & per os noſtrum pro ſemetipſo loquatur, & de ſemetipſo teſtificetur, quòd nõ ſit ſuæ voluntatis, quòd Hieruſalem relinquit quodque illam non relinqueret, niſi ab illo prior ipſe relictus fuiſſet, & dicat ipſe quòd contra ſe populus fecerit, quomodo receſſerit, quomodo reuocantem audire cõtempſerit, vt neceſſariò facere debuerit ipſi Deus id quod protinus ſequitur. Quid eſt illud? quia ecce dominus egredietur de locõ ſuo & deſcẽdet, & calcabit ſuper excelſa terræ, & conſumentur montes ſubter eũ, & colles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. Senſus iſte eſt. Quia ecce Dominus recedet, & omne auxiliũ auferet à populo quõdã ſuo, vbi vel in quo ita notus erat, ſicut quilibet in loco ſuo inde egredietur, & palã fiet ex ipſo malorũ euẽtu ac perpetuę captiuitatis, q; de illo tali loco ſuo veraciter egreſſus ſit & receſſerit.

Pſal.75. *Prophetæ ſunt templum domini.* *Gen.18.*

Quod autem dicitur, & deſcendet, ſic accipiendum eſt, vt illud, clamor Sodomorũ & Gomorrhæ multus eſt, & peccatum eorũ aggrauatum eſt nimis, deſcendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam. Deſcendet itaque, ſubauditur, non bono illorũ ſed ſicut deſcendit viſitare ſiue vlciſci peccata Sodomorum, quoniam & iſti teſtante alio propheta, peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt, & calcabit ſuper excelſa terræ, propter hoc ipſũ, quod excelſi ſunt, id eſt, quòd ſuperbiendo peccant, & peccando ſuperbiunt, & quod valdè damnabile eſt, æſtimatione ſua extolluntur, cum conditione terra ſint. Quid enim ſuperbit terra & cinis? Calcabit ergo & conculcabit eos propter ſuperbiam ipſorũ, & conſumentur montes, id eſt ipſi peccatores ſuperbi apud ſemetipſos alti, quorum ſuperbia primum in manifeſtum fuit, quòd Hieroboam ſibi proponentes contempſerunt humilẽ Dauid dicẽdo. Quæ nobis pars in Dauid, vel hęreditas in filio Iſai? Iſti montes, id eſt, ſummi principes, & colles, id eſt, mediocres, conſumentur & ſcindentur ſicut cera à facie ignis ſubter eum, cuius ira nõ poteſt portari, & ſicut aquæ quæ decurrunt in præceps ſurſum nõ reuertũtur, ſic ipſi per captiuitatem in Aſſyrios ſemel delapſi non reuocabuntur. Etenim Iudæ tranſmigratio in Babylonios ad tempus quidem reuocãda, ſed poſtmodum ſub Romanis omninò erat diſpergenda. decem autem tribuum captiuitas in Aſſyrios facta, nunquam erat vel eſt reducenda. Cum taliter de loco illo ſuo Dominus Deus egreſſus fuerit, nolite exiſtimare ô populi, quòd mutabilitate vſus ſit, vel quod in eo culpa ſit. Sed quid? [In ſcelere Iacob omne iſtud, & in peccatis domus Iſrael.] Omnis culpa ex Iacob eſt, omnis cauſa ex Iſrael eſt. Iacob per omne ſcelus præuaricatus eſt, Iſrael per multa peccata fœdus Domini tranſgreſſus eſt. Deus autem fidelis ait Moyſes, & abſque vlla iniquitate iuſtus & rectus, vt Pſalmiſta dicit. Quoniam rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. [Quod ſcelus Iacob, nonne Samaria? quæ excelſa Iudæ? nónne Hieruſalem?] Ac ſi dicat, Non indiget oſtenſione ſceIus Iacob, id eſt, decem tribuum, quia videlicet notum & publicum eſt. Ipſa Samaria ſcelus eſt, quia in omni regno, cuius Samaria Metropolis eſt, vituli aurei publicè pro Deo coluntur, & Baal cæteraque portenta deorum, & ibi prophetæ Domini interfecti ſunt, quorum plurimos Ieſabel interfecit. Similiter Hieruſalem metropolis Iudæ, & templum illud quondam Domini, quoddã excelſum idolum factum eſt, maximè ex quo Otholia filia Ieſabel regnauit illic, & idololatriæ fluxum illic introduxit vel auxit. [Et ponam Samariam quaſi aceruum lapidum in agro cum plantatur vinea, & detraham in vallem lapides eius: & fundamenta eius reuelabo, & omnia ſculptilia eius concident, & omnes mercedes eius comburentur igni, & omnia idola eius ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſque ad mercedem meretricis reuertentur.] Per coniunctionẽ, & ponam Samariam, paulò ante ſcriptis cõtinuatur, vbi dixerat, & valles ſcindẽtur ſicut cera à facie ignis, ſicut aquæ quæ decurrunt in præceps. Congrua valdè aſſimilatio eſt, Samariam poni quaſi aceruum lapidum in agro, cum plantatur vinea, quæ videlicet congeſtio lapidum, nimis eſt infirma ſtructura, eo quod ſine cemento ſit, & lapis lapidi non hæreat. Samaria namque ſemper diſſenſiones habuit, maximè in regibus ſuis, toties demutatis, alijs percuſſis, & ſuccedentibus, immò irruentibus alijs, atque ita factum eſt, vt vſque ad diem extremæ captiuitatis nunquam ſibi cohærerent, aduerſus ſemetipſos ſciſi, qui ſemetipſos ſciderant tam à DEO, quam à domo Dauid. Porrò illa, quæ dicitur vinea, tunc plantabatur, videlicet tot palmitibus, quot de Ae-

Deut. 32. *Pſal. 91.* *2. Para. 33.* *Samaria quaſi aceruus lapidũ in vinea.* *Pſal. 79.*

gypto tranſlata, & eiectis gentibus plantata eſt, erantque palmites eius, qui dicit ego ſum vitis, videlicet habentes fidem eius adhuc futuri, ſicut & nos credendo, quia venit, & manendo in eo palmites ſumus eiuſdem vitis. Tantum Samaria, tantumque omnis multitudo carnis Iſraeliticæ ſciſſa & non permanens in ea fide vel promiſsione, quodammodo differebat iã dicta electione, quantum differt lapidum aceruus à vinea, quæ plantatur, qui videlicet aceruus non eſt vinea, quamuis propter plantatam vineam congregatur. Conueniens ergo ſimilitudo eſt, cum dicit: & ponam Samariam quaſi aceruum lapidum in agro cum plantatur vinea, ſubiungens, & detraham in vallẽ lapides eius, & fundamenta eius reuelabo, quod idem eſt ac ſi dicat. Tradam decem tribus in captiuitatẽ, & captiuitatis eiuſdem cauſas manifeſtabo. Quod deinceps ſubiungit, Et omnia ſculptilia eius concident, & omnes mercedes eius comburentur igni, & omnia idola eius ponam in perditionem, ad eandem fundamentorum eius pertinet reuelationem, quia videlicet ſculptilia ſiue idola penes ſe habuiſſe tale eſt, ac ſi domum vitioſis conſtat innixam fuiſſe fundamẽtis, & idcirco ſtare non potuiſſe. Quia de mercedibus (ait) meretricis congregata ſunt, & vſque ad mercedem meretricis reuertentur. Et eſt ſenſus, Quia Samaria tanquam meretrix, quæ de turpi mercimonio corporis ſui plurima congerit, ita aurum & argentum ſibi congregauit, teſtante Domino, cum in alio propheta dicit. Quia fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt, quæ concepit eos, quia dixit. Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum, & neſciuit, quia ego dedi ei frumentum & vinum & oleum & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal, & cætera, quæ ita concludit. de quibus dixit.

Ioan.15. *Oſee.2.*

Mercedes hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei. Quamuis ergo Dominus ipſe aurũ & argentum multiplicauerit illi, de quibus ſibi idola fabricata eſt, tamen quoniam hoc illa neſciuit, magiſque amatoribus ſuis reputauit, & eorum mercedes eſſe dixit, rectè nunc dicit, quia de mercedibus meretricis cõgregata ſunt, ſtatimque ſubiũgit, & vſque ad mercedem meretricis reuertentur. Vſque ad mercedem meretricis, idẽ eſt ac ſi dicat, vſque ad nihilum, quia merces meretricis pro nihilo æſtimatur, teſtante ſcriptura, quæ dicit, quia precium ſcorti vix vnius panis eſt. Et falſo quidem illa mercedes amatorum ſuorum, eſſe dixit, ea quæ Deus dederat illi, ſed reuera meretrix fuit, quia ſicut hiſtoria libri Regum teſtatur, metropolis eadem Samaria quaſi per fornicationem nata, id eſt, condita fuerat, & ſtatim vt condita fuit, proſtituta eſt Baal. Siquidẽ ita ſcriptum eſt. Emitque Amri montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificauit eam, & vocauit nomen ciuitatis quam extruxerat nomine Somer domini montis Samariæ. Quo poſt ſex annos mortuo, rurſus ſcriptum eſt. Et regnauit Achab filius Amri ſuper Iſrael in Samaria viginti & duobus annis. Et fecit Achab filius Amri malum in conſpectu Domini ſuper omnes qui fuerunt ante eum, nec ſuffecit ei vt ambularet in peccatis Hieroboam filij Naboth inſuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sydoniorum, & abijt & ſeruiuit Baal, & adorauit eum, & poſuit Aram in tẽplo Baal, quod ædificauerat in Samaria, & plantauit lucum.

3. Reg. 16.

Profectò enim & anima conditoris Amri meretrix fuit, vt cæterorum regum fornicantium cum vitulis aureis, & Iezabel meretrix dæmonum fuit, cum qua & anima viri eius Achab, & vniuerſa nouæ ciuitatis plebs ſtatim cœpit meretricari cum Baal. Verè ergo Samaria meretrix. Hæc omnia ſic vaticinatur propheta, vt doleat verum eſſe & imperfectum remanere non poſſe, quod loquitur. Vnde protinus ſequitur. [Super hoc plangam & vlulabo, vadam ſpoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtrutionum, quia deſperata eſt plaga eius, quia venit vſque ad Iudam, tetigit portam populi mei vſque Hieruſalem.] Hoc ſicut litera ſonat, rectè intelligitur, quòd videlicet plangens, & vlulans propter inſtantem populi ſui captiuitatem, veſtimentis quoq; ſpoliatus & nudꝰ inceſſerit, internũ animi dolorẽ, habitu quoque corporis indicãs, ſiue captiuandorũ miſeriam, quod Eſaiam quoq; feciſſe legimus ex præcepto dñi dicẽtis. Vade & ſolue ſaccũ de lumbis tuis, & calciamentũ tuũ tolle de pedibus tuis, ac deinceps, ſicut ambulauit ſeruus meus Eſaias, nudus & diſcalciatus triũ annorũ ſignũ & portentũ erit ſup Aegyptũ, & ſuper Aetiopiã, ſic minabit rex Aſſyriorũ captiuitatẽ Aegypti, & tranſmigrationẽ Aethiopię. Quod deinde ſubiungit, faciã planctum velut draconũ, & luctũ quaſi ſtrutionum, valde dolenter pronunciat, quòd luctus & planctus ſuus pro populo illo nequaquam ſit profuturus ſiue exaudiẽdus. Quis enim draconibus terribili ſibilo perſonantibus, quando vincuntur, aliqua miſeratione compatitur? Quis ſtrutionibus oua ſua in puluere derelinquentibus miſereatur, cũ ipſe ſibimet, vel naturæ ſuę non miſereatur? Quod autem populus ille dignus fuerit huiuſmodi ſimilitudine, aliæ quoque ſcripturæ teſtantur. Nam Hieremias in lamentatione Filia (inquit) populi mei crudelis quaſi ſtrutio in deſerto. Et Ioannes Baptiſt. Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere

Verè meretrix Samaria. *Eſaiæ 20.* *Threno. 4.* *Luca 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

à ventura ira. Igitur faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum, id est, planctum nulla commiseratione dignũ, & luctum nulla consolatione deliniendum. Nam & si dolent dracones, non pium habent gemitum, qui compassionem prouocet, sed iræ ardentis tumultum, & quem cauerì oportet. Similiter & si mœrent struthiones, crudelitas innata permanet, nec ad naturalem curam siue diligentiam posteritatis inanis stultitia flecti potest. Quare hoc dicis. *Osee 1.* Quia desperata (ait) plaga eius, quia venit vsq; ad Iudam, tetigit portam populi mei vsq; ad Hierusalem. Idcirco sic loquor, quia spes misericordiæ à Domino, siue soluendæ captiuitatis decem tribuum nulla est dicente ipso per alium prophetam. Quia nõ addam vltra misereri domui Israel. Vsq; ad Iudam venit, & tetigit portam populi mei vsque ad Hierusalem, quod factum esse & *4. Reg. 18. Esaiæ 36.* Regum & Esaiæ libri testantur. Assyrius *4. Reg. 19.* quippe vastata Samaria, venit etiam in Hierusalem, eo tempore quo Rapsaces missus est insultãs. Et tunc quidem non desperata fuit plaga Iuda, siue Hierusalem, sicut plaga Israel siue Samariæ. Nam egressus angelus Domini, percussit in castris Sennacherib cẽtum octoginta quinque milia, sed postmodum à Chaldæis & Hierusalem subuersa, & populus eius in Babylonem ductus est. Amplius autem posterius in manibus Romanorum plaga eiusdem Hierusalem desperata est, & magis plagati sunt Iudæi, ducti in omnes gentes captiui, quoniã decẽ trib. tunc Assyrius subduxit. Sequitur, [In Geth nolite
" nunciare, lachrymis, ne ploretis. In domo
" puluueris puluere vos conspergite.] Ac si dicat, Hoc ad cumulum miseriarum vobis accedit, quòd patientibus nullus compatitur, cum offenso Deo cunctis quoque gentibus sitis, odiosi. Propterea dixi, Faciam planctũ quasi draconum, quia sicuti quando dracones siue ab elephantis, siue ab hominib. vincuntur, & ob hoc ingenti sibilo personant, nullus hominum accurrit ad hoc, vt de nece illorum doleat. Habent etenim dracones & homines naturales inter se inimicitias. Ita dum vos ab hostibus capiemini, nulla ex vicinis gentibus erit, quæ cõdoleat, nulla quin de malis vestris gaudeat. Amplius autem gaudebit Geth Palæstinæ vrbs, vndè fuit *2. Reg. 21.* Goliath & fratres eius, qui ceciderunt in manu Dauid & seruorum eius, & idcirco plus cæteris in miseria vestra gaudendo semetipsam consolabitur. Nolite ergo nunciare in Geth, imò optate, quòd impossibile est, ne audiat illa vestras clades, neque lachrymis ploretis, quia vester fletus, gaudium & risus eius erit. Dissimulate fletum, nec in singultus dolor erumpat, ne aduersarij gratulentur. Nolite foras exire, sed in domo puluueris puluere vos aspergite. In domo ruente, cinere ruinarum vosmet aspersos tantùm vosipsi conspicite. Hæc quidem tanquam consulendo dicit, veruntamen verba hæc non rationis sunt, sed doloris, qui sæpè rationem non admittit. Nam quantumcunq; dissimulent, lachrymasque teneant captiui, impossibile est vt calamitas eorum aduersarijs maximè vicinis vt erant Philisthijm, ignota sit. Nec moratur iudex, scilicet diuinitas, certam de pectore & ore prophetæ dare sententiam, quæ hoc modo denotat. [Transite vo,,
bis habitatio pulchra, confusa ignominia], ,, *Habitatio pulchra Samaria.*
Habitationem pulchram Samariam appellat, quippe quæ in pulcherrimo atque vberrimo Iudææ loco sita est. Dixit ergo ad eam
O tu quæ habitas in regione vberrima, quæ confusa es ignominia, transi & in captiuitatem ducere, iudicium portans ignominiæ tuæ, confestimque ad nos conuertitur, & dicit, [Non est egressa quæ habitat in exitu.] ,,
Quod vtrum de eadem habitatione pulchra id est, de Samaria, an certè de Hierusalem dicat, de qua versu sequenti manifestè loquitur, incertum est. Sed si de Samaria dicitur, hic sensus est, Non est egressa, quę habitat in exitu, id est, ipsis Assyriæ captiuitatis foribus fita est. Et statim vt mora fuerit de finibus suis, hostilem terram ingreditur, verũ quantumcunque vicina sit, non satis liquet, quomodo ipsa, quæ transire iubetur, & transit, congruè dicitur, quòd non egressa sit. Si autem de Hierusalem hoc dictum placet intelligi, sensus iste est. Vos transite iam habita- *4. Reg. 19. Esaiæ 37.*
tores habitationis pulchræ, scilicet Samariæ Hierusalem autem hac vice non egreditur, quæ tamen habitat in exitu, id est, cuius egressio siue transmigratio iam pridem parata, sed paululum differtur, videlicet Ezechia, simulque Esaia propheta Deo supplicantibus, suisque precibus eam retinentibus dictumq; est hoc secundum similitudinem alicuius egressuri, iamque in ostio stantis, cuius egressio certa quidem est, sed retardatur aliquibus ex causis. Clarum hoc est respicienti, quòd tunc quidem Hierusalem liberata est de manu Assyriorum, qui decem tribus captiuauerant, sed postmodum Chaldæis tradita, & in Babylonem ducta est. De qua videlicet Hierusalem protinus sequitur, [Planctum vicina domus accipiet à vobis, quæ stetit sibimet, quia infirmata est in ,,
bonum, quę habitat in amaritudinibus, quia ,,
descendit malum à Domino in portam Hie- ,,
rusalem, tumultus quadrigæ stuporis habi- ,,
tantis Lachis.] ,,

Nam illa quæ interim stetit sibimet Hie- ,, *Hierusalẽ infirmata in bonum.*
rusalem est, quæ (vt iam diximus) tunc egressa non est, domus autem vicina, immò cognata eius Israel erat, id est, decem tribus cuius planctum accepit à vobis ó habitatio pulchra, cui dictum est. Transite vobis, id est, abite captiui. Accepit (inquam) planctum, & ad suum traxit instrumentum vt infirmaretur, id est, coram Deo humiliaretur, & idcir-

& idcirco stetit, quia infirmata est in bonũ, quę habitat in amaritudinibus. Quam infir- *4. Reg. 18.*
mitatem bono ipsius habitam, & has amari- *Esaiæ 36.*
tudines eius scriptura libri Regum, siue Esaiæ prophetæ manifestè testantur. Cum enim translatis decem tribubus, Sennacherib Rex Assyriorum ascendisset super omnes ciuitates Iuda munitas, & cepisset eas misissetque Rapsacen de Lachis in Hierusalem, ad blasphemandum Deum viuentem, & exprobrandum clamoris vocibus. Audiens Ezechias per nuncios ingredientes ad se scissis vestibus, scidit & ipse vestimenta sua, & obuolutus est sacco, & intrauit in domu Domini Et misit Eliachim, qui erat super domum, & Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Esaiam filium Amos prophetam, & dixerunt ad eum. Hæc dicit Ezechias, Dies tribulationis & correptionis & blasphemiæ dies hæc, quia venerunt filij vsque ad partum, & virtus nõ est parturienti, &c. Taliter infirmata est & adeò habitauit in amaritudinibus, vt alsimi laretur parienti virtutem in partu non habenti, pro eo quia ascendit malum à domino in portam ipsius Hierusalem. Et tumul- *Lachis.*
tus quadrigæ stuporis habitanti Lachis, quę ciuitas erat in tribu Iuda, quam & ceperat Sennacherib, vnde & seruos suos misit ad Ezechiam, cuius quadrigæ tã multæ erant, vt rectè dicantur, quadrigæ stuporis. Malum illud à Domino descendisse dicit, quia videlicet non venisset Sennacherib, nisi iudicio vel permissione Domini. Quod ipse quo- *Vbi supra*
que scire gestiens, eademq; scientia nimium abutens, non parum de suo mendaciter adiecit. Dixit enim: Nunquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, vt demolirer eum. Dominus dixit mihi, Ascende ad terram hanc, & demolire eam. Descendisse autem illud malum in portam Hierusalem congruè dicit, quia nuncij Sennacherib, per quos talia mandauerat, venientes Hierusalem steterunt iuxta aquæ ductum piscinæ superioris, quæ est in via agri fullonis, vocaueruntque Regem. Egressus est autem ad eos Eliachim filius Helchiæ præpositus domus, & Sobnas scriba, & Ioæ filius Asaph à cõmentarijs. Sed non est egressa (inquit hic propheta) quæ habitat in exitu, subauditur quamuis clamaret Rapsaces. Hæc dicit Rex magnus, Rex Assyriorum, facite mecum, quod vobis est vtile, facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, &cæt. Habitat quidem in exitu (vt iam dictũ est) quia vicina erat Babylonia captiuitas, sed tunc egressa nõ est, nec ipse ingredi permissus est, dicẽte Domino per Esaiã: Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec *Vbi supra.*
occupabit eam clypeus, non circundabit eã
" munitio, &c. Sequitur. [Principium pec-
" cati est filiæ Syon, quia inuenta sunt in te
" scelera Israel. Propterea dabit emissarios su-

per hæreditatem Geth, domum mendacij,, in deceptionem regibus Israel. Adhuc hæ-,, redem adducam tibi, quæ habitas in Mare-,, sa, vsque Adollam veniet gloria Israel.] No,, mina hæc sunt ciuitatum in tribu Iuda. Lachis, Maresa, & Adolla. Porrò, Geth Palæstinæ (vt iam dictum est) vrbis vocabulum est. Veruntamen totus hic locus obscurus est, propterea, quia nihil rerum gestarum ex eis scriptura refert in illo aduentu Assyriorum, nisi quod cum cæteris vrbibus commune est, quia ascendit Rex Assyriorum ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas, excepto quod de Lachis Rapsacen misisse legitur in Hierusalem ad Regem Ezechiam, cum manu graui. Itaque quia nihil suffragatur de scripturis, quòd locum hunc splendidiorem reddere possit, nihil est amplius quod lector exigere possit, quàm ipsa Beati Hieronymi dicta dubiè pertractantis & quasi nauicula, vt fatetur ipse, inter saxa & acutissimos scopulos pro posse regentis. Venient igitur (inquit) ô Lachis vrbs idolis dedita, & ad te quadrigæ & equites Assyriorum, quia & in te inuenta sunt scelera Israel, & tu fuisti principium Idololatriæ in Iuda. Per te enim quasi per portam impietas decem tribuum migrauit Hierusalem. Non solum autem per Lachis tumultus veniẽt quadrigæ, sed & super Geth metropolim Palæstinæ (de qua suprà dixeram) in Geth nolite annunciare. Mittet enim Assyrios latrunculos suos quos vocat emissarios & possidebit domum idololatriæ vrbemque mendacij, quæ in supplantationem fuit regibus Israel. Quod autem sequitur: Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa, pulchrè alluſit ad nomen. Quia enim Maresa hæreditas dicitur, aduentum in eam hostium pro hæredibus appellauit, & vsque Adollam vrbem Iudæ veniet Maresa, id est, hæreditas, quæ gloriosa est in vrbibus Israel, vt vbi dicitur, gloriæ, genitiuus casus, sit numeri singularis huius gloriæ, & non nominatiuus pluralis hæ gloriæ. Vel certè ita intelligamus. Captiuitas Israel, quæ euenit Lachis, & Geth, & Maresa, vsque Adollam quoque veniet, expressiusq; legendum est gloria Israel, vt per antiphrasin ignominia, vel vastitas sentiatur. Nunc idem quod paulò ante dixerat, transite vobis, habitatio pulchra confusa ignominia verbis alijs rursus edicit. [Decaluare ,,
& tondere super filios deliciarum tuarũ, di- ,,
lata caluitium tuum sicut aquila, quoniam ,,
captiui ducti sunt ex te.] Et illic transite, cũ ,,
dicit, hoc est sine dubio transibitis, & hic, de ,,
caluare & tondere, & dilata caluitium tuum
idem est ac si dicat: Decaluaberis & tondeberis, & caluitium tuum dilatabis. Veruntamẽ cum dicit, sicut aquila, breuiter alios pro alijs filijs restituendos significat, vt vel ipse propheta, vel quilibet alius spiritualiter intelli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligens, in ipsa pro qua dolere poterat decaluatione & tonsione Israelis consolatione non careat. Quomodo enim vel ad quid *Caluitium aquilæ.* decaluatur, siue caluitium dilatat aquila? Nimirum certo tempore cũ senuerit veteres pẽnas amittit, & remanet inplumis, sed nouis renascẽtibus, ipsa iuuenescit. Vndè & Psal- *Psal. 102.* mista Renouabitur (ait) sicut aquilæ iuuentus tua. Ergo spiritus illud propheticus mysticè innuit, quòd pro filijs deliciarum, id est pro filijs carnalis Israel, qui & à fide exciderunt, & de terra sua captiui mox traducendi erant, alij non filij carnis, sed filij promissionis, & fidei subrogandi forent, atque ita rursus iuuenescens Israel tanquam aquila renouata plumis ac pennis floridis ornata in cælum volaret, quod nunc fit, & vsq; in finem seculi fieri non desinet, renascentibus ex omnibus gentibus fidelibus, tanquam nouis plumis, & carnalibus filijs, tanquam veteri-
CAP. 11. bus plumis in omnes gentes perpetua captiuitate dispersis. Sequitur. [Væ qui cogitatis
"inutile, & operamini malum in cubilibus ve
"stris. In luce matutina faciunt illud, quoni-
"am contra Dominum est manus eorum. Et
"concupierunt agros, & violenter tulerunt,
"domosque rapuerunt, & calumniabantur
"virum & domum eius, virum & hæreditatẽ
"eius. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego
"cogito super familiam istam malum, vndè
"non auferetis colla vestra, & non ambulabi
"tis superbi, quoniam tempus pessimum est.]
Hactenus dixerat, quod propter scelus Iacob, & propter peccata domus Israel tradẽda esset Samaria, malumq; descensurum à Domino in portam Hierusalem, & omnes populos terramq; & plenitudinem eius scire optauerat iustitiam Domini, sic in populum quondam suum vindicantis, sed non dixerit modum sceleris siue peccatorum, id est, vtrum taliter peccassent, vt iram tantam meritò sustinere deberent. Vt ergo amplius iustitia Dei manifestetur, & ipsi inexcusabiles cognoscantur. Væ (inquit) qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris, statimque ad auditores conuersus, in luce (ait) matutina faciunt illud, quoniã cõtra Dominũ est manus eorum, &c. Modũ peccati illorum in eo maximè exprimit, qd
Psal. 72. alt. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Dominum est manus eorum. Quid enim est in luce matutina, nisi ac si dicat, nõ in ignorantia? Et quid est, quoniam contra Dominum manus eorum, nisi ac si dicat, nõ ex infirmitate, sed ex superbia, (vel sicut psal
Psal. 24. mista dicit) quasi ex adipe prodijt iniquitas eorum. Hic namque modus peccati est deterrimus, cum quis non per ignorantiam, non per infirmitatem, sed scienter per superbiam peccare cognoscitur. Denique si per ignorantiam quis peccat, si per infirmitatem delinquit, adhuc venia proxima est illi. Vn-
Psal. 9. dè Psalmista firmiter tenẽs anchoram spei. Delicta (inquit) iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Iuuentutem pro infirmitate posuit, quia videlicet iuuentus ipsa magna carnis infirmitas est. Porrò peccator superbus Dominum exacerbat, & Dominus (sicut ait idem) secundum multitudinem iræ suæ nõ quæret, id est, pereuntem non requiret, veniam illi non offeret, quia *Væ tibi Hieroboam.* multum iratus est. Væ igitur tibi ô Hieroboam, de cuius peccatis nunc maximè agitur, vbi præmissum est, in scelere Iacob omne istud & in peccatis domus Israel. Tu enim peccare fecisti Israel, & idcirco tu solus sufficis, vt (exempli gratia) venias ad mediũ pro omnibus, quibus vę minatur, quia cogĩ tant inutile, & operantur malum in cubilib. suis, in luce matutina, id est, scienter, vel cũ consilio & quasi sapienter faciunt illud, quoniam contra Dominum est manus eorum. De te namq; sic manifestè scriptura testatur. *3. Reg. 12.* Dixitque Hieroboam in corde suo. Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, & conuertetur cor populi huius ad Dominum suũ Roboam regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite *3. Reg. 11.* vltra ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Hoc inutile cogitasti. Inutile (inquam) quia non profuit tibi, imò pernoxium, quia plurimum nocuit tibi. Nisi enim istud cogitasses, melius & diutius regnare potuisses, quia sic per prophetam dixerat Dominus ad te. Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi & ambulaueris in vijs meis, & ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quam ædificaui Dauid, & tradam tibi Israel. Quia verò cogitasti hoc, non solum cogitando & faciendo, non confirmasti regnum tibi, verumetiam nimis infeliciter te & thronum tuum deturbasti, secundum verba eiusdem Domini per eundem prophetam dicẽtis: Quia, sic fecisti, ecce ego inducam mala super domũ Hieroboam, & percutiam de Hieroboam mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel, & mũdabo reliquias do- *3. Reg. 14.* mus Hieroboam, sicut mundari solet fimus vsq; ad purum. Qui mortui fuerint de Hieroboam, in ciuitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro vorabunt eos aues cæli, quia dominus locutus est. Ergo nimis inutile fuit, quod cogitasti, & idcirco omnium illorum exemplum meritò fieri debuisti, qui similiter inutile cogitant, & operantur malum in cubilib. suis. Quinam sunt illi? Nimirum omnes qui eiusmodi sunt, vt non ab aliquo inducantur, sed proprio de corde malum confingunt, & adinueniunt de semetipsis, vtpote malicioſi, quod te fecisse scriptura manifestè redarguit, dum di- *Malicios. Osee. 8.*
cit: Dixitq; Hieroboam in corde suo, &cæt.
Vndè

Vnde & alius propheta cũ de vitulo tuo loqueretur, Ex Israel (inquit) ipse est, artifex fecit illum Tu es ille artifex notissimus inter oẽs artifices, qui malũ operantur, vel operati sunt in cubilibus suis. i. adinuenerunt de cordibus suis, qui in luce matutina, id est, eum deliberatione, non ignoranter, sed sciẽter (vt iam dictum est) faciunt illud, cp ex eo maximè probatur, quoniam contra dominum est manus eorum, id est, quoniã peccatum suum, dum redarguuntur, fortiter defendunt, quod fecisti tu, qui redargutus per prophetam, extendisti manum tuam contra
3. Reg. 13. dominum, sicut scriptum est. Cumq; audisset rex sermonem hominis Dei, quem incla
Violentia regũ, Israel contra proximos suos mauerat contra altare Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum, & exaruit manus eius quã extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. Huiusmodi vt contra dominum ita contra fratres & proximos, quibus præualent impiè fortes, & fortiter impij sunt. Vnde & protinus subiungit. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, domosq; rapuerunt, & calumniabantur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius. Talium quoque
3. Reg. 21. quod væ illis sit, vnus pro exemplo satis est, videlicet Achab rex Israel, qui concupiuit vineam Naboth, & quia noluit eam dare, calumniatus est cum vxore sua, virum eundem & hæreditatem eius. Calũnia fuit eiusmodi, Sumite, inquit) duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Naboth Deum & regem, & ducite eum, & lapidate, sicq; moriatur, & ita factum est. Talia fuerunt scelera Iacob, & talia peccata domus Israel, cuius inter reges isti duo Hieroboã & Achab, cum vxore sua Iezabel notissimi in sceleribus sunt, quorũ à peccatis, neque reges neque populares recesserunt, imò vsq; adeo tandem in peius, pgressi sunt, vt contra ipsum dominum Christum cogitarent inutile, & operarentur malum, ita vt virũ eiusmodi calumniarẽtur &
Matth. 21. hæreditatem eius, dicẽtes cùm vidissent eũ. Hic est hæres, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Væ igitur illis. Nãidcirco hæc dicit dominus, Ecce cogito super familiam istam malum, vnde non auferetis colla vestra, & non ambulabitis superbi, quorum tempus pessimum est. Videmus ita factum quia videlicet decem tribus iugum Assyrię potestatis subierunt, de quo auferre colla sua, nec potuerunt, nec possunt, tribus autẽ Iuda in Babylonem ducta, rursus quidem de illa captiuitate collum suum abstulit, sed rursum captiuãtibus Romanis collũ suũ iã erigere, vel superbi ambulare nõ possũt, sũt enim contemptibiles coram omnibus hominibus, tempusque passionum est illis, maximè pro ciuitate qua sunt excæcati. Sequitur.
"[In die illa sumetur super vos parabola &
"cantabitur canticum cũ suauitate dicentiũ:
Depopulatione vastati sumus pars populi,,
mei cõmutata est. Quomodo recedit à me,,
cũ reuertatur, qui regiones nostras diuidat? ,,
Propter hoc non erit tibi mittens funiculũ,,
sortis in cœtu domini.] Sensum scripturarũ,,
sensum verum quærere, & indagare cupien *Exempla à*
tes, sy luaticarum venationum recordamur, *canibus ve-*
quarum in vsu quinam canes veraciter ve- *natus.*
natici sint, comprobantur. Nam qui eius naturæ, vel sagacitatis non sunt, vt venationis infatigabili dilectione trahantur, mox vt spinetis, aut paludibus, aut scopulis, vel rupib. offensi fuerint, fugientem capream, aut hinnulum ceruorum segnes obliuiscuntur, & ad domestica cubicula vacui reuertuntur. Qui autem canes ingenui vel naturaliter sunt venatici, nullius difficultatis offensione superantur, sed eunt perniciter per aspera, per inuia, quo semel aspectæ venationis delectabili odore trahantur, quasi morituri nisi capiant, miserabiliter gemebundi, nisi apprehendant. Si canes domini sumus, sensus veritatis in sanctarum scripturarum sylua densissima venatio nobis est. Currimus *Difficultas* vt comprehendamus, & tunc læti sumus. tũc *huius capi-* coram illo lætari gestimus, si inter omnes li- *tuli.* teræ difficultates perseueranter intenti, sensum bonum & vtilem, qui lectorem ædificet, & velut conuiuã oblectet, reportamus. Capitulum præsens secundum saltuum iam dictam similitudinem, difficile est adeò, vt propter difficultatem eius dicat B. Hieronymus, & studiosus sensuum tractator, & fidelis literæ interpres. Si quis autem in lege domini die ac nocte meditatus, maius habuit studium, maius ingenium, ocium, gratiamq; & potest de præsenti capitulo probabilius aliquid dicere, non sperno, non inuideo, quin potius cupio ab eo discere, quod ignoro, & libenter me discipulum profitebor dummodo doceat, & non detrahat. Nihil enim tam facile quàm ociosum & dormientem de aliorum labore, & vigilijs disputare. Hæc ille pro difficultate dixit præsentis capituli, quo sic per hunc prophetam dictum est. In die illa sumetur super vos parabola, & cantabitur canticum cum suauitate dicentium: De- *Cantica In* populatiõe vastati sumus, &c. vt suprà. Red- *dæorũ in lu* diderat autem hũc sensum. Sicut enim mala *ctum versa* operati sunt contra dominum, sic mala captiuitatis perpetua sustinebunt, & in tantam venient angustiam, vt omnia eorum cantica, & Psalmi vertantur in luctum, nihilque aliud nouerit loqui populus, nisi hoc, depopulatione vastati sumus, siue miseria miseri facti sumus. Terram quippe repromissionis, quæ prius duabus & semis tribubus forte diuisa fuerat trans Iordanum Moysen mittente funiculum, & postea ab Iesu *Num. 32.* naue tribubus reliquis dispertita. Hæc gen *Iosu. 14.* tibus. Romano mensore diuisa est. Et nemo fuit qui prohiberet, quin potius cum vniuersas obtineant nationes, nullius est in

Universidad de Deusto
Biblioteca.

Iudæis qui antiquũ priſtina libertate poſſideat ſtatum. Hæc ergo cùm dicit, & cũ plura ſimilia diuerſis in locis, hiantem atq; latrãtem canem auditorem reddit, vt ſicut in pleriſque ſic & in præſenti loco ſeipſum adhuc ſubeſſe ſentiens, quantumuis fugientem ve lut capream aut ceruorum hinnulum non ceſſet inſequi. Dicimus itaque, quia dies illa ſiue tempus peſsimum, in quo parabolam ſuper illos ſumendam, canticumque cũ ſuauitate cantandum prædixit, tempus preſens eſt. Nunc enim ſuper illo parabolam ſumpſimus, videlicet, ex quo Apoſtolus ſic præ
1. Cor. 10. ſcripſit, vt diceret: Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Nimirum quod & corpora illorum in deſerto proſtrata ſunt, qui rubrum mare tranſierant, & in Moyſe baptizati fuerant in nube & in mari, & illud quod decẽ tribus à domo Dauid ſciſſæ ſunt, & in Aſſyrios captiuitate abierunt, & illud quod Hieruſalem ciuitas ſancta Chaldaico igne conflagrata eſt, & Iuda in Babylonem tranſmigrauit, parabola magna, parabola ſuper omnes illos ſumpta nobis eſt. Denique ſecundum horum ſimilitudinem damna ecclеſiæ, quæ de multitudine credentium, ſiue nomine tenus Chriſtianorum frequenter acciderunt mater eccleſia conſiderat, & ad correctionem ſiue ad conſolationem filiorum parabolas eiuſmodi ſæpius recitat, ſiue cũ falſi fratres qui eandem profiteri fidem videntur propter malos mores æternæ promiſſionis terra digni æſtimantur, quaſi in deſerto proſternuntur, ſiue cũ manifeſtè hæretici fidei veritatem abdicantes, veraciter ſeſe ſcindunt è domo Dauid, & impiorum dogmatum vitulos fabricantur, quaſi aureo fulgore nitidi ſermonis, ad ſimplices decipiendos ſemper intenti. Quid de Babyloni-
Vituli aurei hæretico rum. ca captiuitate dicam? Nunquid ſolummodo parabola nobis eſt, & non etiam ſuaue cãticum? Deniq; quoties cantamus, Super flu-
Pſal. 136. mina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Syon, &c. canticũ cantatur, ſuper illos ſumptum, & nobis congruum, qui reuelatos in Chriſto habentes oculos in illa captiuitate, quæ tunc per Nabuchodonoſor vni populo accidit, vniuerſalem intelligimus captiuitatem humani generis, quæ per diabolum euenit in tranſgreſſione primi hominis. Et taliter cantare, eſt dicere, depopulatione vaſtati ſumus, quod verum eſt, ita vt etiam veraciter dicamus,
Pars populi mei cõmutata eſt. morte mortui ſumus. Nam in Adam omnes moriuntur. Quod autem ſubiungitur, pars populi mei commutata eſt, propius ad quẽpiam de gente illa electum & ſanctum, verbi gratia, ad Apoſtolum pertinet, cuius
Rom. 9. populus ſecundum carnem Iudaicus populus eſt. Nam illius populi ſui quæ pars fuerit ex primit his verbis. Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria & teſtamentum, & legiſlatio & obſequium, & promiſſa, quorum patres & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula Amen. Dicat ergo ſiue idem Apoſto- *Gen. 24.*
lus, ſiue quilibet alius ex illo populo ſanctus & verus, pars populi mei commutata, id eſt, tota dignitas Iudæis ablata, & gentibus data eſt. Quod dum dicitur, & fit, ſumitur ſuper eos etiam in illa parabola, de duabus fratribus, Iacob & Eſau, quia videlicet ſecundum rem illorum corporaliter geſtam, ſit hoc ſpirituale myſterium, dum ſpiritualia primogenita Iudæorum commutata, id eſt, ſupplãtatoripopulo gentium data ſunt. Nimirum talis aſſumptio parabolæ vel cantici, digna eſt præſenti præconio ſpiritus prophetici, *Rom. 11.*
quia magna eſt, & ad illam pertinet aſſumptionem, de qua cùm loqueretur Apoſtolus, Quę (inquit) aſſumptio, niſi vita ex mortuis? Dicitur autem huiuſmodi parabola cum ſuauitate dicentium: Verè nanque ſua ue eſt huiuſmodi canticum, eis duntaxat qui dicunt, & dicere ſciunt. Nam econtra illis ſuper quos dicitur, ſecundum eiuſmodi parabolam, nimis amarum eſt tormentũ. Vbi autem dicitur, commutata eſt pars populi mei, vt ſequẽs verſiculus cohæreat, ſub audiendum eſt eiulantis, atq; dicentis: Quomodo recedet à me, cùm reuertatur qui regiones noſtras diuidat? Sicut enim prædictus Eſau, magno clamore irrugiens, & eiulatu magno flens, iuſtè (inquit) vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplãtauit enim me in altera vice, primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſubripuit benedictionem meam. Sic populus Iudaicus credentem *Gen. 27.*
ex gentibus populum, iam altera vice contra ſe reuerſum eſſe, & non deſiſtere videns, dolet & torquetur, dicitque: Quomodo recedet à me cùm reuertatur, qui regiones noſtras diuidat? Regiones nanque Iudæorum in eo reuertentes diuidimus, quod guſtata dulcedine primogenitorum quæ ante tulimus, id eſt, prædicatione Euangelij, quam ſuſcepimus, iterum ſuccingimur, & omnes ſcripturas eorum, legem & prophetas & Pſalmos inuadimus, Chriſto regiones iſtas metiente ac diuidente. i. ſenſum nobis aperiente, vt intelligamus, optaret nos Iudæus recedere ſaltẽ cõtẽtos primo genitis. i. verbo euangelij, quod oportebat illum primum loqui, ſed nõ deſiſtimus, niſi omnes (vt iam dictũ eſt) ſcripturas rapientes, ſpoliatos illos, & ab omni veritate nudos eſſe oſtendamus. Cùm igitur ſecundum eiuſmodi parabolã populus iſte ſit Eſau, qui & ante primogenita, & ſecundo vniuerſas æternæ benedictionis regiones perdidit, rectè mox dicitur illi. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum ſortis in cœtu Domini. Et eſt ſenſus. Quoniam tu ô populе carnalis, qui te ſemen Iacob exiſtimas, talis effectus es, vt rectè de te talis parabola ſumpta ſit, & cãticũ quo decãtaris, q̃ ſis Eſau, quod ſis mul-

tis multitudo incredula, quæ quamuis mare tranſierit, proſtrata eſt in deſerto, nec terram p̃miſsiõis intrauit, q̃ ſis illa turba, quæ ſcidit ſe à domo Dauid, & vitulos aureos fecit, propter hoc nullus de tuo cœtu cõputabitur inter eos, qui vocati ſunt à dño, vt promiſsionem accipiant æternæ hæreditatis. Sequitur [Ne loquamini loquẽtes, nõſtillabit ,, ſuper iſtos, nõ cõprehendet eos confuſio, di ,, cit dominus domus Iacob, Nunquid abbre ,, uiatus eſt ſpiritus domini, aut tales ſunt co- ,, gitationes eius?] Ordo verborum eſt, O domus Iacob, dominus dicit: Ne loquamini loquentes, non ſtillabit ſuper iſtos, non cõprehendet eos confuſio. Ne loquamini loquen-
Reſponſiones Iudæorum contrà nos. tes, nunquid abbreuiatus eſt ſpiritus domi-
Ioan. 3. ni, aut tales ſunt cogitationes. Porrò qui ſenſus ſit quotidiano experimẽto ferè perdoceri poſſumus. Quoties nanq; illis loquimur dicentes: cõdemnari omnẽ hominẽ in Chriſtum non credentem, nec Iudæũ pertinere ad ſalutẽ Chriſto incredulũ, iuxta illud, qui aũt incredulus eſt filio, nõ videbit vitã, ſed ira Dei manet in eo, quanto magis quoq; de ſcripturis antiquiorib. iſtud cõprobari niti mur. Tanto bellicoſius ſcutũ cõtra arripiũt, ſcutũ cordis ſibi faciunt magnitudinẽ patrũ ſuorum, dicentes impoſsibile eſſe, vt cõdemnetur genus illorũ, & iſtud quoq; dicũt. Nũquid mẽdax eſt Deus, aut mutabilis eſt Deꝰ? Nunquid ſicut homo diuerſis voluntatib. variatur, vt olim circunciſionẽ, nunc aũt baptiſmum ſubire debeamus, vt olim firmauerit nobiſcũ pactũ & cum patribus noſtris, & nunc ad inimicitias conuerſus ſit? Nimirum ſicut nũc de iudicio futuro, ita & tunc quando prænunciabant prophetæ aduentum Aſſyriorum, ſiue Chaldæorũ, & in captiuitatẽ iturum eſſe propter peccata populũ illum, totum q̃ dicebatur repellebant, & incredibile eſſe volebant, impoſsibile eſſe decertabant, taliter derelinqui ſanctum populum, & ſanctã progeniem patrum ſanctorum, lotum ſanctum, templum pulchrũ & gloriоſum. Dicebant ergo ſecundum verba hæc, non ſtillabit ſuper iſtos, & non cõprehendet eos confuſio. Nunquid abbreuiatus eſt ſpiritus dñi, aut tales ſunt cogitationes eius? dicebant (inquam) mendaces & blaſphemos eſſe prophetas, imò nec prophetas ſed audaces dici debere ſycophantes, qui auderent dicere, q̃ ſtillare deberet ira de cælo ſuper Abrahæ filios, ſuper genus Iſaac, ac ſuper ſtirpem Iacob, quod gentem ſic magnificatã & honoratã cõprehenderet confuſio, q̃ tam breuis diceretur eſſe ſpiritus dñi, vt tam cito pœniteret eũ ſuper bonis quæ promiſerat illis, & quod tales. i. tam mutabiles diceretur habẽre cogitationes Deus, qui eſt incõmutabilis. Siquidem aiebant, homines iſti non quæſierunt pacẽ populi huius, ſed malũ. Hæc ergo intuens propheta, imò per prophetã dominus, ne (inquit) loquamini, loquentes verba huiuſcemodi. Quid enim? [Nonne verba ,, mea bona ſunt cum eo qui rectè graditur? ,, Et econtrariò, populus meus in aduerſariũ ,, conſurrexit.] Ac ſi dicat: Vt quid talia loqui ,, mini, & quaſi pro me æmulamini, declamãdo quod ego ſim Deus fidelis, Deus patiens & longanimis, quod non eſſem, ſi ſtillaret à me malum ſuper vos, ſi cõprehenderet vos confuſio? Nonne & cũ iſtud vobis fecero, nihilominus verba mea, cũ quo eſſe debent, cũ eo ſunt bona & proſpera. Et quis ille eſt, niſi is qui rectè graditur? Nimirum econtrariò debent eſſe dura & aduerſa cum eo qui non rectè graditur, qui in contrarium conſurrexit, q̃ fecit populus meus. Conſulite ipſam, *Deut. 6.*
quam ſuſcepiſtis legem, & ipſa reſpondebit vobis quales inter me & vos conditiones ſu erint. Exẽpli gratia: Cuſtodi ergo præcepta, & cæremonias, atq; iudicia, quæ ego mando tibi hodie vt facias. Si cuſtodieritis & feceritis ea, cuſtodiet dominus Deus tibi pactum & miſericordiam quam iurauit patrib. tuis. En (inquit) propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem, & maledictionem, bene *Ibi e m n*
dictionem, ſi obedieritis mandatis domini Dei veſtri, maledictionem, ſi non audieritis mandata domini Dei veſtri. Ecce autem populus meus mandata mea non cuſtodiuit, ſed in contrarium conſurrexit. Nunc ergo exigere poteſt aut debet, vt cũ eo verba mea bona ſint, vt eſſe debent cũ eo qui rectè graditur, & non potius maledictionem ſubire, ſicut in conditionalis legis decreto continetur? Ad hæc tanquam ſi quæreret populus in quo mandatis domino non obedierit, ſed potius in aduerſariũ cõſurrexerit, protinus ſubſequitur, & dicit. [Deſuper tunicam pal ,,
lium ſubtuliſtis, & eos qui tranſibant ſim- ,,
pliciter, conuertiſtis in bellum. Mulieres po ,,
puli mei eieciſtis de domo deliciarum ſuarũ, ,,
à paruulis earum tuliſtis laudẽ meam in per- ,,
petuum. Surgite & ite, quia non habetis hic ,,
requiem. Propter immũditiam eius corrum ,,
petur putredine peſsima.] Cauſas reddidit, ,,
ex quibus cõuincitur populus, quod in ad- ,,
uerſarium conſurrexerit. Oportebat autem cauſas eſſe vniuerſales, id eſt, ad vniuerſum populum pertinentes, quoniam non de vno homine, quod in aduerſariũ conſurrexerit, ſed de vniuerſo populo dictum eſt per apoſtrophen ad vniuerſum populum, deſuper tunicam pallium ſuſtuliſtis, & cætera omnia verbis præteriti temporis, quod non videretur adeò eſſe conueniens, ſi tantummodo de quotidianis loqueretur iniurijs ſiue rapinis. Igitur vbi, quando, & quomodo populus Domini ita in aduerſarium conſurrexerit, vt deſuper tunicã pallium ſuſtulerit, & cætera hæc faceret, de ſanctæ ſcripturæ rationibus proferendum eſt, & nihil dominus quis ille fuerit cuius deſuper tunicã *3. Reg. 11.*
pallium ſuſtulerunt. Hoc facere cupientes, primùm quærimus, quid rationis fuerit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod Achaz propheta loquens cum Hieroboam in sermone domini de regno, pallio nouo quo indut⁹ erat, ré ipsam taliter signi-
Tunica regnum Iuda pallium regni Israel. ficauit, vt scinderet illud in duodecim partes, tolle (inquit) tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel, Ecce ego
2. Reg. 5. scindam regnum Salomonis de manu eius, & dabo tibi decem tribus. Profectò per pallium suum regnum Israel satis manifestè significauit, atque idcirco factum illud hic in præsenti loco cùm dicitur, desuper tunicam pallium sustuliſtis, nos animaduertere facit, quia cælestis gratia puero suo Dauid, quasi pallium super tunicam dederat Israel & Iudam, vt super vtrumq; regnaret. Prius quasi tunica induerat illum, quando regnũ dedit ei primum super Iudam solum. Septẽ quippe annis regnauit in Hebron super domum Iuda, priusquam regnaret super omnem Israel. Quando verò venerunt vniuersæ tribus ad Dauid in Hebron & vnxerunt eum regem super se, cùm iam septem annis (vt diximus) regnasset super domum Iuda, tunc dominus eidem Dauid, super tunicam pallium quoque addidit. Et congruè sicut per Israelem pallium, sic & per tunicã domus Iuda intelligitur, quia videlicet sicut tunica propius hæret corpori quàm pallium sic tribus Iuda propinquior quã cæteræ tribus fuit ipsi Dauid, nam ipse ex illa tribu extitit. Igitur ô populemeus, si quæritis cur dixerim, & econtrario populus meus in aduersarium cõsurrexit, ecce dico vobis, quia desuper tunicam pallium sustuliſtis, id est, vosmetipsos semini Dauid ademiſtis, vosipsæ decem tribus ab ipso recessiſtis, vt à me quoque recederetis, sicut & feciſtis. Nam relicto altari & templo meo, spretis promissionibus seminis, quòd est Christus, quæ dictæ sunt ad Dauid, vitulos aureos, quos fecit
2. Reg. 15. Ibidem 20. Hieroboam, coluiſtis, & colere non destitiſtis. Hoc agentes siue agere iam dudum intendentes, eos qui transibant simpliciter cõuertiſtis in bellum. Quinam erant illi? Nimirum ipse Dauid & viri eius, viri fortes, imò fortissimi, & quantum fortes, tantũ simplices, id est, bona fide & simplici corde cũ
Scissio regni propter peccatum Dauid & Salomonis Deo & hominibus ambulãtes. Illos (inquã) conuertiſtis in bellum, constituentes super vos regem Absalon aduersus patrem suum, & illo mortuo, rursus sequentes Seba filiũ Bochri. Iam tunc penè desuper tunicam pallium modo iam dicto sustuliſtis, quia videlicet buccinante Seba & dicente: Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai, separatus est omnis Israel à Dauid, & ita sine pallio parumper remansit in sola tunica, quia soli adhæserunt ei contribules sui viri Iuda. Peccauerat nanq; in Vriam, & idcirco laborabat, subtrahente domino ad breue tempus pacem vestram, non tamen auxilij sui gratiam, quia citius illo propitio, ita recepit pallium sicut & tunicã, id est, Israelẽ sicut & Iudam. At vbi peccauit filius eius Salomon, non in vnum hominem, sicut ipse Dauid in Vriam, sed in ipsum Deum, colendo deos alienos propter mulierum concupiscentiam, tunc infirmata est domus Da- *Hebr. 13.*
uid, & vos præualuiſtis tollere illi pallium, nec enim vobis resiſtere potuit. Quare? Ante enim (inquit dominus) factum est verbum hoc, id est, iudicium hoc, videlicet vt non posset resiſtere domus Dauid exigentibus peccatis, vt dimitterem vos secundum desideria cordis vestri. Notanda proprietas dictionis, quia sic est dictum, & eos qui transibant simpliciter, conuertiſtis in bellum. Transire nanque sanctorum & electorum est, qui manentem hic ciuitatem non habent, sed futuram inquirunt, secun- *3. Reg. 14.*
dum nomen Hebræorũ, de quibus Dauid tam fide, quàm carne ortus est. Hebræi nanque Latinè dicuntur transitores. Eiusmodi fuerunt Dauid & Ezechias, & Iosias, & cætera domus Dauid fidelis, intra quam & domum Hieroboam, sicut scriptura refert, semper bellum fuit. Iuxta quam similitudinem nunc vsque semper bellum est, & erit vsque in finem seculi, inter eos qui in præsenti seculo animam figunt, & eos qui ad æterna futuri seculi bona transire satagunt. Igitur & eos, inquit, qui transibant simpliciter conuertiſtis in bellum, & illo bello malum obtinuiſtis triumphum. Quomodo? Mulieres, inquit, populi mei eieciſtis de domo deliciarum suarum, & à paruulis earum tuliſtis laudem *3. Reg. 12.*
meam, in perpetuum. Quænam erant mulieres populi mei, nisi homines infirmiores in vobis, qui populus meus esse debuiſtis? Quæ autem erat domus deliciarum eiusmodi mulierum, nisi domus mea in Hierusalem, domus orationis in qua inuocabatur nomen meum. De illa domo vos mulieres illas eieciſtis, id est, infirmiores & pauperes, quibus præualuiſtis, sicut mulieribus solent viri præualere. Eieciſtis, inquam, videlicet tenendo & teneri cogendo illud edictum Hieroboam. Nolite vltra ascendere in Hierusalem, sed ite ad adorandum vitulum vsque in Dan. Ita eijciendo mulieres à paruulis earum, tuliſtis laudem meam in perpetuum, id est, ignorantem & errantem multitudinem feciſtis in malo perseuerare, vt nunquam recederent à peccatis Hieroboam. Notanda hic trina distinctio peccantium, quã in sanctis scripturis animaduertere solemus, ita vt eorum qui per ignorantiam, & eorum qui per *Trinadistinctio peccantium.*
infirmitatem, & eorum qui per superbiam peccant. Nam qui per superbiam peccant, ipsi sunt contra quos maximè inuehitur, sic incipiendo, & ecntrario, populus meus in aduersarium consurrexit. Qui autem per infirmitatem peccatis consentiunt, ipsi sequenti loco denotãtur, dicendo: Mulieres

populi

populi mei eieciſtis de domo deliciarum suarum. Porrò qui per ignorantiam delinquũt, ipsi sunt de quibus ait. A paruulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum. Omnes pariter inexcusabiles sunt, & illi fortes viri simplicium debellatores, qui fortiter despoliauerunt, & ille mulieres quæ cum viri esse deberent, effœminatos tali in periculo animos habuerunt, timendo homines plus quã Deum, & illi paruuli sensu qui scientiam dei non habuerunt, & omnes pariter vna sentẽtia feriuntur, quam protinus depromit, dicens: Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem. Quod cùm dicit, subaudiendum est illud quod notissimũ est, & esse debet, propter peccata Hieroboam, vel quia non recessiſtis à peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel, vt sequens versiculus propter immunditiam eius, neque præsens est nominatiuus casus quem requirit hoc tertiæ personæ verbum corrumperetur. Non vtique accidit hoc per imperitiam siue incuriam eloquentis, sed per naturam & seueram indignationem prophetici spiritus infame nomẽ execrantis, & superfluum esse iudicantis, in libro suo scribere vocabulum, quod toties historia sacra denotauit, dicendo de singulis regibus Israel, non recessit à peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel. Itaque propter immunditiam eius, subauditur Hieroboam, quem tu ô lector quomodo ignorare potes, eius, inquam, qui peccare fecit Israel, putredine pessima corrumpetur, ipse qui in immunditiam eius suscepit Israel? Vide ergo, vt sanctæ scripturæ sis familiaris ac domesticus, & tunc animaduertes, quàm familiariter ad te cõuersus spiritus, pheticus, qui dixerat fugite & ite, quia non habetis hic requiem, dicit tibi, propter immunditiã Hieroboam corrumpetur Israel putredine pessima. Quã propter immunditiam? Nimirum propter vitulorum cultum, qui magna est immunditia eius qui fecit eos. Si enim de
Immunditia Israel, vitulorum cultus. vno vitulo quem fecerant in deserto veraciter dictum est. Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus, spoliauerat enim
Exod. 32. eum Aaron propter ignominiam sordis, quanto magis de duobus rectè dicitur propter immunditiam eius, qui illos fecit? Igitur propter immunditiam eius, propter nõ dominos, sed vitulos eius, quia factus est immundus, Israel corrumpetur, non qualicunque, sed pessima putredine, id est, non sola corporum quæ nunc imminet captiuitate, sed animarum quoque abiectione, & irrecuperabili damnatione, quia pœnitentiam noluerunt agere. His dictis ex imperio domini, statim ex affectu proprio subiungit. [Vtinam non essem vir habens spiritum, & mẽdacium potius loquerer.] Non enim absque dolore, sine misericordia, sine compassione circa genus suum esse poterat homo Dei, quamuis cõtra eos inueheretur in sermone dñi zelo tam vehementi, sicut nec Apostolus cũ aduersus idipsum genus suũ vehemẽter inueheretur, declamãdo cecitatem eius, ita prælocutus est. Veritatẽ dico in Christo, nõ mentior, testimoniũ mihi perhibente cõ *Rom. 9.*
sciẽtia mea in spiritu S. quoniam tristitia est mihi magna, & cõtinu⁹ dolor cordi meo. Nã quo pondere statim ibidẽ subiungit, optabã enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem meã, qui sunt Israelitæ. Eodẽ & iste, vtinã (inquit) non essem vir habens spiritũ, & mendacium potius loquerer. Nẽpe qui facit hoc, anathema esto à Deo, vtpo non q̃ Deus inspirat, sed quod mendacij pater diabolus serpens antiquus insibilat. Ad hæc dñs respondet. [Stillabo tibi vinum in ,,
ebrietatem, & erit, super quem stillatur populus iste.] Ac si dicat, Nõ erit ita, vt tu nũc ,,
optabas, sed tibi stillabo vt nunc vsq; stillaui, non aquã mendacij, sicut pseudoprophetis, sed vinum veritatis, sicut vatibus sanctis, & hoc vsq; in ebrietatẽ, & vsque quo tu inebrieris, & tacere non possis, sed loquaris ex abundantia cordis, & super quem stillatur veræ prophetiæ pluuia, populus est iste pro quo tu doles, & quantumuis doleas iste est, iste (inquam) putredine pessima, sicut prophetasti, corrũpi habet. Huiusmodi dolor cõsolatione dñi dignus est. Sequitur ergo, dicitq; & ipsi & per ipsum cæteris humiliũ seruorum suorum consolator dñs. [Cõgre- ,,
gatione congregabo Iacob, totũ te in vnum ,,
conducã, reliquias Israel pariter ponã illum ,,
quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio ,,
caularum tumultuabuntur à multitudine ,,
hominum. Ascendet em̃ pandens iter ante ,,
eos, diuident & transibunt portã, & egrediẽ ,,
tur per eam, & transibit rex eorũ corã eis, at ,,
dominus in capite eorum.] Profectò liquet ,,
verba consolatoria hæc esse, vt nõ deleat Iacob siue Israel, id est, quicũq; de illo patriarcha sancto secundum carnem natus, secundum fidem quoque filius eius, quemadmodum iste propheta dolens dixerat, vtinam mendacium loquerer, id est, vtinam nequaquam secundum prophetiam meam tanta Israeliticæ multitudinis amissio fieret. Vtinam cæcitas in Israel non contingeret. In eodem istum spiritus consolatur, in quo & *Rom. 11.*
Apostolus, qui dum loco supra memorato dixisset, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, subiunxit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Illa plenitudo gentium hic dicitur Iacob, in est, supplantator, dicendo, congregatione congregabo Iacob, totum est. Nam reliquiæ Israel, quæ vt idem Apostolus ait, secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt, manifestè hic sequentibus verbis exprimuntur, in vnum conducam reliquias Israel. Et est sensus, Iacob, id est, supplan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatorem ex gentibus populum congregans, & reliquias Israel conducens, vnum efficiã cœtũ, vt in vnitate sint habendo vnã fidẽ, & vnum spiritum, vt nulla sit distinctio ꝓ carnis origine, sed oẽs tam Iudæi, quã Græci filij sint Israel, & filij Abrahæ, & indifferenter reputentur in semine. Hoc est, ꝙ adhuc repetens pulchra exornat similitudine. Pariter (inquit) ponã illum quasi gregem in ouili, & quasi pecus in medio caularum. Idẽ videtur esse quasi gregẽ in ouili, & quasi pecus in medio caularu, sed non sine causa repetiuit, quia videlicet nunc quidem est vnus grex & vnũ ouile, sed aliunde grex Iudaici, & aliũde venit grex gentilis populi. Nam

Ioan. 10. ille pastor omniũ dixit, Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocẽ meã audient, & fiet vnũ ouile & vnus pastor. Igitur & reliquias Israel quasi gregem in ouili, & plenitudinẽ gentium, quasi pecus in medio caularũ pariter ponã, & pariter (inquã) id est, habẽtes vnam fidem, & vnum spiritum, ita simpliciter obedientes vnicæ regulæ veritatis, sicut mansuetæ oues subditæ sunt pastori. Nec verò parua multitudo erit, sed tumultuabuntur ait à multitudine hominũ, quia videlicet oues istæ homines sunt, & homines hi tam multi erunt, vt magnum & publicũ per orbem terrarum faciant diuinæ laudis tumultum, cum magno tumultu cælum, herbidũ que pascendo compleãt paradysum. Quod cùm factum fuerit, nec tu Michea, nec aliquis prophetarum siue Apostolorum dolorem aut tristitiam habebit de amissione filiorum Israel carnalium. Tales vel tanta cõgregatio, quomodo vel per quem facienda

Pandens iter christus est. foret exponens: ascendit enim (inquit) pandens iter ante eos, diuident, transibunt portam, & egredientur per eam, transibit rex eorum corã eis, & dominus in capite eorũ. Iste prudens iter, iste rex & dominus transiens coram eis, ipse est, qui loco iam prælibato in euãgelio dicit. Ego sum pastor bonus. Quomodo iste ascendit, pandens iter ante eos? Cùm, inquit, proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocẽ eius. Quomodo ante eas, nisi patiẽdo pro illis, relinquens exemplum patiẽdi, & aperiens aditum paradysi? Ascendet

Ioan. 10. ergo, inquit, subauditur in crucem & exaltabitur à terra bonus pastor, ponendo animã suam pro ouibus suis, ascendet super occasum, i d est, super mortem, resurgendo mortem quippe calcabit, & ascendet super cælos cælorum, & sedebit ad dexteteram patris, pandens iter ante eos, videlicet vt eo perueniat humilitas gregis, quo præcesit celsitudo pastoris. Sic illo pandente iter extunc di-

Psal. 117. uident & trãsibunt portã, & egredietur per eam, illã videlicet portã, de qua Psalmista. Hæc, inqt, porta dñi, iusti intrabunt per eã. Quænã hæc est porta, nisi ipsa eadem passio Christi, extra quam nulla est porta, nulla est via, qua in vitã quis possit ingredi? Portã illã quã fecit in latere crucifixi lancea militis inundationẽ illam sanguinis & aquæ, quæ inde *Exod. 14.* profluxit, diuident, ait, & trãsibunt & egredientur per eã, nimirũ secundũ diuisionẽ maris rubri, per quã trãsierunt filij Israel, merso Pharaone cũ currib. & equitib. suis. Hãc ita diuidere oportet, vt vnũ eundemq; Christum, cuius in morte baptizati sumus, Deũ & hominẽ credentes, & naturã vtrãq; certa discretione dinoscentes, impassibilẽ quidem ex diuinitate, passum aũt semel ex humanitate confiteamur, firmiterq; teneamus. Ita diuidentib. & transcuntibus transibit, inqt, rex eorum coram eis, quod iam factum est, transiuit enim ex hoc mundo ad patrem, & dominus in capite eorum, quia videlicet dominus nomen est illi, & ipse caput, ipsi autem membra sunt, ille rex & isti populus, ille pastor, & isti oues pascuæ eius. De isto transitu atque egressu per portam hanc, ipse loco iam dicto loquitur. Per me si quis introierit, saluabitur & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Ingreditur enim quis, dum fidem suscipiendo fit ouis huius pastoris, & egreditur dum vitam præsentẽ finit, & tũc pascua inuenit vitæ æternæ immarcessibilis. Sed & hoc ibidem dicit: Omnes quotquot venerunt, fures sunt & la-

Ioan. 10. trones. Item, fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Hoc est quod prophe ta dicturum illum certissimè esse sentiens, quasi iam dixerit, protinus ait. [Et dixit,,, audite principes Iacob, & duces domus,,, Israel, Nunquid non vestrum est scire iu-,,, dicium, & odio habetis bonum, & diligi-,,, tis malũ? Qui violenter tulistis pelles eorum,,, desuper eis, & carnem eorum desuper os-,,, sibus eorum. Qui comederunt carnem po-,,, puli mei, & pellem eorum desuper excoria-,,, uerunt & ossa eorũ confregerunt & conci-,,, derunt, sicut in lebete, & quasi carnem,,, in medio ollæ.] Postquam decem tribuum peccata declamauit, & detrimentum carnis Iacob, quod contingit in illis tam anima perditis, quàm corpore in captiuitatem irreuocabilem abductis, consolatus est ex promissione regis & Domini nostri, de quo nobis *Principes* nunc sermo fuit, rursus ab altero exordio *& duces in* incipiens, peccata Iudæ & Hierusalem de- *da, fures &* promit, & pœnam prædicit, quam simili *latrones.* fine concludit, sicut sequens scripturæ series ostendit. Præmisso nanque propter hoc causa vestri Syon quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, protinus de Christo subiungit. Et erit in nouissimo dierum erit mons domus DOMINI præparatus in vertice montium, & cætera. Igitur dum præmisso, pariter ponam illum quasi gregem in ouili, & quasi pecus in medio caularum, Dominum ascendentem & iter pandentem dixisse, & subiungit:

Audite

Audite principes Iacob, & duces domus Israel, subintelligendum est, falso principes, & falso duces, nam veraciter fures, & latrones. Nam & illud, quod sequitur, nunquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum & diligitis malum, melius daret quanti vel quam grauissimi sit ponderis, si ad eiusdem sermonis dispiciamus initium,

Ioan 9. quod tale est. In iudicium ego veni in hunc

Mat. 15. 23 mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Sic incepti sermonis causa erat, quòd pharisæi, quos ipse interdum duces cæcos appellauit, illum à natiuitate cæcum, quem ipse illuminauerat, propter testimonium veritatis, foras eiecerant, & extra synagogam esse fecerant. Cum ergo sic incepisset, in iudicium ego veni in hunc mundũ,

Ioan. 9. vt qui nõ vident, videant. Et qui vident, cæci fiant, illis contradicentibus, Nunquid & nos cæci sumus, verbis subsequentibus dignos esse illos cæcitate comprobauit, & nondum quidem videri sibimetipsis, quod essent cæci, sed mox futurum esse, v t eorum tanquam furum & latronũ eruerentur oculi. Sequitur enim. Amen amen dico vobis,

Ibid. 10. qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro, &c. Igitur ô falsi principes, & falsi duces domus Israel, veri fures & veri latrones, qui non in tractis per ostium in ouile ouium, sed ascendistis aliundè, neque enim intrastis per verũ verbum Dei, sed vestrum mendacium, sectantes turpe lucrum, qui odio habetis bonum & diligitis malum, eijcitis enim videntem & illuminatum, & omne pecus vultis esse cæcum, audite hoc, Nunquid vestrum est scire iudicium, subauditur, & non misericordiam? Misericordia namque longè facta est à vobis, iudicium autem scietis, iudicantis seueritatem experiemini, vt videlicet efficiamini, quemadmodum dixi, quia in iudicium veni, vt qui non vident, videãt, & qui vident, cæci siant. Hoc vestrum est, hæc pars vestra vobisq; reposita est. Quare? Quia facitis quod furis est, qui non venit nisi vt furetur, & mactet & perdat. Vos, inquam, hoc facitis, quod furis est, nec ad aliud venistis, nisi ad hoc, vt furemini & mactetis & perdatis, quippe qui violenter tulistis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum, desuper ossibus eorum. Hæc dicendo, cœptam seruat methaphoram ouium, quas fur idcirco furatur vt mactet, & pellibus detractis, carnes earũ deuoret. Sic enim illi fures & latrones, qui sibi videbantur principes & duces, prædam de populo faciebant, & substantias eorum deuorabant. Sed parũ erat res eorum corrosisse vel forbuisse auaritia profunda, & insatiabili cupiditate, nisi seductas quoque animas eorum perpetuæ traderent gehennæ. Itaq; quod minus dixerat sequenti versiculo supplet. Conuersus ad auditores, vt declamationis atq; conque stionis vis acrius sonet. Qui comederunt (inquit) carnem populi mei, & pellem eorũ desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt in lebete, & quasi carnem in medio ollæ, Verè ergo fures, verè latrones. Verè, inquam, fures, qui & furati sunt & mactauerunt & perdiderunt. Mactauerunt enim corporaliter eos, qui non *Osee 4.* consenserunt, nolentes audire vocem alienorum, & perdiderunt eos, qui sibi consenserunt, occidentibus pastorem & episcopũ animarum suarum, Vtrobique fures, vtrobique latrones. Comederunt (ait) carnem, id est, peccata populi mei, sicut per prophetam alium dictum est, peccata populi mei comedent. Nam per carnem & sanguinem peccata designari solent, vt illic, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Come- *1. Cor. 15.* derunt autem substantias eorum quibus fauebant ad peccandum, non tantum vltro oblatas, verum & per dolum, & per vim detractas. Hoc pulchrè per ordinem eiusdem metaphoræ cælestis eloquentia figurauit, dicendo: Et pellem eorum desuper excoriauerũt, & ossa eorum confregerunt, videlicet vt fieri solet in mactatione et deuoratione ouiũ. Primùm quippe pelles arte lanistarum desuper excoriantur, deinde ossa, quia pro sua duritia dentibus & cultro resistunt, confringuntur, vt ad medullæ pinguedinem perueniatur, de eo quod medium est, id est, de carnibus, illæ namque inter pellem & ossa sitæ sunt, nouissimè dicit: Et conciderunt sicut in lebete, vel hoc solum, quasi carnem in medio ollæ. Verum, quia non frustra putandus est vtrunque dixisse, quærimus vtranq; concisionem, vtrũque pœnalis officinæ instrumentum, lebetem & ollam.

Primùm hoc animaduertendum, quia le *Lebes & ol* bes & olla hoc differunt, quod lebes os latũ *la in quo* habet superius, olla oris angustias habens, *differunt* ventre dilatatur. Et de lebete quidem bulliente difficile, quid manu educitur, de olla verò difficilius. Vtranque ergo angustiam infelicium hic intelligimus, quarum causa illi, id est, principes & duces extiterunt, scilicet & eam quam à Romanis feruentissima obsidione, et eam quam à malignis spiritib. perpessuri erant gehennali igne. Duplici *Hier. 15.* namque (iuxta prophetiam) contritione *Psal. 64.* conterendi erant, quod et Psalmista clarius distinguens, Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Et de Romana quidem obsidione quasi de lebete nonnulli, quamuis difficile superfuerunt, de gehennæ autem augustijs quasi de ollæ interioribus, vt euadant difficilius, immò omninò impossibile est. Multum dissimilia, quin imò et valdè contraria sunt.

Hæc suprascriptis illis, quæ à bono pastore (id est, Christo) dicta sunt, pariter ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum. Qui illa dixit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipse pascit, qui ista faciunt, ipsi occidunt. De quibus adhuc subiungitur. [Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis in illo tempore, sicut nequiter egerũt in adinuentionibus suis.] Tunc, inquit, quãdo ponam illos quasi gregem in ouili, & quasi pecus in medio caularum, quando alias oues, quas habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, adducã, quia vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor, nulla distinctione habita Iudæi & Græci, tunc & illis fures & latrones, & isti oues insipientes, imò hœdi magis quã oues, siue oues errantes, q audierũt vocẽ alienorũ, clamabunt ad Dũm, & nõ exaudiet eos. Et nõ solũ nõ exaudiet eos, verunetiã absc̃det faciẽ suã ab eis, in tẽpore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis, id est, sicut meruerunt non ignorãter, sed nequiter malum operati, non casu vel imprudenter in peccatum lapsi, sed ad malum intenti, non ad deuitandum, sed ad concionandum omne quod iniquum est toto animo dediti & malè studiosi, sicut Psalmista cum dixisset: Corrupti sunt & abominabiles facti sunt, addidit, in studijs suis. Et ista profectò superioribus exaduerso respondent, vbi cum dixisset, ponã illos quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum, secutus est, & ait: Tumultuabuntur à multitudine hominũ, ascendet enim pandens iter ante eos, & trãsibit rex eorum coram eis, & dominus in capite eorum. Illi tumultuabuntur à multitudine hominum, & dominus ascendet, pandens iter ante eos. Isti clamabũt ad Dominum, & non exaudiet eos. Coram illis transibit rex eorum, & Dominus in capite eorũ. Coram istis non solum non transibit dominus, & non solum in capite eorum non erit, verumetiam abscondet faciem suam ab eis, quod procul dubio nunc factum est, & fit, posito insuper velamine super cor eorum, vt videre non possint. Sequitur. [Hæc dicit dominus super prophetas, qui seducunt populum meũ, qui mordent dentibus suis, & pdicant pacẽ, & si quis nõ dederit in ore eorum quippiã, sanctificant super eũ prelium. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebrę vobis pro diuinatiõe. Et occũbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. Et cõfundentur q vidẽt visiones, & cõfundẽtur diuini, & operiẽt vultus suos, quia nõ est respõsum Dei.] Inter oẽs principes ac duces, de qualib. hactenus dictũ est, nõ prætereundi erant prophetæ illius tẽporis, prophetæ mordaces, & populi seductores, videlicet Annas & Caiaphas, quorum vnus, qui erat pontifex anni illius prophetauit, quia moriturus erat Iesus pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Dixit enim, Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Equidem cum hoc diceret, falsum erat, quod animo sentiebat, sed verum erat, quod voce sonabat. Sentiebat quippe, vel alios sentire volebat, quod nisi moreretur Iesus, qui rex & Christus dicebatur, causa fieret Romanis, quorum imperio subditi erant, vt venirent locumque & gentẽ tollerent. Et hoc falsum erat, neque enim Christus regna Romanorum siue aliarum gentium tollere venerat, siue occasionem dare inimicitiarum, vendi cata sibi vlla potestate terrena. Verba autẽ illius hoc sonabãt, quod Iesus pro omnium filiorum Dei redemptione moriturus esset, & hoc verum erat: & veraciter ita factũ est. Igitur prophetæ illi, id est, pontifices, quorũ vnus taliter prophetauit, non erant prætereundi, quin aliquid audirẽt plusquam principes ac duces cæteri. Hæc ergo dicit Dominus super prophetas, qui seducũt populum, meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem. Non dubium quin prophetæ illi seduxerint populum plus quam seduxerant vnquam prophetæ Baal, quales temporibus Achab & Iezabel, extiterunt. Nam illi seduxerunt populum in tantum, vt derelinquerent dominum, & colerent Baal. Isti in tantum seduxerunt, vt crucifigerent dominum, & eligerent Barrabam. Quod autẽ subiungit, qui mordent dentibus suis, adeò verum est, & iuxta Psalmistam, Dentes eorum arma fuerint & sagittæ, & lingua eorum, gladius acutus. Itaq; cum tam mordaces fuerint homicidæ, quàm fictam prædicauerunt pacem, cum multa indicia sint, illud admirationem facit, quod Dominus noster per pacis osculum traditus est illis. Et si quis (ait) non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Breuis quidem sed alta nimis & vehemens declamatio auaritiæ illorum. Et quidem de multitudine valet intelligi, quia de multis verum est, quod eos sibi hostes reputauerint, quando non dederunt, & amicos quando dederunt in ore eorum. Sed de domino nostro præ omnibus intelligendum est, quod idcirco sanctificauerint super eum prælium, quia non dedit quippiam in ore eorum, immò disputabat contra auaritiam illorum. Denique si talis venisset iste Messias, id est, Christus, qui per prophetas promissus erat, vt terreno suffultus regno ampliaret domos, & augeret diuitias eorum tunc placuisset eis, tunc pacem suam obtulissent ei. Quia verò pauper & contemptor diuitiarum venit, quia non diuites, sed pauperes beatos fore prædicauit, & sicut iam dictum est, contra illorum auaritiam disputauit, sanctificauerunt super eum prælium, id est, quoad potuerunt sanctum videri, & pertinens ad obsequium DEI benedicti, elaborauerunt si interficerent illum. Hoc adeò verum est de prophetis eiusmodi

Psal. 13.

2. Cor. 3.

Prophetæ Iudæorum Annas & Caiaphas. Ioan. 11.

Psal. 56. Dentes eorum.

Auaritia eorum.

iusmodi, vt de pluribus quoque certo experimento compertum sit. Quãdo enim quippiam dedit in ore eorum, quando de quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus saturauit quinque millia hominum, tunc voluerunt eum rapere, & facere regẽ, sicut scriptũ est. Iesus ergo cum cognouisset, quia vẽturi essent vt caperẽt eũ, & facerent eũ regẽ fugit iterum in montẽ ipse solus. Vbi autem persenserunt, quòd nollet amplius quippiam, vel quomodo vellet dare in ore eorũ dicente illo, Amen amen dico vobis, quæritis me, nõ quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, & cæt. Cœperunt super eum sanctificare prælium murmurando & dicendo, Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi? Si de popularibus ita est, quid putas de prophetis illis cupidis & profundis amatoribus diuitiarum, quando is, qui prædicabatur Christus non solum non promittebat eis, sicut vellent, thesauros orbis terrarum, sed etiam disputabat contra auaritiam eorum? Nimirum desperauerunt de illo dicentes, Quod non daret quippiam in ore eorum, & idcirco sanctificauerunt super eum prælium, sanctum esse iudicantes, si crucifigerent eum, tanquam seductorem & magum. Quid dicit dominus super huiusmodi prophetas? Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione. Et occumbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. Visio & diuinatio hoc differũt, quod diuinatio nunquam in scripturis in bona partem accipitur. Non erit (ait) augurium in Iacob, neque diuinatio in Israel. Cũque hoc vtcunque tollitur, siue effectum non habere denunciatur, dicendo: Nox vobis pro visione erit, & tenebræ pro diuinatione, sic intelligendum est. Vos nescientes siue scire nolentes, aliud esse prophetiam, aliud esse diuinationem, videmini vobis esse prophetæ vt vultis, vt æstimemini visiones Dei videre, cum sitis potius quasi augures & diuini siue arioli, pro eo quod vbi quid ad mordendum accipitis, ibi pacem prædicatis, & si quis non dederit in ore vestro quippiam, super eum prælium sanctificatis. Sed siue visionem velitis nuncupare, quod loquimini, vestra visio nox erit, siue diuinatiõnem dicatis, non ibi lux, sed tenebrę sunt tenebræ falsitatis, & nox mendacij, quia videlicet super vos sol occubuit, & dies obtenebratus est. Quis ille sol, nisi de quo scriptũ est: Vobis aũt timentibus nomẽ meũ orietur sol iustitiæ? Et quis ille dies, nisi ipse qui dicit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ?

Videmus ita factum, quia ex quo iam dictus Cayphas sanguineam prophetauit pro phetiam propheta crudelis, & tendens ad sanguinem. Nihil est ibi visionis aut veritatis. Et sicut realis dignitas interijt, & auctoritas sacerdotij decidit, sic omnis quoque ab illis prophetica gratia decesit. Diuinauerunt aliquoties, & adhuc diuinare nituntur infelices, prospera sibi promittendo post finem malorum, quæ nunc patiuntur, dispersi, & captiuitatis iugum portantes quasi ipsos quoque Romanos versa vice possessuri sint in seruos, iuxta illud, Et possidebit domus Iacob eos qui se possederant. Sed huiusmodi diuinationes tenebræ sunt, & non lux, nox & non veræ visionis dies. Contigit enim eis illud, quod per Psalmistam iuxta concessionem dictum est, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum, obscurentur oculi eorum ne videãt. Siquidem occubuit super eos, & obtenebratus est ille sol, & in ipso occubitu suo noctem & tenebras, de quibus hic sermo est, per tenebras illas significauit, quæ tunc factæ sunt super terram vniuersam ab hora sexta vsque in horam nonam. Et reuera quamuis ille resurrexerit, rectè dicitur, quia super eos occubuit, non enim credunt eum resurrexisse à mortuis, & perinde iugiter in nocte sunt & in tenebris. In eo gloriantur illuminati omnes, qui credũt, illi autem non credentes confusi sunt, claritatem solis huius sese ingerentem non ferentes, sicut quondam terre non poterant claritatem vultus Moysi, sed fugiebant vultibus auersis & cordibus. Hoc innuens hic, & confundentur ait, qui vident visiones, & confundentur diuini, & operient vultus suos omnes, quia non est responsum Dei. Rebus enim apparentibus conuincuntur mendaces, qui videbant, id est, qui se vidisse fingebant visiones, quia quicquid loquuntur aut loquuti sunt, non erat responsum Dei, sed prophetauerunt de cordibus suis, & nũc vsque operient vultus suos, velamen malitiæ positum habentes super cor. His dictis super prophetas seductores atque mordaces, quorum deterrimi fuerunt Annas & Cayphas (vt iam dictum est) continuò de semetipso dicit. [Veruntamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & veritate, vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum.]

Hoc planè non frustra, nec absque rationis pondere opposuit. Poterant enim obuiare illi, quibus moris erat prophetas Domini contemnere, siue etiam irridere, & fortasis iam rapuerant verbum de ore eius, vt dicerent, Quoniam nox, (vt tu dicis) pro visione, & tenebræ pro diuinatione sunt prophetis, iam nec de tua visione curamus, quia non est responsum DEI, sed diuinatio quam finxisti. Sic namque ad Hieremiam dixerunt, Mendacium tu loqueris, Non misit te Dominus Deus noster dicens. Ne ingredia-

Ioan 6.

Visio & diuinatio in quo differunt. Deut. 18.

Malach. 4. Ioan. 8.

Sanguinea prophetia Caiaphæ.

Abdiæ. 1.

Psal. 68.

Matth. 27.

Exod. 34. 2. Cor. 3.

Hier. 43.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ingrediamini Aegyptum, vt habitetis illic, sed Baruc filius Neriæ incitat te aduersum nos. Amplius autem eiusmodi prophetę, de qualibus iste dicebat. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ pro diuinatione non dubium quin aduersus istum insanierint, quemadmodum insanierunt aduersus alium prophetam eius nominis, videlicet Micheam filium Iembla. Nam cum ille diceret ad Achab, Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omniũ prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum, accessit Sedechias filius Chanaan, & percussit Micheam in maxillam, & dixit, Me ne ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi? Itaq; hic cum dixisset, super prophetas ea, quæ premissa sunt, non ab re de semetipso taliter edixit. Veruntamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & veritate, &cæt. ac si diceret. Prophetæ qui prædicant pacem & dicunt, Pax pax, ipsi cõfundentur, quia responsum eorum non est responsum Dei, sed ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, qui annuncio quod verum est & facio quod iudicantis est. In eo, quod annuncio Iacob scelus suum, & Israel peccatũ suum. Nec vllus mihi certior post deum testis est, quam ipsa conscientia Iacob, siue Israel, vtrum verum dicam an non. Suum enim scelus & suum peccatum est, neque conscientiam eius latet, & inde cognoscit vtrũ de corde meo loquor, an fortitudo iudicij, "& veritatis in meo sermone consistat. [Audite hæc principes domus Iacob, & iudices "domus Israel, qui abominamini iudicium, "& omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabãt, "& sacerdotes eius in mercede docebant, & "prophetæ eius in pecunia diuinabant, & super Dominum requiescebãt, dicentes. Nun "quid non dominus est in medio vestrum? "Non venient super vos mala. Propter hoc "causa vestri Sion, quasi ager arabitur, & "Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & "mons templi in excelsa syluarum.] Hoc vere tanquam fortis, velut iudex, sicut verax declamauit iste, repletus fortitudine spiritus domini, principibus & iudicibus, sacerdotibus & prophetis. Singulis namque scelus peccatum suum annunciauit, principib. quod in muneribus iudicarent, sacerdotibus, quòd in mercede docerent. Prophetis quod in pecunia diuinarẽt, quodque muneribus incrassati, mercedibus impinguati, pecunia dilatati, super dominũ tanquam crassæ boues super præsepe suum requiescerent dicentes, In medio sui euidenter esse Dominum, quoniam nihil deesset ventribus eorum, ac si ipsos confortarent aduersus prophetas Domini, dicendo, non venient super vos mala, Dominus bonus est, prophetæ loquuntur falsa. Iam supra dixerat super principes & duces, tunc clamabunt ad Dominũ, & non exaudiet. Dixerat super prophetas, propterea nox vobis pro visione erit. & licet grandis vindicta sit in vtriusque sententijs, nondum tetigerat aures eorum iste fragor vltimus, quem dissimulare nõ possunt. Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum.

Hoc ita factum est, sicut totus orbis audiuit, quia postquam talium principum ac iudicum, talium sacerdotum & prophetarum filij mensuram patrum suorum impleuerunt, crucifigendo Christum filium Dei, Syon siue Hierusalem deserta facta est, nec remansit ciuitas, aut templi lapis super lapidem, qui non destrueretur. De hac prophetia taliter in Hieremia mentio facta est. Surrexerunt ergo viri de seniorib. terrę, & dixerunt ad omnem cœtum populi loquentes. Micheas Demosthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda, & ait ad omnem populum dicens, Hæc dicit dominus exercituũ, Syon quasi ager arabitur, & Hierusalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelsa syluarum. Nunquid morte condemnabit eum Ezechias rex Iudæ, & omnis Iuda? Nunquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini, & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersus eos? Horum idcirco meminerim, quia visum est illis pœnituisse Dominum, eo quòd non cito in diebus eorum euenisset, quod fuerat prophetatum. At ille propheta siue spiritus Domini, cuius in fortitudine prophetabat, cuius iudicio & veritate repletum se esse sciebat, non præsentia regis Ezechiæ tempora, sed nec Babyloniam captiuitatem attendebat, quia Syon siue Hierusalem capta quidem, sed non ita funditus euersa, vt non remaneret lapis super lapidem. Tempus illud aspiciebat, quo ille prophetarum Dominus crucifigendus, erat à principibus in muneribus iudicantibus, à sacerdotibus in mercede docentibus, à prophetis in pecunia diuinantibus, qui iudicium abominati sunt, & omnia recta peruerterunt, intantum vt dicerent, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, & hoc dixit, Possum destruere templum Dei, & in tribus diebus reædificare illud, qui ita ædificauerunt Syon in sanguinibus & Hierusalem in iniquitate, vt meritò deberet venire super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti. Non igitur, vt putauerunt illi, pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersum eos, quia videlicet sermo Domini vindex sine pœnitentia in veritate fundatus est, sicut alibi scriptum est. Porrò, triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine nõ flectetur. neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.

2. Reg. vlt. Verax propheta Micheas.

Mat. 23.
Luc. 19.
Hier. 26.
Micheæ quomodo intelligidebet.
Mat. 13.
Ibid. 26.
1. Reg. 35.

Non

Non pepercit, neque pœnitudine flexus est, quia videlicet principes in muneribus iudicare, sacerdotes in mercede docere, prophetæ in pecunia diuinare non cessauerunt, intantum vt domum patris, quæ domus orationis erat, vel esse debebat, facerent spelunca latronum. Vndè animaduertendum, quòd qui taliter per istum prędixit, propter hoc Syon causa vestri quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum, ipse cũ fleuisset super eãdem ciuitatem, dicens: quia dies venient in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & ad terram prosternent te, & non relinquẽt in te lapidem super lapidem, protinus ingressus templum, cœpit eijcere vendentes & ementes in illo, per hoc indicans euersionem ciuitatis & templi, maximè pro culpa sacerdotum futuram, qui in templo illo facti erant principes latronum.

Luc. 19.
Mat. 21.
Luc. 19.

FINIS LIBRI PRIMI IN MICHEAM PROPHETAM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN MICHEAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

MEmoriter tenẽdum, quod iam diximus, summam intentionis prophetarum in hoc esse, vt detrimẽtum Israeliticæ gentis, quod per infidelitatem contigit, ita declament, quatenus supplemẽtum electionis de plenitudine gentium, per fidem in Christo futuram annuncient. In hoc isto, iã secundo insistens, cum præmisisset audite principes Iacob & duces domus Israel, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, & cætera quæ ita compleuit, propter hoc causa vestri, Syon quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarũ, confestim ita subjunxit. [Et erit in nouissimo dierum, & mõs
CA. IIII. "domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis erit super colles, & fluent "ad eum populi, & ibunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit "nos vias suas, & ibimus in semitis eius, quia "de Syon egredietur lex, & verbum Domini "de Hierusalem. Et iudicabit inter populos "multos, & corripiet gentes fortes vsque in "longinquum. Et concident gladios suos in "vomeres, & hastas suas in ligones, non sumet gens aduersus gentem gladium, & non "discent vltra belligerari, & sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & "non erit, qui deterreat eum, quia os Domini exercituum locutum est, quia omnes populi ambulabunt, vnusquisque in nomine "Dei sui, nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum & vltra.] Manifesta hæc de plenitudine gentium prophetia,
Supra 3. "quæ nunc intrat, dum cæcitas contigit in Israel, dum sicut in isto supra scriptũ est, nox illis pro visione est, & tenebræ pro diuinatione. Et occubuit sol super prophetas, & obtenebratus est super eos dies, & præterea Hierusalem redacta in aceruum lapidum, qui ex eis gladio superfuerunt captiui ducti sunt in omnes gẽtes, & ipsæ quidem gentes, quarum salus prænunciatur, manifestis nominibus exprimuntur, dicendo, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, & cætera. Christus autem ad quem fluunt populi, & properant gentes, non manifesto vel proprio, sed mystico significatur vocabulo, dum dicitur, mons domus domini præparatur in vertice montium. Nã quod Christus nomine montis dignè debeat intelligi, cum ex multis scripturarum locis, tum maximè ex illa claret visione apud Danielem, vbi sic scriptum est: Lapis autem qui percussit statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Miranda ergo & veneranda diligentia spiritus prophetici, quę tali in loco Christum nuncupauit montem domus domini, vbi dixerat, & erit mõs templi in excelsa syluarum. Quod enim? Nunquid parum offenderat, aut offendere poterat rebellionem aurium populariũ, id quod dixerat, & erit mons templi in excelsa syluarum? Quos ergo exasperauit triste nũcium de monte templi, mitiget eosdem dulce oraculum de monte domus domini salubriter errantes in æquiuocatione montis, vt putent sermonem vtrunque esse de re vnius eiusdemque montis, qui error illorum multum profuit, in hoc quod nõ properauerũt eum percutere tanquam durum medicum fortes phrenetici, & in hoc quòd scripturam propheticam seruauerunt, nec igni tradiderunt, multis deinde profuturam sæculis. Nunc diligenter istas animduertamus, quas libenter audimus promissiones spiritus sancti de nobis gentibus. Et erit (inquit)

Christus mons dominus domini.
Dani. 2.
Esaiæ 2.
Nouissimi dies iudæorum plenitudo temporis est nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

(inquit) in nouissimo dierum. Quod hic dicit nouissimo dierum? Esaias dicit in nouissimis diebus. Nouissimos autem dies siue nouissima tempora illius populi, contra quē sermo hactenus fuerat, illa rectè intelligimus, de quibus Saluator in Euangelio, cum
Matt. 12. dixisset: Cum immundus spiritus exierit ab homine, & cæt. ita conclusit. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Ergo non aliud, sed ipsum tempus quo implenda erant illa, quæ ante hæc dixit, & sic finiūt, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi excelsa syluarum, nouissimus est dierum, nouissimi dies, & nouissima tempora peiora prioribus in populo sunt. Cæterum eis, qui Christum recipiunt plenitudo temporis est, quemadmodum Apostolus dicit: At vbi venit plenitudo temporis, misit
Gal. 4. Christus mons in vertice montium. Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Igitur in nouissimo dierum, id est, eodem tempore, quo Hierusalem quasi aceruus lapidum, & mons templi erat in excelsa syluarum, erit mons domus Domini, præparatus in vertice montium, & sublimis super colles. Quod idem est, ac si diceret. Christus tunc in omni mundo innotescet, qui omnium sanctorum altitudo & dignitas est. Nam domus Domini, Ecclesia Domini, mons autem eiusdem domus Christus est. Psalmista vtrunque pręuidens, scilicet, & domum & montem, cum præmisisset rex virtutum, dilecti dilecti, protinus ait, & speciei domus diuidere spolia, dū discernit cęlestes Reges super eam niue dealbabuntur in Selmon mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. Alta namq; & sublimis persona est, quippe qui Deus & homo est, Rex & pontifex, Rex regum, & Pontifex manēs in æternum. Mons ergo est præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, quia patriarchis & prophetis, Regibus, & sacerdotibus cunctis, & sanctis omnibus præcellior est, qui & supra illam domum Domini, re-
Ioan. 1. ges vt in scripto Psalmi versiculo dictū est. Reges (inquam) & prophetas discernit & ordinat quemadmodum & ipsi fatentur, dicēdo, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Quousque verò sublimitas eius pertingit? Nimirum vsque ad dexteram patris, quam nullus montium, id est, angelorum, nullus collium, id est, hominum sanctorū attingit. Ad quem enim angelorum (ait Apo-
Hebr. 2. stolus) dixit aliquando, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellū pedum tuorum. Verè ergo præparatus super verticem montium, & sublimis super colles dum sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit, dicen-
Rex virtutum dilecti dilecti. te Deo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Dicitur etiam, vt iam præmisimus Rex virtutum dilecti dilecti, id est, Rex virtutū suarum, qui singulariter, est dilectus Dei patris dicentis: Hic est filius meus dilectus, in
Matt. 3. 17 quo mihi cōplacui, & rex diuidere, id est, ad diuidendū spolia, speciei domus ad dādum dona hominibus, de illa sede maiestatis, quę videlicet dona sic rectè dici possunt spolia,
Gen. 27. sicut & illæ vestes Esau bonæ, quibus iunio rem filium suum Iacob induit Rebecca. Nā secundum typum illum spoliati sunt, qui priores erant Iudæi cælestibus donis, quæ collata sunt speciei domus Domini, id est, pulchritudini ecclesiæ de gentibus per diuinam gratiam Spiritus sancti, ex quo (sicut iā dictum est) præparatus in vertice montium & sublimis super colles factus est sedendo ad dexteram patris, iste mons domus Domini, mons pinguis, mons coagulatus, id est, Deus homo factus, homo in Deum assumptus, in quo omnes niue dealbabūtur, dum remissionem peccatorum accepimus, eo q; ipse sit omnimoda sanctitate candidus, qđ per nomen ipsius montis Selmon illic intelligitur. Ad istam gloriam, ad istam sublimi-
Ioan 6. Quæstio de fundamento quod est supremo. tatem, præparatus dicitur, id est, ante omnia sæcula paratus, quod & ipse innuens, si ergo (inquit) videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius. Nam licet secundum humanitatem & omnibus angelis & multis hominibus siue sæculi æ tatibus iunior sit Christus, profectò secundum diuinitatem omnibus & angelis & hominibus, cæloq́ue & terra longè antiquior esse non dubitatur. Cum igitur tantæ sit altitudinis iste mons domus domini, vt supra illum nihil sit, quomodo fundamentum est domus Domini? Nam in propheta, Ecce ego mittam dicit Dominus, in fundamentis Syon lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, qui videlicet lapis absque dubio Christus est. Et in Apostolo, Fundamen-
Philip. 4 tum (inquit) aliud nemo potest ponere prēter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si ad ædificationem vulgarem siue terrenam respicimus, palam est, quia fundamētum totius ædificationis imum atque infimum est. Ergo in hoc maximè similitudo deficit, quia terrenæ quidem ædificationis fundamentum in imo positum, structuram supra se subrigit, huius autem spiritualis domus Domini, fundamentum sursum est, vbi Christus in dextera Dei sedens, structura verò sic suspensa est eidem fundamento inhærens, vt dicant adhuc in isto sæculo siue mortali corpore commorantes, nostra autē conuersatio in cælis est. Quod deinde sequitur, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, & dicent. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius, extunc factum est, & fit, & vsq; ad finem seculi fieri non desinet. Fluxerunt namque ad illum montem Christū, & fluere non desinunt gentes & populi cum sacro

Esaiæ 2. 1. Cor. 3. Responsio.

sacro flumine baptismi, ex quo dando regulam baptizandi. Euntes (inquit) docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Illi quibus hoc præsentialiter dixit, videlicet Apostoli, & qui per eos inuitati atque instructi sunt, vel post illos in euangelica fide succreuere, prædica-
Fides sine operibus nō sufficit. re, & mutuò cohortari non desinunt, & vniuersæ prædicationis siue exhortationis eorum summa hæc est. Venite ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iocob, subauditur, vt ipsius & vnicæ Ecclesiæ eius vnicam fidem teneamus, & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius. quia videlicet non sufficit credere, nisi etiam secundū præcepta eius operemur, & per semitas eius, id est, per arctam & angustam viam quæ ducit ad vitam, intrare contendamus. Idcirco
Luca 24. ipse cū dixisset. Docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, addidit, docentes eos seruare omnia quæcūque mandaui vobis. Quodq; hic adiungit, quia de Syon egredietur lex, & verbum domini de Hierusalem. Item, ipse in Euangelio confirmat, dicens: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius, pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. [Et iudicabit inter populos multos, & corriget gentes fortes vsque ad longinquum.] Iudicabit, subauditur, verbum domini, quia videlicet, in
Hebr. 4. hoc quoque seculo sermo Dei verus iudex
Quomodo verbum domini iudicat. est. Vnde Apostolus, Viuus est enim (inqt) sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Mira efficatia, mira viuacitas sermonis domini iudicantis populos, & gentes corripientis, qui cogitationes & intentiones cordis latere non sinit. Quocunque accedit, vbicunque prædicatur, tale iudicium fit, talisque discretio populorum siue gentium, vt domestici quoque, id est, qui in vna domo commorātur, contra semetipsos diuidantur, fiantque manifesti, qui probati & qui improbi sunt,
Matth. 10. id est, qui pertineant, & non pertineant ad Deum. Quod intuens ipsum verbum incarnatum, nolite (inquit) arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Statimque testimonium subiungit fortasse de isto propheta sumptum. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Hoc modo iam iudicauit, & iudicat verbū domini inter populos multos, & hoc modo gentes fortes corripit, dum & pater filium, & filius patrem, mater filiam, & filia matrem, socrus nurū, & nurus socrum suā redarguendo in fide vel euangelio Christi, excusatum siue excusabilem esse non sinit, ne fortè quis in futuro vniuersali iudicio dicat, nesciui, non audiui, non fuit nunciatum mihi. Gentes autē (inquit) non qualescunq;, sed fortes, scilicet Græcos & Romanos quo-
Psal. 18. que corripit, addens adhuc vsq; in longinquum, id est, à solis ortu vsque ad occasum, sicut de huiusmodi in Psalmo scriptum est. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Item: A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius. Quod nimirum idem est ac si diceret, quia de ignorantia nemo satis erit excusatus. His dictis protinus de illis quos nō
Sacerdotibus nunc pugnare non licet, vt antea. contradicturos præuidet iudicanti & corripienti verbo domini, sed acturos pœnitentiam, acquiescendo veritati, ita subiungit.
[Et concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones. Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltra belligerare.] Nonne istud chorus cāte Christi euangelio passim per populos & gentes factum esse legimus, & fieri videmus, dum viri prius inquieti & bellicosi, depositis armis bellicis, & ipso scemate, vel habitu immutato, insignia ferunt euāgelicæ pacis, alij ad cœnobialem, alij ad heremiticam vitam conuersi? Veruntamen de cæteris quomodocunque sit, nonne sacerdotalis, cunctusq; sacri altaris ministerialis ordo, sic & gladios & lanceas concidit, vt ne saltem manibus attrectare licitum sit? Non sic erat antequam innotuisset iste mons domus domini. Denique ante aduentum Christi sacerdotibus æquè vt cætero populo licitum erat armis accingi, & ad præliū exerceri. Quinimò & propter hoc maximè tribus Leuitica sacerdotiū meruit, quia gladijs vtens, nec fratribus suis pepercit, sicut scriptum est. Si quis est domi-
Exod. 32. ni, iungatur mihi, ait Moyses, Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui, quib. ait, Ponat vir gladium super fœmur suum. Ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisq; fratrem suum, & amicum & proximum suum. Feceruntque ita, ceciderunt que quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses, Consecrastis manus vestras domino hodie vnusquisque in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio. Item, Phinees Eleazari filius, si-
Num. 35. lij Aaron sacerdotis, pro eo quod ingressus est post virum Israelitē in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem, idcirco sic de illo dominus locutus est. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini illius pactum sacerdotij sempiternum. Nunc ita non est: neque enim sacerdotibus occidere, aut de illis qui occiderunt sacerdotes fieri licitū est, ex quo euangelici sacerdotij princeps hic ipse Chri-

 stus dixit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtus dixit Petro gladium educenti, cùm percuſsiſſet ſeruum principis ſacerdotũ, & amputaſſet auriculam eius. Conuerte gladium
Matth.26. tuum in vaginã, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Igitur quicquid de alijs fit, qui cũ ſint laici, voluntario propoſito arma deponunt, ſacerdotib cunctiſque altaris Chriſti miniſtris decretum eſt neceſſario ſeruandum, vt concidant gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones, & non diſcant vltra belligerare, quod licitum erat prius (vt iam dictum.) Quod deinde ſequi-
"tur. [Et ſedebit vir ſubtus vineam ſuam, &
"non erit qui deterreat eum.] Sic adimpletur
1.Tim.9. vt Apoſtolus ait: Habentes victum & veſtitum, his contenti ſitis. Is enim rectè dicitur, ſedere ſubtus vineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam, qui proprijs vel conceſsis contentus, rem non concupiſcit aut inuadit alienam. Profectò nec in hac parte antiquus ille populus iuſtificari poteſt, quia videlicet niſi dominus vineas & ficus alienas promiſiſſet ac dediſſet, nequaquam legem eius tã facile ſuſcepiſſet. At vero ſeptem mulieres quæ virum vnum apprehenderunt, panẽ, inquiũt,
Eſa.4. noſtrum comedemus, & veſtimẽtis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomẽ tuum ſuper nos, auferr opprobrium noſtrũ, id eſt, vniuerſæ gentes, de quibus hic ſermo eſt, per ſeptiformem ſpiritum ad Chriſtum conuerſæ, nequaquã pro ſuſceptæ fidei mercede hoc expetunt, vt det illis regiones aliorum, & labores alienos poſsideant, ſed ſuis contentæ, quæ ante Chriſti euangelium poſſederant. Hoc tantum expetunt, vt inuocetur nomen eius ſuper eas, & remiſsione, percepta, careant opprobrio peccatorum. Et quia non ſufficit ad perfectionem quod dixerat, & ſedebit vir ſubter vineam ſuam, & ſubter ficum ſuã, iungit quod perfectũ eſt, & nõ erit qui deterreat eum. Quod verum ſit innumera probant millia martyrum quos perſecutores deterrere nõ potuerunt, tollendo non ſolùm ficus & vineas, verum etiam & animas, tradentibus illis corpora ſua propter Deum ad ſupplicia. Hæc pro-
"phetia vera eſt. [Quia os domini exercituũ
"loquutum eſt, quia omnes populi ambula-
"bunt in nomine domini vnuſquiſq; nos au-
"tem ambulabimus in nomine domini no-
"ſtri in ęternũ & vltra.] Bona & firma ratio confirmans quod non ſit qui deterreat eiuſmodi, quia videlicet omnes populi, ſubaudi tur, illi duntaxat, qui non confluxeruntad illum montem domini, quorum Chriſtus
1.Cor.6. Deus non eſt, ambulabunt in nomine Dei ſui, id eſt, in cura ventris ſui qui videlicet vẽter eorum Deus eſt, & idcirco potuerunt deterreri, nos autem non ſic. Nos enim Deum alium habemus, ſicut ſcriptum eſt: Non enim eſt Deus noſter, vt deus eorum, quia videlicet tranſitorius eorum deus venter eſt, ſecundum quem ambulant temporaliter, noſter autem Deus iſte mons domus Domini Chriſtus eſt, cuius in nomine ambulabimus in æternum & vltra, quia nobiſcum eſt, & erit vſque ad conſummationem ſeculi & vltra. Sequitur. [In die illa dicit
Dominus, congregabo claudicantem, & eã
quam eieceram collgam, & quam afflixeram, & ponam claudicantem in reliquias,
& eam quæ laborauerat in gentem robuſtam, & regnabit Dominus ſuper eos in mõte Syon, ex hoc nunc vſque in ſeculum.]
Quæ hactenus dicta ſunt ab eo quod ait, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, vſque ad præſentem verſiculum promiſsio eſt tantùm de electione gẽtium, præſens autem verſiculus electionem & ſocietatem prædicat vtrorumque, Iudæorum ſcilicet & gentium. Nam congrega-
bo, inquit, claudicantem, ſubauditur Iſraeliticam gentem, & eam quam eieceram & *Iſrael claudicans, gentilitas eiecta dicitur.*
afflixeram, colligam ſcilicet aliam gentem, immò gentilitatem. Et rectè gens Iſraelitica claudicans, & gentilitas eiecta dicitur & afflicta, quia videlicet Iſrael non penitus eiectus à Deo fuerat, neque omninò cum Deo ambulabat, ſed in duas partes claudicabat, partim Dominum Deum, partim Baal colendo, & cætera deorum portenta, *Gen.32.*
gentilitas autem penitus eiecta, continuò per omnes generationes, errore fuerat afflicta. Amplius autem & deterius gens Iudaica, in illa die, de qua nunc ſermo eſt, claudicans apparuit, ſecundum typum vel figuram quæ in patre eius Iacob præceſsit, quando cum angelo luctatus eſt, & vicit, & ille tetigit neruum fœmoris eius. Cuius rei myſterium pauliſper nunc attingere libet, Iacob cum Deo luctatus eſt, & victor benedictionem extorſit, quaſi inuito & nolenti ac dicenti: dimitte me, iam enim aſcẽdit aurora, quia videlicet ſic futurum erat, vt cõminaretur Deus, ſeſe à ſemine eius recedere, propter peccata gentis eiuſdem rebellis & incredulæ. Quod vt primum loquutus eſt ad Moyſen his verbis propter vitulum
quem fecerant. Dimitte me vt iraſcatur fu- *Exod. 32.*
ror meus contra eos, & delcam eos, faciamque te in gentem magnam, ille conſurrexit in confractione, id eſt, in nimia mentis humilitate, ſtans in conſpectu eius, Deumque reluctantem, homo colluctans tenuit ne hoc faceret. Ex hoc longo reluctamine detentus eſt Deus, quoties ab illa gente propter peccata eſt auerſus, quia nullo tempore defuerũt fideles in populo illo, in quibus tamſecundũ fidem, quàm ſecundum carnẽ eſſet pater Iacob, quorum meritis & precibus vehementiſsimis ſuit obſtrictus, nec *Gen.22.*
ante dimiſſus donec benediceret Iacob, do nec impleret benedictiones ſuas legiſlator, dando benedictionem illam in qua benedicerentur omnes gentes, ſicut ad Abraham loquutus eſt, quæ videlicet benedictio in ſemine

mine eius, gratia ſancti ſpiritus eſt per paſsionem Chriſti effuſa in omnes nationes. Tunc enim reuera deus Iacob benedixit in ſanctis Apoſtolis omni benedictione ſpirituali, neruus autem fœmoris eius emarcuit, quia quicquid carnaliter agere vel ſacrificare ſolebant, reprobatum eſt. Omnes etiã genealogiæ pro fabulis extunc reputatæ ſunt, quoniam velut hic qui ſolus texendarũ cauſa fuerat generationum. Sola fides prædicatur, & de carne eius ſiletur. Et quia in Apoſtolis & alijs quãlibet paucis fides cõprobata eſt, tanquam firmus pes, in multis autem carnis ſola gloriatio eſt, vtiq; tanquã pes infirmus, rectè nunc Iacob in poſteritate ſua claudicare dicitur. Igitur in die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram, id eſt, ſic vtrunque aſſumam, vt nullam Iudæi & Græci diſtinctionem faciam.

Et quaſi quæreres, quomodo cõgregare ſe dicat claudicantẽ, & quomodo colligere eiectã ſiue affligtam, ponã, inquit, claudicantem in reliquias, & eã quę laborauerat, in gẽtem robuſtã. Vt dictũ, ita & factum eſt, quia claudicantem Iſrael, euangelica gratia, non
Rom.12. plenariẽ collegit, ſed in reliquias poſuit. i. de illo reliquias aſſumpſit, de quibus & Apoſt. ſeipſum eſſe conteſtatur his verbis. Nunquid repulit Deus populum ſuum? Abſit, Nam & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abrahã, de tribu Beniamin. Et ſubinde. Quid dicit Heliæ diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptẽ millia virorum qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Item, Eſaias autem, inquit, clamat
Eſa.10. *Electa in gentem robuſtam ponitur.* pro Iſrael. Si fuerit numerus filiorũ Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluę fient.

Itaq; claudicantẽ quamuis ex maxima parte claudicando offenderit, in reliquias ponã ait, illam autem quæ laborauerat non vtcũque refocillabo, ſed ponam in gentẽ robuſtam. i. collectam de gentibus eccleſiam, ſic ſpiritu fortitudinis induam, vt ſicut multitudine fœcũda, ſic & victorijs ſit gloriosa, fiat res admiratione digna, vt dicatur de illa.
Cant.6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorũ acies ordinata? Verè robuſta, verè vt caſtrorũ acies ordinata. Nã (vt de cæteris taceã) quorũ tota ſpiritualis eſt pugna contra hoſtes inuiſibiles, & cõtra carnes vitia. Quis millites eius, eos duntaxat, quos martyres ſuos vel Chriſti nũcupat, dinumerare queat? Nouimus reliquias illas, ſcimus iſtã gentẽ robuſtam, totum q; ſunt, eſſe gratiæ nõ debiti, vnde & gratias agentes dicunt
Apoc.5. in Apoc. Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabunt ſuper terrã. Ergo dominus, de quo hic tandem dicitur, & regnabit Dominus ſuper eos in monte Syon, ex hoc nunc & vſque in æternum. Veraciter nominatur rex regum, & Dominus dominantium, quia quo *Dominus rex regum.*
rum eſt rex, ipſi omnes reges & ſacerdotes ſunt, & in æternum regnabunt. Quod autem hic dominus regnans ſuper eos in monte Syon, propria ſit filij perſona, ipſe in Pſal. *Pſal.2.*
teſtis eſt, dicens. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Syon montẽ ſanctum eius, prædicans præceptum eius, dominus dixit ad me filius meus es tu. Mons autem Syon non dubium, quin ſit cæleſtis eccleſia, iuxta dicta Apoſtoli. Et acceſsiſtis, inquit, ad Syõ montem & ciuitatẽ Dei viuentis, Hieruſalẽ cæleſtem, & multorum millium angelorum frequentiã, & eccleſiam primitiuorũ qui inſcripti ſunt in cælis. Nec verò repetere opus eſt, quã vtiliter nũc Chriſtus, nunc Chriſti eccleſia cæleſtis montis Syon, ſiue montis domus domini appellatione in præſenti prophetia ſignificetur, videlicet propter illud quod præmiſſum fuerat, Syon cauſa veſtri, quaſi ager arabitur, & mons templi erit in excelſa ſyluarum, vt offenſio vel odium quod contra prophetas his auditis magis ef- *Sup.3.*
ferueſcere poterat, ſapienter mitigetur, dũ de rebus alijs ſub eiſdem nominibus glorioſa dicuntur. Si tanta & tam glorioſa meritò dicuntur de gentibus ad iſtum montem domini confluentibus, & de reliquijs claudicã tis. i. Iudaici populi, quæ in idipſum congregandæ præuidebantur. Quid de primitijs eiuſdem populi, id eſt, de primitiua eccleſia, vel ad primitiuam eccleſiam patri rcharũ & prophetarum, & omnium electorũ dicidebuit, qui Chriſti aduentum præceſſerunt & expectauerunt, & non acceptis promiſsionibus omnes defuncti ſunt, ex quibus ipſe Chriſtus ſecundum carnem? Nã de illa parte, ſiue ad illam partem tam bonam, nihil propriè conueniens præſentis prophetiæ textus hactenus eſt elocutus, ſed nimirum ad illam dicuntur ea, quæ continuò ſequuntur. [Et tu turris gregis nebuloſa filia Syon, vſque ad te veniet, & veniet poteſtas
prima regum filiæ Hieruſalem. Nunc quare mœrore contraheris? Nunquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus perijt, quia cõprehendit te dolor ſicut parturiẽtem.] Filia nanque Syon, ſiue filia Hieruſalem præſenti loco ipſa eſt primitiua eccleſia, patriarcharum & prophetarum, cæterorum q; ſanctorum, quæ mœrore contrahebatur, dum ab ea Chriſtus expectaretur, quaſi regem non habens, ant conſiliarium, cùm in promiſsione & ſpe teneret eum. Dicitur autem *Filia Syon primitiua Eccleſia dicitur.*
nunc idcirco filia Syon, ſiue filia Hieruſalem, quia videlicet dum in hoc ſeculo peregrinaretur, mente pendebat ad illam ciuitatem Syon ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, vt Apoſtolus ait, quo- *Hebr.12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum ministerio fruens, supernis visionibus, & crebris promissionib. quasi materno lacte filia dulcis lactabatur, nutriebatur, & beata spe consolata confortabatur. Tali filiæ tunc dicitur. Et tu turris gregis nebulosa, subauditur consolare & habeto claritatem lætitiæ, quia veniet potestas prima vsque ad te. Turris idcirco nunc vocatur, quia & visibiliter & inuisibiliter tanquam forte præsidium firmauerat illam Deus, visibiliter tẽplo & altari, de quo Esaias, & ædificauit, inquit, turrim in medio eius, inuisibiliter autem angelorum agminibus. Sed & in Cantico canticorum ad eam dicitur. Sicut turris Dauid collũ tuũ quæ ædificata est cũ propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortiũ. Hoc em̃ si ritè perpendimus, tã pulchrè quã verè ad illã dicitur, de qua oẽm armaturã. i. omnem canonicã scripturã accepimus, qua armati sumus, sine qua inermes essemus nos oẽs, quicunq; de gentibus ad Christi militiã vocati quippiã fortiter loquimur aut agimus. Totum quippe vetus, totũ nouũ testamentũ ex illa est. Rectè ergo dicitur turris, & turris gregis. quia videlicet nos, qui grex domini sumus, nos populus eius, & oues pascuę eius in illa protegimur, & defendimur. Et hæc quidẽ turris nebulosa dicitur, nimirũ, ppter crebras aduersitates, & propter mœrorem quo cõtrahebatur, eò q̃ nõdũ veniſſet suus q̃ federat in eadẽ turri rex, & ppter despecti onẽ. qua sæpe ab inimicis insultantibus despecta est, sed nihilominus lucida erat & est. Nã alibi, cum fedro, inquit, in tenebris dñs lux mea est. Irã dñi portabo, quoniã peccaui ei, donec iudicet causam meã, & faciat iudicium. Educet me in lucem, videbo iustitias eius. Siue etiã idcirco nebulosa, quia incredulorũ multitudo semper inuenta est in illa, sicut præfiguratũ est & in templo, quod à Salomone ædificatũ est, & in monte Syna, quando lex data est. Nam & illic montẽ nubes dẽsissima operuit, & illic nebula impleuit domum domini, & nõ poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam. Quid tibi dicã ô talis filia Syon? Vsq; ad te veniet, & veniet potestas prima regnũ filiæ Hierusalem. Quia parũ videbatur esse quod dixerat, vsq; ad te veniet, subauditur ipse qui regnabit dominus, melioraut bonũ nunciũ repetẽdo ac dicendo. Et veniet potestas prima, veniet regnum tibi primũ filiæ Hierusalẽ. Sic nanq; futurũ erat, & sic factum est. Venit enim potestas in aduentu regis & domini, videlicet illa magna & miranda potestas, quã tam breuibus verbis Euangelista pulchrè exprimit dicendo, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et illud regnum, de quo ait, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cælorũ. Hoc regnum tibi filia Hierusalem, hæc potestas ô filia Syon vsque ad te veniet prima, id est, primum tibi danda. Nam licet Apostolus dicat, distinctionẽ nõ esse Iudæi & Græci, & non esse personarum acceptionẽ apud Deũ, tamen idem dicit, primum Iudæo & deinde Græco. Item, Quid ergo, inquit, amplius est Iudæo, aut quæ vtilitas circuncisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidã illorũ non crediderunt? Nunquid incredulitas illorũ fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax, &c. Igitur tibi potestas prima veniet, ô filia Syon, & primum regnum, quia videlicet vos sancti patriarchæ & prophetæ, vos sancti Apostoli & cæteri de illo populo sancti, rectè primum in regno & potestate filiorũ Dei possidetis locum. Cùm ita sit ô filia Syon, siue filia Hierusalem, nunc quare mœrore contraheris? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor, sicut parturientem? Denique tunc temporis, & ex eo, quo ad Abraham semĩs, quod est Christus, repromissio facta est, ita Syon siue Hierusalem, id est, multorum animæ sanctorum patriarcharum & prophetarum, regum & omnium iustorum mœrore contrahebantur, cupientes videre promissionis effectum, & comprehendit eos dolor velut parturientium, sicut mirabili signo significatur in Apocalypsi cùm dicit, Et signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens, & clamabat paturiens, & cruciabatur vt pariat. Illa Syon, hæc ipsa Hierusalem erat, illa mulier amicta sole, & luna sub pedibus, id est, Christum habens in promissione, & abundans atque præeminens bonis temporalibus, & in capite eius corona stellarum duodecim, id est, in initio gentis filij Iacob, patres tribuum duodecim, & in vtero habens scilicet promissionis fidem, & spem in corde retinens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret, quia videlicet magno desiderio videre desiderabat rem, cuius habebat spem, sicut mulier [desiderat videre natum, quem portat cõceptum. Hunc dolorem miro modo spiritus sanctus sanctorum omnium consolator & arguit & excitat. Arguit enim dicendo, nunc quare mœrore contraheris? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor sicut parturientem. Excitat subiungundo confestim. [Dole & fataga filia Syon, quasi parturiens.] Scidũ ergo, quia dolentium in partu magna distantia est. Alicuius enim anima in partu præ dolore ingreditur, & si dicatur ei: ne timeas quia filium peperisti, siue vt alibi legimus: noli timere, quia & hũc habebis filium, non respondet neque animaduertet. Secundum huiusmodi similitudinem,

Hebr. 12.

Turris gregis.

Esa. 5.

Cant. 4.

Rom. 3. 10.

Mœror filiæ Syon.

Apoc 12.

Infra 7.

3. Reg. 8.

Exod. 20.

Ioan. 1.

Matth. 4.

1. Reg. 4.

Gen. 35.

Spiritus

Spiritus sanctus ecclesiã venturi Christi matrem dolere noluit. Quãuis enim prius morerentur sancti, quã viderent illum Christũ dñi, tamen habere debebant & habebant fidem resurrectionis & futuri seculi, q̃ videlicet quanuis expectantes morerentur, nihil ominus tamen illum & extra carnem, & in carne sua postmodũ visuri essent. Igitur cũ dicit. Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perijt, quia cõprehendit dolor sicut parturiẽtẽ, ab eodẽ hortatur sanctos oẽs, vt non contristentur sicut & cæteri, qui spẽ non habent. Cũ autem protinus subiungit, dole & satage quasi parturiens. Ad hoc hortatur, vt contristentur secundum Deum, id est, vt in tristitia siue dolore non amittant spei fiduciam, & fidei rationem. Vnde notãdum, quod non dicit hic tantummodo quasi parturiens, sed dole. inquit, & satage, id est, in dolore spem firmam tene, additque, quasi parturiens, quia videlicet sicut parturiens tandem doloris sui videt fructum, & iam non meminit pressuræ propter gaudiũ, quia natus est homo in mundum. ita tu videbis liberantem & redimentem te dominum, & dolor tuus cõuertetur in gaudium. Hoc intelligẽdum est per id quod sequitur. "[Quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem, & ibi liberaberis, ibi redimet te dominus de manu inimicorum tuorum.] Quantum ad exteriorem literæ textum, istam intelligimus Iudæorum captiuitatem notissimam, qua in Babylonem ducendi, & de qua post annos septuaginta erant reducendi. At verò spiritualiter aliam nouimus Babylonem, sicut Syon istam scimus siue Hierusalem, de qua nunc loquitur, viuentis Dei ciuitatem, id est, vniuersalem sanctorum & electorum omnium societatem, cuius rex & consiliarius Christus est, qui in præsenti loco per prophetam prænunciatur. Vniuersalem ergo huius Syon captiuitatem, quæ in Adam accidit, præ oculis habentes, dignius ac locupletius verba hæc intelligimus, dum præmisso, Dole ac satage filia Syõ quasi parturiẽs, subiungit: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsq; ad Babylonem, ibi liberaberis, ibi redimet te dominus de manu inimicorum tuorum. Nunc, inquit, id est, ante illud nouissimum dierum, in quo fiunt illa quæ prædixi, manifestato monte domus Domini, qui Christus est, interim dum moram facit, & nondum venit qui venturus est, tu egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem, id est, prædicata in Adam, nasceris extra paradysum, vnde ille expulsus est, & tu pariter cũ illo, cui" in lumbis eras, & manebis in præsentis seculi captiuitate, & post habitationẽ huiusce regionis venies vsq; in Babylonẽ, scilicet moriendo, & per mortẽ descẽdendo ad tenebrarum infernaliũ confusionẽ, quo & sancti descenderũt patres tui, sicut vnus ex maximis illorũ dicit. Descendã ad filiũ meum lugens in infernũ. Ibi liberaberis, ibi redimet te dominus de manu inimicorũ tuorum. Descendet enim illuc Deus & dñs Dei filius, liberator & redemptor tuus, ppter te homo factꝰ & passus, crucifixus, mortuus, & sepultus, & deinde suscitatus à mortuis solutus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Hoc modo redimet te de manu inimicorum tuorum, scilicet malignorum spirituum, pretium dando pro te sanguinem suum, vt nihil iuris habeant in te propter originale peccatum. Hoc de illa spirituali Babylone, & de inuisibilibus inimicis tuis dominus dixit. Nunc demum de visibilibus inimicis tuis audi quid idem ipse dicat, [Et nunc congregatę sunt gentes multę," quæ dicunt, lapidetur, & aspiciat in Syon" oculus noster. Ipsi verò non cognouerunt" cogitationes domini, & non intellexerunt" consilium eius, quia congregauit eos quasi" fœnum areæ. Surge & tritura filia Syon," quia cornu tuum ponam ferreum, & vngu-" las tuas ponam æreas, & cõminues populos" multos, & interficies domino rapinas corũ" & fortitudinem eorum domino vniuersæ" terræ.] Quis hoc nesciat, q̃ super istam Syõ" gentes multæ congregatæ sunt ab initio se-" culi, ex quo Cain funestus primum ciuem ciuitatis huius fratrem suum Abel interfecit? Pleni sunt sacri libri lachrymabilibus historijs, & passim per omnem ferè paginam diuinam gemitus huius Syon audiuntur, dũ veniunt gentes & ponant morticina seruorũ tuorum Deus escas volatilibus cæli. carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. dum effundunt sanguinem ipsorum tanquã aquam in circuitu Hierusalẽ, & nõ est qui sepeliat. At illi nulla miseratione gementi Syon cõpatiũtur, sed pertinaci crudelitate semetipsos cohortantur dicẽtes. Lapidetur ista Syõ, id est nullus ei parcat. Et optãdo dicunt, Aspiciat in Syon oculus noster. Quo dicto vehemẽs innuitur odium & inuidia, quæ non leuiter exaturari possit, nisi multarũ aspectu miseriarũ. Quo cùm potiti fuerint, maligno risu soluuntur, & crudeli plausu tripudiant dilatantes os suũ, sicut scriptũ est, atq; dicentes. Euge, euge viderũt oculi nostri, subauditur mala huius q̃ desiderauimus, & hoc benè cõtigit nobis. Ipsi autem, inquit, non cognouerunt cogitationes domini, & nõ intellexerunt consilium eius, quia congregauit eos quasi fœnũ areæ. Et est sensus. Cõgregatæ sunt gentes super te, & in sua gloriantes multitudine, præsentia tantùm & manifesta potuerunt videre, scilicet & tuam calamitatem, & suam in hoc mundo prosperitatem, sed hoc non cognouerunt neque intellexerunt, quid in futurum dominus cogitauerit, & quale super te & super illos cõsiliũ inierit.

2. Cor. 7.

Ioan. 6.

Gen. 37.

Act. 2.

Gen. 4.

Psal. 78.

Psal. 34.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed ecce cõsilium, & cogitatiõnes eius dico tibi, quia congregauit eos quasi fœnũ areæ, subauditur, vt cõgregatis illis dicat tibi. Surge & tritura filia Syon, quia cornu tuũ ponam ferreum, & vngulas tuas ponam areas, & comminues populos multos, & interficies domino rapinas eorum, & fortitudinem domino Deo, vniuersæ terræ. Et est sensus, Quanuis fortes & robustos esse arbitrentur, nimirum cùm sint caro, sic sunt quasi fœnum, quia omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri. Et verè fœnum est populus. Itaq; sicut fœnũ in agro ad tempus viret, & in tempore suo aridũ deportatur ad aream, ibiq; ferris dentatis siue plaustris ferreis trituratur, at tritico recondito, stipula & paleæ proiectæ igni traduntur. Sic tu ô Syon omnes gentes quæ congregatæ sunt, super te superbientes atq; luxuriantes, velut viride fœnum in iudiciũ domini triturabis atque comminues, ita dũtaxat, vt quicunque ex illis sese in humilitatem deposuerint, eos tanquam triticum domino, vniuersæ terræ consecres, interficiendo quicquid in eis vitiosum erat, quicũque autem pertinaci superbiæ vento sese subleuauerint, eos velut stipulam & paleam perpetuo igni trades. Neque enim resistere tibi poterunt cornu ferreum, & æreas vngulas habenti, quod videlicet cornu tuum insuperabilis rex & magnificus triumphator Christus est, quæ vngulæ tuæ Apostoli de tua carne geniti sunt, fide solidi, verbo tinnuli velut æs, quod metallum valdè sonorum est. Nam in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Hactenus ad illam quæ vera est Syon & vera Hierusalẽ sermo est sic incipiens, & tu turris gregis nebulosa filia Syon. Nam de illa Hierusalem terrena quæ occidit prophetas, & lapidauit eos qui ad se missi fuerunt, audi quid dicatur. [Nunc vastaberis filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos, in virga percutiẽt ''maxillam iudicis Israel.] Cuius vel quanti ''iudicis? Nimirum eius qui & magnus Deus ''est, & humilis apparuit, quod multum cauẽ ''tè sicut eo tempore opus erat, sequentibus ''verbis prædicatur. [Et tu Bethleem Ephra''ta, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi ''egreditur, qui sit dominator in Israel, & ''egressus eius ab initio à diebus æternitatis. ''Propter hoc dabit eos vsque ad tempus in ''quo parturiens pariet, reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel.] Sicut iam dictum est ad illam, & de illa Hierusalem quæ prophetas occidit, sermo est. Nunc (inquit) vastaberis ô tu, non verè filia Syon, sed verè filia latronis, videlicet quæ virum homicidam & latronem Barrabam tibi dimitti petisti, authorem verò vitæ interfecisti. Nunc inquam vastaberis, nunc circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te & cõangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te & filios tuos qui in te sunt. Quã ob causam sic vastaberis, & cur prosternentur filij tui? Obsidionem (inquit) posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israel, Super nos prophetas & sapientes & scribas obsidionem posuerunt, id est, ex nobis occiderũt & crucifixerũt, & ex nobis flagellauerunt in synagogis suis, & de ciuitate in ciuitatem persecuti sunt. Nam hoc totum fuit obsidionem ponere super nos, quia sic voluerunt claudere ora nostra, ne doceremus in nomine iudicis Israel, cuius maxillã in virga percusserũt, in virga, inquã, id est, in arũdine qua percutiebãt eum spinis coronatum, sibi potestate concessa, quemadmodum ait, sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Per partem totam, id est, per maxillæ percussionem, totam eius significabat passionem. Pulchrè nimirum, quia passionis eius hoc fuit initium, quod vnus assistens ministrorum, dedit illi alapam dicens. Sic respondes pontifici? Proterua crudelitas, crudelis proteruia lictoris, & scurrę, qui dum adulatur domino pontifici, & ei placere vult, assiliens coram percutit in maxillam iudicem Israel, necsolius Israel, sed & omnium hominum, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Et vt amplius perhorrescas temeritatẽ nebulonis, qui percussit, ille iudex non tantum homo, sed & Deus est. Hoc enim verbis sequentibus testatur. Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Quid enim est quod egredietur ex te ô Bethleem, & nihilominus egressus eius ab initio à diebus æternitatis, nisi quia duę sunt eius egressiones, id est, natiuitates, altera secundum carnẽ, qua egredietur ex te ô Bethleem ex semine Dauid, altera secundum diuinitatem, qua non egredietur, sed egressus eius, inquit, iamdudũ exactus est, nõ ex mũdo, sed ab initio, nõ in dieb. temporalitatis, sed à diebus æternitatis. Nã in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Igitur & Deum & hominem testatur hic esse illum iudicẽ Israel, sed hoc taliter edici, vt vulgo intelligeretur, tũc tẽporis nõ expediebat. Quomodo em̃ audire paterẽtur, cp qui Deus Israel erat homo futurus, & in maxilla percutiendus esset? Cautè ergo & prudenter propheticus sermo dispẽsatur, dum à facie filiæ latronis, cui loquebatur dicens, nunc vastaberis filia latronis, &c. & sese repentè auertit, & ad aliã, id est, Bethleẽ sese conuertit, & eidem sic loquitur, vt & veritatem vtriusq; naturæ, scilicet diuinæ & humanæ in Christo testificetur, & eandem testificationem, talibus verbis enunciet, vt non ab

Ioan. 18.

Actor. 10.

Ioan. 1.

Isai. 40.

Matth. 23

Christus vt cornu ferreum, Apostoli vt vngulæ æreæ.

Hierusalẽ terrena, dicitur filia latronis.

Matth. 28. Lucæ 19.

Duplex Christi egressus.

Bethleem & Ephrata vnius oppidi vocabula.

Gen. 35.

vt non ab illis qui surdi sunt vel erant, & aures audiendi non habebant, tunc temporis facile perciperetur. Quod autem Bethleem & Ephrata vnius eiusdemque ciuitatis Dauid, siue castelli, vbi erat Dauid, vocabula sint, habemus ex scriptura dicente. Mortua est ergo Rachel, & sepulta in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethleem. Porrò cum dicit, Et tu Bethleem Ephrata, paruula es in millibus Iuda, subaudiendum est apud homines, quorum in oculis vix paruus viculus es, qui non cælestem, sed terrenã quantitatem attendunt, sed profectò apud Deum non minima es. Alioquin nisi cum eadem affirmatione, qua dicit paruula es, & ex opposito ista negatio in prophetę sensu intelligatur, sed non apud Deum minima es, tanquã si dicat, Paruula siue minima videris, sed non minima es, dissonanter testimonium hic in Euangelio sumptum videbitur, vbi principes sacerdotum & scribæ scisciranti Herodi sic respondisse narratur. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Cum enim hic dicat paruula es, & illic scriptum sit, nequaquam minima es, perspicuè Lira dissonat, sed in sensu clara consonãtia est, vt cum propheta dicit, paruula es, subaudias in oculis omnium hominum, & cum Euangelium dicit, nequaquam minima es, subintelligas apud Deum. Quod deinde subiungitur, propter hoc dabit eos vsque ad tempus in quo parturiens pariet, & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel, manifestè completum, atque adhuc complendum est. Nam quia tanti iudicis Israel maxillam percusserunt, qui secundum carnem de Bethleem ex semine Dauid egressus est, & cuius egressus secundum diuinitatem, à diebus æternitatis est, id circo dedit eos idem iudex, subauditur in manus gladij, & in captiuitatem in omnes gentes, & in partes vulpium, id est, malignorum spirituũ. Vsquequo sic dabit eos? Vsq; ad tempus (inquit) in quo parturiens pariet. Parturiens dicitur, non ista filia latronis, id est, terrena Hierusalem, quæ deo sterilis est, sed illa spiritualis Hierusalẽ, siue Sion, cui supra dixerat. Dole & satage filia Sion quasi parturiens. Illa namque mater pariet, subauditur Iudæorum, siue Israelis reliquias, iuxta illud. Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertẽtur ex eis. Nam hoc est, quod hic protinus subiungit. Reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel. Cuius eius? Nimirum ipsius iudicis Israel, quia fratres eius secundum carnem ipsi Iudæi sunt, qui maxillam eius percusserunt. Tempus quo istud fiat tunc erit, cum plenitudo gẽtium intrauerit. ''Sequitur, [Et stabit & pascet in fortitudine ''domini, in sublimitate nominis domini Dei ''sui, & conuertentur, quia nunc magnificabi ''tur vsq; ad terminos orbis terræ.] Iudex Israel, sicut iam dictum est propter hoc dabit eos, quia percusserunt maxillam eius, & ipse surgens à mortuis stabit, subauditur à dextris Dei fortis & sublimis, iuxta quod in Actibus Apostolorum scriptum est, Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait. Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Stabit ergo, id est pro suis morientibus pugnabit ipse victor mortis, & pascet, subauditur populum suũ, vtpote diues & præpotens Rex in fortitudine Domini, in sublimitate nominis domini Dei sui, id est, sicut fortis Deus habens nomen sublime, quod est super omne nomen, videlicet quale nomen habet pater, qui propter assumptam humanitatem dicitur & est Dominus Deus eius. Nam & ipse loquitur, ascendo ad patrem meum, & patrem vestrũ, Deum meum, & Deum vestrum. Et conuertentur ait, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terrę. Hoc ipsum quod hic dicit, & pascet, & conuertentur & cętera. manifestius in Psalmo expressum habemus. Ait enim, Edent pauperes & saturabũtur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi. Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Pascet ergo scilicet terminos terræ, quoadusque magnificabitur, non qualicunque edulio, sed corporis & sanguinis sui sacramento, quod edentes & bibentes pauperes, saturabuntur, nam corda eorum, id est, animæ viuent in seculum seculi, quemadmodum ipse dicit. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Sequitur.

Bethleem & Ephrata vnius oppidi vocabula.

Matt. 2.

Psal. 62.

Esaiæ 10.

Actor. 7.

Ioan. 20.

Psal. 21.

Ioan. 6.

[Et erit iste pax Assyrius cum venerit in'' terram nostram, & quando calcauerit in do'' mibus nostris.] In nonnullis codicibus legitur Assyrijs, & ordinatior litera videtur. Si enim legendum est Assyrius, cur præpostere dicere maluit, Assyrius cum venerit, quàm dicere cum Assyrius venerit? Itaque secundum vtranque literam exponendum est, & primum secundum hanc literaturam, & erit iste pax, Assyrius cum venerit in terram nostram, Quando venerit diabolus, ait Beatus Hieronymus, qui dicitur Assur super terram regionemque credentium & eorum quos pascet Dominus in fortitudine & in sublimitate nominis Domini Dei sui, & calcauerit eos tribulationibus varijs, & domos animarum nostrarum, id est, corpora quasi superbus ascẽderit atque depresserit, & tamen nos nihil separauerit à charitate CHRISTI, tunc CHRISTI pax siue ipse CHRISTVS erit in nobis, & dicetur de sancto, nihil proficiet inimicus in eo. Nunc vt secundum aliam literæ structuram dicamus, scilicet ita legendo, & erit

Assyrius, diabolus.

Psal. 88.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pax Assyrijs, id est, cunctis gentibus.

iste pax Assyrijs, cum venerit in terram nostram, primo sciendum, quia quod dicitur, cum venerit in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris, siue vt rursus post pauca habemus, & cum calcauerit in monte nostro, rectè de ipso Domino intelligitur, præsertim cum in exordio sermonis hic idem propheta dixerit, Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet & decalcabit super excelsa terræ, &cæt. vsque ad id, quod ait, Quæ excelsa Iudæ, nonne Hierusalem? Eritque hic sensus, Et erit iste, *Supra 7.* videlicet dominus magnificus vsq; ad termi nos terræ, pax Assyrijs. i. cunctis gentib. quarum eo tempore potentissimi erant Assyrij, vndè & pro cunctis gentibus rectè possunt *Luc. 19.* hic accipi. Erit inquam, iste pax Assyrijs, id est, loquetur pacem gentibus, Euangelizabit pacem eis, qui prius erant inimici, cũ venerit in terram nostram, id est, cum nos vitauerit, & cum calcauerit in domibus nostris, subauditur, eo quòd non cognouisti tempus visitationis tuæ, ò supra dicta filia latronis. Nam idcirco calcabit in domibus nostris, idcirco conculcabit templum & ciuitatem, ita vt non remaneat lapis super lapidẽ. *Esai. 63.* Nam quod Dominus calcet & conculcet, testatur ipse dicens in alio propheta, Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. Væ ergo tibi, quæ tibi Barrabam latronem donari petisti, & proindè rectè dicerisfilia latronis, & cuius seditionis hæreditate possedisti, væ tibi, quia tu conculcaris, quæ diceris Israel, pax autem tua Assyrijs, id est, gentibus pœnitentiam agentibus, sicut significatum est, vbi ad prædicationem Ionæ Niniue ciuitas magna Assyriorum ad *Iona. 3.* "pœnitentiam egit. Sequitur. [Et suscitabi- "mus super eum septem pastores, & octo pri "mates homines, & pascent terram Assur in "gladio, & terram Nemroth in lanceis eius, "& liberabit ab Assur, cum venerit in terram "nostram, & cũ calcauerit in monte nostro.] Quorum in persona supra dixerat, obsidionem posuerunt super nos, eorundem vox ista est, & suscitabimus super eum septem pastores & octo primates homines, vox scilicet prophetarum, sapientium, & scribarum, quos ecce ego mitto ad vos, ait ille iudex Israel ad eos, qui maxillam ipsius percusserũt. Ipsi loquuntur etiam hæc, & suscitabimus super eum septem pastores & octo primates homines. Super quem dicunt, suscitabimus eum. Nimirum super eundem sæpè dictum iudicem Israel. Profectò non vile obsequium, nõ paruam honorificentiæ portionem de studio suo promittunt. ad clarificandum illum tantum iudicem, quem filij illius filiæ latronis sic inhonorauerunt, vt maxillam eius percuterent. Quærendum est diligen- *Septem pastores & 8. Primates homines.* ter, qui nam sint septem pastores & octo primates homines, & deinde, quid sit suscitari illos super hunc iudicem Israel, & tunc patebit, quia non leuis aut incerta hæc pollicitatio est. Septem fide claros & meritis insignes de sanctis scripturis nouimus, similiter & octo primates homines, quos licet hactenus nouerimus, necdum tamen numerum, & proprias eorum causas animus adeò perpenderat, priusquam loci præsentis diligentia nos excitasset. Primùm ergo septem pastores, deinde per ordinem recolamus octo primates homines. Primus pastor fuit Abel, de quo scriptum est. Fuit autem Abel pastor ouium, & obtulit Domino munera de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ, & respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Secundus pastor fuit Abraham. Tertius Isaac. Quartus Iacob, qui stans coram Pharaone cum filijs suis, interrogante illo, quid habetis operis, pastores ouium sumus, inquit, serui tui, & nos & patres nostri. Erãt autem patres eius Abraham & Isaac, qui profectò curam habuerunt alendorum gregũ, ita vt non posset eos capere terra præ multitudine gregum, vndè & facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Loth, & fuit iurgium pastorum Gerare aduersus pastores Isaac. Veruntamen non pro multitudine vel cura gregum, sed pro eo, quod circa res horum pastorales, diuina sese commendauit auctoritas, septem istos pastores excellentissimos numeramus. Igitur (vt dicere iã cœpimus) horum primus fuit Abel, qui de primogenitis gregum Domino munera obtulit, quæ suo respectu Dominus digna duxit. Secundus Abraham, qui de Armento suo vitulum tenerrimum tollens, & optimum inclytis hospitibus, scilicet tribus angelis, venientibus in figura sanctæ trinitatis, memorabile conuiuium fecit. Tertius Isaac, qui velut aries ad immolandum ductus est, & pro quo arietem Abraham inter vepres hærentem cornibus holocaustum obtulit. Quartus Iacob, qui de grege duos afferens hœdos in cibum patrem benedictionem accepit, & deinde soceri greges pascens, auctus est benedictione Domini. Quintus fuit Ioseph, qui cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis, & indè venditus fuerat, factusq; princeps Aegypti, professionem istam non erubuit, quamuis detestarentur Aegyptij omnes pastores ouium, dicens ad patrem & ad fratres suos, Cum vocauerit vos Pharao, & dixerit, quod opus est vestrum? respondebitis. Viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra vsque in præsens, & nos, & patres nostri. Sextus fuit Moyses, qui pascebat oues Ietro soceri sui sacerdotis Madian, & inter pascendum, cum minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem DEI Oreb, apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Septimus fuit Dauid, qui de semetipso proloquens ad Saul, pascebat (inquit) seruus

Septem pastores. *Gen. 4.* *Ibid. 47.* *Abel.* *Abraham.* *Ibid. 18.* *Isaac.* *Ibid. 22.* *Iacob.* *Ibid. 27.* *Ioseph.* *Ibid. 37.* *Ibid. 46.* *Ibid. 13.* *Ibid. 26.* *Moyses* *Exod. 3.* *Dauid.* *1. Reg. 17.*

tuus patris sui gregem, & veniebant leo & vrsus, tollebatque arietem de medio, & sequebar eos, & percutiebam eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem & vrsum interfeci, ego seruus tuus. Erit ergo & Philisthæus hic incircuncisus, quasi vnus ex eis, qui ausus est maledicere exercitui dei viuentis. Ecce isti sunt septem *Octo primates.* pastores inclyti, quos scriptura teste, authoritas diuina commendauit. Porrò octo primates homines hi sunt. Primus Iosue filius Nun. Secundus Caleph filius Iephone. Tertius Ottoniel filius Cænez. Quartus Aoth filius Gera filij Gemini. Quintus Barach filius Abinoem de Cades Nephtalim. Sextus Gedeon. Septimus Iepte Galaadites. Octauus Samson. Isti octo idcirco dici merentur primates homines, quia auctoritate diuina præeunte, & inducente illos spiritu Domini, constituti iudices liberauerunt populum suum, vndè & meruerunt appellari Saluatores Israel. Primus horum Iosue & secundus *Iosue. Num. 27.* Caleph introduxerunnt populum in terrã *Caleph. Ibid. 14.* promissionis, dicente Domino ad Moysen, Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Domini, & ponam manum tuam super eum, &cæt. De Caleph verò ait, Seruum meum Caleph, qui plenus alio spiritu, secutus est me, inducam in terram hanc quam circuiuit, & semen eius possidebit eam. Primatum eius hoc diuinum testimonium cõmendat, & præter hoc alia, quæ præsenti loco inserere longum est. Tertius Othoniel fi- *Othoniel. Iudic. 3.* lius Cenez liberauit Israel de manu Cusamrasathaim Regis Mesopotamiæ, cui seruierunt octo annis, scriptura dicente, Et clamaueruntad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos Othoniel, videlicet filius Cænez, fuitque in eo spiritus Do- *Aoth. Ibidem.* mini, & iudicauit Israel, &c. Quartus Aoth liberauit Israel de manu Eglon Regis Moab, cui seruierunt decem & octo annis, scriptura dicente, Et clamauerunt filij Israel ad Dominum, & suscitauit eis saluatorẽ Aoth *Barach. Ibidem 4.* filium Gera, & cæt. Quintus Barach filius Abinoem liberauit Israel de manu Iabin regis Chanaan, qui per viginti annos vehemẽter oppresserat eos, & ipse auctoritate diuina suscitatus per Debboram propheten vxorem Lapidoth. Sextus Gedeon liberauit *Gedeon Ibid. 6. 7.* Israel de manu Madian, cui seruierant septẽ annis præcipiente angelo, qui apparuit ei. Septimus Iephte Galaadites liberauit Israel *Iepthe. Ibidem 11.* de manu filiorum Ammon, qui cum Philisthijm vehementer oppresserant eos per decem annos & octo. De isto scriptum est, factus est super Iephte spiritus Domini, transiuitque ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos. Quos tradidit dominus in manus eius percussitq; eos plaga magna nimis, humiliatiq; sunt filij Ammon à filijs Israel. Octauus Sampson per angelum Domini prænũciatus est matri sterili, & hic erit (inquit) Na- *Samson. Ibidem 13.* zaræus ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum. Isti sunt octo primates homines, qui miro modo septem pastoribus ita inseruntur, & ita inter sextum pastorem, qui est Moyses, & septimum, qui est Dauid, surrexerũt, vt filios Israel, quos Moyses sextus pastor (vt iam dictum est) de Aegypto eduxit, primus hominum primatum Iosue cum Caleph introduceret in terram repromissionis, & liberationem de manu Philisthijm, quam octauus primas Sampson incepit perficeret septimus pastor Dauid. Habemus igitur & septem pastores, & octo primates homines ex proprijs cauis notos & insignes, quos suscitabimus (inquit propheta) super eum, videlicet sæpè dictum iudicem Israel, cuius maxilla percussa est. Quomodo illos suscitabimus super eum? Videlicet eo modo, vt quæ per illos corporaliter gesta sunt, doceamus spiritualiter fieri vel impleri per ipsum. Doceamus (inquam) quia quarum rerum in illis præcesit figura, in isto succesit veritas. Hoc facientes suscitabimus illos super eum, nos prophetæ & sapientes & scribæ, ex quibus ego sum. Nam & si secundum tempus corpore absens, spiritu cum illis præsens sum, quorum spirituali studio fit, vt in lectione talium pastorum, & primatuum nihil mortuum remaneat aut otiosum, dum omnia referuntur ad Christum. Itaque & isti cum illo viuent, & illi, qui tunc erunt, ex istis proficient. Vnde cum dixisset. Et suscitabimus super eum, septem pastores, & octo primates homines, confestim subiunxit. Et pascent terram As- *Genes. 11.* sur in gladio, & terram Nemroth in lanceis eius, Quod est dicere & omnes gentes, quæ nunc sine Deo sunt, neque verbi Dei pabulum habent vllum, tunc ex mysticis isto rum exemplis, legendo proficient, quarum videlicet gentium Assur & Nemroth, id est, *4. Reg. 17.* Assyrij & Babylonij maximi Deoque ma- *Ibidem 25.* gis aduersi tunc erant. Principium namque regni Nemroth Babylon fuit in terra Sennaar, & de illa terra egressus est Assur, & ædificauit Niniuen. Nec verò dubium vel incognitum est, quin Assyrij postmodum decem tribus transtulerint. Babylonij verò, pro quibus hic ponitur Nemroth, duas reliquas, Iudam & Beniamin. Magnificè ergo reconciliatio gentium promittitur, dum de illis, qui tunc erant infestissimi, talis prophe- *Hebr. 4.* tia texitur, & pascent terram Assur & terram Nemroth, & hoc non sine armis, sed in gladio & in lanceis eius, id est, in sermone dei, qui est, viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Et in sententijs veritatis, quæ sunt lanceæ siue sagittæ eius, suo gladio & illis lanceis diabolum, qui prius terram obtinuerat, debellabit, & liberabit huma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

humanum genus. Hoc est, quod ait, Et liberabit ab Assur cum venerit in terram nostrā & cū calcauerit in monte nostro. Ac si dicat, eodem tempore quando venit in terram secundum præsentem prophetiam, & conculcabit Iudæos subuersa ciuitate & templo, liberabit à diabolo gentes, quæ hactenus erāt
Genes. 11. Luc. 11. terra Assur, & terra Nemroth, quod interpretatur tentatio, qui per hoc ipsum, quod de illo scriptum est, erat robustus venator coram Domino, significat diabolum, qui possidebat gentes tanquam fortis armatus cu-
"stodiens atrium suum. Sequitur. [Et erunt
"reliquiæ Iacob in medio populorum mul-
"torum, quasi ros à Domino, & quasi stillæ
"super herbam, quæ non expectant virum,
"& non præstolantur filios hominum.] Reliquiæ Iacob credentes ex Iudæis sunt, quorum vnus ex optimis Apostolus cum dixisset. Nunquid repulit Deus populum suum?
Roma. 12. subiūxit atq; ait, Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Et enim, licet illi, qui in futuro tempore crediturí sunt, cum plenitudo gentium intrauerit, reliquiæ dicantur, nihilominus tāmen & hi rectè dicuntur reliquiæ, quæ tunc crediderunt pauci, multitudine in incredulitate permanente, testante eodem, cū præmisso exemplo de Helia, cui dixit respō sum diuinum, Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, sic ergo (inquit) & in hoc tempore reliquiæ secundum electionm gratiæ saluæ factæ sunt. Ergo reliquię Iacob erunt (inquit)
Reliquiæ Iacob apostoli. in medio populorum multorum quasi ros à Domino, quasi stillæ super herbam, id est, Apostoli Christi, siue ministeriales iudicis eiusdem, de quo hactenus sermo fuit, sanctam & diuinam de cælesti conuersatione sua sumptam, stillabūt vel depluent gentib. scientiam. Ros enim suauiter cadens, & stillæ sensim decidentes super herbam, Euangelicam vel Apostolicam significant doctrinā à Domino datam, & pro capacitate audientium discretè annunciatam, & dupliciter valentem nobis, scilicet ad refrigerandum & sanctificandū. Terra quippe nostra calore vitiorum erat exusta, & à maligno spiritu quasi vento vrente percussa, ita vt cor hominis Babyloniæ fornaci nō incongruè pos
Dani. 3. set simile dici. Tunc autem cœpit Dominus mittere quasi ventum roris flantem, quando ad amorem cælestium nos excitauit per Apostolorum prædicationem. Item manus nostræ vacantes ab operibus bonis, sic erant quasi herba macra & sterilis, sed nunc quasi stillæ à Domino super herbam ceciderunt, quando eadem doctrina nos ad dilectionē proximi reflorescere fecit, & in porrigendo eleemosynam facies nostras exhilarauit. Et bene de isto rore & de huiusmodi stillis ait, quia non expectant virum, & non præstolantur filios hominum, sed signanter cum dixisset, quasi ros, addidit à Domino, quia videlicet Euangelium siue doctrina, quæ *Actor. 4.* per Apostolos administrata est, non per in- *Ibidem 7.* structionem vel magisterium hominum venit aliquando, sed cælitùs data est, docente illos inuisibiliter Spiritu sancto, absque mora & momento, ita vt qui fuerant homines sine literis & idiotæ, repente fierent literarum periti, & potentes in omni sermone.

Hocidem de prophetis sentiendum est, & primum de Moyse. Nam ille quidem humanam scientiam per homines didicit, & erat (vt Stephanus prothomartyr) eruditus omni sapientia Aegyptiorum, & potens in verbis, sed scientiam rerum diuinarum vt pentateucum suum conscriberet, non per hominem, sed per solum Deum didicit, qui illi in rubo apparuit. Sed & de Dauid cęterisque prophetis, & de Christi Apostolis omninò sciendum est, quos omnes & solos Ecclesia Christi in canonico apice susçipit, *2. Pet. 1.* Vndè & Petrus in Epistola sua dicit. Hoc *Actor. 2.* primum intelligentes, quod prophetica scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Et de cæteris quidem Apostolis, qui fuerunt illic, vbi Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit, sedit que suprà singulos eorum, certum est, quia non ab homine, neque per hominem, sed per reuelationem IESV CHRISTI didicerunt. De Paulo autem, qui tunc non erat illic, sed postea vocatus est, dubium volunt esse quidam aduersarij eius Pseudoapostoli, dum vellent corrumpere veritatem Euangelij, quam ex ore eius multi susçipiebant populi, ob hoc derogantes illi, & auctoritatem eius diminuere volentes, quia Domini nostri Iesu Christi, dum adhuc cum hominibus conuersaretur, discipulus non fuit, hac pro necessitate plerisque in locis Apostolatum suum defendit, *Galat. 1.* maximè autem in epistola ad Galatas cum dicit, Notum enim vobis facio euangelium fratres, quod euangelizatum est à me, quia non secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per reuelationem IESV Christi. Bene ergo cum dixisset de reliquijs Iacob. Et erunt in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbā, addidit, quæ non expectant virum, & non præstolantur filios hominum. Ac si dicat. Et erunt Apostoli Iesu Christi sapientes, & *Reliqui doctores eccle-* eloquentes, totum salutari doctrina imbu- *sia.* entes mundum, quam videlicet doctrinam non à magistris hominibus accipient, non studij vel ingenij proprij labore acquirent, sed occulta gratiæ cælestis aspiratione percipient. De reliquijs (inquam) Iacob, id est, de Apostolis, ita duntaxat æque vt de prophetis, qui & carne & fide sunt filij Iacob

hoc

hoc dicere verum est. Cæterum de alijs magistris ecclesiarum, quicunque ex gentilitate surrexerunt non eadem sententia est vel esse potest, quia videlicet sunt quidem & ipsi quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, scripturas propheticas atque apostolicas tractando dulciter, & exponendo vtiliter, sed singuli horum, vt hoc facere possent, expectauerunt virum, & præstolati sunt filios hominum. Multos enim post deū
Diuersæ similitudines cathygetas vel magistros subierunt. Vndè quicquid dixerunt, non idcirco ratum habet Ecclesia Christi, quia sic ipsi dixerunt vel senserunt, sed quia dicta vel sensus suos propheticis atque apostolicis testimonijs, vel aliqua probabili ratione confirmare potuerunt. Sequitur. [Et erunt reliquię Iacob
"in gentibus, in medio populorum multorū,
"quasi leo in iumentis syluarum, & quasi ca-
"tulus leonis rugiens in gregibus pecorum,
"qui dum transierit & conculcauerit & cape
"rit, non est qui eruat.] Quàm diuersarum, quàm longè dissimilium rerum similitudines eisdem reliquijs Iacob hic ascriptę sunt. Dixerat, & erunt reliquiæ Iacob quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, & continuò nunc dicit, & erunt reliquiæ Iacob quasi leo in iumentis syluarum, & quasi catulus leonis rugiens in gregibus pecorum. Quid magis dissimile, quàm suauitas roris à feritate leonis? Quid magis diuersum, quàm lenitas stillarum stillantium super herbam, sæuitia vel impetu catuli leonis rugientis in gregibus pecorum? Attamē eisdem reliquijs Iacob, & suauitas roris, siue lenitas stillarum, & feritas leonis, siue impetus catuli leonis æquè per similitudinem
Apostoli lenes & seueri. ascribitur hic. Quare? Videlicet, quia magistri populorum, siue gentiū Apostoli Christi, & lenes & seueri sunt, lenes in docendo, siue exhortando, seueri in corripiendo &
2. Cor. 5. vlciscendo. Exempli gratia, Paulus vbi docet inter cetera, sic loquitur. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini deo. Quid isto rore dilectionis suauius, quid
Ibid. 6. 13. hac stilla veræ & germanæ pietatis lenius? Cætera quoque vsque ad id, os nostrum patet ad vos ô Corinthij cor nostrum dilatatū est, talia sunt stillicidia, vel talis ros, vt nemo qui dubitet, quin sit à Domino patre misericordiarum & totius consolationis Deo. At verò idem post plurima dicit, Ecce tertiò hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi enim & prædico vt præsens vobis & nūc absens ijs, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Ecce seueritas magistri tanquam leonis rugitus super iumenta syluarum, & tanquam catuli leonis super gregem pecorum. Nam iumenta syluarum rectè illos æstimamus, quos redarguebat super immunditia & fornicatione, *Quasi iumenta syluarum.* & impudicitia quam gesserunt. Nonne su- *1. Cor. 5.* per huiusmodi, quasi leo fuit? Ait enim, Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit, id est, qui vxorem patris habuit. Ego quidē absens corpore, præsens autē spiritu, iā iudicaui vt præsens eū, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi satha
næ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Porrò quasi greges pecorū *Quasi greges pecorū.* eiusmodi fuerunt, qualibus veluti conterri- tis ad rugitum catuli leonis gratulatur & dicit, Quoniam & si contristaui vos in epistola, non me pœnitet. Et si ad horam vos con- *2. Cor. 7.* tristaui, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiā, contristati enim estis secundum Deum, &c. Hæc verò quasi de austeriori Paulo exempla posuisse putemus, quasi cæteris Apostolis hunc amplius sęuitiam leonis exercuisse dicamus. Nam vt plura sermo prætereat, *Act. 5.* nónne Petrus quoque quasi leo siue catulus leonis in gregibus pecorum rugijt, quando in conuentu discipulorum Ananiam primum & deinde Saphiram vxorem eius increpauit, & illi ceciderunt & expirauerunt, quia spiritui sancto fuerāt mentiti. Verè igitur quasi reliquiæ Iacob, quasi catulus leonis, qui cum transierit, subauditur ad nullius pauens occursum, & conculcauerit videlicet rebellantes, & ceperit subauditur mendaces, vt capti & deprehensi sunt iam dicti Ananias & Saphira, spiritui Sancto mentientes, non est qui eruat. His dictis de reliquijs Iacob, protinus ad illum conuertitur sermo propheticus iudicem Israel, de quo supra dixerat, in virga percutient maxillam iudicis Israel, & dicit [Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt.]

Hostes publici siue inimici Domini illi maiestatis adiudicantur, qui non solum peccatores, verumetiam impij sunt odiendo nomen eius, quales maximè illi fuerunt, de quibus ipse in Euangelio loquitur. Nunc autem & viderunt & oderunt, et me et pa- *Ioan. 15.* trem meum. Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Super eiusmodi hostes exal- tabitur (inquit) manus mea, subauditur, vt non videant gloriam tuam, imnò vt vide- *Esaiæ 16.* ant et confundantur quemadmodum alius Propheta, cum sub interrogatione dixisset et non videbit impius gloriam Domini, protinus duplicem responsionem hoc modo ipse reddidit: Domine exaltetur manus

tua

Universidad de Deusto
Biblioteca

tua vt non videant, videant & confundantur zelantes populi,& ignis hostes tuos deuoret. Denique & per iustam increpationē dixit,domine exaltetur manus tua, & non videant gloriam tuam,& subaudiēdum est, ita vt in gloria tua partem habeāt nullam,& per sæueram nimisque acerbam concessionem,ait protinus,videant & confundantur Quodque hic dicit,& omnes inimici tui interibūt,illic similiter conceditur, vt fiat dicendo,& ignis hostes tuos deuoret.Nam vbi exaltabitur manus tua domine, quando apparebis sedens in sede maiestatis tuæ rex & iudex Israel statutis ouibus ad dexteram hœdis autem ad sinistram tuam, tūc omnes inimici tui interibunt,diabolus videlicet & angeli eius, tunc hostes tuos videlicet tam diabolum & angelos eius,quam & homines impios sequaces eius,ignis deuorabit te dicente. Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Hoc nihilominusad ecclesiam vniuersam referri potest,cuius caput est ille iudex.exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt,quia videlicet qui capitis,id est, hostes vel inimici sunt corporis, quod est ecclesia eius,& vbi caput,ibi nimirum exaltabitur & corpus. Rectè ergo & ad ipsam dictum hoc rectè inielligitur, præsertim quia & supra illi dicebatur, Surge & tritura filia Syon, &c.& protinus eidem dicitur. [Et erit in die illa dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui, & dispergā quadrigas tuas,& perdam ciuitates terræ tuę & destruam omnes munitiones,& auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te. Et perire faciam sculptilia tua, & statuas de medio tui, & conteram ciuitates tuas,& faciam in furore & indignatione vltionem in omnibus gentibus,quæ non audierunt.] Magnificè in verbis istis consoletur se ecclesia Dei,considerando vitæ æternæ statum,qualis futurus sit ex die illa, qua omnes sui interibunt inimici,Siquidem hoc promittitur in his verbis, quod non solum mala omnia,verumetiam ipsa quoque,quæ in hoc sæculo videntur,& sunt quædam bona,quamuis non vera vel sufficientia, penitus non erunt illic. Quis enim nescit maleficia,diuinationes,sculptilia, & statuas atque adorationes manuum operum, & lucos ad sacrificandum dæmonijs electos siue sacratos, vera esse mala? Quis item neget equos, quadrigas, ciuitates atque munitiones, falsa esse bona? Fallax equus ad salutem, ait Psalmista,& hi in curribus,& hi in equis nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Possunt quidē prodesse equi & quadrigæ,immò & necessaria sunt ad subuectionem tardis & infirmis corporibus,vel etiam sanctis ad fugiendum de ciuitate in ciuitatē, si vrgente persecutore fugiendum est citius, sed cuiusmodi vsus, non tam verum bonū, quàm veræ infirmitatis est solatium, sæpè nimium habens fallax experimentum,quia (sicut iam dictum est) fallax equus ad salutem,ad quod succinere possis, sed nō fallax ad fatigationem.O quanto melius est, grauia vt nunc sunt corpora immutari, & velocitate angelorum perfrui, quàm grauedinē corporum equis vel quadrigis vectitando fallaciter consolari.Igitur magnæ beatitudinis est promissio in verbis istis cum dicit,& erit in die illa,dicit Dominus,auferā equos tuos de medio tui, & dispergam quadrigas tuas,&cæt. Præmiserat enim, & omnes inimici tui interibūt. Ergo idē est ac si dicat, In die illa faciam illud, pro quo nunc clamas ad me dicens,de necessitatib. meis erue me. Primum est, quòd equos tuos auferam , & quadrigas tuas dispergam , id est, quod terreni corporis tantam velocitatem efficiam, vt sit quocunque velit, quod fieri nō posset cum equis & quadrigis . Tunc enim homines æquales erunt angelis ,ait ipse dominus, & filij sunt Dei,cum sint filij resurrectionis. Quod si æquales,nimirum & æque veloces, æque vt angeli erunt,equis & quadrigis nō indigentes.Quid porrò de ciuitatibus & munitionibus dicam, cum dicit,& perdam ciuitates terræ tuæ,& destruam omnes munitiones?Notum est,quia Cain fratrem suum Abel per inuidiam occidit,& hic primus ædificauit ciuitatem, vocauitque eam ex nomine filij sui Enoch. Porrò & Abel & cæteri sancti omnes hic manentem ciuitatem non habent,sed futuram inquirunt. Perdam igitur(ait)ciuitates terræ tuæ,& destruam omnes munitiones, non solum spirituales, verumetiam manufactas & materiales, sine dubio subintelligendum, & omnes ciuitatum atque munitionum seditiones atque cupiditates,& vniuersas,quas eisdem Cain mortalibus intulit clades, & malas solicitudines, quarum vniuersitas dicitur & est Babylon, cum qua, vt audimus in Apocalypsi vocem de cælo dicentem,fornicati sunt reges terræ & in delicijs vixerunt. Et de qua ibidem ita scriptum est. Et sustulit vnus angelus fortis lapidem molarem magnum,& misit in mare dicens. Hoc impetu mittetur Babylon magna ciuitas illa,& vltra non inuenietur. Magna igitur requies sanctæ Syon,id est,ecclesiæ in perditione ciuitatum,vel munitionum terræ promittitur, qui videlicet cum perditione illarum,perditio quoque consequenter subintelligitur rerum omnium cōcupiscibilium,quæ in ciuitatibus sunt(quarum ex intuitu sancti ciues regni Dei peregrinantes in hoc mundo, tentati & fatigati sunt) videlicet auri,& argenti,& lapides pręciosi,& margaritarum & byssi,& purpurę, & serici,& marmoris,& cynamomi,& amomi,& odoramentorum,& vnguenti,& thuris,& vini, & olei,& similæ,& tritici, & iumentorum,& ouium,& equorum, & redarum,

Matt. 25.

Hostes ecclesiæ,Christi quoque hostes sūt.

Qualia bona equi & quadrigæ.

Psalm. 32.

Psalm. 19.

Psal. 24.

Requies sit in perditione ciuitatum terræ.

Gene. 4.

Hebr. 11.

Apocal. 17.

Ibidem 18.

rum,& mancipiorum,& cæterorum omnium,de quibus rectè Sapiens dicat, Vanitas vanitatum & omnia vanitas, quarum cupidi mercatores,nunc diuites facti, pauperib. insultant filijs tuis ô sancta Sion.Sed tunc illis flentibus atque lugentibus & dicētibus. Væ væ,isti exultabunt & libenter videbūt, pariter perire suas quoque munitiones, & quas hic pro necessitate habuerunt, non vt alios impugnarent, sed vt impugnantibus alijs aliquod refrigerium haberent. Et auferam(inquit)maleficia de manu tua.Et hic subintelligendum est, vt amplius mali quic quam non facias. Impossibile namq; erit ex die illa, vt sancta electorum societas mali quicquam faciat vel admittat, & erit firma & incorruptibilis innocentia. Neque enim erit vltra serpenti antiquo facultas siue licētia,vt sibilet quicquam, vel mali aliquid alicui sanctorum suadeat, sicut fecit quando mulieri suasit, vt vetitum comederet,& viro suo porrigeret, quo maleficio totum exinde genus humanum venenatum est. Vt breuiter dicam, sic auferet dominus de manu electorum suorum maleficia, vt quibus dedit nunc malefacere nolle,tunc det quod amplius & perfectius est,scilicet malefacere non posse. Et diuinationes non erunt in te. Diuinatio prophetia mendax est. Hæc sine dubio feliciter tunc deerit,quando præsentia vel plena cognitio Dei, præsensq; facies veritatis cunctos illustrabit, & nihil incertum vel incognitum sit. Hāc perfectionem in hac vita sancti non valent cōsequi, sed ex parte (inquiunt) cognoscimus, & ex parte prophetamus.Cum autē venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tūc autem facie ad faciem. Et perire faciam sculptilia tua,& statuas de medio tui, & nō adorabis vltra opera manuū tuarum. Hoc etiam ante diem illam prouidendum est, vt opera manuum suarum,scilicet sculptilia& statuas adoret, quæcunq; anima Deum verum colit, vel nomen eius inuocat, veruntamen magna pars populi Dei , populi electi vnum Deum colentis, perfectionem huius rei non adiungit,dum corpore viuit.Nā & si manus exterius vacat, vt visibilem sibi statuā non faciat,nonne animus celerrimus artifex formam sibi aliquam persæpè fingit,dum recordatur creatoris sui,& eum cō templari cupit, cui dicit in oratione, Pater noster qui es in cælis. Velociter namq; sibi proponit, aut velociter sibi occurrente delectabiliter excipit, quasi aliquem venerabilis formæ senem speciosum & magnum, magno consilio residentem , & fortasis ita putat esse in re, sicut legit vel audit in illa Danielis visione,Quia throni positi sunt,& antiquus dierum sedit, vestimentum eius quasi nix candidum,& capilli eius quasi lana munda,& cætera, quæ quasi localem loquuntur Deum,cum ipse localis non sit. Equidē sic simpliciter errare veniale est, sed errorem eundē pertinaciter defendere dānabile,quia hęreticum est. Vndè & Humaniformij dicuntur hæretici, qui Deum forma humana mēbrisque distinctum asserere conati sunt.Quod igitur nunc dicit, Et perire faciam sculptilia tua, & statuas de medio tui,& non adorabis vltra opera manuū tuarum,sic in illa die perfici credendum est, vt circa diuinam substantiam nemo taliter erret,vidētibus cunctis qualis sit. Vndè Ioannes,Scimus(inquit)quia cum apparuerit, similes ei erimus , quia videbimus eum sicuti est.Quod deinde sequitur,& euellam lucos tuos de medio tui,& conteram ciuitates tuas , itidem in die illa perfectè implebitur, quòd nunc ex parte impletum est, vel implendum est. Nō enim iam in hoc perfectio est,quod verum colentes Deum,non lucos frequentant,nec latebras vel tenebras quærunt ad sacrificandum principibus tenebrarum,neq; ciuitates suas claudunt,id est,conscientias non occultant, sed opportunè peccata sua confitendo aperiunt,non(inquam) perfectio iam in hoc,sed inchoatio beatitudinis est, quia multa sunt adhuc non solùm malè erubescenda, verumetiam bona reuelanda quæ abscondunt & abscōdere volūt, in his quæ reprehensibilia sunt, metuentes verecundiam.In his quæ laudabilia sunt, fugientes inanem gloriam. At verò tunc nihil erit,quod velint esse occultum,neque inuitis illis fiet illud quod Apost. ait,quia veniet dominus & illuminabit abscondita tenebrarum,& manifestabit consilia cordium. Nā de malis vbi certa remissio erit, non habebunt cur erubescāt,imò multum habebunt quod gaudeant,scilicet magnam,& sine fine magnificandam remissoris gratiam & gloriam.Porrò de bonis vt abscondant illa,nequaquam inanem opus erit fugere gloriā. quia talis ventus illic flare non poterit, vbi vera & stabilis gloria Dei super omnes abūdans cuncta superabit, vniuersosque & angelorum & hominum ordines in fundamēto suæ visionis cum dulci tremore continebit.Igitur & lucorum euulsio,& ciuitatum cōtritio tunc ad plenum perfecta erit, quia nullus erit, qui occultè quicquam gerere, vel conscientiam suam ne videatur, aliquo modo circunceptam esse velit. Tunc econtra ibunt impij in supplicium & in opprobrium sempiternum,& hoc est, quod hic in calce sermonis enuncians , & faciam, inquit,in furore & indignatione vltionem in omnibus gentibus quæ non audierunt.

Ecclesi.1.

Gen.3.

Diuinatio prophetia mendax. 1.Cor.13.

Imaginatio simplicium de deo.

Danie.7.

1.Ioan.3.

1.Cor.4.

MICHEAM FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN MICHEAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

EOrum quę hactenus in hoc propheta, vel propter hûc prophetam dicta sunt, duo principia vehementer nostris auribus illisa sunt, dicendo videlicet in primo, audite populi omnes, & attendat terra & pleni tudo eius. In secundo autem, audite principes Iacob, & duces domus Israel. Et prima quidem prophetici sermonis inuectione Samaria, id est, decem tribus condemnantur, eorumque detrimẽtum recuperandum ex gentibus, per Christum his verbis promittitur. Ascendet enim pandens iter ante eos, diuident & transibunt portam, & egredientur per eam, & transibit rex eorum coram eis. In secunda Hierusalem, vel tribus Iuda seuerius arguitur, dicẽdo ad principes eius, ad sacerdotes eius, & ad prophetas eius, propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, quibus verbis illa manifestè desolatio prænunciatur, quæ facta à Romanis eandẽ filiam latronibus vastantibus, eo quod percusserit maxillam iudicis Israel, sicut manifestè sermones eiusdem sequentia vaticinãtur, itemque detrimentum Iudæorum, de salute gentium restaurandum, secundum hæc verba promittitur. Et fluent ad montẽ domini populi & properabunt gentes multæ. Et rursus, & erunt reliquię Iacob in medio populorum multorum, quasi ros à domino, & quasi stillæ super herbam, &c. Ecce nunc tertiò sermo propheticus quasi tubam vocem suam exaltans, neq; solam Samariam, vt prima, neq; solam Hierusalem, vt secunda inuectione conuenerat, sed ambas partes simul cõueniens sic inchoat. [Audite quæ dominus loquitur. Surge, contende iudicio aduersum montes, & audiant colles vocem tuam. Audiant montes iudicium domini, & fortia fundamenta terræ, quia iudicium domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur. Populus meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Respõde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis liberaui te, & misi ante faciẽ tuam Moysen & Aaron & Mariam. Populus meus memento quæso, quid cogitauerit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor de Sethim vsque ad Galgala, vt cognosceret iustitias domini.] Huiusmodi verbis iudicium domini de magnis rebus agi incipit, & sicut iam dictum est, ambæ partes, scilicet Samaria & Hierusalem pariter conueniunt, & quodammodo assistunt, tãquam duo rei, diuersitas secundum merita iudicij atque misericordię sententias excepturi. Sunt enim isti dissimiles sibi veluti alter etiam sub iudicio rebellans, alter coram iudice prostratus, & veniam postulans. Etenim Samaria, quæ se in perpetuo schismate detinuit à domo Dauid & templo domini, cuius ex regibus nullus recessit à peccatis Hieroboam, id est, à colendis vitulis, quos ille fecit, nec saltem cõminante Deo iudice captiuitatem instantem, pœnitentiam egit, reus ille est, qui etiam in iudicio per cõtumaciam magis ac magis prouocat iram iudicis. Hierusalem verò, quæ tunc temporis nonnunquam pœnitentiam egit, cuius reges aliqui ad pœnitentiam conuersi sunt, vt Manasses. aliqui iusti fuerunt & sancti, vt Dauid & Ezechias & Iosias. Nã prẽter istos, omnes in idolis peccauerũt. Reus ille est, qui corã iudice prostratus, fatetur culpam, poscit & meretur veniam. Neque enim de decem tribubus translatis in Assyrios aliquem pœnitentem, & Deo satisfacientem legimus, sed de filijs Iuda ductis in Babyloniam multum est quod miremur & compatiamur, Dum & Daniel in lacu leonum, & socij eius in fornace Babylonica prostrati, misericordem iudicem Deum deprecantur. Igitur dum proposito iudicio ex persona domini, dicentis, Populę meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, respondę mihi, &c. repente sese persona offert, dicens. Quid dignum offeram domino, curuare Deo genua excelso. Hanc arbitremur esse Hierusalem, quæ (vt iam dictum est) illo tempore pœnitentiam erat actura. Cætera verò quæ repetito clamore subsequuntur, inter quæ iudex proloquẽs, & custodisti, inquit, præcepta Amri, & omne opus Achab, contra Samariam dicta esse non dubitemus, quæ veluti reus rebellis veniam à iudice, nec postulat, nec meretur. Nunc per ordinem dicta sequamur. Audite, inquit, quæ dominus loquitur. Hoc in persona sua propheta clamat, videlicet tanquam preco iudici sedenti obsequens, vt pareat silentium, & ad audiẽdum attentam faciat multitudinẽ. Hoc ergo pręmisso, sequũtur ea quæ dominus loquitur. Surge cõtende iudicio aduersum montes, & audiẽt colles vocem tuam. De montibus & collibus istis, aduersum quos iudicio contendere iubetur, diuersi expositores diuersa sensérunt. Nam alij angelos intelligunt, quibus rerum

Supra 1. *Samaria.* *Supra 3.* *Hierusalẽ.* *2. Para. 33* *Dan. 3. 6* *Supra 4.* *CAP. VI.* *Montes & colles qui sunt.*

rerum humanarum commissa est procuratio, quique (vt apostolus ait) administratorij sunt spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiũt, & inde aduersus eos iudicio contendi volunt, si non egerint cuncta quæ ad suum pertinebãt officium. Alij verò Abraham, Isaac, & Iacob, & patriarchas reliquos interpretantur, quibus quasi auditoribus, & ad iudicium conuocatis, populi Israel negotium ventilandũ est. Verum neutra sententia liberum habet cursum, aut manifestis scripturæ vocib. cõprobatur, præsertim cum Abraham, & Isaac, & Iacob sancti atque amici Dei sunt, & sancti angeli præterito iam iudicio diuisi à malis angelis de salute sua securi, & in beatitudine sint firmati. Quomodo ergo vel aduersus istos, vel aduersus illos mõtes & colles liberè affirmarim, quod fiat contentio iudicij diuini? Vtigitur expeditior sit sensus, illud sequamur, quo manifestè nos præsens litera ducit, dum in initio contentionis statim dicitur. Populus meus quid feci tibi? Denique populus Israel cuius ambas partes, videlicet Samariam & Hierusalem, paulò antè diximus ad iudicium cõuocari, sub nominibus montium & collium corripitur in his verbis. Nec verò incongruè per montes figuratur, quia pars vtraque in montib. regnabat & superbiebat, decẽ tribus in mõte Samariæ, & duæ reliquæ Iuda & Beniamin in monte Sion. Vndè & per alium prophetam idem dominus. Væ igitur qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ. Igitur aduersus montes, id est, aduersus Samariam & Hierusalem in montibus habitantibus, & in montibus confidentes, surge (inquit) & contende iudicio, & colles, id est, vrbes minores, illarum subappẽdices audiant vocem tuam. Ad hoc edictum domini iudicium proponentis, idem præco, id est, propheta, qui prælocutus fuerat, dicens. Audite quæ dominus loquitur. rursus pro officio suo magis ac magis attentam volens esse plebis multitudinem, siue montium, id est, principum altitudinem, clamat, & dicit. Audiant montes iudicium, & fortia fundamenta terræ, quia iudicium domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur. Montes (vt iam dictum est) Samaria & Hierusalem dicuntur, quæ vtraque metropolis in monte sita est. Porrò fortia fundamenta terræ, non incongruè partis vtriusq; reges intelligimus. Regia nanque potestas quodammodo terræ, id est, populi fundamẽtum est. Vndè & Græco sermone rex Basileus, id est, basis populi dicitur, eò quòd regibus suis populi vel cetere dignitates innitantur, veluti columnę basibus. Igitur & fortia fundamenta terræ tumidæ, terræ montuosæ, id est, reges malè fortes, reges in vestris viribus & opibus confidentes, qui subuehitis Samariam & Hierusalem, quę in montibus sitæ sunt, & quod peius est, in montibus cõfidũt. audite, inquit, iudicium domini, quia quod valde timendum est, iudicium domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur. Verè enim sensato homini hoc valdè timendum est, ne cum illo Deus dijudicetur, scit enim, quia non poterit illi respondere vnum pro mille, ideoque prostratus postulat, dicens. Non intres in iudicium cũ seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hæc interlocuto propheta, protinus non ipse propheta, cui dictum esse videbatur, surge & contende iudicio, sed ipse dominus in sua persõna, hoc modo iudicio contendere incipit. Populus meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Respõde mihi, Quia eduxi te de terra Aegypti, de domo seruientium liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysen & Aaron & Mariam. Quis hic loquitur iudicio contendens, nisi dominus? Quis autem dixerat, surge & iudicio contende, nisi dominus? Ergone & iubet & obedit vna eademque persona, aut vnus idemque est, & ille qui dicit, & ille cui dicitur? Hæc idcirco subtiliter percunctamur & quærimus, quia valde nobis optabile est, vt etiam hic appareat, qui persæpè in scripturis Deus Deo, dominus domino, pater filio loquitur, & multa sunt quæ inter has personas dicta inuenimus, quorum dulcissimum atque clarissimum est illud, quod Dauid in spiritu audiuit, nobisque retulit dicens. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Sit igitur persona patris quæ dicit: surge contende iudicio, sit persona filij, quę dicto obaudiens, iudicio contendit & dicit. Populus meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Respõde mihi. Quid enim? Nunquid quia de virgine Maria nondum natus erat, idcirco de iudicio contendere nesciebat? Imò & prædari & spolia detrahere iam poterat. Hinc est enim quod de illo ad alium prophetam dicitur. Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prędari. Quam ob causam? Quia antequam, inquit, sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, quæ videlicet Damascus & Samaria tunc cunctis viribus Iudam oppugnabant. Quod est dicere, Idcirco voca nomen pueri, quem supra vocandum esse prædixi Emanuel, accelera spolia detrahere, festina prædari, quia priusquam nascatur in mundo patrem que habeat & matrem. patrem quidem optatiuum, videlicet Ioseph, matrem autem naturalem, scilicet Mariam. liberat & hactenus liberauit ab hostibus suis Iudam & Hierusalem. Mira acceleratio & inaudita festinatio. Nunquam fuit aliquis ita festinus, vt quippiam faceret antequam nasceretur vel conciperetur, præter istum solum qui prius erat Deus, de Deo patre genitus,

Hebr. 1. *Amos 6.* *Fortia fundamẽta terræ, regia potestas est.* *Ioan. 9.* *Deus pater & deus filius hic vtro ducitur loquentes.* *Psal. 142.* *Psal. 109.* *Esaiæ 8.* *Ibid. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

genitus, quàm fieret homo ipse de muliere natus. Igitur sicut vocari iussus est, accelera spolia detrahere, festina prædari, ita & secundum præsentem causam vocari poterat. accelera iudicio, contendere festina cum Israel dijudicari. quia videlicet, in quo & toties iudicatus est, vt traderet hostibus, & toties liberatus est ab hostibus Israel, vnum idemque est verbum domini, vnus idemq; filius Dei, verus Deus iudicans iustè, antequam fieret homo iudicandus iniustè. Núc itaque iudicio contendentis, quæstiones & rationes audiamus. Populus meus quid feci tibi aut quid molestus fui? Responde mihi. Hac percunctatione præmissa, ne vacet populo molestias referre, quas passus est in eo quòd toties tradidit eum in manus gentiũ, & dominati sunt eius, qui oderunt eũ. Causam quoq; suam istam proponit, per quam ostendat, sese priorem fuisse in beneficijs, & mala recepisse pro bonis, dum dicit. Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo ser- *Nume. 22.* uientium liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysen & Aaron & Mariam. Nec verò illos tantum qui erant fratres tui, verũetiam alienigenam, videlicet Balam filium Beor, qui non erat de gente tua, misi ante faciem tuam ad benedicẽdum tibi. Hoc est quod continuò subiungit, Populus meus memento quæso, quid cogitauerit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor de Sethim vsque ad Galgalam, vt cognosceres iustitias domini. Et est sensus, Num in eo molestus fui tibi, quod hæc beneficia præstiti tibi? Quod dicit, de Sethim vsque ad Galgalam, sic intelligitur, ac si dicat, de loco ad locum pergens, mutansque loca, vt totum exercitum Israel lustrarent oculis, quasi ego non possem cum pergente pergere, & cum trãseunte transire. Et hoc feci, vt misericordiæ meæ & iustitiæ notæ essent tibi. Cum itaque præmisso quid feci tibi, aut quid molesta fui, statim subiungit, quia eduxi te de terra Aegypti per Moysen & Aaron, & deinde meminisse rogat, quomodo Balaam filium Beor à maledicendo cohibuerit, quæ vtraque populo non molesta, sed valde fuere iucunda? simul meminisse oportet, qualia populus econtra fecerit, vt causis comparatis appareat in iudicio oppositio, quam iustus Deus, & quam iniustus Israel sit. Quid enim Deo populus fecit? Nonne ipse potius molestus fuit? Vbi illum Deus de Aegypto eduxit, ille vitulum conflatilem fecit, eique hostias immolauit, Moysen & Aaron ante faciem populi Deus misit, populus eosdem acerbè affligens, penè lapidauit. Vbi Balaam Deus cohibuit, ne malediceret populo, populus continuò fornicatus est cum filiabus Madian, & initiatus est Beelphegor. Cætera percurramus, quãuis in præsenti iudicio non commemoraue rat dominus, pauca commemorasse conten

Causa Dei iusta, hominis iniusta. Exod. 32. Numer. 11. Ibid. 25.

tus, & in omnibus inquam ex populo vicissitudinem reperiemus. Vbi Deus populum in terram quam promiserat, introduxit, po- *Iudic. 2.* pulus terræ eisdem gentibus peiora fecit, inter quas commixtus, deos eorũ coluit. Dedit Deus populo Dauid regem secundum cor suum, populus à domo Dauid sese re- *3. Reg. 12.* scindens, & à templo Dei, vitulos aureos coluit. Tandem quod maximum est, Deus homo factus de semine Abrahę, promissiones quas promiserat illi, impleuit, & popu- *Ioan. 19.* lo se præsentauit, populus illum negãs, crucem ei parauit, & lancea latus eius perforauit. Non vanè ergo iudicium domini, cum populo suo, & cum Israel vult dijudicari, quia magna sunt & multa quæ veniunt in quæstionem ex iniqua parte populi, quorũ quædam prophetiã hanc præcesserant, quędam sequutura erant. Nec verò quisquam nostrum ab eiusmodi dijudicatione liberũ se putet, quia nos quoq; sumus Israel, quos dominus eduxit de Aegypto huius seculi, id est, de ignorantiæ tenebris, & misit ante faciem nostram Moysen & Aaron & Mariam, faciendo nos reuelata facie contemplari quæ per illos facta sunt, quia in figura cõtigerunt, & qualem vicissitudinem quisque nostrum Deo reddiderit, conscientia cuiusque nouit. Cum igitur audimus Deũ dicẽtem homini, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, non sit in nobis cor durum & indomabile, & ferrea ceruix, quia ad hoc se taliter apponit, & taliter loquitur altissimꝰ Deus misero homini, vt saltem propter humilitatem Dei cõpunctus, dicat homo, peccaui domino, secundum exemplum Dauid, cum quo Deus taliter dignatus est dijudicari, cum ille peccasset in Bethsabee. Ego (in- *3. Reg. 12.* quit) vnxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Israel & Iuda, & si parua sunt ista, adijciã tibi multa maiora. Taliter prelocuẽdo mollire studuit, & per pietatẽ efficere tenerũ cor, vt melius & profundius vulnerare posset protinus inferendo. Quare ergo contempsisti verbum domini, vt faceres malum in conspectu meo? &c. Quisquis ille similiter compunctus & in iudicio salubriter victus, loquitur in ea quæ protinus hic in propheta sequuntur. [Quid dignum offeram domi- ,, no? Curuem genua Deo excelso? Nunquid ,, offeram ei holocaustomata & vitulos anni- ,, culos? Nunquid placari potest dominus in ,, millibus arietum aut in multis millibus hir ,, corum pinguium? Nunquid dabo primoge ,, nitum meum pro scelere meo, fructum vẽ- ,, tris mei pro peccato animæ meæ?] Ad sin- ,, gula horum præter illud quod ait, curuem genua Deo excelso, subaudiendum est, nõ, quia videlicet Deus holocaustomatibus, vitulis anniculis, arietibus & hircis pinguibus non delectatur, & etiam si talibus delectaretur, non esset condignum precium,

vel

vel æqua redemptio, vt pro peccato rationalis animæ brutũ pecus tanto iudici offeretur. Multo magis offerre primogenitũ vel fructum ventris sui pro scelere suo, longè à ratione dissentit, præsertim cum hoc ipsum *Iudic. 11.* facere scelus sit crudelissimæ gentilitatis, licet Iepthe vir fortis immolatione filiæ temerarium votum soluerit. In singulis quidem & eorum qui ante nos ad pœnitentiam compuncti fuerunt, vnus idemque spiritus talia tractat, quid dignum offeram domi- *Rom. 8.* no, & cæt. iuxta quod apostolus loquitur. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Veruntamen vt certum ordinem retineamus, & à superioribus non deuiemus, Vbi Samariam & Hierusalem tanquam duos discreuimus reos, quorum alter etiam sub iudicio perseuerat in culpa, alter satagit pro venia. Nimirum persona hæc quæ audito iudicio dicit, quid dignum offeram domino, & cæt. Hierusalem est. In illa namque taliter peccata sua confitendo emeruit, vt captiuitas sua post annos septuaginta solueretur, detentis in perpe- *Osee 1.* tua captiuitate decem tribubus, iudice Deo per alium quoque prophetam, sic prælocuto, Quia non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, & domui Iuda miserebor, saluabo eos in domino Deo suo. Vbi captiuum Iudam siue vapulantem Hierusalem piam de suo scelere habuisse legimus solicitudinem, secundum verba hæc, nunquid placari potest dominus in millib. arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nimirum in illa *Danie. 6.* oratione apud Danielem. Peccauimus domine, iniquè fecimus, impiè egimus, & re- *Ibidem 3.* cessimus, & declinauimus à mandatis tuis & iudicijs. Et alibi. Et non est in tempore hoc princeps & propheta, & dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam, sed in anima contrita & spiritu humilitatis suscipiamur sicut in holocaustum arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium. Quid tandem di ,, cit huic diuinum responsum? [Indicabo ti- ,, bi, ó homo quid sit bonum, & quid domi- ,, nus quærat à te. Vtique facere iudicium, di- ,, ligere misericordiam, & solicitum ambula- ,, re cum Deo tuo.] Ne ergo sis anxius de holocaustomatibus, & vitulis anniculis, de millibus agnorum & hircorum pinguium, neque de vllis omninò rebus quæcunque extra te sunt, quia non quærit tua Deus, sed teipsum, non rem tuam sed spiritum tuum, non arietem vel hircum tuum, sed cor tuũ. Illud offer, nam hoc est bonum, offer (inquam) iudicium faciendo, misericordiam diligendo, & ambulando solicitè cũ Deo tuo. Quid est iudicium facere, nisi iudicium dei præuenire: Præuenis autem iudicium Dei, *Iudiciũ fa* si temetipsum prior iudicas in conspectu *cere quid* Dei, ne à Deo iudiceris. Nam si nosipsos iu- *est.* dicaremus, ait Apostolus, nó vtique iudica *1 Cor. 11.* remur. Iam quidem hoc interest inter duos *Osee 1.* reos istos, quorum alter Samaria, alter dicitur Hierusalem, quòd Samaria iudicio resistit, nunquam recedendo à vitulis suis, & idcirco non addam illi (ait dominus) vltra misereri, Hierusalem autem iudicio cõcedit, veniamque poscit, & idcirco, sed domui (inquit) Iuda miserebor, & saluabo eos in domino Deo suo. Bonum ergo quidem est sequi iudicium, optimum autem facere iu- *Diligere* dicium, scilicet priusquam iudicet Deus iu- *misericor* dicando semetipsum. Et deinde diligere, *diam.* id est, diligenter quærere misericordiam, quod est esse misericordem, vt ipse misericordiam consequatur. Exempli gratia, sicut eo tempore fuerunt, maximè Daniel & *Dani. 9.* Neemias, quorum alter, videlicet Daniel, cõpletis annis septuaginta desolationis Hierusalem, multum compatiens desolatæ suæ genti, & posui (inquit) faciem meam ad dominum Deum meum, rogare & deprecari, in ieiunijs, & sacco, & cinere, Alter videlicet Neemias, cumque audisset, ait verba di- *2. Esdræ 1.* centis, & murus Hierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni, sedi & fleui, & luxi dies multos, & ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cæli, &c. Quod deinde dicitur hic in propheta, & solicitum ambulare cum Deo tuo, idem est ac si dicat. & deinceps cauere à peccato. Eiusmodi solicitudo tanta Danieli & socijs eius in eadem captiuitate extitit, vt ne quidem de mensa regis, & de vino potus eius pollui paterentur. His dictis ad personam quæ percuncta fuerat, dicendo. Quid dignum offerã domino, & cætera, confestim quasi quæreret, cũ igitur fecero hæc vt indicasti mihi, quid consequetur, subiunxit atque ait [Vox do- ,, mini ad ciuitatem clamat, erit salus timenti ,, bus nomẽ meum.] Personam expresit ma- ,, nifestius, quam supra diximus esse Hierusalem, veluti reum sub iudicio confitentem atque pœnitentem, altero in malis perseuerante, scilicet Samaria, id est, decẽ tribubus, contra quas protinus nequaquam remisso clamore taliter inuehitur. [Audite tribus. ,, Et quis approbabit illud? Adhuc ignis in ,, domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Num iustificabo statera impiam, & saccelli pondera dolosa, in ,, quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, ,, & habitantes in ea loquebantur mendaciũ, ,, & linguæ eorum fraudulenta in ore ipso ,, rum? Et ego ergo cœpi percutere te, perdi ,, tione super peccatis tuis. Tu comedes &, ,, non saturaberis, & humiliatio tua in medio ,, tui. Apprehendes, & non saluabis. & quos ,, saluaueris, in gladium dabo. Tu seminabis, ,, & non metes, tu calcabis oliuam, & non vn ,,

Universidad de Deusto
Biblioteca

"geris oleo.& mustum,& non bibes vinum.
"Et custodisti præcepta Amri,& omne opus
"domus Achab, & ambulasti in voluntati-
"bus eorum, vt darem te in perditionem, &
"habitantes in ea in sibilum, & opprobrium
"populi portabitis.] Manifestè diuisus est cla
mor domini, verba consolatoria denunci-
ans ciuitati scilicet Hierusalem, quòd sit sa-
lus timentibus nomen domini, filijs eius de
captiuitate reuersuris. Decem verò tribu-
bus qualia merẽtur? Audite (inquit) tribus,
subauditur opus vestrum, quod nunc in iu-
dicio domini arguitur, Et quis approbabit
illud? Videlicet nemo probus, nemo nisi im
probus, cuius & si cupiditas approbat, ratio
tamen improbat. Veruntamen in iudicio,
dum res ostenditur nuda, mirum est si vel
improb? approbare audeat pertinaci impu-
dentia. Quid est illud? Adhuc ignis in domo
impij, thesauri iniquitatis, mensura minor
iræ plena. Quasi vnum crimen decem tri-
buum in iudicium adducit, sed per illud v-
num, cętera quoq; simul omnia comprehẽ-
dit. Et rectè, nam radix omnium malorum
1.Tim.6. auaritia. Ipsam auaritiam conuenienter no
Auaritia sicut ignis. mine ignis denotat. Sunt enim hæc similia.
Prouer.36. Denique ignis nunquam dicit, sufficit, ait
Eccle.5. Sapientia, & auarus non implebitur pecu-
Coloss.3. nia, igitur adhuc ignis in domo impij, id est,
adhuc auaritia, quæ est simulachrorum ser-
uitus, adeo regnat in Samaria, vt aurum co-
lat tanquam Deum. colit enim aurea simu-
lachra vitulorum. Quod dicit, adhuc, lon-
giturnitatem, perseuerantiam peccati signi-
ficat, quia videlicet ex quo Hieroboam il-
los fecit vitulos, per tot annos vel tempo-
ra, tot succedẽtibus vel demutatis regibus,
tot signis & prodigijs per Helisæum & He-
liam exhibitis, cultus eorundem vitulorum
perseuerauerat, & nullus omninò regum à
peccatis Hieroboam recesserat, vsque ad vl
timum Osee filium Hela, qui regnare cœ-
4.Reg.15. pit in Samaria anno duodecimo regis Iuda
Achaz, sub quo ipse prophetabat. Igitur ad
huc ignis in domo impij, nimis diu perseue
rauit satiabilis auaritia in vobis ô decem tri
bus, quæ estis domus impij, scilicet Hiero-
boam, qui vos peccare fecit, cui vos tanquã
domino domus ad malum deseruistis, cum
deberetis esse domus domini Dei. Quòd
nomine ignis (vt iam dictum est) auaritia de
beat intelligi, sequens litera satis innuit. Cũ
enim dixisset, adhuc ignis in domo impij,
statim subiunxit, thesauri iniquitatis, & mẽ-
sura minor iræ plena. Num iustificabo sta-
teram impiam & saccelli pondera dolosa, in
quibus diuites eius repleti sunt iniquitate,
& habitantes in ea loquebantur mendaciũ.
& linguæ eorum fraudulenta in ore ipso-
rum. Mensura minor, quam lex domini in-
terdicit, & dolosa. i. non ęqua pondera, dum
in alio pondere venduntur, in alio emun-
tur. Mercimonia profectò auaritiæ instru-
menta sunt. Et hic est verè ignis, qui & cũ-
cta bona destruit, & nunquam dicit, sufficit.
Num (inquit) hæc ego iustificabo? Non vti-
que, sed condemnabo. Minor mensura, mi-
norem capiens venalem substantiam, maio
rem capit iram in sinum vestrum refunden
dum. Siquidem pauperes hoc facerent, po-
terat inopia scelus necessitate defendere,
nunc verò diuites (ait) in eis repleti sunt ini-
quitate, id est, diuitijs iniquis, quæ congre-
gantur ex iniquitate, & habitãtes in ea, sub-
auditur, domo impij loquuntur (ait) menda
cium, & lingua eorum fraudulenta in ore
eorum, quia videlicet congregationem di-
uitiarum sequitur mendacium, & manu as-
sueta thesauros condere fraudulentam lin-
guam possidet. Veritas paupertatem parit.
Et ego ergo (inquit) cœpi percutere te per-
ditione super peccatis tuis, subauditur, &
percutere non desinam vsque ad consum-
matam perditionem, quoniam perseueras
in peccatis. Ac si dicat. Propterea iam sæpè
misi contra regem Assyriorum, & quia tu
in peccatis perseueras, mittã illum iterum.
Nam quia iste in diebus Ioathan, Achaz, &
Ezechiæ prophetauit, opportunè nunc hi-
storiæ series ad memoriam redit, pro eo
quod ait. Et ego ergo cępi percutere te per-
ditione super peccatis tuis. Denique anno *Historia trãsmigra-tionis decẽ tribuum Israel.*
duodecimo Achaz regnauit Ozee in Sama-
ria super Israel, ascenditque contra eum Sal
manasar rex Assyriorum, & factus est ei O-
zee seruus, reddebatque tributa. Hæc fuit
inceptio percussionis, de qua nunc dicit. Et
ego ergo cœpi percutere te perditione. Se-
quitur autem. Cum autem deprehendisset
rex Assyriorum Ozee, quòd reuellare ni-
tens, misisset nuncios ad Sua regem Ægy-
pti, ne præstaret tributa regi Assyriorum,
sicut singulis annis solitus erat, obsedit eũ,
& vinctum eum misit in carcerem perua-
gatusque est omnem terram, & ascendens
Samariam, obsedit eam tribus annis. Anno
autem nono Ozee cœpit rex Assyriorum
Samariam, & transtulit in Assyrios, posuit-
que eos in Ayla, & in Abor, iuxta fluuium
Gozam in ciuitatibus Mœdorum. Hic an-
nus erat sextus Ezechię, nonus autem eius-
dem Ozee, qui regnare cœperat anno duo-
decimo Achas. Nam vt illic infra rursus scri
ptum est, post annos tres anno sexto Eze-
chiæ, id est, nono anno Ozee regis Israel, ca-
pta est Samaria, & transtulit rex Assyrio-
rum Israel in Assyrios. Igitur cum dicit, Et
ego ergo cœpi percutere te perditione su-
per peccatis tuis. statimque subiungit: Tu
comedes & non saturaberis, & humiliatio
tua in medio tui, apprehendes & non salua- 2. Reg.17.
bis, & quos saluaueris in gladium dabo. tu Osee 13.
seminabis & non metes, tu calcabis oliuam,
& non vngeris oleo. & mustum, & non bi-
bes vinum. Cum (inquam) & illa de præte-
rito, de ista, de futuro tempore dicit, hoc
datur

datur intelligi, quòd inter vtrunque ascen-
sum Assyriorum iste prophetauerit hunc
sermonem, qui sic incipit. Populus meus
quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, &
de primo quidem illorum ascensu dixerit
dominus, & ego cępi percutere te, scilicet in
eo quòd hostibus tributarius es factus. de
secundo autem, tu comedes & non satura-
beris, & humiliatio tua in medio tui, &c. vi
delicet quia & tu Israel captiuus migrabis,
& rex tuus Ozee vinctus mittetur in carce-
rem. Quod dicit, & humiliatio tua in medio
tui, quæ videlicet humiliatio tam carcer O-
zee regis, quàm captiuitas totius populi va
let intelligi, talis dictio est, qualis & illa, san
guis tuus super caput tuum erit, id est, per-
ditio tua de semetipso erit, nec imputabi-
tur alij rectius quàm tibi, dum recipis quod
mereris, nec ignorare potes quin iustũ sit.
Quod deinde subiungit, apprehendes & nõ
saluabis. & quod saluaueris, in gladium da-
bo, hoc improperare videtur Ozee regi,
quòd non potius ad Deum conuersus est,
sed misit nuncios (vt iam supra dictum est)
4.Reg.17. ad regem Aegypti, vt apprehenderet eum,
quasi paxillum siue baculum cui posset in-
niti. Hoc facto vtique nec suos, nec semeti-
psum saluabit, subauditur, à tributis regis
Assyriorum soluendis, imò quos ita saluа-
re putauit, eos dominus in gladium dedit,
quia maximè propter hoc rex Assyriorum
iratus ascendit, & cepit non sine voluntate
& iudicio domini. Dum tandem dicit, tu se-
minabis, & non metes. tu calcabis oliuam,
& non vngeris oleo, & mustum, & non bi-
bes vinum. Per singula dicta magnum illi
facit tormentum, quorum cor omninò re-
bus eiusmodi erat deditum. Tanta cupidi-
tate vel auaritia, quanta præcedentia verba
denotauerunt. Nam quanto quisque maio-
re laborat morbo auaritiæ, tanto magis cru
ciatur audiendo vel videndo, alium mete-
re quod ipse seminauit, vngi oleo, & bibere
vinum, quod ipse vsque ad calcatorium ela
borauit, & in apothecam recondidit. Quod
verò per coniunctionem apponit, dicendo.
Præcepta Amri regis. Et custodisti præcepta Amri, illi priori ver-
siculo copulatur. Adhuc ignis in domo im-
3.Reg.16. pij, thesauri iniquitatis, & mensura minor
iræ plena. Fuit autem Amri pater Achab, &
hic Samariam ædificauit, sicut scriptum est.
Et regnauit Amri super Israel duodecim
annis. In Chersa regnauit sex annis, emitq;
montem Samariæ à Somer duobus talentis
argenti & ædificauit eam, & vocauit nomen
ciuitatis quã extruxerat ex nomine Somer
domini montis Samariæ. Fecit autem Am-
ri malum in conspectu domini, & operatus
est nequiter super omnes qui fuerunt ante
eum. In hoc denotantur præcepta eiusdem
Amri, quæ custodisti (inquit) quia videlicet
præcepta Hieroboam, quæ dederat forma-
tis vitulis, dicens. Nolite vltra descendere
in Hierusalem. Ecce dij tui Israel, qui te e-
duxerunt de terra Aegypti, iste confirma-
uit ædificando aliam metropolim, scilicet
Samariam, aduersus antiquam & legitimã
metropolim Hierusalem ciuitatem Dauid.
Et iste quidem præcepta Hieroboam tali-
ter confirmando, sua præcepta esse fecit, A-
chab autem filius eius ampliauit. Idcirco cũ
dixisset & custodisti præcepta Amri, addi-
dit, & omne opus domus Achab. Quod e-
nim fuit opus domus Achab? Regnauit in
Samaria viginti & duobus annis, & fecit ma
lum in conspectu domini, super omnes qui
fuerunt ante eum. Nec sufficit ei vt ambu-
laret in peccatis Hieroboam, insuper duxit
vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sydo
niorum, & abijt, & seruiuit Baal in templo,
quod ædificauerat in Samaria, & plãtauit lu
cum. Deinde hoc, domus eius, id est, ipsius
& vxoris eius Iezabel opus fuit quod oc-
ciderunt prophetas domini, in tantum vt di
ceret Helias, putans solum se esse relictum,
Domine, altaria tua destruxerunt, & pro-
phetas tuos occiderunt gladio, derelictus *Ibid.19.*
sum ego solus, & quærunt animam meam
vt auferant eam. Illorum talia præcepta &
opera tu custodisti. Nunquam enim à pec-
catis eorum recessisti tu Israel, siue tu Ozee
rex Israel, cuius in diebus tecum punitur
Israel, & ambulasti in vanitatibus eorum,
prouocans me in tantum, vt darem te in per
ditionem, quòd iustum est, et habitantes in
ea, subauditur domo Achab, quæ est Sama-
ria. In sibilum. i. in derisum, & opprobrium
populi portabitis, videlicet vos reges impij,
quia vestrum scelus, vestrumque delira-
mentum est, quicquid patitur Israel. Siuevt
econuerso dictum sit, totum patitur Israel *CAP. VII.*
quicquid vos deliraſtis. Sequitur. [Væ mi-
hi, quia factus sum sicut qui colligit in autũ,
no racemos vindemiæ. Non est botrus ad
comedendum, præmaturas ficus desidera-
uit anima mea. Perijt sanctus de terra, et re-
ctus in hominib. non est. Omnes in sangui-
ne insidiãtur, vir fratrem suum venatur ad
mortẽ, malum manuum suarũ dicũt bonũ.
Princeps postulat, et iudex in reddendo est.
Et magnus locutus est desideriũ animę suę,
et conturbauerunt eum. Qui optimus est in,
eis quasi paliurus, et qui rectus quasi spina,
de sepe.] Dicta hæc de fonte pietatis manãt,
quia profecto zelus bonus quo sancti sęui-
re videntur, nunquã sine pietate est. Irascũ-
tur peccatis, peccatoribus compatiũtur. Sic
Moyses contra peccata sæuiens, et forti zę- *Qualis ira sanctorum.*
lo accinctus. Ponat (inquit) vir gladium su- *Exod.32.*
per fœmur suum, et ceciderunt in illa die,
quasi viginti tria milia, et peccatorib. com-
patiens, ait ad dominũ, Aut dimitte eis hanc
noxã, aut si non facis, dele me de libro tuo
quem scripsisti. Sic & cæteri sancti feciſe
noscuntur quàm plures, quorum exempla
percurrere nimis longum est. Vt de isto nõ

Universidad de Deusto
Biblioteca

prætereamus, quid fortius, quid vehementius inuectione, quam longè superius ita finierat, & omnia idola Samariæ ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & vsque ad mercedes meretricis reuertentur. Quid verò clementius dici potest, quàm id quod protinus subiungit. Super hoc plangam & vlulabo, vadam spoliatus & nudus. Sic & in præsenti loco cum thesauros iniquitatis, & mensuram minorem, stateram impiam, & ponderadolosa fortiter coarguisset, & velut aduersarius vindicem sententiam ex iudicio domini protulisset, continuò vulneratus vera compassione, Væ mihi (inquit) quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, &c. Nimirum quid optaret, vera & competéti similitudine melius expressit, quàm si nudis ipsam rem eloqueretur verbis. Vinea enim domini exercituum, ait ipse dominus in Esaia, domus Israel est. Et Psalmista, Vineam (inquit) de Aegypto trãstulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. At illa, cum expectaretur vt faceret vuas, fecit labruscas. Hoc iste expertus est, neque enim eo prophetante vel cæteris, quos dominus misit, quisquam ex regibus Israel pœnitentiam egit. Congrua ergo similitudine vtens, factus sum, ait, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Statimque subiungit, Non est botrus ad comedendum, id est, qui facit pœnitentiæ fructum. Omnes enim impœnitentes Deum offendunt, sicut vuæ acerbæ, quæ comedi non possunt. Pœnitentes verò quasi vuæ vel ficus maturæ, dulces & suaues sunt, quas desiderauit anima mea, inquit, sed non inueni. Nam hoc est quod sequitur, Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. De terra, id est, de Samaria, perijt sanctus, qui esset mihi quasi botrus ad comedẽdum, & in hominibus. i. decẽ tribubus non est rectus, qui esset mihi quasi præmatura ficus. Quis enim fuit de cunctis regib. Samariæ vel decem tribuum, de quo scriptum non sit, fecitque malum in conspectu domini? At verò de regibus Hierusalem non est ita, quę & supra dixit, quid dignum offeram domino, & postmodum dictura est, ego autem ad dominũ aspiciam, & expectabo Deum saluatorem meum. Nam & Dauid & Ezechias, & Iosias botri ad comedendum boni, id est, homines sancti fuerunt, & de cæteris nonnulli quamuis in primis acerbi fuerint, postea per pœnitentiam commutati, dulces & recti facti sunt. Audite nunc, reges Samarię vel decem tribuum, quàm acerbi & insuaues fuerint. Omnes (inquit) in sanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur ad mortem. Profectò dira & longa tragœdia regum Israel breuibus verbis insinuatur. Nam ferè omnes post illum vel ab illo, qui primus erat Hieroboam, in sanguine insidiati, & alterutros ad mortem venati sunt. Iam dicto Hieroboam, filius suus Nadab successerat, & insidiatus ei Baasa, percussitque eum, & regnauit pro eo, & percussit omnem domum Hieroboam. Eidem Baasa successerat filius suus Hela, rebellauitque contra eum seruus suus Zambri, & occidit eum, regnauitque pro eo, & percussit omnem domum Baasa. Regnauit idem Zambri septem diebus, & ascendit contra eum Amri, & ille videns quòd expugnaretur ciuitas, succendit secum domum regiam, & mortuus est. Tunc media pars populi sequebatur Tegni, & media pars Amri. Preualuit autem & regnauit Amri, mortuusque est Tegni. Post hunc videlicet Amri regnauit filius eius Achab, cuius filium Ioram interfecit Iehu filius Manssi, & regnauit pro eo, percussit omnes qui erant de domo Achab, & notos eius vniuersos, & * Aaziam regem Iuda, & fratres eius, erant enim de genere Achab, Regnauitque Hieu & filij eius vsque ad quartam generationem. Factumq; est post hæc, Sellum filius Iabes percussit Zafariam filium Hieroboam, filij Ioas, filij Ioachas, filij Hieu, & regnauit pro eo mense vno. Et hunc percussit Manaen de Thersa, & interfecit eum, regnauitque pro eo. Huius filium Phacæ iam percussit Phaceæ filius Romeliæ, & regnauit pro eo. Coniurauit contra hunc, & insidias tetendit iste Ozee filius Hela, & percussit eum, & interfecit, regnauitque pro eo, cuius nono anno Israel captiuus ductus est, vbi tanta fuit, tamq; cruẽta regum diuisio, quanta potuit esse regni desolatio, & eorum qui partibus fauebant, conturbatio? Non ergo abs re dixit, omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. Porrò, cum omnes ita reprobi fuerint reges Israel, vt rectè dixerit hic. Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est, tres ex illis magis infames scriptura denotauit, videlicet priorem Hieroboam qui vitulos fecit, & Amri, qui Samariam condidit. & Achab, qui Baal coluit, & cum vxore sua Iezabel prophetas domini interfecit, quorum & hic prophetapaulò ante meminit, dicendo, & custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab. Horum trium malam memoriam hic rursus tangere videtur tribus sententijs, quas hoc ordine subnectit. Malum manuum suarum dicunt bonum, & princeps postulat, et iudex in reddendo est, et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbauerunt eum. Nam qui malum manuum suarum dixit bonum, Hieroboam fuit simulque sacerdotes, quos ipse sibi de extremis populi instituit, quia formatis vitulis dixerũt. Ecce dij tui Israel, Principem qui postulauit, et iudex in reddendo fuit, intelligimus Amri, qui vt contra Hierusalẽ metropolim Iuda, in qua erat templum domini,

Supra 1.

Esaiæ 5.
Psalm. 79.

Reges Israel insidiati sunt in sanguine.

1. Reg. 15.
Ibid. 16.
4. Reg. 9.
alias Ocho ziam.
Ibid. 15.
2. Reg. 15.
Ibid. 16.
Tres reges pessimi in Israel.
Ibid. 16.

mini, faceret suam metropolim, emit montẽ Samariæ à Somer, qui erat dominus montis, quanto pretio voluit, scilicet duobus talentis argenti, pro arbitrio suo iudicans de pretio, quia princeps fuit. Magnum qui locutus est desiderium animæ suæ, Achab licet intelligi, quia proijciens se in lectum suum, & auertens faciem suam ad parietem, & interrogatus ab Iezabel, quare non comedis panem, locutus sum (ait) Naboth, Iezrahelitæ, & dixi ei. Da mihi vineam tuam accepta pecunia, aut si tibi placet, dabo tibi vineam aliam pro ea, & ille ait, Non dabo tibi vineam meam. Sic locutus est magnus ille desiderium animæ suæ, nimietatem cupiditatis suæ. Vt autem magnus vocetur tali in re, mira & iracunda facit irrisio vxoris suę, quæ ad hæc taliter cum ironia respondit. Grandis authoritatis es, & benè regis regnũ Israel. Surge, & comede, ego tibi dabo vineã Naboth Iezrahelitę. Et conturbauerunt eũ, inquit. Qui conturbauerunt, & quem conturbauarunt? Nimirum ipse Achab & vxor sua Iezabel conturbauerunt Naboth, submittendo cõtra illum falsum testimonium dicentium, Benedixit Deum & regem, & lapidauerunt eum, sicque mortuus est. Benè ergo cum dixisset, magnus locutus est desiderium animæ suæ, subiunxit, & conturbauerunt eum, ponens pronomen relatiuum ad illum, cuius non posuerat nomen proprium, videlicet volens iustum Naboth optimè esse notum, ita vt quodammodo necessarium nõ sit nominatim exprimi illum, qui semper debeat esse in memoria omnium, cum sanguis eius semper clamet, & sem per accusetimpiorum sacrilegium. Vis adhuc audire, quàm reprobi reges illi omnes fuerunt? Ait. Qui optimus in eis est, quasi paliurus, & qui rectus, quasi spina de sepe. Optimus in regibus Israel fuit Iehu, quippe qui solus ex omnibus illis vnctus fuisse legitur in regem per manum Helisæi, funden tis oleum super caput eius, atque dicentis. Vnxi te in regem super populum domini Israel, & percuties domum Achab domini tui, &c. quæ ille strenuè impleuit. Deleuit enim domum Achab, & præcipitauit Iezabel, quam & comederunt canes, & percussit in ore gladij cunctos sacerdotes Baal, & destruxit ædem Baal, & fecit pro eo latrinas, & ita deleuit Baal de Israel. Optimus itaq; in eis Iehu, videlicet pro hac parte quam diximus. At idem à peccatis Hieroboam non recessit, sicut de illo quoque scriptum est. Veruntamẽ à peccatis Hieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel & in Dan. Igitur optimus iste reuera quasi paliurus, videlicet herba spinis armata, pungens ac retinens & vulnerans appropinquantem, & adunco dente comprehendens. Nam in hoc ipso quod deleuit domum Achab & Iezabel, iubente domino in vltionem sanguinis prophetarum, & sanguinis omnium seruorum eius, non tam dilectioni Dei, quàm propriæ satisfacere curauit ambitioni, vnica cupiditate regnum sibi attrahens, & ob hoc sagittis pungens gladio vulnerans. Porrò, rectus in eis Ozee rex vltimus intelligitur, de quo sic scriptum est. Fecitque malum coram domino, sed non sicut reges, qui ante eum fuerant. Dicitur enim licentiam dedisse volentibus ascendere, vt facerent sacrificia in domo domini in Hierusalem, quod anteriores reges non fecerant, perseuerantes in peccatis Hieroboam, qui prohibuerat, dicens. Nolite ascendere in Hierusalem. Fortassis vt hanc licentiã daret Ozee, deliniabat aliqua gratia regis Iuda, cui nimirum non insuaue esse poterat illud, quòd idem Ozee Phacee filium Romeliæ interfecerat, & pro eo regnabat. Siquidẽ hostis fuerat Iudæ Phacee filius Romeliæ, quippe qui cum Rasin rege Syriæ ascendit in Hierusalem ad præliandum. Vndè & necessitate compulsus Achas misit nũcios ad Teglatfallasar regẽ Assyriorũ, dicẽs. Ascẽde & saluũ me fac de manu regis Syrię, & de manu regis Israel, qui cõsurrexerunt aduersũ me. Veruntamen quomodocunq;, qualicunq; pro causa minus fecerit malum, quã reges qui ante eũ fuerunt, constat, quia fecit malum coram domino, quia scriptura testis est. Igitur & qui rectus est, subauditur Ozee, quasi spina de sepe. Nam sicut in spinosa sepe dum putatur auxilium, dolor inuehitur, sic Ozeẽ dum mittit ad regem Aegypti, & eius auxilio vult sepire Hierusalẽ, per hoc ipsum parat Israeli captiuitatis occasionem. Idcirco non mirum, quod quęsiuit racemos vindemiæ, & non est botrus ad comedendum, quòd præmaturas ficus desiderauit anima mea, & nõ inueni. Neq; enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo, fi- ue de paliuro vindemiant vuam. Sequitur. [Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit, non erit vastitas eorum. Nolite credere amico, nolite confidere in duce, ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi clausstra oris tui, qa filius contumeliam facit patri, filia consurgit aduersus matrem suam, nurus contra socrum suam, inimici hominis domestici eius. Ego autem ad dominum aspiciam, & expectabo Deum saluatorem meum. Audiet me, dominus Deus meus.] Siue ad Samariã, cui, supra dixerat, custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulasti in voluntatib. eorum, siue ad Hierusalẽ dicta hęc intelligas, secundum vtrunq; intellectũ res manifesta est. Nam vtriusq;, scilicet & Samariæ & Hierusalẽ captiuitas, quæ hic visitatio siue dies speculationis dicitur, tunc veniebat & prope erat. Melius tamẽ ad Hierusalẽ dicta intelligi placet, quoniã ipsa est quę respondet, & cui respondere conuenit, ego autem

Ibid. 21.

Optimus rex ũ Israel fuit Iehu. Ibid. 9. 10.

Iehu quasi paliurus.

Rectus Ozee quasi spina de sepe.
4. Reg. 16.
Esaiæ 7.
Matt. 7.

Dies speculationis latiõis, dies captiuitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem ad dominum aſpiciam,& expectabo Deum ſaluatorem meum,nimirum eadem & humilitate, qua ſuperius dixit. Quod dignum eſt offerã domino, &c. De ipſis quoque contra quos dixerat, qui optimus in eis eſt quaſi paliurus, & qui rectus quaſi ſpina de ſepe, ſcilicet de regibus vel principibus Samarię,ſermo ad Hieruſalem fieri per hoc maximè intelligitur,quod cum premiſiſſet, dies ſpeculationis tuę viſitatio tua venit,ſtatim ſubiunxit.Et hæc nunc erit vaſtitas eorum.Quorum enim eorum,niſi hominum, in quibus (vt ſupra conqueſtus eſt) rectus non erat,intantum, vt qui optimus in eis erat,eſſet quaſi paliurus,& qui rectus quaſi ſpina de ſepe? Eorum nimirum tunc inſtabat vaſtitas, id eſt, ir. euocabilis decem tribuum captiuitas. Iudæ autem vel Hieruſalem non ita. Nam venturus quidem erit rex Aſſyriorum vſq; ad ipſam, vndè & poſtmodum hic dicitur ei, & vſq. ad te non veniet Aſſur,ſed non vaſtaturus eam, dicente domino per Eſaiam prophetam. Nõ ingredietur vrbem hanc,neq; occupabit eam. Item tradenda quidem erat Babylonijs eadem ciuitas,ſed præfinito tempore reſtituenda,id eſt,poſt annos ſeptuaginta Vndè& poſtmodũ dicit ei. Dies vt ædificentur macerię tuę, ſubauditur ſtatuta eſt. Igitur quod deinde ſequitur. Nolite credere amico, & nolite cõfidere in duce,ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui,quia filius cõtumeliam facit patri,filia conſurgit aduerſus matrem ſuam,nurus contra ſocrum ſuam, inimici hominis domeſtici eius. Magnitudinẽ calamitatis eorum exprimit, de quibus dixerat,& nunc erit vaſtitas eorum, vt recogitet auditor,& perpendat, quanta fuerit vel eſſe potuerit inordinatio rerum, & cõfuſio hominum popularium, ſiue mediocrium, vbi regnum decẽ tribuum ſciſſum à domo Dauid,tantis & tam crebris ſciſſuris diuidebatur in ſeipſum, ſicut ſupra perſtrinxim⁹, regibus interfectis,& ſuccedentibus eorum interfectoribus. Ibi fictus amicus non defuiſſe credendus, quem temporis oportunitas, & occaſio iniuriæ manifeſtum faceret, qualis ante tempora illa regni Dauid fuit Achitophel. Nam quia inſidijs vtitur maximè amicus fraudulentus, nõ immeritò pro eiuſmodi cõputentur, & Baaſa filius Achia de domo Iſachar, & Ozeę filius Hela regũ Iſrael vltimus, quorum alter inſidiatus eſt Nadab filio Hieroboam, & percuſſit eum, regnauitque pro eo.Item inter eos propter quorum exemplum ait: & nolite confidere in duce,rectè computetur Zambri,qui cum eſſet dux mediæ partis equitum, & ſeruus Ela filij Baaſa rebellauit cõtra eum,percuſſitq; & occidit eum,& regnauit pro eo. Sũt itaq; iſti in exemplum omni mundo, quòd non ſit omni amico credendum, neq; in omni duce confidendum, Propheta dicente,

Eſaiæ 37. 4. Reg. 16.

Ficti amici

3. Reg. 15. Ibidem 16.

Nolite credere amico, nolite confidere in duce,id eſt, nolite ſpem veſtram ponere in hominibus,ea conſideratione,quia ſunt duces,quia dicuntur amici. multi enim duces inſidi,multi amici inſidioſi, ſicut experimẽto claruit temporibus iſtis. Ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi(inquit) clauſtra oris tui. Ante tempora illa grande exemplum cauendum,in huiuſmodi præceſsit in Dalila, quę Sampſon decepit, ſed multò magis temporibus eiſdem in Iezabel, quæ virum ſuũ Achab perdidit,dicendo illi, iacent in lectulo,ſurge & comede panem, & æquo eſto animo,ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ. Aperuerat enim illi clauſtra oris ſui, narrando pro qua cauſa eſſet triſtis, & omninò commiſerat ei claues vniuerſas animi ſui tam in illa re quã in cæteris,teſtante ſcriptura,cum poſtmodum dicit Igitur nõ fuit talis alter vt Achab qui venundatus eſt vt faceret malum in conſpectu domini, concitauit enim eum Iezabel vxor ſua, & abominabilis factus eſt, intantũ vt ſequeretur idola quæ fecerant Amorræi, quos conſumpſerat dominus à facie filiorum Iſrael. Quamuis autem pauca talium exempla certis ex perſonis ſcripta ſint, multa tamen tunc euenìſſe talia nemo eſt qui ambigat.Similiter & de eo quod proximus ſequitur, quia filius cõtumeliam facit patri, quanuis duo tantum exempla ſcripta ſint, Alterum vbi Ruben cubile patris aſcendit,alterum vbi Abſalon fœdauit patrem ſuum Dauid, qui ante tempora illa fuerunt. Multa tamen eiſdem temporibus ſimilia geſsiſſe non dubitãdum eſt (teſtante alio propheta) cum dicit inter cætera ſcelera Iſrael,id eſt, decem tribuum: & filius ac pater eius introierunt ad puellam, vt violarent nomen ſanctum meum. Fœminarum res geſtæ conſcriptæ in ſacris codicibus non ſunt,exceptis illis, quæ tanta fecerunt, vt abſq; illarum cõmemoratione non potuerint conſcribi memorabilia geſta virorum. Nam idcirco quę Iezabel & Athalia filia eius geſſerunt mala in Iſrael & in Iuda, conſcripta ſunt, quia maximè fuerunt cauſæ tempeſtatum fœminæ illæ, in quibus viri naufragauerunt. Itaq; de eo quod ſequitur,filia conſurgit aduerſus matrem ſuã, & nurus cõtra ſocrum ſuã. Superfluũ eſt quærere hiſtoriam temporum, cum conſtet omni tempore fœminas eſſe vel fuiſſe proniores & ardentiores viris ad omne flagitiũ. Et quis dubitet in illa tempeſtate filiã aduerſus matrẽ,& nurum contra ſocrum ſuã conſurrexiſſe, cũ & nunc tanta ſint exempla vitæ quotidianæ, vt magis lugere quòd tanta ſint, quàm quærere debeamus? Similiter quod ait, Inimici hominis domeſtici eius, ita certũ eſt, vt & eiſdem temporib. nõnulli quoq; regum Iuda à coniurantib. ſeruis interfecti eſſe leguntur,& nunc plura ſunt exempla quã vt teſtimonijs indigeamus. Hæc vltima

Iudic. 6.

3. Reg. 21.

Fœminarũ res geſtæ vix dignæ ſcribuntur.

vltima ſententia, inimici hominis domeſtici eius,cæteras omnes affinitates comprehẽdit,quæ longinquiores ſunt,&idcirco in inimicitijs minus habent miraculi,licet nõ minus pericli, vt ſunt nepotes vel conſobrini. Quare autem generum prætermiſit, qui de nuru non tacuit,dicens, Et nurus contra ſocrum ſuam,cum gener& nurus in eodem affinitatis gradu ſint? Similiter & dominus noſter in euangelio cum eaſdem affinitates ita vt hic aduerſum ſe diuidendas propter euangelium prædicens, etiam reciprocauerit hoc modo. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres diuidentur, pater in filium, & filius in patrem ſuum,mater in filiam,& filia in matrem ſuam,ſocrus in nurum, & nurus in ſocrum ſuam. Notandum,quod de genero tacuit.Quod ſi dixiſſet, ſocer in generum, & gener in ſocerum ſuum, non iam tres tantũ in duos, & duos in tres, ſed quatuor in duos,& duos in quatuor ſeparaſſet, & nihilominus verum dixiſſet. Nam ſæpè quidem factum eſt, vt contra duos,ſcilicet cõtra patrem & matrem tres diuiderẽtur, videlicet, filius & filia & nurus.Sæpiùs autem accidit, & penè in vſu eſt, vt gener contra ſocerum, & ſocer contra generum ſeparetur. Cum ergo de genero tacuit, ſi quia nõ adeò mirum vel rarum eſt,idcirco de genero tacuit. cur de nuro non tacuit, cum etiã nurum ſocrui eſſe inuiſam ferè vſitatum ſit in tantum, vt dicat Comicus,quid eſt hoc, omnes ſocrus oderunt nurus? Ad hæc ſciendum, quia ſuperbia vel controuerſia generi non tantum facit, vel habet inordinationis, quia videlicet nurus,ne contra ſocrum conſurgeret, viri ſui,cui ſecundum legem ſubiecta eſt, metu & reuerentia debuit coerceri. Gener autem,& ſi vxoria affectum debet, tamen ſubiectionem non debet,& idcirco,ſi contra ſocerum & ſocrum tuã coniugis parentes ſeſe erigit,non adeò mirum vel turpe eſt. Apud Matthæum dominus ipſis prophetæ huius verbis,ſententiam magis edicit. Nolite(inquiens)arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram.Nõ veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam,& nurum aduerſus ſocrum ſuã, & inimici hominis domeſtici eius Quid igitur? Nunquid ſaluator hoc in hominibus facere venit, quod ante aduentum ſuum per prophetam in hominibus reprehendit? Abſit hoc: Aliud eſt homines odio peccati,atq; aliud odio hominum ſeparari.Illud odium, quo odimus peccata hominũ, bonum, imò perfectum eſt,quod prædicatur in illo pſalmi verſiculo.Nonne qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?Perfecto odio oderam illos.Illius odij gladium & ſeparationem ſaluator mittere vel facere venit, vt qui diſcipulus eius eſſe cupit,neminem aſpiciat, quamlibet propinquum aduerſantem ſibi in via Dei. Porrò, illud odium quo ſanguis quęritur hominũ, vel bonis inuidetur,homicidarum eſt.Illius odij ſeparationem per hunc prophetam idẽ dominus reprehẽdit, quia videlicet pro eo, quod ſeparauerant ſe à domo Dauid,traditi fuerant ſpiritui diſcordiæ & ſeditionis,ſicut & ante illa tempora contigit,quando cõſtituerũt ſuper ſe ducem Abimelech filium Hieroboal, qui omnes fratres ſuos ſeptuaginta viros interfecit. Vndè ſcriptum eſt,Miſitq; dominus ſpiritum peſsimum inter Abimelech & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari.Sequitur. [Ego autẽ ad dominum aſpiciam,& expectabo Deum ſaluatorem meum. Audiet me Deus meus,Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi, conſurgam.Cum ſedero in tenebris, dominus lux mea eſt. Iram domini portabo,quoniam peccaui ei,donec iudicet cauſam meã, & faciet iudicium.Educet me in lucem, videbo iuſtitias eius, & aſpiciat inimica mea, & operietur cõfuſione quę dicit ad me, Vbi eſt dominus Deus tuus? Oculi mei videbũt eam,nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.] Manifeſtè hæc verba ſunt confitentis & ſperantis, & prolata ſunt per prophetam in perſona tribus Iudę,ſiue Hieruſalem, quæ in Babylonem ducenda erat captiua, tranſlatis prius in Aſſyrios decem tribubus, contra quas præcedens deprompta eſt ſententia. Meminiſſe namq; oportet iudicium eſſe domini, & Samariam & Hieruſalem dijudicari ab eo loco, quo ait. Audiant montes iudiciũ domini, & fortia fundamenta terræ,quia iudicium domini cum populo ſuo,& cum Iſrael dijudicabitur. Populus meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi,reſponde mihi,&c. Sub hoc iudicio tanquam duos reos adductos eſſe diximus, Iſraelem & Iudam, ſiue Samariam impœnitentem,& Hieruſalem pœnitentię voces emittentem,& ſupra vbi ſic incepit. Quid dignum offeram.& hic rurſus, ego autem ad dominum(inquit)aſpiciam,&c. Sic omninò futurum erat,& ſic factum eſt, vt hæc verba prophetica futurum eſſe prænunciabãt. Pœnitẽs Iudas in captiuitate Babylonica. Datis namq; ſententijs et decem tribubus in Aſſyrios, filijs autem Iuda in Babylonem ductis, illa captiuitas ad dominum per pœnitentiam non aſpexit, hæc autem ad dominum aſpexit,et expectauit dominum ſaluatorem ſuum,et audiuit eam Deus ſuus,et dicere potuit contra Babylonem, quæ eam captiuauerat. Ne læteris inimica mea ſuper me,quia cecidi,conſurgã. Et quid verius eo quod ait.Cũ ſedero in tenebris,dominꝰ lux mea eſt? Vbi namq; filij Iuda captiuitatis et mœroris tenebras ſubierũt, humiles et contẽptibiles facti in cõſpectu Babyloniorũ,ecce dñs lux eorum fuit, lux illuminans lucerna per gratiam propheticam,quam poneret ſuper

Quæſtio.

Matth. 10. Luc. 12.

Reſponſio.

Gen. 3. Ephe. 5.

Matth. 10.

Duplex odium.

Pſalm. 138.

Iudi. 9.

Gen. 35. 2. Reg. 11.

Amos 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

super candelabrum, vt luceret omnibus, & regis Nabuchodonosor, & omnibus qui in regno ipsius erant, aduersarius quidem eorum ad confusionem & opprobrium, ipsis autem ad consolationem & gaudium. Danielem loquimur & socios eius, quorum illuminationis hoc initium fuit, quod somnium regis & interpretationem eius ipsis orantibus, Danieli reuelauit, quę prima causa illis extitit consolationis & honoris, in tãtum vt rex Nabuchodonosor caderet in faciem suam, & Danielem adoraret, qui & hostias & incensum præcepit afferri, vt sacrificaretur ei. Tunc in sublime illum extulit, & munera magna & multa dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. Daniel autem postulauit à rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago, qui postmodum missi in fornacẽ ignis ardentis, & illæsi ambulantes in medio ignis, Nabuchodonosor dicẽte, Ecce ego video viros quatuor solutos ambulãtes in medio ignis, & nihil in eis corruptiõis est, & species quarti similis est filio Dei. Profectò aliã diuinæ claritatis lucẽ profuderũt ad cõsolationẽ suimet, & concaptiuorũ fratrũ suorum Iudæorũ. Cętera quoq; deinde circa illos maximè per Danielem celebrata mirabilia, tanta tamque pręclara fuerunt, & visiones quas vidit, tam magnæ tamq; splendidæ extiterunt, vt dubitare non oporteat illuc pertinere quod ait. Cum sedero in tenebris, dominus lux mea. Quod deinde sequitur. Iram domini portabo, quoniam peccaui ei, donec iudicet causam meam, & faciat iudicium, confessio est, & magna laus iustitię Dei, quia reuera multum ipsa, cuius hæc verba sunt, Hierusalẽ peccauit, & multis peccatis iram domini meruit, non minus quàm Samaria, tamen hoc excepto, quod de regibus quoque Hierusalem nonnulli fuere iusti, & pœnitentes aliqui. Debuit ergo portare iram domini, maximè propter peccata Manasse, licet ille tandem pœnitentiam egerit. Nã de peccatis illius, quod maximè propter illum ira venerit, scriptura dicit. Factum est autem hoc per verbum domini contra Iudam, vt auferret eum coram se propter peccata Manasse, vniuersa quę fecit, & propter innoxium sanguinem, quem effudit, & impleuit Hierusalẽ cruore innocentium, & ob hanc rem noluit dominus propitiari. Portabo igitur (inquit) iram domini, consentiens iustitiæ, quoniam peccaui ei, donec iudicet causam meam, & faciat iudicium. Quomodo? Educet me (ait) in lucem, videbo iustitias eius, & aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me: vbi est Deus tuus. Hoc iam fieri tũc cœptum est, quãdo & pueri tres educti sunt de camino ignis, & Daniel de lacu leonum, videntib. gloriam eorum, imò Dei per eos, Babylonijs, & confusione opertis qui illos accusauerunt. Peractum est autem quando Babylon à Persis & Mœdis subuersa vidit per alios solui captiuitatem & reædificari Hierusalem, quam succenderat igni. Nam subuersionem inimicæ illius, scilicet Babylonis prævidens subiungit adhuc in prophęta in persona Hierusalem. Oculi mei videbunt in eam, nunc erit in conculcationem vt lutum plateatum. Conculcata enim est à Mœdis & Persis, videntibus oculis Danielis, qui vnus erat ex captiuis illis, qui de Hierusalem adducti, nondum clauserant oculos suos morte præventi. Nam idem Daniel scripturam quoque vidit oculis suis, quam & interpretatus est Balthasar regi. Mane, Tezel, Phares, id est, numerauit & compleuit & diuisit regnũ tuũ, & dedit illud Mœdis & Persis, & eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus, & succesit in regẽ Darius Mœdus. His dictis protinus subiungitur. [Dies vt ædificẽtur maceriæ tuę.] Nimirum ea quæ ex persona Hierusalem spem habentis in domino dixerat prophetæ persona, imò per prophetam dominus confirmat, dicendo eidem Hierusalẽ. Dies, vt ædificentur maceriæ tuę, subauditur, apud Deum præfiniti sunt. Et per alium prophetam, scilicet per Hieremiam, prędscribentur hoc modo. Et seruient omnes gẽtes istę regi Babylonis, septuaginta annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam dicit dominus, omnem iniquitatem eorum, &c. Etenim post finem annorum illorum suscitauit dominus spiritum Cyri regis Persarum, & transduxit vocem in vniuerso regno suo, etiam per scripturã dicẽs. Quis est in vobis de vniuerso populo domini Dei cæli? Sit Deus illius cũ ipso. Ascendat in Hierusalem, quæ est in Iudæa, & ędificet domum Dei Israel. Ipse est Deus qui est in Hierusalem. Tunc post aduersitatis noctem dies illuxit, quia videlicet ędificatio maceriarum ciuitatis vel templi, quod destructum fuerat, pro die computari potuit. die (inquam) tam diutina, quandiu reparationis illius lux perduravit. At illi qui deinde suborti sunt Iudęi, illa die sua malè cœperunt vti, derelinquendo legem domini, donec iterum fieret desolatio irreparabilis. Sequitur ergo. [In die illa longè fiet lex, in die illa vsq; ad te veniet Assur, & vsq; ad ciuitates munitas, & à ciuitatibus munitis vsq; ad flumẽ, & ad mare de mari, & ad mõtem de monte. Erit terra in desolationem propter habitatores suos, & propter fructũ cogitationum eorum.] Hoc deniq; historię temporum testantur, & maximè libri Machabęorum, quòd longè facta sit lex in die illa, id est, in tempore illo, de quo nunc sermo est. Exierunt enim de Israel filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt. Et ædificauerunt gymnasiũ in Hierosolymis secundum leges nationũ, & fecerunt sibi præputia, & decesserunt à testamẽto sancto, & iuncti sunt nationibus. Hoc denique erat longè fieri legem decertantibus, & eam retentare volentibus, Machabæis fratribus, Iuda & Ionatha, & Simeone Matathiæ filijs, & post eos Ioanne filio Simonis, qui cognominatus est Hircanus. Omnes decesserunt prosperati quidem aliquoties ad retinendam legem, sed nihilominus de die in diem longius atque longius fiebat lex, & non erat rex. Iam dicti Ioannis posteri de regno & sacerdotio nimis cruentè & impiè contenderunt, donec se interposuit Romana potestas, regemque imposuit, non de gente illa, videlicet Herode natum patre Idumæo & matre Arabica. Facta sunt igitur, & longè lex, & contra legem, alienigena rex, & deinde desolatio successit gentis quæ nunc vsq; permanet, de qua hic subiungit. In die illa & vsq; ad te veniet Assur, videlicet nomine Assur vniuersas consignificans nationes, per quas illa & gentis eiusdem metropolis Hierusalem destructa est. Primus itaque Assur ante Babylonios contra Hierusalem ascendit regnante Ezechia, sub quo iste prophetauit, sed repulsus est, percussis in castris eius ab angelo domini centum octoginta quinque millibus. Rectè ergo pro omnibus Assyrijs, Babylonijs, Grecis, atque Romanis ponitur Assur, quia contra Hierusalem fuit omnium primus. Cum dicitur. In die illa & vsq; ad te veniet Assur. Quid autem est, vsque ad te veniet, nisi ac si dicatur, nunc quidẽ repelletur à te Assur, siue rex Assyriorum, Sennacherib, sed non semper ita repellentur hostes tui. Quod deinde dicit, & veniet vsque ad ciuitates munitas, & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte, plenariam atque vniuersalem vehementer exprimit commotionem totius orbis ad destructionem & desolationem terræ vnius, de qua & protinus dicit. Et erit terra in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum. Nec mirum in iusto propheta tam citò post consolationem, qua dictũ erat, dies vt ædificentur maceriæ tuæ, tam repentè, tãmagnam prophetari desolationem eiusdem terræ, cùm & apud Danielem similiter cùm oraret ille, intelligens in libris numerum annorum, de quo factus est sermo domini ad Hieremiam prophetam, vt complerentur desolationes Hierusalem septuaginta anni, taliter ibidem concludatur visio. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio, & deficiet hostia & sacrificium, & vsque ad consummationem & finẽ perseuerabit desolatio. Quod extunc factum est & fit, iste sequentibus verbis orando prophetat, & prophetando orat. [Pasce populum tuum in virga tua, gregem, hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu. In medio Carmeli pascentur Basan & Galaad, iuxta dies antiquos secundum dies egressionis tuæ de terra Aegypti.] Cui enim hoc dicitur, pasce populum tuum, gregem hæreditatis tuæ, nisi illi qui hoc ipsum se facere, & huius officij ministerium se esse testatur, dicens. Ego sum pastor bonus, ego sum ostiũ ouiũ, per me si quis introierit, saluabitur & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Eratis em̃ (inquit Petrus) aliquãdo sicut oues errantes. Nam & quod dicit, Habitantes solos in saltu, hoc est, errãtes & pastorem non habentes, & luporum faucibus expositæ, quia non erat qui requireret, quippe cùm & lex longè facta esset, vt supra iam dictum est, essentque praui pastores, pascendo legem non custodientes. Vnde & per alium prophetam loquitur contra eos, id ipse cui dicitur in isto, pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitãtes solos in saltu. Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Dispersæ sunt oues meæ, eò quòd nõ esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersę sunt. Errauerũt greges mei, & dispersi sunt, & non erat qui requireret, non erat (inquit) qui requireret. Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarũ. Ego pascam oues meas, & ego accubare eas faciam, dicit dominus. Huic ergo quem tale propositũ habere spiritus propheticus non ignorabat, rectè & constanter dicitur, vt pascat in virga sua, id est, in iustitia sua. Respondet ille et dicit. [In medio Carmeli pascentur Basan et Galaad, iuxta dies antiquos, secundum dies egressionis tuæ de Aegypto. Ostendam ei mirabilia.] Magnum est quod in verbis istis pastor bonus promittit, in medio Carmeli pascentur Basan et Galaad, nimirum eodem sensu quo in alio propheta iam prælibato, et pascam eas (inquit) in montibus Israel, in riuis, et in cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis pascam eas, et in mõtibus excelsis erunt pascuæ earum. Ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascẽtur. Carmelum quippe et Basan et Galaad regiones aptas fuisse alẽdis gregibus scriptura testatur. De Carmelo vnde fuerit Nabal constat illud, quod ibi oues pauerit insignis pastor Dauid, typum gerens boni pastoris Christi. Scriptum est enim: Cùm ergo audisset Dauid quod tonderet Nabal gregem suum, ascendite ait pueris suis, in Carmelum, et venietis ad Nabal. Et post pauca. Nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit eis quicquam de grege omni tempore,

Danie. 2. — Danie. 5. — Danie. 3. — Hier. 25. — 1. Esdræ 1. — 1. Macch. 1. — Dani. 3. 6. — 2. Par. vlt. — 2. Para. 33. — 4. Reg. 21. — Assur pro cunctis nationibus hic ponitur. — 4. Reg. 19. — Desolatio totius terræ Iudæ. — Dani. 9. — Ezech. 34. — Tria loca valde paucosa. — Ibidem. — 1. Reg. 25. — Num. 32. — Poſtor ouium Christus. — Ioan. 10. — 1. Pet. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Porrò Basan & Galaad, regiones quàm pascuosæ fuerint, illud satis innuit, quod eas petierunt à Moyse prece instantissima filij Ruben & Gad, eò quòd haberent pecora multa, essetque illis infinita substantia. Interpretatur autem Carmelus scientia circuncisionis, Basan confusio, Galaad transmigratio testimonij. Igitur tam rebus quam vocabulis suis Carmelus & Basan, & Galaad, illas significauit pascuas ouium Christi vberrimas, vbi pascuntur & impinguãtur, in sacris nunc epulando scripturis, & postmodum paradysi delitijs habentes primum scientiam veræ & spiritualis circuncisionis, & deinde salubrem facientes confessionem de peccatis pristinis, & deinde consequens perfectionem fidei taliter, vt eandem fidem cõ firmare & defendere valeant leges & pro-
1. Cor. 10. phetarum testimonijs. Quod deinde subiungitur, iuxta dies antiquos, secundum dies egressionis tuæ de Aegypto, ostendam ei mirabilia, tunc demum rectè intelligimus, sed non obliuiscimur, quod Apostolus respiciens & commemorans illos dies antiquos, illos dies egressionis tuæ, ô antiqua ecclesia de Aegypto, & mirabilia quæ in illis diebus ostendit dominus, hæc autem (inquit) omnia in figura facta sunt nostri. Nõne omnis ecclesiasticus ordo legendo & scribẽdo prædicat atque concinit, quod non populus domini & oues pascuæ siue grex hæreditatis eius, secundum illorum similitudinem dierum à spirituali Pharaone, id est, à diabolo liberati, & à peccatis in quibus seruiuimus ei, de Aegypto huius seculi, id est, de ignorantiæ tenebris exiuimus, signatis frontibus nostris signo passionis Christi, qui & agnus verus & pastor bonus est, & transiuimus mare baptismi, & ecce spiritualem escam manducauimus, & spiritualem potum bibimus, scilicet corpus & sanguinem eiusdem pastoris & agni? Hæc & cætera mirabilia ostendam ei, inquit, subauditur omni credenti, siue populo meo gregi hæreditatis meæ, quem pascere proposui in virga mea, id est, in iustitia mea, vel potestate mea, quam tunc significabat illa virga Moysi, in qua signa fecit. Sequitur. [Videbunt
" gentes & confundentur super omni forti-
Exod. 15. " tudine sua. Ponent manus super os, aures eo
" rum surdę erunt, lingent puluerem sicut ser
" pens. Velut reptilia terræ perturbentur de
" ædibus suis. Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te.] Et hoc iuxta dies antiquos, secundum dies egressionis de Aegypto futurum erat, & factum est. Sicut enim illis diebus viderunt gentes, vel cõfusæ vel conturbatæ sunt, ascenderuntq; populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistijm, & tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan, ita pastore isto pascente populum suum, gregem hæreditatis suæ, pro quo mori dignatus est, & quem acquisiuit sanguine suo, dum ostenderet mirabilia quæ per Apostolos & martyres eius facta sunt innumerabilia, viderũt gentes, & gentium imperatores, viderunt Iudæi atq; gentiles, & confusi sunt super omni fortitudine sua, quia videlicet fortitudo illorũ, quę putabatur magna, legibus & armis suffulta, non poterat euincere virtutes quas faciebat in populo vel grege sua pastor bonus in virga sua, in potentia sua, per infirmos & contemptibiles homines, nõ solùm per grãdæuas personas, sed sæpe per pueros atque puellas. Confundebantur ergo super omni fortitudine sua, quæ solummodo poterat tangere vasa ficti lia, thesaurum non valens tollere qui in illis erat. Quid autem dicam de gentium earũ dẽ sapientia. Nihilominus & super ea confu- *Ponentmanus super os.*
sæ sunt. Hoc est quod protinus ait. Ponent manus super os. Nam in comparatione cælestis sapientiæ, quæ per illos locuta est, & lingua eorum fecit disertas, muta fuit & est omnis secularis eloquentia, ponitque manũ super os suum conuictam & confusam se esse suomet testans silentio. Et hoc nimirum factum est secundum illos dies antiquos, dies egressionis de Aegypto. Tunc enim dicenti Moysi: Obsecro domine, non sum e- *Exod. 4.*
loquens, ab heri & nudiustertius impeditioris, & tardioris linguæ sum, quis (inquit dominus) fecit os hominis, aut quis fabricatus est os surdum & mutum, nõne ego? Et rursum cùm diceret ille, en incircuncisus labijs ego sum, quomodo audiet me Pharao, ecce, inquit, constitui te deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Quod deinde sequitur, aures eorum surdæ erunt, tam de Iudæis intelligitur, quàm de gentibus incredulis, maximè autem de Iudæis, quorum aures detestabilius surdæ dicuntur & sunt, quia prius illis est annunciatum, & legem & prophetas acceperunt. Spoliauerunt enim aures suas auditu bono, & hoc secundum eosdem dies antiquos, dies egressionis de Aegypto, quando tulerunt inaures aureas de vxorum filiorumque & aliarum suarum auribus, & attulerunt eas ad Aaron, feceruntq; ex eis vitulum conflatilem, & adorauerunt. Nam & propter cætera peccata, & maximè propter illud, nunc au- *Exod. 32.*
res eorum surdæ sunt, dicente domino. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatũ eorum. Tunc aures suas spoliauerunt auro ad iniuriam Dei, nunc aures eorum spoliatæ sunt obedientia filij Dei: Deinde lingent (ait) puluerem sicut serpens, id est, terrena tantùm cupient, secundum illam similitudinem serpentis, qua dictum est illi. Ter- *Gen. 3.*
ram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Per verbum, q̃ est lingent, nimiam nimisq; pronam pulchrè exprimit terrenorum cupiditatem,

Psal. 71. tatem, iuxta Psalmistam quoque dicentem. Et inimici eius terram lingent. Verùm nec saltem illud, securè facere potuerunt. Sequitur enim, Velut reptilia terræ perturbabuntur de ædibus suis, subauditur, tam gentiles quàm Iudæi. Nam & Iudæi de ciuitate & templo perturbati, quod erat in Hierosolymis, per omnes terras sunt dispersi, & gentiles de phanis suis ac delubris, in quibus sacrificabant dæmonijs. Nimirum & hoc iuxta illos dies antiquos factum est, quando ad ingressum filiorum Israel gentes Chananæorum gentes immundæ velut reptilia de terra illa, perturbatæ sunt. Nouissimum q̃ dictum est, dominum Deum nostrum formidabunt & timebũt te, subauditur ô Christe. Repentè nanque ad illum conuersionẽ fecit cum gratiarum actione, tam de incredulis, quã de credentibus Iudæis, atque gentibus, rectè potest intelligi, videlicet secundum magnam distantiam formidinis, siue timoris. Nam & increduli accusante conscien-
Duplex timor. tia formidant quidem, sed inutiliter, quem-
Iacob. 2. admodum dæmones, sicut scriptum est. Et dæmones credunt & cõtremiscunt, creduli autem & pijtiment vtilitimore, qui est ini-
" tium sapientiæ. Sequitur. [Quis Deus simi-
" lis tui, qui aufers iniquitatem, & transis pec-
" catum reliquiarum hæreditatis tuæ?] Hoc in laudem & admirationem dicitur, & dicẽdum est. inexhaustæ gratiæ quæ nunquam
Rom. 11. fatigatur, suscipiendo ad se conuersos quam libet multum peccauerint, quamlibet in peccatis diu perseuerauerint. Futurũ enim est, vt omnis Israel, in quo nunc cæcitas contigit, saluus sit, cũ plenitudo gentium introierit. De hoc gratulabundus, quis inquit, deus similis tui? Non enim subiunxit, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, vel qui eduxisti filios Israel de terra Aegypti, q̃ iam factum est, sed qui aufers (inquit) iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ, quod futurum est. Nec hoc taliter dixisse contentus, quasi
" quæreres, ad quid dixerit. Sequitur adhuc &
" dicit. [Non mittet vltra furorem suum, quo
" niam volens misericordiam est. Reuertetur
" & miserebitur nostri. Deponet iniquitates
" nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.] Hæc quoque vt superiora dicuntur, & fiunt iuxta dies antiquos, secundum dies egressionis de Aegypto. Nã in illis diebus antiquis, in illa egressione de
Exod. 12. Aegypto, videbo sanguinem ait, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percusseram terram Aegypti. Secundum illam similitudinem iudicaturus dominus hũc mundum, præmittit signa sua vt reliquiæ Israel saluæ fiant, & transibit peccatum eorum, ne simul cum mundo damnentur. Volens enim est misericordiam, &
Isa. 6. idcirco prædicare non desinit pœnitentiam. Quam cùm susceperint, non immittet (ait) vltra furorem suum, subauditur vt hactenus fecit, excæcando cor populi huius, & aggrauando aures eius, & claudendo oculos eius, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur. Item in illis diebus egressionis de Aegypto, percussit omne primogenitum in terra Aegypti, & omnem exercitum Pharaonis cum curribus & equitibus eius in mari rubro demersit. Secundum illam similitudinem deponet (inquit) iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris, id est, delebit in baptismo Christi omnia peccata nostra. Iam finem loquendi faciens, rursus ad ipsũ familiariter conuertitur & dicit. [Dabis ve-
" ritatem Iacob, misericordiam Abrahã, quæ
" iurasti patribus nostris à diebus antiquis.]
" Iltæ sunt vniuersæ viæ domini, misericor-
Psal. 24. dia & veritas, in quibus iste venerabiliter ser-
Psal. 84. monem suum consummauit, loquens ad ip-
Psal. 61. sum, in quo misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Iustitia ipsa est veritas. quam dabis (inquit) Iacob, videlicet reddendo vnicuique secundum opera sua, pax ipsa est misericordia, quã dabis (ait) Abraham, bebedicendo videlicet in semine eius omnes gentes, vt accipiãt remissionem peccatorum per te eundem Christum Dei filiũ, qui es ipsa veritas, cuius donum misericordia est, quæ iurasti, ait patribus nostris à diebus antiquis, vt videlicet quenquam dubitare de adimplendis misericordia, & veritate nefarium sit. Porrò illud animaduertere pulchrum est, quod in plures misericordia, in pauciores autem danda pronunciatur veritas, dum non dicit, dabis misericordiam Iacob, veritatem Abraham, *Gen. 17.*
sed veritatem Iacob, misericordiam Abraham Iacob quippe vnius tantum, id est, Israeliticæ gentis, Abraham autem pater multarum gentium prædicatur, dicẽte Deo. Ego sum & pactum meum tecum, eritq̃ pater multarum gentium, nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium posui te. Sed & illud non omittendum, qui prius complacuit Deo, quàm esset circunci sus. Vnde Apostolus: Quomodo (inquit) re- *Rom. 4.*
putata est Abrahæ fides ad iustitiam? In circuncisione, an in præputio? Non in circun- *Rom. 18.*
cisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis, signaculũ iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputium, & sit pater circuncisionis. Itaque dum dicitur, dabis veritatem Iacob, misericordiam Abrahã, in multos quidem veritas, sed in multo plures misericordia redundat, quod nimirum nobis expedi- *Psal. 131.*
re spiritus propheticus benè perpenderat. Nam vt saluemur, non tam veritatem iudicis, quàm misericordiam quærimus creatoris. Denique & si fuerint ex circuncisione sancti perfecti, quibus ad coronam veri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis dei abundauit, nobis tamen gentibus misericordiæ est, quod idem Deus impendit. Vnde idem Apostolus. Dico enim (ait) Christum Iesum ministrum fuisse circuncilionis propter veritatẽ Dei, ad confirmãdas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum. Quibus autẽ patribus iurauerit hæc Dominus, vt iste meminit dicens, quæ iurasti patribus nostris, à diebus antiquis, scire debemus, quia isti sunt præcipuè pater Abrahã & patriarcha Dauid. Iurauit enim Dominus Dauid veritatem, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, iurauit misericordiam Abraham super miseris gentibus, ita vt diceret: Per memetipsum iuraui, quia fecisti rẽ hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Et hæc quidem, sci licet veritatem & misericordiam iam dedit, sed datum hoc in iudicio futuro palam cunctis apparebit. Debemus enim sermonem hunc propheticum ita terminare, vt memores simus initij quo ita cœpit. Audiant montes iudicium Domini & fortia fundamenta terræ, quia iudicium Domini cum populo suo & cum Israel dijudicabitur. Planè quod de vna gente Israelitica diximus, quæ tunc diuisa erat in duas partes, id est, in Samariã & Hierusalem, idem de vniuerso genere humano sentimus & dicimus. Sicut enim tunc Dominus iudicium proponens, sese in ter vtranque partem exhibuit. Samariam tanquam reum impœnitentem perpetuæ captiuitati adiudicans, Hierusalem verò tanquam reum pœnitentem de Babylonica captiuitate soluendã esse decernens, sic ab initio seculi fecit, & facit, & facturus est in fine seculi. Nam vt de iudicio breuiter dicam, inter Cain & Abel, qui ambo, sicut & nos omnes, in Adam peccauerant, taliter se exhibuit, vt impœnitentem Cain omninò abijceret, pœnitentem verò & dignos pœnitentiæ fructus offerentem Abel susciperet. Porrò de fine seculi euangelium non tacuit, quia gentes omnes in duas diuisiones, tanquam in duos reos diuidens, alteram partem posi tam à sinistris veluti reum impœnitentem perpetuo tradet igni, pronuncians quod pœnitentiæ fructum non fecerit: alteram verò partem constitutam à dextris, veluti reum qui dignos pœnitentiæ fructus fecit, ad regnum vocabit. Et vt sciamus, quam cõstãs in tali discretione iudex iste sit, in ipso suæ mortis articulo, dum inter duos latrones penderet, alterum impœnitẽtem & blasphemantem reliquit, alteri pœnitenti & confitenti paradysi ianuam aperuit, & continuò Iudaicum populum impœnitentem derelinquens, gentium pœnitentiam suscepit.

Gen. 22.

Supra 6. Extremũ domini iudicium.

Gen. 4.

Matth. 25.

Luc. 23.

FINIS.

PROLOGVS RVPERTI
IN SEX POSTERIORES PROPHETAS.

Eccl. 39. Sapientia prophetarũ Christus est

REFRIGVERAT in me feruor studij laudabilis, quod est vacare in prophetis, quemadmodum Iesus filius Sirach dicit, Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. Hoc feruenti studio facere inceperam, & ante hoc biennium duodecim prophetarum volumen ingressus, & ex ipsis sex anteriores, sicut in ordine sunt, quãtum potui perscrutatus, quantum se exquirentem admisit sapientia ipsorũ, quæ Christus est, quia reuera sapientia Dei Christus, sapientia ipsorum est, & in ipsum tendit omnis eorum prophetia, & omnis scriptura diuinitus inspirata. Cùm ad Naum peruenissem, qui in ordine septimus est, substiti, & velut offensus toto refrigescente studio nõ vlterius procedere cupiui. Quæ causa properantem animum offenderit, iam nunc dicã tibi ô Ekkenberte abba venerabilis, qui cœnobio Corbiensi præsidens, eandem quam prædixi sapientiam antiquorum studiosè legendo exquiris. Tu quippe mihi scribere dignatus es, & scripto tuo commonere me, vt eodem studio, quo (vti tibi visum est) tractaueram sex prophetas anteriores, tractarem & posteriores, vtique per hoc significans simplicem te habere oculum, & partem nullam habentem tenebrarum, quales patiuntur nõnulli, qui nullam lucernam, quamuis clarè lucentem, videre possunt, inuidendo alijs quod ipsi assequuti non sunt.

Causa hæc est, cur opus illud intermisi, quia videlicet difficultas quasi de præsumptione redarguens, animum defessum reddidit, & interim Cuno reuerendus pater cœnobij Sygebergensis, putans me opus illud vsque ad finem perduxisse, idcireo ociari, occasione de mutua collatione accepta. Scribe, ait, mihi librum De victoria verbi Dei. Hæc dicens & sæpius repetens non destitit, donec animum quo volebat intendi, & ecce tredecim libellos Deo adiuuante consummaui, illud opusculum De victoria verbi Dei vix euaginaueram, vix ad portum consummationis perueneram, & ecce admonitionis tuæ memor diligens animus iam dictus

Cur opus biennio intermissum.

dictus sex posteriores, pphetas, quos omiseram respexit, & amore illorum incaluit, & sciens vel sperans quod meditatio sapientiæ illorum mercede non carebit. Ipsi nanque fundamentum posuerunt, & quicunque su per hoc fundamentum aurum, argentum, la

1. Cor. 3.

pides precioſos superædificauerit, mercedẽ propriam accipiet, Apostolus ait. Dicet ali-

Quid pennæ columbæ deargentatæ.

quis, Ergo ne sensus tui aurei sunt, & sermones tui, tua æstimatione, argentei sunt? Non ego dico, sed tuum facit iudicium & multorum, qui, vt tu, beneuoli sunt, quibus etiam vix credo, quod sensus nostri, sermones nostri, sensibus atque sermonibus illorum similes sint, quibus in Psalmo Spiritus Sanctus dicit. Si dormiatis inter medios cleros

Psal. 67.

pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Et est sensus. Si fueritis studentes in libris veteris ac noui testamenti, qui medij sunt, qui communiter de vtroque testamento à fidelibus eliguntur & in authoritate habentur. & si (inquã) fueritis studentes in illis, si perseueraueritis in illis vsque ad dormitionem mortis, tunc apparebit vobis, & per vos innotescet alijs, quòd pennæ colũbæ deargentatæ sint, & posteriora dorsi eius in pallore auri, id est, quod sanctæ scripturæ sermo exterior, qui nescientibus videtur vilis, ipsæ super omnem eloquentiam secularem præclarus sit, velut argentum igni examinatũ, & mysticus qui sub verbis latet sensus, sicut sub pennis dorsum ipse præclarior sit velut aurum. Igitur quoniam & tu commones, &

Nehe. 4.

spes mercedis in Deo est, iste quoque vnus de filijs captiuitatis super fundamentum hoc, vt cœpit, superædificet quod potest. Olim sic fuit dictum, subsannando filijs trãsmigrationis ædificantibus muros Hierusalem. Aedificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum, & illi econtra. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui. Conuerte opprobrium super caput eorum. Nunquid iuxta opprobrium illorum

Aggai 1.

ascendit vulpes, & transiliuit murum, & qui sperantes in domino ædificauerunt? Immò conuersum est opprobrium in caput eorũ, & magna erit gloria ciuitatis vel domus istius nouissimæ, plus quàm primæ, dicit dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem, dicit dominus exercituum. Vnde nobis suo loco plenius erit dicendum. Ferè similia contigerunt eis, quicunque fideli studio superædificauerunt quod potuerunt, su per fundamentum Apostolorum & pro-

Superædifi care inscripturis.

phetarum, quia dum viuerent, dum ædificarent, opprobria de nonnullis sustinuerunt, sed de his qui exprobrabant decedentibus, ipsorum permanet ædificium. Quæ hactenus dicta sunt, iam calamus scriptoris vsque ad vltimam ferè dictiunculam perscripserat, & cũ ecce duo fratres Helmuardes, Busensis cœnobij superuenientes, breuẽ porrexerunt epistolam, quæ vel sola mihi suffragari posit, ne quis scripta mea legens, magis in me accuset præsumptionem nimis vltroneam, quàm circa verbum Dei, per quã facti & refecti sumus, studiosam consideret beneuolentiam. At enim inter cætera scriptor epistolæ, prior ipsorum scriba doctus, & sacrarum scripturarum fidelis alumnus, nomine Reginhardus, de quo non dubito, quod priorum sex prophetarũ exemplar à te, cui transmiseram, fuerit consecutus. Sed

Verba Reginhardi.

debes (inquit) adhuc amori, debes honori & obsequio dilecti, per ipsum autem & propter ipsum nostro desiderio, vt verba oris eius sicut cœpisti vsque ad finem aperias, ne si propter difficultatem eorum tepidius for

Cant. 1.

tè sicuti non fortiter cucurrerimus in odore vnguentorum eius, tibi imputetur, qui introductus in cellaria regis, occultasti diuitias sponsi, quas ibi conspexisti. Explanationem dico duodecim prophetarũ, cuius partem iam dudum tanta perscripsi auiditate, vt videret nunc primum tali me studio mancipasse. Quanto magis autem in parte delector, tanto vehementius in expectationem totius exæstuo. Hæc ille quem prædixi. Ta-

Cuno exactor operis.

ceo de illo monitore, & penè præceptore meo Sygenbergensi, qui me cunctantem, de solita admonitione parum proficit, grauius quasi ludibundus impulit. Imperio (ait) spiritus sancti præcipio tibi. Itaque quoniam & ipse dilectus dicit. Quæ habitas in hortis,

Cant. 8.

amici auscultant te, fac me audire vocem tuam, tibi & cæteris monitoribus tanquam amicis dilecti auscultantibus obtemperans ingrediar, & hanc partem profundi totius nauigationis, cursum sancto commitens spiritui.

FINIS PROLOGI RVPERTI

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN NAVM PROPHE-TAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Rom. 2.

ONus Niniue, liber visionis Naum Helchelæi.] Iram & indignationem, tribulationẽ, & angustiam, quam & Apostolus declamat in omnem animam hominis operantis malũ, denunciat onus à superna maiestate superpositum Niniue. Quam ob causam? quibus culpis præcedentibus commeruit Niniue, vt iram declamaret super illam spiritus propheticus absq; vlla commiseratione? Nam si totum onus ritè perpendas, si totum textũ prophetiæ diligenter consideres, nõ commiserescens aut de pœnitentia consulẽs, imò cõsultabundus, & quasi de certissima vindicta plaudens ferè cuncta loquitur, exceptis paucis quæ interserit in consolationem populi Dei, secundum nomen suũ quod est Naum. Interpretatur enim cõsolator. Exempli gratia. Vox flagelli & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferentis & equitis ascendentis, & micantis gladij, & fulgurãtis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ, & finis non est cadauerum. Item. Custodes tui quasi locustæ, & paruuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sæpib. in die frigoris. Sol ortus est, & auolauerunt, & non cognitus locus earum vbi fuerint. Pauca hęc pro exemplo posita sunt, quia talis est totus ferè prophetiæ textus, vt misericors irridere videtur ipse, qui natura misericors est, loquens in prophetis spiritus sanctus. Quam ergo ob causam, vel pro quibus eorum meritis sic in eos inuehitur. Agnoscenda est causa vt agnoscatur & Dei iustitia, ac proinde magis ipsa pulchritudo prophetiæ præsentis illucescat. Quod enim obscura videtur, & clausa, hoc maximè facit causa nondum intellecta. Dicamus ergo, Niniue ciuitas magna, metropolis erat Assyriorũ. Porrò Assyrij tunc præ cæteris gentibus regnabant, easq; dominatione premebãt, q primus fatere cœpit Ninus rex Assyriorum, à quo & ciuitas Niniue condita vel denominata est. Propterea per Esaiam sic loquitur dominus. Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse in manu eius indignatio mea. Nam sicut virga furoris, velut baculus indignationis domini, gentes cæcidit, & regna contregit, & iugo suo presit annis fermè mille trecentis Super cætera mala illud summum fuit sacrilegium superbiæ, & cordis eius magnifici, quod captiuitatis decẽ tribubus, super Iudam quoq;, & Hierusalem inundauit, vbi erat verbum promissionis, vnde oportebat salutem venire, id est, Christũ nasci iuxta veritatẽ Dei, de semine Dauid, inde est ille prophetæ dolor, illa dolẽtis exclamatio. Et erit extensio alarũ eius implens latitudinem terræ tuæ ô Emanuel. Et est sensus, ad hoc tendet superbia eius, & ista erit intentio diaboli, cui militat superbia eius, vt non fiat q iurauit Deus, tuũ nobis aduentũ promittens, audite, inquiens, dom⁹ Dauid. Ecce virgo cõcipiet, & vocabitur nomen eius Emanuel. Num parua ista causa est? Reuocetur ad memoriã signũ illud magnum & memorabile de Apocal. quod apparuit in cælo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero (inquiens) habens, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pareat, & draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, filium eius deuoraret. Mysterium hoc rectè perspectum palam facit, quod reuera grãde onus super se leuauerit, magnũ super se iudiciũ sumpserit Niniue. i. regnum Assyriorum, & cætera regna singula suis temporibus locum & gentem impugnantia, quæ videlicet gens per illam mulierem in vtero habentẽ figuratur, qa de ipsa Christus erat nasciturus, sicut econtra regna ipsa per septẽ draconis capita rectè intelliguntur. Nam ex quo mulier in vtero habere cœpit, id est, ex quo ad Abraham factum est verbum promissionis de semine eius quod est Christus, vt in ipso omnes gentes benedicerentur, ex tunc septẽ regna numerantur, per quæ instãter agere conatus est diabolus, vt eadem promissio non impleretur, vt salus non veniret, vt Christus non nasceretur. Scilicet regnum Aegyptiorũ, quod pueros Hebræorum masculos necari iussit, & regnũ decem tribuũ carnaliumq; Iudæorũ, q Achab & Iezabel incipientibus prophetas dñi occidit, regnũ Assyriorũ atq; Babyloniorũ, qui pro vno capite cõputãtur, quia veniẽtes ab eodẽ clymate, isti decẽ tribus, isti Iudã captiuauerunt, & deinde regnum Persarum & Mædorum, sub quo voluit Aman delere vniuersum genus Iudæorum, deinde regnũ Macedonũ siue Græcorũ, sub quo Machabæi laborauerũt, deinde regnũ Romanorum, sub quo ipse Christ⁹ & martyres eius passi sunt. Caput septimũ erit Antichristi regnũ. Quomodo iniqui oẽs membra diaboli dicuntur, & sunt, sic eadẽ regna draconis iam dicti capita fuerunt, quorũ singula suis temporibus

Quæstio super asperitate huius prophetiæ.

Responsio.

Esa. 10.

4. Reg. 18.

Esa. 8.

Ibidem 7.

Apoc. 17.

Septem regna contra semẽ Abrahæ.

Gen. 27.

Exod. 1.

3. Reg. 18.

4. Reg. 17.

Hester 3.

contra mulierem in vtero habentem, id est, contra ecclesiam in verbo promissionis sperantem, diabolico spiritu exagitata steterũt, plurimumque sanguinem fuderunt. Hinc illud nostrum opusculum est, cuius suprà in prologo mentionem feci. quod intitulatur de victoria verbi dei. Nunc igitur velut ostio sermonis aperto, in altissimam prophetiæ huius seriem ingrediendum est. [Onus Niniue, liber visionis Naum Helchelæi.] Nam sicut iam dictum est, consolator interpretatur. Porrò Niniue hoc loco totus mundus est, mundus damnatus, id est, reproborum omnium totum corpus, & mundus qui electos dei persequitur, non solum propter interpretationem nominis, quia Niniue speciosa interpretatur, & mundus Græcè κοσμος, id est, speciosus siue ornatus dicitur, verum & quia tunc Niniue mundi erat caput, & regnum Assyriorum super cætera regna principatum obtinens, contra dominum, sicut apud Esaiam legimus, gloriabatur. Nonne iste igitur, cuius nomẽ, quod est Naum, ita de Hebraico, sicut paracletus de Græco, vertitur in consolatorem, & nũc inquam, iste consolator sub nomine Niniue arguens mundum, illius & nomen gerit, & officium agit, de quo Saluator in euangelio. Cum (inquit) venerit paracletus, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio? Et quod de peccato iam tunc arguebat mundum, nisi de eo, quòd non solùm nõ speraverunt in te Assyrij, quorum (vt iam dictum est) metropolis erat Niniue, verumetiam impugnauerunt te, fuitque extensio alarum eorum implens latitudinem terræ tuæ ô Emmanuel? Cuius de iustitia mundum arguebat, nisi de illa qua exoptabat Dauid Iustitiam Dei, dicens. Miserere mei, vt iustificeris in sermonibus tuis? De illa nimirum iustitia iam tunc arguebat Spiritus sanctus, tã in isto, quàm in cæteris prophetis singula capita draconis hiantia crudeliter, ad pernicie supradictæ mulieris in vtero habentis, ne illi nasceretur filius masculus, qui perueniret ad Deum & ad thronum eius, quemadmodum dicit ipse. Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. In hoc denique est iustitia Dei, in hoc iustificatus est Deus in sermonibus suis, quia sicut promisit, sic iurauit David, ita de fructu ventris eius super sedem suam posuit, & de hac iustitia redarguebatur in prophetis, redarguit in Euangelio mũdus, quia laborabat, ne ita deus in sermonib. suis iustificaretur. qa laborauit amplius coruscãte euãgelio, ne ita deus in sermonib suis esse iustificatus p̃dicaretur. Porrò, de iudicio quomodo iã tũc mũdus arguebatur? Nõ dũ. n. princeps huius mũdi erat iudicatus nõ dũ erat illud iudiciũ mũdi, de quo Saluator dicebat. Nũc princeps huius mundi eijcitur foras. Quomodo ergo de iudicio mundũ arguebat, nisi quia mundo vidẽte & admirãte

Niniue pro mundo ponitur.

Esaia 10.

Naum typus spiritus sancti.

Ioan. 16.

Psal. 50.

Ioan. 16.

Psal. 131.

Ioan. 12.

singula draconis capita, ita condemnabat, vt in quandam similitudinem iudicandi principis mundi Pharaonem obrueret mare, canes comederẽt Iezabel, Nabuchodonosor quasi bos fieret, Aman in patibulo, quod alteri parauerat ipse penderet, Antiochus Epiphanes sine manu intritus interiret. Ita nimirũ de iudicio mundus iam tunc arguebatur, qa videns prodigiosas impiorum vindictas, tamen ab impietate non recendes, secundum exemplum eorum, locum & gentem infestare non desinebat, vndè salus vẽtura erat. Tandem & illud non prætereundum, quia sicut alij sunt, in quibus spiritus veritatis arguit mundum, & alij quibus ipse est paracletus, ita titulus iste in aliud atq; aliud diuiditur Onus Niniue, liber visionis Naum, quia profectò alij sunt quibus prophetia hæc onus est damnationis, & alij quibus liber est consolatoriæ visionis, non ab re quod in negotio vel officio tam grandi Helchesæum se dicit, à viculo Helchelæ admodum paruo, suam nimirum paruitatem humiliter agnoscens, vt in magna gratia perseueraret mentis humilitas, quia Dominus Deus noster, qui in altis habitat, ipse humilia respicit in cœlo & in terra. Oneris pondus siue pressura iam ex initio libri sentiri potest cũ dicit. [Deus æmulator, & vlciscẽs dñs, & habẽs fu-, rorẽ, Vlciscens dñs in aduersarios suos, & i-, rascẽs ipse inimicis suis.] Quòd deus æmula-, tor sit, quodq; eius æmulatio sanctis imitãda sit, nouerat ille qui dicit. Aemulor. n. vos Dei æmulatione, despondi. n. vos vni viro virginẽ castã exhibere Christo. Cum multa sint in scripturis exẽpla siue documenta æmulationis dei, magis hoc testimonio libuit vti, quia magis adnostrã intentionẽ accedit, dũ intendimus quoad posibile est, demonstrare in quo vel circa qd & cõtra quẽ æmulatio dei sit vel fuerit. Intelligimus quippe circa ecclesiã æmulationẽ dei semper fuisse vel esse, & maximè ex quo ecclesia verbo p̃ missionis ex ipso impregnata est, credẽte Abrahã sibi promittenti, & hãc fidẽ genti suæ relinquẽte, qd̃ in semine eius, qd̃ est Christus, vniueuersę gẽtes benedicerẽtur. In quo circa dilectã eiusmodi extũc fuit æmulatio dei? In eo videlicet vt eã virginẽ castã exhiberet sibi, vt nõ fornicaretur cũ dijs alienis, paritura filiũ sibi, paritura mũdo auctorẽ salutis, cõtra quẽ erat hęc talis æmulatio dei. Nimirũ cõtra hũc supradictũ draconẽ, q habẽs capita septẽ, stetit ante illã mulierẽ, verbũ p̃ missionis in vtero habentẽ, vt eã aut corrũperet aut interficeret. i. habẽs regna septẽ, q̃ supra iã memorata sũt, stetit & egit cõtra Iudaicã gentẽ, aduersus Dauidicã stirpẽ, vt eã aut in anima p cultũ idololatrię adulteraret, aut in corpore fundit⁹ occideret atq; deleret. Igitur æmulator. i. vehemẽs amator deus, & vlciscens dñs, quia videlicet in ipsa æmulatione peccata gentis ipsius sæpius est vltus.

Duplex titulus huius prophetiæ.

2. Cor. 11.

Æmulatio Dei.

Vlciscens dominus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Num. 14. Exempli gratia. Quando gentem illam æmulatus est, in Aegyptiaca seruitute dijs alienis seruientem, & descendit liberare eam in manu potẽti & brachio excelso, protinus eorum murmurationes sic vltus est, vt omnes qui numerati fuerant à viginti annis & supra, prostraret in deserto. Deinceps *Psal. 105.* ergo, per succedentia tempora, quoties peccauerunt, tradidit eos in manus gentium, & dominati eorum, qui oderunt eos. Sed & in quibusdam eorum corporali vel temporali vltione non contentus in anima quoq; est vltus. Vnde & repetit vlciscẽs dominus, *Hier. 16.* additque & habens furorem. De talibus alius propheta diuinæ concedens iustitiæ dicit. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos domine Deus *Deut. 32.* meus, Et in Deuteron. dominus dicit. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. Quæ hactenus dicta fuit, de illo populo constat, qui se amicum Dei & populum confitebatur. Sequitur de illis, qui manifestè inimici sunt, vel hostes eius, quos ipse non æmulatur, sciens quod contra ipsum sint, ita vt ne ore quidem ipsum confiteantur, imò & nomen ipsius in confessoribus eius persequantur. Vlciscens dominus in hostes suos & irascens ipse inimicis suis. Hoc nempe iste versiculus à præcedente differt, quòd in illo & æmulator & vlciscens dominus dicitur, & in eos qui ex illo populo eius reprobi fuerunt vel sunt, & vlciscens esse, & furorem habere asseritur, *Psal. 6.* quem Psalmista pauescẽs. Domine (inquit) ne in furore tuo arguas me, in isto autem, de æmulatione siue æmulatoris nomine omninò tacetur, tantumq; vlciscens, & irascens dicitur dominus, & in quos vlciscitur, quibus *Hostes dei* irascitur, hostes & inimici manifestè pronũciantur, qualis erat Pharao, qualis fuit Iezabel, qualis extitit Nabuchodonosor, quando dixit, & quis est Deus, qui eripiat vos de *Daniel. 3.* manu mea, quales sunt vel fuerunt omnes, qui tetenderunt aduersus Deum manũ suã, & contra omnipotẽtiam roborati sunt, qui cucurrerunt aduersus eum erecto collo, & *Zelus dei à Iudæa re-* pingui ceruice armati sunt. Non eos æmulatus, imò contra eos æmulatus est æmulator *cessit.* Deus semẽ Abrahæ, qđ erat apprehensurus, æmulatus inquam & vltus est vlciscẽs dominus. Æmulatus defendendo & liberando, vltus virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum visitãdo. Nec ante desijt pro gente illa æmulari & peccata misericorditer vlcisci, donec ex ipsa carnem assumpsit. Quo facto desijt æmulari, quia gens *Ezec. 16* eadem in contrarium surrexit, futurum hic *Auferetur zelus meus* quasi præteritum in Ezechiele edixit. Zelus *abs te, & quiescam* meus recessit à te, & vltra non irascar tibi. *nec irascar amplius.* Veruntamen in Deum nulla passio cadit, nec more hominis irascitur, aut furorem habet, nec vllo modo passibilis est, sed quicquid his vocibus significatur, agit impassibiliter. Vndè cum dixisset, domini habens furorem, & irascens ipse inimicis suis, statim subiunxit. [Dominus patiẽs & magnus,, fortitudine, & mundans non faciet innocen,, tem.] Cum dicit dominus patiens, talem as,, serit dominum qui furoris vel iræ suæ impatientiæ nullam vnquam habet passionẽ. Similiter cum dicit, magnus fortitudine, talem illum prædicat, qui nulla frangatur doloris infirmitate. Sed dicet aliquis. Quomodo ergo misericors est, aut quomodo, qui in ipso vel ex ipso est spiritus pietatis, secundus in ordine septem spirituum, à spiritu timoris domini? Ad hæc inquam. Nos illam pie- *Nulla in Deo passio* tatem non dicimus esse passionem, imò vir *animi.* tutem, vt veram charitatẽ. Passim legimus quatuor passiones animi humani, gaudium & dolorem, timorem & spem. Sed profectò quatuor sunt eorundem nominum non passiones, sed magnæ virtutes in diuinis scriptu ris, quas breuibus discernimus vel determinamus differentijs. Etenim gaudium seculi passio est. Gaudiũ in spiritu sancto, vel gaudere in domino virtus est. Dolor vel tristitia seculi passio est. Quæ secundum Deum tristitia est, & salutem operatur, virtus est. Timor seculi, timor qui pœnam habet, iuxta quẽ timidus quis dicitur, passio est. Timor domini sanctus permanens in seculum seculi, iuxta quem timoratus reuerens aut religiosus quis dicitur, virtus est. Similiter spes seculi, dum sperat quis in seculo siue in principibus seculi, passio est. Spes quæ in Deo est, æquè vt fides & charitas, virtus est. Hæc idcirco dicta sunt, vt dũ in deo negam⁹ quatuor passiones, non negemus in eo quatuor eorundẽ nominũ virtutes, quas nisi ex Deo, nisi ex spiritu dei nullus habere potest. Igitur dñs patiens, inquit. i. cũ tranquillitate iudicans & magnus fortitudine & mũdans nõ faciet innocentẽ, & magnus fortitudine & patiens, idẽ est ordo sensuũ, qui & in illo psalmi versiculo. Deus iudex iustus, fortis, & pa- *Psal. 7.* tiens. Nã mundando nõ facere innocentem *Deus iustus* hoc est iustũ esse iudicẽ, & magnus fortitu- *Iudex.* dine. & patiens, idem est, qꝑ fortis & patiens. Hæc tria illi cõuehiunt sedẽti super thronũ qui iudicat æquitatẽ, vt sit iustus, & fortis, & patiens. Iustus in eo vt mundans nõ faciat innocentẽ. i. vt quęcũq; mala, vel nociua sunt. auferens, nullã accipiat personã, sed solã respiciat causam, & eũ, quẽ culpa facit nocen- *Psal. 54.* tẽ. & si ille sit, qui simul secũ dulces capiebat cibos, homo vnanimis, dux suus, & notus suus, non per propriũ fauorẽ dimittat impunitũ velut innocentẽ. Hęc cõsideratio velut in multis eiusmodi, quale illud fuit, qꝑ dñs vi- *Luc. 19.* dẽs ciuitatẽ Hierusalẽ, fleuit super illã, & tamen non liberauit eã, vt nõ circundarent eã inimici eius vallo, vt non coangustarent eã vndiq; & filios eius, qui in ipsa erant, & ad terram prosternerent, ita vt non relinquerent lapidẽ super lapidẽ. Impossibile nãq; est eum

eum iniustè quid agere, iniustè misereri vel parcere, nisi præeunte pœnitentiæ humilitate. Non (inquit) possum ego à meipso facere quicquã, videlicet vt faciunt iniusti iu- *Ioan. 5.* dices, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, propriam voluntatem sequẽtes, nõ merita rerum, sed sicut audio, iudico, & proinde iudicium meum verum est. Porrò, in eo fortis est, quòd nocens quis est, vt causa eius se habet, pœnæ adiudicatus, effugere, vel manui eius resistere nõ potest, sicut post modum hic idem propheta dicit. Ante faciẽ indignationis eius quis stabit, & quis resistet in ira furoris eius? Iubauditur nullus, neque homo, neque angelus, neque diabolus, neq; *2. Thess. 2.* Antichristus, quem dominus Iesus Christus (ait Apostolus) interficiet spiritu oris sui, id est, tam facile, vt tu sufflando ore tuo pulue re exiguum dispergis. Patiẽs in eo est, quod peccantem ad pœnitentiam expectat, & antequam iudicium proferat, ad misericordiã prouocat. interdum etiam illum quem impœnitentem esse non ignorat, vt omnis pœnitens id quod saluatur, debere se sciat expectantis patientiæ, & nullus impœnitens in damnatione sua derogare valeat quasi festinantis impatientiæ, sequitur. [Dominus in ,, tempestate & turbine vitæ eius, & nebulæ ,, puluis pedum eius.] Viæ domini sunt supra dictæ æmulationes & vltiones eius, Vltio- *Viæ domini.* nes quasi habentes furorem ad tollendos siue puniendos hostes eius, inimicos eius. Porrò tempestas & turbo maris siue aeris solẽ subtegunt, presentemq; mortem minantur, & nebulæ terram tegentes prospectum oculorum impediunt, vt in die ferè sicut in nocte terra mariq; progredientibus anceps per sæpe fiat periculum. Iuxta horum similitudinem supradictę vię domini, oculis vel sensibus hominum dubiæ fuerunt vel sunt, eo quòd illæ vltiones Domini iustos vt iniustos inuoluunt, sicut figurata locutione per ,, metaphoram protinus subiunctum est. [In- ,, crepans mare, & exiccans illud, & omnia flu ,, mina ad desertum deducẽs. Infirmatus est ,, Basan & Carmelus, & flos Libani elanguit. ,, Montes commoti sunt ab eo, & colles deso- ,, lati sunt, & contremuit terra à facie eius, or- ,, bis & habitantes in eo.] Per tam diuersas res mare & flumina, Basan & Carmelum, atque Libanum, montes & colles, & terram siue orbem diuersas habitantium in orbe terrarum causas intelligimus, quia propter diuersas eorum causas penè similibus vltionibus vltus est in eos, vt vlciscitur æmulator Deus, & vlciscens dominus. Exempli gratia, Li- *Zach. 11.* banus, quo nomine nõnunquam templum vnicum domini, quod erat in Hierosolymis intelligitur, vt illic. Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Libanus inquam, id est, locus & gens, vbi notus erat Deus, vbi magnum erat nomen eius, nunquid tunc temporis minus aduersa pertulit minus commotus, vel desolatus est cæteris gentibus, quibus non erat notus, à quibus non adorabatur viuus & verus Deus? Imò & fœuerius vltus est, in illum locum, vlciscens & æmulator Deus, quia pluribus malis obtritus non solum Israel in Assyrios, id est decem tribus, sed & Iuda in Babylonem, ciuitate & templo ignibus dato, captiuus est translatus. Ibi, sine dubio viæ domini in tẽpestate & turbine, & nebulæ puluis pedum eius, ibi sicut cæteræ gentes onera sua, ita & locus ille sanctus, imo & seuerius coercitus, suum portabat onus, & cum peccatoribus pariter iusti captiui ducebantur, quorũ fuêre notissimi Daniel & socij eius. Multi peccatores & sine Deo homines pacem habebant, & illi flagellabantur. Sicut in nebula, *Nebulæ in* sicut in tempestate & turbine sol subtegitur *vijs domini* & dies obscuratur, ita pulchritudo iustitiæ *Psal. 72.* Dei non videbatur, prouidentia Dei ab infirmis nulla esse putabatur, qualium in persona Psalmista loquitur. Mei aũt penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Ac deinceps. Ergo sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocẽtes manus meas, & fui flagellatus tota die, &c. Ad summũ mare pariter increpante dño exiccat, id est, iuxta sententiam domini propter peccatum Adę vniuersum genus humanũ sub eadem mortis cõditione tenetur, iusti & iniusti omnes moriuntur. Multæ & hac via domini sunt nebulæ, & multi penè scandelizãtur, quodãmodo irruente in oculos eorum puluere pedũ eiꝰ. Moritur doctus, ait Eccle- *Eccles. 2.* siastes, similiter vt indoctus, & idcirco tẽdu- *Septem vl-* it me vitę meę. Notandũ interea, septẽ ver- *tiones Dei.* bis, quo numero plerunq; significatur vniuersitas, cunctas presenti loco æmulatoris dei siue vlciscentis dñi vltiones esse declamatas. Mare increpante illo exiccatur, flumina ad desertũ perducuntur, Basan & Carmelus infirmantur, & flos Libani elãguit, montes ab eo sunt cõmoti, & colles sunt desolati, terra vel orbis cõtremuit. Et reuera si ritè perpendas, sicut fuerunt septẽ capita draconis iã supra memorati. i. septẽ principalia regna mũdi in ligno positi, quę steterũt cõtra mulierẽ in vtero habentẽ, ex quo factũ est ad Abraham verbũ promissionis, ita fuerũt septẽ vltiones, singulæ in singula capita eiusdẽ draconis. Prima fuit vltio vbi increpante domino, exiccatũ est mediũ maris, filijs quidẽ Israel *Exod. 14.* peruium fuit, Pharaonem aũt, & currus exercituum eius operuit. Secunda vbi decẽ tri- *4. Reg. 12.* bus propter cultũ vitulorũ, & neces prophe- *4. Reg. 19.* tarum, tanquã flumina defluentia ad captiuitatis desertũ irreuocabiliter perducta sũt, & Assyriorum, qui eos captiuauerant, & Iudam captiuare volebant, centum octoginta quinq; milia nocte vna cæsa sunt. Tertia, v- *Danie. 4.* bi succẽsa ciuitate, & tẽplo dñi, Nacuchodonosor quasi in bouẽ demutat⁹ est, & Babylõ subuersa

Universidad de Deusto
Biblioteca

subuersa est à Mœdis & Persis. Quarta, vbi
Hester. 4. ille hostis superbissimus Aman, & cæteri hostes Iudæorum in regno Assueri, ita infirmati sunt, vt ipse Aman in patibulo appenderetur, & septuagintaquinquè millia occi-
1. Mach. 6. sorum implerentur. Quinta, vbi Machabæis multa iam passis, superbus Antiochus Epiphanes, & cæteri montes, id est, Syriæ reges, magna (vt legimus) per auxilium domini commonitione in malum suum commoti sunt. Sexta, vbi post passionem Domini colles maligni, id est, homicidæ Iudæi omninò sunt desolati, ita vt caderent in ore gladij, & in omnes gentes ducerentur captiui.
Nemini coram Deo sua sufficit iustitia. Septima quæ futura est, quando interfecto Antichristo, & veniente ad iudicium domino, reuera contremiscet orbis, & contremiscent habitantes in eo, ita vt trepidi resurgant mortui. Cum igitur fortitudine tã magnus sit Dominus, & quid restat, nisi vt sub potenti manu eius humiliemur? Hoc intendens, continuò percunctatur. [Ante faciem
"indignationis eius quis stabit, & quis resistet
"in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est
"vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.] Ante faciem indignationis Domini stare, est de iustitia sua quempiam confidere posse, & propter operum abundantiam seu virtutum cõscientiam, misericordia non indigere. Sed
Psal. 142. quis in hoc sufficiens est? Ne (inquit Psalmista) in iudicium intres cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis
Iob. 4. viuens. Et in Iob veraciter dictum est. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea? Moyses quoque, inuocans nomen do-
Exod. 34. mini. Dominator (inquit) domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, & peccata, nullusque apud te per se innocens est. Ex abundanti est, nunc astruere, quòd nulli merita propria sufficientia sint, & quod non saluemur, nisi gratia DEI, quia iamdudum hoc ex sanctis declaratum est scripturis, & vera senten-
Rom. 3. tia est Apostoli, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et rectè in causa huiusmodi nominatur indignatio Dei dicendo. Ante faciem indignationis eius quis stabit? quia videlicet ille indignationem meretur, qui de suis confidit operibus, & iustè accidit ei, vt cadat, dum se stare existimat. Porrò resistere Deo, est ipsam iniquitatem suam defendere, & in peccato suo superbire, quales illi
Psal. 11. sunt, qui dixerũt (ait Psalmista) linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Talis erat Pharao, cum diceret, nescio Dominum, &
Exod. 5. Israel non dimittam. Cui Dominus inter cætera per Moysen, Vsquequo (ait) nõ vis subijci mihi? Dimitte populũ meum mihi. Sin
1. Esdr. 10. autem resistis, & non vis dimittere eum & cæt. Contrarij sunt hi duo superbiæ modi, *Duo superbiæ modi cõtra Deum.* cum alius de iustitia sua præsumit, seque in iudicio stare cum Deo, & iustificari confidit. alius autem ipsam iniustitiam suam defendit, & ad satisfaciendum Deo non vult subijci. Et ille quidem iustitiæ præsumptor, hominibus quidem stare interdum videtur, sed Deo cecidit. Iste autem iniustitiæ defensor, & si resistere ad horam dimittitur, non diu pacem habere potest, sed mox vbi ira furoris domini se exerit, in sua desolatione sentit, quàm inualidus ad resistendum est. Nam indignatio eius effusa est (inquit) vt ignis, subauditur in eum qui præsumit, quòd ante faciem eius tanquam iustus stare possit. & petræ, id est, resistentes dura ceruice, & rebelles deo mentes dissolutæ sunt ab eo, videlicet vt ille Pharao, cuius cor vt petra induratum, vt cera fluxit ab igne furoris domini. Restat igitur, vt is, qui non tam fortè quàm bonum dominum experiri desiderat, in neutram partem sese erigat, id est, sicut defendendo iniquitatem suam nõ rebellat, ita de iustitia sua non præsumat, sed spem suam in Deo ponat, & si in tribulatione est, peccata sua confitens, de Dei misericordia nunquam desperet. Nam sequitur. [Bonus
"Dominus & confortans in die tribulationis,
"& sciens sperantes in se, & in diluuio prætereunte consummationem faciet loci eius,
"& inimicos eius persequenter tenebrę.] Hactenus secundum propositionem quam proposuerat primò dicens, Onus Niniue, multa & grauia locutus est de magna æmulatoris Dei fortitudine. nunc secundum nomen suum, quod est Naum, consolatur eos, qui in hoc mundo sub pressura sunt, & tribulationem patiuntur ab hominibus, qui sine Deo sunt, quales erant nonnulli in illis diebus, rege Ezechia, dum Hierusalem obsideret rex Assyriorum, quales erant Daniel & *4. Reg. 19. Dani. 3.* socij eius in Babylone, non obliti Domini patrum suorum. Nam vel ab aliorum experimento claret, quàm veraciter dicat iste bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se, &c. Nam verè bonus Dominus illis extitit, & benè confortauit eos in die tribulationis, manifestis & gloriosis probati iudicijs, quòd sciret sperantes in se, quia misit angelum suum, & rore suo refrigerauit Babylonicæ fornacis incendium, misit angelum suum, & conclusit ora leonum, vt non contingèrent Danielẽ, quem sciebat sperantẽ, in se. Quod deinde sequitur. Et in diluuio prætereunte consummationẽ faciet loci eius, de eiusdẽ temporis experimento cõprobatur. Nã in diluuio nõ permanente, sed prętereunte corripiet eos, & deinde cõsummationẽ fecit loci eius. subauditur, diluuij, Quod fuit diluuiũ illius tẽporis, & quis locus diluuij, & quomodo loci eius *Diluuium exercitus Assyriorũ.*

ci eius dominus consummationem fecit? Di-
Esaiæ 8. luuiũ illius temporis multitudo Assyriorũ atq; Babyloniorum fuit, quemadmodum Esaias dicit de illis. Ecce dominus adducet aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius, & ascendet super omnes riuos eius, & super vniuersas ripas eius, & ibi per Iudam inundans, & trãsiliens vsq; ad collũ veniet. Ergo quoddam diluuiũ inundauit, quando tanta multitudine congregati sunt populi, sed diluuiũ illud prętereuit, quia multitudo illa disperijt. Porrò locus diluuij Niniue extitit, Assyriorũ metropolis, locus diluuij Babylonia fuit, vnde super eandem terrã inundauerunt Chaldæi, vtriusq; loci consummationem dominus fecit, quia, volente domino, & Niniuem Chaldæi, & Babyloniam subuerterunt Per-
Duplex vltio, vna trãsiens, altera permanẽs. sæ & Mœdi. Et notandum, quod nequaquã vt dixerat in diluuio prætereundo, ita & dixit consummationẽ loci eius prętereuntem. Nam aduersitas quidẽ, quam propter disciplinam suis Deus electis superinducit, temporalis est, & pręterit. Vltima autem, qua vlciscitur in hostes suos idem Deus æmulator non præterit, sed fundata permanet & super eos requiescit, id est, hic incipitur, & in æternum non finitur. A voce enim domini (in-
Esaiæ 30. quit Esaias) pauebit Assur virga percussus, & transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eũ. Ecce Psalmi-
Psal. 124. sta de iustis dicit. Quia non relinquit dominus virgam peccatorum super sortẽ iustorũ vt non extendant iusti ad iniquitatẽ manus suas, id est, potestatẽ, quam permittit peccatoribus super iustos propter eorum correctionem siue probationem, nõ dimittet diuturniorem esse, quam possunt ipsi sustinere, & ne afflictionis nimia vis compellat eos, peccatoribus in quo volunt consentire. Sũma fundationis virgę, qua percutitur Assur consistit in hac breui dictione, quę protinus in isto subiungitur, & inimicos eius persequentur tenebræ. Hoc sine dubio verum est, de cunctis Dei hostibus, qui cum præsentem vitam malè finierint, nequaquam vltiones quibus in eos vlciscitur dominus, in mortis carne finiuntur, sed persequuntur animas eorum, & comprehendunt maligni spiritus, qui tenebræ sunt, & non lux. Econtra, de electis vel pro electis, quos illi afflixerunt ad tempus, audi quid continuò dicat
"consolator spiritus. [Quid cogitatis contra
"Dominum, quòd consummationem ipse faciat? Non consurget duplex tribulatio.] Ad eos cõuersus, de quibus loquebatur, acri inuectione malignã eorũ percutit intentionẽ dicendo: Quid cogitatis contra Dominum, quòd consummationẽ ipse faciet. Respiciamus illius statũ temporis, & inuestigemus de scripturis, quam malignè contra dominũ cogitauerint inimici Domini. Nec verò solummodo Assyrios siue Chaldæos ante vel
Cogitantes contra dominum. circa huius prophetiæ tempora fuisse putemus inimicos domini, & cogitasse cogitationem eiusmodi, propter quam sic in eos inuehitur spiritus domini, verùm & Syriam & alias gentes, maximeque decem tribus, quæ scissæ fuerant à domo Dauid, Quod vt competentibus cõprobetur testimonijs, iubente
Esaiæ 7. domino loquitur Esaias ad Achaz. Noli timere, & cor tuũ ne formidet, à duabus caudis, titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin, & Syriæ, & filij Romeliæ, eo quòd consiliũ inierit contra te Syria in malum, & Ephraim, & filius Romeliæ, dicentes. Ascendamus ad Iudam, & suscitemus, & euellamus eum ad nos, & ponamus regẽ in medio eius filiũ Tabeel. Interea dictis propheticis cõfirmabatur domus Dauid, quod Deus promiserat & iurauerat Dauid, Christum de semine eius nasci, vt ibidem cum inter cætera dicit. Audite ergo domus Dauid, dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emanuel. Non dubium esse debet, quin inter cæteros hostes maximè decẽ tribus inuidentes fuerint tribui Iuda, & domui Dauid, eo quod spem habentes in verbo promissionis de domo illa vel tribu adimplendæ, gloriari interdum soliti fuerint, dicendo aliqua huiusmodi ad reges Samariæ, & omnem Israel, vt Abia rex Iuda quõdam dixit. Nũ ignoratis, quod dominus De-
Inuidia decem tribuũ contra Iudam. us Israel regnũ dederit Dauid super Israel in sempiternum, ipsi & filijs eius in pactum sollis? Ac deinceps. Nunc ergo vos dicitis, quod resistere possitis regno domini, quod possidet per filios Dauid? Hæc idcirco dicta sunt, vt non ignotum sit quàm magnam, & vndè magnam inuidiam draco diabolus, ex cæteris gentibus immiserat contra Iudam & domum Dauid, vt ipsorum quoque cognatæ decem tribus maximè inuiderint, & cõmunicato consilio, cum Syrijs auellere Iudam, & transferre ad se, regemque externum in medio eorũ ponere voluerit. Contra eiusmodi consilia vel cogitationes gentibus immissas à diabolo intendente, vt gens illa non subsisteret, ex qua Christus nasciturus esset, grauissima inuectione dictum hoc accipiendum est. Quid cogitas contra dominũ, quia consummationem ipse faciet? O quàm mala consummatio, si sublato Iuda, si auulsa à domo Dauid, non esse vndè impleretur illa beati seminis promissio. Tunc verè super filios Dauid consurrexisset duplex tribulatio. At ille fidelis promissor sic promi-
Psal. 88. serat, sic iurauerat. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberib. peccata eorum, scilicet filiorum Dauid, misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Vt dictum ita & factum est. Nam virgam super Hierusalem leuare, & filios Dauid quandoque verberare potuerunt, ita vt incensa ciuitate & templo ducerent eos in captiuitatem

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ fuit vna & simpliciter eademque temporalis tribulatio, sed non consurrexit alia, quâ intẽdebat diabolus, vt fieret duplex tribulatio, & sic omninò exterminaretur gens, quatenus non superesset vndè impleretur illa promissio. Omnes qui eiusmodi cõsummationem desiderabant, qui & antequam Christus veniret, & postquam venit, ad hoc laborauerunt, vt mentio nominis eius non esset, nusquam ecclesia eius subsisteret,, odit spiritus sanctus, qui in Psalmo loquitur. Me
Psal. 136. mento Domine filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea. Hierusalem vniuersitas eorum est, qui venturum Christum expectauerunt, & qui venientem susceperunt & suscipiunt. Filij Edom, id est, fi-
Filij Edom lij terrenitatis, vniuersi sunt vel fuerũt, qui illos persequuntur vel persequuti sunt, & exinanitio, quam dicunt. Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea, ista consummatio est, quam vt propheta iste subrogat, Dominus non fecit, neque faciet. Num parua est ista cosolatio, quam dicit, Non cõ-
Non consurget duplex tribulatio. surget duplex tribulatio? Omnes qui pie vi-
2.Tim.2. uere voluerunt & volunt in Christo, siue in deo, persecutionem patiuntur & passi sunt. vt suo tempore Ezechias, quando Assyrij super Iudam & Hierusalem inundauerunt. vt suo tempore Daniel & socij eius, suo tempore Machabæi, suo tempore omnes Christiani vel catholici, quorum multæ tribulationes in hac vita fuerunt vel sunt. & hęc est vna & simplex tribulatio, quamlibet longa vel multiplex vnius præsentis vitę afflictio. Ait autem hic. Non consurget duplex tribulatio. Non igitur tribulabuntur in futuro seculo, & subaudiendum est, vbi sine dubio tribulabuntur, qui tribulauerunt, vel tribulant eos. Esto nunc, vt illi, qui tribulauerũt iustos, tribulationem non habuerint, vel habeant in præsenti seculo, quamuis multos, imò innumeros fuisse nouerimus, qui post perpetrata in sanctos crudelitatis scelera,
Hier.17. præsentem vitam cum amara tribulatione
Psal.62. finientes, transierunt ad tribulationem æternam, vt Antiochus Epiphanes, vt impius Herodes, vt Iudęi qui Christum occiderũt, & ob hoc circundati à Romanis duplici iu-
Genes.11. *Luc.11.* xta prophetam contritione contriti sunt, quia sicut in Psalmista prædixerat, & secundum corpus traditi sunt in manus gladij, & secundum animam partes vulpium sunt, id est, malignorum spirituum. Quemlibet ex impijs eiusmodi, qui vitam præsentem in pa-
Tob.3. ce sua finierit, confer pio cuilibet, qui vitam in tribulatione finierit, quamuis peccator fuerit, de qualium peccatis scriptum est. Et omnium peccata hominum in tribulatione dimittis. Ecce & huius simplex, & illius simplex tribulatio est, sed in hoc differunt, q̃d huius temporalis siue momentanea, illius aũt tribulatio sempiterna est. Num igitur ista consolatio per Naum, id est, consolatorẽ deprompta, parua est? imò magna & lætitiæ plena, vt audientes dicant isti, quicunq; sunt eis beneuoli, audientes inquam, eos dicere *Psal. 125.*
siue canere, Facti sumus sicut consolati, respondeant atque succinant. magnificauit dominus facere cum eis. Adde vt compararentur ista, piorum simplex tribulatio, & multorum impiorum duplex tribulatio, qualis fuit supradictus Herodes, & omnes qui pœnam sustinentes, & pœnitentiæ spiritum nõ habentes, abierunt in locum suum, & de tẽporali tormento ad tormentum æternum. Qualis ista comparatio est? Res omninò sunt incomparabiles. Dicant ergo isti suam, ipsi suam consolationem admirantes, & dicere non desinent. magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Sequitur [Quia sicut spinæ sese inuicem com"
plectuntur, sic cõuiuium eorum pariter po"
tantium. Consumentur quasi stipula aridi-"
tate plena.] Paulò ante dixerat de inimicis"
Domini loquens, & inimicos eius persequẽ
tur tenebræ. & in medio sermonis non contentus de ipsis verba facere, repentè ad eos conuersus, & iusto vehementis motu animi in eos inuectus, exclamauerat, quid cogitatis contra dominum, quod consummatio nem ipse faciet? non consurget duplex tribulatio, subaudiũtur, electis eis, vt vestrum quamplurib. nunc rursus quasi sedato motu animi ad nos conuersus, tranquillius de ipsis, de quibus cœperat, perloquitur, causamque reddit, cur inimicos Domini tenebræ persequantur, cur triplex tribulatio, dũ in sanctis denegatur, vt quosdam impiorũ principes surrexisse vel surrecturos esse subaudiatur. Hæc (inquit) est causa, quia sicut *Spinæ sese inuicem complectuntur.*
spinæ sese inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium. Quale est vbi spinæ sese inuicem complectuntur? *qui sunt.*
Nimirum insuaue & intractabile, quia si manibus attrectentur, pungunt, lacerant, scindunt, & si iactum intra eas ceciderit semen, vbi cœperit oriri, sussocatur, vt ipse Dominus meminit. Tales fuerunt & sunt inimici domini. Insuaues sunt, & intractabiles sunt, & si quis eos attrectare voluerit, si quis incesta eorum opera, vel rapinas arguere it in sermone Domini, non vtcunque pungunt, nõ vtcunque lacerant aut scindunt, sed ferreis interdum armati aculeis sanguinem effundunt, corpora occidunt, animas nõ possunt. sed vndè viuere debent animæ, verbi Dei semen crescere non sinunt. Tales fuerunt inimici Domini, sese inuicem complectentes, id est, in malum sibimetipsis cõplacentes. Et notandum, quia non dixit, sicut spinæ sese inuicem cõplectuntur, sic ipsi sunt, sed dixit quod amplius est, sic conuiuium eorum pariter potantium. Nam in conuiuijs & inter potationes abundantiori loquacitate sese in *Matth.14.*
uicem armare, & incitare consueuerunt ad

necem

Psal.68. nẽcem sanctorum. Exempla quæ sufficere possunt præsto sunt. In conuiuio & inter potandum Herodes & Herodias verè spinæ & sese inuicem complectentes, malè adiuncta saltatrice sua Ioannem pupugerunt, Ioannem decollauerunt. In conuiuio & inter potandum Iudæorum pontifices iam temulenti, vtpotè nocte paschali, cohortem & ministros ad comprehendẽdum dominũ nostrũ miserunt, vnde & præscius spiritus eius in Psalmo conquerens inter cætera, & in me
Dani.5. (ait) psallebant qui bibebant vinum. Et ne omninò superiora prophetarum tempora sermo prætereat. In captiuitate Babylonica, quæ populo Dei tribulatio fuit, iam temulentus Balthasar præcepit afferri vasa aurea & argentea templi domini, & bibebant in eis rex & optimates eius, vxorẽs eius & concubinæ eius bibebant vinum, & laudabant deos suos argenteos & aureos, æreos & ferreos, ligneosque & lapideos. In tribulatione
1.Mach.1. qua sub Antiocho Mauhabẽi tribulati sunt,
2.Mach.4 templum luxuria & commessationibus erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se vltro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebant. Rectè igitur, & vt debuit, dictum, sic conuiuium eorum pariter potantium. Quomodo tandem digna, & ipsis competens tribulatio consurgere habebat? Consumentur ait, qua si stipula ariditate plena. Verè digna tribulatio, vt quoniam sicut spinæ ita suffo sauerunt, quantum in ipsis fuit, semen bonum, & oderunt frumeti granum, ipsi tales inueniantur, vt stipula omni grano vidua, con-
Ariditas in diuitijs. summatur igni vt stipula ariditate plena. Mire dictum, ariditate plena. Quid enim est ariditas, nisi vacuitas? ergo stipula dicitur hic esse ariditate plena. Non abs re, non absque sensus graui pondere sic dixit, sciens spiritus, qui mundum arguit, diuitum huius mũdi falsam plenitudinem veram esse maciem, & fœni eiusmodi virorem (omnis enim caro fœnum) veram esse ariditatem. Sequitur.
"[Ex te exibit cogitans contra dominum ma"
litiam, mente pertractans præuaricationẽ.]
Hic familiariter se accommodat, & loquitur ad cor Hierusalem, quæ nõ est intractabilis, vt eiusmodi spinæ fuerunt vel sunt, quæ nõ repellit arguentem, nec in peccatis assumit excusationem, & insinuat illi, vnde vel in quo sit iusta circa illam seueritas Dei, permittens illam tribulari, siue ab Assyrijs, siue à Chaldæis, siue à quibuscunque hostibus & inimicis Dei. Ex te, inquit, exibit cogitans contra dominum malitiam, mente pertractans præuaricationem, non vnus quilibet homo tantùm, sed multitudo hominũ præ-
1.Mach.1. uaricatorum, sicut quodam loco habemus ita scriptum. In diebus illis exierũt ex Israel viri iniqui, suasuerunt multis dicentes. Eamus & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala, & *Tribulationem præcedit malitia cogitationum cõtra dominum.*
bonus visus est sermo in oculis eorum, &c. Hoc fuit initium dolorum. Nec verò illo tantum tempore, de quo hæc scripta sunt, putemur taliter accidisse initium dolorum, sed in omni tribulatione quæ accidit genti illi siue ecclesiæ Dei, palam comprobari potest hoc fuisse initium, quod ex ea exiuit cogitans contra dominum malitiam, mente pertractans præuaricationem. Ecce prima tribulatio, q̃ in Aegypto extrema & misera seruitute seruierũt. Nónne præcesserat eius-
modi causa? Nónne ex te ó Iacob siue Is-
rael exierat inimica fraternitas, prævaricans *Gen.37.*
& transgrediens ius morale, ius naturale, & cogitans contra dominum malitiam, mente pertractans, quatenus non fieret quod dominus decreuerat, quod dominus significauerat, id est, vt fratri suo Ioseph, nihil prodessent somnia sua? Similiter de omni tribulatione, qua domus Iacob siue domus Israel tribulata est, extunc vsque ad Christi aduẽtum sentiendum est, quia tribulationis hoc fuit initium, quod inde exiuit cogitans contra dominum malitiam, mente pertractans præuaricationẽ. De singulis certa possemus proferre testimonia, nisi vitanda esset nimia quæ fastidium solet parere prolixitas. De tribulatione, qua tribulata est Hierusalem, siue Iuda, circa prophetiæ huius tempora, id est, de eo quod primò rex Assyriorum superundauit, & deinde Hierusalem obsedit, & deinde rex Babylonis ciuitatem obsedit, & Iudam captiuauit, non prætereundũ qualiter vt sic eueniret, exierit ex ea cogitans cõ-
tra dominum malitiam, mente pertractans præuaricationem. Nonne fuit hoc exire de gente, vel radice sancta, quod reges Iuda susceperunt, & in templo domini coluerunt Baal, & quod post mortem Ioiadæ pontificis ingressi sunt principes Iuda & adorauerunt regem Ioas, & ille delinitus obsequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt, ait, templũ dñi Dei patrum suorum, seruierunt que lucis & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam & Hierusalem, propter hoc pec-
catum. Nam & Zachariam filium Ioiadæ sa- *4.Reg.21.*
cerdotis interfecerunt, & nõ est recordatus rex Ioas misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius. Post hæc Amasias allatos deos filiorũ Seyr statuens sibi deos, & adorans eos, propheta *2.Par.24.*
dicente sibi, cur adoras illos? num, inquit, cõ siliarius regis es? Quiesce ne interficiam te. Post hunc Olias qui dum sacerdotale vsurpat officium, lepra in fronte percussus est, & *2.Par.25.*
post hunc Ioathan, & post hunc Achab, qui *26.*
ambulauit in vijs regum Israel, insuper & *4.Reg.18.*
statuas infudit Baalim, post hunc Ezechias, quo regnante venerunt Assyrij in Iudam, & ciuitatem obsederunt, exiuitque ad eos Rapsaces filius Esaiæ prophetæ, vt Hebræi volũt, de illo dictũ existimantes, exibit co-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitans contra dominum malitiam, mente pertractans prævaricationē. Sed exile videtur, hoc sentire de vno, de quo manifestè non est ex scripturis cōprobatū, cū nota sit malitia siue prævaricatio regum vel principum ferè cunctorum, quia præter Dauid, & hunc Ezechiam & Iosiam omnes peccauerunt. Igitur ad cor Hierusalem loquitur & conscientiam eius conuenit, ne nesciat vel non imputet sibi causam tribulationis quæcunque super eam consurrexit, vt tunc quādo super eam inundauerunt Assyrij, sed p-
"tinus adiungit cōsolator & dicit. [Hæc di-
"cit dominus. Si perfecti fuerint, & ita plures sic quoq; attōdentur & pertrāsibit.] Dictū vtiq; de Assyrijs & de rege eorum Sennacherib q futurum esset, & ita factum est, quia
4. Reg. 19. quā facile crines forcipe succiduntur, tam facilè nocte vna succidēte angelo domini, succisa sunt Assyriorum centū octoginta quinque millia, & Sennacherib mane surgens tāta multitudine prostrata, velut attonsus & abrasus egressus est & abijt recepto sicut egerat, quia permittente iusto iudice Deo, Iu
Esa. 7. dam ipse raserat, id est, ascenderat super omnes ciuitates Iuda munitas, & ceperat eas. Hinc illud erat dictum contra Acham. In die illa radet dominus nouacula conducta in his qui trans flumen sunt in rege Assyriorum, caput & pilos pedum & barbam vniuersam, Quamdiu stetit Hierusalem & templum, quantacunque vastauerint in circuitu Assyrij, velut quædā rasura fuit, vbi autem ipsa ciuitas exusta & templum succensum
Ezech. 23. fuit Chaldaico igni, plus quam rasura fuit, vt congruē per Ezech. ita prædictæ sint sub nomine Oolibæ meretricis. Nasum tuum & aures præcident, & qui remanserint gladio concident. Quid autem sibi vult quod
Qualis per fectio Assyriorum. ita præmisit, si perfecti fuerint, & ita plures, & tunc demum subiunxit, sic quoque attō dentur & pertransibit. Quę est illa perfectio quæ Assyrijs cæterisue hominibus, & si adesse potuit, prodesse non potuit? Potest quidem sic intelligi, ac si diceret, etiam si perfectè robusti vel in robore perfecti fuerint Assyrij, & fortitudo eorum cunctarum gentium numero aucta fuerit, Veruntamen quoniam ita dixerat ad Hierusalem. Ex te exibit cogitans contra dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem, per q magna imperfectio iustitiæ suæ demonstratur ipsi Hierusalem, non absurdè intelligimus, in eo quod ait, si perfecti fuerint, quandam Assyriorum putatiuæ iustitiæ perfectionem. Quod ne mirum dictu, siue nouū videatur, scire debemus, quòd Assyrij siue cæteræ gentes Iudæis inuidentes bonum Deū, & legem sanctam se habere dicētibus, quoties aliquam ex ipsis audiebant malitiā, multum hostiliter insultabant, seq; in comparationem illorum magnificè iustificabāt, insuper Deum ipsorū blasphemabant. Hinc est q apud Esa. legimus. Dominatores eius
Esa. 52. subaudiūtur Hierusalem, siue populi mei ini-
2. Reg. 12. què agunt, dicit dominus, & iugiter nomen meum blasphematur in gentibus. Et ad Dauid, cùm dixisset, peccaui domino, quia peccauerat in Vriam Aethæum, dixit Nathan. Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen blasphemare fecisti inimicos dñi propter verbum hoc, &c. Hæc idcirco dicimus, vt liquido constet, ecclesiam Dei tunc ita, vt nunc spectaculum fuisse hominibus seculi, gentesq; semper suā impietatem, clausis imò cæcis, cultorum autem Dei prævaricationes patentibus vidisse oculis. Nonne hodieque videmus quod si quæ libet sanctæ professionis persona deprę uaricationis cuiuspiam crimine diffametur, statim à secularibus, non illi tantùm personæ, sed toti professioni derogatur, non tamē volunt, vt si quęlibet ex eorū coniugibus in adulterio depræhenditur, dicamus nos tales esse alias omnes, quales illa vna cōuincitur? Sed ad nostra redeamus. Ex te quidem (ait dominus) exibit, & iamdudum exire consue uit cogitans contra dominum malitiam, mē te pertractans prævaricationem, & tanta difamabitur malitia, tanta persæpe prævaricatio declamabit, vt etiam dicāt, nunquam sic auditum vel visum fuisse inter gentes, & vt Sodoma quoque & Gomorrha putentur fuisse iustiores. Videbūtur Assyrij iusti, cō-
Qualis iustitia gentium. paratione tui, vt sunt vel videntur esse multi gentiles, secundum quandam iustitiam seculi iustiores multis, qui vnius Dei cultum sunt professi, & in domo eius sub lege eius educati, parentibus honorem deferendo, nō occidendo, non mœchando, non furtum faciendo, non loquendo contra proximum falsum testimonium, & multa faciēdo quæ apud fideles illius iustitiæ, quæ ex Deo est, vera insignia sunt. Sed hæc dicit dominus, quia etiam si fuerint Assyriorum aliqui, secundum hæc opera perfecti, & ita fuerint ex eis non pauci, sed plures perfecti, sic quoq; attondētur, id est, simul vna nocte percutiē tur, & percussis centum octoginta quinque millibus, pertransibit Sennacherib tonsus & abrasus, pertransibit (inquit) à filljs suis in
4. Reg. 19. domo Dei sui interfectus, quod vtique per-
Duplex tribulatio probū. transire est, ita vt non inueniatur locus eius. Nec verò sola morte corporis detonsi morientur, sed & duplici contritione, id est, corporis simul & animæ morte morientur, quā tumuis perfecti, quamtumuis iustificati cōparatione sanctorum, qui peccatores mei sunt? Quare? videlicet, quia passer non inue-
Psal. 83. nit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos, id est, neque cor eorum multa sapienter cogitando subditum est Deo, neque caro illorum bona quælibet operando mercedem ex Deo sperat in futuro, sed sibimet vanitatem congregat in
Eccl. 42. præsenti seculo. Propterea sicut à Sapiente dictum est,

dictum est, melior est iniquitas viri, quàm
Hebr. 11. benefaciens mulier, & iuxta sensum qui in hoc dicto latet, multò melius, multò vtilius est cum paucis operibus habere fidem, quā multa facere opera, & non habere fidem. Nam de fide scriptum est, quod sine illa impossibile est placere Deo, de operibus autem quamuis & ipsa necessaria sint, nusquā scri-
"ptum est, quod sine illis impossibile sit pla-
"cere Deo. Sequitur. [Afflixi te, & non affligam te vltra.] Ac si dicat. Te ō Hierusalem, ex qua exiuit cogitans cōtra dominum malitiam, mente pertractās prævaricationem, impunitam non dimisi, sed afflixi, & sicut supra dictum est, non consurget duplex tri-
Duplex afflictio. bulatio ita nunc dico, nō affligam te vltra. Afflixi te in præsenti vita, non affligam te in futura. Magna in hoc est inter te & gentes, quæ sine Deo sunt, afflictionis distantia, q & multi ex eis affliguntur in præsenti seculo, omnes autem affligentur in futuro, & ibi non tēporalis, sed æterna erit afflictio. Quid valet, quod nonnulli ex eis receperunt bona in vita sua, & vsque ad finem vitæ præsentis liceret eis explere voluptates suas? Tunc cruciabuntur, quando tu consolaberis, qui similiter mala recepisti in vita tua. Sic absque omni scrupulo rectè intelligitur dictum, afflixi te, & non affligam te vltra, ac si diceretur, afflixi te in præsenti, & non affligam te in futura vita. Sed adhuc parum est consolationis in hoc dicto, propter infirmitates illorū, qui adhuc imperfecti, & adhuc nutriendi sunt, & si hæc ipsa vitæ præsentis afflictio continua sit, citò deficiunt, & propè in desperationem cadūt. Subiungit ergo & supplet, quod minus erat dictum in vtroque, & superiori & in præsenti loco, vbi dixerat, non consurget duplex tribulatio, & vbi dicit, afflixi te, & non affligam te vltra.
"Quid subiungit, & quomodo quod deerat
"supplet consolator. [Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo, & vincula dirumpā.] Et nūc, inquit, id est, etiam in præsenti, priusquam vitam istam finias, finietur tribulatio
4. Reg. 19. ista, vt viuens in corpore vltionem de inimico Sennacherib videas, quia ponam circulū in naribus eius, & frenum in labijs eius, & reducam eum in viam per quam venit, & amplius non reuertetur huc. Notandum, q verba ista, conterā virgā eius de dorso tuo, & vincula dirumpam, ita solutionem siue liberationem ciuitatis Hierusalem sonant, vt pariter iram in gentem, super hostem proprijs & valdè congruis vocibus significent. Non enim contentus fuit dicere, virgam cō fringam, & vincula soluam, sed virgam (inquit) conteram & vincula dirumpam. Maioris nanque indignationis est pedibus conterere, quàm manibus confringere, maioris itidem animaduersionis, repentè vinculum dirumpere, quā paulatim vel aliqua mora dissoluere. Ipse ergo modus locutionis magnitudinē indicat indignationis, in eos qui potestate sibi permissa in seruos Dei pro arbitrio vel ratione arcani iudicij pascuntur eorū supplicijs, & insuper audent contra deū gloriari, vt ille Assur siue Sēnacherib, in fortitudine, inquiens, manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & cætera huiusmodi. Quid igitur per hæc dicta consolatoris consectum est, nisi vt dum audis illud supra dictum ex ore arguentis, quid cogitatis contra dominum, quod consummationem ipse faciet, non consurget duplex tribulatio, iam scias conclamare illi & dicere, imò consurget duplex consolatio. Et reuera sicut verū erat & est, quod super nullum electorum Dei consurget duplex tribulatio, ita de multis verum erat dicere, quia cōsurget duplex consolatio, qualiū notissimus nobis est beatus Iob, cuius nouissimis post tentationem benedixit dominus, magis quā principio eius, & addidit ad omnia, quæ erant illius duplicia, in præsenti vita, sine dubio recepturo multo plura, multoq; meliora in futura vita. Veruntamen quæ eiusmodi sunt, ipsi in talibus consolari renuunt, & si huiusmodi cōsolationes affluūt, cor apponere nolunt, vt ille qui dicebat, cū diues essem & potens & gloriosus in terra. Renuit consolari anima mea. Et quoniam, si aliquis quæreret, vbi vel in quo renuit cōsolari, & in quo consentit consolari anima mea, imò (inquit) res transitoriæ pro consolatione mihi sunt, sed memor fui Dei, & delectatus sum. De rege illius temporis Ezechia non prætereūdum, quod rectè pro consolatione duplici recipere debuit illud, quod ad eum dictum est à domino per Esaiam prophetam. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuā. Ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis eruam te, & ciuitatem istam, & protegam te. Nam præter illam communem consolationem, quæ illi cum omnibus electis in futuro reposita erat seculo, magna in præsenti ista quoque consolatio, quod adijcit dominus super dies eius quindecim annos, quia videlicet per hoc factum est illi, vt locum vel nomen haberet in libro generationis Iesu Christi filij Dauid. Nondum enim filium habuerat, & ad hoc reseruatus est, vt generaret, & sicut dictum est in serie generationis Christi, pater cum patribus resideret. E contra nonnullos fuisse vel esse impiorū pessimos, super quos meritò consurgeret duplex tribulatio, iam supra dictum est, & hic Sennacherib pro exemplo sufficere potest, in quem continuò conuersus sermo propheticus taliter inuehitur, durus vtique duplicis tribulationis nuncius. [Et præcipiet contra te Dominus,,
non seminabitur ex nomine tuo amplius,,
de domo Dei tui disperdam sculptile, & cō-,,
flatile ponam sepulchrum, quia inhonora-,,
tus es.] Quid enim, vel cui præcipiet Domi-,,

Duplex cō solatio electis.
Iob 42.
Psal. 76.
Ibidem
Ezechias.
Esa. 38.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Reg. 19. nus contra te, nisi angelo percutienti, vt egressus percutiat in castris tuis nocte vna cẽ tum octoginta quinque millia, & deinde te-
Sepulchrũ in inferno metipsum adorantem in templo Deum tuum Nesrath, percutiant gladio filij tui Adramalech & Sarasar, sicque fiat quod dicitur, non seminabitur ex nomine tuo amplius? De illa tribulatione, quæ magna tibi fuit in præsenti seculo, translatus es vt tribuleris in alio seculo, sepultus in inferno. Vnde & hic dictum est, ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es. Quod Deus ponit, stat immobiliter, mutari vel remoueri
Luca 10. non potest. Ponit autem sepulchrum tuũ, subauditur in inferno, vbi non solùm ille dives de Euangelio possidet sepulchrum, sed etiam omnes qui similes eius sunt vel
Ezech. 32. fuerunt, & maximè tu Assur, de quo apud Ezechielem scriptum est. Ibi Assur & omnis multitudo eius in circuitu illius, sepulchra eius, & omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio, quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci, & facta est multitudo eius per gyrum sepulchri eius, vniuersi interfecti cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viuentium. Quã ob causam ponam illuc sepulchrum tuum?
Inhonoratus. id est. superbus. Quia inhonoratus es. Inhonoratus, id est, superbus. Superbia nanque inhonoratio est, quantum quisque superbus, tantum est
Abdiæ 1. inhonoratus. Vnde idem Dominus cùm dixisset ad Edom, contemptibilis tu es valdè, statim causam hanc subiunxit. Superbia cordis tui extulit te. Igitur iste ex illis est, super quos meritò consurrexit duplex tribulatio. sicut econtra Ezechias ex illis, quorum vt supra diximus, duplex est consolatio. Quod interpositum est, de domo Dei tui disperdam sculptile & conflatile, deuastationem denunciat subsequuturam totius Niniue à Chaldæis subuertendæ. Vbi enim non parcitur scuptilibus, & conflatilibus, id est, deorum simulachris, qualia verebantur & colebant tam Chaldęi quàm Assyrij, qualis est casus deorum communium, vel fori, totiusque ciuitatis? Va- Deuastatio Niniue.
stata est Niniue, dicturus est hic idem postmodum insultabundus, & ego, dicit Dominus exercituum, reuelabo pudenda tua in
Infra 3. faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam. Quam eius nuditatem, iam hic breuiter præsignat, dum iudicium intendit magnæ illius superbiæ, de domo (inquit) Dei tui disperdam sculptile & conflatile, vbi constat hominibus non esse parcẽdum, dum hostes nec ipsi parcunt reuerentiæ deorum, clamando mutua cohortatione, diripite aurum, diripite argentum. Et rectè insultatur superbiæ, quæ tanta fuit, vt superbiæ diaboli passim assimiletur in sanctis ac propheticis scripturis. Sanè ipsa quidem ciuitas Niniue mundus, rex autem eius diabolus in prophetis intelligitur, propter altitudinem magnifici cordis, & oculorum
Ezech. 31. eius, exempli gratia, vt apud Ezechielem Dominus loquitur. Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsusque altitudine. Cedri non fuerunt altiores illo in paradyso Dei, omne lignum paradysi Dei non est assimilatum illi, & cætera. Vnde autem hoc Cur Assur pro diabolo ponitur. memoriale Assur meruit, vt nomen eius ita frequentetur in ratione vel iudicio damnationis diaboli? Videlicet ex eo quod inter cætera siue tyrannidis molimina præsumptuosa, quibus gentes afflixit, adiecit & illud, vt delere coranetur Hierusalem, vbi repositum erat verbum promissionis, & domum Dauid vnde oportebat Christũ nasci, secundum promissionem & iuramentum
Psal. 131. Domini ad ipsum Dauid. Proinde de angustijs Iudææ latius sermonem extendere cupimus, & sic deinceps prophetiam persequi, vt ea potius attendamus, quorum similitudinem siue typum fuisse non dubium sit in omnibus, quę pro Iuda & Hierusalem contra Niniuem propheta vaticinatur.

IN NAVM LIBRI PRIMI FINIS.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN NAVM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

Num. 25. HOstes vos sentiant Madianitæ, ait dominus ad Moysen, & percuti te eos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidijs per idolum Phoge, & Cozbi filiam ducis Madiã sororem suam. Nunquid quia de
Num. 31. solis Madianitis scriptum est, quod contra eos dominus loquutus sit, & taliter præcepe-
rit, de solis Madianitis putandum est, quod iure seruos domini, vt erat Moyses, hostes sentire debuerunt? Imò & de cunctis gentibus, quæcunq; vt Madiã hostiliter egerunt contra Israel, hoc indubitanter scrẽdum est, q; eis & Moysen & cunctos Moysi spiritum habentes, hostes esse voluerit, & eiusmodi vltionẽ optare de illis, quam ipse impetrans
Luca 22. Moysi, vlciscere prius (ait) filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populũ tuũ. Quam ob causam? Nõne oẽs sancti siue perfecti qui non alium, quã illum habent spiritum, quem & illi habebant, iubentur cũ Petro recondere gladium in vaginã? Quam igitur ob causam ita iussi tunc gladij sæuiebant, aut sæuire debebant? Nimirũ propter Christum eundẽ tunc sæuire debebant, propter quem nunc sæuientibus in nos Christi hostibus, inermem debemus habere patientiam. Tunc enim in periculo erat res, quia possibile erat deleri gentẽ illã, de qua Christus expectabatur nasciturus, nisi modis omnibus defenderetur contra gentes, quibus diabolus ad auferendam spem mundi, quæ Christus est, pertinaciter vtebatur. Nunc autem res eadem in tuto est, quia Christus natus est, & si tota generationis rectorem arbor bona corporaliter succidatur, nullum salutis hominum detrimentum est, quia totus arboris bonæ fructus iam in cælum assumptus est. Hæc idcirco dicta, & sæpius dicenda, semperq; memoriter tenenda sunt, quatenus iustissima cognoscatur melius sanctorum hostilis vehementia, qui & quoad potuerant cũ auxilio Dei de hostib. suis, hostibus Dei, gentibus impijs, vindictã & à Deo quæ rebant, & manu exercebant, & habita siue aspecta vltione adhuc hostiliter insultabãt, vt iste qui contra Assur, imò contra omnẽ hominem hostiliter (vt supra dictum est) agentem, tam lætam contexit prophetiam, vt
CAP. II. "quodammodo triumphalẽ persaltare videa
"tur cantilenam, ita prosequens. [Ecce super
"montes pedes euangelizantis & annuncian-
"tis pacem. Celebra Iuda festiuitates tuas, &
redde vota tua, quia nõ adijciet vltra, vt per-
transeat in te Belial, vniuersus interijt. Ascẽ-
dit qui dispergat in facie tua, custodiens ob-
sidionem. Cõtemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valdè, quoniam sicut
reddidit dominus superbiæ in Iacob, sic red-
det superbiæ in Israel, quia vastatores dissi-
pauerunt eos, & propagines eorum corru-
perunt.] Hæc, & cætera quæ sequuntur vsque in hnem, magnum gaudium, magnum & triumphale resonant tripudium, & totius lætitiæ causa hæc est, quoniã sicut reddidit (inquit) dominus superbiæ in Iacob, sic reddet superbiæ in Israel. Non ergo parua res est, quæ sub verbis istis latet, sicut reddidit dominus superbiæ in Iacob, quoniam totius consolationis vel gaudij causa siue materia in ipsis posita est. Quid igitur est, vel quem sensum habet, quoniam sicut reddidit dominus superbiæ in Iacob, sic reddet superbiæ in Israel: Vnus nanque & idẽ fuit pater Iacob, qui & Israel, vnus & idem populus Iacob, qui & Israel. Siquidem ita dixisset, quoniam sicut reddidit dominus superbiæ in Iudam, sic reddet superbiæ in Israel, sensus iste absque impediméto vel scrupulo sese accommodaret, quod sicut vltus est dominus Iudam & Hierusalem de rege Sennacherib & exercitus eius, sic vlciscetur decem tribus, quæ appellabantur Israel, de Niniue siue Assyrijs, quod regnante Salmanassar captiuauerat easdem decem tribus. Nunc autem quamuis & iste sensus rationabilis sit, & pro Iuda Iacob conuenienter possit accipi, libet adhuc intuitum mentis extendere latius, vt sub istis nominibus Iacob & Israel, omnes tam antiqui quàm noui, tam illi qui præcesserunt, quàm illi qui subsequuntur Christi aduentum, electi intelligantur. Iacob nanque patrem secundum carnem, duodecim filiorum totidemque tribuum Israel, libenter hic accipimus, Christum patrem secundum spiritum duodecim Apostolorum, & omnium qui per eos in ipsum crediderunt vel credũt. Erit igitur sensus amplissimus, & omninò planus in istis verbis idem qui in illis Apostoli cùm de priore loqueretur, omnia in fi- 1. Cor. 10.
gura contingebant illis. Nimirum sicut illa, de quibus nominatim mentionem fecerat Apostolus, beneficia Dei in figura contingebant illis, & veraciter implentur in Euan- Iacob pro
gelio Christi, sic illa vltio de Assyrijs, in fi- Iudæis, Is-
gura contingit illis, quorum temporibus rael pro
accidit, & veraciter impletur in Euangelio Christianis
Christi. Magna planè causa & digna, pro- hic ponitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

pter quã sic exclamet spiritus S. in propheta.
4. Reg. 19 Ecce super mõtes pedes euãgelizantis & an-
Exod. 14. nunciantis pacẽ, ꝓpter quã cógratuletur, & dicat. Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua, ꝓpter quã excitet in gaudiũ atq; cõfidentiã, dicẽdo. Contẽplare viã, cõforta lũbos, robora virtutem valdè, &c. Vt (inqt) & hoc facias, & nõ id solũ attẽdas, ꝙ taliter reddidit dñs superbiæ Assyriorũ, quã exercuerunt in Iacob, ꝙ ciuitatẽ hanc Sennacherib non introiuit, nec eiecit in eã sagittã, nec occupauit eam clypeus, sed occisus ab angelo domini centum octoginta quinq; millibus, reuersus est in viam suam, per quam venerat, & occisus est, & Niniue subuersa est. Non (inquam) hoc solum attendas, sed simul attende, quia sicut dominus reddidit superbię in Iacob, vt Assyrij excinderentur. sicut reddidit superbiæ in Iacob, vt Pharao cum curribus & equitibus suis in mari mergeretur. sicut reddidit superbiæ in Iacob, vt à Persis & Medis Babylonia subuerteretur. sicut reddidit superbiæ in Iacob, vt Aman, hostis Iudæorum, in patibulo, quod Mardochæo parauerat appenderet. sicut reddidit superbiæ in Iacob, vt Antiochus Epiphanes sine manu cõtereretur. Sic reddet superbiæ in Israel, populum nouellum euangelica fide renatum, cuius generatio secundum spiritum de Christo est, patre duodecim Apostolorum, cuius in typum præcesserit ille Iacob pater secundum carnem duodecim filiorum. Quid reddet superbiæ habitæ contra istum Israel secũdum similitudinem eorum, quæ reddidit superbiæ habitæ contra illum Iacob? Nimirum vt princeps huius mundi diabolus, ausus venire ad istũ Israel, in quo non habet quicquam, ita sanguine & aqua de latere eius emanantibus enecetur, sicut ille carneus Pharao cum suis omnibus submersus est in aquis vehementibus, & ita ligno crucis transfigatur, sicut fuit Aman ille transfixus, & sicut contritus est Antiochus, tandẽq; ita & ipse diabolus, & omnis ille consentiens mundus extremo iudicio dãnetur, sicut ille veniens cõtra Iudam & Hierusalem superatus est, qui sibi videbatur insuperabilis Assur, & subuersa est Niniue caput superbiæ eius. Ecce ô Iuda, super montes, ecce pedes, id est, prædicatores, omnem seculi altitudinẽ supergredientes, pedes euangelizantis & annunciantis pacem, prædicatores dantis pœnitentiam & remissionem peccatorum, destructo peccato, consummata iustitia, principe huius mundi iam iudicato. Secundum similitudinem plagæ, quæ facta est in parte, idem in Assyrijs factum est, idem sine dubio fiet in toto, scilicet hoc mũdo, & in principe huius mundi. Celebra igitur ô Iuda, id est, confessor propheticæ & euangelicæ fidei, celebra festiuitates tuas, & redde vota tua, id est, à malis operibus vaca, & in bonis operibus perseuera. Festiuitates quæ dudum celebrabantur in figura, nunc in veritate celebra. Exempli gratia, vt agnum, quẽ dudum comedebas in vmbra, quem comedẽdo transitum maris, & demersionem carnei Pharaonis celebrabas, agni Christi signum fuisse scias, & cætera festa legis, euãgelicæ gloriæ noueris extitisse exemplaria. Sed quid prodest qualescunq; festiuitates celebrare deforis, nisi festiuitas contẽplationis in mente fuerit? Proinde cum dicit, celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua, Psalmistam interroga, & ipse tibi dicet, quomodo facere debeas. Quoniam (inquit) cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent ti bi. Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Istæ sunt tuæ festiuitates ô Iuda, vt cogitatio tua Deo cõfiteatur, & si nõ omnis cogitatio festiua esse potest & splendida, saltem reliquiæ cogitationis diem festum agant, id est, saltem aliquando post infestationes malarum cogitationum, locum mentis obtineant cogitationes bonæ, iuxta illud: pecca- Gen. 4.
sti, quiesce. Cum huiuscemodi festo die Psal. 115.
redde vota tua, quorum videlicet votorum summum vel optimum est, calicem salutaris (iuxta Psalmistam) accipere, id est, imitari mortem saluatoris, qui moriendo pacem inter Deum & homines fecit, ipsam que euangelizauit & annunciauit pedibus, vt iam dictum est, id est, prædicatoribus siue Apostolis per mundum vniuersum missis, & super montes incedentibus, id est, super omnem altitudinem seculi. Profectò non vana festiuitas ita celebrare, & causam hanc festiuitatis habere, quia non adijciet vltra vt pertranseat in te Belial, vniuersus interijt, videlicet secundum similitudinem Assur siue Sennacherib, qui reuersus in via, per quam venit, iam vltra in te pertransire non poterit. Ita nanq; Belial, quod interpretatur absque iugo, scilicet diabolus, ab initio rebellis Deo, ex quo tibi ô Iuda, Christus moriendo ac resurgendo festiuitates tuas dedicauit, vltra iam in te pertransire non poterit. Nam extunc vniuersus interijt. Non quod substantia eius esse desierit, sed quod mors generis humani, quæ per inuidiam eius in hunc mũdum introiuit, mors (inquã) vniuersa, mors Belial digemina, tam animæ quàm corporis, omni- bolus, quo
nò interijt. Vbi vel quando iste Belial in- modo in-
terijt? Vbi mortua est mors, quam intulit, uersus ute
vnde & appellatur & ipse mors? Videlicet rijt.
vbi mortuus est Christus, ibi nostrarũ mortua est mors animarũ, & vbi resurrexit Christus, ibi nostrorum interijt mors corporum. Celebrando ergo festiuitates tuas ô Iuda, memento, quod ille sit ipsa festiuitas tua, de quo dicis, qui mortẽ nostram moriendo deuicit, & vitã resurgendo reparauit, & hinc esse ꝙ dicitur, nõ adijciet vltra vt pertranseat in te

Celebra festiuitates ô Iuda.

in te Belial, vniuersus interijt. Nam si illud solum respicias, quod Sennacherib non reuersurus abijt, & interijt, non est verum proinde dicere. Belial vniuersus interijt, quia videlicet post illum plurimus Belial, qualis ille fuit, in te pertransiuit, qui multo amplius nocuit. Fortè dicis ô Iuda. Quãdiu stat Niniue, quomodo mihi dicis, quia Belial vniuersus interijt? Quamdiu stat mũdus? quomodo consolabor de mortis interitu? Ecce enim Nero sæuit, Decius insanit, Maximianus morte armatus vesanit, & præter istos filij Belial multi, quorum antichristus deterrimus erit. Quomodo ergo iam dicis, quia Belial vniuersus interijt? Ad hęc inquam. Ascendit qui dispergat in facie tua, custodiens obsidionem. Quis est ille qui ascendit? Ad illam quippe Niniuen ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & in facie tua ô Iuda, qui tunc temporis in mundo eras, id est, te præsente vel iciẽte, dispersit Niniuen illam, circa illam custodiens obsidionem, donec illam caperet, sed in hac parua, imò ferè nulla consolatio est. Peior namq; tibi Nabuchodonosor postmodum extitit, quàm fuerit Sennacherib. Quis igitur ille est, qui ascendit, quique in facie tua sic disperget mundum istum, magnam vtique Ni-
Ioan. 12. niuen, vt perfectam habeas consolationem? Profecto qui descendit Christus, ipse ascendit, & sicut ascendit, ita veniet Niniuen dispersurus, id est, mundum in facie sua iudicaturus. Quod interim facit Nero siue Diocletianus, imò ipse diabolus, siue Antichristus, nihil veritatem diminuit, quin veraciter dicas. Belial vniuersus interijt, foras missus est princeps huius mundi. Non hic agitur nec agi potest, quin mors, vtraq; mors animę & corporis absorpta sit in victoria istius ascẽsoris cæli. Quid enim si adhuc hostis corpus occidit in membris? Denique animam non potest occidere viuificatã capitis, id est, Christi morte, & de ipsa morte corporis tam certum est, quòd interitura sit in membris, vt veraciter vel securè iam dicas, quia interijt, præsertim quia caput Christus resurrexit, & membra nonnulla, id est, multi cum eo sancti. Olim hoc intendebat, hoc sperabat dra-
Draconis intentio. co diabolus, quod efficere posset, vt de illa
Apocal. 12. muliere, quæ erat gens illa, quæ secundum carnem quoque dicitur Iuda siue Iudæa, nõ nasceretur masculus filius, qui recturus esset gentes in virga ferrea, & idcirco illam delere conabatur septem capitibus armatus, sed hoc iam sperare non potest quia iam natus est ille filius, & iam raptus est ad Deum & ad thronum eius. Hoc tantum deinceps intendit per Neronem & quoscunque similes illi, vt nõ expectetur rediturus, sed tu firmiter tene, quia sicut ascendit ita rediturus est, vt in facie tua dispergat Niniuen, vt te vidente iudicet mundum non credentem, teq; persequentem, ita custodiens obsidionem, vt neque ab oriente, neq; ab occidente, neq; à desertis montibus pateat cuiquam locus effugij, quoniam Deus ipse iudex est, qui omnia concludit, cuius de manu nemo est, qui eruere possit. Hoc futurum sciens, ad hoc illum rediturum credens, fac quod nunc dico. Contemplare viam, conforta lũbos, robora virtutem valde. Hæc (inquam) age, sic viue, quia non hoc aliud est, quàm ꝙ ipse in Euangelio dixit, antequam ascenderet. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectãtibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Quidnam aliud est vigilare secundum similitudinem hominum expectantiũ dominum suũ, quàm contemplari viã, cum solicitudine expectare illũ, qui & venturus est, & ipse via est. Et quid aliud est conforta re lumbos, quã succinctos habere lumbos, id est, contra libidinem siue luxuriã, quæ in lumbis est, castigatum habere corpus, & castum cor? Porrò virtutem valdè roborare, *Roborare virtutem.*
id sine dubio est lucernas ardentes habere, id est, cum honore castitatis opera bona excere, & in ipsis perseuerare. Quomodo autẽ vndè virtus eiusmodi valdè roboratur? quod est virtutis huiusce validum robur? Keuera humilitas, id est, non fallax, sed omnino verax infirmatis conscientia. Etenim in ea virtus omnis roboratur, nam virtus (inquit Apostolus) in infirmitate perficitur. Non hoc dicimus, quod infirmitas ip- 2. Cor. 13.
sa sit humilitas, quæ nobis est necessaria, sed quod ad humilitatem proficiat, velut instrumentum quoddam, considerata, seu propriæ fragilitatis, seu communis conditionis infirmitas. Propriæ fragilitatis, vt in Apostolo, dicente: Ne magnitudo reue- Ibid.
lationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanę. Communis conditionis, vt in Iob dicente. Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in Iob. 10.
puluerem reduces me, & cætera. Quod si experimentum quæritur de humilitate, quòd omnis virtus ex ea valde roboretur, cece & Iacob cum angelo luctari, & nõ vinci: & Moyses Deum dicentem, dimitte me, Gen. 32.
tenere potuit. Quod vtriusque tanta virtus Exod. 3.
ex humilitate roborata fuerit, euidentibus comprobatur testimonijs. Nam de Iacob in Ozee vbi præmissum est, & in fortitudine Ozee 12.
sua directus est cum angelo, & inualuit ad angelum, & confortatus est, statim subiunctum est, fleuit & rogauit eum. De Mose verò Psalmista cum diceret, & dixit, subaudi- Psal. 105.
tur Deus vt disperderet eos, statim subiunxit. Si non Moses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Quid enim est in confractione? nisi in nimia mentis humilitate? iam ita prospecto, ꝙ dicit, robora virtutem valdè, sensum rationabilẽ habere potest, id ꝙ sequitur, sicut in pleriſq; codicibus habetur, & à LXX. nõ discrepat interpretib.

Contemplari viam.
Luc. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoniam ſicut reddidit Dominus ſuperbię Iacob, ſic reddet ſuperbiæ Iſrael veteres & nouos, id eſt, & illos qui ſub lege fuerunt, & eos qui in Euangelio credunt, ita intelligimus, vt ſuperius iam dictum eſt. Quę fuit ſuperbia Iacob, & quomodo reddidit Dominus ſuperbiæ Iacob? Sine dubio ſuperbia Iacob fuit, vbi Chore, Dathan, & Abyron, de ſacerdotio cõtendentes, cũ omni cœtu ſuo contra Dominum ſteterunt, & ita reddidit Dominus illi ſuperbiæ, vt diſrũperetur terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuoraret Dathan & Abyron cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſuperbia, deſcenderẽtque viui in infernum operti humo, & perirent de medio multitudinis. Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum. Item Saul, cum eſſet Chriſtus Domini, ſuperbiuit, & dominus ſuperbię eius ita reddidit, vt manciparet eum maligno ſpiritui. Plura ſunt exempla huiuſmodi, quàm vt compendio cuncta poſsint ad præſens conſcribi. Cũ igitur præmiſſo, robora virtutem valdè, id eſt, humilitatem omnibus habe, ſtatim ſubiungit, quoniam ſicut reddidit dominus ſuperbię Iacob, ſic reddet ſuperbiæ Iſrael, quę litera nõ diſcrepat à LXX. interpretibus (vt iam dictum eſt) terrorem magnum incuti vniuerſo Iſrael, qui credendo in Chriſtum meruit Iſrael nuncupari. Terribilis namq; eſt Deus in conſilijs ſuper filios hominum, atque idcirco tunc vnicuique magis cauendum, & magis humilitati ſtudendum, cum maiora ſuperną gratiæ dona percepit, non tantùm in eo, quod Apoſtolus præmonuit dicens. Noli gloriari aduerſus ramos, qui cõfracti ſunt, noli altum ſapere, ſed time, ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, verùm & omnibus modis, vt nunquam alter cõtra alterum infletur, nunquam dum viuit ſe comprehendiſſe arbitretur. Superbia Iſrael, id eſt, credentium inter cætera mala fecit & hæreſes, & non minus de ipſis qui videbantur intus, quàm de illis, qui foris erant vel ſunt, gentilibus. Verùm quod ſequitur. Quia vaſtatores diſsipauerunt eos, & propagines eorum corruperunt, tanquam vaſtatores vinearũ domini, contra quos ipſe dilectus dicit in Canticis. Capite nobis vulpeculas, quæ demoliũntur nobis vineas. nam vinea noſtra floruit. Hoc peius egerunt vaſtatores iſti, quam vaſtatores illi, quòd illi palam diſsipauerunt, id eſt, perſecuti ſunt, iſti autẽ & ſubdole corruperunt, & interdum aperta vi propagines vaſtauerũt. Reddet igitur dominus ſuperbiæ huiuſce Iſrael, ſicut reddidit ſuperbiæ illius Iacob, videlicet vt Apoſtolico vtamur exemplo, ſicut reddidit eidem Iacob in eo, quòd omnes quidem mare tranſierũt & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, ſubauditur vt ſaltem in illam terrã ingrederentur, quæ vmbra erat illius terræ viuentiũ, quam in futuro ſperamus. nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, &c. nunc iam ſequentia perſequamur. [Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis. Igneæ habenæ currus in die præparationis eius, & agitatores conſopiti ſunt. In itineribus cõturbati ſunt, quadrigæ colliſæ ſunt in plateis, aſpectus eorum quaſi lampades, & quaſi fulgura diſcurrentia.] Clypeus (inquit) fortium eius ignitus. Cuius eius? Putáſne illius Nabuchodonoſor, qui aſcendit vt diſperderet illam localẽ, quamuis magnam Niniuem? fuerit quidem fortium illius clypeus quomodocunque ignitus aut ſplendidus, & viri exercitus eius veſtiti caligis ac ocreis coccineis, ſiue alterius cuiuſlibet coloris pulchri, veruntamen ſpiritus ſanctus, ſpiritus propheticus, nequaquam ita ſe demiſerit, vt abſq; reſpectu myſterij nugas aut vanitates eiuſmodi, clypeos & currus aut curruum habenas, & currentes quadrigas, veſtitus coccineos, & aſpectus virorum fulgidos tantopere declamare, & ſuperuenturis ſeculis, quibus ſcripturam propheticam perſeuerare volebat, notificare dignatus ſit. Spiritum igitur quocunque vadit, pro poſſe ſequamur, & quia verba ſpiritus ſancti ſunt, ſpiritualia potius in verbis myſteria requiramus. Fortium eius qui (vt ſupra dictum eſt) aſcendit in cælum, Niniuen diſperſurus, id eſt, mundum iudicaturus. fortium inquam eius clypeus ignitus eſt, & viri exercitus eius in coccineis, & igneæ habenæ currus in die præparationis eius. Quæ ſit præparatio, vel dies præparationis eius, & quid præparetur, primò quærendum eſt, & deinde cætera melius clareſcent, quòd magnam in ſe ſenſuum ſpiritualium contineant maieſtatem. Quid ergo præparatur, niſi vt mundus iudicetur. Et quæ eſt huius rei præparatio, niſi euangelij prędicatio? Et quis eſt dies præparationis eius, niſi totũ hoc tempus, vſque ad conſummationem ſeculi? Deniq; quantacunq; diuturnitas, quantuſcunq; numerus annorũ ſit, ſicut tempus, ita & dies rectè dicitur, teſtãte domino ipſo cum in propheta dicit. Tempore accepto ex audiui te, & in die ſalutis adiuui te. Apoſtolus namq; ſuccinit. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Igitur vnus idemq; dies, qui credenti mundo eſt dies ſalutis, non credenti mundo eſt dies præparationis, & intra hunc diem præparationis inuenire debemus, & igneos fortium eius clypeos, & veſtitus virorum eius coccineos, & habenas curruum igneas, & quadrigas in plateis colliſas, & aſpectus fulgureos, & cætera bellici apparatus inſignia, quæ declamando

Superbia Iacob. Numer. 16.
1. Reg. 16.
Roman. 11.
Superbia Iſrael hæreſes facit.
Cantic. 2.
1. Cor. 10.
Myſticus hic ſenſus requirẽdus eſt.
Dies præparationis.
Eſaiæ. 49.
2. Cor. 6.
Fortes eius angeli ſunt Actor. 1.

mando ita inculcat, vt palam ſit vel eſſe debeat, quia magna ait ſeria. Fortes eius illos hic accipimus, quarum de multitudine duo in initio præparationis huiuſce, quando ille aſcendit, cum intuerentur euntem illum in cælum Apoſtoli, ſteterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt. Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Sic (inquam) veniet diſperſurus Niniuen, id eſt, iudicaturus hunc mundum. Fortium illorum de principibus vnus eſt Michael, de quo in Apocalypſi, vbi aſcẽdit, vbi raptus eſt Filius beatæ mulieris ad Deũ, & ad thronum eius, ita ſcriptum eſt. Et factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, &c. Horum fortium clypeus verbi dei, verbum Deus eſt, & clypeus vtiq; ignitus, quia ſcriptum eſt. Ignitum eloquium tuum vehementer. Itemq; ad Salomonem dictum eſt. omnis ſermo Dei clypeus ignitus eſt. Contra quos ignitus eſt talis iſte clypeus, niſi cõtra draconem & angelos eius. Intolerabilis eſt illis iſte ignitorum clypeorum ignis, vnde & exprobratur illi apud Ezechielem, vbi ſub nominibus nouem lapidum dicitur in eum de nouem ordinibus angelorum. Et eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorũ. Porrò viros de quibus ait, viri exercitus eius in coccineis, illos intelligimus, qui adiuuantibus fortibus ſiue cooperantibus illis, ſemper inuiſibiliter, aliquando autem etiam viſibiliter, vicerunt illum draconem, ſicut ibidem ſcriptum eſt, Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni, & lauerũt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Deinde igneas habenas currus, prælatos ſiue rectores eccleſiarum intelligimus, quia videlicet ſicut habenæ regunt eurum, ita regulæ ſiue monita horum, illum regunt currum, de quo in pſalmo ſcriptum eſt. Currus Dei decem millibus multiplex milia lætantium. Sunt autem habenæ igneę, quia videlicet dicta vel facta, ſeu omne regnum eorum non eſt vel eſſe debet ſine magno boni zeli feruore. Illi fortes cum ignitis clypeis, iſti viri exercitus eius in coccineis, iſtæ igneæ currus habenæ in die præparationis eius, ſubauditur, nunquam deficiunt, & omnis actio eorum præparatio eſt, extũ vſque in finem ſeculi, præparatio diſperſionis, qua diſpergenda eſt Niniue, id eſt, iudicij quo iudicandus eſt mundus iſte. Interim namque per eos ſpiritus ſanctus arguit mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio, & eo arguente, fugiunt mundum periturũ hi, qui credunt, & qui credere non vult, ſit inexcuſabilis mundus. Hæc eſt præparatio eius. Et agitatores (inquit) cõſopiti ſunt. Agitatores planè non eius, cætera ſunt eius. fortes quorum clypeus eſt ignitus, dicuntur & ſunt eius. viri exercitus in coccineis, dicũtur & ſunt eius. currus cum igneis habenis, & tota præparatio dicitur & eſt eius. agitatores verò, nec dicuntur, nec ſunt eius. Agitatores quippe qui ſunt, niſi inquieti, infeſti, iniurioſi, & contumelioſi, ſiue ſuperbi? Tales iſte non habet, tales non ex Deo, ſed ex maligno ſunt, ex mundo damnato, ex mundo in maligno poſito. Primus eo tempore, quid egit ille ſæpè dictus Aſſur, vnde ſic notaretur, vndè agitator ipſe, & quiq; ſimiles illi agitatores rectè dicantur? Apud Eſaiam vbi aduentus eius prophetica voce denunciatur, inter cætera ſic de illo dictum eſt. Tranſierunt curſum, ſcilicet Aſſyrij contra Hieruſalem properantes, & de perditione eius quaſi iam perpetrata, nimis certi, nimiſque confidentes. & agitabit (inquit) manum ſuam ſuper montem filiæ Syon, & collem Hieruſalem. Quia ſic hoſtiliter agitauit manum ſuam ille Aſſur ſiue Sẽnacharib ſibi arridens, loco ſancto irridens, in ſe tumidè gliſcens, contra Deum improuidè ludens. rectè nimirum notauit eum ſpiritus ſanctus, vt agitator ipſe, & quique ſimiles illi agitatores nominarentur. Similes illi in die præparationis huiuſce, de qua ſecundum hunc prophetam loquimur, dum præparatur, vt Niniue, id eſt, mundus iudicetur, ſimiles inquam, agitatores fuére Nero, Diocletianus, Maximianus, & cęteri quicunq; contra Euangelium prępparationis huius, ſemetipſos agitauerũt, pleni diabolico ſpiritu, & ecce cõſopiti ſunt. Quid eſt conſopiti? Mortui ſunt. Nónne & illi viri pulchri, viri exercitus aſcenſoris cęli, qui vicerunt draconẽ (vt ſupra dictũ eſt) propter ſanguinẽ agni, & propter verbum teſtimonij ſui, & idcirco ſunt in coccineis? nónne inquã, & illi ſunt mortui? Sunt quidem mortui, ſed non conſopiti. Nam & ſi mundo mortui ſunt, deo viuunt, & in caſtris regis ſui, regis viuentiũ nunc quoq; militant, non minus quã viuentes in carne mili tauerunt. Planè atq; indubitanter miro modò cũ (depoſita carne) ſint in alio ſeculo, prę ſentes nobis ſunt, & meritis regunt, virtutibus augent reſiduum exercitũ peregrinantem adhuc in hoc ſeculo. At illi agitatores, & deo mortui ſunt, & huic ſeculo iã non viuunt, viuentibusq; nec obeſſe nec prodeſſe poſſunt aut poterũt, & idcirco verũ eſt dicere, quia cõſopiti ſunt. i. profundo ſomno mortis ſepulti ſunt, vndè (donec cælũ atteratur) nõ euigilabũt, nullũq; deinceps fortib. illis, viris illis ſupradictis, currui vel habenis dñi facient obſtaculũ ſiue impedimentũ. Cõſopiti, inquam, ſunt inter agendũ, ſiue dum agitur id, quod ſequitur. In itineribus cõturbati ſunt, quadrigæ colliſæ ſunt in plateis, aſpectus earũ quaſi lampades, & quaſi fulgura diſcurrentia. Fuerit, vt iã dictũ eſt, exercitus ille Chaldaicus, cõtra Niniuen tã velox, tam properãs, tãq; põpoſus, quadrigis cõcurrentibus

Agitatores non ſunt eius.
Eſaiæ 10.
Apoc. 12.
Clypeus ignitus ſermo Dei.
Pſal. 118.
Prouer. 30.
Ezech. 28.
Apoc. 12.
Habenæ currus prælati ſunt.
Pſal. 67.
Ioan. 16.
Qui mortui dicũtur conſopiti.
Nota contrarietatem de ſanctis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentibus tam multis, vt præ multitudine viam inuenire non possent, atque inter se colliderentur in plateis, & aspectus Babyloniorum ita fulgurei, aut nescio quo lumine luminosi, vt ante visu aduersarios terrerent, quàm mucrone prosternerent, nobis tamè ex abundanti est, vt huic sensui literali immoremur, potius spiritũ sequamur, & post ipsum curramus. In hac die præparationis iudicij, quo iudicandus mundus est, cuius illa Niniue, & pars fuit, & typum gessit, in hac inquam die præparationis conturbati sunt viri Niniuitæ, diuersa conturbatione in itineribus & in plateis, quadrigis collisis. Quibus in itineribus, vel quibus in plateis? Nimirum in illis, in quibus Euangelica voce sapientia clamauit, sicut habemus in parabolis. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua. Item. Nunquid sapientia nõ clamitat, & prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus super viam in mediis semitis stans iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur, dicens. ¡O viri ad vos clamito, &cæ. Ergo non in occulto, sed in itineribus, non in angulis, sed plateis conturbati sunt, audita sapientiæ voce, audito Euangelio, in quo reuelatur, ait Apostolus, ira Dei de cælo, super omnem impietatem, & iniustitiam eorũ qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Cõturbati & commoti sunt, tremor apprehendit eos, audientes aliam & meliorem esse ciuitatem, quam suam Niniuen, aliud seculũ esse, quam seculum præsens, & hoc iudicandum esse per ignem. Ibi dolores vt parturientis, ibi inquam, id est, in illa conturbatione, in illo tremore, dolor nõ sine fructu, sicut nõ sine fructu dolor est parturientis. Multi enim audientes, quid præparetur Niniue, id est, mundo huic, ita conturbati sunt, vt contristarentur ad pœnitentiam, & ita tremuerunt, vt citò quærerent, quomodo possent fugere à ventura ira, & euadere illud iudicium. Alij autem qui increduli fuerunt, ita conturbati sunt, & ita commoti sunt, vt irati seipsos dirigerent & exagitarent, cõtra hoc magnæ præparationis euangelium, vndè & paulò ante agitatores nominati sunt. Quæ porrò vel cuius quadrigæ collisæ sunt in plateis? Vtique quadrigæ Aminadab, qd interpretatur spontaneus populi mei. Iste Aminadab Christus est, & huius quadrigæ collisæ sunt in plateis, occurrentes occurrẽtibus sibi quadrigis, superbi huius seculi, de qualibus in Zacharia dicit. Ipse pauper, & ascendens super asinam, & pullum filium asinæ, & dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli. Quadrigæ Aminadab, quatuor sunt Euangelia, de quibus nobis contra Niniuen, quatuor magna prædicantur sacramenta, incarnatio ipsius Aminadab, cuius facies, facies est hominis. passio eiusdẽ, quæ facies est vituli. resurrectio ipsius, quæ facies est leonis, ascensio eiusdem, quæ facies est aquilæ volantis. Magna ibi conturbatio, quia magna quadrigarum collisio. Qui bene conturbati sunt, qui ad pœnitentiam contristati sunt, per collisionem quadrigarum consitentur, & satisfaciunt, quòd in illa collisione fuerunt, non per malitiam, sed per ignorantiam. Dicit enim. quilibet illorum, puta Saulus, siue quispiam alius, prius aduersarius, postea correctus & fidelis quadrigarũ socius. Nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Nesciui, & ignorãs feci, ignorãs in incredulitate obstiti, cum repẽte vidissem quadrigas Aminadab, nunc autem considerata dignitate quadrigarum eius, conturbauit me anima mea, sanè contritiones eius ô Aminadab. Quàm pulchræ quadrigæ, quàm splendidæ aurigæ. Aspectus (inquit) eorum quasi lampades, & quasi fulgura discurrentia. Et apud Ezechielem similiter habes, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium splendor ignis, & deigne fulgur egrediens. Vbi quadrigæ collisæ sunt, ibi facies siue aspectus eorum, scilicet Euangeliorum siue Euangelizantium quasi lampades, & quasi fulgura discurrentia. Lampades illuminant, fulgura terrent. Sic isti habentes virtutes, siue virtutum operationem habentes, sicut in psalmo scriptũ est. Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtutes multas, dum prædicant vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, mentes hominum & de cognitione veritatis illuminant, & de miraculis ad audiendum atque credendum magis excitant, & rectè fulgura dixit discurrentia, quia non in vna tantùm mundi parte, sed per mundum vniuersum visa & audita sunt prædicationis Euangelicæ miracula. Sequitur.

[Recordabitur fortium suorum.] Quis recordabitur fortium suorum? Recordabitur Niniue, recordabitur mundus, & verbi gratia, Roma, quæ tunc erat mundi caput, quando primùm quadrigarum huiusce modi collisio, siue collisionis fragor in plateis est auditus. Fortes eius multi fuerant, vt puta Torquati, Coruini, Cornelij, Scipiones siue Africani, Cæsares, siue Augusti. Eiusmodi fortium recordabitur (inquit) & sic factum est. Nam in derogationem Christianæ pacis, in contemptum Euangelicæ gratiæ, quoties commemorati sunt fortium suorum multiplices triumphi, de toto mundo, de Europa, Aphrica, atque Asia concelebrati, propitijs (vt aiebant) dijs suis, quorum opitulatione, quoniam florebat religio cultusque in templis, prouecta & dilatata est magnitudo Romani imperij. Nunc autẽ aiebant

Euãgelica prædicatio in plateis.
Prouer. 1.
Ibid. 8.
Rom. 1.
Psal. 47.
Quadrigæ collisæ.
Zach. 9.
Quadrigæ Aminadab
Canti. 6.
1. Tim. 1.
Ezech. 1.
Psal. 67.
Matt. 9.
Roma fortiũ suorum recordat.

aiebant, & in plateis quæruli declamabant, pluuia desit, causa Christiani. Irati sunt dij, propterea insurgunt Britones, siue Dani. repugnant, imò impugnant Germani, iussa cõtemnunt Alani. Eiusmodi recordatione mũdus recordabitur (ait) fortium suorum, qd videlicet fortes fuerunt, non habentes Deũ Christum, aut nomen Christianum. & si fuissent hodie fortes illi, non auderet quisquã inferre nomen istud auribus eorum, Sed audi quod sequitur. [Et ruent in itineribus suis.] Vane recordabitur eo modo fortium suorum mundus, nam quicunque sic recordati fuerint, ruent in itineribus suis, ruent vt mendaces, & veritate oppressi. Nam econtra fortium suorum recordabitur, & ipse ascensor cæli, & efficaciter eorum recordabitur, vt eorum recordatio multũ prosit. Post quam fortes sui præsenti vita excesserint, postquam occisi, & in sepulchro conuecti fuerint. Apostoli siue martyres, vtique fortes sui, ita recordabitur eorum, vt faciat eos viuentibus cooperari, & sermonem eorum cõfirmare sequentib. signis. Eiusmodi recordatio, vt lectorem amplius delectet, fiet secundum mysticum exemplũ illius Samson fortissimi. Cum Philisthijm vociferantes occurrissent ei, irruente in se spiritu Domini, inuentam maxillam, id est, mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, & cum sitiret valdè, aperuit dominus molarem dentem in maxilla asini, quam de manu proiecerat, & egresse sunt ex eo aquæ, quibus hausti refocillauit spiritũ, & vires recepit. Secundum hanc similitudinem recordatus est iste fortiũ suorum, qui & secundum carnem infirmi & ignobiles, at secundum spiritum fortes & nobiles fuerunt, & ita fortes in manu Christi fortissimi, vt cum paucis illis ita comminueret fortitudinem seculi, sicut ille Samson deleuit milleviros in mandibula asini. Vbi illos proiecit, aut proiecisse visus est. quia permisit occidi quasi curam illorum negligeret, tũc valdè sitiuit ipse, id est ecclesia, quæ est corpus eius, & timuit incidere in manus inimicorum, id est, infidelium, contra quos illi dũ viuerent, verbo & opere magnum erant firmamentum. Sic aperuit dominus sepulchra eorum, vt crebra prodirent fluenta miraculorum, vnde ecclesia spiritũ refocillauit, & vires recepit, vt cõstanter dicere possit. Christum deum suum, Deum non esse mortuorum, sed viuorum. & quia fortes sui omnes illi viuunt tunc & melius, quando mundo mortui sunt. Ruent igitur (ait) in itineribus suis illi fortium suorum recordati, quia recordabitur & iste fortium suorum, recordatione bona & efficaci, vt probet quod illorũ vana fuerit, & istorum vera fortitudo, cum quibus Niniuen, id est mundum, ipse iudicabit secundum veritatem præeuntis huius sæpedictæ præparationis. Ita fiet quod sequitur. [Velociter ascendent muros eius, & præparabitur vmbraculum. Portæ fluuiorum apertæ & templum ad solum dirutum est, & miles captiuus abductus est, & ancillæ minabantur, gementes vt columbæ, & murmurantes in cordibus suis.] Literalis sensus de subuersione illius Niniue manifestus est, qd Niniue à velociter muros eius Chaldæi ascenderint, & propter obsidionem longissimam ad depellendos æstus vmbracula sibi præparauerint, & quod apertis portis Niniue, quæ instar fluminum habebat ciuium multitudinem, ingressus hostis, vt forum aut ædes forenses, ita diuerit & templum, & quòd miles captiuus abductus sit in Babylonem, & quòd ancillæ, id est, per metaphoram minores vrbes, vel certè captiuæ mulieres minatæ sunt ante ora victorum, tantusq; terror fuerit, vt ne in singultus quidem & vlulatum erumperet dolor, sed intra se tacitè gemeret, & obscuro murmure deuorarent lachrymas in morem muscitantium columbarũ. Sed in bello hominum, vt erant Babylonij contra Assyrios, postquam velociter ascenderunt muros, Ad quid illis præparari vmbraculum? Nam qui obsiderent, tamdiu necessarium habent ad depellendos æstus vmbraculum sibi comparari, donec muros siue ascendendo, siue irruẽdo inuadere possint. Ergo viri siue exercitus ascensores cæli, viri qui (vt supra dictum est) eunt in coccineis, ipsi sunt, qui velociter muros Niniue ascenderunt, & post eos nobis præparatum est vmbraculum. Manifestius dicendum, Martyres sancti, Apostoli sancti. Martyres (inquam) sancti, sanctorum Apostolorum filij, ipsi sunt, qui velociter ascenderunt muros Niniue, quando nondum erant apertæ fluuiorum portæ, quod factum est postmodum, sicut protinus sequitur. Portæ fluuiorum apertæ sunt. Clausæ erant portæ fluuiorum, portæ populorum, portæ quas posuerant, quas clauserant hujus mundi principes, Reges, & Tyranni, Cæsares atque Imperatores, vt fluuijs, id est, populis ad vias Euangelij quadrigas, quæ collidebantur in plateis, exire non liceret. Edicta pendebant, leges & proscriptiones in tabulis publicis propositæ erant, vt si quis ad Euangelicam fidem exiret, nomenque Christianum susciperet, capitalem aut aliam quamlibet subiret mortis sententiam. Hæc erat clausura fluuiorum, id est, populorum, hæ portæ non apertæ, & hi ferri vectes portarum. Non expectauerunt viri exercitus Domini, viri nominati & inclyti, vt portæ fluuiorum sese aperirent, vt principes populorum confitendi vel annuncian di Christum licentiam darent. Velociter muros Niniue ascenderunt, constanter principum seculi leges supergressi sunt, & Christi nomen vltrò intulerunt, non ignorantes negotium istud corporibus suis fore periculosum,

Matt. 22.
Iudic. 15.
Quomodo Christus fortiũ suorum recordatus.
Senſus mysticus huius historiæ.
Niniue à Chaldæis capta.
Martyrum victoria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

culosum,imò præoptantes cum dispendio corporum facere lucrum animarum. Ascendentes comprehensi sunt,tenti sunt, ante reges & iudices adducti steterunt, accusati nõ negauerũt, interrogati Christũ cõfessi sunt, diuersis pœnis afflicti,diuersis mortibus addicti,nonnulli etiam assati gratias egerunt. 1. Cor.10. Magnus ibi solis æstus, sed & præparabitur inquit vmbraculum .compositis namq; (vt suprà iam dictum est) agitatoribus illis, interdum refrigescebat æstus persecutionis. Exempli gratia,vt contigit Diocletiano, de regno electo,& Maximiano mortuo. Annuncio vobis(ait moriens martyr insignis) pacem ecclesiæ Christi redditam,Diocletiano de regno electo, & Maximiano hodie mortuo.Hoc erat præparari vmbraculum, quod non dimittebat eos tentari supra id,q̃ poterant,vel ciutius quàm poterant,sed taciebat etiam cum tentatione prouentum,vt possent sustinere. Quid multa? Imperante spiritu sancto,ac dicẽte.Tollite portas principes vestras,& eleuamini portæ æternales, Psal. 23. & introibit rex gloriæ.tandem portę fluuiorum apertæ suut, & templum ad solum dirutum est.Portæ inquam,fluuiorum apertę sunt,id est,leges principũ deletę sunt, mortuis principibus,qui illas cõtra nomen Christianum scripserunt. & eleuatæ sunt portæ æternales,portæ bonæ,iustæ leges, per quas rex gloriæ Christus introiret, piorum principum leges, Christianorum imperatorum sanctiones.Itaque templum ad solum dirutũ est,idololatriæ cultus destructus est.Portis enim apertis,eruperunt fluuij. malis legibus remotis,melioribusque datis, quæ non prohiberent,imò prædicarent Christum coli,certatimq; ad fidem cõfluxerunt populi, & ita desertus est adulter Iuppiter cum Iunone & Venere,& omni sua turpi progenie, & templa destructa aut in Christi ecclesias Rom.6. conuersa sunt. Tunc miles captiuus abductus est,abductione bona,captiuitate beata, vt qui liber iustitiæ fuerat, & huic Niniue, id est,huic mundo,imò & diabolo militauerat,seruus iustitię fieret,& Deo creatori suo militaret.Et ancillæ eius minabantur,id est, humiles siue ignobiles seculi, ante currum supra dictum boni captiuatoris Christi ducebantur.De qualibus Apostolus.Quæ (inquit)stulta sunt mundi elegit Deus, & quæ 1.Cor.1 non sunt,vt ea quæ sunt,destrueret.Nõ hoc dicitur,quòd ita elegerit ignobiles, vt nollet eligere nobiles. nam & miles captiuus abductus est,& ancillæ eius minabantur, id est,nobiles pariter atque ignobiles ablq; acceptione personarum victoris Christi seruitio subijciebantur sed hoc dicit Apostolus,quòd in initio Euangelij non prius nobilia,sed ignobilia Deus elegit.Cur hoc? Vt non glorietur omnis caro in cõspectu eius, quod vtique futurum erat, si nobiles prius vocati, & per eos ignobiles ad Christi fidem suissent adducti.

Quod protinus subiungit, gementes vt columbæ,murmurantes in cordibus suis,tã de milite,quàm de ancillis,id est,tam de nobilibus, quàm de ignobilibus debet intelligi.Quid autem gementes, vnde murmurantes? Non vtique quòd captiui abducti sunt, vel quod minentur ante currum triumphatoris huiusmodi,sed inde gementes, quòd ab isto Domino sibi incognito liberi,& Niniue, hoc est, mundi huius serui, fuerunt, & super hoc murmurantes in cordibus suis, id est,semetipsos reprehendentes in conscientijs suis. Murmurare namque interdum in bono accipitur, vt illic. Ipsi dispergentur ad manducandum,si verò non fuerint saturati,& murmurabunt.Quod est dicere, Ipsi qui conuersi erunt,dispergentur ad manducandum,id est, alios prædicatione sua sibi incorporandum. & si non fuerint saturati, hoc est,si prædicatio eorum non fructificauerit,conquerentur,& dolebunt. Itaque & hic cum dicit gementes vt columbæ, murmurantes in cordibus suis,sic rectè intelligitur,ac si diceret, conquerentes ac dolentes de peccatis præteritis,& semetipsos, vt dictum est,reprehendentes in cõscientijs suis. Nam licet gratia victoris, & triumphatoris ducentis eos,non ignorent se esse saluatos, non tamen obliuiscuntur,quales fuerint, & super hoc dolere & conqueri non desinunt in cordibus suis.Exempli gratia,vt ille, qui dixit,imò dodecaque confitetur & dicit.Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum 1 Cor.15. dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Item, Qui prius fui 1.Tim.1. blasphemus,& persecutor, & contumeliosus,sed misericordiam cõsecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Pro huiusmodi rectè dicuntur gementes, non vtcunque, sed gementes vt columbæ.Columba namq; gemitum pro cantu habet,& istis ita gemire valdè dulce est,ita vt quando canunt quippiam in laudem captiuatoris sui. Verbi gratia, vt illud. Ascendisti in altum;cepisti captiuitatem,siue iuxta aliam translationem, ascendens in altum,captiuam duxit captiuitatem.quando(inquam)tale quid canunt,tũc demum se legitimè ceciniſſe sciant, quando voces canentium singultus animæ violenti, nimisque vltronei, crebro intercipiunt, & de oculis lachrymas eliciunt. Ibi sunt gemitus similes gemitibus columbæ, quæ nescit nisi gemendo canere,vel canendo gemere, tamque dulce est hoc & suaue, vt Psalmista testatur.Fuerunt(inquiens)mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Vbi talis vel taliter captiuitas abducta est,qualis remanet Niniue? Ait, [Et Niniue quasi piscina aquarum'' aquę eius,ipsi verò fugerunt. State, state, &'' non est,qui reuertatur. Diripite aurum, di-'' ripite argentum,& non est finis diuitiarum'' præ omnibus vasis desiderabilibus.]Hęc &'' cætera

Gementes vt columbæ.

Murmur, bonum.

Psal.58.

Psal.67.

Psal.41.

IN NAVM PROPHET. CAPVT II. 303

cætera quæ sequuntur,quæ contra Niniuen dicuntur,talia sunt,vt rectè dictum intelligas in titulo prophetiæ, onus Niniue. Onus quippe est Niniue,id est, condemnatio multitudinis vniuersæ,multitudinis innumerę, cuius quantitatis comparatione pauci sunt, qui supradicto modo de Niniue exierunt vel exeunt,qui mundum damnatum,& extremo iudicio damnãdum reliquerunt aut relinquunt.Qualis est,qualis remanet,qualis inuenienda & iudicanda est ista Niniue? Quasi piscina aquarum, inquit. Aquarum nomine quanquam populi solent intelligi, tamen quoniam sequitur,& non est finis diuitiarum, commodius intelligitur affluentia rerum.Culpatur Niniue,culpatur mundus,& Niniue cupiditatis arguitur,dum dicitur,quasi piscina aquarum, id est, insatiabile receptaculum diuitiarũ, propter quas contemptit Deum. Aquę(inquit)eius.Quid aquæ eius? Eclipsim,id est,defectionem dictionis fecisse videtur. Eclipsim namque dicunt grammatici defectum dictiõis, in quo necessaria verba desunt, vt cui pharetra de auro. Deest enim erat.Hęc in diuinis sermo Psalm.74. nibus non inusitata est,vt in Psalmo: Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neq; Ioan.6. à desertis mõtibus. Deest enim,patet locus effugij.Et in Euangelio.Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius. Ita & hic,cũ dicit, aquæ eius, necessaria verba desunt,quæ eiusmodi esse debeant,colligitur ex eo quod sequitur: Ipsi verò fugePsalm.48. runt,per hoc namque datur intelligi, quòd dicere velit,quia aquæ Niniue,id est,diuitię impiorum,& gloria siue voluptates eorum, omne quod in mundo est, concupiscentia carnis,& concupiscentia oculorum, cuncta quæ sub sole sunt,hic remanent, & non eos Luc.12. moriẽtes sequuntur,iuxta illud. Quoniam cum interierit diues homo, non sumet omnia,neq; descendet cum eo gloria eius. Hic, inquam,remanet,ipsi verò fugerunt. Quid est,fugerunt? Cito mortui sunt. Stultè(inIob 13. quit Deus) hac nocte repetent animam tuã abs te,quæ autem prepararti cuius erunt?Eleganter breuitatem vitæ hominis, sanctus scripturæ spiritus fugam nominare consueuit,vt illic. Qui videlicet homo quasi flos Ibid.9. egreditur,& conteritur, & fugit velut vmbra.Item.Dies mei velociores fuerunt cursore,fugerunt & nõ viderunt bonum. Multum ergo aquæ Niniue infideles sunt, quæ non sequuntur amatorem suum. Econtra Aquæ bonæ & fideles. de aquis bonis,quæ non piscinarum siue cisternarum,sed fontium viuentes aquę sunt. Nimirum constat, quia fideles sunt. Siquidem possessorem siue amatorem suum non relinquunt morientem, sed cum eo vadũt, & sequuntur eum ad excelsa,& ibi trãseunEsaiæ 33. tem. Iste (inquit alius propheta) in excelsa habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius , panis ei datus est, aquæ eius fideles

Aquæ Niniue diuitiæ dicuntur.

Hostilis irrisio.

Mala quæ auaritiã sequuntur.

Olla succensa.

Hier.1.

sunt.Miro autem modo, quia dixerat, ipsi verò fugerunt, id est, velociter nudi, & nihil secum portantes, de hac vita trãsierunt. miro(inquam,modo & dum hostili irrisione inclamat eis dicẽs. State state, diripite aurum,diripite argẽtum. Quanta enim & quã hostilis irrisio est taliter fugientibus, quos turbo mortis nimis inuitos abripit,inclamare? state state.& quanto acerbius est dicere, diripite aurum & diripite argentum, quàm dicere, diripuistis aurum,diripuistis argentum.Licet hoc etiam satis acerbum sit dicere in tali fuga eorum.State state, inquit, statimq; subiungit. Et non est qui reuertatur. Diripite(ait)aurum, diripite argentum,statimq; annectit. Et non est finis diuitiarum præ omnibus vasis desiderabilibus, quibus verbis insatiabilis eorum fuisse auaritia declamatur.Multum vehemens & omne rhetorum secularium grandiloquiũ excedens, est ista redargutio, qua sub nomine Niniue spiritus sanctꝰ sanctorum paracletus in isto sui nominis propheta redarguit mundum de peccato,adhuc addens. [Dissipata & scis'' sa & dilacerata,& cor tabescens, & dissolu-'' tio genuum,& defectio in cunctis renibus,'' & facies omnium sicut nigredo ollæ.] Pa-'' rum erat arguere de solo auaritiæ peccato, nisi & de vniuersitate malorum arguerer, quorum vtique auaritia radix est. Septem nanq; dictionibus grandisonis, quo videlicet numero vniuersitas designari solet,mala omnia quæ auaritiam consequuntur,& quorum ipsa radix est, vehementer declamat. Primo dicit eam dissipatam, secundo scissam,tertio dilaceratam,quarto cor tabescens,quinto dissolutionem genuum, sexto defectionem in cunctis renibus, septimo facies omnium esse sicut nigredinem ollæ. Dissipata enim est in constanti actione,scissa tam sectarum quàm odiorum contrarietate, dilacerata rapinarum & cædium mutuarum assiduitate,& cor tabescens mœrore inuidiæ, dissoluta habens genua dissolutione diffidentiæ, defectionem in renibus cunctis, ita vt nulla sit virtus continentiæ. Quantum enim in superbia tumuit, tãtum in libidinem fluxit. Quod vltimum posuit, & facies omnium sicut nigredo ollæ, idem est ac si diceret,omnes diabolo similes existere.Nam ad Hieremiam loquitur dominus.Quid tu vides? Et dixi, inquit, Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie aquilonis.Et dixit dominꝰ ad me. Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. Olla succensa ab ipso incendio iugem retinet nigredinem, longè nimiumque dissimilis auro vel argento,quod ex incendio maiorem & magis lucidam reportat puritatem.Ita diabolus & tota ciuitas eius,totus hic mũdus in maligno positus, de ipsis malis suis peior efficitur,multum dissimilis ciuitati Dei, quę tunc pulchrior appa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, quando excoquitur igne tribulationis instar auri vel argenti, quod (vt iam dictum est) probatum per ignem amplius enitescit. Quis dinumerare possit calamitates mundi miseri, quas isti, paucis, id est, septem dictionibus declamauit? Sunt historiæ, libri legũtur diuini & seculares, mala hæc recensentes, malorumq; causas quatuor animi passiones, dolorem siue tristitiam, timorem, gaudium, spem. Ex istis quatuor passionibus, vt ipsi quoq; seculares sentiunt, mala huius mundi oriũtur, quas videlicet passiones cõgruis hic descriptionib. insinuari dum premissis malis dicendo, dissipata & scissa & dilacerata, subiungit quatuor hæc, & cor tabescens, & dissolutio genuum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium sicut nigredo ollæ. Nã cor tabescens quid aliud est, quàm tristitia siue dolor aut inuidia? Porrò dissolutio genuum, timor huius seculi est, & qui timorem illum habet, sine dubio ad omne opus virtutis genibus dissolutus est. Gaudium secuti maximè in renibus est, & proinde defectionẽ in cunctis renibus, voluptates inexplebiles intelligimus. Spes mũdi non mundo, sed in dæmonib. fuit, & dæmonum thecis. i. simulachris, de quib. quia scriptum est. Similes illis fiant qui faciũt ea, & omnis qui confidet in eis, rectè & hic dictum intelligimus, & facies omnium sicut nigredo ollæ, id est, similes illi sunt in quo sperant, in quo confidunt diabolo denigrato, & tenebrarum principi. Quis illas legẽs historias, imò tragœdias truces & sanguineas, non exhorrescat, atq; admiretur, quomodo mũdus subsistat? Adhuc malũ quoddam est huius mundi, quod nondum dixit, malum peius omnibus malis, malum quod reum hunc mundum conuicit, & excusationem tollit de omnib. malis. Quod est illud malum (Nimirum quia venientem ad se saluatorem filium Dei non recipit. Malũ istud enunciaturus spiritus sanctus, miro modo vocem suam mutat, quia malum istud cæteris malis dissimile est, & idcirco voce mutata, tãquam iudiciali actione, cum iudiciaria maiestate exclamando percunctatur, percunctando exclamat. [Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum. Ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc catulus leonis, & nõ est qui exterreat. Leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit leænis suis, & impleuit præda speluncas suas, & cubile suum rapina.] Iuxta literam de Niniue dicitur, quòd habitaculum regum fuerit aula nobilium, ad quam perrexit leo rex Babylonis. i. Nabuchodonosor, & catulus leonis subreguli quiq; eius, & non fuit qui eis resisteret. Secundum anagogen de leone, qui ad istum mundũ venit, quod sentimus scrupulosè dicimus, quia videlicet cum leonem hunc diabolũ nostri maiores intellexerunt, nos illum leonem, nos illum catulum leonis intelligi præoptamus, de quo patriarcha Iacob. Catulus (inquit) leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. Requiescẽs accubuisti leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Nam iste solus reuera ille leo est, quem non est qui exterreat, & iste impleuit præda speluncas suas, & cubile suum rapina, quia ad prædam, inquit, fili mi ascendisti. & ipse de semetipso. Ego, inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Igitur quoniam hactenus sub nomine Niniue arguatur mundus de peccato, dicendo: & Niniue quasi piscina aquarum, &c. pulchrum nobis est intelligere, quòd nox arguatur de iustitia dicendo: ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc, vbi subaudiendũ est, & à Niniue, id est, ab hoc mundo nõ est susceptus. Nam in hoc est iustitia DEI, quod iuxta veritatem suæ promissionis, quæ ad patres facta est, Christus in hunc mundum venit, quo facto verax Deus iustificatus est in sermonibus suis, & de hac iustitia mundus arguitur, quòd eam non susceperit. Nam per ordinem dicta sequamur. Vbi est, inquit, habitaculum leonum, & pascua catulorũ leonum. Cum multa sint vel fuerint habitacula Niniue, id est, multæ ciuitates huius mundi, quę & leonum, & catulorum leonum, & vrsorum, & pardorum, omniumq; ferarum seu bestiarum habitacula siue pascua meruerint dici, vnum tamen nominatim libenter hic inquiri intelligimus habitaculũ leonum, & vnam pascuã catulorum leonum, ita vt & ipsum habitaculum certum sit nominatum, & ipsi leones siue catuli leonum quid egerint, & qui, vel quando fuerint, nó sit incognitum. Arbitramur nanque, quòd ipsa fuerit Hierusalem eandem ob causam rectè dicta vel dicenda Niniue, ob quam dicitur Sodoma & Aegyptus, sicut in Apocalypsi habemus. Et corpora, inquit, eorum ponent in platea ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & dominus eorum crucifixus est. Eandem, inquã, ob causam vocatur Niniue, & enim ipsa erat mundus, qui crucifixo domino est gauisus, quẽadmodum dixit discipulis suis. quia plorabitis & flebitis vos, mundus autẽ gaudebit. Quando iuit ad eam leo siue catulus leonis, vt ingrederetur illuc? Nimirum quando descendit de cælis, & de gente illa incarnatum est verbum Dei, vtiq; leo & catulus leonis, id est, deus fortissimus, & filius Dei fortissimi, vt ingrederetur illuc, quod videlicet ipsa noluit, vndè & ille dicit ei. Quoties volui congregare filios tuos, quẽadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Leonis eiusdem siue catuli leonis quòd verè sit vel fuerit fortitudo magna, breuiter prædicatur, cũ dicitur, & non est qui exterreat. Solus enim iste dicere potuit. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Quomodo iste

Quatuor animi passiones, omnium malorũ causa.

Psalm. 113.

Mundi peccatũ inexcusabile.

Leo Christus.

Gen. 49.

Ioan. 12.

Quomodo Hierusalẽ dicitur Niniue.

Apoc. 11.

Ioan. 16.

Matth. 23.

Ioan. 12.

do iste leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit leænis suis? Quomodo impleuit præda spelũcas suas, & cubile suum rapina? Ad prædam, inquit, fili mi ascendisti, id est, exaltatus es in cruce, infernum cõfregisti, & expoliasti, atque atrium illius fortis armati, tu fortior inuadens vniuersa arma eius, in quibus cõfidebat, diripuisti, & spolia distribuisti. Cepit igitur leo sufficienter catulis suis, id est, idem Christus apostolis vel prædicatoribus suis, quibus moriendo, & spiritum sanctum tribuendo, virtutem dedit, & viã fecit, quatenus per mundum vniuersum ministerium exploraret eiusdem direptionis suę siue expoliationis. Cepit, inquam, sufficienter, quia nullus eorum defuit aut deerit, qui secundum propositum vocati sunt sancti, nullus omninò deest, quin eosdẽ, quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri sibi, vocet, iustificet, atque magnificet. Quomodo autem & necauit leænis suis, vel quibus leænis suis? Nimirum vna leæna, & multæ eius leænæ, vna est eius ecclesia, & multæ quæ per orbem particulares sunt ecclesiæ, quibus quicunq; incorporantur, eo modo necantur, quem significans spiritus Petro dicebat: Surge Petre, occide, & mãduca. Hæc est præda qua speluncas suas impleuit, & hęc rapina quę cubile suum impleuit. speluncas, inquam, suas, id est, mansiones quæ in domo patris eius multæ sunt, & cubile suum, id est, paradisum deliciarũ. Illic prædam suam deposuit, illic rapinam suam collocauit, prædam vtique iustam, & rapinam cum iudicio raptam, quia non aliena prędatus est aut diripuit, sed sua iniustè ademptа, rectè sibi restituit. Quis satis vt dignum est, vt sese res habet, acrimoniam percunctationis huiusce persentit, cum propter causam huiusmodi proclamamus. Vbi est (inquit) habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum eius. Qua intẽtione hic dictum putamus, vbi est? Duobus autem modis dicitur, vbi est. Aliàs quidem, dum quis requiritur vt arguatur, velut cum Adam requirens dominus ait, vbi es. Aliàs autem, cum idcirco requiritur, vt iam non esse ostendatur, quemadmodum in Iob dicitur. Si ascenderit vsq; in cælum superbia eius, videlicet impij, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant dicent. Vbi est? Velut somnium auolans non inuenietur. Vtrolibet horum modo hic dicatur, nunc vbi est habitaculũ leonum? Multum ad causam, quam præmisimus, attinet. Veruntamen quoniam iam diximus Naum interpretari consolatorem, & paracletum spiritum sanctum in hoc stare, vt arguat mundum de peccato & de iustitia & de iudicio, & delectat magis hoc sentire, quod dicẽdo: vbi est, idcirco requiratur illud habitaculum leonum, & illa pascua catulorum leonum, pro eo quòd leonem iam dictum venientem, vt ingrederetur illuc, leonem de tribu Iuda Christum, cum viderent eum quasi agnũ malè susceperunt, tanquam leones & catuli leonum. Susceperunt me (ait) sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis. Leones illi põtifices, & catuli leonum pharisæi fuerunt. Habitaculum leonum ciuitas Hierusalem, pascua leonum templum opulẽtum. Ibi nanque prædam de populo faciebant, & ob eandem causam ita pascua catulorũ leonum, sicut rectè dicta est, & erat illa domus spelunca latronum. & reuera vbi arguitur mundus, rectè ipsa redargutio ab illo tali leonum habitaculo incipitur, quia veniens ad hunc mundum leo de quo iam diximus, leo de tribu Iuda Christus, suam illi habitaculo præsentiam corporalem exhibuit, vt primùm ingrederetur illuc, & deinde in omnes gentes pœnitẽtia & remissio peccatorum prędicaretur in nomine eius. Fatui leones, & stulti catuli leonum, qui propositum illius auertere putauerunt, occidendo illũ. nam ille moriendo cepit sufficienter catulis suis, vndè iam dictum est & de ipso quoque habitaculo leonum tam sufficienter cepit, vt nullus deesset de omnibus quos habere voluit. Etenim crediderunt, inquit Lucas, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Igitur primò (vt iam dictum est) arguendum erat illud habitaculum leonũ, & ita, vt perditionis mundi siue iudicij, quo mundus iudicandus est per ignem, fieret exemplum. Hoc est quod confestim requisito, & quasi astante reo illo leonum habitaculo, talem edidit sententiam. [Ecce ego ad te dicit dominus exercituum, & succendam vsque ad fumum quadrigas tuas, & catulos tuos comedet gladius. Exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltra vox nunciorum tuorum.] Sentẽtia hæc iam dudum super illud habitaculum venit, & euẽtum eius totus orbis audiuit. Ecce, inquit, ad te dicit dominus exercituum. Quis ille dominus exercituum hæc dicit, nisi ille leo, qui (vt iam dictum est) iuit ad eam, cui hæc dicit? Nam ipse est dominus exercituum, & competenter nunc seipsum nominauit dominum exercituum, dum dicit. ecce ego ad te, subauditur, venio cum exercitu Romanorum. Mei nanque non solum exercitus angelorum, verumetiam exercitus hominum, exercitus cunctarum gentium mihiq; militant, etiam dum nesciunt, meamque voluntatem faciunt, dum gens in gentem, & regnum consurgit aduersus regnum, miroque modo iustis iudicijs meis, non iusta, sed valdè iniusta intentione sua, seruiunt. Ecce ego, inquam ad te, non iam vt agnus, sicut prius in multitudine misericordiæ, sed tanquam leo cum exercitibus suis, cum exercitibus Romanis, in ira & iusto furore. Talis ecce ego veniam ad te, & succendam vsque ad fumum

Lucæ 11.

Rom. 8.

Act. 10.

Quæstio vbi est, dupliciter fit.

Gen. 3.

Iob 20.

Act. 13.

Psalm. 16.

Dominus exercituũ Christus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad fumum quadrigas tuas, & catulos tuos comedet gladius. Hoc ego faciam per manū exercituum meorum, per manus Romanorum. Quadrigas tuas, id est, superbiam tuā, ciuitates tuas, & omnia superbiæ tuæ instrumenta, ipsumq; templum, elationis tuæ currum præcipuum, succendam vsque ad fumum, id est, non ita vt extinguatur, & remaneat semiustum, vt fieri solet, quando concurrentibus auxilijs, antequā cuncta deuoret, extinguitur incendiū, sed ita vt omnib. consumptis, & materia deficiēte morientis ignis, reliquiæ conuertantur in fauillam & fumum, videlicet secundum Sodomorum exemplum, de quib. ita scriptum est. Abraham autem consurgens mane, vbi steterat prius cum domino, intuitus est Sodomam & Gomorram, & vniuersam terram regionis illius, viditque ascendentem fauillam de terra, quasi fornacis fumum. Sicut nullus fuit qui extingueret Sodomam, vel propter quem deberet Deus parcere illi regioni, egresso Loth cum suis, ita nullus erit, qui me succendente extinguat te, ad quam iui, & à qua recessi, & vsque ad fauillam & fumum a debis, & tūc catulos tuos, id est, filios qui in te sunt, comedet gladius, id est, cadent in ore gladij, & qui superfuerint, captiui ducētur in oēs gētes. Exterminabo de terra prædam tuā. Quā prędam tuā, nisi domum tuā, domū quondā meam, quę cum deberet vocari vel esse domus orationis, tu speluncā latronum fecisti. Illam talem prædam tuā ita exterminabo, vt non sit, vt non remaneat lapis super lapidem, qui non destruatur. Et non audietur (ait) vltra vox nunciorū tuorum. Nuncios, quos grecè dicimus angelos, sacerdotes intelligimus, iuxta illud in Malachia. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus dni exercituum est, eiusmodi nūciorū siue angelorū quondā vox audiebatur, qa videlicet sacerdotes hostias immolātes pro populo orabant, & exaudiebantur, sed vltra (inquit) vox eorum non exaudietur, & neque preces, neque sacrificia de manibus eorum suscipientur. Hinc est quod in Esaia loquitur. Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiā, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Proinde cum dicit, vox nunciorum tuorū, pariter intelligendum est, & non iam meorum. Olim quippe sacerdotes illi templi, sicut & prophetæ, dicebantur & erant nuncij domini. De sacerdotibus iam ante dictū est exemplum, labia sacerdotis, &c. Porrò de prophetis illud exemplum siue testimonium est. Et dixit Aggæus nuncius domini de nuncijs domini, &c. Olim (inquam) erat, vt dicerentur illius templi sacerdotes siue prophetæ, angeli siue nuncij domini, sed ex quo ciuitas vel gens illa Christum negauit ante faciem Pilati, iam non sunt nuncij domini, & idcirco vox nunciorum signanter tuorum dixit, & non iam meorum, debet subintelligi.

Gen. 19.

Nuncij sacerdotes, qui & angeli.

Malach. 2.

Esaia 1.

Aggai 1.

FINIS LIBRI SECVNDI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN NAVM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

IN Vangelio Christi, in quo reuelatur (ait Apostolus) ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiā hominum, eorum qui veritatē in iniustitia detinent, quorum in hoc propheta sub nomine Nineue intelligimus vniuersitatem, magnum & euidens est veritatis testimonium, id quod (sicut in antedictis ostēdimus) manifestum eiusdem iræ primi Iudæi subierunt iudicium. Verax Christus, & veridicus Christi Apostolus, in quo Christus iamdudum loquebatur. His (inquiens) qui ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, statimque subiungens, Iudæi primum & Greci. Sicut prędixerat, sicut præscripserat, Iudæi primum, ita factum est. quia cum Iudæus & græcus, siue Iudęus & gentilis malum operans, ipse sit mundus damnatus & damnandus, primus iam damnationis partem subijt Iudæus, ita vt dubium iam non sit, vel esse debeat, quin subditus sit & Græcus, quando pariter in fine seculi ambo iudicabuntur. Plurimum hoc valere arbitramur ad elucidationem prophetiæ huius, vt in cæteris quoque quæ deinceps sequuntur, sine dubio prædicantia irā & indignationem, tribulationem & angustiam, in omnem animam hominis operantis malum, semper illud memoriter teneamus, Iudæi primum & Greci,

Romano. 1.

Ibidem 2.

"Græci Sequitur. [Væ ciuitas sanguinum,
"vniuersa mendacij dilaceratione plena, nō
"recedet à te rapina.] O ciuitas sanguinum,
Ciuitas sā guinū, Hierusalem. ciuitas diaboli, contraria ciuitati Dei. Omnis anima hominis operātis malū, Iudæi primū & Græci. Væ tibi propter hoc ipsum, q̄ es ciuitas sanguinum, quia videlicet sanguinem effudisti, & in sanguinibus ædificata es. Tu primum ô omnis anima Iudæi malum operantis, ciuitas sanguinum es, plus quàm *Matth. 23.* omnis anima Græci, ex quo Christum occidendo, patrum tuorū, qui prophetas & iustos occiderunt, mensuram impleuisti, vt veniret super te omnis sanguis iustus, qui effusus est à sanguine Abel iusti. Væ tibi, quia tu es ciuitas sanguinum (vt iam dictum est) non tantum eo modo, quo anima Græci siue gentilis, sed abundantius, quia Græcus siue gentilis, qui martyrum sanguinem fudit, legem non habuit, promissiones ignorauit. Tu legem habens, promissiones audiēs, & prophetas, & ipsum dominum prophetarum occidisti. Et vniuersa quidem ciuitas mendacij dilaceratione plena, sed tu anima Iudæi abundātius quàm anima Græci, quia Græci quidem anima in pluribus veritatem Dei in iniustitia detinuit, siue in mēdacium commutauit, & cum cognouisset Deum, non sicut Deum glorificauit, aut gratias egit. Tu autem ipsam veritatem de carne tua ortam, & vidisti & odisti, & mendacijs circundedisti, & mendaci occasione ad mortem tradidisti. Non dico ciuitas mendacio plena, sed dico, quod plus est, mendacij dilaceratione plena, quia neque omnis Græcus vno modo mentitur, si ipsum mendacium in plures apud eum sectas scinditur & dilaceratur, neque omnis Iudæus vno modo de sanctis scripturis mentitur, sed nunc aliud, & nunc aliud confingit, vt effugiat, quoties illum quispiam veritatis, quæ Christus est, miles strenuus insequitur. Væ tibi, quia non recedet à te rapina, id est, remittetur tibi rapacitatis vel auaritiæ culpa, quæ tibi malorum omnium radix extitit, & causa homicidarum, propter quę tu ciuitas sanguinum vocaberis, & verè es. [Vox "flagelli, & vox impetus rotę, & equi fremē-
"tis, & quadrigæ feruentis, equitis ascenden-
"tis & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, &
"multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ,
"finis non est cadauerum.] Tam pulchra (inquit beatus Hieronymus) iuxta Hebraicum & picturæ similis, ad prælium se præparantis exercitus, descriptio est, vt omnis sermo meus sit vilior. Qualiscunque fuerit, quantumcunque terribilis exiterit ille exercitus Babylonis, qui Ninuen in tempore illo subuertit, nullam potest habere comparationem ad magnitudinem fortitudinis, iræ & indignationis, angustiæ & tribulationis, quæ superueniet vniuerso orbi in die iudicij vniuersalis, quo tendentem prophetiæ spiritum, nostri conantur sequi præsentis intentio sermonis. Vox (inquit) flagelli, vox impetus rotæ. Vbi vocem, quam dicit, audierat iste? Nimirum intus audiuit, in interiore homine audiuit, vbi sunt vel esse debent aures audiendi mysteria regni Dei, quales dominus requirebat, clamans ad turbas. Qui habet aures audiendi audiat. Sunt autem de victrici parte voces septem. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, vox equi frementis, vox quadrigæ feruentis, vox equitis ascendentis, & vox micantis gladij, & vox fulgurantis hastæ. Nam quod sequitur. Et multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ, & finis cadauerum non est, afflictę partis miserię sunt. Per hunc septenarium numerum vocum, vniuersitatem intelligimus cōmotionum, quæ magnæ Niniue, id est, mundi huius præcurrent excidium, secundum hæc verba veritatis, quæ transire non possunt. Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, &c. vsque, nam virtutes cælorum mouebuntur. Et quoniam iam diximus secundum Apostolum, venturam esse iram, in omnem animam operantis malum, Iudęi primum & Greci, oportunè nunc ad memoriam redit. quia sicut Iosephus refert, toties voces Iudęus audiuit, quando accepturus erat primitias damnationis, id est, quando in excidium Hierosolymorum venturi erant Romani. Iesus (inquit) filius Aman plebeius & rusticus, cum ad festum diem venisset, quadriennium prius quàm bellum gereretur, repentè exclamare cœpit, vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hierusalem & templum, vox in maritos nouos, nouasque nuptas, vox in omnem hunc populum. Septima vox erat magis continua, vę vę Hierosolymis. Quocunque spiritu ille attonitus, voces illas declamauerit, nos & illarum & istarum septenario numero vocum designatam intelligimus, illic primum Iudęo, hic Iudęo pariter & Greco, malorum siue miseriarum vniuersitatem, quę tunc vniuerso orbi superuenient. Non quidem equis & quadrigis, cęterisque rebus bellicis, quę hic declamantur, ad iudicandum hunc mundum, Deus vtetur. sed sicut iustum est, vt per quas res peccauit hic mundus superbus ac sanguineus, earundem rerum nominibus terrores illi prędicentur, cum quibus est iudicandus. Iuxta hunc sensum & illud dictum accipimus. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Similiter namque dici conuenit. Omnes, qui abutentes potentia flagellauerint, & imperium rotę, & equum frementem, & quadrigam feruentem, & equitem ascendentem, & micantem gladium, & fulgurantem hastam agitauerint, siue librauerint, maximè super eos qui domini Dei sunt, & flagello inundante, & ro-

Matth. 13. Voces septē in parte victrici.

Luc. 21. Hier. 2.

Ioseph. de bel. Iud. li. 1. cap. 17.

Matth. 26.

Mendacij dilaceratione plena.

Quātus terror in nouissimo iudicio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta impetente,& equo fremente,& quadriga feruente,& equite ascendente, & gladio micante, & hasta fulgurante peribunt, & ipsi interfecti,& graui ruina presi iacebunt,nec erit finis cadauerum, quia in sempiternum cadauera erũt,quia morte sempiterna mortui,vera vita,quæ Deus est, sine fine carebunt.Sequitur. [Et corruent in corporibus suis, propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs suis.] Corruent(inquit)in corporibus suis, scilicet in ara tremendi iudicis, ad cuius aduentum omnes homines resurgere habẽt cum corporibus suis, & in infernum corruere, omnes impij cum ipsis, in quibus peccauerunt, corporibus suis. Quam ob causam? Propter multitudinem(inquit) fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia. Quæ est illa meretrix? Cupiditas. Quæ enim alia meretrix dici potest, vel cogitari, cum qua mundus iste à creatore suo recedens fornicatus sit? Ipsa est, quæ adornata multis & pulchris creaturarum instrumentis, mundum infelicem per concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum multipliciter decepit, ita vt seruire faceret eum creaturæ potius quàm creatori. Speciosa namque videtur,& grata est oculis eorum corruptis,& animis ambitiosis,qui attendere nolunt vel perpendere quanto speciosior esse possit Deus, omnium creator & dominus. Habet & maleficia meretrix ista, scilicet immixta suæ voluptati malignorum spirituum insidias, verbi gratia, dum auro vel argento, quæ pulchra sunt, ita sese adhibent spiritus maligni, vt delitescentes in simulachris, dando responsa, mundum opinione repleuerint, quod opera manuum hominum, scilicet aurea vel argentea simulachra, dij sunt. Ita vendidit ista meretrix gentes in fornicationibus suis,& familias in maleficijs suis, quia videlicet per ebrietatem cupiditatis accidit, quòd animæ hominum,auri & argenti pulchritudine intantum delectatæ sunt, vt se prostituerent simulachris. Non tantum gẽtes, verum & familiàs vendidit, in eiusmodi fornicationibus vel maleficijs suis,id est, non tantum illos qui ignorabant Deum, neque per scripturam aliquam nomen eius audierant, verumetiam eos, qui legem acceperant, vndè & Deo creatori quodammodo familiares erant, sæpissimè secũ fecit fornicari, sicut passim ferè omnes testantur libri diuini. [Ecce ego ad te dicit dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & proijciam super te abominationes tuas,& contumelijs te afficiam,& ponam te in exemplũ,& erit omnis qui viderit te,resilietà te,& dicet. Vastata es Niniue.] Supra dixerat. Ecce ego ad te, dicit dñs exercituũ, & succendã vsq; ad fumũ quadrigas tuas, & nũc dicit dñs. Ecce ego ad te,& reuelabo pudenda tua in faciem tuã. Illic superbiam, hic mundi huius arguit luxuriam, quæ Deo mala sunt præcipua in peruersione totius hominis, quia videlicet superbia spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. Reuelabo (inquit)pudenda tua in faciem tuam. Hoc ipsum in Psalmo sic dicitur. Arguam te, & statuam cõtra faciem tuam. Nunc enim perMentis superbiam videre dedignaris vel scire, qualem vel quantam habeas turpitudinis maculam. nec pudet te, quod insatiabilem luxuriam & libidinem sequaris passiuam.& si vides,non tibi est pudori,imò lætaris,cum malefeceris, & exultas in rebus pessimis, & peccatum tuum sicut Sodoma prædicas, nec abscondis. Tum nimirum, quando tibi præ magnitudine tribulationis & angustiæ sic superbire, sic lætari,& sic exultare non vacabit, nuda turpitudinis conscientia,melius patebit in facie tua, in oculis tuis, iugi memoria,quasi libro semper aperto, vt semper legere cogaris,quęcunque fecisti,dixisti,aut mente tractasti. Nec soli tibi ô quæcunque anima hominis operantis malum,Iudæi siue Græci,non (inquam) soli tibi reuelabo pudenda tua, modo quo iam dixi,sed & ostendam gentibus nuditatem tuam,& regnis ignominiã tuam. Quibus gentibus & regnis, vel ad quid ostendam illis nuditatem & ignominiam tuam? Nimirum omnibus gentibus, quascunque feci,de quibus Psalmista. Venient (inquit) & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum. ad hoc ostendam, vt videntes damnationis tuæ causam, sciant etiam laudem iudicij vel iudicantis iustitiam,& scientes dicant.Magna & mirabilia opera tua domine Deus omnipotens, iustæ & veræ viæ tuæ, rex seculorum. Quis non timebit te domine,et magnificabit nomẽ tuum? Quia tu solus pius, quoniam omnes gentes venient,& adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt. Item, Salus,et gloria et virtus Deo nostro,quia vera et iusta iudicia eius sunt, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione magna. Vt hoc dicant, vel dicere sciant, ostendam illis nuditatem tuam, & proijciam super te abominationes tuas,& contumelijs,subauditur tuis,te afficiam,et ponam te in exemplum, vt videlicet de te capiant diuinæ laudis materiam siue documentum, semperque iustæ sæueritatis vel sæueræ iustitiæ Dei in te sciant experimentum. Quomodo autem omnis qui viderit te, resilietà te, et resiliendo dicet. Vastata es Niniue? Videlicet eo modo, vt magnum chaos firmatum sit inter te, & omnem qui non tenebitur tecum in tua perditione, & multum lætus erit, quòd poterit resilire à te, nec saltem ad horam capiet transire ad te pro vlla consolatione. Nam cum dixerit. Vastata est Niniue, nihil addet amplius loqui aut adiungere se tibi aliquo verbo vel gestu consolantis. Sequitur enim. [Quis commouebit super te caput? Vndè quæram consolatorem tibi?] Commotio capitis aliquando pro insultatione,aliquando pro consolatione solet intelligi. Pro cõsolatione, vt illic. Opprobrium factus inimicis meis, viderunt me, & mouerunt capita sua. Item, Derisserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Hæc namque prædicta de eo sunt, quod crucifixo Domino prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua. Pro consolatione verò, vt in Iob: Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerunt eum prius, & comederunt cum eo, & mouerunt super eum caput,& consolati sunt eum. Circunstantia discernunt commotionem capitis, vtrum consolantium, an deridentium sit. Cum dixisset hic, quis commouebit super te caput suum? statim subiunxit. Vndè quæram consolatorem tibi? Ergo quis commouebit super te caput,idem est,ac si dicat. Quis tibi compatietur, quis te tonsolabitur, & subaudiendum est,nullus. Item cum dicit. Vndè quæram consolatorem tibi? oportunè ad memoriam redit illud, quod Abraham respondit ardenti diuiti. Nam quod vni dixit, omnibus dictum debet intelligi. Vndè tibi aditum quæram, vt Lazarum mittam,qui refrigeret linguam tuam? In omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Ergo non est vndè quæram consolatorem tibi, tempus tuæ consolationis omne præterijt. Recepisti bona,recepisti consolationem in vita tua, Sequitur. [Nunquid melior es ab Alexandria populorum, qui habitant in fluminibus, aqua in circuitu eius,cuius diuitiæ mare, aquæ muri eius, Aethiopia fortitudo eius & Aegyptus, Aphrica & Lybies fortitudo eius, auxilio tibi fuerunt. Sed & in ipsa transmigratione ducetur in captiuitatem. Paruuli eius elisi sunt in capita omnium viarum, & super inclytos eius mittet sortem,& omnes optimates eius affligentur compedibus.] Quo tempore hæc prophetia scripta est, quæ nunc vocatur Alexandria,dicebatur No,& longè post tempore ab Alexandro Magno Macedone nomen accepit, semperque sub nomine primo, id est, No Aegypti metropolis fuit, & abundantissima populis. Denique & hi qui res gestas Alexandriæ memoriæ tradiderunt, principem eam fuisse autumant. Dicitur itaque ad Niniue, nunquid populosior es, aut potentior Alexandria? Et describitur situs Alexandriæ,quòd super Nilum & mare posita, hinc inde aquis & fluminibus ambiatur. Quòd autem Aethiopia, Aegyptus, & Aphrica in præsidio eius sint,ipse situs prouinciarum & vrbis ostendit. Hæc quoque (inquit) propheta capietur à rege Babylonis, & in captiuitatem ducetur.Paruuli eius allidentur in capite omnium viarum, & inclyti eius siue nobiles compedibus diuidentur sorte victorum. Nunquid tu melior es illa? Non & tu ergo inebriaberis, & eris despecta, & tu quæres auxilium ab inimico, subauditur, æquè vt illa iusto iudicio. Iuxta hanc similitudinem Niniue atque Alexandriæ collationem siue comparationem fieri suggerit prophetiæ spiritus, eorum qui manifestè DEO contrarij sunt, quales illo tempore Assyrij fuerunt, & eorum qui cum negocijs seculi sunt impliciti, quales maximè Alexandrini fuerunt, non tamen professionis voce blasphemant Deum, imò & profitentur se nosse DEVM. Et congruè per Alexandriam populi possunt intelligi, qui nec tam impij sunt vt possint ab ecclesia iudicari, tanquam apud DEVM iam condemnati, nec ita religioni quam profitentur intenti, vt Iuda siue Hierusalem mereantur nuncupari. Legitur si conqueratur in extremo iudicio Niniue, id est, mundus damnatus super sententiam suæ damnationis, nunquid, ait, tu melior es ab Alexandria populorum. Et sit sensus. Nunquid tu impiorum vniuersitas iustè euaderes impunita, cum etiam multitudo quæ nihil egit tecum contra DEVM, multitudo seculariter quidem viuentium, veruntamen veritatem DEI per vim non impugnantium, dignum pro meritis portauerit, aut portet iudicium, pro eo quòd fluctuosis seculi negocijs nimis intendit, secundum similitudinem Alexandriæ,quod tam negotiosa quàm populosa est, habitans in fluminibus, aquas habens in circuitu, quæ sunt pro muris ad munimentum eius, vndè & ab Aethiopia & ab Aegypto, atque ab Aphrica, multæ diuitiæ commodius ad eam conuehuntur, ita vt mare dici possint diuitiæ eius. Huiusmodi intra terminos eius, quæ dicitur Hierusalem, quàm plurimi continentur, & quamuis ibi sint vel fuerint pro suis quisque meritis, aliqui temporaliter, aliqui etiam æternaliter puniuntur secundum similitudinem Alexandriæ populorum, quorum paruulos in capite omnium viarum elisos, & inclytos siue optimates ait compedibus esse afflictos. Hinc illud est, & ad hunc sensum pertinet, quod Petrus Apostolus cum dixisset. Quoniam tempus est vt incipiat iudi-

Meretrix cupiditas.

Psalm. 49

Psalm. 85.

Apoca. 15.

Ibid. 19.

Duplex motio capitis.

Psalm. 108.

Psalm. 21.

Iob 42.

Luc. 16.

Alexãdria Aegypti, olim No.

Mysterium huius comparationis.

2. Pet. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cium de domo Dei, continuò subiunxit. Si autem primum à nobis, quis finis illorum, qui non credunt Dei euangelio? Cum illo pariter dicamus, secundum præsentem huius prophetiæ locum. Si iudicio Dei persæpe violétia persecutionis super domum domini incubuit, pro eo quòd cum deberent spiritualibus esse intéti, magis carnalia sunt secuti, & seculares effecti, & propter nomen fidei, per omnia ferè similes Alexandrinis quæstuosis. quis eorum finis, qui omninò non credunt, & tam verbo quàm opere cótradicunt euangelio Dei, per omnia similes Assyrijs superbis & impijs? Et quoniam iã
Luca 16. suprà meminimus diuitis purpurati, & Lazari mendici, qui duo pro exẽplo omni humano generi sunt appositi. Si Lazarus ex nomine Deo notus, impunitus non est dimissus, sed recepit mala in vita sua, quis finis tuus debet esse ô diues, qui & Deo per nomen ignot⁹ es, & recepisti bona in vita tua? Nunquid tu Lazaro melior, aut iustior es, vt Lazarus nunc vna & simplici consolatione consoletur, quia dum viueret, nõ habuit consolationem vitæ illius, tu duplici consolatione consolatus sis, id est, vt & tu purpura indutus & bysso, epulatus fueris quotidie splendidè, & nunc de intincto in aqua digito Lazari capias refrigeriũ linguę tuæ? "Non sic se habet ordo vel ratio iustitiæ "iudicij Dei. [Ergo & tu inebriaberis.] O Ni"niue, cuius exemplum est diues ille, & ine"briaberis (inquit) absinthio & felle. [Et eris "despecta, & tu quęres auxilium tuum ab ini"mico.] Videlicet sicut quæsiuit ille auxiliũ à Lazaro, quem sibi fecerat inimicum. Lazarus primum quæsierat auxilium ab inimico, iacendo ad ianuam diuitis, & cupiendo saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, vtique inimici, quia vel micas nolebat largiri, versa vice postmodum diues auxilium quæsiuit à Lazaro iustè non amico, & nõ obtinuit. Iuxta horum exemplum ô Niniue, ô mundus, qui totus es deditus auaritię atq; superbię. cũ multi qui portandi sunt in sinum Abrahę, persępe quęrunt, & quęsierũt auxilium abs te in aliqua necessitate, & non solũ non obtinuerunt auxiliũ, verũ etiã inuenerunt apud te supplicium. Et planè constat, quia quęsierunt auxilium ab inimico, id est, à te, qui odisti eos, & aduersaris Deo. Reddetur tibi vicissitudo, vt & tu quęras auxilium ab inimico, id est, ab omni quẽ inimicum tibi fecisti iniustè persequendo, & non obtinebis, sed dicetur tibi, Recordare quia recepisti bona in vita tua, & iste vel ille similiter mala. Nunc ergo hic consola"tur, tu verò cruciaris. [Omnes munitiones "tuę, sicut ficus cum grossis suis, si concussę "fuerint, cadent in os comedentis.] Si ad illã, quam subuertit Nabuchodonosor, Niniuẽ respicias, locutio est hyperbolica. Neque enim munitiones, aut muri siue turres, vel oppida Niniue, tam facile cesserunt Babylonijs, vt in casu suo ficis possint comparari primitiuis, quę si concussę fuerunt leui tactu, in os cadent deuorantis. Porrò, de toto mundo isto, sicut dicitur, vel sicut litera sonat, ita fiet. Facillimè & sicut eiusmodi fici fructus leui motu decutitur, & non interram, ne saltem paruus labor sit comedentium, sed statim in os cadit deuorantis, sic in
Psalm. 49. die iudicij, quando manifestè veniet Deus noster, & non silebit, quando ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tẽpestas valida, magno terrę motu cadent munitiones totius orbis, quantęcunq; vel qualescunque, tam spirituales quàm materiales, possunt intelligi, & illę quarum primus
Gen. 4. structor fuit Cain, & illę quas contra veritatem extruxit omnis spiritus erroris, cadent in os deuorantis inferni, glutiẽtis abyssi, gehennalis incendij. Sequitur. [Ecce po"pulus tuus, mulieres in medio tui.] Et hoc" vt ipsa sonat litera, veracitur de Assyrijs sentiendum est. Cum enim prius fuerint viri fortes atque terribiles, postremò facti sunt quasi mulieres, maximeq; Assyriorum reges, quos maximè viros esse oportuisset. Po*Verba Iustini lib. 1. ex Trogo.* stremus apud eos, vt refert Pompeius Trogus regnauit Sardanapalus vir muliere corruptior. Ad hunc videndum, quòd dum nemini ante eum permissum fuerat, prefectus ipsius, Mœdis præpositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione ęgrè obtinuisset, inuenit eum inter scortorũ greges purpuram colentem. & cum muliebri habitu, cum mollitia corporis, & oculorũ lasciuia, omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Hæc prima tunc temporis destructionis imperio Assyriorũ causa fuit. Ecce ergo (inquit) populus tuus mulieres in medio tui. Statimq; subiungit. [Inimicis tuis ad apertionẽ pandentur por"tæ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos.] De mũ" do hoc probrosè constat edici, ex oppositio illius laudationis, qua superius ascensoris cæli viros collaudauit. Clypeus (inquit) fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis, igneæ habenæ curr⁹ eius. Isti viri sũt, & istis ad apertionẽ pandentur portæ huius Niniue, domino cum senioribus populi sui ad iudicium veniente, & populus eius, mulieres in medio eius capientur, & in æternã captiuitatem deuoluentur. Tunc deuorabit ignis vectes tuos ô Niniue, quia iudicabitur seculum per ignẽ, & nõ poterit resistere. Sequitur. [Aquã propter obsidionẽ hauri ti"bi, extrue munitiones, intra lutum, & calca" subigens, tene laterem, ibi comedet te ignis," peribis gladio, deuorabit te bruch⁹ Cõgre" gare vt bruch⁹, multiplicare vt locusta. Plu" res fecisti negociationes tuas quã stellę sunt" cęli.] Ad illã Niniuen iuxta literã, sic intelli" gendum

gendum est. Propè est obsidio. Hauri igitur aquam, & cura ne potus desit obsessæ. Muni turres, lateres confice, vt interrupta murorum struas. Et cum hæc omnia feceris, vt à brucho humus, ita gladio deuoraberis. Sed cum multiplicata fueris vt bruchus, & vt locusta in vnum pariter congregata, & congregaueris sicut astra cæli diuitias tuas, sicut locustæ & bruchus & parua genimina locustarum, quæ vocantur atelebus, sole incascente auolant, nec reperiuntur, sic tu dispergeris, & fugies. Natura enim hæc locustarum est, vt in frigore torpentes, per calorem volitent. Porrò, ateleAtelebus parua locusta. bus parua locusta est, inter locustam & bruchum, & modicis pennis reptans potius quã volans, semperque subsistens, & ob quam causam, vbicunque orta fuerint, vsque ad puluerem cuncta consumit, quia donec crescant pennæ, abire non potest. Hæc hactenus. Ego autem præsens capitulum mentè pertractans, & intus prospiciens, primùm fateor, vim dictorum expauesco, sensumque parumper occurrentem prę pondere ipsius terre vix valeo, ac deinde beatos illos esse dico, qui non generauerunt, memor pariLuca 23. ter ipsius domini dicentis, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, beatę steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tanta est insania mundi quę prẽsenti loco arguitur, tanta grauitas eius, qui arguit sanctus spiritus, vt diu sermo cunctetur, nesciens qua erumpet admiratiõne prẽuentus. Totum ergo capitulum nunc rursus recitare libet. Aquam (inquit) propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones, intra in lutum, & calca subigens, tene laterem, ibi comedet te ignis, peribis gladio, deuorabit te bruchus. Congregare vt bruchus, multiplicare vt locusta. Plures fe*Quid plures negotiationes, quã sunt stellæ cæli, numerus reproborum.* cisti negociationes tuas, quàm stellę sint cęli. Vnde sermonis erit initium? qua ex parte quęremus explanationis aditum? Libet primum ingredi ab hac parte qua dicit plures fecisti negociationes tuas, quàm stellę sint cęli. Nam post partis huius ingressum, melius cętera patebunt. Quid ergo est, plures fecisti negociationes tuas ô Niniue, ô mundus (cuius quasi caput tunc erat Niniue) quàm stellę cęli, nisi plures fecisti generationes tuas, quàm destinati vnquam fuerint, qui vocarentur sancti secundum propositum Dei, qui omnes stellę sunt cęli. Verè plures fecisti negociationes tuas, negociationes carnis, negociando negociatione infelici, vndè congregareris vt bruchus, multiplicareris vt locusta, cuius videlicet bruchi siue locustę exiguitas non minimum à stellarum cęli dignitate distat. Numerus & ordo tantummodo stellarum cęli sunt in proposito creatoris, benedicentis primis masculo & fœminę, atque dicentis.
Gene. 3. Crescite & multiplicamini, & replete terrã, & subijcite eam. Congregatio siue multiplicatio, qua congregaris vt bruchus, multiplicaris vt locusta, non de gratia est illius benedictionis, sed de ira & infelicitate peccati, de ira eiusdem creatoris dicentis ad mulierem post effectum peccati, pro reatu prẽuaricationis. Multiplicabo ęrumnas tuas, & conceptus tuos. Et quid est mulplicabo, nisi permittam multiplicari iusto iudicio? Tu enim ô Niniue non mihi generare desiderans, tu (inquam) mundus non mihi filios facere cupiens, non mihi de carne tua stellas cęli fabricari intendens, sed tuis voluptatibus incumbens, & tantùm in terra multiplicari ambiens, intras & pertinaciter atq; intemperanter intrabis in lutum, calcas atque calcabis subigens, & tenebis laterem. Fac quod facis, intra in lutum, & calca subigens, tene laterem. Dum te impendis ad coitum, veraciter intras in lutum, dum citò tui bine libidinis desuper ageris, tuimet impotens, nimirum calcas subigens, dum complexu stringis & stringeris, sine dubio tenes laterem. Hęc est pars tua, pars sordida, magna infelicitas. Cui seruis hoc agens? Cui generans, ita faciens? Ibi comedet te ignis, peribis gladio, quo iam dudum percussus est diabolus. deuorabit te bruchus, id est, vermis qui non moritur. Bruchus namque vermis est, volatilis quidem interdum sed suo pondere pręgrauatus, quia pennulis non satis iuuatur, detrahitur, & lasso in terra cadit volatu. Sunt igitur istę eiusmodi sententię, intra in lutum, & calca subigens, tene late*Sententiæ cõcessiuæ.* rem, quales grammatici siue rhetores, concessas appellant pulchro locutionis modo, ita se habentes, vt & in compulsione prohibeant, & in prohibitione compellant. Quę tamen ne non intellectę persuasiones esse videantur, permixta sunt aliqua verba quę manifestè repugnant, ne quod dicitur, audientes imperari vel persuaderi putent. Ita hic esse manifestum est. Nã cum dixisset, intra in lutum, & calca subigens, tene laterẽ, continuò subiunxit. Ibi comedet te ignis, peribis gladio, deuorabit te bruchus. Vbi *Superna irrisio contra generationes mundi.* dixit, congregare, mox apposuit vt bruch⁹. vbi dixit, multiplicare, statim addidit, vt locusta. Continuò scientiam verè grandinosam inuexit, habentem plurimum vitupera tionis, plures (inquiens) fecisti negociationes tuas, quàm stellę sint cęli. Nonne huiusmodi in tali re concessio, magna de supernis est irrisio. Est enim in cęlis nõnulla irrisio, dicente Psalm. Qui habitat in cęlis irridebit *Psalm. 2.* eos. Et quis vnquam sensatus rem vidit vel audiuit, quę superna irrisione dignior, quã fuit vel est mundi huius studium in generã do. vel vnum pro exẽplo siue experimento istud accipe. Gentes insanę, & ipsi qui sibi sapientes videbantur Romani, proletarios

decreue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

decreuerunt in vrbibus esse, proletarios ab eo dictos, quod nullam habentes occupationem, tantummodo sufficiendæ proli vacarent, infelices ac miseri, ad quid sufficiendæ proli. Nimirum ad occidendum, vt nō deesset diabolo, vndè quotidianum ferè posset habere sanguinis humani ludibriū, quotidianum spectaculum, quoniam educebantur dietim morituræ legiones in prælium, vbi velut arida stipula cædebantur, ne dicā milia hominum, potius miriades legiōum.

Genes 3. Quis non audiuit, imò quis audire suffecit, cui legere vel audire vacauit, à constitutione mundi continuas mortes hominum ferro, fame, atq; pestilētia pereuntium? Taceo de mortis conditione communi, quam iustitia, imò misericordia cælestis omni generi humano induxit, dicendo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris, ne videlicet in anima mortuus, vita carnis homo in æternū viueret, rapiendus ad iudicium, non interueniente morte, vt dæmones, quibus non morientibus iudicium æternę mortis repositum est. Inde nunc sermo est, quòd homines mortem naturalem non expectantes, quoties tam multis in prælijs, tantis milib. sese collegerunt atque conuenerunt, ruentes in ferrum, vt centenaria milium moriētium, mirer si quis ex historijs numerare velit, satis admirari possit. Ad hoc negocium inter cæteras insanias, proletarios quoq; (vt iam dictum est) sibi in vrbibus collocauerunt, ne deessent alij, qui occisis alijs, substituerentur ad occidēdum. Nonne igitur vel pro hac stultitia dignum se fecit mundus, vt ille qui habitat in cælis irrideret eum dicēs. Intra in lutum, & calca subigens, tene laterem, & cætera, vsque ad id, plures fecisti negociationes tuas, quàm stellæ sunt cæli, id est, sicut iam diximus, plures morti & inferno generasti, quàm sint vel esse debeant omnes electi, propter quos vt nascerētur, De⁹ masculum & fœminam fecit, & benedixit eis? At verò ipse stellæ cæli, id est, electi dei, filij benedictionis sub hac irrisione plorāt, & semetipsos deflent, recolentes illud lutū suæ originis initium, de quo hoc dictum intelligimus, Intra in lutum, & semetipsos cōfitentur lutum esse, & plorantes dicunt. Et nunc domine pater noster tu es, nos verò lutum, & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. Item, & quilibet eorum dicit. Memento (quæso) quod sicut lutum fe-

Stellæ cæli filij benedictionis.

Esaiæ 64. ceris me, & in puluerem reduces me. Non-

Iohan. 10. ne sicut lac mulsisti me? Hæc dicendo vtiq; præoccupant, siue præueniunt faciem eius in confessione. Nam quasi oblitus Deus sit,

Psal. 94. de quàm fragili, quàm vili illos materia fecerit, de quibus cęlestem fortitudinem exigit, vt fortes sint, & in cælum fortiter ascendere velint, & stationes habere, quarum similitudinem quandam præferunt visibiles stellæ cæli, de quibus mentionem præsenti loco fecit, dicendo mundo huic. Plures fecisti negociationes tuas, quàm stellæ sunt cęli. reducunt illi, videlicet creatori, siue plasmatori ad memoriam, vndè eos fecerit, siue plasmauerit. Nunquid ergo his qui eiusmodi sunt, dicere nouit Deus tale quiddam, intra in lutum, & non potius operi manuum suarum porrigere dexteram, vt non intrent in lutum? Sed & si intrat ordinato introitu, id est, secundum legem, quam ipse posuit, qui masculum & fœminam creauit, & bene dixit, non pertinet ad eum irrisio hæc eius, qui habitat in cælis? Quare? Videlicet, quia causam non habent eandem, quam hic prę-misit scriptura, dicens, propter obsidionem. Quænam causa est, quæ significatur, dicendo. propter obsidionē, nisi illa propter quā reprobantur à Deo filij huius seculi, quia volunt habere hic manentem ciuitatē? Propter istam causam, quasi neceſſariò, quasi rationabiliter ruebant gentes in libidinem, & vterq; sexus quasi aquā fundebat atq; hauriebat immoderatam carnis voluptatem.

Eccles. 26. Vnde notandum, quòd proprijs partib. cuique exprobratur sexui. Fœmineo videlicet, dum dicitur aquam hauri tibi. virili, dum dicitur, intra in lutum. Nam quod aquam haurire, hoc sit mulieri, intemperanter virum subire, de illa sapientis sententia constat, quam dicit. Sicut viator sitiens ad fontem os suum aperiet, & ab omni aqua proxima bibet. Itaque hoc modo extruere munitiones, scilicet muliere hauriēte aquā, viro intrante in lutum, hoc est, propter causam supra memoratam, certatim morituras supplere legiones. Taceo de illa parte extrema turpitudinis, quam Apostolus meritò *Roman. 1.* horrescens terribiliter percutit, quia fœminę eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. similiter & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis, inuicem masculi in masculos turpitudinem operantes. Sufficit ad præsentis scripturæ intentionem, exprobrare illud quod aliquam habere videbatur rationem, scilicet quod multos facerent filios propter obsidionem, propter vindicandam terræ habitationem, siue quamlibet ciuitatem. Non (inquam) pertinet ad eos irrisio hæc, dicentis, intra in lutum, & cætera, neque ibi, siue propter illud comedet eos ignis, aut peribunt gladio, aut deuorabit eos bruchus. veruntamē hoc tempore beatiores sunt, qui permanēt secundum Apostoli consilium, vt videlicet, qui solutus est ab vxore, nolit quęrere vxo- *Consilium Apostoli.*
rem, & qui habent vxores, tanquam non ha- *1. Cor. 7.*
bentes sint. illud quoq; inter cæteras tribulationes carnis reputantes, ne fortè quod generant, veniat ad numerum stellarum cæli, quoniā hic ita dictum est. Plures fecisti negociationes tuas, quàm stellæ sunt cæli. Denique & patrib. & patriarchis, quorum primò Abra-

Gen. 15. mò Abrahæ dixerat Deus. Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Ac deinceps. Sic (inquit) erit semen tuum. Ipsis (inquam) patribus contigit plures facere negotiationes, quàm stellæ sunt cæli, id est, vt non omnes quos ipsi generauerunt pertinerent ad nu-
Malach. 1. merum stellarum eiusmodi. Nónne frater Esau erat Iacob (ait dominus) & dilexi Iacob, Esau autē odio habui? Sequitur. [Bruchus expansus est, & auolauit. Custodes tui quasi locustæ, & paruuli tui quasi locustæ locustarum, quæ cōfidunt in sepibus in die frigoris. Sol ortus est, & auolauerunt, & nō est cognitus locus earum, vbi fuerint.] Quia dixerat, congregare vt bruchus, multiplicare vt locusta, immoderatam atq; superfluā volens intelligi generationum atq; conceptuum infelicium abundantiam, quæ veluti pēnati vermiculi de carne huius mūdi quotidie nascendo scaturiunt, permanēs in metaphora, grande vanitatis eorum ridiculum pandit, sic incipiens. Bruchus expansus est, & auolauit. Quanti enim æstimat exaltationem siue dilatationem filiorum huius seculi, comparando illos brucho expanso, & auolanti? Collaudato in omnibus sancto spiritui, quia congruam illis similitudinem in-
Alexander mag. tanq; bruchus. Iohel 1. uenit. Exempli gratia, Alexander magnus, cuius regnum apud prophetam Iohel per bruchum intelligimus, quando ferè vsq; ad fines terrę sese magnificauit, nat⁹ (vt fertur) de incestu, ex Olympiade vxore Philippi Macedonis, nónne bruchus vermis expansus fuit? At ille expansus auolauit, id est, velociter decessit, scilicet ætatis suæ anno tricesimoprimo, regni autē duodecimo. Quid si quis alius aliquot mensibus vel annis sese expandendo diutius durauit? Num diuturna expansio cuiusquā debet æstimari, quantorumlibet annorum fuerit? Nimirum qui pluribus annis viuens in hoc seculo sese dilatauit, breui expansione sese expandit, & cito decessit. Illum decessisse, bruchū auolasse est. & pulchrè, non dictum est, expansus est & volauit, sed expansus est & auolauit, id est, non rediturus recessit. Quàm leue est huius vitę momentum, quod adhuc ipse
Eccl. 12. qui habitat in cælis, irridens. Custodes, inquit, tui quasi locustæ, & paruuli tui quasi locustæ locustarum. Quinam sunt tui ô Niniue custodes, nisi seculi principes, non in Deo, sed in seculo potentes? Isti igitur videtur esse gigātes, sed ecce quasi locustæ sunt. Subsiliant in curribus, volitent in equis, & in tibijs suis glorientur iuuenculi. nam interim spectans eos desuper sapientia, ridet & dicit. Florebit amigdalus, impinguabitur locusta. Quidnam est impinguabitur locusta, nisi intumescent, & tumore suo grauabuntur, si ad citam senectam peruenerint, quæ nūc saliunt crura iuuenilia? Infelix floritio, misera impinguatio, cum prę ariditate senectutis canicies floresçit, & econtra præ humore inutili, crus aut tibia pingueſcit. Qui porrò sunt paruuli, de quibus dicit, Et paruuli tui sicut locustæ locustarū, nisi vulgus exile, siue populares, aut plebei, quorū estimatione dum adulantur potentioribus, ipsi potentes quasi gigantes sunt? Vtiq; quātumlibet adulando non efficiunt, vt ipsi potentes quasi elephāti, & qui sub eis quasi boues sint, aut quasi bubuli, sed quasi locustæ locustarum, id est, minimi, portantes imperia paruorum. Quàm verò decenter subiungit. Quæ confidunt in sepibus in die frigoris. sol ortus est, & auolauerunt, & non est cognitus locus earum, vbi fuerunt, videlicet secundum naturam locustarum, quæ eiusmodi est, vt in frigore torpentes, per calorem volitent. Quid per diem frigoris, nisi tempus intelligimus aduersitatis, quando cautis exigentibus, iustum est gentem quālibet aut regnū tribulari? Tunc effusæ multitudines exercituum tanquam locustæ in vrbibus aut circa vrbes confidunt, & tam in vicis quàm in agris cuncta consumunt. Exempli gratia, vt Assyrij tunc temporis ascē- *4. Reg. 18.*
derunt ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & ceperunt eas, & obsederunt Hierusalem. Dies frigoris erat, id est, afflictionem propter sua merebantur peccata. Sed ortus est sol, & locustæ auolauerunt, quia propitius factus est dominus, & vna nocte deleta sunt castra Assyriorum centum octogintaquinque millia hominum. Nónne velociter auolauerunt locustæ eiusmodi, & non est cognitus locus earum, vbi fuerint. Sic omnis multiplicitas siue congregatio, quam dixerat, congregare vt bruchus, multiplicare vt locusta, velociter transit, & pertransibit, permanebunt autem stellæ cæli fixæ in altitudine firmamenti, de quibus dixit. Plures fecisti negociationes tuas, quàm stellæ sunt cæli, quia multi reprobi, pauci sunt electi. Sequitur. [Dormitauerunt pastores tui rex Assur, sepelientur principes tui. Dispersus est populus tuus super montes, non est qui congreget, non est obscura cōtritio tua, pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserūt manū super te. Quia super quē non transiuit malitia tua semper?] Ecce in verbis istis iudicium illud audiuimus, de quo mundum arguit spiritus sanctus, quia princeps mundi huius iudicatus est. Nam rex Assur ipse est princeps mū- *Rex Assur diabolus.*
di huius. Hactenus sermo erat cōtra Niniuen, id est, contra hunc mundum, & sub nomine Niniue arguebatur mundus de peccato, & de iustitia, sicut in initio diximus, nunc sub nomine regis Assiur, & ipse princeps mundi huius iudicatus esse ostenditur, ita vt ex hoc loco manifestum fieri possit, q⁹ de iudicio eius rectè arguat mundū spiritus paracletus, qui in isto ꝓpheta loquitur, secundum nomē ipsius, quia Naum ex Hebręo consolator interpretatur. Dormitauerunt (ait)

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pastores regis Assur.

runt(ait)pastores tui rex Assur. Pastores regis Assur hi sunt, qui(vt supra dictum est) intrando in lutum, calcando & subigendo, atq; tenēdo laterem.i.opus generationis nimis intemperanter exercendo, congregati sunt vt bruchus, multiplicati sunt vt locustæ. In quo sunt vel fuerunt illi pastores regis Assur? In eo videlicet, quòd pauerūt vel pascunt oues regis Assur, oues occisionis, id est, hominum multitudinem superfluā, qui (vt canimus in psalmo) sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. O pastores infelices, qui generauerunt quos pauerunt, pauerunt quos generauerūt regi Assur, de quibus infernus impleatur, quos depascendo mors saturaretur. Pastores eiusmodi dormitauerunt, ait. Quid est dormitauerunt? Mortui sunt, & inde laus Deo, quia sic dormitādo pascere vel generari regi Assur cessauerunt. Quid enim est, nisi sic dormitassent, & generare desissent? Cum adeò congregatus sit bruchus, & in tantum multiplicata locusta, in ista pastorum huiusmodi vita, cū hodieq; moribundæ carnis tanta superbia, tāta sit luxuria, vt multitudines nascētium persæpe pestilentia, fame, bestijs, & gladio succidi oportuerit, & prēterea quotidie passim demetat eos mors naturalis, & adhuc mundus plen⁹ sit. quid putas fieri potuisset, si nō dormitassēt, aut dormitarēt isti pastores, id est, si non morerentur homines, ex quo facti sunt transgressores regi Assur obtēperātes. Laus igitur Deo quia dixi. Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiā de ligno vitæ, & viuat in æternum, quia videlicet, si vsq; ad diem iudicij viuerent homines, vt viuunt dæmones, & generarent, quod non faciunt dæmones, quàm malè fuisset, cogitet qui potest. Misericorditer De⁹ homini mortuo morte animę, mortē carnis imposuit, nec vtcunq; mortalem, sed breuissimæ vitæ voluit esse hominem. Nam dies annorum nostrorū in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus.i.in valentioribus, qui diutius durant, octoginta anni, amplius eorum labor & dolor. Non ita ante diluuiū, sed viuebant, alij nongentenis, alij octingentenis, vel septingentenis annis. Quia verò propter illam vitæ quantulamcunque diuturnitatem tam superbi, tamq; luxuriosi fuerunt homines, vt scriptura innuit, dicens. Gigantes autem erant super terram in diebus illis, & videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, &c. rectè & opportunè pro ipsis experimentū voluit Deus notum esse, quòd vtiliter hominem anima mortuum, carne voluerit esse mortalē, confirmando sententiam quam posuerat, dicēs: ne sumat de ligno vitæ, & viuat in æternū, confirmando inquam & dicendo. Nō permanebit spiritus meus in homine in ęternū. Porrò hęc dormitatio, id est, carnis per mortem dissolutio, non solis pastorib. regis Assur, verumetiam supradictis stellis cæli, id est, his qui secundum propositū vocati sunt sancti, communiter imposita est. Sed vide quod sequitur. Sepelietur principes tui. Vbi sepelientur, nisi in inferno? Mortuus est diues(ait dominus) & sepultus est in inferno. Et apud Ezechielem ipse loquitur. Ibi Assur & omnis multitudo eius, in circuitu illi⁹ sepulchra eius, omnes interfecti, & qui ciderunt gladio, quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci. Hoc plus habent pastores vel principes tui rex Assur, quòd omnes quidem homines, tam boni quàm mali, dormitauerunt dormitiōe corporeę mortis. soli autem mali sepelientur in inferno, propter hoc, quia sunt pastores vel principes tui. Et nunquid aliquando inde hūc reuocandi erunt? Dispersus est (ait) populus tuus super montes, non est qui congreget. Quod dicit, dispersus est populus tuus, hoc est quod supra dixerat, bruchus expansus est & auolauit. sol ortus est, & locustę locustarum auolauerunt. Et quod dicit, non est qui congreget, hoc est quod dixerat, & non est cognitus locus earum, vbi fuerint. Causa tantæ perditionis & irreuocabilis iudicij, superbia est. idcirco cum dixisset, Dispersus est populus tuus, addidit super montes. Nā per montes altitudo illa intelligēda est, quæ eidem regi Assur apud Esaiā his verbis exprobratur. Et erit cum compleuerit dominus cuncta opera sua in mōte Sion & in Hierusalem visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Igitur super montes, id est, propter superbiam populus tuus dispersus, quia populus tuus filij sūt superbię, quoru tu es rex Assur, sicut ad beatum Iob dictum est de te. Omne subsime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ. Non ita dispersus est populus tuus, nō ita dispersi sunt pastores, vel principes tui, quomodo dispergitur populus dum fugit, sed ita vt fugere non possint, & vt sua quidem inuicem sepulchra sulphure & igne ardentia videre queant, sed alter alteri prodesse vel adesse non valeant. Sane in dispersione populi huius regis Assur, latere nos nō debet dispersio populi Iudaici. neq; obliuisci, aut ignorare debemus, quòd ipse sit populus regis, imò ille populus maximè est populus regis Assur. & interpretatiōe quoq; nominis huius, maximè Iudæi denotātur. Assyrij nanq; dirigentes interpretantur. Et qui sunt dirigentes, nisi hi qui semetipsos dirigunt? Qui aūt homines magis semetipsos dirigunt, quàm Iudæi, qui suam quærentes statuere iustitiā, iustitię Dei nō sunt subiecti. Igitur inter pastores & principes tuos ô rex Assur in medio populi tui, qui super montes, id est, propter altitudinē superbię dispersus est ô princeps mundi huius. Maximè isti considerādi sunt, quorum dispersionē ipse cum antiquo consilio,

Gen.3.

Misericors deus inferēdo nobis mortem.

Psalm. 89.

Gen.5.

Gen.6.

Luc.16.

Ezech.25

Esaie.10.

Iob 41.

Iudæi quæ sunt populus regis Assur.

Rom.10.

consilio, quia iamdudum antiquus spiritus eius loquebatur. Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua. Factum est secundum illius antiquæ ostensionis consilium. quia videlicet primùm, illi pastores vel principes tui, quos ita denotauit, vt diceret, quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes, dormitauerunt & sepulti sunt, circundati à Romanis, mortui sunt, & in inferno sepulti sūt. & qui superfuit infelix populus dispersus, & in omnes gētes ductus est captiuus, & nō est qui congreget, quia qui solus congregat, & congregata restaurat Christus, illis ablatus, & abijt ad gentes, & stabile fecit esse, qd sibi ostensum est. Nec occidas eos, disperge illos in virtute tua, id est, ne penitus eos euellas à terra, sed vbique terrarum disperge illos in virtute tua, in potentia tua. Cur hodiè? Ne quando obliuiscātur populi mei. Vnde notādū, Iudęorū dispersionē ideò factāesse, vt non tantū in vno loco, sed in omni terra fidē gentiū confirmarēt, dum eum à parentibus suis crucifixum fuisse asserēt, & scripturas in quibus nobis prædictus est, se habere non denegarēt, atque ita dum viuere permitterentur, eorum etiam testimonio fides gentium certior haberetur. Tandem aduersum te ô rex Assur causam dicit paracletus, cur vel quo de iudicio mū- dum arguere debuerit, quia tu iudicatus es. Non est(ait) obscura contritio tua, pessima est plaga tua. Contritio qua contritus es, illa est qua contriuit mulier caput tuum, iuxta Domini iudicis edictum, quod eduxit super te in initio, dicēs ad serpētem. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Insidiaberis calcaneo beatæ mulieris, beatę Marię virginis, imò & calcaneo seminis ei⁹, quod est Christus. Quod ipse non ignorans dicebat. Venit enim princeps mundi huius, & non habet in me quicquā. Propterea hoc ipsum quod tu in illo quicquā nō habuisti, & tamen ad eum venisti, quærens quasi debitum peccati.i.exigens pœnam mortis, cōtritus es calcaneo eius, victus es fine.i. passione vel morte eius. Quis istam contritionem tuam non audiuit? In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, scilicet cælorum, qui istā gloriam filij Dei enarrauerunt vel annunciaue runt, quòd ipse moriendo contriuisset caput tuum. Non igitur est obscura contritio tua, quia videlicet clare in omnem terram est enarrata, clarè in fines orbis terræ est annūciata. Proinde paracletus rectè arguit mū dum de iudicio, quia excusare se nō potest, quin audierit iudicium, quo iudicatus es, siue contritionem qua contritus es. Quis itidem nō audiuit, quia pessima est plaga tua? Edō nanq; euangelio quo enarrātur vel enū ciatur, iā dicta contritio tua, pariter enarratur pessima plaga tua, qua in cęlo plagat⁹ es, ita vt caderes vidente domino te, ô Satan, sicut fulgur de cælo cadentē. Plaga illa, plaga est gladij, plaga pessima, sed non pessimè, imò optimè illata. Plaga pessima est, quia insanabilis est, sed optimè illata est, quia tu iustissimè damnatus siue percussus es. Iustissimè, inquam, quia tu non vtcunque, sed superbè peccasti, homicida ab initio, qui in veritate non stetisti, in quo veritas non est, qui cum loqueris mendacium, ex proprijs loqueris, quia mendax es, & pater mendacij. Ita malignè peccasti, & ob hoc pessimam, id est, insanabilem excepisti plagam gladij. & mirum, quòd cum plaga tua tam pessima sit, tu adhuc viuis. Non quidem verè viuis, sed viuere te mentiris, & quasi te viuentem defendis. Hinc est illa admiratio in Apocalypsi, de bestia quæ habet plagam gladij, & vixit, vel cuius plaga mortis sanata est, Iuxta mendacium tuum plaga mortis tuæ sanata est, & tu habēs plagam gladij viuis. sed iuxta veritatem Dei, tam pessima est plaga tua, vt in æternū insatiabilis sit, & tu ita mortuus es, vt nunquam vllo modo ad vitam respirare possis. Super hoc iudicio mundus arguitur, mundus tibi confœderatus, teque in templis vel simulachris, vt Deum & quasi viuum veneratus, quia postquam iudicium tuum in euāgelio Christi reuelatum est, iustius arguitur quisquis à te non est separatus. Omnes qui audierunt auditionem tuā, compresserunt manum super te. Auditionē audire, plus est quàm simpliciter quippiam audire. sicut aures audiendi habere, plus est quàm simpliciter aures habere. Vbi namq; huiusmodi verba siue vocabula geminantur, duplex auditus scilicet corporis & cordis exigitur siue intelligitur. Ergo omnes qui audierunt auditionem tuam, id est, audientes crediderunt contritionem tuam, siue pessimam plagam tuam, compresserunt (ait) manum supra te, id est, quàm deuotas egerunt gratias ei, qui contriuit te, qui plaga pessima plagauit. Solent enim fideles & deuoti homines, cū primùm audierint bonum nuncium, de operibus siue beneficijs Dei, citato pietatis affectu, oculos manusq; compressas subleuare, & cū istis fidei signis sedentem super thronum domini altissimū laudare & glorificare. Itaq; hoc dicto compresserunt manum super te, magna significatur abundantia gratulationis & lætitiæ, iuxta cōsiderationem iusti iudicij, iustæ vindictæ. Quia super quem non transiuit malitia tua semper? Interrogando super quem non transiuit malitia tua semper, vehementius affirmat, quòd super omnes transierit malitia eius semper, ex quo enim per serpētem malignus, & malitiosus mentitus est, di

Psalm. 85.

Iudæorum dispersio.

Rex Assur contritus à muliere & semine eius

Gen. 3.

Ioan.12.

Psalm. 18.

Lucæ 10.

Ioan. 8.

Apoc.13.

Ioan.12.

Cōprimere manus, congratulari est Deo.

Gen.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& eritis sicut dij, semper & incessanter, ex vno & per vnum in omnes homines malitia eius pertransijt, quemadmodum Apostolus. Quia per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerunt. Super quem ergo malitia eius non pertransijt? Quis non in iniquitatibus conceptus est? & quem non in peccatis concepit mater sua?

Rom. 5.

Psalm. 50.

Igitur causa hæc, causa magna est, cur super te manum compresserint, omnes qui audierunt auditionem tuam, quia te quidem cuius malitia super omnes per vnum pertransiuit, vnus homo qui solus sine peccato exiuit, damnauit atque contriuit, ipsos autem de malitia liberauit atque iustificauit, qui audientes gauisi sunt, & gaudentes atque credentes superte manum compresserunt.

FINIS LIBRI III. IN NAVM PROPHETAM.

PROLOGVS RVPERTI IN ABACVC PROPHETAM.

OCTAVVM prophetarum Abacuc iamdudum ingredi ardebat animus, dum adhuc in præcedente, scilicet Naum, totus teneretur intentus. Adhuc enim circa fines illius, videlicet Naum, meditatione ferè continua versabatur, & iam quasi de propinquo loco aliquo, illa huius vociferatio grādis audiebatur. Vsquequo domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Item. Domine audiui auditiónem tuam, & timui. Fateor quia vim clamoris huiuscemodi, non sine quodam diuino horrore audiebat auris interioris hominis. Namque illuc ingredi cupiebat, memor illius versiculi, Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Sentiebam aliquid de cupiditate hominis negotiatoris, bonas margaritas quærentis, qui tunc demum vnam se inuenisse preciosam margaritam, non vanè arbitratur, cum fidem vel iustitiam, quæ Christus est, inuenit in lege & prophetis, per quos sine dubio locutus est spiritus sanctus. Nouit ipse Christus cordis paterni, cordis aurei margaritam preciosa quasi scrutando scripturas, scrutando prophetas, ipsum quærit, ista scrutantis anima sanctum inuocans spiritum, qui locutus est per prophetas, vt pulchritudinem talis margaritæ, iam hic per hoc speculum, in isto prophetici sermonis ænigmate sic præostendit, quatenus eandem in futuro seculo semper possidere, & sicuti est, videre concedat. Dicit autem Apostolus, quia gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus. Cum hoc exemplo, & illud ad consolationem accedit, quod vos ô viri ecclesiastici & religiosi, beneuoli & spirituales amici, quos in proœmio explanationis Naum prænominaui, paruitatem meam bona spe consolamini fructus percipiendi, his & huiuscemodi verbis. Insiste igitur bone vir & viriliter age, & confortetur cor tuum, vt delicijs quas in hac peregrinatione summatim prælibas, tandem pleno ore in regno Dei superme nsam eius edens & bibens perfruaris. Non igitur quasi supra modum grauatus detractionem cuiuscquam ita vereatur fidelis animus, vt à bono studio decidat, & torpeat remissis manibus, imò stellionis memor sit, qui pennas non habens, manibus vtitur, & moratur in ædibus regum, & galli succincti lũbos & arietis, nec est rex qui resistat eis.

2. Cor. 1.

Psalm. 118.

Matth. 13.

Prouer. 30.

FINIS PROLOGI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ABACVC PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

"" NVs quod vidit Abacuc propheta. "Quo tẽpore fuerit Abacuc, ex Daniele docemur, ad quem in lacu leonum cum prandio missus legitur, ait B. Hierony. quanquam apud Hebræos illa historia non legatur. Siue quis recipit scripturam illam, siue non recipit, hic tanquam propheta scribit, quæ ventura cognoscit. Et quomodo propheta Naum, quem hic sequitur, vaticinium habuit contra Niniuen & Assyrios, qui vastauerunt decem tribus, quæ vocantur Israel, ita iste onus vidit, id est, rem grauem & ponderis labo-

Daniel. 14.

laborisq; plenam, aduersus Babyloniam & Nabuchodonosor, à quibus Iuda & Hierusalem, templumque subuersa sunt. "Vsquequo domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & nó saluabis? "Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem videre, & prædam & iniustitiam contra me? Recte hic propheta nomen Abacuc sortitus, quod interpretatur amplexio, siue luctator, quia videlicet quodãmodo in certamen & luctantem & (vt ita dicam) in amplexum more luctantis cum Deo congredi tur, ausus eum ad disceptationem iustitiæ prouocare, & dicere ei, cur in rebus humanis tanta versetur iniquitas, & iniustus contra iustum prꝙualet. Vsquequo domine, inquit) clamabo, & nó exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem videre, prædam & iniustitiam contra me? & factum est iudicium, & contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, & nó peruenit vsque ad finem iudicium, quia impius prꝙualet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum. De suorum statu temporum loqui videtur, quia impius Nabuchodonosor prꝙualuit aduersus iustum Iudam, & hanc esse causam, quòd dixerit iudicium non peruenisse ad finé, quia iniquum sit & peruersum, vt Iosias rex iustus à rege iniusto trucidetur, vt Daniel, Ananias, Azarias, Misael seruiant, & imperet Babylonius imperator: & inter scorta & cõcubinas suas Balthasar potet in phialis Dei. Sed nũquid ad propheticam perfectionem valet, vidisse illa sui temporis mala, quæ alius quiuis ignorare non potuit? Vt quid ergo sic in titulo prꝙmisit, onus quod vidit Abacuc propheta? Simul considerãdum, quia quod protinus sequitur, aspicite in gentib. & videte, admiramini & obstupescite, quia opus factũ est in diebus vestris, quod nemo credet, cum enarrabitur, ad euangelica spectare tempora. Paulus intellexit apostolus, imò qui Paulum assumpserat spiritus sanctus. Nam vbi dixit spiritus sanctus segregate mihi Barnabam & Paulum in opus, quo assumpsi eos, postmodum ita legimus, quia Paulus & qui cum eo erant venerunt Antiochiam Pisidię. Et ingressi synagogam Iudæorum die sabbatorum, sederunt. Surgẽs autem Paulus, sermonem exhortationis habuit ad plebem, quem ita conclusit. Videte ergo, ne superueniat vobis quod dictum est in prophetis. Videte contemptores & respicite, & admiramini & disperdimini, quia opũs operor ego in diebus vestris, opꝰ quod non credetis, si quis enarrauerit vobis. Litera paululum diuersa est, videlicet secũdum septuaginta interpretes. Quòd si illud repugnare videtur, ne ad euangelicæ gratiæ tempora Apostolum sequentes, respiciamus quod protinus sequitur, quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram & velocẽ, hoc enim non futurum, sed iamdudum fuerat factum, temporibus apostolorum nos similiter dicimus, quia quando hæc scripsit Abacuc, iam fuerat factum, iam fuscitauerat dominus Chaldęos, & gentium taberna cula possidebant, iamq; Iudam in captiuita-tem duxerant. Igitur prophetiæ textum ingredientes, quantum possumus mystico-rum maiestatem sensuum magnificemus. & eum qui locutus est per prophetas ducẽ sequentem spiritum sanctum, ipsum in isto propheta non dubitemus loqui Christum Iesum crucifixum. Vsquequo domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens & non saluabis? Nunquid enim hoc non illi par aut simile est, quod iamdudum apud Psalmistam dicebat. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. Si reuera Dauid illud non in sua, sed in Christi dixit persona, cur non & iste in persona eiusdem dicat hæc similia? Veraciter hoc dignum est, & spiritum sanctum decet, vt verba quæ per prophetas locutus est, illi ascribãtur personæ, de qua iure illi cura est, qui verè iustus extitit, quia peccatum non fecit, & idcirco dum pateretur tanquam pec cator, dum prꝙualeret aduersus eum iustus, atque clamaret, & non exaudiretur ad tempus, iudicium quærere poterat securus, sicut manifestè in prꝙsentibus dictis habemus. Nam, vt erat fortis luctator, Deum vocat in ius & dicit. Vsquequo domine clamabo, & non exaudies? Clamabat autem clamore valido, & axauditus est, quamuis & hic in psalmo dicat, clamabo & non exaudies. De hoc apostolus. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset saluum illum facere, à mortuis cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Non quasi ignorãs quęrit, vt discat, vsquequo vel quandiu illum oporteat clamare & vociferari, & exauditionem siue salutem eius differri, quamuis ibidem continuò dicat Apostolus. Et quidem cum esset filius, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Sciebat namq;, sed nõdum experimento sciebat obedientię laborem, & scientiam eius non latebat, quòd oporteret illum clamare & vociferari vsque ad mortem, mortem autem crucis, & ante illam obedientiæ consummationẽ non debere audiri, non oportere saluari. Delectat valde ita, vt dictum est, huius calamitatis in propheta personam intelligere. Nec hoc ita dicimus, quod ipse propheta clamoris siue vociferationis eiusdem expers fuerit, sed hoc veraciter dicimus, quia quicquid iste vel alius dignum auditu Dei clamauit aut vociferatus est, clamor & vociferatio fuit eius, cuius spiritus in illis, vt loquebatur, ita & clamabat & vociferabatur. Vndẽ sicut

Abacuc luctator.

Verba prophetæ in persona Christi.

Psalm. 21.

Hebr. 5.

Christus clamauit in prophetis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esaiæ 8. quodam loco vocari iussus est, accelera spolia detrahere, festina prædari, pro eo quòd antequam vocare sciret, antequam in seculo haberet matrem, & adoptiuum patrem, sæpe Hierusalem de hostibus liberauit. ita nihil vetat illum vocari, accelera clamare, festina vociferari, quia videlicet antequam nasceretur de matre, & assumpto homine laboraret, ipse clamabat, & vociferabatur in sanctis fidē habentibus promissionis & aduentus sui, sine cuius fide non decebat quēquam exaudiri. Equidem in multis exauditi sunt propter eum, sed non ita vt consummaretur præuaricatio, & finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, & adduceretur iustitia sempiterna. Non ita Christus habebat exaudiri, donec ipsemet in sua persona consummaret obedientiam vsq; ad mortem, mortem autem crucis, quæ futura erat consummatio clamoris & vociferationis. Quòd dicit vociferabor vim patiens, sensum habet venerabilem, si recolas quod alibi dicit, quæ non rapui, tunc exoluebam, id est, quam non merui mortem sustinebā. Vndè confestim quodammodo queritur, dicens. Quare ostendisti mihi iniquitatē, &

Psalm. 68. laborem videre, prædam & iniustitiam cōtra me? Quod dicit, ostendisti mihi, hunc sensum habet, ac si diceret, imposuisti. Ostēdisti mihi (ait) iniquitatem, subauditur, non meam. ostendisti mihi laborem, id est, imposuisti mihi vt laborem propter iniquitatem, non meam, sed alienam. Nam & hinc Esaias loquitur. Et dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, & dominus voluit conterere eum in infirmitate, & pro eo quod laborauit anima eius videbit & saturabitur. Ostendit etiam prædam, sicut protinus apud eundem Esaiam. Dispersam ei (inquit) plurimos, & fortium diuidet

Esaiæ 3. spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam. Audiendum diligenter est, quòd cum dixisset, prędam addidit, & iniustitiam contra me. Nam tu Deus prædam illi, prædam iustam ostendisti, vt fortem armatum, id est, diabolum iustè prædaretur, qui fuerat iniustè prædatus. At ille qui maximè debuisset eum recipere, vt ei cederent in partem prædę, repulerunt eum nimis iniustè. Hoc rectè intelligitur, vbi cum dixisset, ostendisti mihi prædam, addidit, & iniustitiam contra me. Quòd modo iam dicto ostēdit illi iniquitatem, & laborem, & prædam, non fuit contra ipsum, quia sponte in omnibus subijt obedientiam. Hæc autem iniustitia qua repulerunt eum, fuit contra ipsum, quia non fuit ex Deo, licet vt hoc facerent, excæcati & aggrauati fuerint per iustum Dei iudicium. Non autem quasi ignorans dicit, quare mihi hæc ostendisti, sicut & illud in psalmo, Quare me dereliquisti, sed huiusmodi quæstionem ideo ponit ita, vt soluat sic, Longè à salute mea, verba delictorum meorū, id est, quia tēà salute mea longè fieri expostulant delicta meorum. Sequitur. [Et factum est iudicium, & contradictio potentior.] Factum est iudicium, subauditur peruersum. Sequitur enim. [Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium, quia impius prævalet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum.] Et quid est iudicium peruersum, nisi iudicium contradicentium? Præmisso nanque, & factum est iudiciū, subiunxit, & contradictio potentior. *Iudiciū pet uersum.* & quid est contradictio, nisi legis laceratio? statim namq; intulit, propterea lacerata est lex, &c. Iam nunc vt ad sensum intimum expeditior aditus pateat, Primo notandum est, quòd nō ita dixit, propterea impius prævalet aduersus iustum, quia lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium, propterea impius prævalet aduersus iustū, quia egreditur iudicium peruersum, sed econuerso, propter hoc (inquit) lacerata est lex, & nō peruenit ad finem iudicium, quia impius prævalet aduersus iustū. Non enim hic de illo agitur iudicio peruerso, quo sæpe iudices iniusti pro muneribus iustificant impium, condemnantes iustum: sed de illo quo homines ipsum præsumunt iudicare Deum, veluti iniustum, quoties aduersitatibus fatigare iustum, & prosperari viderint impium. Talibus Malachias prophe- *Malach. 2.* ta loquitur. Laborare fecistis dominum in sermonibus vestris, & dixistis. In quo eum fecimus laborare? In eo cum diceretis, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu domini, & tales ei placent. Aut certè vbi est Deus iudicij, hoc prænotato, iā nunc ad prælibata prophetiæ verba recurramus. Et factum est (inquit) iudicium & contradictio potentior. Vbi tu domine ostendisti mihi iniquitatem & laborem videre prædam & iniustitiam contra me. Vbi ego clamabam, & non exaudiebas, vociferabar ad te vim patiens, & non saluabas, ibi & in similibus euentibus, id est, propter similes euētus factum est iudicium, subauditur peruersum, & contradictio potentior, subaudi tur dictione illorum, qui quod verum dicunt, vt puta iustus es domine, & rectum iudicium tuum. Potentior (inquam) eorum dictione, de quibus itidem scriptum est, quàm bonus Israel Deus, ijs qui recto sunt corde. Contradictio illorum est, qui dicūt, *Psalm. 72.* qui facit malum, bonus est in conspectu domini, & tales ei placent, aut certè vbi est deus iudicij? Suam namque contradictionem roborant argumentis quasi rerum euidentium, quia videlicet pacem peccatorum vident, quia non est respectus morti eorum, & in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, imò & abundantes in seculo diuitias obtinuerunt, & econtra iusti flagellati fuerunt tota die & castiga-

castigatio eorum in matutinis. & ego qui omnium iustissimus eram vel sum, præ omnibus flagellatus & castigatus. derisus fui, & morti turpissimæ addictus. & omnes qui vidēbant me, deriserunt me, locuti sunt labijs & mouerunt caput, me clamante, me vociferante, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quia sic impius prævalet aduersus iustum, potentior contradictio est, vtpote præsentibus argumentis muniens se, legē lacerans, legisque Deum ac dominum blasphemans, aduersus eos qui recto sunt corde, resistens illis potentius, seque opponens, dicentibus, quàm bonus Israel Deus. Laceratur hoc modo lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium, id est, non cōceditur verum habentibus iudicium, Deum esse bonum, Deum esse iustum, Deum curare de rebus hominum. imò egreditur iudicium peruersum, scilicet omnem qui facit malū, bonum esse in conspectu domini, & tales ei placere. Sed nunquid impius semper prævalet aduersus iustū? Nunquid ille impius, scilicet populus Iudaicus, qui tunc prævalens aduersus iustum crucifixit eum, & lacerauit *Psalm. 21. Matth. 27.* eum, mouens caput, & dicens: Sperauit in domino, eripiat eum, saluum faciat eū quoniam vult eum. siue illud: Vah qui destruit templum Dei, & in triduo illud reædificat, salua temetipsum, & his similia. Nunquid (inquam) impius semper validus, & iustus ille semper inualidus? Non vtique. Sed quod "continuò mutata voce loquitur. [Aspicite "in gentibus, & videte, & admiramini, & ob- "stupescite, quia opus factum est in diebus "vestris, quod nemo credet cū enarrabitur. "Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem "amaram & velocem, ambulantem super la- "titudinem terræ, vt possideat tabernacula "non sua, horribilis & terribilis est, ex semet "ipsa iudicium, & onus eius egredietur. Le- "uiores pardis equi eius & velociores lupis "vespertinis, & diffundentur equites eius.] Quanta vocis mutatio, non mutata persona. Vnus idemque quanta prius loquebatur in infirmitate, & quàm magna nunc loquitur in virtute, iam supra prælibauimus, *Act. 13.* huius loci meminisse Paulum in actibus Apostolorum, vbi apud Antiochiam ingressus synagogam Iudeorum, habitum sermonem exhortationis ad plebem, ita concluſit. Videte ergo, ne superueniat vobis, quod dictum est in prophetis. Videte contempto *Verba ad Christū referenda.* res, & admiramini, & disperdimini, quia opus operor ego in diebꝰ vestris, opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis. Horrendè dixit, terribiliter pronunciauit. videte ergo, ne superueniat vobis. Horrendum namque & terribile est, non credere opus, quod ego operor in diebus vestris, ait dominus, propter illud quod continuò sequitur. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, &c. Nisi Apostolicum sensum sequamur, & in illis diebus intendamus, de quibus ipse sentit dictum hoc esse in prophetis, quomodo stabit aut verum erit, quia opus operor, quod non credetis, si quis enarrauerit vobis, quia ecce ego suscitabo Chaldæos? Nunquid illud opus, quod olim suscitauit Chaldæos & regem Nabuchodonosor, vt ambularent super latitudinem terræ, non crediderunt Iudæi, aut non crederent, si narraretur eis? imò quid opus fuit enarrari illis, præsertim captiuis in Babylonia succensa ciuitate, & templo Chaldaico igni? Quis enim illorum hoc ignorare potuit? Adde, quòd (sicut superius dictum est) temporibus apostolorū, imò & tempore quo prophetauit Abacuc, non futurum, sed iam erat factum, id quod litera sonare videtur præsenti loco, quia ecce ego suscitabo Chaldæos. Igitur aspicite in gentibus, & videte, & admiramini, siue iuxta septuaginta interpretes, videte contemptores & admiramini, & disperdimini, &c. verba sint, vt vere sunt, non iam iudicaturi, sed iam iudicatis iusti, aduersus quem impius Iudaicus populus prævaluit, vt diceret. Vsquequo domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis, siue Deus meus, vt quid dereliquisti me? Aspicite (inquit) videte (ait) & admiramini, ô vos contemptores Iudæi, & in omnes gentes disperdimini. Quam ob causam? Quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum enarrabitur. Quod est illud opus? Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, *Suscitabo Chaldæos, id est, Romanos.* &c. Reuera hoc opus non crediderunt Iudæi, tunc cum enarrarent apostoli. non crediderunt nunc cum enarrant successores apostolorum Christiani, quòd ego ipse qui in cruce moriens, tanquam derelictus clamaui, qui mortuus & sepultus fui, ego ipse (inquam) nunc viuam, nunc resurrexerim, & adhuc ô Deus pater tecum sim, & post paucos ex quo mortui fui annos, suscitem Chaldæos, id est, gentem amaram & velocem, similem Chaldæis, similem inquam, id est, quæ veram nimisque perfectam iteret similitudinem eorum, quæ olim gesserunt in vos illi homines, gentili nomine Chaldæi, ita vt eodem mense, imò & eodem die anni succensa ciuitate, succendant & templum vestrum, quo illud olim succenderunt illi Chaldæi. Nam & hoc Iosephus, non negligendum, imò admirandum arbitratus, ita *Iosephus de bel. Iud. li. 7. cap. 14.* scripsit. Titus autem discessit in Antoniam, decreto postridie mane cum omni exercitu aggredi, templumque obsidere. Sed id planè Dei sententia iamdudum igne damnauerat, euolutisque temporibus aderat fatalis dies, qui erat decimus mensis Augusti, quo etiam prius à rege Babyloniorum fuerat concrematum. Item post eiusdem incendij narrationem. Mirabitur autem (ait) quis in eo etiam circumacti temporis fidem. Nā

Universidad de Deusto
Biblioteca

& mensem (vt dictum est) eum, diemq; seruauit, quo primùm à Babylonijs templum erat incensum. Nec verò solummodo propter huiusmodi similitudinem, illud excidium arbitramur congruè dictum esse suscitationem Chaldæorum, verumetiã propter inuisibilem impetum, qui profectò simul aderant, spirituum malignorum, quibus sine dubio Iudæi secundum animam & corpus traditi sunt, & quos Chaldæi nomine & re significauerunt. Nomine, quia Chaldæi feroces interpretantur. re autem, quia populum Dei de terra sua captiuum duxerunt, sicut operatione malignorum spirituum in Adam sub peccato captiuati, omnes electi in huius mundi exilium deuenerunt. Magna res, magnum malum, & tam grande, vt dignum se dixerit spiritus sanctus per os Apostoli, videre contemptores, ne superueniat. Commonuit eos, sed non profuit eis, quia non viderunt, non sibi prouiderũt, ne superueniret eis. Oportebat ergo ita fieri, necessarium erat impleri veritatem iudicij, & ita factum est. Suscitauit ille, susci-
Act. 13.
tatus à mortuis, alios Chaldæos, alteram
Roma tropicè Babylonia dicitur.
Babyloniam, id est, Romam. Nam salutat vos (ait Petrus Apostolus) ecclesia, quæ est
1. Pet. 5.
in Babylone collecta, Romam tropicè percutiens, id est, ipsam iuxta omnem rerum similitudinem volés intelligi Babylonem. Cur non eadem ratione Chaldæos hic intelligimus Romanos? Hoc est opus, quod nemo (inquit) credet, cum enarrabitur. Credunt quidem Iudæi, imò bene sciunt, & nimis bene nouerunt, quòd veneruntRomani, & similia Chaldæis, imò peiora fecerint eis, quàm Chaldæi, sed non credunt narrantibus, non credunt prædicantibus, quòd ille hoc opus fecerit aut facere potuerit, qui ab ipsis crucifixus est, qui mortuus & sepultus est, quòd resurrexerit, in cælos ascenderit, & omnem habens potestatem in cælo & in terra, hoc illis facere potuerit. Nemo
Nemo credit. i. pauciſsimi.
credit, id est, qui credunt, sunt pauciſsimi. Nam qui crederent ex Iudæis, fuerunt quidem aliqui, sed in comparatione non credentium, fuerunt & sunt pauciſsimi, ita vt rectè dicas, nemo credit, sicut apud Esaiam eadem veritas. Iustus (inquit) perit, & nemo recogitat, hinc percipit corde, & viri iusti tolluntur, & nemo recogitat. Veruntamen primò spiritus malignos hic intelligimus Chaldæos, secundariè Romanos, hoc solummodo in hoc mysterio differentes, quòd ab equis differunt equites, quoniam hoc dictum est. Leuiores pardis equi eius, &c. Igitur iam ipsa diligentius verba consulamus. Ecce (inquit) ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideant tabernacula nõ sua. Hoc est onus quod vidit Abacuc propheta, hęc est illa, quę passionem Christi filij Dei secuta est, ira & pressura, quemadmodum ipse dixit. Erit enim
Matt. 24. Luc. 21.
pressura magna super terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Chaldæos feroces, Chaldæos hostes visibiles pariter & inuisibiles suscitauit, quando Romanos adduxit, simulque malignis spiritibus impium, qui prætualuerat aduersus iustum, tradidit, & quis gentem illam, gentem nescisat amaram, gentem velocem? Quàm amari humano generi sunt spiritus maligni, & quàm veloces ad persequendum & consequendum omnem animam, quæcũque hyeme vel sabbatho fugit, id est, quæ deprehenditur in frigore infidelitatis, & tunc primum salutis suæ meminit, quãdo sicut non est tempus operandi, ita non est licentia fugiendi. Quàm velociter gens ista consecuta est impium illum sibi traditum ab illo iusto, qui hæc loquitur, quoniam iniustè prævaluerat aduersus eum. Quod deinde dicit ambu-
Dæmones in Romanis sicut ſeſſores in equis
lantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua, & subinde leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, admiratione magis quàm expositione indiget, si recolas, quomodo Romana potentia super latitudinem terræ ambulauerit, quanta egerit. Non vtique per orbem terrarum tantùm fudisset sanguinis, tam sui quàm alieni, nisi dorso eius tanquã equo gens amara & velox insedisset, gens inuisibilis, de qua iam dictum est. Quod deinde dicit, vt possideat tabernacula non sua, tam equos quàm equites culpat, quia videlicet & Romani nimis cupidè possederunt aliena, & malignus spiritus, cum in euangelio dicit, Regna orbis terræ omnia mi-
Matth. 4.
hi tradita sunt, & cui volo, do illa, profectò possidere præsumit tabernacula non sua. Verum nos nunc de illis potiſsimum agimus tabernaculis, in quibus olim iustitia habitabat (ait Esaias) nunc autem homicidæ.
Esaiæ 1.
Ciuitas Sion, siue Hierusalem & templum, tabernacula erant, quæ gens ista non possidebat, nec erant sua, quamdiu iustitia in eis habitabat, iustitia fidei & spei, quæ illic reposita fuerat, in promissione aduentus
Geneſ. 5.
Christi, in qua credidit Abraham, & est reputatum illi ad iustitiam. Nõ (inquam) possidebat, quamuis illa deuastaret ad tempus, vt prius illi fecere Chaldæi, quando Nabuchodonosor, concremata ciuitate & templo, duxit habitatores in Babyloniam captiuos. Ex quo de illis tabernaculis mali agri-
Matth. 2.
colæ eiecerunt & occiderunt filium, dominum vineæ, ex eo gens ista possidet eadem tabernacula, quondam non sua, nec enim extunc vlla in cæremonijs illorum tabernaculorum habitat, vel habitare potest iustitia. Qualis ista gens? Horribilis (ait) & terribilis est, ex semetipsa iudicium & onus eius egredietur, Leuiores pardi equi eius, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur

equites

equites eius. Duo de gente ista prædicauit, horribilis & terribilis, eamque in duo, scilicet in equos, & equites distinxit. Equos homines, equites intellige dæmones hominũ malos agitatores, & tam equos quàm equites, tam homines quàm dæmones, nimirum
Chaldæi dæmones sunt & Romani.
Chaldæos, id est, feroces, equos inquam, id est, homines terribiles, equites, id est, dæmones horribiles. Igitur gens horribilis atque terribilis. Nunquid autem Deus hoc fecit, quod est horribilis, quod est terribilis? Non vtiq; ait ipse dominus, sed ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur. Quid est iudicium, nisi dãnatio? & quid onus, nisi proprij cordis induratio siue aggrauatio? Nimi-
Titum. 3.
rum (vt breuiter dicam) cum quis scienter peccat, ita vt de illo veraciter dicas, quia sub uersus est & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus, verum est de illo dicere, quia ex semetipso iudicium eius egredietur. Et cum quis gladium accipit, non vt minister Dei, non vt sit vindex in iram ei, qui malè agit, sed vt voluntati vel inuidiæ propriæ morem gerat, aut etiam ad malè agendum compellat, vt fecit Antiochus, & quique similes eius, verum est dicere, quia ex semetipso onus eius egredietur. Sic est omnis ista gens Chaldæorum vniuersitas malignorum spirituum & impiorum hominum, quia & proprio iudicio condemnati sunt, extollendo se contra creatorem suum & in omni pressura, quam faciunt feroces atque superbi, inuidiæ vel voluntati propriæ seruiunt. Inde se iustificat & excusat,
Deus nõ facit, ſed ſuſcitat gentẽ amarã. Eſaiæ 10.
mali nullius author Deus, nullam creaturam malam esse faciens creator bonus, dum de gente ista dicit, ex semetipsa iudicium & onus eius egredietur. Quomodo ergo gentem eiusmodi suscitare se dicit. Ait enim, quia certè ego suscitabo Chaldæos gentem amaram, &c. Ad hæc cita responsio patet, quia aliud est gentem amaram facere, aliud gentem amaram suscitare, siue genti amarę potestatem dare, quod interdum poscit ordo iustitiæ. Exempli gratia. Pharaonem deus malum esse non fecit, sed cum malus esset, in regiam potestatem suscitauit, quia sic expediebat, & interdum expedit populo Dei, vt qui malus est, tiat etiam potens, sitque in manu Dei virga furoris & baculus indignationis, & inde commoda illa prouenium, quæ Salomon loquitur in parabolis.
Prouer. 19.
Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Igitur onus gentis huius amarę, gentis horribilis atq; terribilis, ex semetipsa (inquit) egredietur, id est, spontanea cor eius impietate grauabitur, & totus in malũ erit conatus eius, vnde Deus non erit culpãdus, velut author amaritudinis eius. imò laudandus, quod amaritudine eius benè vtetur, vt dum pestilentes flagellantur, aliquis stultus ad sapientiam proficiat, eorum exemplo territus, & qui sapientes fuerint, vt olim Daniel & socij eius, eodem flagello correpti, melius intelligãt disciplinam. Qui porrò sunt vel fuerunt pardi, & lupi vesper-
Pardi, Græci. Lupi veſpertini Perſæ et Mœdi Dani. 7.
tini, quibus leuiores & velociores dicuntur equi huius gentis? Pardos libet Græcos intelligi, quia videlicet apud Danielẽ per pardum regnum Greçorum constat in visione significari. Lupos vespertinos arbitramur Persas & Mœdos, videlicet, Aman hostem Iudæorum, & complices eius, qui vtiq; Persæ & Mœdi per vrsum in eadem visione intelliguntur. Illi namq; tãquam lupi vespertini, lupi famelici, nihil in mane relinquere volebant, sed totum deuorare, vniuersum genus Iudæorum, vnde Christus nasceretur, delere cogitabant. Lupis illis & pardis iam dictis leuiores atque velociores fuerũt equi Chaldaici, equi Babylonij, siue illam priorem Babyloniam intelligas, vbi regnauit Nabuchodonosor, siue secundam Babyloniam, id est, Romam, de qua iã superius dictum est, quia salutat vos (ait Petrus Apo-
1. Pet. 5.
stolus) ecclesia, quæ est in Babylone collecta, Babyloniam namq; Romam dicit, propter effusionẽ multiplicis idololatrię. Tempore enim Claudij Cæsaris Romæ illam epistolam scripsit, prius quàm Alexandriam mitteret Marcum, cuius ibidem meminit, dicendo. Et Marcus filius meus. In quo tandem equi isti leuiores fuere pardis illis, velociores lupis illis. In eo videlicet, quòd illuc vsq; peruenerunt quo intenderunt, & quod insequebantur assecuti sunt. Nam vtrique Babylonij ciuitatem & templum succenderunt, & populum captiuum duxerunt. Et priores quidem Babylonij populum intra se captiuum tenuerunt, quia sic voluerunt, posteriores autem vendiderũt & in omnes gentes captiuos distraxerunt, quia sic voluerunt. At verò pardi illi, lupi illi, non tam veloces fuerunt, vt assequerentur, quod voluerunt. Nam lupos quidam, scilicet Aman & complices eius, regina He-
Heſter 2.
ster, & Mardochæus velociores sapienter præuenerunt. pardos autem, id est, Græcos cum Antiocho Epiphane, Iudas Machabę
1. Mach. 4
& socij eius fortiter ab incepto retraxerunt. Equos iam dictos nullus præuenit, nullus retro egit, sed (sicut iam dictum est) peruenerunt, quo intẽderunt, perfecerunt quod voluerunt. vsq; ad ignem, vsq; ad fumum, vsq; ad ciuitatis & tepli irrecuperabile exterminium. Adde quod sequitur. Et diffundentur equites eius. Equites malignos spiritus, equos autem eorum homines iam diximus. Parũ erat ad vindictã, quod ceciderũt in ore gladij corpora hominu, nisi etiã malignis spiritib. in prædã cæderent animę illorum. Diffundentur erpo (ait) equites eius. i. omnia complebunt maligni spiritus, nullis obsistentibus bonis spiritibus, quippe qui iam abierant, dicentes (vt refert Iosephus)

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioſephus de bel. Iud. li. 7. cap. 17.

migremus ex his ſedibus. Feſto (inquit) die quem Pentecoſten vocant, nocte ſacerdotes intimum templum more ſuo, ad diuinas res celebrandas ingreſsi, primum quidem motum quendam ſtrepitumque ſenſerunt, poſtea verò ſubitam vocem audierũt, quæ diceret, migremus hinc. Profectò res quæ ſubſecuta eſt, ſatis aſtruit, migraſſe illinc omne præſidium bonorum ſpirituum, & in locum deſtitutum diffuſam fuiſſe multitudinem ſpirituum malorum, quos hic dicimus equites inuiſibiles equorũ viſibilium, id eſt, bellicorum hominum duros agitatores. Vndè adhuc ſequitur. [Equites nanque eius de longè venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient, facies eorũ ventus vrens.] Reuera de longè venerunt equites eius, quia videlicet natura ſiue conditione, longè à quocunque homine ſunt maligni ſpiritus. Proinde gens eiuſmodi horribilis ſupra dicitur, nimirum & ab humano genere natura longè ſunt, & contra humanum genus immani odio feruntur. Et quia veloces ſunt, vtpote ſpiritus, parum fuit dixiſſe, venient, addiditque volabunt. Congruè per hoc verbum volabunt, quod eſt auium, naturalem expreſsit velocitatem immanium ſpirituum. Nec verò quomodocunque volabunt, ſed ſicut aquila (inquit) feſtinans ad comedendum. Aquila rex auium, aues tamen ab auiditate comeſtionis dictæ ſunt, ſiue ab eo quòd vias certas non habeant, ſed per auia quæque diſcurrant. Simul ſciendũ, quòd aquilæ figura ſignum erat in vexillo Romanorum. Cum ergo dicit, quaſi aquila feſtinans ad comedendum, mira ſimilitudinis aptitudine velocitatem atque auiditatem ſimulque poteſtatem, vimq; magnam declamat eiuſmodi equitum, id eſt, malignorum ſpirituum, properantium cum illis Chaldæis ſiue Babyloniis, ſcilicet hominibus Romanis ſuis (vt iam dictum eſt) equis ad permiſſarum ſibi deuorationem animarum. Omnes (ait) ad prædam venient, facies eorum ventus vrens. Cum dicit omnes, ſimul equos & equites; id eſt, homines intelligere pariter & dæmones. De equitibus, id eſt, dæmonibus ex abundanti eſt dicere, quàm auidi ad efferendas animas venerint prædones. De hominibus verò, quã intenti ad prædam fuerint, & cupiditatis quàm odibilis, cum multa in hiſtorijs experimenta ſint, vnum hic nimis horrendum nõ præterire libuit. Quidam (ait Ioſephus) apud Syrios ex transfugis deprehenditur è ſimo ventris aureos colligens. Tranſglutientes enim eos veniebant, qui cunctos ſeditioſi ſcrutabantur, & maxima vis auri fuerat in ciuitate. Hac arte detecta totis caſtris fama percrebuit, quòd auro transfugæ pleni venirent. Arabum enim multitudo, & Syri ſciſſos ventres ſupplicum rimabantur, & hac ego clade (inquit ille) credo ſæuiorẽ non contigiſſe Iudæis. Vna deniq; nocte duorũ miliũ patefacta ſunt viſcera. Veraciter igitur oẽs (ait) ad prædã venient, ſtatimq; ſubiungit. Facies eorum ventus vrens. Et reuera ſic accidit, quia completum eſt, quod ad Moyſen prædictum fuerat, ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſsima. Hoſtes vtibiles ignem ſuccenderunt viſibiliter vrentem, & ille ignis in furore domini ſuccenſus eſt, hoſtes autem inuiſibiles animarum prædam deuexerunt ad ignem inuiſibilem, ignem inextinguibiliter vrentem. & hic ardet, & ardebit vſque ad inferni nouiſsima, id eſt, vſque in finem, vel ſine fine. quia ſicut regni Dei nullus erit finis, ita nulla inferni erunt nouiſsima. Sequitur. [Et congregabis quaſi harenam captiuitatem. De regibus ipſe triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt. Ipſe ſu, per omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam. Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet.] Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. In quẽ hæc, dicuntur, dubium eſſe non debet, quin ipſe ſit diabolus rex equorum & equitum, de quibus ante loquebatur, rex Chaldæorum, id eſt, ferocium omnium ſuperbiæ filiorum, tam malignorum ſpirituum, quàm impiorum hominum. Cum de equis & de equitibus eius ſermo haberetur, repẽte ad ipſum tranſijt, qui eſt eorum caput. Nam ne dubites, quin de ipſo ſermo ſit, ſic illum deuorauit, & deſignauit. Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Non dixit, hæc eſt fortitudo Dei eius. diabolus enim non habet Deum, nec habere vult, ſed ita dixit, hæc eſt fortitudo eius, qui ipſe ſuus eſt deus, factor ſuus, quod videlicet ipſe dicere ſuit auſus, vndè & apud Ezechielem illis verbis ſub nomine Pharaonis arguitur. Ecce ego ad te Pharao, rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum & dicis, meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum. Et alibi. Et dixiſti (ait) dominus contra ipſum, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi. Non ergo dubium, quin in quem hæc dicuntur, ipſe diabolus ſit, quæ ita concluduntur. Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Nunc ipſa verba per ordinem ſequamur. Et congregabit quaſi harenam captiuitatem, & de regibus ipſe triumphabit, & cætera. Non ignoro pleraque horum, quæ hic dicuntur, vel ante dicta ſunt, ſuper Nabuchodonoſor intelligi poſſe, ſed quia apoſtolicam ſemel ſequi authoritatem libuit, ſiquidem Apoſtolus Paulus (vt ſupra dictum eſt) huius prophetiæ meminit, dicendo Iudæis, videte ne ſuperueniat vobis, quod dictum eſt in prophetis, & cætera. Fateor, non libenter recurrit animus ad illum carneum Nabuchodonoſor, præſertim cum iſte Abacuc legatur alicubi fuiſſe Danielis contemporaneus, quo tempore non futura, ſed facta erant, quę de eodem Nabuchodonoſor legimus. Veruntamen ſiue ante, ſiue poſt, quàm Nabuchodonoſor ille Iudam in captiuitatem congregauit, hæc prophetia contexta ſit, illud nemo eſt qui neſcire debeat illum geſsiſſe typum diaboli, & quod ita ſub nomine eius diabolus in ſanctis ſcripturis condemnetur, ſicut ſub nomine Pharaonis, & ſub nomine Aſſur, ſuis locis vel temporibus. Igitur & congregabit, inquit, id eſt, congregare non ceſſabit, quaſi harenam captiuitatem, captiuator generis humani diabolus, quãdiu in hoc ſeculo ſubſiſtit humanum genus. Congregare cœpit in Adam, & ex eo congregare non deſinit, aut deſinet vſque in finem ſeculi, quaſi harenam captiuitatem, id eſt, innumerabilem captiuitatem. Quis enim dinumerare poſsit captiuitatem generis humani, quam congregauit & congregabit etiam nunc liberatis ad Chriſti fidem his, quos præſciuit Deus, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis eiuſdem filij ſui? Et ſi de cætera multitudine hominum minus curandũ, attamen prophetæ de ſua gẽte pro humano affectu erat dolendum. Nam & ipſe dominus videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, videlicet conſiderans iuſtè ſuperuenturam illi duplicem mortem, duplicem animarum & corporũ captiuitatem. Similiter & de riſu eius ſuper omnem munitionem, & de eo quòd tyranni, inquit, ridiculi eius erunt, idem ſentiendum ſi ritè perpendimus, id quod iam ante dictũ eſt, quia Paulus apoſtolus contra contemptores Iudæos ad præſentem locum reſpexit, videte ergo, inquiẽs, ne ſuperueniat vobis, quod dictum eſt in prophetia, & cæt. Ita & illum intellexiſſe, ita Chriſtum qui in eo loquebatur voluiſſe libenter accipimus, ac ſi diceret, Videte ne ſuperueniat vobis, vt diabolus per manus Chaldæorum, id eſt, Romanorum, quoniam tunc Roma altera erat Babylonia, congreget de vobis quaſi harenam captiuitatem, ne ſuperueniat vobis, vt dum de regib. ipſe triumphat, veſtri quoque tyranni, veſtri principes ſeditioſi & nequiſsimi, ridiculi eius ſunt, ne ſuperueniat vobis, vt ſuper omnem munitionem veſtram, ſuper Antoniam, & ſuper Phaſelum, & ſuper Mariamnem, & ſuper Hippicon, ſuper Macherõta, & ſuper Maſadan, & ſuper cęteras omnes munitiones veſtras, ſuper templum, & ſuper ciuitatem riſu ſuo, riſu ſellito, & amaro ioco rideat, & compor tet aggerem, & capiat eam, per omnia reddens, vtpote grande & mirum mortis, qua paſcitur, ſpectaculũ præ oculis habens, quãtum vel quale in nulla gente vel natione habuiſſe legitur, ſi cunctas gentium hiſtorias ſiue tragœdias recenſeamus. Legamus Ioſephum vſque ad munitionis vltimæ excidium, quod vocabatur Maſada, & manifeſtum eſt, quia diabolus ibi habuit vnde rideret. Illud enim fuit vltimum, quo cõportato aggere, dum caperetur, ſicarij qui intus erant numero nongenti ſimul & ſexaginta cum mulieribus ſimul & pueris, conſilium ſecuti ſunt principis Eleazari, tanquam beatitudinis æternæ præmium aſſecuturi, ſi ſemetipſos trucidarent, potius quam viuos capi ſinerent, hoc modo egerunt. Sorte ex numero ſuo decem lectis omnium percuſſoribus, cum vniuerſi etiam propter coniuges ac liberos proſtratos compoſiti atq; amplexi manibus iacuiſſent, parato animo ſe mactandos prębebant, infeliciſsimum illud exhibentibus miniſterium. Nouiſsimi percuſſores ipſi, cum eſſent decem, vni nouem ſe occidendos ſuppoſuerunt, iſque nouiſsimus circunſpecta multitudine mortuorũ, ne quis forte in multa cæde ſupereſſet, qui ſuæ manus egeret, vbi cognouit omnes peremptos, ignem quidem immittit regiæ, vehementi verò manu toto per ſe tranſacto gladio, iuxta ſuos occubuit. Latuerunt duæ tantùm mulieres, & quinque pueri per cuniculos, remque ex his vt geſta fuerat Romani cognoſcentes admirati ſunt. Nouiſsima hæc, ſed non ſola fuit Iudaicę mortis inſania. Quanto putas riſu diabolus riſit in talibus, & ſi in cæteris quoq; gentibus habuit, vnde rideret. hoc vnicum fuit ludibrium nulli ſimile, vbi ipſe nimirum in Romanis agens comportauit aggerem, & cepit ciuitatem illam Hieruſalem, atq; inde captiuam abduxit animarum multitudinem. Nam (vt Ioſephus quoque teſtatur) contigit ciuitatem illam ad ſummum felicitatis gradum prouectam ad vltimos caſus deponi. Denique omnium poſt condita ſecula res aduerſas, ſi cum Iudæorum calamitatibus conferantur, ſuperatum iri nõ ambigo. Sequitur. Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet. Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Ne hominem eſſe putes in quem loquebatur, ſpiritum appellat eum, ſine dubio volẽs intelligi diabolum. Non enim dixit, tunc mutabitur ſpiritus eius, quòd congruè de homine aliquo loqueretur, ſed tunc (ait) mutabitur ſpiritus, ſcilicet ille de quo loquor, qui non caro ſed ſpiritus. Quid eſt aũt dicere, tũc mutabitur ſpiritus, niſi ac ſi diceret, tunc non erit Deus ille ſpiritus? Hoc namq; præcipuè differt falſus Deus ab eo, qui ſolus eſt verus Deus, q̃ ille mutabilis eſt, & mutis variatur accidentibus. verus autẽ Deus incommutabilis eſt, & nullis ſubiacet accidentibus Pulcherrimè ergo per hoc verbũ, tunc mutabitur, Deus non denegatur eſſe il le ſpiritus. Et quamobrem, vel intuitu Deẽ eſſe denegatur, dicendo tunc. i. illo tempore mutabitur. Nimirum ob rem certam, ob rẽ magnã, quia videlicet olim ille ſpiritus Deus eſſe ſua præſumptione exiſtimabatur, vnde & hic protinus cum improperio dicitur

Daniel. 14.

Quomodo congregat diabolus.

Rom. 8.

Luc. 10.

Munitiões Iudæorum

Ioſephus de bel. Iud. li. 7. cap. 46.

Li. 7. c. 27.

Deut. 32.

Ezech. 29.

Ibid. 28.

Act. 13.

Diabolus rex equorũ & equitũ.

Tũc mutabitur ſpiritus quia nõ eſt verè deus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur Deus suus, his verbis. Hęc est fortitudo eius Dei sui, id est, illius qui ipse suus est deus, dicendo. Ego memetipsum feci, sicut iã supra cum prophetico testimonio memorauimus. Quando hęc prophetia condebatur, tunc iste spiritus & dæmonia eius pro eo colebãtur, in simulachris adorabãtur, & tunc reuera stultus sibi erat Deus, imo & extolli tur supra omne qđ dicitur Deus, aut quod colitur, ait Apostolus. Futurum enim erat, vt statim post risum, quo risit super templum illud, super ciuitatem & munitiones eius, super Iudæam, in qua sola natus eatenus fuerat Deus, dum ipse in gentibus quasi Deus haberetur, statim (inquam) ipse vanitatis arguitur, tantaque mutatio fieret circa ipsum, vt cognosceretur esse non Deus, sed diabolus, suumque amitteret atrium illud maximum. i. Romanum imperium. Et econtra Deus, siue Dei filius, Christus, pro vno templo, super quod ille fecit risum iuste permissus, & pro vna gente Iudæa in qua debuerat esse notus, innumera per orbem terrarum haberet templa, & à cunctis coleretur gẽtibus expulso illo, tam de templis quàm de ipsarum gentium cordibus. Tunc ergo (inquit) mutabitur spiritus, nimirum magna mutatione, vt appareat mutabilis diabolus, qui putabatur esse & volebat videri incommutabilis Deus. Hæc mutatio continget ei secundum similitudinem illius Chaldæi, siue regis Chaldaici, qui dũ eodem spiritu inflatus, diceret. Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei, statim demutatus est in amentiam bouis? Fœnum (inquit superna vox) quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te. Secundum illam, inquam, similitudiné mutabitur (ait) spiritus, vt videlicet, & ipse fœnum vt bos comedet, sicut ad B. Iob de ipso dictum est. Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Nec verò sic solum mutabitur, verumetiã & pertransibit ait & corruet. Ergo non bona mutatio hæc, cuius finis hic est, quod pertrãsibit & corruet. Peruersa mutatio hæc, quoniam non fecit ille, qui solus incommutabilis est. Etenim præter ipsum omne quod est, mutabile est, sed aliorum quidem mutationem ille fecit, aliorum autem non fecit. Mutationem bonorum fecit in bonum, vtputa cęlorum, id est, sanctorum, de quibus in psalmo scriptum est. Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut operto rium mutabis eos, & mutabũtur, tu aũt idé ipse es, & anni tui non deficient. Hæc mutatio cælorum bona est, & hanc facit immutabilis Deus, qualem & nos speramus, quando mortui resurgent incorrupti. Ait quidam ex ipsis cælis, Paulus apostolus. Et nos immutabimur, id est, impassibiles efficiemur. Hinc est illud in titulo psalmi quadragesimiquarti. In finem pro his, qui commutabuntur, subauditur, perfecta commutatione, quæ in futuro erit, quando de tristitia in gaudium, de imperfecto ad perfectum conuertentur, quantumcunque despicabiles, & contemptibiles in hoc mundo videantur. Non illis improperatur, aut improperabile est, imo promittitur, & in lætitia prædicatur, quia mutabuntur, quorum dominus Deus est. sed huic, qui suus Deus est, improperabitur, quia mutabitur, additurque, & pertransibit, & corruet. Quod si quis objcit de cælis iam dictis, quòd & ipsi pertransibunt, quia sic dictum est. Ipsi peribunt, tu autem permanes, scire debet, quoniam perire illorum, hoc secundum carnem ad tempus interire est. Simulque videat ordinem dictorum, quia spiritus iste primum mutatur, & deinde pertransibit & corruet. cæli autem illi primum peribunt, & deinde tu domine mutabis eos, & mutabuntur. Finis huius corruere est, quia vitio suo mutatus est. finis illorum mutari est, quia virtus, id est, spes eorum in cęlis reposita est. Quousq; tandẽ pertransibit? vel quod pertransibit? Numerũ suũ pertransibit, quousq; expleat suum numerum pertransibit. Habet enim numerũ suũ, & hic sapiẽtia est, dicitur in Apocalypsi. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Numerus hominis senarius est, quia sexta die homo factus est. Porrò, numerus septenarius quodammodo numerus est Dei, quia die septimo requieuit. Omnis hominis numerus, qui ad requiem domini non peruenit, qualibus iuraui, inquit, in ira mea, si introibunt in requiem meam, omnium, inquam, qui creatura Dei vel semetipsis abutuntur, & dilectionem creatoris non habent, vel qui creaturæ potius quàm creatori seruiunt, numerus senarius est. At verò ipsi diabolo numerus iste triplicatus, imò ter decuplatus est, quia numerus sexcenti sexaginta sex. Quam ob causam? Nimirum quia iudicium eius est triplex, tertiò iudicatus est, ita vt super illum loqui deceat maiestatem supernam. Ter iuraui in ira mea, si intrabit in requiem meam. Olim quippe de cælo proiectus est propter superbiam, quia contra Deum se extulit. Deinde iudicium maledictionis accepit in serpente, per quẽ hominem decepit. Tertiò iudicij siue damnationis incremento feriendus est in illo quẽ ingressurus est homine peccati, filio perditionis. Illuc vsq; pertransibit, & tunc demũ repleto numero suo, corruet ait, videlicet sicut ad B. Iob loquitur dominus, quia vidẽ tibus cunctis præcipitabitur. Hęc est inquit fortitudo Dei sui, & hoc exprobrantis elogiu est, hæc est fortitudo, id est, talis est fortitudo eius, vtique fallax fortitudo, vana fortitudo. Nunquid enim vera fortitudo est equitare, captiuitatem quasi hominum congregare, de regibus triumphare, & tyrannos ei ridiculos esse, super omnem munitionem ridere, comportando aggerem, & capiendo eam, & tunc mutari, ac pertransire & corruere. Nõ est hæc fortitudo vera imò arrogantia cæca. nõ alta omnipotentia, imò tumida impotentia. Attamen ille interim, antequam corruat vel præcipitetur (vt iam dictum est) in ignem æternum, qui paratus est ei & angelis eius, fortis sibi videtur, quia quippiam posse putatur, fortis (inquam) & Deus, extollens se supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur Deus (vt iam supra dictum est) suus, & vt dicit ipse à semetipso factus. Quapropter iudex verbum dei nouissima illum dictione irridendo denotauit. Cum enim dixisset: Hæc est fortitudo eius, subiunxit, Dei sui, hoc est, qui semetipsum fecit, sicut sibi arrogare præsumpsit. Sed id iam superius ex propheta Ezechiele demonstratum est. Iam ergo his pertractatis, audiamus quid sequatur. [Nunquid non tu, à principio, domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes eum fundasti eum.] Hæc & cætera vsque ad id, Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Propheta in suumet persona loquitur, statim quippe subiungit, & respondit ad me dominus, & dixit. Scribe visum, & explana eum super tabulas, & percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, nó mentietur. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Hęc ergo, nunquid non tu à principio domine deus meus, & non moriemur. domine in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes, fundasti eum. Hæc (inquam) reddidit ad ea quæ audierat intus, quæ audierat in spiritu. Audierat personam Christi filij hominis, filij Dei, primum ex infirmitate, in qua dereliquit eum Deus, dicentem: Vsquequo domine clamabo, & non exaudies, &c. vsque ad id, tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet. Hæc est fortitudo eius Dei sui. At illa duo, quorum alterum infirmitatis, hæc duo reddidit propheta fidelis. Nam quod ait: Nunquid non tu à principio domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur, pulchrè hic intelligitur, vt sit vox fidei & confessionis, vox pietatis & animi compatientis, animi inclinati & proni ad agoniam. filius filij hominis in passione agonizãtis, vbi & apparuit illi angelus de cælo confortans eum, & prolixius orantem, factusque erat sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Loquitur ergo ad eũ taliter, vti quemque nostrum loqui vult ipse qui per eum loquitur spiritus sanctus, quotics agonię siue passionis illius commemorationem facimus, eumque propter nos in cruce pendentem memori mente contẽplamur. Est namque in his verbis confessio veritatis, non quomodocunque, sed confessio cum admiratione, admiratio cum confessione. Nunquid (ait) non tu eras à principio domine Deus meus, sancte meus? Nonne tu es verbum, quod erat in principio apud Deum, & Deus verbum, & verbum caro factum, & propter hoc quia tu mortuus es, fiet nobis, quod non moriemur? Verè à principio, nam & alia scriptura dicit, cuius quoque Apostolus ad Hebręos pro tua persona meminit. Et tu (inquiens) in principio domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Consortare igitur domine meus, sancte meus, quia non ad insipientiã tibi, quòd videtur te dereliquisse Deus, imò ad magnam sapientiam, magnus enim erit mortis tuę fructus, quia nõ moriemur, quia & si peribunt cæli, id est, sancti morte carnis, tu primus resumpta carne permanebis, eosq; veterascentes sicut vestimentum, pro conditione mortalitatis, tu velut amictum mutabis vera resurrectione eiusdem carnis, & mutabuntur, ita vt iam ex eo semper in æternum incorruptibiles & impassibiles sint.

Porrò hoc alterum, quod continuò subiungit, Domine in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes, fundasti eum, viuẽ ti ex virtute Dei dignè dicit eidem Christo domino. Cuius infirmitas ex nobis sumpta pertransijt. Nam in iudicium posuisti eum, fortem vt corriperes fundasti eum, quem putamus, nisi illum riforem diabolum, de quo nunc dicentem, audiebat eundem dominum. De regibus ipse triumphauit & tyranni ridiculi eius erunt, ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam, tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet, hęc est fortitudo eius Dei sui? Eum (inquit) domine in iudicium posuisti, eum vt corriperes, fortem fundasti, videlicet secundum similitudinẽ Pharaonis, cui dixisti, Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam & narretur nomen meum in omni terra. Ergo non solum eum, sed maximè eum domine posuisti in iudicium, vt ostenderes in eũ fortitudinem tuam, & vt cognosceretur nomen tuum, non tantùm in omni terra, verũ & in omni cælo & in omni terra. Vbi posuisti, vel in quo fundasti eum? Non enim suspican-

1. Cor. 15.
Ezech. 29.
2. Thess. 2.
Iob 40.
Duplex mutatio, bona et mala.
Psalm. 101.
Danie. 4.
Numerus dieb. 666.
Apoc. 13.
Iob 40.
Fortitudo diabeli non vera.
Matth. 25
2. Thess. 2.
Ezech. 29.
Vera cõfessio de Christo.
Luc. 22.
Esaiæ 14.
Gene. 3.
2. Thess. 2.
Psal. 101.
Hebr. 1.
Domine in iudicio posuisti eum.
Exod. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suſpicandum nobis eſt, quod tuum ponere, hoc ſit malum facere. quod tuum fundare, hoc ſit velle ſuperbum eſſe. Non ita poſuiſti eum, non ita fortem fundaſti eum, ſed nec quempiam malorum ſiue fortium hominum. Vtique non Pharaonem, non Aſſur, ſiue Nabuchodonoſor, non Aman ſuperbiſſimum, non Antiochum, ſiue Herodem feciſti malum, vel voluiſti eſſe ſuperbum, ſed cum eſſent mali atque ſuperbi, poſuiſti illos in ſublimi, & hoc in iudicium. fundaſti eos fortes, & hoc ad corripiendum. Oportet enim notum eſſe, qui ad hoc corripitur. vt eius exemplo cęteri corrigantur ſiue erudiantur. Vbi ergo poſuiſti eum in iudicium, vbi fortem fundaſti eum ad corripiẽdum? In monte ſancto Dei, quemadmodũ *Ezech.28.* apud Ezechielem ipſe dicis. Tu Cherub extentus & protegens, & poſui te in mõte ſancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuę, donec inuẽta eſt iniquitas in te. Sciebas qualis eſſet, & quia ſciebas quòd corripere volebas, idcirco illic eum ponebas, vt primùm fieret notus, & tunc demùm corriperetur. niſi enim fuiſſet notus, non tã multi exemplo eius erudirẽtur, quemadodum & de Pharaone dici cõuenit, quia niſi in regnum fuiſſet eleuatus, nos hodie neque ipſum, neque correptionem, qua correptus eſt, tam bene ſciremus. Ibi poſuiſti eum in ſuum ipſius iudicium, ibi fortem fundaſti eum, fortem (inquam) quaſi cedrum, valiQualẽ creauit Deus diabolum. *Ezech.31.* dum habentem radicis ſuæ fundamentum. Non ſolummodo fortem, verumetiam pulchrum & magnum. Nam itidem apud Ezechielem dicis de illo, domine Deus, ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano, pulcher ramis & frondibus nemoroſus, excelſuſque altitudine, & inter condenſas frondes eleuatum eſt cacumen eius. Omne lignum paradiſi Dei non eſt aſsimilatum illi, & pulchritudini eius, quoniam ſpecioſum feci eum. Non igitur reprehendendum, imò laude dignum, quia iuſtum eſt, quod nunc dicis, tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet. Sed nec illud reprehendere auſim, quòd inter cætera ſuæ tyrannidis opera, quæ agendo in hoc mundo tyrannizat, & ſuper omnem munitionẽ ridet, maximè ſuper munitionem meam, ſuper gentem meam, ſuper templum & ciuitatem Hieroſolymam ridebit & comportabit aggerem, & capiet eam. Nec illud (inquam) reprehendo, imò hoc dico. [Mundi ſunt oculi tui, ne videas'' malum, & reſpicere ad iniquitatem non po'' teris.] Econtra, immũdi ſunt oculi iudicum'' peruerſorum, & idcirco væ illis, quia vi- *Eſaiæ 5.* dent malum, & ad iniquitatem reſpiciunt, dum dicunt malum bonum, & bonum malum. Iſta ratio vel ſola ſufficiens eſt, ſi quęram ego, ſi quærat alius quis, cur illum tu ſuper munitionem, ſiue ciuitatem illam ridere, & eam capere permiſeris, cum gens tua ſit, & locus tibi dicatus fuerit, cumque *Luc. 19.* tu natura clemens ſis, præſertim cum tu videns ciuitatem illam, & illum diaboli riſum perſpiciens imminere, fleueris ſuper illam. Si quis (iuquam) quærat, cur ita ſit, iſta ratio ſiue reſponſio ſufficiens eſt, vel mihi vel *Rom.9.* cuilibet alij. Exempli gratia, Apoſtolo Paulo dicenti. Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente cõſcientia mea, in ſpiritu ſancto, quoniam triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, & cætera. Rationem huiuſmodi debet admittere dolor, vt dicat: Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris, quod eſt dicere, Non poteris fauere facientibus malum, facientibus iniquitatem, quamuis cognati tui ſint ſecundum carnem, ſicut & noſtri cognati ſunt coguati prophetarum & apoſtolorum, triſtitiam magnam & dolorem continuum pro illis habentium. Quod dicimus hic reſpicere ad iniquitatem non poteris, tu confirmas euangelio, cum dicis: Non poſſum ego à meipſo facere quicquam, ſed ſicut audio, iudico. Præmiſeras namque, in iu- *Ioan.5.* dicio tuo nullam eſſe acceptionem perſonæ, dicendo. Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.
& ſubaudiendum eſt, abſque diſtinctione Iudæi & Græci.

FINIS LIBRI PRIMI IN ABACVC PROPHETAM.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ABACVC PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

Nihil iniuſtum à deo petendum. Gen.18.

IOquentem ad deum hominem, & volentem vt tanta maieſtas volũtatem eius faciat, oportet aliquid veræ fortitudinis habere, id eſt, iuſtitiæ, vt ſcilicet nihil eorum petat, quę iuſto Deo facere non conuenit, nec ita velit eum eſſe miſericordię memorem, vt obliuiſcatur iudicij. Sic Abraham cum Deo ratiocinari potuit, cũ eſſet ipſe, vt fatebatur, puluis & cinis, quia videlicet vltra id quod iuſtum erat loqui nõ addidit, interpellans pro Sodomis. *Gen.32.* Non enim iuſtum erat apud Deũ, illos reſeruari, ſi in tanta multitudine non inuenirentur ſaltem decem iuſti. Sic Iacob cum Deo luctari potuit, & eſſe vel dici contra Deum fortis, quia luctando nihil iniuſtum extorquere voluit, imò eſuriens & ſitiens iniuſti- *Exod. 38.* tiam, benedictionẽ flagitabat, qua ſperabat iuſtificari. Sic Moyſes Deum dicentem. Dimitte me, tenere potuit, quia non exigebat ab eo, q̃ iniuſtum eſſet, quatenus impunitos dimitteret authores peccati in reatu vituli, ſed vt ita iudicaret vel puniret illos, quatenus ipſe nihilominus verax permaneret & iuſtus, in eo quod Abrahæ promiſit, & repromittendo iurauit. Sic & iſte ſecundum nomen Abacuc, quod interpretatur luctator, luctari poteſt cum Deo, & loqui velut arguendo, quia non defendit impios vel iniuſtos ſuper quoſcunque videbat riſum eſſe, permiſſum eſſe diabolo, ſed iuſtum eſſe concedens ſuper illos iudicium, iuxta quod noueriſsimè dixit. Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem nõ poteris, id ſolùm in ratione cum Deo ponit, quod dum in ſeculo puniuntur iniuſti, ſicut per manum Romanorum puniti ſunt impij Iudæi, multa etiam patiũtur iuſti tanquã iniuſti, agitante potentes huius ſeculi homines eodem illo ſpiritu, de quo ipſe dominus ,, ſupra locutus, hoc ita incipit. [Quare non ,, reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuo- ,, rante impio iuſtiorẽ ſe.] Hæc & cætera quæ ſequuntur, ita tractare ingredimur, vt præ oculis habere velimus illud ſanctorũ, quorum hic vnus eſt deſiderium deſiderantiũ eius, qui venturus eſt, & cui hic loquitur, ad uentum ſecũdum, qui cũ venerit, iam & iniquo iniqua agere, & impio iuſtiorem ſe deuorare non licebit. Quid enim aliud iſte dicit & clamat, quã dicunt & clamant ſubtus altare animæ interfectorum, & propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habent, clamentes voce magna, & dicentes. Vſquequo domine, ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum, de his, qui habitant in terra? Denique id quod dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec impleantur conſerui eorũ & fratres eorum, nónne ſimile eſt ei, quod reſponſum eſt huic. Apparebit in finẽ, & non mentietur. ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit? Igitur quoniam propheta eſt, non dũbium, quin de regibus longè poſt futuris ploquitur, ad Chriſti venturi proſpiciens tempora, ſic iſtam querelam, quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, &c. perpendere dignũ eſt, tanquã ingemiſcẽtis, ppter illas quas ſancti & iuſti paſsi ſunt perſecutiones ſiue preſſuras, per idem illud beſtiale imperium, ſubquo & ipſe Chriſtus paſſus eſt, & in vindictam ſanguinis eius accidit famoſum illud excidium Hieroſolymorũ. Quare (inquit) non reſpicis ſuper iniquè agentes, ſubaudiTur impiorum principes, per totum orbem leges impias, & iniquitatis edicta ponentes, & quare taces domine deuorante impio iuſtiorem ſe? Quos enim impius quilibet in hoc mundo princeps, diaboli ſatelles, vt fuit Nero, & poſt illum quàm plures, quos, inquam, non potuit pietate nudare, ſibique cõfirmare, illos ſecundum corpus propoſita morte abſorbuit, & hoc fuit impio deuorare iuſtiorem ſe, te tacente, te vindictam differẽte, cùm clamet quotidie eorum ſanguis ad te. [Et facies hominis quaſi piſcis maris, ,, & quaſi reptile non habens principẽ.]Sub- ,, audiendum hic eſt, quare ita facies, quare ,, ita fieri permittes? & quaſi quis interroget, in quo fecerit homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem, continuò ſubiunxit. [Totum in hamo ſubleua- ,, uit, traxit illum in ſagena ſua, & congrega- ,, uit in rete ſuum.] Et eſt ſenſus, Quomodo ,, piſces ſiue reptilia maris principem non ha- *Obiectio* bent, ita videntur homines nullam ex te ha- *contra Dei* bere prouiſionem, nec per tuam regi proui- *prouidentiam.* dentiam, quia ſicut hamus totum ſubleuat ſicut ſagena, ſicut rete totum circundat vel congregat, tam illud quod bonum, quàm illud quod in genere piſcium eſt malum, ſic ille impius in ſuam poteſtatem totum redigit, & quod bonum, & quod eſt in humano genere malum, te tacente, te illum permittente in homines iuſtos deſæuire, ita vt putentur Deum non habere. Et hoc mirum, cùm te habeant & ſciant Deum, & quotidie ad te clament, dicentes. Et propi-

Cur ſancti tantopere deſiderant ſecundum Chriſti ad uentum. Apoc.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. Ne fortè dicant in gentibus, vbi est Deus eorum. Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Tu interim taces, & illi impio totum in hamo subleuare totum in sagena sua trahere, totum in rete suum contrahere licet, & cùm sit impius, super omnes tam iustos quàm iniustos imperium obtinet, & deuorandi siue occidendi potestatem habet. [Super hoc lætabitur & exultabit, & propterea immolabit sagenæ, suæ, & sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.] Non dubium aut ignotum est, quin impius in magno imperio multum lætatus fuerit, & sperans in multitudine diuitiarum suarū, multum exultauerit, ita vt etiam dedignatus humanam conditionem, Deum se appellari maluerit & iusserit, quod exempli gratia de Gaio dicere possumus, vt Iosephus quoque scribit. Procedente (inquit) tempore magnitudine dignitatis eleuatus, humanum perdidit intellectum, & sese volebat diuinitati videri consimilem, diuinitatem quę vera est inhonorans. Nam simulachrum suum iusit erigi Hierosolymis in templo Dei, renitentibus Iudæis, eosque volentes pugno superatos cogi. Igitur super hoc, inquit) lætabitur & exultabit. Nimirum lætitia inepta, exultatione fallaci. Equidem non omnis impius eiusmodi sic lætabitur, aut tãtum exultabit vt sibi videatur Deus, aut p Deo velit haberi, sed faciet quod sequitur. Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo. Quid est sagena impij, & quid rete eius? Nimirum cùm & aliud quid possit intelligi, maximè aurum & argentū eius sagena est & rete eius. Nam de nulla re magis impius præualet, quàm si aurum vel argentum copiosum habet. Eiusmodi sagenæ libenter includuntur, & ad huiusmodi rete valentes cupidi homines congregantur, & beatum dicunt impiū, cuius hæc sunt, & eum vltro sequuntur, eiusque imperium subiectis manibus amplectuntur. Hoc sciés quidam ex eiusmodi Antonius ex Cleopatra malè famosus, cū Actium sibi vt classem constituerat, aduenisset, & propè tertiam partem remigum fame absumptam offendisset, nihil motus. Remi (inquit) modò salui sint, nam remiges non deerunt, quoaduscq; Græcia homines habuerit. Ceperat enim Artabanen Armeniæ regem, quem & argentea catena vinctum ad confessionem thesaurorū regiorū coegerat. Quibus ablatis, nimirū quasi sagena grādi & reti magno instructo rientem pariter & occidentem, totum denique Romanum imperium includere & ad se trahere properauit, captus ipse sagena diaboli, scilicet amoribus iam dictæ Cleopatræ reginæ Aegypti. Itaque quia & vera est sapientis sententia, dicentis: Peccuniæ obediunt omnia, rectè dixerim, quia sagena & rete impij aurum & argentum ipsius est. Porrò de auro & de argento nónne sibi deos fecit, nónne simulachra operatus est, & ipsis sacrificauit? Immò & subditos sibi populos ad sacrificandum inuitauit, adorare coegit, & nolentem hoc facere, solius creatoris adoratorem occidit, atque ita iuxta querelam huius, iustiorem se impius deuorauit. Igitur reuera sagenæ suæ immolauit, & reti suo sacrificauit. Quam ob causam? Quia in ipso (inquit) incrassata est pars eius, & cibus eius electus. In auro nanque & in argento (sicut iam dictum est) omninò sperauit, & fecit de hominibus quod voluit, & inter homines gloriam acquisiuit, potentiam obtinuit, honorem assecutus est, voluptates suas expleuit, quibus rebus affluere, vtique fuit partem eius incrassari. Multos etiam ex eis qui religiosi esse videbantur, eadem sagena sua, vel eodem reti suo irretiuit sibique conformes fecit, quorum vel qualium respectu nimirum rectè nunc dicitur, Et cibus eius electus. [Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere, gentes non cessat.] Idem videtur repetendo dixisse, expandit sagenam suam, quod ante dixerat, traxit illud in sagena sua. Veruntamen illud palam constat, quia duas impius habuit vel habet sagenas, alteram qua volentes cepit populos & gentes, hæc est aurum & argentum (sicut iam dictum est) alteram, qua inuitos quoque constrinxit, & hæc est omne iniquarum legum eius edictum, quod per totum orbem expandit, præcipiendo cunctos interfici, qui nollent sacrificare sagenæ, & reti eius, argento & auro eius, aureis & argenteis simulachris eius, vt iam dictum est. Vnde protinus sequitur. Et semper interficere gentes non cessat. Denique hæc summa est querelæ huius causa quod iustorum sanguinem impius fundendo, iustiorem se deuorat. Primus ita fecisse legitur Nabuchodonosor. Nam ante illum, & si fuerunt qui auro & argento sacrificarent, nullus tamen fuisse legitur, qui taliter expanderet sagenam suam, vt de interficiendis gentibus daret legem qui sacrificare nollēt. Ille taliter expandit. Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis. In hora qua audieritis sonitum tubæ & fistulæ & citharæ, sambuci, psalterij & symphoniæ, & vniuersi generis muficorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittatur in fornacem ignis ardētis. Equidem ibi tacere visus est Dominus, deuorante impio iustiorem se, sed non vsquequaque. Nam permisit quidem, mitti in ignem tres pueros, vtique iustiores illo impio, sed cùm tres fuissent immissi, quatuor deambulabant soluti per medium

Iosephus antiqu. lib. 28 cap. 16.

Exod. 10.

Reti sua sacrificauit.

Primus idololatriæ dictum.

Dan. 3.

medium ignis, & species quarti, ait ipse qui vidit, similis est filio dei, sed quãta extunc futura erat, & facta est pro eadē causa deuoratio iustorum, interfectio gentium? Proinde non solus iste clamat ad Deum, dicens: quare non respicis, & cætera quæ hactenus dicta sunt, sed & omnes sancti, omnes iusti, taliter deuorati clamãt, & dicunt voce magna. Vsquequo domine sanctus verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra. Nec solæ clamãt illorum animæ in illo seculo, verùm & cùm illis & propter illos ad ipsum clamat ecclesia viuentium in præsenti seculo, desiderans iudicis & saluatoris aduentum, qui iustum de omnibus facturus est iudicium. Sequitur. [Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionē, & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.] Tale quid & Esa. loquitur. Super speculam domini ego sum, iugiter stans per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. Et reuera qui ad Deum loquitur, & rationem postulat de iudicijs eius, oportet vt supra custodiam suam stet, & gradum figat super munitionem, ne fortè labatur in sermone spiritus eius, aut supra quã expedit, quippiam loquatur. Ne temerè (inquit Ecclesiastes) quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui. Stabo ergo (inquit) super custodiam meam, & figam gradum super munitionem. Quæ autem illa custodia, vel quid est illa munitio? Nimirum vera mẽtis humilitas. Illa nanque virtus munitio firma, virtutumq; omnium fida est custodia. Nec facilè quis locum alium, petramue aliã reperire poterit, de quo Moyses saltem posteriora Dei dignus videre fuerit dicentis sibi. Ecce est apud me locus, stabis supra petrã. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, &c. Denique locum illũ non quidem illic nominatum inuenis, sed eiusdem Dei spiritus eum apud Psalmistam pulchrè & magnificè nominauit, id est, nimiam mentis humilitatem. Ait enim. Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Nunc talẽ locum, id est, confractionẽ, nimiam (vt iam dictum est) mentis humilitatem esse, aquod se testatur ipse, dum dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Sciens igitur, & iste tutam esse firmitatẽ eiusmodi loci, & quod exinde optimũ sit cum Deo luctari, super custodiã (inquit) meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguẽtem me. Quemadmodum iam dictus Moyses eodem loco posteriora Dei contemplatus est, vt videret quid diceretur sibi, & quid responderet ad arguentem se & dicentem, vade, descẽde, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti, &c. Denique & iste contemplatus est fortiter fixo gradu, ne veniret sibi pes superbiæ, & vidit quid diceretur sibi, & quid responderet ad arguentẽ se, id est, timore sancto, timore bono & necessario prementem se. Sequitur enim. [Et respondebit ad me dominus & dixit. Scribe visum, & explana eũ super tabulas, & percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta eum, quia veniẽs veniet, & non tardabit.] Hæc & cætera quæ sequuntur, dicta sunt ei, veluti attendebat, dicens. Et contemplabor, vt videam quid dicatur mihi. Post hæc semet inuenisse ostendit, quid responderet ad arguentem se. Domine (inquiens) audiui auditionem tuam & timui, &c. Igitur quia fortiter stabat, & in exigendo fortis erat, vidit illud, quod vt videret contemplabatur. Ait enim Et respondit ad me dominus, id est, ostendit mihi, & vidi oculo prophetali, quis finis futurus esset iniqua agentium, & quomodo haberet loqui & iudicare ipse, qui nunc videtur tacere, deuorante impio iustiorem se. Et deinde vt alij quoque sperare scirent, dixit mihi scribe visum, id est, scribe quod vidisti, scribe quod respondi tibi, scribe (inquã) visum, & non in obscuro siue occulto, sed explana eũ super tabulas. i. plano sermone & manifesto, vt percurrat qui legerit eum, nihilo eius offendente intellectum, hoc modo, Quia adhuc visus procul, & apparebit in finẽ & non mentietur, si morã fecerit expecta eũ, quia veniens veniet, & non tardabit. Quid enim hic non planũ, & apertum ad intelligendum? Adhuc (inquit) procul est visus, id est, non statim veniet ipse in terra visus, & cũ hominibus conuersatus, abijt procul, ascẽdit in cælum, dicentibus angelis, sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum. Procul est adhuc, procul abijt, quia acceptus est in cælum. Apparebit autem in finem, & non mentietur, subauditur de omnibus quæ locutus est, dum cũ hominibus cõuersaretur. Exempli gratia, Virtutes (ait) cælorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate, siue & videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis & venientem in nubibus cæli, & his similia. Ita venientẽ quisquis eum videre desiderat, & præsentem quoque vitã fastidit, in qua non potest eum videre, dicitq; cum Apostolo, cupio dissolui & esse cũ Christo. Quisquis ille est, & hoc audiat, & hoc sibi dictum esse sciat. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, id est, certissimè veniet, & cũ venerit, non tanquã tardus aderit, sed totũ præteritum tempus videbitur fuisse, vt verè est, nimiq veritatis. Interim do

Apoc. 6.

CAP. II.

Esa. 21.

Ecclc. 5.

Humilitas est custodia virtutum.

Exod. 33.

Psal. 105.

Matth. 11.

Baruch. 3.

Actor. 1.

Luca 21.

Matth. 26.

Philip. 1.

Mar. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec appareat in finem, prædicabitur Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Hoc est, quod continuò sequitur. [Ecce qui incredulus est, nõ erit recta anima eius in semetipso. Iustus autem in fide sua viuet.] Ecce apparebit, id est, citò apparebit, & qui non credit euangelio eius, etiam si multum operetur, non erit recta, id est, condemnabitur anima eius, sicut vera & manifesta ratione testatur Apostolus, hoc breui testimonio taliter. Iustitia enim Dei in eo videlicet euangelio reuelatur, ex fide in fidem, sicut scriptum est, iustus autem ex fide viuit. Et alibi: Sine fide, impossibile est placere Deo. Et quis est incredulus, nisi superbus? Superbia nanque incredulitatis causa efficiens est. Vnde & protinus subditur. [Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, & non decorabitur, qui dilatauit quasi infernus animã suã, & ipse quasi mors non adimplebitur, & cõgregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos.] Ergo superbia magna est ebrietas, & ita mentem subuertit, vimque omnem debilitat sensus atque rationis, vt quod audit discernere non possit. Hoc ipsum dominus in euangelio confirmat verbis huiusmodi. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis. Qui gloriam ab inuicem dixit recipitis, pro eo vt diceret, qui superbi estis. Pulcherrimè asperitatem dictionis euitauit, & sensum non præteriuit. Vnde si quis requisitus quid sit superbire, respondeat, gloriam ab inuicem accipere, nimirum vera & pulchra atque irrefragabili vsus est diffinitione. Porrò sensus dicti huius, quod est gloriam accipere, verbis amplificatur præsentibus, qui dilatauit quasi infernus animam suam, videlicet semper maiora ambiens, & ipse quasi mors non adimpletur, subauditur pecunijs, & congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos, vt fecit suo tempore Nabuchodonosor, suo tempore magnus Alexander, suo tempore Roma, quæ (vt superius dictum est) altera fuit Babylonia. Omnes regnorum illorum cupidi, & ambitiosi homines, nõne gloriam ab inuicem accipiebant, & pro acceptione gloriæ, vt alter alteri gloriam raperet, in inuicé ruebant? Reuera quomodo vinum potantem decipit, sic ciusmodi homines spiritu superbiæ decepti fuerunt & sunt, nec ornamento fidei decorati sunt, sed nudi sunt, humilitatẽ crucis abhorrentes, vtpotè contrariam spiritui superbiæ, quo inebriati vel decepti sunt. Quid erit de illis, quando iste in finem apparebit? Imò vt singulari numero propositũ sequamur capitulum, quomodo iudicabitur vir superbus, & quomodo non decorabitur? Ait. [Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius? Et dicetur. Væ ei, qui multiplicat non sua vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum. Nunquid non repentè consurgent qui mordeant te, & suscitabunt te, lacerantes te, & eris in rapinam eis? Quia tu spoliasti gentes multas, & spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint ex populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis & omnium habitantium in ea.] Interrogando acrius affirmat dum dicit. Nunquid non omnes isti, subauditur populi siue reliqui de omnibus populis, super eũ parabolã sumẽt, &c. Solet aũt scriptura sacra reliquos siue residuos appellare iustos siue electos, vt illic. Et erit omnis q relictus fuerit in Syon, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem. Et alibi. Et mittet id quod saluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum est de Israel, radicem deorsum faciet, & fructum faciet sursum, quia de Hierusalem exibunt reliquiæ, & saluatio de mõte Syon. Ergo & hic omnes istos, de quibus dicit, qa tu spoliasti gẽtes multas, spoliabũt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, rectè sanctos vel iustos intelligimus, qui super fuerunt vel supersunt, quos supradictus vir superbus, dilatatam habens animam suam, quasi infernum, & quasi mortem deuorare, id est, ad consensum animæ val voluntatis sue pertrahere non potuit, quamuis igne, ferro, fame, bestijs, & omnium tormentorũ genere ad hoc certauerit, & laborauerit, q (vt superius iam dictum) primus ille Nabuchodonosor inchoauit, quando populis, tribubus, & linguis, quas ad se congregauerat, atque coaceruauerat, pœnam edixit. Si quis (inquiẽs) non prostratus adorauerit statuã, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Qu anta similia, imò maiora fecit, maior vtique alterius Babylonis, id est Romæ potentia? Quomodo gentes omnes ad se cõgregauit, & populos omnes ad se coaceruauit, & quantis mortibus propositis exterminare voluit hunc visum, de memoria hominum, de quo nunc dicitur. Et apparebit in finem, & non mentietur? Equidem vir superbus, vt puta Nero, siue Decius, aut certè ipse diabolus, qui per eos ministerium iniquitatis operabatur, quasi mors, & quasi infernus dilatatus, omnes omninò gentes, quãtum in se fuit, deuorauit, sed reliqui sunt, & erunt aliqui, qui & admirantes euentus sui felicitatem, euasionis suæ beatitudinem, & respicientes vnde euaserint, exclamant, & dicunt vniuersi. Nisi quia dominus erat in nobis dicat nunc Israel, nisi quia dominus erat in nobis. Cùm exurgerent homines in nos, forsitan viuos deglutissent nos, & cætera. Nunquid non omnes isti super eum, scilicet virum superbum, immò super ipsum diabolum, & super vniuersitatem omnium, quorum

Quid est superius. *Rom. 1.* *Hebr. 11.* *Ioan. 5.* *Reliqui vocãtur iusti* *Esa. 40.* *Ibidem 37* *Psal. 133.* *Sap. 3.* *Ibidem 5.*

quorum caput est superbię filiorum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius? Iudicabunt enim sancti nationes, & dominabuntur populis, siue vt alibi scriptum est. Stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiaue runt, & qui abstulerunt labores illorum. Quomodo isti sument parabolam, & dominabuntur populis, siue vt quid est ista parabola, & quid ænigma eius? parabola sancta prophetica, siue legalis scriptura est, quia videlicet tota ferè, vel maxima parte parabolicis & ænigmaticis locutionibus plena est. Parabola nanq; comparatio est ex rebus dissimilibus. Verbi gratia. Cùm sermo Dei vel sententia iudicialis gladio materiali comparatur, vt in Psalmo, cũ de istis reliquis, id est, de omnibus sanctis canimus. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, &c. vsque Vt faciant in eis iudicium conscriptũ. Porrò, ænigma propositio est obscura, quæ non facilè intelligitur, nisi aperiatur, vt est illud: De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Et huiusmodi locutiones passim in scripturis inueniuntur, & valent, non solũ ad occultandas pe rcis margaritas, verùm & ad hoc, vt in eorum difficultatibus bona exerceantur ingenia. Audiens enim Sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientium, & ænigmata eorũ. Igitur sumẽt super eũ (ait) parabolã & loquelã ænigmatũ eius, i. adimplebunt scri pturam, & manifestas facient obscuritates eius, quæ difficile & à paucis vix intelliguntur, nisi prius eueniant ea, quæ in ipsis significantur, atque ita rerum euentu dicta, quæ obscura erant aperiantur. Ac si quæreres, cuiusmodi sit illa locutio, quam parabolam vocet, statim subiungit: Et dicetur, Væ ei qui multiplicat non sua vsquequo, & aggrauat contra se deorsum lutum. Hoc nanq; parabolicum est, quod multiplicatas diuitias densum lutum appellauit. Itidem & illud, quod subiungit. Nunquid non repentè consurgent, qui mordeant te, & suscitabunt lacerantes te, & eris in rapinã eis, parabolica siue ænigmatica sunt, quia videlicet omnes sancti vel iusti, nequaquam vt litera sonat, dentibus mordere aut lacerare, ac manibus rapere consueuerunt. Sciendum quoque, quia dicetur quidem tunc, sed non incipiet dici, tunc tale quid, quando apparebit in finem, quando veniens veniet iudicaturus, qui hinc abijt iudicatus. Iam enim dici cœptum est, ex quo ille abijt, iubẽs euangelium omni creaturæ prædicari. Dici cœptum est. Væ ei, qui multiplicat non sua vsquequo aggrauat contra se densum lutum, ab initio prædicationis euangeliũ quo reuelabitur (ait Apostolus) ira Dei de cælo super omnem impietatem & iustitiam hominum, dicetur tunc in finem eidem væ, taliter vt eat in ignem æternum. Itidem fieri cœptum est per Euangelium, vt repentè isti reliqui consurgerent, & morderent impium, & suscitarentur lacerantes eum, esset-que eis in rapinam, taliter vt multos ab illo separarent, quod est mordere & manducare, iuxta quod Petro dictum est. Macta & manduca. Fiet autem in finem taliter, vt gladius exeat de ore illorum, vt sint gladij anci pites in manibus eorum, ad faciendam in eo vindictam, siue iudicium conscriptum. Nã quod multos ab impietate conuertere, hic sit corpus impij mordere & lacerare, ex eo quoque còmprobatur, quod ad beatum Iob dominus loquitur. Concident eum amici, diuident illum negotiatores, & nũnquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium pisciũ capite illius, subauditur, vt ego. Hoc fit nunc in bonum illorum, quos dentes isti, quales demonstrantur in Canticis, dicendo ad amicam, scilicet Ecclesiam. Dentes tui, sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, quos (inquam) dentes, id est, Apostoli, siue prædicatores, qui hic reliqui dicuntur, quasi manducando in corpus suum traducunt, tunc autem id quod sequitur, fiet in malum eiusdem impij, qui malo suo repulit appetitum dentium istorum. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis. Cum spoliationes multis fiant, ille modus omnium pessimus est, quo gens aut populus, siue homo quilibet vnius Dei creatoris sui honore spoliatur, & tunc verè est nudus. Hinc est illud in Exodo. Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat. Ignominiam sordis, reatum dici vituli, quem fecerant, & quo facto, auxilio & gratia Dei nudati erãt. Hoc modo quot gentes, quot populos spoliauit hic impius in quem hæc dicuntur? Igitur quia spoliasti gentes multas, id est, tã iniquis persuasionibus separasti à creatoris gratia. spoliabunt te isti reliqui ex eis iudicando, vt tu, sicut tuo creatore ornare noluisti, ita nec in ipsa, quam præoptasti vlterius gloriari possis creatura Dei. Additurq; adhuc. Propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitãtium in ea. Sanguis hominis homicidium est, & hoc profectò iniquitas est. Terra verò, cui possit iniquitas imputari, nimirum non aliud, quàm homo est. Ciuitatis quoq; non aliud est, quàm habitantium in ea, quia videlicet non murorum, aut ædificiorum, siue lapidum ciuitatis, sed hominum habitãtium in ciuitate est vel esse potest iniquitas. Videtur ergo hic esse tropus, qui à grammaticis Græcè tautologia, Latinè quoque eloquiũ dicitur, dum res vna plurimis verbis significatur, ad hoc, vt veritas siue magnitudo

Parabola sancta scriptura dicitur. *Psal. 149.* *Iudic. 14.* *Prouer. 2.* *Iob. 40.* *Cant. 4.* *Spoliatio pessima.* *Exod. 32.* *Densum lutum multæ diuitiæ.* *Rom. 1.* *Quomodo mordent et lacerant sãcti.* *Actor. 10.* *Psal. 149.* *Ciuitas dei*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal. 45. gnitudo reí splendidius producatur. Verum tamen & illud sciendum, quia cum omne homicidium sit vel fuerit iniquitas huius impij, maximè sanguis ciuitatis ad Dei inquitatem reputetur ei. Ciuitas(inquam)dei, quod olim erat illa Hierusalem, in qua sola erat templum Domini, & nunc est ecclesia catholica per orbem terrarum, de qua Psalmista dicit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Illius ciuitatis sanguinem fudit impius Nabuchodonosor rex primæ Babylonis. Istius autem fundere cœpit impius Nero Imperator alterius Babylonis, de qua Petrus in epistola sua. Salutat vos(inquit) ecclesia quæ est in Babylone electa. Vna ex vtraque secundum fidem & electionem ciuitatis facta est, & sanguis huius ciuitatis Dei, iniquitas est terræ Babylonicæ ciuitatis diaboli. Inter omnem sanguinem summa causa est sanguis hominis vnius Christi, quem rectè hic intelligimus, dum dicit, propter sanguinem hominis, & Iudæi, qui fuderunt illum, pars fuerunt & sunt corporis impij, cui dicitur, spoliabũt te omnes qui reliq fuerint de populis. Deniq; & isti maximè sũt spoliati & spoliandi, maximè (inquam) & in primis, quemadmodum & Apostolus dicit. Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operãtis malum. Iudæi primùm & Græci. In quo primum isti iam spoliati sunt? Nimirum in eo, quod perdiderunt non solùm locum & gentem, verumetiam adoptionem filiorum, & gloriam, & testamenta, & legislationem, & obsequium, & promissa, quæ ipsorum erãt, & ipsum Christum, qui ex ipsis secundum est carnẽ, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen. Omnibus bonis iam spoliauerunt eos, omnes qui reliqui sunt de populis, secundum speciem Iacob, quem Deus dilexit, qui primogenitum Esau spoliatum vestibus, valdè bonis, quas Rebecca apud se domi habebat, & induit eas. Sic iustè spoliati sunt, qui pars (vt iam dictum est) fuerunt & sunt corporis impij, qui gentes multas spoliauit, maximè cultu vel cognitione creatoris, & isti quantum in ipsis fuit, multò nequius spoliauerunt, quia Christum, expectatione gentium, vt periret nomen eius, & neque ipsi, neque gentes eum haberent, interfecerunt. Igitur quoniam & hoc Apostolus dicit. Scimus quia quęcunque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur. Præmiserat autem testimonium non de Moyse, sed de psalmis, non dubitemus, & ista, quæ hic loquitur lex, id est scriptura sacra, his qui in lege sunt, eam loqui, & declamare in omnẽ animam hominis operantis malum, primũ ,, Iudæi, deinde Græci, siue Gentilis. [Væ qui ,, congregat auaritiam malam domui suæ, vt ,, sit in excelso nidus eius, & liberari se putat ,, de manu mali.] Quisnam ille est, qui congregat, vel congregauit auaritiam malam domui suæ, magis quàm populus Iudaicus, cœtus pharisaicus? Omnes (inquit Apostolus) declinauerunt, simul inutiles facti sunt, de Psalmo testimonium hoc assumens, statimque subiũgit id quod ante diximus. Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. Igitur & istud primum ei, qui in lege est vel erat, dictum non dubitemus. Væ qui congregat auaritiã malã domui suę, vt sit in excelso nidus eius. Nam verè hoc fecit Iudæus. Equidem omnis impius auaritiam cõgregauit, & ob hoc væ ei, & Iudæus autem auaritiam, non qualemcunque, sed auaritiam malam congregauit & idcircò primum væ ei. Nam quid rogo est, q̃ dicit auaritiam malam? Quis vnquam audiuit in scripturis, auaritiam bonã, vt ex illius oppositi hic oportuerit dari vel opponi differentiam huiuscemodi, dicendo auaritiam malam? Qualis ergo auaritia fuit, vel est Iudæi, vt rectè dicatur mala & adiectio non sit superflua? Nimirum talis, vt totus orbis audiuit, quia domum Dei, quæ domus erat vel esse debebat orationis, fecit spe luncam latronum, & ipsum propterea, quia disputabat contra auaritiam illorum eandem, interfecit domus dominum. Quàm mala fuit hæc auaritia, præsertim eorum qui erant filij peregrinorum, qui pauperes spiritu patres habuerunt. Equidem auaritia nusquam bona, sed ibi excellenter & nimis mala. Et cui vel quali domui suæ congregauit auaritiam tam malam? Nimirum quæ fuerat domus domini, quia per congregationem auaritiæ malæ, suam fecit illam domum, imò speluncam suam, speluncam latronum, &, superbiæ suæ malũ, quã denotauit protinus, subiungẽdo, vt sit nidus eius in excelso. Auaritia nanque sine superbia nõ est. Vnde sapiẽtia cùm dixisset Auaro nihil esse sceleſtius, statim subiunxit. Quid superbis terra & cinis? Benè ergo dixit: vt sit in excelso nidus eius, domum superbientis subsannans, vt nidum volucris, & liberari (inquit) se putat de manu mali, subauditur, pro altitudine illius nidi excelsi. Quod propheta alius prospiciens, Nolite ait, confidere in verbis mendacij, dicentes. Templum domini, templum domini, templum est domini, &c. Itemq; alius cũ dixisset. Principes eius, videlicet Syon, siue Hierusalem in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant, protinus addidit. Et super dominum requiescebant, dicentes. Nũquid non dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala. Hoc nimirum idem est q̃ hic ait. Et liberari se putat de manu mali. Mox conuersus ad eum, de quo loquebatur, taliter in eum inuehitur. [Cogitasti do-,, mui tuę cõfusionẽ, cõcidisti populos multos ,, & peccauit anima tua, quia lapis de pariete ,, clamabit, & lignũ, q̃ inter iuncturas est ædi ,, ficiorum

1. Pet. 5. *Iudæi maximè spoliati propter sanguinẽ Christi.*

Rom. 2. *Ibidem 9.*

Gen. 27.

Rom. 3.

Auaritia mala quare Matth. 21. Ioan. 2.

Mich. 3.

Eccles. 10.

Hier. 5.

,, ficiorum respondebit.] Reuera omnis auarus cogitauit, id est, cogitando auaritiam, acquisiuit domui suæ confusionem, quæ confusio quanta sit, manifestè supra memorato sapientiæ loco datur intelligi, vbi cum dixisset. Auaro nihil esse sceleſtius, quid superbit terra & cinis, &c. Ita demum intulit. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Porrò Iudæus, qui, vt iam dictum est, auaritiam tam malam cõgregauit, dupliciter domui suæ confusionẽ cogitauit, id est acquisiuit. Primò illam, quã apud Prophetam alium, scilicet Michæam audire potuerat. Ille enim cum dixisset id, quod ante memorauimus, & super Dominum requiescebant, dicentes. Nunquid non Dominus in medio nostrum, non venient super nos mala, statim intulit. Propter hoc causa vestri Syon quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mõs templi in excelsa syluarum. Profectò huiusmodi confusionem illi domui maximè Caiphas ille cogitauit, qui prophetauit, dicens. Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc namque dicendo, timore ibi trepidauit, vbi non erat timor, sociorumque callidè adauxit pauorẽ, imò pauoris fictionem dicẽtium. Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent nostrum & locum & gentem. Ita cogitando, concidisti ait populus multos, id est, causa fuisti, vt conciderentur populi multi. Occisorum namque, vt refert Iosephus, per omne tempus occisionis, fuere vndecies cẽtum millia, & horum ait plerique gentiles fuerũt sed non indigenæ. A totis enim regionibus ad azymorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt, vt primò quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citius fames. Concidisti ergo ait populos multos, & peccauit anima tua, id est, nequam intentio tua. Nam peccatum tum non ex ignorantia, sed ex cogitationis tuæ venit malitia. Væ tibi, quia lapis de pariete clamabit, & lignum, & quod inter iuncturas est ædificiorum, respondebit. Quis enim iste est lapis, nisi ille, qui seipsum per parabolam vineæ significans, extra portam ciuitatis eijciendum esse, & crucifigendum, vbi parabolam edixit, & iudicium à phariseis audiuit, de malis agricolis, qui erant ipsi. Nũquam ait legistis in scripturis. Lapidem quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Et quod est lignum inter iuncturas ædificiorum, nisi lignum crucis, per quod ædificia duo prius cõiuncta erant, quam diu erant inimicitiæ inter homines & Deum, dominiumque angelorum, sed per crucem pacificata vel conIuncta sunt? Ita rectè intelligitur dictum lignum, quod est inter iuncturas ædificiorũ, Siue hominum, quod in terra vel de terra est ædificiorum, de duobus parietibus constat, qui sunt antiqua ante Christi aduentũ synagoga, & noua post eius aduentum ecclesia, quos videlicet parietes, quia coniungit in semetipso, lapis angularis dicitur & est. Hinc alibi idẽ Apostolus Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum, &c. Lapis igitur de pariete, inquit, clamabit, subaudiitur, contra te, & lignum quod inter iuncturas est ædificiorum, respondebit, nimirum aduersum te. Quid lapis clamabit, aut quid lignum respondebit? Nimirum id quod sequitur. [Væ qui ædificat ciuitatem in ,, sanguinibus, & præparat vrbem in iniquita-,, te.] Ne dubium sit cui væ istud inclamat la-,, pis ille, aut lignum illud alius propheta, scilicet Michæas dicit. Qui ædificatis Syon in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate. Ergo cui væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate, populus est Iudaicus, cœtus est pharisaicus, qui impleuit mensuras patrum suorũ, quia patres quidem eius prophetas occiderunt, ipse autem prophetarum dominum, vt veniret super eum omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram. Nunquid autem reuera taliter ciuitatem ædificauit, aut in tanta iniquitate vrbem præparauit? Nequaquam. Sed stultissimus ita putauit. Dixit enim, occidamus eũ, & nostra erit hæreditas. Idcirco locum & gentem perdidit, quia sanguinem fundere, hoc putauit esse ædificationem ciuitatis, & iniquitatem perpetrare, hoc putauit fore sibi præparationẽ semper possidendæ vrbis. Aliàs autem & verè ciuitatem ædificauit in sanguinib. & veraciter præparauit vrbem in iniquitate non sibi, sed Deo viuẽti, non illam vrbẽ aut ciuitatem terrenã Hierusalem, sed ciuitatẽ Dei viuentis cælestem Hierusalem. Quantos enim prophetas occidit, quot sapientes & scribas interfecit, cruci fixit, flagellauit in synagogis suis, & persecutus est de ciuitate in ciuitatẽ, tot lapides viuos quadrauit, de qualibus rectè concinnas magno architecto sancto spiritui, qui tonsionibus, & pressuris expoliti suis coaptantur locis, per manũ artificis disponuntur, permã suri sacris ædificijs. Hoc quidã ritè perpendens, vbi martyrem insignẽ pictoris arte, fustibus atq; plubatis subigi conspexit, huiusmodi distichon expressit. Cuditur æternę lapis vrbis, gẽmaq; Christe. Hæc tua splendidus, pœna famulante politur. In huiusmodi officio siue ędificio populus Iudaicus, & primus est & notissimus. Lapis (inquit) de pariete clamabit, & lignũ q̃ inter iũcturas est ædificiorũ, vndè iam dictũ est, respondebit. Væ illi, qui ciuitatẽ sic ædificat, qui vrbẽ sic præparat, quia bonus quidem effectus, sed intentio est maligna. Quando vel vbi secundũ veritatẽ huius prophetiæ lapis ille, lapis angularis, væ istud clamauit? Nimirũ quãdo

Ecclesiast. 10. *Duplex confusio domui Iudæorum.*

Mich. 3.

Ioan. 11.

Psal. 13. 25

Li. 7. ca. 25

Psal. 117.

Lignũ crucis.

Colloss. 1.

Ephes. 2.

Mich. 3.

Matth. 23.

Ciuitas dei quomodo ædificatur in sanguinibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth.23. vel vbi dixit. Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, &c. vsque. Amen dico vobis, venient hęc omnia super generationem istam. Statim namque grauissimè intulit. Hierusalem, Hierusalem, quę occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sũt.

Septies væ scribis & pharisæis. Quod ibi subaudiendũ est, nisi væ tibi? Præmiserat nanque septies væ, sicut ô prudens lector, ibidem, scilicet apud Matthæum, enumerare poteris, væ vobis Scribæ & pharisęi, væ vobis scribæ, & pharisæi, væ vobis duces cæci, væ vobis scribę & pharisæi, væ vobis scribæ & pharisæi, væ vobis scribæ & pharisæi, væ vobis scribæ & pharisæi, ad singulas exclamationes causis subiũctis, quarum nouissima & septima hæc est, qui ædificatis sepulchra prophetarum, vsque, & vos implete mensuram patrum vestrorum, ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, &

Genes. 4. scribas, &c. Nonne iste impius, iste populus, væ septemplici damnatus, ille est Cain, cuius typum dictum est in illum vnum hominem huius nominis septuplũ vltio dabitur de Cain, qui numerus, quia insolubilis est,

Psal. 117. peccatũ irremissibile significat? Plura hinc dici poterant, sed legentis fastidium vitan-
« tes, cætera persequamur. Ait. [Nunquid nõ
« hæc à Domino sunt exercituũ?] Puta quod dixerit. Nunquid non à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Quid est istud, nisi quod lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & hic lapis de pariete clamabit, & vt iam dictum est, lignum crucis eius, quod inter iuncturas est ædificiorum, respondebit? Nunquid (inquam) non hæc à domino sunt exercituum? Nunquid non à Domino factũ est istud. Planè à domino exercituum sunt hæc, planè à domino factum est istud. Vndè probabimus, Sequitur.

« [Laborabunt enim populi in multo igne,
« & gentes in vacuum vt deficiant.] Cum hoc dicto prophetico, recordemur illius in Actibus Apostolorum. Et nunc, ait Gamaliel,

Act. 5. Dico vobis viri Israelitæ. Discedite ab hominibus istis, & sinite illos, quoniam si est ex hominibus, consilium hoc aut opus dissoluetur, si verò ex Deo est, non poterimus dissoluere eos, ne fortè & Deo repugnare inueniamur. Hæc ille sapienter elocutus est. In isto autem Spiritus sanctus prædixerat. Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes inuacuum vt deficiant, & sic factum est. In multo igni, subauditur, inuidiæ laborauerunt, id est, Iudæi laborauerunt, gentes, id est, gentiles, vt dissoluerent consilium & opus. quod de isto angulari lapide prædicatur, sed laborauerunt inuacuum, & defecerunt, quia dissoluere non potuerunt, imò & accedentes ad istum lapidem, ad quẽ accedere bonus casi laboris defectus est, & ipsi tãquam lapides viui superædificati sunt. Nunquid igitur non hæc à Domino sunt exercituum? Nunquid non à Domino factum est istud? Si enim non fuisset à Domino consilium hoc vel opus, profectò iam dissolutũ esset, tot gentibus, & populis, ad dissoluendum laborantibus, & quæ causa labores illorum euacuauit. Ait. [Quia replebitur terra,,
vt cognoscat gloriam Domini, quasi aquæ,,
operientes mare.] Quid isto dicto verius, cõ,,
stantius atque perfectius? Spiritus enim do Sapient. 1.
mini repleuit orbem terrarum, & eo replẽ- Act. 4.
te repleta est terra, vt cognosceret gloriam Domini. vt fierent sapientes atque eloquẽtes, qui erant idiotæ, & sine literis. vt fierent cælestes, qui erant terreni, immò qui terra fuerant, fierent cæli, cognoscentes gloriam Domini, enarrantes gloriam Dei, non quomodocunque sed quasi aquę operientes mare. Quid est hoc dicere? quam magnæ deberent esse aquæ, quæ multitudinis sui operirent mare, vel quarum ad comparationem mare nihil videretur esse. Mirum illud esset & non minus miraculi habet, quod mare, id est, sapientia omnium superauit, data simplicibus abundantia cælestis sapientiæ. Hæc est illuminatio credentium Euangelio Christi, qui dicunt. A domino factum est istud „ & est mirabile in oculis nostris. Econtra cæteri excęcati sunt, videlicet illi, qui (vt iam dictum est) consilium hoc vel opus dissoluere cupiebant, de quibus hic ait. Laborabunt enim populi in multo igni, & gentes inuacuum vt deficiant, quam ob causam ex cæcati sunt. Sequitur.

[Væ qui potum dat amico suo, mittens,,
fel suum, & inebrians, vt respiciat nudita-,,
tem eius. Repletus est ignominia pro glo-,,
ria. Bibe tu quoque, & consopire, circunda,,
bit te calix dexteræ Domini, & vomitus i-,,
gnominiæ super gloriam tuam.] Hunc lo-,,
cum istud de Psalmo manifestiorem facit. Psal. 68.
Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Miro itaque modo cum dixisset quia replebitur terra, vt cognoscat gloriam Domini, quę gentium illuminatio est, causam contra posuit cæcitatis, quæ in Israel contigit, dicendo. Væ qui potum dat amico suo. Cæcitas ipsa est væ. causa verò quia potũ dedit amico suo. Ipse est enim amicus, qui dicit in Psalmo, & dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerunt me aceto. In tantum amicus, vt frater sit effectus, & nostræ naturæ cõsanguineus, quippe qui cum Deus esset, homo factus est, ac de illo populo incarnatus est. Huic amico suo potum dedit, mittens fel suum, & inebriauit eum amaritudine, vt aspiceret nuditatem eius, id est, vt comprobaret, quòd esset à Deo derelictus. Dixerunt enim impij. Promittit se Supra. 2.
scientiam Dei habere, filium dei se nominauit.

uit. Videamus si sermones illius veri sint, si enim est verus filius DEI, liberabit eum de manu contrariorum, contumelia & tormento interrogemus eum, & probemus patientiam eius. Morte turpissima condemnemus eum. Hanc eorum nequissimam curiositatem, & quasi nuditatis explorationem, Psalmus declamat ex persona ipsius. Et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum. Dicentes, Deus reliquit eũ,

Psal. 70. persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat eum. Exploratum, inuenit, aut aspexisse sibi visus est impius nuditatem eius. audiuit enim eum dicere, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, hoc

Matth. 27. profectò statim, ne quid deesset sui fellis ad
Ioan. 19. inebriandum illum, cui totus calix passionis potus erat amaritudinis. obtulit eius ori & acetum. Væ igitur illi, quia taliter potum dedit amico suo, & fratri consanguineo suo, vt aspiceret nuditatem eius, infirmitatem eius,

Iudæi sicut ad faciendum siue capiendum experimen-
Cham, imò tum, quòd non esset Dei filius, imo quod es-
peiores, quã set à Deo derelictus. Hoc foris annunciat,
Cham. & blasphemat tanquam maledictus Cham,
Gen. 9. qui foris annunciauit nuditatem paternam, sed quanto ista res illa similitudine maior est. Ille namque Cham non dedit potum patri suo, non (inquam) dedit poculum vini delectabilis, vt eum inebriaret, & nuditatẽ eius aspiceret, sed iste impius amico suo dedit potum amaritudinis, misit fel suum & inebriauit eũ, vt aspiceret nuditatẽ eius, & sicut per Mosen pdixerat spiritus propheticus.

Deut. 32. De vinea Sodomorũ vinea eorũ, & de suburbanis Gomorrhæ. Vua eorũ vua fellis & botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidũ insanabile. Repletus (ait) ignominia pro gloria. Quis repletus est ignominia, pro gloria? Ille ne, qui amico suo dedit, an ipse amicus, cui datus est potus fellis? Nimirum ipse amicus repletus est ignominia, id est, passus est ignominiam sustinuit mortem, mortem aũt crucis, quam pro summa ignominia miscuit impius illi. morte (inquiens) turpissima condem

Sapien. 2. nemus eum. Tanta ignominia repletus passus est pro gloria, videlicet, sciens inde sibi prouenturum, vtiã ex eo sederet à dextris

Philip. 2. virtutis in gloria Dei patris. Nam propter hoc (ait Apostolus) & Deus illum exaltauit & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Quomodo autem & quam vehementer, conuersus in eum inuehitur, qui potum suum dedit, qui fel suum misit, qui inebriauit, & dormire fecit amicum suum somno mortis, & eo modo nuditatem eius aspexit, id est nudum, & à deo derelictũ esse voluit. Bibe (inquit) tu quoque & consopire, & quid bibes? Circundabit tẽ calix dexteræ domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam. Calix dextræ domini, id est, ira omnipotentis domini, ita te circundabit, vt Psal. 68.
sicut in ipso scriptum est. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionẽ, & in scandalum. Quænam est mensa tua, nisi lex tua, scriptura sacra tibi credita, primũ tibi ad edendum & bibendum proposita? Ibi calix dextræ domini, idem ipsa mensa tua, ipsa lex vel scriptura tua te circundabit, quomodo laqueus circundare consueuit, laqueus enim ipsa tibi erit habenti spiritum erroris, sorbenti siue hauriẽti retributionem fellis tui, quem amico tuo in potum dedisti. Istud bibe tu, & consopire, ita & nunc obscurentur oculi tui, ne videas & postmodum consopiaris, non quomodo ille amicus tuus qui euacuato felle tuo, ego dormiui (inquit) Psal. 3.
& soporatus sum, & exurrexi, sed ita vt in ęterna morte sepultus iaceas, quod verè est consopiri. Quàm autem diuersum est, id qd' sequitur, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam, ab eo quod ante dixerat, replet' est ignominia pro gloria. Ignominia qua il- Aliter Chri
le amicus tuus repletus est, pro gloria, & ig- -sti, aliter Iu
nominia cuius vomitu polluens super glo- -dæorũ igne
riam tuam, non eandem habent rationem. minia,
Illi namque ignominia qua repletus est de foris, accesit, nec enim propter sua, sed propter aliorũ peccata male tractatus est, & profutura gloria sustinuit. vomitus aũt ignominię tuę de intus venit, de ipso processit, sic ut vomitus eius, qui seipsũ cõmouit, quia tu temetipsũ de corde tuo mendacia vomẽda inhonorasti, & ille vomitus super tuã prẽter itam gloriã erumpit. in hoc quoq; magna di- Ioan. 5.
stantia est, q' ille prius ignominiã sustinuit, & deinde gloria successit, vt debuit. tu autẽ prius gloriatus es festinanter gloriã accipiẽdo ab inuicẽ, sicut ille tibi quodã loco exprobrauit, & deinde vomitus ignominię successit. Iste ordo notus est superne dispositionis vt impius quidẽ prius gloriose exaltetur, & deinde ignominiosè humilietur. prius autẽ propter hoc ipsũ, q' piè viuit prius humilietur, & ignominiã patiatur. ac deinde cornu eius in gloria exaltetur. Sequitur. [Quia ini-,,
quitas Libani operiet te.] Hoc ad illud con-,,
iungitur, qd' prẽmisit, væ qui potũ dat amico suo, &c. Væ tibi (inquit) quia iniquitas Libani operiet te. i. hypocrisis tua condẽnabit te. Libanus namq; cãdidatio interpretatur, & interdũ sub hoc nomine templũ intelligitur, vt in Zacharia, Aperi Libane portas tuas, cõedat ignis cedros tuos. Ergo iniquitas Zach. 12.
Libani, id est, iniquitas templi, ipsa pulchritudo religionis, cuius omnis candor tua est hypocrisis, potissimũ operiet te, maximum condemnabit te. Nam quam magna fuerit religiõis illius hypocrysis, ipse dns satis acerbè innuit, toties sub vno ductu sermonis, dicẽdo. Væ vobis scribę & pharisęi hypocritę, Matth. 23.
loco

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act. 23. loco apud Matthæum, quem supra memorauimus, vbi cum septies væ super illos detonuerit, per singulas vices hypocritæ dixit. excepta vna duntaxat vice, vbi taliter dixit, væ vobis duces cæci. Paulus quoq; non ignorans iniquitatem huiusce dealbationis, cum staret in medio concilij, & princeps sacerdotum Ananias os eius iussisset percuti, dixit ad eum. Percutiet te Deus paries dealbate, & quid aliud erat hoc dicere, quàm iniquitas Libani operiet te? Et reuera quod vni dixit, omnibus dixit, vniuerso illi sacerdotio & populo dixit. Factumq; est quod dixit, & percussionem illam totus orbis audiuit. Protinus ab illo (inquam) inuehebatur populo impio, conuersus ad auditores "sermo propheticus, ita loquitur. [Et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinib. "hominis, & iniquitate terræ ciuitatum & o"mnium habitantium in ea.] Vt dictum ita & factum est. Venerunt enim animalia de
Psal. 79. sylua, de quibus Psalmista. Exterminauit eam (inquit) scilicet vineam tuam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam, nimirum propter scelus, quo cum debuit facere vuas & afferre vinum, supradicto amico suo, domino vel possessori, imò & plantatori suo, misit fel suum, & amaritudine mortis inebriauit eum. Venit aper scilicet Vespasianus, & singularis ferus, videlicet Titus filius eius. de sylua, id est, de vrbe Roma, vbi erat multiplicitas errorũ, & feri homines habitabant, sicut feræ in sylua. Horũ vastitas animalium deterruit eos de sanguinibus hominis & iniquitatem terræ, ciuita-
Matth. 23. tis & omnium habitantium in ea Extunc enim perdiderunt audaciam, qua primi ex omnibus gentibus ausi fuerunt ad se missos prophetas & sapientes & scribas occidere & crucifigere, flagellare in synagogis suis, & de ciuitate in ciuitatem persequi. Nonne ab huiusmodi crudelitate audaci, audacia crudeli, ex eo tempore sunt deterriti? Neminẽ quippe iam audent occidere, aut saltem flagellare in synagogis suis, præsertim vbique terrarum captiui, & scabellum pedum domini sedentis à dextris domini, & in medio inimicorum suorum dominantis, qui videlicet inimici eius sunt ipsi. Et si alijs gentib. licuit, ipsis omninò tale quid ipsa captiuitatis eorum lex non cõcedit. Sequitur. [Quid "prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor su"us, conflatile & imaginem falsam, quia spera"uit in figmento fictor eius, vt faceret simula"chra muta? Vę qui dicit ligno, expergiscere. "surge, lapidi tacenti. Nunquid ipse docere "poterit? Ecce ipse coopertus est auro & argẽ"to, & omnis spiritus non est in visceribus e"ius, Dominus autem in templo sancto suo, "sileat à facie eius omnis terra.] Istud væ iam quintum, sicut & præcedentia scire debemus esse iram illã quæ (vt superius iam me-
Roman. 2. minimus) reuelatur, ait Apostolus, de cælo in Euangelio Dei in omnem animam hominis operantis malum, Iudęi primùm & Gręci. Denique in animam Iudæi primũ & dein
Psal. 4. de Græci siue gentilis. Ira hæc pro necessita te temporis dicta est in prophetis obscurius, in Euangelio autem ita reuelatur, vt veraciter dicas, sicut audiuimus, ita & vidimus. Dicto namque væ quater, in animam hominis Iudæi operantis malum, quod ita terminatum est, & vastitas animalium deterrebit eos de sanguine hominis, dum quinto loco iam dicit. Væ qui dicit ligno expergiscere. surge, lapidi tacenti, &cæt. Nonne istud est, quod ita vidimus, sicut audiuimus? De territis namq; Iudęis, vt nõ audeant Euangelij prædicatores occidere, aut persequi, quod factum est per vastitatem animalium, id est, per excidium vel per manus Romanorum gentilium. liberius iam aduersus idololatriã per idem Euangelium declamatum est, & prædicatum væ per totum orbem terrarũ, in omnem animam hominis Græci siue gẽtilis, ligno & lapidi siue auro & argento ĩsese incuruantis. Et notanda series literæ præsentis. Non enim in initio dicit, væ qui dicit ligno, expergiscere. surge, lapidi tacenti. Sed prius suauiter alloquitur, & percunctando excitat hominem ad intuitũ rationis. Quid prodest (inquit) sculptile? Vult intelligi, & responderi, nihil. & rationem ostendit cur prodesse nihil possit. Quia sculpsit (ait) illud fictor suus nimirum talis, qui figmento suo spiritum vel vitam dare non possit. Fecit cõ flatile & imaginem, cuius rei voluit, aut hominis corruptibilis, aut volucrum, aut quadrupedum, aut serpentium, imaginem vtiq; falsam, id est, omni veritate substantiæ, cuius videtur similitudo fraudatam, & idcirco sculpsit illud, quia sperauit in figmento fictor eius, ita deceptus qui homo rationalis erat, vt faceret simulachra muta, quæ os habent, & non loquentur. oculos habent, & non videbunt. aures habent & non audient. nares habent & non adorabunt. neq; enim est spiritus in ore ipsorum. Hoc rationabiliter præmonstrato, qui non credit euangelio verum Deum prædicanti, profectò est inexcusabilis, quia ratio est irrefragabilis. Ita- Psal. 115.
que nunc demum inclamat inclamatione terribili. Vę qui dicit ligno, expergiscere. surge, lapidi tacenti. æquipollenter ita potest dici: Væ cognoscentibus Deum, siue audientibus Dei Euangelium, & non sicut Deum Rom. 1.
glorificantibus eum, quia sponte mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Nunquid ipse docere poterit cui dicit, expergiscere, surge, cum lapis aut lignum sit? Ecce ipse, subauditur, Deus eius, coopertus est auro & argento, & omnis spiritus non est in visceribus eius, omnis (inquam) siue hominis, siue volucris, siue quadrupedis, siue serpentis, cuiuscunque imago in ligno aut lapide, in au-

ro siue argento simulata sit. Itaque fictor imaginem falsam sculpsit. Ipse autem, quem prædicamus, Deus & dominus in templo sancto suo, in tẽplo corporis sui est, qđ solutum ab impijs, ipse post triduum suscitauit. Sileat à facie eius omnis terra, videlicet in eo, vt blasphemare siue alium extra ipsum nominare Deum nõ audeat, & in hoc silentij reuerentiam illi exhibeat, vt ab ipso gratiam, id est, remissionem peccatorũ suppliciter deposcat. Nam super hac re nũquid vllum ratio aut scriptura veritatis silentium
Quomodo silendum est Deo. concedit? Imò dicitur nobis, Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentiũ ei. Breuiter diffiniendum est, quia à facie domini tacere, hoc est, dominũ timere. Quod & si nondum fit, multi enim contradicunt ei, fiet profectò in die iudicij, sicut Psalmi- Psal. 75.
sta vehementer astruit, cum id, quod sine dubio futurum est, quasi iam præteritum taliter edicit, De cœlo auditum fecisti iudicium, terra tremuit & quieuit.

Esaie 62.

LIBRI SECVNDI IN ABACVC FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ABACVC PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

CONSCIVS temeritatis ferè in omnibus tâquam temerarium redargui me vereor ab omnibus, eo quod præclara sancto rum atq; orthodoxorum patrum studia laetitudinem ingredi sum ausus agri pleni, cui benedixit Dominus, id est, sanctæ scripturę, in qua vel ex qua est omnis benedictionis odor suauis & fructus, & quid respondebo
Ruth. 2. arguentibus? Ruth Moabitiden, Ruth festinantem me in spiritu, pauida intentione imitari credant dicentem ad socrum suam. Vãdam in agrum & colligam spicas, quæ metẽtium fugerint manus, vbicunque clementis in me patris familias reperero gratiam. Sicut mãdauit Booz pro illa pueris suis, vt nemo illi esset molestus, ita putẽt oẽs qui hæc vide rint, quod mandet eis Christus ex illa humilitate progenitus, ne mihi quasi pro præsumptione indignentur. Quod & si quis indignari voluerit, paupercula nihilominus anima pro semetipsa solicita, famemque ventu
Psal. 36. rum pręcauens, de qua Psalmista loquitur: Quia immaculati, quorum dies nouit dominus, non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, cœpto in ope
Ioan. 6. re perfistit, & ibi ante faciem suam, vt operetur cibum, qui permanet in vitam æternam.

ORATIO PRÒ ignorationibus.

Eccles. 12. Quæstio. Titulus iste aureus est, & magni ponderis verbum, de quo veraciter à sapiente dicitur. Verba sapientis quasi statera ponderabuntur. Quid est enim oratio prophetæ pro ignorationibus, aut quid libi vult, quod orat propheta pro ignorationibus? Si est propheta, imò cũ sit propheta, quomodo se in ignorationibus esse profitetur? Siquidem ante prophetasset, siue antequam quicquã propheticum scripsisset, iste titulus pręueniisset, putaremus eum sanctum prophetiæ spiritũ velle inuocare, & hoc intendere, vt fortiri mereretur vocabulum siue officium prophetale. Nunc autem non ita est, sed iam pro- Responsio.
phetauerat, iam prophetica mysteria conscripserat. Ergo ne prius aut minus est prophetare, propheticamq; scientiam habere, posterius autem atque perfectius pro ignorationibus orare? Planè ita est. Veruntamẽ non istud quis æstimet, quòd paria sint hæc ignorantiam D E I habere, & pro ignorationibus orare? Nam (exempli gratia) Paulus ignorantiam Dei habens, blasphe- 1. Tim. 1.
mus & persecutor & contumeliosus fuerat, & ecclesiam Dei persequebatur, orans autẽ pro ignorationibus, magnus iam erat Apostolus, vas electionis, sapientia plenus, dum Rom. 11.
exclamans ita loqueretur. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quid multis moror? Omninò perfectorum est, & eorum cum quibus Deus loquitur, orare pro ignorationibus, siue hoc ipsum videre, quòd sint in ignorationibus. Obsecro Domine (ait Moyses) Exod. 4.
non sum eloquens ab heri & nudiustertius, ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Esaias quo Esaie 9.
que clamat. Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutis labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regẽ D O M I N V M exercituum vidi oculis Prouer. 30.
meis. Sed quid opus singularibus exemplis? Denique de vniuersis eiusmodi sapientia dicit. Visio quam locutus est vir,

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum quo est Dominus, & qui Deo secum morante confortatus ait. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum nõ est mecum. Non didici sapientiam, & non noui sanctorum scientiam. Longè hic est ab illo, qui sibi sapiens videtur aut visus est, & propter-
Ezech.28. ea cum improperio dicitur apud Ezechielem. Cherub extentus & protegens. Igitur ipse titulus hoc indicat, quòd iste sit vir, cũ quo erat Dominus, & qui Deo secum morante confortatus est. Proinde quod vidit, quod audiuit iste confortatus & luctator fortis Abacuc, iamdudum Christi Ecclesia miratur, & nos admirationem eius audientes, vtinam intelligere, & dignè cum ipso ad
CAP. III. mirari queamus, & ipsi nos orare pro ignorationibus. [Domine audiui auditionem
" tuam, & timui. Domine opus tuum in me-
" dio annorum viuifica illud. In medio anno
" rum notum facies, cum iratus fueris, miseri-
" cordię recordaberis.] Quam vel qualem domini auditionem iste audiuit, & timuit? Illã
Auditio tremenda de verbo incarnato. nimirum, quam ipse postmodum edicit. Deus (inquiens) ab austro veniet, & sanctus de monte Pharon, cornua in manibus ei, ibi abscondita est fortitudo eius, &c. Veraciter huiusmodi auditionẽ audiendo, timere siue expauescere fidelis & sapiẽtis animi est. Quantũ enim hoc est, qd veniens in hunc mundũ Deus & dominus omnium maiestas altissima cunctis virtutibus cælorum timenda & adoranda, carne assumpta manibus confixis ad crucis cornua pependit, & vt hoc pateretur, vt tam malè tractaretur tantus dominus, contumacium culpa seruorum causa extitit? Quisquis eorundem seruorũ hanc auditionem audit, id est, sentit vel intelligit. hoc enim est auditionem audire, quod audiuit auris corporis, etiam cordis aure percipere. Quisquis (inquã) eorundẽ seruorũ istud audiuit, & cõsiderauit, quomodo nõ timuit, quomodo nõ expauit? Puta qd attonitus dixerit, Heu, quid erit de nobis seruis malis, quorũ propter scelus, talem tãtumq; Domi
Enarratio cuiusdã visionis, de qua plenius lib. 12. in Mat. num tam malè tractare oportuit? Noui quẽdam, Deo teste, qui per visum, eleuatis superciliis, de quarum oculis, aspicere se putauit altitudinem summæ & incircunscriptæ magnitudinis, & miro atque ineffabili modo, vim sentire illius diuinæ virtutis, & quasi in medio eiusdem altitudinis, magnitudinis, immensitatis videre stantem, nimis excelsum & ineffabiliter altissimum illum filiũ hominis, qui crucifixus est pro nobis. Cumque visus eiusdem magno quidem, sed suaui, vltra quàm dici potest pondere premeretur. hæc, quam dixi, cogitatio illi in mentem venit. Heu, quid erit de nobis seruis malis, quorum propter scelus, talem tantumque Dominum tã malè tractare oportuit? Statimq; cogitationi huic, alia cogitatio, quasi desuper ab ipso filio hominis emissa, suauissimè respondit. Nec ego tantus nunc Dominus existerem, nisi propter seruorum causam tam malè tractatus fuissem, & quæ mihi fuit causa passionis, eadem est gloriæ & honoris. Qualiacunque sint hæc, illud rectè dixerim, quia opus hoc tam magnum, tamque incomprehensibile est, vt quisquis dignus fuit audire auditionem eius, rectè timeat, & oret pro ignorationibus. Nam ignorantiam quidẽ huius rei nullus habere debet, sed ignorantiam in consideratione eius, qui non habeat, nullus est, quia nullus ad plenum considerare vel æstimare potest. Nõ tamen timor huiusmodi, timor est seruilis aut pœnalis, sed timor est sanctus, permanens in seculũ seculi, quẽ charitas non foras mittit, sed intus adducit, in quo maiestatem æterni Dei laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Hoc ex ipsa re satis manifestum est. Nã vbi dixit, audiui auditionem tuam, & timui non licet subaudiri, ne fieri quod futurum esse audiui, cum dicat protinus. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, hoc ipsum citius fieri optauit, & orauit, qd futurum esse audiens timuit. Ergo bonus timor, sanctus timor, de quo alibi Psalmista. Adorabo (inquit) ad templum sanctum tuum in timore tuo. Domine (inquit) opus tuum in medio annorum viuifica illud. Miro modo iste non timidus, sed timoratus & orat & prophetat. Quid enim est in medio annorum? Qui sunt anni, quorum in medio fieri orat, quod audiens futurum esse timuit? Annos istos libenter intelligimus, annos vitæ hominis, quos Psalmista cõputatos habens. Dies, inquit, annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Equidem numerum hunc excesserunt potentiores, magisque durabiles aliqui, sed si in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorũ labor & dolor. Ergo anni vitæ hominis septuaginta sunt. Futurum autem erat, vt in medio huius numeri annorum viuificaret Dominus opus suum, opus mortificatum, opus quod est genus humanum. Equidem cæli & terra & mare, & omnia, quæ in eis sunt, opera sunt domini, sed homo quoddam opus speciale est domini, opus manuum domini. Nam dixit Deus de cæteris, & facta sunt. vt autem hominem faceret, assumpsit lutum & plasmauit & fecit opus manuum. Hinc Esaias. Et nunc (inquit) domine pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos, Et sanctus Iob. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. Ergo & si cætera dominus operatus est, homo tamen proprium quoddam opus manuum Domini est, quod diabolus per serpentem mortificauit morte animæ, subsequente ex iusta Dei sententia corporis morte. Hoc opus ita mortificatum viuificaturus erat in medio annorum vitæ hominis annorum septuaginta. Et ita factũ est. Cum enim esset ipse dominus homo factus,

Duplex timor.

Psal. 5.

In medio annorum. Psal. 89.

Homo alter est opus Dei, quàm alia creatura.

Esa. 64.

Iob. 10.

ctus, paulò minus quã in medio septuaginta annorum, scilicet ætatẽ habens annorum triginta trium, ipse moriendo atq; resurgendo viuificauit opus suum genus humanum. Moriendo, mortẽ destruxit animarum nostrarũ. resurgendo, vitã reparauit corporũ nostrorum. Igitur miro modo iste timuit, qui in isto timore hoc ipsum quod timebat, prophetando orauit vt citius fieret, orando prophetauit, qp citius faciendũ esset. Iterum ait. In medio annorũ notum facies. Quid notum facies in altero medio annorum? Diximus enim, quia in medio annorum vitæ hominis opus tuũ viuificasti, id est, templum tuũ, templum non manufactũ corporis tui, Iudaica impietate solutũ suscitasti, & cũ ipso generis humani vitam reparasti. Quid facies notum in altero dimidio annorum, nisi hoc ipsum quod reuera viuificaueris iam dictũ opus tuum. Cùm enim cõpleti fuerint quadraginta anni, ex quo illud opus tuum, illud
Matth 16. templum tuũ ædificasti de corpore virginis
Ibidem 27. matris, iam tunc notum factum erit, quid o-
Ibidem 24 peratus sis venientibus Romanis, & veritatem tuã implentib. in destructione tẽpli manufacti, super quo calũniã sustinuisti à dicẽtibus. Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Itẽ. Vah, qui destruxit templum Dei, & post triduum illud reædificat. Non enim remanebit lapis super lapidem qui non destruatur. Mira & pauenda celeritas operis tui domine, quia in medio annorum nostrorum, annorũ quadraginta, qui vitę nostrę anni sunt, viuificabis illud, sicut iam dictum est, & in altero eorundem annorum medio sic notũ facies, quid egeris, vt eiusdem operis tui gloriam æmulatio templi Iudaici, templi manufacti, occultare siue obscurare nõ possit, quia destructum erit, magna ira, magna tunc pressura erit populo huic. Sed quid? Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Non erimus sicut Sodoma, nõ efficiemur quasi Go-
Esa. 1. morrha, sed reliquiæ saluæ fient ex nobis, Hinc Esaias dicit. Nisi dominus exercituũ reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus, & est sensus. Nisi dominus præordinasset, vt reliquiæ saluæ fiant ex nobis, & omnis Is-
Rom. 11. rael saluus sit, cũ plenitudo gentium subin-
Gen. 19. traucrit, ita tota gens nostra consumpta fuisset absque vllis reliquijs, sicut Sodomitæ omnes igne & sulphure sunt consumpti, excepto Loth, qui nõ erat ex illis. Quod apud septuaginta interpretes ita legitur, in medio duũ animaliũ cognoscetis, non præterire libet, maximè quia in cœtu siue in conuentu ecclesiæ vsitatum est. Simplex quidem interpretatio & opinatio vulgi (ait beatus Hieronymus) de saluatore intelligit, quòd inter duos latrones crucifixus, agnitus sit. Qui autem melius hoc dicũt, qui in prima ecclesia, quę de circũcisione fuit, & de præputio congregata, duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectũ sit saluator, & creditus. Sunt qui duo animalia, duo intelligant testamenta, nouũ & vetus, quæ verè animantia sunt, atq; vitalia, quæ spirent, & in quorũ medio dñs cognoscatur. Sequitur. [Deus ab austro " veniet, & sanctus de monte Pharan.] Sem- "
per hactenus admirando exclamuerat, nunc rem ipsam latius eloqui incipit, super cuius magnitudine attonitus, exclamationem prę miserat. Deus (inquit) veniet, & sanctus veniet. Vnde veniet? ab austro de monte Pharan. Quod de Christo Dei filio scimus, vel credimus ꝓpter & loquimur, libẽter in istis ꝓphetę verbis intelligimus, quia à Deo exiuit, & in hunc mundum venit, homo factus, secundum operationem spiritus S. Spiritus enim sanctus, sicut in multis scripturarum locis, ita & hic rectè per austrum intelligitur quia ventus est calidus, & regione calida aquiloni appositus, quo significari solet spiritus malignus, spiritui sancto contrarius. Ipsa autem Dei patris persona per montem Pha-
Mons Pharan, siue secundum septuaginta interpretes, rã Deus pater. ran, siue secundum septuaginta interpretes, per montem vmbrosum & condensum cõgruè significatur, quia videlicet incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, & immensa est altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, quod innuit (vt supra diximus) titulus ipse oratio Abacuc, prophetæ pro ignorationibus. Porrò Deus &
Esa. 53. sanctus ipse est Christus Dei filius, vtique
1. Pet. 2. Deus verus, homo sanctus, nequaquã in iniquitatibus conceptus, & qui peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. Iste igitur (inquit) ab austro veniet, id est, vt veniat iste, hoc spiritus sanctus efficiet. Nã propter charitatẽ suam magnã veniet, propter charitatem suam magnam mittet eum deus pater. Charitas autem patris mittentis, & filij qui missus est, quid est aliud, nisi spiritus sanctus? Ergo à spiritu sancto veniet, id est, vt veniat, sicut iam diximus, spiritus sanctus efficiet, & spiritus sancti erit operatio, qp cũ virgo incorrupta cõcipiet verum Deum, verumq; hominẽ pariet. Secundum tres istas, vnius veræ & summæ Deitatis personas, tribus distinctionib. canticũ hoc propheticum subdistinguit. Distinctionẽ eorundẽ signũ est semper, quod Hebraicè sela, & à Græcis translatoribus interpretatum est diapsalma, de quo sciendum, quod nõ nisi in Psalterio, & in præsenti loco sit positum. Et puto (ait beatus Hieronymus) musici cuiusdam soni esse signaculum, aut certè perpetuitatem eorum, quæ prædicta sunt, indicari, & vbicunque sela, hoc est diapsalma siue semper apponitur, ibi sciamus non tantum ad præsens tempus, verùm ad æternum, vel quæ sequantur, vel quæ præcesserunt, pertinere. Prima distinctio ab hoc versu incipit, operuit cælos gloria eius. Secunda, fluuios scindens terræ. Tertio, maledixisti sceptris eius.

Tres distinctiones huius orationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et prima quidem distinctio spectat ad Deū dei filium, de quo dixerat Deus, ab austro veniet, nam cornua (inquit) in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, &c. Secunda distinctione manifestū est, quod alij personæ loquatur, nam egressus es (inquit) in salutem populi tui, in salutem cum Christo, & illa persona rectè intelligitur spiritus sanctus, quem per austrum significari accipimus, qui visibilia præsentiæ suæ signa præbuit, egrediens cum Christo suo, in salutem populi sui, quod suo loco planius dicendum erit. Tertia distinctione alia persona est cui loquitur, maledixisti sceptris eius. Postmodum dicens. Ego autē in domino gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo. & illā personā cui loquens, hoc de domino Iesu suo confitetur, partem gratanter accipimus. Nunci-
«pſam dictorum seriem persequamur. [Opè
«ruit cælos gloria eius, & laudis eius plena est
«terra.] Sic loquitur. Hæc & cætera quæ sequūtur, tanquam timor plenus, & alio audi tu in interiore homine attonitus, quem præmisit, domine (inquiens) audiui auditionem tuam & timui. Dixerat, Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan, siue de mōte vmbroso & condenso. Iam quasi quæreres, qualis vel quantus Deus, quantæ sanctitatis sanctus? operuit (ait) cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Cùm dicit, operuit cælos gloria eius, quid nisi hoc intimare vult, ꝙ æquè vmbrosus & condensus sit, vt ipse mons, id est, ipse pater, de quo venit idē
Gloria & eius Christi Deus. Denique valdè vmbrosum & condē sum, valdè incomprehensibilem illum esse testatur, cùm dicit, operuit cęlos gloria eius, quod idem est ac si dicat, incomprehensibilis est diuinitas eius, etiam cælis, id est, cunctis spiritibus angelicis. Tantus tamque gloriosus est iste Deus: Quàm sanctus sit si quæras, & laudis eius (ait) plena est terra. Pulchrè distinguit gloriam Dei, laudem Dei. Nam in de glorioſus, quia deus inde laudabilis, quia sanctus. Et sicut gloria diuinitatis eius cælos (vt iam dictum est) operuit, ita laude sanctitatis, laude sanctæ humanitatis eius terra plena. Nec cæli, id est angeli gloriam diuinæ claritatis eius ad finem perspicere possunt, nec homines in terra sanctitatem, & humilitatem humanitatis eius, quantum est dignum, laudare sufficiunt. Non habet finem Deus magnus & excelsus, non habet æstimationē Deus homo factus, sanctus & bonus. Quid ergo, si gloria eius cælos operuit. Vnde co-
«gnoscetur, si est vmbrosus atq; condensus.
Ait. [Splendor eius vt lux erit.] Ac si dicat. Non ita est vmbrosus & condensus, vt non possit videri, non ita est incomprehensibilis vt non possit agnosci. Splendebit enim, & splendor eius vt lux erit, id est, creaturam satis illuminabit. Habet quidem lucem inaccessibilem, sed tolerabilem nouit emittere splendorem. In ipsum lucis profundum accedere vel penetrare creatura non potest, sed ad creaturam lux ipsa temperatiuo spendore procedere potest. Splenduit gloria eius ipsis cælis, quos operuit, & terræ splenduit, vbi homo factus, homines latuit. Splendor eius mirabilium est operū effectus. In cælo & in terra mirabilia fecit. & quoties mirabilia fecit, toties splendorem emisit. & huiusmodi splendor eius, vt lux est, & vt lux erit, quia creaturam suam angelicam siue humanam ad cognoscendum seipsum sufficienter illuminat, & illuminabit. Quid tandem vmbrosius, quid condensius eo quod sequitur. [Cornua in manib. eius.
Ibi abscondita est fortitudo eius.] Cornua nanque vexilla dicit, & trophea crucis, cuius brachijs confixæ fuerant manus eius. Cùm enim in forma dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum axianiuit formam serui accipiēs, factus obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis. In cruce ergo paulisper abscondita est fortitudo eius, quando dicebat ad patrem. Tristis est anima mea vsque ad mortem, & pater si possibile est, transeat à me calix iste. & in ipsa cruce, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Quid tam vmbrosum, tam condensum? Nam nos (inquit Apostolus) prædicamus Iesū Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalū, gentibus autem stultitiam. Quomodo autem vel ad quid ibi abscondita est fortitudo eius? Nimirum sicut in carne absconditur hamus .i. ferri aculeus, ad hoc vt piscis capiatur. Nam hoc est quod de Behemot siue Leuiathan ad beatum Iob dominus loquitur. An extrahere poteris Leuiathan hamo? Subauditur vt ego. Proinde cùm dicit, cornua in manibus eius, non id solum nos attendere vult, quod cornibus siue brachijs patibuli confixæ fuerint manus eius, alioquin magis propriè dixisset, manus eius in cornibus, sicut non sic dicere solemus, crux in Christo, sed Christus in cruce fixus, hoc magis non perpendere vult, quod propter confixionem qua cruci confixus, vel in cruce exaltatus est, omnis potestas siue omne regnum quod per cornu significari solet, datum est in manibus siue in manu eius, sicut ipse prædixerat, si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad meipsū, & sicut ait postea, data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ipse ꝓpheta protinus enūciat quid euēturū esset inde, quod ibi abscondita est fortitudo
«eius. Ait enim. [Ante faciem eius ibit mors,
& egredietur diabolus ante pedes eiꝰ.] Quid enim est hoc, nisi ac si diceret, illo quasi hamo Leuiathan capietur. Sicut enim piscis hamo captus, ante pedes capientis hamumque trahentis, de flumine siue de mari egredietur, ita diabolus egredietur (ait) ante pedes eius, hoc est, veniet in potestatem eius & foras idem princeps mundi eijcietur. Duo dixit

Cornua eius brachia crucis *Philip. 2.* *Matth. 26.* *Luca 23.* *1. Cor. 1.*

Iob. 40.

Ioan. 12. *Matth. 16.*

dixit, ante faciē eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, & hæc sunt quæ nos credimus & loquimur, & credentes speramus, quia ante conspectum eius mors fugit. Resurrexit enim, & nobis resurrectionis gloriam dotauit, diabolum que authorem peccati & mortis ad prędicationem euangelij sui fecit foras egredi, & ante pedes,
«id est, ante prædicatores suos conculcari. Se-
«quitur. [Stetit & mensus est terram. Aspe-
«xit & dissoluit gentes, & contriti sunt mon-
«tes seculi. Incuruati sunt colles mundi, ab iti neribus æternitatis eius.] Ipse qui in cruce mortuus fuit, vbi abscondita erat fortitudo eius, resurgens à mortuis, nimirum iam non abscondita vel abscondenda, sed deinceps, manifesta & aperta fortitudine stetit, subauditur, à dextris virtutis Dei, ad expugnandas reliquias peccati, ad debellādos hostes euangelij sui. Nam ecce video cælos apertos, ait Stephanus prothomartyr, & filium hominis stantem à dexteris virtutis Dei. Et Esaias iam dudum fuerat prælocutus. Stat ad iudicandum dominus, & stat ad iudicandos populos. Stetit ergo dominus fortis & potens, dominus potens in prælio, diabolum vinctum habens ante pedes suos, Et mensus est terram. Quomodo mensus est, nisi tanquam iudex viuorum & mortuorum. Nempe ꝙ de Dauid scriptum fuerat, quia percussit Philistijm, & percussit Moab, & mēsus est funiculo coæquās terrę, mensus est autem duos, vnum ad occidendum & vnum ad viuificandum, hoc de isto manu forti venerabiliter est sentiendū, quia mensus est terram, mensus duos funiculos, vnum funiculum misericordiæ, & vnum funiculum iudicij. funiculum misericordiæ ad viuificandum, funiculum iudicij ad occidendum. Ita metiendo terram aspexit gentes, miseratus est gentes, funiculum misericordiæ ad viuificandū mensus est super gentes. Porrò iudicij funiculum ad occidendū mensus est super Iudæos, vt excæcati caderent in ore gladij, & captiui ducerentur in omnes gentes. Idipsum quod dicimus de aspectu misericordiæ quo aspexit gentes, pulchrè innuit hoc dictum, & dissoluit gentes, & quod subiungit, & contriti sunt montes seculi, & incuruati sunt colles mundi. Quid enim est dissoluit, nisi ad pœnitentiam emolliuit? Ecōtra de impio dicitur, quia cor eius indurauit. Et quid est, cōtriti sunt montes seculi, & incuruati sunt colles mundi, nisi ad pœnitentiā contristati sunt principes seculi, maiores qui intelliguntur per montes, & minores qui significantur per colles? Commota est & contremuit terra (ait Psalmista) & fundamenta montium conturbata & commota sunt, quoniam iratus est eis. Bona contritio, quæ fit ab itineribus æternitatis eius. nā hoc est contritum & humiliatū, ꝙ nō despicit deꝰ, hoc totū fuit vel est metiri funicu-

Actor. 7. *Esa. 3.*

Quomodo Christus mensus est terram. *2. Reg. 8.*

Exod. 10.

Psal. 17. *Psal. 50.*

lūvnū, funiculū misericordiæ ad viuificādū. Porrò ꝙ cōtinuò sequitur. [Pro iniquitate
«vidi tentoria Aethiopię, turbabuntur pelles
«terræ Madiā.] Mensio est funiculi alterius,
«funiculi iudicij ad occidendum. Nam de illo Aethiopæ hic sermo est, qui nō mutabit pellē suam, & de illo Madian qui semper & pertinaciter declinant iudicium, secundū hoc ipsum nomen quod est Madian. Madian quippe interpretatur declinans iudicium, & significat eos qui non credunt futurum iudicium. Igitur ipse qui aspexit & dissoluit gentes aspectu misericordiæ, ipse pro iniquitate vidit i. iniquitatē iudicauit oēm incredulū, omnem animā hominis increduli & malū operantis, Iudæi primū & Græci. Si quidem tabernaculū Aethiopæ est omnis anima Iudæi malum operātis, potius quā tabernaculum Libani. i. templum ipsum, de cuius candore siue religione solebat gloriari, & dicere, templum domini, templum domini, templum dñi est. Verùm dicere licet, quia ex quo saluatore crucifixo tenebræ circa meridiem factæ sunt, & secundum illud prælagium, cæcitas contigit in Israel, & nō obscurati sunt oculi eorum, & ipsum templum, & omnia sacra Iudæorum, tabernacula Aethiopæ facta sunt. Sicut enim Aethiopes ex vicino splendidi solis calore denigrati sunt, ita Iudæi miro modo de præsentia saluatoris per inuidiam suam deteriores facti sunt, & per odiū lucis obscurati sunt oculi eorum. Igitur pro iniquitate vidit tentoria Aethiopię. i. sicut verā & consummatam iniquitatem iudicauit, atq; damnauit cuncta quæ prius sibimet habitacula fuerant, festa vel cærimonias religionis Iudaicæ. Deniq; turbabuntur (ait) pelles terræ Madian. Et iste & alius propheta, videlicet Esaias, qui cū dixisset, iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, statim addidit, sicut inde Madian, ad illum nos mittunt sacræ historiæ locū, vbi Gedeon dux Israel, miro modo turbauit castra Madian. Omnis Madian & Amalech, & orientales populi congregati fuerant simul, & Gedeon quælierat signum in vellere, scire volens si saluum faceret dominus per manum eius Israelē, sicut locutus est. Diuisitque trecentos viros, quos de omni Israel secum retinuerat, in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasq; vacuas, ac lampadas in medio lagenarum. Cumque oēs secundum ducis edictum atq; exemplū per gyrum castrorum in tribus personarēt locis & hydrias cōfregissent, tenuerunt sinistris manibus lampadas, & dextris sonantes tubas, clamauerunt, gladius domini & Gedeonis. Omnia itaq; castra turbata sunt, & fugientes mutua se cæde truncabant. Secundum illius rei gestæ similitudinem turbabū tur (ait) pelles terræ Madian. i. omnia sacra vel secreta gentiliū, declamantium iudiciū,

Esa. 9.

Iud. 6. 7.

Rom. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non eredẽtium futurum esse iudiciũ. Quod Gedeon Christi pertulerit typum secundũ sui nominis interpretationem, Gedeon nanque interpretatur circuiens vterũ, & q̃ viri eiustrecẽti martyres Christi significauerint, certantes atq; morientes pro fide sanctæ trinitatis, & q̃ confractio hydriarũ mortes fragilium corporum, fulgur autẽ lampadarũ, gratiarum significauerit miroaculorũ, quæ post martyrum cædes splenduerunt, vnde superata atq; confusa sunt cuncta fanatica gentilium, sancti patres latius tractauerunt, quæ quoniam suis in locis inueniũtur, hic non perscribimus, vitantes legentis fastidium. Igitur turbabuntur (ait) pelles terræ Madian. i. vanitates & insanię falsæ illorum, qui nõ credent secundum euangelij prædicationem, futurũ esse iudicium. superabuntur atq; destruẽtur per mira & inaudita prę lia martyrum sua corpora ad supplicia tradentium, & moriẽdo vincentium. Sequitur.

Gedeon typus Christi fuit.

«[Nunquid in fluminib. iratus es domine, aut «in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?]Huiusmodi interrogationes interdum facere potuerunt & cæteri prophetæ, & fecerunt, excepto q̃ iste cum maiori interrogat admiratione. Exempli gratia. Vbi Daniel vidit in visiõe, quod quatuor vẽti cæli pugnabant in mari rubro, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuerse inter se, & deinde throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & interfecta est iudicio eius bestia illa magna, aliarum quoq; bestiarum potestas ablata, admirari poteratipse Daniel, & eodem modo interrogare. Nunquid in leonib. iratus es domine, aut pardis aut yrlis furor tuus, & in ventis atq; in mari indignatio tua? Nunquid de talibus tibi est cura, vt propter hæc in iudicio sedeas? Et ratione ipsa respõdente, non cõsequebatur, vt per illas imagines significarentur, quædã alia maiora, quæ scire volens ille, accesi (inquit) ad vnum de assistentibus, & veritatẽ quærebam ab eo de omnib. his: Simili modo & Zacharias de multis quærit, & dicit. Quid sunt hæc dñe mi? Iste autem magis attonitus & maiori admiratione citatus, videbat enim & audiebat aure vel oculo prophetali vnde timeret, sicut præmisit, domine audiui auditionem tuã, & timui, interrogat & dicit. Nunquid in fluminibus iratus es domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua? Et sine dubio respõsum est ei, nonnullã quippe iram elementa inanimata meruerunt, & sicut Danieli, sicut Zachariæ interrogantibus, ita huic dictũ est, quid essent vel quid significarent ea, quæ videbãtur. Nulli tamen ita expositum est aliquod eiusmodi mysterium, vt cõcederetur ei scribere manifestẽ ad intelligendum, immò sic præcipiebatur. Tu aũt claude sermones, & signa librum vsq; ad tempus statutũ. Quid ille viderit vt diceret, nunquid in fluminib. iratus es dñe, &c. Sequentia manifestius sonant, cũ dicit, viderunt te aquæ Deus, & doluerunt montes, gurges aquarum transijt, dedit abyssus vocem suã, &c. Itaq; sicut in legalibus dictis, non alligabis os boui trituranti, cũ audimus Apostolum dicentẽ, nunquid de bobus cura est Deo, scimus respondere, non, sed de prædicatoribus hoc dicit lex spiritualis. Ita in his visionibus propheticis, dum dicit, nunquid in fluminibus iratus es domine, ipse videns, siue propheta, & nos vidẽtis sensum habere cupiẽtes, respondere sciamus, non, & sub nominibus montium atque collium, equorum atque quadrigarum, fluminũ siue aquarum, sagittarũ fulgentium, & fulgurantis hastæ, cæterarumq; rerũ, de quibus æquè vt de bobus cura Deo non est, res illas intelligamus, de quibus deo sine dubio cura est, flumina illa nobis in intellectu sint, illa, quorum voces audite sunt, vel audire potuerunt aquæ illæ, & mare illud, & flumina, de quibus in Psalmo scriptũ est. Eleuauerunt flumina domine, eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuauerunt flumina fluctus suos à voce aquarum multarum. Mirabiles eltaiones maris, mirabilis in altis dominus. Flumina enim quæ leuauerunt vocem suam, sacra catholicę fidei dogmata sunt, domino dicente. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Porrò flumina alia flumina contraria, quę eleuauerunt fluctus suos à vocibus aquarum multarum, illa sunt, de quibus gloriatur draco magnus, vt apud Ezechielem Dominus loquitur. Ece ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluuius, populi mei sunt, inquieti & impetuosi, qui eleuauerunt fluctus suos, fluctus persecutionis, atque seditionum à vocibus aquarum multarum, id est, propter voces Christi discipulorum habentium abundantium cælestium gratiarum. Illud mare totus mundus est, mundus impiorum & incredulorum, cuius tanquã maris elationes mirabiles fuerunt, mirabilis autem in altis dominus, qui elationes illas compescuit. Qualiacunq; vocabula sint, tam in his, quàm in cæteris, quæ sequuntur, illas debemus intelligere res, quibus dominum summè sapientem, & summè iustum irasci vel indignari à ratione non discordet. Sequitur. [Qui ascẽdis sup̃er equos tuos, & quadrigæ tuę saluatio. Sus citãs sus cet, tabis arcũ tuũ, iuramenta tribubus, quæ locutus es.]Quia semel interrogauit, nunquid in fluminibus iratus es domine? & interrogando, interrogationis atque responsionis viam nobis aperuit, interrogemus etiam de his? Nunquid super equos quadrupedes domine ascendisti, aut ascẽdes, & quadrigis vectaberis, vt reges vel cõsules? Nunquid arcũ intendes, & sagittarius ies, & scapulas hominum transfiges, & percuties inter pulmonẽ & stomachũ, aut egredietur sagitta per carneum cor eorum? Et respondebimus? Non. Nam ascendes quidem equos tuos, sed equi tui homines sunt, sponte subeuntes obedientiæ tui frenum. Ascẽdes quidem quadrigas tuas, sed quadrigæ tuæ quatuor euangelia tua, siue euangelij tui quatuor sunt sacramẽta, per totum mundum currentia, scilicet in carnatio tua, passio tua, resurrectio tua, ascẽsio tua, quæ sine dubio sunt saluatio nostra, quorum sine fide, nulla est saluatio nostra. Cũ istis equis & quadrigis tuis susciẽs (ait) susciẽtabis arcum tuũ. i. prædicans prædicabis futurum iudicium tuum, te, ad iudicandum viuos & mortuos, venturum, quemadmodum illi testes resurrectionis & ascensionis tuæ te viderunt euntem in cælum. Illud nanq; prædicare iudicium quodammodo tale est, vt si quis intendat arcum suum, quia sicut arcus de longè ferit, ita de longinquo venit dies iudicij, ita vt antequam feriat, prę uideri non possit. Susciẽtabis iuramenta tribubus quæ locutus es. Quæ sunt illa iuramẽta? Duobus quidem hominibus iuramenta locutus es, scilicet Abrahæ & Dauid, dicens Abrahæ. Per memetipsum iurauit, quia fecisti rem hanc. Et iurans Dauid, sicut scriptura dicit. Iurauit dominus Dauid veritatem. Veruntamen & omnia dicta tua, propter firmam & insolubilem veritatem dici possunt iuramenta. Tu es enim ille angelus, de quo in Apocalypsi scriptum est. Et angelus quẽ vidi supra mare stantem, leuauit manũ suam in cælo, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cælum, & ea quæ in eo sunt, & terrã, & ea quæ in ea sunt, & mare & ea q̃ in eo sunt, quia tẽpus amplius non erit, &c. Quodcunque locutus es, tã firma tamq; vera sunt, ac si iurareris per temetipsũ, siue p beatã trinitatẽ, viuentẽ in secula seculorũ. Cælum & terra transibũt, verba autem mea non transibunt. Ascendendo super equos & quadrigas tuas, & suscitando arcũ tuum implebis omnia, quæ tanquam iuramenti locutus es, quorum finis erit, dare tribubus tuis terram veraciter fluentem lac & mel. [Semper.]Iam supra dictũ est, quod à versiculo illo, Deus ab austro veniet, & sãctus de monte Pharan, siue vmbroso & condenso, quo sanctam intelligimus trinitatem, trina distinctione distinctum sit hoc canticum, & singularum distinctionum signum sit, semper, q̃ quo in græco diaplasma, & in Hebrai co sela scriptum est, & vbicunq; apponitur ibi, vel quæ sequantur, vel quæ præcesserint S. nõ tantum ad præsens tempus pertinere scimus. Ea quæ iam dicta sunt, manifestum est, ad personã pertinere Dei, & sancti, q̃ ab austro & de monte vmbroso, & condenso. i. à spiritu sancto, & à patre Deo venturus erat, & nunc interposito, semper, quæ sequuntur & personam dicuntur spiritus sancti, quod maximè ex illo liquet versiculo. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Ait itaque. [Fluuios scindens terræ, viderunt te aquæ, & doluerunt montes, gurges aquarum transijt.]Ne fluuios & aquas, siue aquarum gurgites hic intelligamus vulgariter, vetuit nos interrogatio præmissa, di centis. Nunquid in fluminibus iratus es domine, aut in fluminib. furor tuus, vel in mari indignatio tua? Ergo fluuios terræ, id est, omnes sapiẽtes, siue omnes loquacitates philosophiæ mundanæ, tu auster bone, tu spiritus sapientiæ scindes, tu qui flumen Dei, id est, doctrinam euangelicam, absque scissura currere facies, sequentibus signis. Ad quid illos fluuios scindes? Nimirum vt minus aut nihil valeant, per scissuras comminuti atque attenuati, & transeant per eos calciati. Nam hoc est quod apud Esaiam taliter dictũ est. Et desolabit dominus linguam maris Aegypti, & eleuabit manum suam super flumẽ in fortudine spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis, ita vt transeant per eum calciati. Ligua nanque maris Aegypti, loquacitas est sapientium seculi, quam spiritus sanctus stultam fecit, quam dum scissa & contra semetipsam diuisa est, facilius transierunt per eam, quicunq; fuerunt vel sunt calciati pedes in præparatione euangelij pacis. Hoc facto viderunt te (ait) aquæ, & doluerunt mõtes, id est, cognouerunt te populi, & doluerunt principes, aliqui dolore pœnitentię, aliqui dolore inuidiæ, & intumescent quidẽ populi multi, quo modo interdum aquæ intumescunt, sed tumores eorum finis erit, hoc est, quod nunc ait, gurges aquarum trãsijt. Sequitur. [Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuabit. Sol & luna, steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.]Vbi gurges aquarum, hoc est, omnis eorum impetus, & persecutio transijt, qui vexabant tunc populum tuum, tunc abyssus, id est, inferi laudauerunt te, tunc etiã, superi, id est, angeli in plausum suis manibus concrepuerunt, & victorem veluti gestu quodam & tripudio eleuatarũ manuum demonstrant. Sol tuus & luna, & omnis splẽdor, qui prius illuxerat populo, & postea malorum pondere, & tenebrarum horrore vniuersa fuerant cooperta, receperunt lumẽ suũ, & pristinũ habuerũt fulgorem. Sagittæ tuæ, & fulgurans hasta tua. i. plagæ tuæ, & eruditio tua, lumen populo tuo præbuerũt. Denique in luce sagittarum tuarum & in splẽdore iustitię tuę, quę eos ad hoc cor te timens, te diligens, & magnam tui admirationem habens. Hic protinus sequitur. [In fremitu conculcabis terram, in furore ostupefacies gentes. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cũ Christo tuo. Percussisti caput de domo impij, denudasti fun

Interrogatio per admirationẽ.

Daniel 7.

Zach. 1.

Dani. 2.

Deut. 25.

1. Cor. 9.

Iuramenta Dei. Gen. 22. Psal. 131. Apoc. 10.

Psal. 92.

Ioan. 7.

Ezech. 29.

Secunda distinctio Spiritus S.

Matth. 24

Esa. 11.

Sapientes se culi.

Ephe. 6.

Doluerunt montes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

damentum vsque ad collum.] Procedere & properare volēs animus, adhuc ad ante iam dicta reuocatur. Minus enim, quàm cupit ipse sibimet dixisse videtur. Siquidem de tēporibus verborum tacuit omninò, tanquā casu, & absque vlla ratione, variata sint in his verbis propheticis. Futuro tempore propheta dixerat. Fluuios scindes terræ, & repentè verbis agere rem cœpit præteriti temporis. Viderunt te aquæ, & doluerunt montes, gurges aquarum transijt, & subinde iterum secundum tempus futurum. In luce (ait) sagittarum tuarum ibunt, in fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes, statimque rursus tempore præterito. Egressus es (inquit) in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, & cæt. Nunquid casu, & absque vllius rationis interitu, ita in prophetis suorum tempora verborum variare consueuit spiritus sanctus? Non vtique absque ratione est, quæ si nobis non omninò patet, tamen inde persentire aliquid, dulce & iucundum est. Attendenti diligenter illud occurrit, quia sermo propheticus, ea quę quodā certo tēpore uentura vel facienda essent, magis præteriti temporis verbis edixit. Illa verò, quæ fieri non desinerent, omnibus diebus vsque ad finem seculi, verbis futuri temporis enunciauit. Siquidem vt prædicatores suos in mundo haberet dominus, & futurum prædicaret iudicium vsque ad finem seculi, non erat desuturum, & idcirco verbis futuri tēporis edixit. Ascēdes super equos tuos, fuscitans fuscitabis arcū tuū. Vt autem in infirmitate passionis lateret virtus diuinitatis eius, certo quodam & breui tempore futurum erat. & idcirco præterito tempore dixit. Ibi abscondita est fortitudo eius. Discretio hæc eadem, illic euidentius apparet, ibi de passione sua loquens, præterito tempore ait: Foderunt manus meas & pedes meos, quod, sed semel oportebat fieri. Futuro autem. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te, quod fit & fiet vsque in finem seculi. Quapropter quod ait, ab eo, fluuios scindes terræ, repetere libet, veruntamen prius egressum illum de quo ait. Egressus es in salutē populi tui, in salutem cum Christo tuo, considerare ad rem præsentem nonnihil attinet. Egressus es ait, id est præsentiæ tuæ, vel aduentus tui ad homines, signa visibilia dedisti Deus inuisibilis. Ita egressus es cum Christo tuo. Ergo cui hæc dicuntur, alia est persona, quàm ipse Christus. Nec verò persona patris hic intelligenda est, quia videlicet personam illam ex nomine, nulla scripturæ authoritas refert taliter apparuisse hominibus, vt visibilia præsentiæ suę signa præberet. Filius Dei, Deus inuisibilis, homo visibilis factus est, & cum ipso taliter egresso, spiritus sanctus ita egressus est in salutem populi sui, vt visibile daret signum aduentus sui. Nā & super ipsum Christum suu descendit corporali specie, sicut columba. Et supra discipulos Christi sui apparuit, tanquam ignis, & super singulos eorū sedit. Ita egressus est in salutem populi sui, cū Christo suo. i. vt saluaret populum suū, cum Christo suo saluatore nostro. Primo egressu visus est ad aquas Iordanis, vbi baptizabatur Christus eius. Pulchrè ergo ab aquarum similitudine incipit opus eiusdem salutis, in laudem eius qui egressus est in salutem populi sui. Fluuios (ait) scindes terræ, viderunt te aquæ, &c. Verbum scindere, latius est, & plus significat, quā si dixisset, emittes siue aperies. Vno nanq; hoc verbo, & malorum desolationem, & bonorū significat fluuiorū diffusionē. De malis vel cōtrarijs iam suprà positum est exemplū. Et desolabit dominus linguam maris Aegypti, & eleuabit manū suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis, ita vt transeant per eum calciati. De bonis alibi dictum est, quia scissæ in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quę erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. & malis quidem fluuij, sunt fluuij terræ, boni autem fluuij non sunt eiusdem terræ, sed scissæ, id est, per diuisuam gratiam dati sunt terræ. Vtrunq; fieri cœptum est, ab aquis Iordanicis, ab ipso egressu, quo in specie columbę spiritus sanctus ad aquas Iordanis egressus cum Christo suo in salutem populi sui. Exinde nanque cœpit Iesus Christus eis prædicare publica prædicatione, & in digito Dei dæmonia eijcere. Taliter egressum viderunt te (inquit) aquæ, & doluerunt montes, id est, cognouerunt te populi, & inuiderunt principes. Nam turbæ equidem admirabantur, Pharisæi autem dicebant: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Viderunt (inquam) te aquę, & doluerūt montes, quia exierunt Christo tuo obuiā turbæ cum ramis palmarum, pium Osanna conclamantes, & inuiderunt principes sacerdotum mortem illi machinantes. Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt. De talium quolibet in Psalmo dictum est. Concepit dolorem & peperit iniquitatem, & aquę & montes pariter viderunt te, quod scilicet tu cum illo Christo tuo esses, & ipse illę nō in Beelzebub, sed in te multa signa faceret, sed aquæ & viderunt te, & laudauerunt. montes autem viderunt & inuiderunt. Deinde gurges aquarum (inquit) transijt. Quid ibi fuit gurges aquarū, nisi profunda & seditiosa malitia Iudęorū? Deniq; sicut turbas illas quę viderūt & laudauerunt, nomine aquarum, & sicut Pontifices & Pharisęos nomine montium, ita consilium quod illi collegerunt, & habitatores Hierusalem, rectè intelligimus nomine gurgitis aquarum. Nam hinc est quod idem Christus tuus iamdudum per

Cur prophetarum tempora dicta reuocatur.

Verborū variatio.

Psal. 21.

Egressus es in salutem populi tui.

Matth. 3. Actor. 2.

Esa. 11.

Psal. 106

Doluerunt montes. Psal. 76. Matth. 12.

Gurges aquarū transijt.

Psalmistam

Psal. 68. Psalmistam dicebat, orans. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Illic gurges aquarum transijt, subauditur, super Christum tuum. Trāsijt (inquam) id est, venit quidem, sed nō diu mansit super eum. Intrauit vsque ad animā eius, id est, tādiu, donec ille moreretur. Sed quid protinus? Dedit (inquit) abyssus vocē suam, altitudo manus suas leuauit. Sol & luna steterunt in habitaculo suo. Post gurgitē aquarum transeuntem, statim dedit abyssus vocem suam. Quia statim vbi dixit. Cōsummatum est, & emisit spiritum, statim infernā concremuerunt, & qui in illa tali abysso erat sanctorum populus, dedit vocem suam & vocem lachrymabilem, quam nos per fidem tam benè intelleximus, ac si præsentes ibi fuissemus. Illa vox huiusmodi fuit. Aduenisti desiderabilis quem expectabamus in tenebris, vt educeres hac nocte vinculatos de clausstris. Post talem abyssi vocē altitudo quoq; manus suas leuauit. resurrexit enim ille à mortuis, & hoc vidēs omnis multitudo cælorū, plena felici admiratione plausum fecit, & tripudiando exultauit. Nec mora deinde sol & luna steterunt in habitaculo suo. Nam tuus idem Christus ascendit in cęlum, & stetit, vel sedit à dextris virtutis Dei, & ecclesia eius sublata de inferis, ipsa quoq; *Psal. 44.* à dextris stetit, sicut psalmus prædixit. Astitit regina à dextris tuis. Exinde cœpit fieri, & fit, & fiet vsq; ad consummationem seculi, id quod protinus sequitur. Temporibus mutatis, id est, facto transitu de tempore præterito, ad verba temporis futuri. In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ, in fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. Illuminati namq; sunt Apostoli, & prædicando emittere cœperūt lucida verba veritatis. Illa deniq; verba sagittæ sunt tuæ, sagittæ lucentes, luce sua viam vitæ demōstrantes, & acumine suo corda populorum ad pœnitentiā compungentes. Hinc videlicet in Psalmo. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corde inimicorum regis. Et est sensus. Verba prædicationis tuæ acuta sunt, vsque ad animam pertingentia, & non homines, sed vitia hominum interimentia, quibus confixi populi, in corde inimicorum regis, id est, in corde suo. Qui prius inimicabātur regi deo, vel regno Dei, cadent sub te, id est, adorabūt te, sub tuum imperium redacti. Nec sola erant prædicationis verba, sed sequentur & signa terribilia. Benè ergo cum dixisset. In luce sagittarum tuarum, addidit. In splendore fulgurantis hastæ tuæ. Fulgurans hasta faciendorum est signorum potentia. In huius splendore, & in illarum sagittarum luce ibunt (ait) subauditur, tam prædicatores quā auditores Euangelij, & ita factum est, & fit, & fiet vsque ad finem seculi. Et sagittarum lux, & splendor hastæ fulgurantis eo vsque

Abyssus dedit vocem suam.

Lux sagittarum.

Ibid.

Fulgurans hasta.

processit, vt Christiana fides obtineret principatum mundi, & super gentes exercet in fortitudine zeli boni sæueritatem magisterij religiosi. Dicit ergo sagittarum eiusmodi talisque hastæ Domino Spiritu sancto. In fremitu conculcabis terram, in furore obstu pefacies gentes. Vbi enim super mores hominum terrena sapiētium, magisterium exercetur, ibi terra conculcatur in fremitu, & vbi gentiliter viuentes, pro modo peccati puniuntur, verbi gratia, cum traduntur sathanæ in interitum carnis, ibi gentes per iustum furorem stupore afficiuntur. Nunc de mum diligentius considerandum est, quod dixit hoc modo. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Nec enim vacare putanda est ista repetitio, in salutem cum Christo tuo. Denique vnus quidē est spiritus, & vna est salus populi eius, sed duo leguntur in Euangelio Christi egressus eiusdem, & geminum est eiusdem salutis opus. Primus egressus est in specie colūbæ ad aquas Iordanis. Secundus egressus est in cœnaculo super Apostolos, in igne, & linguis dispertitis. Hoc iam suprādictum est. Porrò de gemino salutis opere, itidem sciendū est, quia primum est opus, remissio peccatorum, secundum diuisio gratiarum. Remissionem peccatorum, opus primum & maximè necessarium, à passione CHRISTI sui cœpit operari. Ille enim resurgens à mortuis, & stans in medio discipulorum insufflauit & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, & subaudiendum est in remissionem peccatorum. Sequitur enim. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Diuisionem gratiarum, secundum salutis opus erat quidem in quibusdam ex parte effectum, ante CHRISTI passionem, vt haberēt aliqui sermonem sapientiæ, & sermonem scientiæ, fidem, prophetiam, operationem virtutum, discretionem spirituum, & post passionem eius, die pentecostes abundantius peractum est, datis insuper generibus linguarum, vt exinde salus eadem cunctis gentibus innotesceret. Singillatim cuique credentium hoc opus perficitur, dum primùm ex aqua & Spiritu sancto renascitur, & deinde per manuum impositionem, chrismatis vnctionem confirmatur. Ita in salutem egressus percussisti (ait) caput de domo impij, denudasti fundamentum vsque ad collum. Semper impius diabolus est, & domus eius mundus, siue omne quod in mundo est, scilicet concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorū, & superbia vitæ. Quid ergo intelligimus caput eiusdem domus, nisi aut ipsum diabolum principem mundi, aut originale peccatum, quod regni vel domus eius caput & principium fuit? Hoc caput percussisti percussione lapidis, id est, passione CHRISTI, & proinde rectè dictum est, quia egressus

1. Cor. 3.

Duplex egressus spiritus sancti. Matth. 3.

Actor. 2.

Duplex opus spiritus sancti.

Ioan. 20.

Ioan. 3. Actor. 19. 1. Ioan. 2. Caput de domo impij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput de domo impij

sus es in salutem populi tui. Deinde domus eiusdem denudasti fundamentum vsque ad collum, id est, quicquid errorum, quicquid vitiorum erat in mundo, non dimisisti in cõcussum, tam illud quod latebat, sicut latet domus fundamentũ, q illud q̃patebat, sicut patet corporis collũ. Illis nãq; linguis igneis quas foris ostendisti, intus feruidi & fortes sapientes facti & eloquentes, nõ cessauerũt, donec propalarent, mundi huius sapientia, quanta esset stultitia, quæ dicebantur in tẽplis gentium sacra, quanta essent sacrilegia.

Tertia distinctio ad Deũ patrẽ.

Tertium est hoc semper, de quo quid sit, iã semel & secundo dictum est. Sequitur. [Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius venientibus vt turbo ad dispergendum me. Exultatio eorũ, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.] Quoniam distinctione trina distinctum est hoc canticum, cuius videlicet distinctionis signum est, semper, siue diaplasma, tertio iam appositum, & in antedictis clarè discernũtur duæ personæ filij & spiritus sancti, delectat hanc tertiã partem cantici referre ad propriam personam patris, vt sit canticum siue laus totius trinitatis. Maledixisti (inquit) sceptris eius, &cẽ. Ac si dicat. Nõ hac vice solũ, nõ hac vice primũ percussus est impius, quando passus est Christus, sed iamdudũ dãnatus fuerat, & triplex est iudiciũ damnationis eius. Primũ est, quod maledixisti sceptris eius. Secundum quod maledixisti capiti bellatorũ eius. Tertium, quod maledixisti cunctis bellatoribus eius, venientibus vt turbo ad dispergendũ me. Tunc maledixisti sceptris eius, quando in cælo damnasti superbiam eius, volentis tenere sceptra cæli diuinumq; imperium, & seipsum facere altissimum. Dicebat enim in corde suo, similis ero altissimo. Illis autem sceptris maledixisti, id est, propter illam prę sumptionem irrecuperabiliter illum damnasti. Tunc verò maledixisti capiti bellatorum eius, quando dixisti ad serpentem per quem deceperat hominem, quod fuit initiũ belli eius, contra humanum genus, vndè & idem serpens rectè dicitur caput bellatorũ eius. Quia fecisti hæc, maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ, &c. In serpente ipse maledicebatur, & ex eo vocabulum sumpsit, vt vocetur serpens antiquus. Maledicis nunc vsque cunctis bellatoribus eius, venientibus vt turbo ad dispergẽdum me, & cunctos similes mei, timentes te. Illorum primus fuit Pharao Rex Aegyptius, nouissimus erit Antichristus. Ille namque videlicet Pharao primus post verbum promissionis, velut quidam turbo dispergere me voluit, id est, auferre mihi effectum iuramenti quod ad Abraham iurasti in repromissione beati seminis, id est, Christi, qa vt nullum veniret semen, masculos omnes necari præcepit. Sed quid illi & cæteris prouenerit, quis nescit? [Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.] Cũ, quę ille persequens ausus fuisset post eos ingredi, submersus est, cum exercitu suo in mari, & ibi deiecisti eum, & perijt cum curribus & equitibus suis. Illi primi fuerunt omnium persecutione manifesta, persequentiũ nomen tuum, cæteri omnes, sicut similes sunt, vel fuerunt, ita similem damnationem acquisierunt & acquirunt, & iustè maledicti sunt bellatores eiusmodi, quia in hoc ipso exultant, quod vacat eis occidere, & persequi, quod est assimilari diabolo siue Antichristo. Hoc est quod ait. Exultatio eius, sicut qui deuorat pauperẽ in abscondito. Quis enim est ille, qui deuorat pauperẽ in abscondito, nisi ille qui dũ insidiatur, vt rapiat pauperẽ, & rapit quantum potest. Dicit in corde suo, Deus non requiret? Et quidem illud magnum & gloriosum fuit, quod illum carneum Pharaonem, & currus exercituũ eius mare operuit, tuis autem equis siue hominibus in eo de mari in viam fecisti, sed magis multoq; gloriosius est, quod eadem aqua per Christi sacramentum credentes in eum transmittit ad regnũ æternum, omnia operiens peccata, quæ spiritualium sunt castra Aegyptiorum, & quòd in mari huius seculi, vbi erat lutum aquarum multarum, id est, nimium carnalis & turbida conuersatio gentium, viam fecisti equis tuis, de quibus supra dixi, qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. [Audiui, & conturbatus est venter meus, à voce contremuerũt labia mea] Versiculus iste idem sonat, eandemque animi rationem renouat, quam in initio præmisit. Domine (inquiens) audiui auditionem tuam & timui. Expositio quid audiens timuisset, & tunc demum quasi per illam benè ordinatæ orationis partẽ, quam rhetores complexionem vocãt, ad primam propositionẽ rediens, audiui (inquit) & conturbatus est venter meus, à voce cõtremuerunt labia mea. Conturbatio hæc, siue tremor iste optabilis est, quia vilis est, magnũque diuini respectus emolumentum habet. Ait enim, Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Conturbato ergo ventre, à voce quam intus audierat cõtremiscentibus labijs optat eandem conturbationem, siue tremorẽ sibi adaugeri, & optando dicit. [Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrũ.] Gratulor (inquit) quòd dicere iam potui, conturbatus est venter meus. q̃ dicere ille nõ meretur, qui non habet teneritudinem ventris, immò duritiam cordis tanquam duritiam lapidis, cuius Deus cor non emolliuit, qualium Pharao rex Aegyptius notissimus habetur in sanctis scripturis, gratulor (inquã) quod opera tua domine considerans, intremui per spiritum humilitatis, opto autem vt mihi adaugeas humilitatem cordis, vel loquens ad te dominũ meum, magis ac magis agnoscam, quia sum puluis & cinis, moxque futurus putredo & vermis. Putredo illa, id est, putredinis illius memoria, qua postmodum putrescam, ingrediatur in ossibus meis, & subter me scateat, id est, humiliet totum quicquid est in me virtutis aut boni operis, & in radice cordis in profundo conscientia magis ac magis accrescat. Taliter enim fiet, vt requiescam in die tribulationis, quod sciens Christus tuus, vbi dixit. Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde, statim hoc addidit, & inuenietis requiem animabus vestris. Et quis est ille dies tribulationis? Non longè quæratur, iam hoc tempus, in quo sumus, in quo viuimus, dies tribulationis est. Siue singulariter diem, siue pluraliter dies dixeris, dies tribulationis est, dies mali sunt, quia pleni sunt adueritis, plen peccatis. Beatus homo (inquit Psalmi.) quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis. Hanc intendens mitigationem iam dictus Christus tuus, loco memorato ita incepit. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quid enim aliud est, & ego reficiam vos, quoniam ego à diebus malis mitigabo vos. Et ostendens in quo, tollite (ait) iugum meum super vos, & discite, quia mitis sum, & humilis corde, ac demum intulit, & inuenietis requiem animabus vestris. Ergo putredinem in ossibus admittere, & subter se scatentem habere, id est, propter conscientiam putredinis, quod tu homo mox futurus es. Mitem esse & humilem corde, hoc est, iam requiescere, non solum in futuro, verumetiam in præsenti seculo. Quid autem sibi vult, quod cum dixisset, vt requiescam in die tribulationis, addidit, & ascendam ad populum accinctum nostrum. Quid nisi quod mitem & humilem esse corde, vt veraciter amictum esse, & ad populum accinctũ ascendere, populũ à quo regnum cælorum vim patitur, & violenter diripitur? Qua enim alia cinctura, nisi humilitatis spiritu Moysen accinctum esse putas, vt fortissimum spirituum Deum vniuersæ carnis teneret, dicentem: dimitte me, & ad suam voluntatem inflecteret. Indubitanter sciendum est, quia absq; hac cinctura nulla vsquã fortitudo iustitiæ est. Quamuis multorum quispiã sit operum, absq; isto iustitię præsidio nullus est, nec ille populus accinctus populus eius est, qui accinctis renib. carnes agni comedit, per mare ascendit, sicut hic nunc dixerat, viam fecisti in mari equis tuis, vanè synagoga de omnibus confidit, quia impossibile est eos iustificari, qui suam volentes statuere iustitiã, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Hoc est, quod continuò per metaphoram aptissimè dicit. [Ficus enim nõ florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus.] Sub isto senario numero, vniuersa reprobat opera legis, quę sex diebus operari cõcedit, & idcirco reprobat, quia Iudæus operarius legis non intendit, vt celebret sabbathum domini, nõ habet fidem & humilitatem, quam commendans, inuenietis (ait) requiem animabus vestris. Ficus & vinea, necnon & oliua præsenti loco synagoga est, & arua non afferentia cibũ, Iudaicæ cæremoniæ sunt. Pecus & armentũ minores & maiores Iudæi, siue populus & sacerdotes sunt. Eorum omnium, fidem & humilitatem Christi non habentium, opera cuncta reprobantur, & dicendo, sicut enim non florebit, &c. Ac si dicat. Idcirco humilitatis gratiam tantopere desidero, quia in operibus legis nullus est iustitiæ fructus, nullum germen iustitiæ, nullũ opus iustitię, nullus omnino vitalis cibus animæ. In quo pecus absciſſum est de ouili, & armẽtum à præsepibus fugit? In eo, quod Iudæus non credit, quòd iustitiæ Dei non vult subijci, & nõ audire vocem domini, siue pastoris boni. Hinc ille dicit. Sed vos non creditis, quia nõ estis ex ouibus meis. Item. Propterea vos nõ auditis, quia ex Deo non estis. [Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Deus dñs fortitudo mea.] Quod dicit, hoc est, idcirco Israel sectando iustitiæ legem in legem iustitię non peruenit, quia nõ ex fide, sed quasi ex operibus. Ego autem non quasi ex operibus, sed ex fide credam in patrem & filium & spiritum sanctũ. Nam dicendo, in domino gaudebo, confitetur patrem. dicendo, exultabo in Domino Iesu meo, confitetur filium. dicendo, Deus Dominus fortitudo mea, confitetur spiritum sanctum. [Et ponet pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.] Sicut enim pedes ceruorum agiles sunt ad dumeta transilienda, & alta petenda, sic per hanc fidem agilis ero, vt in legem iustitiæ perueniam, & in lapidem offensionis non offendam, & deducet me hæc iustitia fidei super excelsa mea, id est, super iustitiam operum, deducet (inquam) me victor, Deus vnus, pater & filius & spiritus sanctus, in psalmis canentem victoriam cursus mei, non operibus meis, sed gratiæ eius ascribentem, & pro hoc gratias sempiternas agentem.

Gen. 3.

Exod. 1.

Tremor & cõturbatio bona.

Esaiæ 66.

Matth. 11. Dies tribulationis.

Psal. 93.

Numer. 16. Exodi 32.

Roman. 10.

Sensus allegoricus de minoribus & maioribus Iudæis, sacerdotibus, &c.

Roman. 9.

Ioann. 10.

Ibidem 8.

FINIS LIBRI TERTII IN ABACVC.

PROLOGVS RVPERTI
IN SOPHONIAM PROPHETAM.

Ioan. 16. Luc. 24. Ioan. 12. Solus Christus in scripturis quærendus.

PRromissum tuum verum est Iesu Christe testis fidelis, promissū tuum verum & fidele est, quo spiritum paracletum promittens in ter cætera dixisti. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omne quod locuti sunt prophetæ, omne quod scriptum est in lege & prophetis & psalmis, tuum est, & omnia quæcunque habet pater, tua sunt. Proinde in scripturis aliud, quàm te nihil quæro, tu scis, vel in hac parte similis cupio esse homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamenta supra petram. Vbi maior difficultas occurrit te inueniendi, ibi plerunque teipsum melius inueni, & tunc demum in singulis prophetarum libris me peruenisse arbitratus sum ad petram, supra quam fundamenta ponerem, quando per meditationis instantiam, sub obscuritate literæ tuam inueni gloriam desiderabilem. Non enim ignoro causam fuisse prophetis, propter quam necessariò debuerint tuæ claritatis sacramenta, verbis obtegere condensis, quam videlicet causam, in capite huius operis pro posse latius exposui. Iam igitur nouum in ordine duodecim prophetarum Sophoniam te quærendo promptus ingredi, sanctum inuoco spiritum, quē dedisti, qui scripturas, quæ testimoniū perhibent de te, aperiendo, hactenus te clarificauit, & clarificare non desinit, vt de isto quoque tuo accipiat, & annunciet mihi gloriam tuam quærenti, solummodo in fide & cognitione tui spem vitæ æternæ habenti.

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN SOPHONIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

VERBVM Domini quod factū est ad Sophoniam filium Chusi, filij Godolię, filij Amariæ, filj Ezechiæ, in diebus Ioziæ filij Amon regis Iuda.]Præter hunc & Iohel, qui in ordine prophetarum secundus est & Zacharias qui vndecimus est, nullus eorum in titulo paternum nomen habet. Tradunt autem Hebræi, ait B. Hieron. cuiuscunq; prophetæ pater aut auus ponatur in titulo, ipsos quoq; prophetas fuisse. Hoc si verū est, inquit, Sophonias propheta generatione, vt ita dicam prophetica, & gloriosa maiorū suorum stirpe generatus est. Habuit enim patrem Chusi, auum Godoliam, proauum Amariam, attauum Ezechiam, & talem quadrigam ipse vt ut extremus auriga compleuit. Verū qualiscunq; illa traditio sit, illud magis delectat, quod secundū sequentis prophetię modum, nomina congrua sunt, & secundum interpretationem nominū sese habet qualitas rerum vel sensuum, qui ab ipso vel per ipsum conscripti sunt. Deniq; secundum nomen Chusi, quod interpretatur humilitas, siue Aethiops meus, dicturus est in isto Dominus, vltra flumina Aethiopiæ inde supplices mei, & secundum nomen Godoliæ, quod interpretatur magnitudo Domini, nomenque Ezechiæ, quod sonat fortitudinem Domini magnificè & fortiter dicturus est. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis, vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis, & secundum nomen Amariæ, quod vertitur in sermonem Domini, post acerrimam exclamationē magnitudinis atq; fortitudinis, habiturus est sermonem exhortationis, sic incipiens. Cōuertite, congregamini gens non amabilis, antequam veniat super vos ira furoris Domini. Porrò secundum nomē suum Sophoniam, quod alij speculā, alij arcanū Domini transtulerunt, reuera speculatorem magnæ rei, scilicet iudicij domini, quod vtiq; grande arcanū est, quia de illa die & hora, præter Deū nemo scit. Hic ita incipit. [Cōgregans cōgregabo oīa, à facie terrę dicit dñs, congregans hominē & pecus, cōgregans volatile cæli & pisces maris.] Profectò dñs qui hæc loquitur, Dei filius est, Deus ipse & dñs, q̄ ex eo vel maximè liquet, quia longè inferius ita dicturus est. Quapropter expecta me, dicit dominus in die resurrectionis meę, in futurū, &c. Nō. n. quęuis, sed quædā ex tribus personis beatę trinitatis, certa persona diē resurrectionis habitura erat, quæ nō est alia, quā dei filius Deus & dñs, tunc quidem homo futurus, passurus, moriturus atq; resurrecturus, nunc

Verba in personā filij.

Interpretatio nominū

Matt. 11.

Ioan. 2.

nunc autem iam homo factus, passus, mortuus, sepultus, atque à mortuis resuscitatus, & adhuc in futurū, diem resurrectionis habens vniuersalis, quem nos, vt ipse iubet, ex
Psal. 8. pectamus. Igitur ipse, qui in isto loquitur. Congregans congregabo omnia à facie terræ, congregans hominem & pecus, congregans volatile cæli & pisces maris, ipse est, qui in euangelio suo dicit. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsū. Et de quo Psalmista ad Deum patrem. Minuisti, inquit, eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constitu
1. Cor. 7. isti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cæli & pisces maris, Nunquid de bobus & ouibus, de auibus & piscibus cura est Deo? An non potius hic intelliguntur, aut intelligi debent de omni populo & natione, de omnium tribuum & linguarum diuersitate, de cunctis hominibus siue gentib. quorum ita mores diuisi, studia tā diuersa sunt, vt alij bobus, alij ouibus, alij auibus, alij pisci bus similes rectè dicantur? Hæc omnia traxit ad seipsum. Hæc (inquam) omnia domine (inquit Psalmista) subiecisti sub pedibus
Hebr. 2. eius. Futurum (vt Apostolus) de quo loquitur. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei, subauditur, quia multi contradicunt ei, Verùm iam factum est, quod ait. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Iam enim propter passionem mortis, gloria & honore coronatus est. Et data est
Matth. vlt. mihi (ait) omnis potestas in cælo & in terra. Quomodo tandem vel in quo subijcientur ei, qui pertinaciter inimici eius sunt, & contradicunt ei? Nimirum ita, vel in eo, quod
“ protinus sequitur. [Et ruinæ impiorum e-
“ runt, & disperdam homines à facie terræ, di
“ cit dominus.] Hæc Euangelista Matthæus & Ioannes nobis luce clariora fecerunt. Nā quod hic ait. Congregans congregabo omnia à facie terrę, & ruinę impiorum erunt,
Ibid. 25. hoc apud Matthæum ita dicit Dñs omniū. Cū venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. vsque. Et i-
Ioan. 5. bunt hi in supplicium æternū, iusti autem, &c. Apud Ioannem autem hoc modo. Amē dico vobis, quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerūt in resurrectionem iudicij. Non igitur dubiū vel obscurum est hoc dictum propheticum. Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus. Congregans hominem & pecus, congregans volatile cæli, & pisces maris, & ruinæ impiorum erunt, & disperdam homines à facie terræ, dicit Dominus, quia videlicet & hoc & illud, quod postmodum propheta loquitur. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis, vox diei domini amara, tribulabitur tibi fortis, dies iræ dies illa, &c. de illo magno & vniuersali iudicio loquitur, quod futurum esse in nouissimo die omnes audiuimus. Porrò post istud initium, antequam illud dicat. Iuxta est dies domini magnus, duo iudicia prænunciantur, quæ tunc futura vel facienda erant super Iudam & super Hierusalem, alterum propter sanguinem prophetarum, quem patres fudērunt, alterum propter sanguinem ipsius domini, quem fundendo implere habebant filij mensuram patrum suorum. Libet hic literam perscribere vtriusque vindictę siue iudicij, quod vt iam dictum est, venturum erat super ciuitatem illam, & iam venit. Sequitur. [Et extendam manum meam ,, super Iudā, & super omnes habitatores Hie ,, rusalem, & disperdam de loco hoc reliquias ,, Baal, & nomina ædituorum cum sacerdoti- ,, bus, & eos, qui adorant super tecta militiam ,, cæli, & adorant & iurant in Domino, & iu- ,, rant in Melchom, & qui auertuntur de post ,, tergum domini, & qui nō quęsierunt domi ,, num, nec inuestigauerunt eum.] Hoc vt di- ,, ctum, ita & factū est postmodū per regē Nabuchodonosor, per exercitum Chaldęorū. Sequitur de eo quod faciendum erat per Romanos Romanorum. Silete à facie domini dei, quia iuxta est dies domini, quia præparauit hostiam, sanctificauit vocatos suos, &c. vsq; & ædificabunt domos, & non habitabunt, & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum, post quę statim subiungitur de illo die magno vniuersalis iudicij. Iuxta est dies Dñi magnus, iuxta & velox nimis, & cæt. vsque, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Nunc per ordinem dicta tractemus. Et ex-
Rom. 2. tēdam, inquit, manum meam super Iudam, & super omnes habitatores Hierusalē. Hoc ita prędcedentibus continuatur, vt vbi dixit, & ruinę impiorum erunt, subaudias, Iudei primùm & Greci, iuxta sensum Apostoli. Prior namque Iudęus quàm gentilis mala, quę merebatur recepit, etiam temporibus suis. Hoc & historię tradunt, & prophetię testantur, per diuinam prouidentiam fuisse ordinatum. Sume (ait Dominus ad Hiere-
Hier. 25. miam) calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et accepi (inquit ille) calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus, Hierusalem, & cunctis ciuitatibus Iuda & regibus eius, & principibus eius, & deinde Pharaoni (inquit) regi Aegypti, & regibus terrę Philistijm, regibus Tyri, & regibus Sidonis, & regibus terrę insularum, & regib. Arabię, & regibus occidentis, & regibus Zābri, & regibus Helani, & regibus Mœdorum, & cunctis Regibus aquilonis, & cunctis

Duo iudicia contra Iudæos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vindicta in Iudæos pro pter sangui nẽ prophe tarum.

tis principibus eorum, & omnibus regnis terræ, quæ super faciem eius sunt. Bibentes autem bibetis. Quia ecce in ciuitate in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & vos quasi innocentes immunes eritis? Igitur ruinæ, inquit, impiorum erunt, & subaudiendum est, primùm impij Iudæi, & deinde impij Græci, siue Gentiles. Nam & in istis particularibus vindictis, quæ temporaliter fiunt, gente in gentem, & regno surgente aduersus regnum, quod per meú fit iudicium, in primis extendam manum meam super Iudam & super omnes habitatores Hierusalem, videlicet propter sangui nem prophetarum, quem fuderunt, maximeque propter Manassen, in quem magis hæc scelera redundabant, quem continuò propheticus sermo denotat, dicens. Et disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum sacerdotibus, & eos qui adorant, & iurant domino, & iurant in Melchon, & qui auertuntur de post tergum domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec inuestigauerunt eum. In tantam denique venerant impietatem, vt in templo Dei, iuxta quod scribit Ezechiel, & Regum liber quartus indicat, statuam Baal, quam imaginem zeli Dominus vocat, statuerint, & in eodem sanctuario idola pariter & Deum venerati sunt. Vndè signanter idolorum sacerdotes, non sacerdotes, sed ædituos appellauit, & ædituos ergo & sacerdotes quondam Dei, & eos qui super tecta ritu gentilium adorãt militiam cœli, scilicet solem & lunam, & astra reliqua, & qui iurant in nomine Domini, simul & in nomine idoli Ammonitarum Melchon. Disperdam (inquit) de loco hoc, maximè (vt iam dictum est) propter peccata Manassen, qui amplius in huiusmodi Dominum irritauit, & impleuit Hierusalem sanguine innoxio vsque ad os. Etenim cum de Iosia rege scriptura narrasset. Veruntamen, inquit, non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius cõtra Iudam, propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manasses. Septem sunt enũciationes, quo numero plerunque vniuersitas significari solet, quarum prima est. Et disperdam de loco hoc reliquias Baal. Septima. Nec inuestigauerunt dominum. Et si reciprocato ordine considerentur, siue numerentur, hoc modo. Non iuuestigauerunt dominum, & non quæsierunt eum, & auertuntur de post tergum domini, & iurant in domino, & in Melchon, & adorant super tecta militiam cæli, & nomina habent ædituorũ, & colunt Baal, semper malo precedenti, id quod sequitur deterius est. Nam non inuestigasse dominum, malum quidem est, non quæsisse autem dum inueniri posit, peius auerti de post tergum domini, id est, dominum contemnere, & voluntatem eius nolle intelligere, profectò pessimum est in religione. Porrò contra religionem iurare in domino, & iurare in Melchon, quod interpretatur rex eorum. quod nomen simplicibus haud impium videri poterat, malum erat. Adorare autem super tecta militiam cæli, quod & ipsum rustica simplicitate fieri poterat, peius erat. ædituos verò esse, vel sacerdotes in templo domini, quàm diu illic erat Baal, profectò pessimum erat. Summus omnium cumulus malorum, erat ipse Baal. Septem igitur enunciationibus malorum omnium, maiorum atque minorum declamata est vniuersitas atque diuersitas, propter quę tunc iram Iuda & Hierusalem commeruit, vt super habitatores eius manum suam extenderet Dominus, qui hæc dicit. Erat autẽ ille, qui necdum sciebat vocare patrem aut matrem, quia videlicet necdum natus erat, quod postea factum est, ea natiuitate, qua dicit & sciuit vocare patrem aut matrem, patrem vtique adoptiuum siue nutritium, aut matrem virginem. Rectè igitur vocari poterat nomen eius, accelera manum tuam extendere, festina peccatores de loco suo disperdere, & captiuos in Babyloniam mittere, sicut apud alium prophetam vocari iussus est. Accelera spolia detrahere, festina prędari, pro eo quod antequã sciret puer vocare patrem suum & matrem suam, auferenda erat fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, ipso agente. Sequitur.

Ezec. 16. 23
4. Reg. 21.

Ibid. 23.

Septem mala à Iudæis perpetrata.

Esaiæ 8.

[Silete à facie Domini Dei, quia iuxta est dies Domini, quia præparauit hostiam, sanctificauit vocatos suos, & erit in die hostię Domini, visitabo super principes, & super filios Regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina, & visitabo super omnẽ, qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui in iniquitate & dolo.] Quid est, quod dicit, vel quos intuens dicit. Silete à facie Domini Dei, quia iuxta est dies Domini? Iam ante dictum est, eum qui sic incipit, congregans congregabo omnia à facie terræ, Christum Dei filium esse, qui exaltatus à terra, deberet omnia trahere ad se, & iudicare viuos & mortuos in nouissimo die, de quo postmodum dicit: Iuxta est dies domini magnus, iuxta est, & velox nimis, & quod ante illud vltimum iudicium duo iudicia facturus erat, super illam terrenam Hierusalem, quæ iam fecit, alterum per Nabuchodonosor, & exercitum Chaldęorum, propter sanguinem prophetarum, quem effuderunt, alterum per manus Romanorum, propter ipsum prophetarum Dominum, quem occiderunt. De primo, quod faciendum erat per manus Chaldæorum, dixerat. Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes habitatores Hierusalem, &c. Nunc de illo dicturus, quòd per manus Romanorum faciendum erat, sic incipit. Silere à facie domini Dei, quia iuxta est dies Domini. Ad quid

Vindicta in Iudæos pro pter sangui nem Christi.

quid ergo, vel quos taliter intuens edicit? Nimirũ nihil hic libenter intellexerim, quã illos petulcos, insanos, & nocte illa paschali crapulatos & ebrios, qui audientes hunc dominum adiuratum à pontifice, vt diceret si ipse esset Christus filius Dei, respondentem tu dixisti, & amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis dei, & venientem in nubibus cæli, exclamauerunt. Reus est mortis, & tũc expuerunt in faciem eius, & velauerunt faciem eius, & colaphis eum ceciderunt & palmas ei in faciem dederunt, dicentes. Prophetiza nobis, quis est qui te percusit? & alijs multis modis faciem eius conuitiati sunt. Quale hoc erat in iudicio, sancti spiritus per ora prophetarum loquebatur? O igitur irreuerẽtes & indisciplinati, malè nati, & malè educati, quid est quod facitis. Silete à facie domini Dei, continete os vestrum à facie domini Dei, hominis pro fua reuerentia tremendi etiã cunctis virtutibus cæli. Quomodo vos eum inhonorastis? Silete, qa iuxta est dies domini. Et sicut Moyses dixerat, iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Væ vobis in illa die huius domini, & vos silebitis. Silebitis (inquam) etenim ille dies domini vobis erit dies perditionis, quia præparauit hostiam, sanctificauit vocatos suos, pręparauit, inq, hostiã, id est, semetipsum, & præparatione ipsa talis hostiæ sanctificauit vocatos suos, videlicet quos ante secula præsciuit & prædestinauit suos fieri, & temporibus suis vocauit per cuncta retro secula, vsq; in diem illam qua faciem eius conspuistis, velastis atque exalapastis, & contra eandem faciẽ eius mouistis capita vestra, dicentes: Vah, hoc totum quod ipse sustinuit, hostiæ præparatio fuit, & in illa hostia corporis sui, sanguinis sui, sanctificauit vocatos suos, sanctificatiõe, quæ est omniũ peccatorũ remissio. Quid vlterius iam restat, nisi vt relinquatur vobis domus vestra deserta? Nimirum nulla est causa, propter quam districtionis vestræ iudicium differat, quoniam assumptio iam facta est, quoniam miro modo de vobis mortuis vita est assumpta. Iuxta est illa dies domini, qua istud fiat. Hoc ex persona sua propheta inclamauit. Silete inquiens à facie domini Dei, quia iuxta est dies domini, & non dixit magnus, iuxta & velox nimis. Proinde expeditior currit explanatio, quia nihil obseruantiæ nostræ refragatur, qua secundum propheticæ cuius scripturæ textum, vel ordinem iudiciorum domini, tempora distinximus. Sequitur ex persona domini, qui anterius loquebatur. Et erit, inquit, in die hostiæ domini, visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina, & visitabo super oẽm qui arroganter ingreditur super limẽ in die illa, & qui complent domum domini sui iniquitate & dolo. Dies hostiæ domini, tempus est à passione domini, quo videlicet tẽpore, post quadraginta annos, facta est visitatio hæc, quã nunc dicit, sicut totus orbis audiuit. Illa visitatio talis maximè ex principum sacerdotum prouenit. Vnde rectè primo loco, visitabo sup principes, ait. Qui aũt erant filij regis, nisi tam ipsi, quã cæteri Iudæi, gloriantes quasi de singulari nobilitate generis? Gloriati sunt nanq; nimis insolenter, quodam loco dicentes. Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquã. Item. Nos ex fornicatione nati non sumus, vnum patrem habemus Deum. Propter huiusmodi superbiam appellauit eos ipse filios regni, vbi taliter loquutus est. Dico vobis, quod ab oriente & occidente veniẽt, & recumbẽt cum Abraham, & Isaac & Iacob in regno cę lorum, filij autẽ regni eijcientur in tenebras exteriores. Quos illic filios regni, hic rectè intelligimus filios regis, id est, superbos, & contra omne genus humanum sese extollẽtes, de nobilitate singulari, tanquam filios regis Dei, maximè quia contra verum & vnicum Dei filium cogitantes homicidium, inter cætera dixerũt. Vnum patrem habemus Deum. Quid autẽ in eo propheticus sermo denotat, dicendo. Et super omnes qui induti sunt veste peregrina? Putasne hypocritis vestis est peregrina? Vtiq; nimium peregrina. Quid enim in vestibus magis peregrinũ, quã sunt lupis rapacibus vestimenta ouium? Quid, inquã, magis peregrinum, quã ei qui intus est plenus iniquitate, foris hominibus iustum apparere? Quid magis peregrinum, quã dilatatio phylacteriorũ & magnificatio fimbriarum, & sessio super cathedram Moysi, præsertim in illis, quorũ secũdũ opera nõ est faciendum. Tales erant scribæ, & pharisæi, nimirum propter quod hypocritæ septies vno breui sermone, apud Matth. væ illis inclamat visitator iste, qui secundum veritatem huius prophetiæ, iam debebat super illos visitare. Deinde, & visitabo ait, super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum domini Dei sui iniquitate & dolo. Et quis est de quo verius dicas, quod arroganter ingreditur super limen, quàm ille qui non expectat, vt ostiarius illi aperiat, sed violẽter intrat in ouile ouiũ. Tales & hoc tẽpore multi sunt, & illo tempore Annas & Caiphas pontifices fuerunt, qui infelici commertio coemptum lacerabant summum sacerdotium alternatim, per annuas vices inter se diuidẽdo pontificium. Et quis de illis dubitet hoc dictum, q; compleuerint domum Dei sui iniquitate & dolo, quos ipse dominus Deus ore proprio redarguens. Vos, inquit, patris mei domum, quæ debuit esse domus orationis, fecistis spelunca latronum. Hæc dicens, nõ ne etiam facto significauit visitationẽ, quæ in his sonat verbis propheticis? Fecit enim quasi flagellũ de funiculis, & omnes eiecit de

Rom. 8.

Dies hostiæ domini.

Matth. 22.
Arrogãs ingressus pontificum.

Matth. 12.
Ioan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

templo, per hoc terribiliter innuens, eos de regno Dei fore protinus eijciendos, immò nihil habere in illo templo vel regno, cuius se gloriabantur filios. [Et erit in die illa dicit dominus, vox clamoris in porta piſcium, & vlulatus à ſecunda, & contritio magna à collibus.] Portam piſcium vocabant eam, quæ vicinior mari erat inter cunctas vias Hieruſalem, de qua & Eſdras refert. Portã verò piſcium ædificauerunt filij Aſanaa, ipſi texerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius & ſeras & vectes. Quod autem ait, & vlulatus à ſecunda, & ſecundi mari in eodem climate portam ſignificat, de qua in libro [Regum ſcriptum eſt. Ierũt itaq; Helchias ſacerdos, & Haican, & Achobor, & Saphan, & Aſaza ad Oldam propheten vxorem Sellum filij Tecuæ, filij Araas cuſtodis veſtium, quæ habitabat in ſecunda. Contritionem autem magnam à collibus, de monte Syon & excelſiore vrbis parte loquitur, quia cũ altiora & arx ciuitatis fuerit occupata, facilior eſt in prona deſcenſus. Vnde quibus ex rebus geſtis omninò gerendis, ſenſum propheta concepit, vt exclamationem ita trifariam diuideret, ſcilicet in vocem clamoris à porta piſcium, & vocem vlulatus à ſecunda, & vocem contritionis magnæ à collibus. Mirum dictu & horrendum ſenſibus, ſiue intellectibus, quomodo ſecundum iſtam vocum diſtinctionem contigiſſe conſtat, in illo famoſiſſimo excidio miſeræ Hieruſalem. Nam & antequam Romano exercitu cingeretur, & toto tempore obſidionis intus triplici ſeditione nimis atrociter, nimis horribiliter, & ſupra quàm dici vel credi poteſt, ſcindebantur, lacerabantur, conſcindebantur in ſuis viſceribus. Tres erãt principes ſeditionum, Ioannes, Eleazarus, & Symon. Eleazarus cũ ſuis ſuperiora vrbis, & templum occupauerunt. & inferiora Symon. media Ioannes obtinebat. Quis vnquam audiuit ſimilia his, quæ intrinſecus facta ſunt. Verè tanta fuerunt, vt prophetica explanatione rectè digna exiſtimẽtur, & veraciter tũc fuit, vox clamoris à porta piſciũ, id eſt, ab inferiori vrbis parte, vbi tyrannizabat Symon, & vlulatus, à ſecunda, id eſt, à media, vbi Ioannes ſæuiebat, & contritio magna à collibus, id eſt, à templo & arce ciuitatis, vbi Eleazarus talis erat dominus, qui aram ipſam templi ſanguine imbueret, & mortuis indigenis peratria diuina ſtagnum faceret diuerſorum cadauerum ſanguinis. Quid tantum paſſa es ô miſerrima ciuitas à Romanis', quantum à tuis & indigenis? Immò quæ vnquam ciuitas vel gens talia pertulit ab extraneis, quaſia tu à proprijs? Sed ceſſet omnis commiſeratio, cùm tu proprio ſis condemnata iudicio. Dixiſti enim: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Sequitur ergo tam dura quàm iuſta conceſsio. [Vlulate habitatores pilæ.] Pila hoc loco, non per breuem ſyllabam legenda eſt, ſed per productam, vt de pila ſciamus dici, in qua frumenta tunduntur, vas concauum & medicorum aptum vſui, in quo propriè typſanæ fieri ſolent. Et pulchrè dictũ eſt, qui habitatis in pila, quod ſcilicet ſicut frumenta feriente deſuper vecte tunduntur, ita de porta piſcium, & de ſecunda, & de collibus prorueus in populũ decurrat exercitus. Qui calamitates illius obſidionis & anguſtias compreſſæ ciuitatis vult attendere, nimirum ipſe perpendit, quàm congrua ſimilitudine vſus ſit dicendo, habitatores pilæ. ſicut enim frumenta in pilam ad hoc congeruntur, vt feriente de ſuper vecte diſſilire non valentia tundãtur, ita de cunctis Iudææ ciuitatibus vel regionibus cunfluens populus, repentina eſt obſidione arctatus, & prædictorum principum ſeditionis immani crudelitate deintus magis quàm de foris ab hoſtibus, gladio, fame, & peſte inenarrabiliter diſcrutiatus, mirando circunſeptus Dei iudicio, vt qui ad hoſtes pro remedio vellet effugere, non poſſet. Sequitur. [Conticuit omnis populus Chanaan, diſperierunt omnes inuoluti argento.] Quis eſt iſte Chanaan? Nimirum populus Iudaicus, in quem dicit alius prophetа, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cæthea. & Daniel ad presbyterum ſenem loquitur: Semen Chanaan, & nõ Iudæ, ſpecies decepit te. Quare autẽ præſenti loco nomẽ hoc aſſumpſit, & populus Chanaan, quàm populus Iudæorum dicere maluit? Nimirum propter rerum vel meritorum veram qualitatem, & propter formidinem. Nam & alius propheta, formido, inquit, & laqueus, facta eſt nobis vaticinatio & contritio. Occiditur enim in ſanctuario domini propheta, & ſacerdos. Oportebat falli populum fallacem, quatenus dum de alijs putaret tale quid, & aliquos prophetarum viuere ſineret, & ſcripturam venturis ſeculis profuturam reſeruaret. Igitur omnis populus Chanaan, quod interpretatur motus eorum, id eſt, populus Iudæorum, qui contra Dominum caput mouerunt, motis iam pedibus, quia in veritate non ſteterunt, conticuit, ſubauditur à facie Domini. Debemus enim meminiſſe, quod ſupra incipiens ita dixit. Silete à facie domini Dei, quia iuxta eſt dies. Ille populus, ille impiorum cœtus, qui tunc inſultauit, qui tunc non ſiluit, qui non ſolùm non reueritus eſt, verùm & ore & manibus inhonorauit faciem dñi, ecce conticuit, ecce authoritatem loquendi amiſit, & ſicut de quodam illorum notiſsimo dictum eſt, & epiſcopatum eius accipiat alter, ſic de omni populo illo certum eſt, quia magiſteriũ iam non habet, & ſicut hic in peius nomen illi commutatũ eſt, nõ enim dixit propheta, cõtinuit omnis populus Iuda, ſed omnis populus Chanaan, ſic & honorem amiſerunt, & omnem vocẽ, in vlti-

Porta, piſcium. *2. Eſdr. 3.*

2. Reg. 22.

Tres factiones, & triplex ſeditio in Hieruſalem. *Ioſe. de bel. Iud. lib. 6. cap. 1.*

Cur Hieruſalem hic pila dicitur.

Exech. 18. Dauid 13.

Cur Iudæi dicũtur populus Chanaan.

Thren. 3.

Pſal. 108.

Auaritia Iudæorum

in vltimam venundati ſeruitutem, & captiui non vtcunque, non vtolim in Babylone, ſed ipſa captiuitate diſperſi in totũ orbem. Malorum omnium totius perditionis cauſa illis fuit auaritia, vſq; ad pretium ſanguinis dilatata. Sequitur ergo: Diſperiunt omnes inuoluti argenteo. Cauſæ huius exemplum omni populi Chananæo fuit ille Iudas proditor. Sicut enim ille cupiditate argenti inuolutus, triginta argenteis ſanguinẽ domini vendidit illis, & idcirco malè perijt,

Triginta maledictiones Iudæorum.

ſic omnis ille populus maximè in eo fuit intractabilis, quia retibus erat inuolutus argẽti, & maximè propter hoc ipſum dominum oderunt, quia diſputabat contra auaritiam eorum. Secundum numerum argenteorum, quibus & ille vendidit, & illi ſanguinem domini emerunt, triginta maledictionibus, tam venditor, quã emptores inuoluti ſunt, quarum in Pſal. cviij. Prima eſt, cõſtitue ſuper eum peccatorem. Vltima, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Imò dictionis vis eſt, quia non dixit, diſperierunt omnes habẽtes argentum, ſed diſperierũt omnes inuoluti argento. Longè aliud eſt habere argentum, quã argento eſſe inuolutũ. Siquidem & Abraham & Dauid, multique alij ſancti & iuſti argẽtum habuerunt, in auro & argento diuites fuerunt, & tamen non diſperierunt. quare? Videlicet quia pecunias tanquam domini poſſederunt, non tan quã ſerui pecuniæ in pecunijs argẽti ſperauerũt. Qui in argento ſperant vel confidunt, ipſi argento inuoluti ſunt, & tales omnes diſperiunt. Diſcretione hac opus eſt, vbi dominus loquitur diſcipulis ſuis. Quàm difficile, qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei.

Lucæ 18. *Marci 10.*

Poterant enim obſtupere diſcipuli, & obſtupeſcebant, ait Euangeliſta Marcus, in verbis eius. At Ieſus rurſus reſpondens, ait illis. Filioli, quàm difficile eſt cõfidẽtes in pecunijs, introire in regnũ Dei, & tũc demũ ita dixit. Facilius eſt camelũ per foramen acus tranſire, quàm diuitem introire in regnum Dei. Igitur illos excepit diuites, qui quamuis habeant pecunias, non tamen ſunt confidentes in pecunijs, & eos tantum diuites illa ſententia premit, qui per hoc quod confidunt in pecunijs, ſunt etiam, & ab hoc propheta dicuntur, argento inuoluti, & eadem inuolutione ita groſſefacti, vt nimis difficile ſit eos introire in regnum Dei. Sequitur. [Et erit in tempore illo, ſcrutabor Hieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fecib. ſuis,

Gen. 18.

qui dicunt in cordibus ſuis, non faciet dominus benè, & non faciet malè.] Quàm vltronea ſpiritus ſanctus dignatione occurrit, ne vel propheta vel alius quis ſolicitaretur ea ſolicitudine, quã beatus ſenes Abraham ſolicitus audito, quod dominus de Sodomis ait. Nunquid perdes iuſtum cum impio? Abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtũ cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram. Conceſsit illi dominus, concedit & huic quod non ſit ſuum, occidere cum impio iuſtum. Iuſtus autem quodam modo dici poterat, quiſquis in ipſum dominum ignoranter peccauerat, & audita vel cognita veritate, pœnitentiam acturus erat, ſicut fecerunt ad prædicationem Petri, vna die ex ipſis tria millia. Iuſtus (inquam) vtcunque iam dici poterat, quiſquis eiuſmodi erat, ſicut de ſemetipſo Abimelech, domine (inquit) nũgentem ignorãtem interficies? Tulerat nanque vxorem Abrahæ ignoranter. Igitur & in iſto dominus ab eiuſmodi ſolicitudine, vel ipſum prophetam, vel quemlibet alium liberat, cùm dicit. Et erit in tempore illo, ſcrutabor Hieruſalẽ in lucernis, &c. Ac ſi dicat, Anteq; pueniet ille dies viſitatiõis, dies clamoris, & vlulat', & magnæ contritiõis, faciam quod mulier ſapiẽs facit, quæ cùm perdiderit drachmam vnam, accendit lucernã, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat. Non tantùm vnam, ſed plures lucernas ego accendam, id eſt, Apoſtolos, ſpiritu ſancto & virtute ex alto induam, vt ſint mihi teſtes vſque ad vltimum terræ, incipientibus ab Hieruſalem, & ab omni Iudæa & Samaria. Nimirum hoc erit ſcrutari Hieruſalem in lucernis, vt vbicunque fuerit drachma, quæ perdita eſt, latere non poterit, id eſt, quicunq; ex Deo erit, dignuſque Hieruſalem ciuitate cæleſti in culpa perfidiæ non remanebit. Sicut enim drachma perdita, drachma aurea, dum quæritur cũ lucernis, ad lumẽ lucernarum relucet de tenebris, & inuenitur, ſic omnes ignorantes & iuſti, qualem ſe Abimelech iam dictus fuiſſe teſtabatur, audita veritate dictorũ, & viſa claritate ſignorum, erumpente in vocem cõfeſsionis, compuncti corde, atque dicentes, quid faciemus viri fratres, & pœnitentia ſuſcepta baptizati ſaluabuntur. ita ſcrutando Hieruſalem, tam diu donec credant quotquot prẽordinati ſunt ad vitam æternam, tunc demum viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis, non faciet dominus benè, & nõ faciet malè. Erunt nanque proprio iudicio condemnati, odientes lucernas meas, & amãdo feces ſuas, & ſicut illi qui volutantur in fecibus libidinis, dum in occulto ſcortãtur, dum polluunt & polluuntur, nolunt ſe requiri cum lucernis, imò oderunt lucernas & abhorrent eas, ita illi nequam & inuidum contra veritatem habentes oculum, odientes & me & patrem meum, amantes ſua pec cata, & odientes iuſtitiam, habentes amorem præſentis ſeculi, odium futuri, non cupient audire verba Dei, quæ proferentur cum ſignorum teſtimonijs, immò ex eis, quos mittam ad eos, prophetis & ſapientibus, & ſcribis, occident & crucifigent, & flagellabunt, & perſequentur de ciuitate in ciuitatem, & dicent, falſum eſt quod

Lucæ vlt. *Actor. 1.* *Actor. 2.* *Gen. 20.* *Lucæ 13.* *Matth. 23*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicunt isti. Non faciet dominus benè bonis, & non faciet malè malis, id est, non erit dies iudicij, aut certè iste, quem dicunt dominum, quem crucifiximus, nullus est, non talis fuit aut erit, vt nobis benè vel malè facere possit. Idcirco visitabo super eos, ita vt veniat super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti. Dicamque eis. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, hoc est q; continuè sequitur. [Et erit fortitudo eorũ in direptionem, & domus eorum in desertum, & ædificabunt domus & non habitabunt, & plantabunt vineas, & non bibent vinum earũ.] Quid horum effectu manifestius? Fortitudo eorum, qua primò contra Deum, deinde contra homines malè fortes fuerunt, facta est in direptionem. Quomodo fortes fuerũt contra dominum? Nimirum sicut phreneticus contra medicum. Non enim vera erat, aut vera est fortitudo illorum, iustitiam suã statuere volentium, sed falsa est omninò & fallax, sicut fortitudo phrenetici, cũ petit medicum. Deinde mirum, & miro Dei iudicio factum, quod contra homines ita de fortitudine præsumpserunt, vt bellum implacabile susciperent contra Romanos, victores omnium gentium. Talis direptio non est audita vsquam gentium, qualis fuerit direptio fortitudinis eorum. Domus eorum quomodo facta est in desertum? Nimirum ita, vt desereretur templum illud ab omni præsidio cælestium spirituum dicentium. Transmigremus ex his sedibus, quod Iosephus palã auditum fuisse testatur. Aedificium domus illius, id est, templi, valdè fuerat recentiori tempore auctũ, turribusq; atque porticib. valdè venustatum. Ipsa ciuitas domibus pulchris ornata, opibusque referta, regio vndique vinetis arboribusque diuersi generis, mirè consita atque vberrima. Sed cuncta excisa, cuncta diruta, & igni concremata, in desertum redacti sunt, & qui gladio superfuerunt ex eis, in omnes gentes captiui ducti sunt, & hoc modo veritas apparuit dicentis, & ædificabunt domos & non habitabũt, & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum. His præmissis, quid protinus clamet, quid continuò de excelsa specula dicat, & annunciet speculator iste, attonitis auribus audiamus, qui nos dormire non patitur. Ait. [Iuxta est dies domini magnus, iuxta est & velox nimis. Vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, super ciuitates munitas, & super angulos excelsos. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Sed & argentum eorum & aurum non poterit eos liberare in die iræ domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia consummationem, cum festinatione faciet cunctis habitantib. terram.] O quantus clamor & exclamatio, quàm vehemens omni homini, nisi ei qui surdus est, qui non habet aures audiendi. Quid erat quod videbat, qui ita clamabat? Qualis erat visio mentis, cuius tanta est acrimonia vocis? Beatus Papa Gregorius rectè ad vim clamoris huius attonitus. Pensate (inquit) fratres charissimi, ad conspectũ tanti iudicis, quis in illo die terror erit, quando iam pœnæ remedium non erit, quæ illa confusio, cui reatu suo exigente contingit in conuentu omnium hominum angelorũque erubescere, qui pauor eum, quem tranquillum mens humana capere non valet, & iratum videre. Quem diem propheta intuës ait. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustię, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Pensate ergo fratres extremi iudicij diem, super corda reproborum, qua asperitate propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus nõ valet explicare. Quid oportunius obseruare potuit de officio boni oratoris iuxta considerationem rei, quàm hoc, vt attentus fieret auditor, in exordio sermonis, imò declamationis? Quo autem verbo, quali dicto attentionem speculator melius excitaret, quàm dicendo, iuxta est. Contemplatus est diligenter, multo & claro intuitu vidit, quia iuxta est id quod lippis & cæcutientibus longè esse videtur, & dicunt, in tempora longa fiet istud. Nec semel cõtentus dixisse, iuxta est dies domini, repetiuit iuxta est, & velox nimis, & verè secundum magnitudinem periculi, iuxta ac velox nimis, & hoc non vanè videtur homini habenti quippiam de sensu Dei, cuius ante oculos mille anni sic sunt, tanquã dies hesterna quæ præterijt, aut certè quod breuius est, tanquam custodia in nocte, id est, vna de quatuor vigilijs vnius noctis. Imò quæ pro nihilo habentur, eorũ anni erunt, id est, inter ea reputabuntur. Ille dies erit magnus, quantus, ex quo dies esse cœperunt, non fuit, nec erit amplius. Quam autem vocem attendit continuò dicens, vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis? quam aliam putamus, nisi illam: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eus. Verè amara vox, Ibi (inquit) id est, in illa voce, tribulabitur fortis: & quis fortis, nisi superbus, fortis diabolus, fortes angeli eius, fortes homines sequaces eius ibi tribulabuntur, in illa voce tribulabuntur. Ergóne veraciter fortis, qui in voce tribulabitur. Immò falso fortis, verè inualidus. Fortis enim dicitur, non quod ita sit, sed quod ita sibi videatur. Túc autem non ita sibi videbitur, sed nec negare poterit, quod sit inualidus, quando vna voce fortis

Ioseph de bel. Iud. lib. 7. cap. 17.

Terror eo tremi iudi cij.

Vox mea Matth. 25.

Iob 40.

Angulos excelsi.

Rom. 1.

Ibidem.

voce fortis ille fortium rex, videntibus cunctis, præcipitabitur. Quanto impetu, quàm magno spiritu illius diei magnitudinem describere gestiens, dies (inquit) iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Diem vnam eandemque sex vicibus cum adiectionibus terrificis declamauit, & septimam vicem non addidit. Cur hoc? Existimo nimirum, quia de septima die nihil ibi erit, nihil de sabbato domini, sed sine requie, sine vlla requietionis spe tribulabitur ibi fortis. Nam hoc totum quod tantis nominibus declamauit, erit super ciuitates munitas, & super angulos excelsos, id est, super homines impios, & super angelos superbos. Nam ciuitates cũ dicit munitas, subaudiendum est, citra dominum, & angelos cùm dicit excelsos, intelligenda est celsitudo principum, contra verum & solum excelsum dominum sese extollentium. Istæ sunt ciuitates munitæ, & isti sunt excelsi angeli, quos Apostolus manifestius exprimit, vt in euangelio fieri debuit, in quo reuelatur hæc ira, siue dies iræ Dei, Nam præmisso, reuelatur enim ira Dei de cælo, secutus est dicens, super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, &c. Nonne talibus congruit, & iusto iudicio repositum est id, quod continuò post verba prophetæ ex sua persona dominus iudex dicit? & tribulabo (ait) homines & ambulabunt vt cæci. Et propheta statim comprobans iudicium causam reddit, quia domino peccauerunt. Rectè etenim illic ambulabunt vt cæci, qui hic oculos voluntariè contra veritatem clauserunt, quia cùm cognouissent Deum, nõ sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & voluntariè obscuratum est insipiens cor eorum, & dicẽtes se esse sapientes, & reuera plerique illorum inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicientes, nihilominus, imò & amplius stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis incorruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum. Verè igitur causa est, quia domino peccauerunt. Quia verò propter hoc ipsum, & tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, & tradidit illos in passiones ignomiæ, vt tam fœminæ, quàm viri im mutarent naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam, & tradidit illos in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non cõueniunt. Recta & iusta est sententia hæc, abiectionis eorum plenissima, & effundetur sanguis eorũ sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Quod deinde subiungit, sed & argentũ eorũ & aurum non poterit liberare eos in die iræ dñi, hoc iam in isto tẽpore assertione non indiget, imò & notum & certum est, quia nec aurũ nec argentum cum eis qui possederũt, ad illos veniet, quippe cũ scriptum sit alibi, quia cùm interierit, non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius. Amplius verò id quod sequitur. Omne destruit auxilium auri & argenti, in igne (inquit) zeli eius deuorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Si enim illo igne, quo iudicabitur seculum, deuorabitur omnis terra, quod verum est, sic ut alibi dicit, cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, aurum & argentum vbi parebit, quod vtiq; terra est? Sed & si placeret, nunquid eorum esse deberet? Nihil intulerũt in hũc mundũ, & propterea peccatores nihil præter peccata tũc habebũt, & idcirco iustus ille ignis, iustissimi zeli dñi, consummationem faciet festinanter, cunctis eis habitantibus terram, propter hoc ipsum, quod cælum desperantes, tota mente habitauerunt terram. Sequitur. [Conuenite, congregamini gens non amabilis, priusquam pariat iusio quasi puluerem trãseuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris domini.] Hoc officium & hic mos est speculatoris fidei, legati fidelis, vt non contentus sit clamasse quod viderit, vel nunciasse, cuius rei legationem susceperit, verumet iam superintendat spontaneum quippiam sermonis hortatorij, per quod auditorem faciendo beneuolum ad cautelam necessariã properet excitare, quæ magna pars est boni auditorij. Hoc Apostolus de semetipso pulchrè ostendit, cũ præmisso ad Corinthios, quoniam quidem deus erat in Christo mũdum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis pro Christo, pro quo legatione fungimur, deinde subiungit. Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Sic iste, vbi speculatoris more prophetico ore clamauit, quæ vidisset mala ventura, primùm in partibus, deinde in vniuersitate mundi, quasi demissa paululum declamationis vehementia, suauius incipit, & hortatur his verbis. Conuenite, congregamini, subauditur, conuentu, cõgregatione, qua Deo creatori coniungi possumus & coniungi debemus, quod quicunque non faciunt, ipsi sunt tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Hinc est quod dicit, priusquã pariat iusio quasi puluerem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris domini. Nam inde puluis mobilis est, & ventus dum flauerit, dispergit eum & proijcit à facie terræ, quia non conuenit, non congregatus est in vnum rore susceptо, per quem poterat sibimet cohærere. Cùm autem ventus illum piecerit, vbi parebit, aut vnde cõuenire vel congregari rursus poterit? Ita nimirum in-

Matth. 24. 1. Tim. 6.

CAP. II.

2. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de omnipotentis iusio pariet super impios & incredulos diem transeuntem, & eos transire facientem, quasi puluerem, quia non cõuenerunt, non congregati sunt ad Deum & dominum per gratiæ eius rorem salutiferũ, per aquã & spiritum, per quem omnes qui
Actor. 1. cunque non pereunt vnum cum illo capite corpus effecti sunt. Hoc Petrus sciens, eodẽ sensu quo & ipse dicebat. Saluamini à generatione ista praua. Sciebat enim, quia super generationem illam primò paritura foret iusio, quasi puluerem transeuntem diem, vt captiui dispergerẽtur in omnes gentes, & deinde communiter cum cæteris gentibus impijs, ventura esset super eos ira furoris do
Esa. 42. mini, die vniuersalis iudicij. Verbum huiusmodi priusquã pariat iusio, pro re satis congruit illi, qui apud alium prophetam dicit. Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Illam nanque iram furoris sui diu continuit & distulit, sed tandẽ tanto durius declarabit, quanto patientius sustinuit, sicut in vtero habens, diu quidem vocem cõtinet & continere potest, sed cùm venerit hora, non sine clamore & gemitu depromit, quod apud se nonnihil habuerit. Talis quoque compellatio, gens non amabilis, sensum eundem habet, licet minus asperè sonet, quã illud dictũ à Ioanne Baptista. Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Sed & ipse dominus. Generatio (inquit) praua & peruersa signum quærit, & Petrus (vt iam supra dictum est) saluamini ait, à generatione ista praua. Neque hic neq; illic dictum est, ita sine iudicio legis. Primus
Matth. 3. nanque Moyses dixit. Generatio praua atq;
Ibidem 12. peruersa, hæccine reddis dño, & de vinea
Actor. 2. Sodomorum vinea eorũm, &c. Sequitur.
"[Quærite dominũ Deum nostrum oẽs man
"sueti terræ, qui iudicium eius estis operati.
"Quærite iustum, quærite mansuetũ, si quo-
"modo abscondamini in die furoris dñi, quia
"Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum,
"Azotum in meridie eiicient, & Accaron eradicabitur.] Sicut vbi reuelari per euangeliũ
Deut. 32. cœpit ira Dei de cælo super omnem impietatem hominum, primùm oportebat Iudęis loqui verbum Dei, & deinde conuerti ad gentes, sic in isto spiritus propheticus vbi prænunciauit iram siue diem iræ & furoris domini iuxta esse, & velocem nimis primò gentem non amabilem, gentem Iudaicam
Rom. 1. exhortando compellauit dicens. Conueni-
Actor. 10. te, & congregamini, & deinde omnes gentes alloquitur dicendo. Quærite dominum deũ nostrum omnes mansueti terræ, & hoc ipsum verbum, quærite, tertiò repetit, quærite dominum Deũ nostrum, quærite iustum quærite mansuetum, ꝙ non aliud esse arbitror, quàm credite in patrem, credite in filium, credite in spiritum sanctum. Qui huiusmodi adhortationem receperunt vel recipiunt, rectè dicuntur mansueti & operati iudicium Dei, sicut econtra Iudæi qui reppulerunt verbum, & indignos se iudicauerunt æternæ vitæ, dicuntur gens non amabilis. Et reuera omnes mansueti, per hoc ipsum quod sunt mãsueti & tractabiles verbo dei, iudicium operati sunt, & operantur domini, iudicando semetipsos, vt non iudicẽtur, cuius videlicet iudicij principium est semet ipsos vt peccatores & reos mortis addicere patibulo domini, id est, baptizari in morte eius, & consepeliri in illo per baptismum in mortem, perfectio autem eiusdem iudicij vel iustitiæ est, ita de cætero in nouitate ambulare, quomodo ille surrexit à mortuis per gloriam patris. Mirum quod talibus dicit, si quomodo abscondamini in die furoris domini. Ergone & ipsi vix absondentur in die furoris domini? An non & hoc *1. Cor. 11.* Petrus Apostolus dicit? Ait enim. Si autem *Rom. 6.* primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Igitur quamuis mansuetus quis, quamuis iudicium sit operatus domini, semper sibimet suspectus sit, nec se comprehendisse arbitretur, quia nec iustus quispiam saluari poterit, si absque misericordia iudicetur. Impius & *1. Pet. 4.* peccator omnis, sub nominibus rectè intelligitur, vrbium Philistijm, Gazæ, & Ascalon, Azoti & Accaron, duplicem, vt reor, ob causam. Prima causa est, quia gens Phi- *Cur prius punitur Philistæum.*
listijm primo loco denotatur inter omnes gentes, quæ inuiderunt gloriæ domini, & mansuetis terræ scilicet Moysi, & cæteris ascendentibus de terra Aegypti. Ascenderunt enim (ait) populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistijm, tunc *Exod. 15.* conturbati sunt principes Edom, & cætera. Primos nominauit habitatores Philistijm, quia primi doluerunt, & primi ad impugnã dum ascendentem Israelem fuere præparati. Scriptum est enim. Igitur cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistinorum, quæ vicina est, reputans ne fortè pœniteret *Ibidem 13.* eum, si videret aduersum se bella consurgere. Alia causa est, quia sub interpretationibus eorumdem nominum, omnium illorum peruersitas denotatur, qui secundum similitudinem Philistijm, pios omnes ad eum fugientes, & hoc seculum nequam relinquentes, odio habent & persequuntur. Gaza nanque fortitudo eius. Ascalon ponderata, vel ignis homicida, Azotus ignis generationis. Accaron eradicatio vel sterilitas interpretatur. Et est sensus. Omnes qui sibi applaudunt in fortitudine corporis, & *Interpretatio nominũ* in potentia seculari, & dicunt cũ diabolo: In *Esa. 10.* fortitudine manus meæ feci, diripientur, & ad nihilum redigentur in die iræ domini. Similiter qui arsit ad effundendum sanguinem, & multas scandalizauit animas, sceleris sui mensuram recipiet, & eodem quo operatus est

ratus est pondere, deprimetur, & implebitur in eo, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus, dum gehennæ ignibus cum diabolo cremabitur. Itidem qui ar-
Psalm. 5. sit libidine & generationis incendio debachatus est. (Omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum) non in tenebris, non
Osee. 7. in occulto iudicio, sed in meridie, hoc est, quando sancti plenam recipient claritatem, Proijcietur in tenebras, & sanctorum consortium non habebit. Item qui non solùm nullos fructus habuit, sed peruersitate doctrinæ suæ plurimos eradicauit, ipse quoq;
Roma. 10. eradicabitur. Proinde quærite Dominum omnes mansueti terræ, & ne sitis sicut Gaza, id est, sicut malè fortes, & non mansueti, qui suam quærentes statuere iustitiam, iusti-
Matth. 23 tiæ Dei non sunt subiecti, quia talis Gaza destructa erit. Quærite Dominum omnes mansueti, & ne sitis sicut Accaron, id est, ardentes igne homicidij, quorum manus sanguine plenæ sunt, quia deserta erit talis Ac-
Esaiæ 1. caron, sicut dixit veritas. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Quærite Dominum omnes mansueti, & nolite esse sicut Azotus, id est, sicut hi, qui genuinam voluptatem vltrò exasperantes, verterunt in furorem, & conflauerunt sibi ignem vrentem, quia talis Azotus in meridie eijcietur, id est, manifesto iudicio condemnabitur, talis inquam Azotus, iudicium portabit Sodomo-
Ibidem 5. rum & Gomorrhæ, iuxta prophetam aliũ dicentem. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei populus Gomorrhæ. Quærite Dominum, & ne sitis sicut Accaron, id est, sicut sterilis vinea Domini sabbaoth, domus Israel, quæ cum debuisset facere vuas iudicij & iustitiæ, fecit labruscas iniquitatis & clamoris. quia talis Accaron, talis sterilitas eradicabitur. Omnibus quidem reposita est ira furoris Domini gentibus incredulis, sed maximè, & præ omnibus genti illi, quæ prima restitit, & persecutionem excitauit Euangelio Christi, vel sacramento baptismatis, secundum similitudinem Philisthijm, quæ gens, vt suprà dictum est, prima inuidit, & obsiste re bellumq; inferre prompta fuit Israeli ascendenti de terra Aegypti, in transitu maris
"rubri. Sequitur ergo. [Væ qui habitatis fu-
"niculum maris, gens perditorum.] Gens habitans funiculum maris, id est, vicina baptis-
mo Christi, sicut gens Philisthijm, vicina e-
*Iudæi habitant mari, per quod Israel transiuit. Quàm etiamnum vicina fuit illi sacramento æternæ salutis, apud quam idem sacramentum Christus moriens condidit, apud quam aquam & sanguinem de latere fudit. apud quam dato Spiritu sancto, claruit multis signis & prodigijs quod dux esset ipse Dominus in misericordia populo quem redemit, gradientibus in fronte, in transitu maris rubri, tribus millibus hominum, quia ipsa die Pentecostes baptizati sunt in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Væ tibi gentes perditorum, væ tibi taliter habitanti funiculum maris, quia cum posses trahere ad te funiculum eiusmodi, funiculum distributionis, in qua sorte diuiditur terra regni Dei, non solum non attraxisti, verumetiam subeuntibus & trahentibus inuidisti. [Verbum Domini super vos" Chanaan terra Philistinorum, & disperdam" te, ita vt non sit habitator.] Quòd terra Phi-" listhijm terra sit Chanaan, nulli dubium est, & quod præsenti loco Chanaan Iudæus sit, iam dictum est, & multis scripturarum testimonijs comprobari solet. Itaque super vos ô Chanaan, & ô terra Philisthijm, super vos ô non Iudæi, sed Chananæi, ô non terra Hierosolymorum, sed terra Philistinorum, id est, potione cadentium, verbum Domini super vos est, quod ego loquor non in bono sed in malo, non in gratia, sed in ira, non in misericordia, sed in vindicta. Sequitur enim Et disperdam te ita, vt non sit habitator. [Et," erit funiculus maris, requies pastorum, &" caulę ouium, & erit funiculus eis, qui remanent" in domo Iuda, ibi pascentur in domi-" bus Ascalonis, ad vesperam requiescẽt, quia" visitabit eos Dominus Deus eorum, & auer-" tet captiuitatem eorum.] Vtrum ita factum sit, vt litera sonat, quòd terra Philisthinorum deserta & absque vllo habitatore fuerit, Deus viderit. Disperdam te (inquit) ita vt nullus sit habitator, & in tantam venies vastitatem, vt omnes tuę vrbes munitissimæ in ouilia sint pastorum. Quomodocunq; terræ illi, quæ propriè dicta est terra *Daniel. 12.* Philisthinorum, contigerit, & terræ Moab, & terræ filiorum Ammon, de quibus postmodum dicturus est, Nos qui scimus signatum fuisse librum, & clausas visiones prophetarum, sicut nonnullis eorum legimus imperatum, Dubitare non debemus, sacramenta rerum spiritualium sub rerum corporalium recondita esse nominibus, & cuncta ad Christum applicanda, habentem claruim, vt in Apocalypsi legimus, qui & aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, *Apocal. 3.* quia cuncta in eo referantur. Igitur super vos ò terra Chanaan, terra Philisthinorum, id est, super vos ò Iudæi, verbum Domini est, qui iam semen Chanaan, & non Iudę, terra estis Philistinorum, id est, potione cadentium, ex quo Christo Dei filio dedistis in escam suã fel, & in siti sua potastis eum aceto, vnde & facta est coram vobis mensa vestra in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Te ò terra eiusmodi disperdam (ait) *Psalm. 68.* ita vt non sit habitator. Iuxta quod & psal- *Ibidem.*
mista. Fiat (inquit) habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorũ nõ sit qui inhabitet. Ita namq; factũ est, Non est ex vobis, qui habitet in illa terra vestra, vel dominetur in ea. Quid porrò fiet de funiculo maris, de quo paulò ante dictum est. Vę qui habitatis funi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

culum maris? Requies erit pastorum, & cau-
Ioan. 10. læ pecorum. Qui sunt pastores, & quæ pecora siue oues? Nimirum pastores illi, quorũ princeps ille bonus pastor est, qui posuit animam suã pro ouibus suis Et illæ oues sunt, de quibus idem ait. Et alias oues habeo, quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnũ
Erit funiculus maris requies pastorum. ouile, & vnus pastor. Funiculus maris, quem vos habitatis ò Iudæi, id est, omne quod habere, vel quod vicini videbamini esse sacramento baptismatis Christi, quod inimicos nostros Pharaonem spiritualem, & exercitũ eius operuit, scilicet lex & prophetæ, cuncta quæ credita sunt vobis eloquia dei, requies erunt pastoribus istis, & erunt caulæ pecorũ sicut ouium, quam Dominus adduxit. Nón ne ita est ò Iudæi, imò Chananæi, siue Philisthijm? Oues istæ & pastores earum, id est, Christiani & doctores eorum, in illo tali funiculo, quondam vestro, nunc requiescunt, quia legem & prophetas vestros scienter legunt. Ille vester funiculus Hebraico quidẽ sermone confertus, deinde in Græcum ductus, & in Latinum reductus, ampla fecit spacia cunctis gentibus, & ecce in spacijs eius requiescimus, & caulæ pecorum, id est, lectiones, siue meditationes nostræ sunt. Mirum quod vosipsi caulas nobis ouibus Christi, ne veterascant, aut vetustate infirmentur & labascant, iugiter confirmatis, & ad confirmandum nobis materiam validam vbique terrarum subministratis, dum captiui in omnes gentes libros vestros, imò iam nostros circunfertis, vt quicquid de Christo prædicatur, Græcis & Latinis siue barbaris, præsentes vos cum scriptis vestris palam testificemini, quòd non sit nouum siue confictũ
Remanerè de domo Iu da, quid est. quicquid auribus eorum quasi noua refert vox euangelicæ prædicationis. Quod deinde subiungitur, & erit funiculus eis, qui remanserint de domo Iuda, cum præcedenti dicto benè perspectum, coniunctionem satis euidenter indicat aliarum & aliarum ouium in ouile vnum. Qui enim sunt, qui remanserunt de domo Iuda, vel quid est remanere de domo Iuda? Nimirum remanere de domo Iuda, hoc est, saluari de eadem gente perditorum, gente Iudaica, & qui hoc modo remanserunt vel remanebunt, primi Apostoli fuerũt, & qui post ipsos vel per ipsos crediderunt, & illę erunt reliquiæ, quæ saluæ fient, postquam subintrauerit plenitudo
Rom. 11. gentium. Pulchrè ergo ita distinctum, & erit funiculus maris requies pastorum & caulæ pecorum, quòd rectè intelligitur de pastoribus & pecoribus plenitudinis gẽtium. Ac demum. Et erit funiculus eis, qui remanserint de domo Iuda, quod nihilominus rectè intelligitur de illis reliquijs, quæ supersunt & supererunt de Israel, in quo contigit *Deut. 32.* cæcitas. Simul de vtrisq; de ouibus siue pastoribus partium vtrarumq; illud intelligẽdum, quod subiunctum est. Ibi pascentur in domibus Ascalonis, ad vesperam requiescẽt. Quid est ibi pascentur, niti in funiculo illo posidebunt? Funiculus namq; possessio est, *Psal. 77.* iuxta illud. Pars autem Domini populus eius. Iacob funiculus hæreditatis eius. Aut certè funiculus dimensio possessionis est, iuxta illud: Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Quolibet modo accipias, sensus totius summa est. Ibi pascentur in domibus Ascalonis, ad vesperam requiescent, ac si diceret. In sorte Domini computabuntur, in si- *Matth. 1.* nubus Abrahæ, Isaac, & Iacob collocabuntur, in cælestibus mansionibus, quas Ascalon, id est, ignis homicida, scilicet Iudaica impietas suas esse domos gloriatur. At illi filij regni eijcientur in tenebras exteriores, isti autem venientes ab oriente & occidente, recumbent in sinubus Abrahę, Isaac & Iacob. Vndè hoc? Quia visitabit (inquit) eos dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum. Quis ille Dominus, qui visitabit, nisi ipse, qui dixit de his, & de semetipso: Et fiet *Ioan. 10.* vnum ouile & vnus pastor? Ipse namque de visitatione hac dicit in alio propheta. Ecce ego requiram oues meas, & visitabo eas sic- *Ezech. 34.* ut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, &c. vsque. Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietem & hircum, inter pecus pingue & pecus macilentum. Duo dicta sunt in illo. Visitabo oues meas. Et iudicabo inter *Luc. 11.* pecus & pecus, duo nihilominus in isto, quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum. Visitabit, subauditur, primo aduentu suo, vt sit ipse pastor, & ouem perditam ad gregem suo reportat humero. Auertet captiuitatem eorum, secundo aduentu suo, quando iudicabit vtiq; inter pecus & pecus, & seperabit oues ab hœ- *Matth. 25.* dis, dicetq; ouibus à dextris. Venite benedicti patris mei, posidete paratum vobis regnum, & hœdis à sinistris. Discedite à me maledicti, in ignem æternum.

FINIS LIBRI PRIMI IN SOPHONIAM.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN SOPHONIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

Triplices rectæ fidei aduersarij.



Duersariorũ seu veritati contradicentiũ vniuersitas trifariam diuisa est. Alia diuisio Iudæorum, & alia hæreticorum, alia paganorum. Super omnes diuisiones istas verbum domini est, eo ordine quo nunc à nobis nominatæ sunt. Siquidem super Iudęos iam prolatum est verbum, & ipsi designati sunt sub nominibus Chanaan & terrę Philistinorum, dicẽdo: Verbum domini super vos Chanaan terra Philistinorum, hæretici protinus distinguuntur sub nominibus Moab & filiorum Ammon, dicendo. Audiui opprobrium Moab & blasphemias filiorũ Ammon, quæ exprobrauerũt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. Subinde paganorum impietas sub nomine condemnatur Aethiopum, cum dicit. Sed & vos Aethiopes interfecti gladio meo eritis. Protinus & ipse, qui est omnium inimicorum caput, diabolus, perditus atque perdendus designatur sub nomine Assur, dicendo. Extendet manũ suã super Aquilonẽ, & perdet Assur. Deniq; sub istis nominibus de
Nonliterã, sed spiritũ & mysterium hic se qui oportet. bere huiusmodi sensus suscipi, satis probabile est, præsertim quia præceptum fuisse scimus prophetis, non omnia manifestè loqui, imò claudere sermonem, & signare librum, & ligare testimonium, & signare legem discipulis Domini, cum pollicitatione ilta. Quia
Daniel. 12. pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Præterea & illud nobiscum facit, quia nec rerum præsentium, nec historiarũ, quæ de rebus gestis conscriptæ sunt, aliquod suffragatur experimentum siue testimonium ei, qui simpliciter, & vt vulgò nota sunt, accipit nomina hæc Chanaan, siue Philistinorũ, Moab & filiorum Ammon atq; Aethiopum. Nam & si non immunes fuere malorũ, quæ in mundo facta sunt vel fiunt, nihil tamen vsquam legitur tale vel tam magnũ, vt præsentis prophetiæ litera sonat, simpliciter audientib. Verbi gratia, cum protinus italoquitur. Viuo ego dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon, quasi Gomorrha, ficcitas spinarum, & acerui salis, & desertum vsque in æternum. Similiter de terra Philistinorum. Quando enim factum est, quod dicit, Et erit requies pastorum & caulæ pecorum? Quando nullus in ea fuit habitator, & in tãtam venit vastitatem, quæ lætabatur in euersione Iudææ, vt omnes vrbes eius munitissimæ essent in ouilia pastorum, atque ita inculta, & sic vepribus atq; vrticis operta, vt pastores de reliquijs Iudæorum in Ascalone post meridiem requiescerent, & in vrbe, quondam nobili, greges suos accubare facerent. Proinde cœptum iter securi pergamus, & spiritus sancti verba spiritualiter intellexisse contenti simus. [Audiui opprobrium Moab & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerũt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. Propterea viuo ego dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha, ficcitas spinarum & acerui salis, & desertum vsq; in æternum. Reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ posidebunt illos. Hoc eis eueniet pro superbia sua, quia blasphemauerunt & magnificati sunt supra populum domini exercituum] Causa pro posse dicenda est, cur his nominibus hæretici de signati sint, vel ob quam similitudinem vocentur Moab & filij Ammon. De Iudæis supra dictum est, quòd rectè vocentur Philisthijm, videlicet quia sicut vbi accesserunt filij Israel de terra Aegypti per mare rubrũ, Philisthijm qui vicini erant mari, primi doluerunt, & primi bellum inferre parati fuerunt, ita vbi conditum est baptismi sacramẽtum, Iudęi, penes quos conditum est, primi viderunt & inuiderunt, & primi contra fidem Euangelicam persecutionem exercuerunt, mala potione, scilicet spiritu erroris inebriati, & insanientes secundum nomen Philisthijm, quod interpretatur, potione cadentes. De hæreticis nunc dicẽdum, quòd rectè vocentur Moab, & filij Ammon, quia sicut Moab & filij Ammon, de consanguinitate Abrahæ descenderunt, & tamen genus Abrahæ semper oderunt, ita hæretici in Christum se credere dicunt, & tamen Christianorum Catholicam fidem subuertere semper conati sunt. Et quis hoc ne- *Genes. 19.* sciat, quòd de consanguinitate Abrahæ per incestum nati sunt Moab, & filj Ammon? Dormierunt enim filiæ Loth nepotis Abrahæ cum patre suo, & maior quidem filia Moab, minor autem peperit Ammon. Et Moab quidem ex patre, Ammon populus turbidus interpretatur. Quis autẽ populus magis turbidus, quàm hæreticorum cœtus, qui alios turbida & cœnulenta potant doctrina, velut turbida aqua? Sunt etiam hæretici ex patre diabolo, æquè vt Iudæi, quibus ipse do-

Cur hæretici dicuntur Moab & filij Ammõ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioann.8. ipse dominus. Vos (inquit) ex patre diabolo estis. Igitur vt Philisthijm ita Moab & filij Ammon, id est, sicut Iudæi ita & hæretici in desertum erunt vsque in æternum, quippe qui deserentes deum, & à Deo deserti, ablq; dubio peribũt in sempiternũ. Audiui enim (ait) Moab opprobrium & blasphemias filiorum Ammon, scilicet hæreticorum, qui nimirum exprobrauerunt populo meo, populo Christiano secundum exemplum Moab, & magnificati super terminos eorũ secundum exemplum filiorũ Ammon. Quod fuit exemplũ Moab? Illud nimirum; quòd fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ secundum suggestionem Balaam vocauerunt eos ad sacrificia sua, & comederunt, & adorauerunt deos earum, initiatusq; est Israel Beelphegor. Magnum fuit illud opprobrium Moab, & vsque præsentem diem (ait Phinees) macula huius sceleris in nobis permanet, multique de populo corruerunt. Secundum illius opprobrij vel maculæ exẽplum fuit & est opprobrium hæreticorum siue hæresiarcharum, quales Marcion, Cherinthus, Ebion & Arrius, alijque quàm plures extiterunt. In quo? In eo videlicet, quòd non per ignorantiam errauerunt, sed sicut ille Moab scienter & præeunte cõsilio, quatenus auxilio Dei destitutum redderet Hierusalem, effecit vt initiaretur Beelphegor. ita & isti scienter, quatenus populum ecclesiasticum omni veritatis honore nudarent, & in perditionem traherent, turpia & probrosa singuli suorum dogmatum simulachra propalauerunt. Quod autem vel quale fuit exemplum filiorum Ammon? In quo illi priores super terminos Israel magnificati sunt? Tulit Israel, ait rex filiorum Ammõ terram meam, quando ascẽdit de Aegypto.

Numer.25.

Filij Ammon.

Iudic.11. Econtra Iepthe dux Israel, Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammõ, sed Dominus Deus subuertit Amorræum, pugnans contra illum, pro populo suo Israel, & tu nunc vis possidere terram eius? Non ne ea quæ possedit Chamos deus tuus, tibi iure debentur. Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem. Disceptatio tunc fuit vehemens contra filios Ammon, eo modo significantes se super terminos Israel. Sed & ante hoc copulati regi Moab percusserant Israel, atque possederant vrbem palmarum. Secundum illius disceptationis exemplum iugem atq; pertinacẽ hæretici contra catholicã ecclesiæ disceptationẽ habuerunt, & super terminos eius magnificati sunt, super terminos fidei, quos patres nostri prophetæ & Apostoli posuerunt, adijciẽdo aliquid super positionem, vel diminuendo quippiã de positione illorum, non timentes illud, quod in Apocal. scriptum est. Si quis adiecerit supra hæc, adijciet Deus supra illum plagas, quæ scriptæ sunt in libro hoc, & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de ligno vitæ, & de ciuitate sancta. Nonne & in psalmo scriptum est. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuam terminos terræ? At illi cùm essent in partibus terræ, alij in Asia, alij in Europa, alij in Aphrica contra semetipsos diuisi & contra catholicam ecclesiam conjuncti, singuli suas partes constituere pro catholica ecclesia contendentes, non parum ecclesiæ terminos, quantum in ipsis fuit diminuerunt, claudere volentes in parte possessionem Christi præfinitam vsque ad terminos terræ. Ita super terminos populi Domini magnificati sunt, & exprobrauerũt & blasphemauerunt. Propterea viuo ego dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha. Quid erit Moab vt Sodoma, & quid erunt filij Ammon quasi Gomorrha? Siccitas spinarum & acerui salis, & desertum vsque in æternum. Ad quid valet siccitas spinarum, nisi vt mittantur in ignem, vel submittatur eis ignis vt ardeant? Et ad quid valet aceruus salis, præsertim infatuatũ, nisi vt mittatur foras & conculcetur? Igitur quod dicit, hoc est, quoniam ipsi sunt spinæ, de quibus non colliguntur ficus, & rubus de quo non vindemiatur vua, tradentur igni vt Sodoma, & quasi Gomorrha. immò tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij quàm illis qui nõ receperunt vos, ait Dominus, neq; audierũt sermones vestros. Quòd si illis ita erit, qui non recipiunt neque audiunt, quanto magis hæreticis, qui insidiosè recipiunt & insidiosè audiunt, vt dum profitentur partem, possint subuertere totum, Iustè igitur & desertum, inquit, erunt vsque in æternum, id est, peccatum eorum non remittetur eis, neque in hoc seculo, neque in futuro, quod verè est esse desertum, quia videlicet extra domũ Dei, quæ est ecclesia Dei, vnde ipsi exierũt, nihil est, nisi desertum. An & lex hoc ipsum non dicit. Ammonites, inquit, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam domini in æternũ. Quod & si quid aliquando sapidum locuti sunt aut scripserunt, quoniam & acerui salis fore dicti sunt, reliquiæ, inquit, populi mei diripient illos, & residui gentis meæ possidebũt eos. Nec mirum, si inter mortuorum & morientium hæreticorum monimenta quippiã reperitur, quo velut sale viri catholici benè vtantur, dum in typum illorum vxor Loth, quæ auia fuit istorum filiorum Moab & filiorum Ammon, ita mortua fuerit, vt mortua verteretur in statuam salis. Est quidem salis natura ad omnem escam necessaria, pulmentis enim saporem dat, auiditatẽ excitat. Quin etiam pecudes, armenta, & iumenta sale maximè prouocantur ad pastũ, multò largiores lacte, multoq; gratiores caseido re. Sed

Iosue.22.

Psal. 2.

Ibid.12.

1. Tim 3.

Deut.23.

Apoc.22.

Quia erunt hæretici.

Ibid.7.

Ibid.10.

Hæreticorũ libri, sicut vxor Loth.

Gen. 19.

re. Sed & illa versa in statuam salis, pecudibus armentis, siue iumentis lingentibus eo modo proficere potuit, nunquid & sibi met sapuit? Sic nimirum, quid, siue vtilium historiarum siue moralium doctrinarum, siue allegoricarum expositionum scripserunt, nihil eis proderit, sed reliquiæ populi Domini diripient codices illos, residui, id est, non perditi pueri, gentis Domini, viri ecclesiastici lectores, & auditores catholici possidebunt eos, legent eos, vt legunt Iudæi cuiuspiam opus grande vel paruum, vt puta Iosephi, vel cuiuslibet cæterorum. Hoc, inquit, eis eueniet pro superbia sua, quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum domini exercituum. Cum multa sint peccata, quoddam peccatum certum, propter quod hæretici desertum fuerunt, vt supra iam dictum, in æternum. Hoc est superbire, & nõ per ignorantiam, sed per superbiam, seu per inuidiã contra veritatẽ Dei verba proferre. Nam omne peccatum, ait dominus, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autẽ blasphemia non remittetur. Et quicunq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. qui autem dixerit contra spiritũ sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Tanti huius peccati reus ille addicitur, qui sciens veritatem Dei, totis ingenij viribus econtra nititur. & tunc demum verbum dicere contra spiritum sanctum conuincitur, quando verba scripturę, quæ vtique verba sunt spiritus sancti intelligens, imò intelligere nolens, cõtraria loquitur. Quid igitur aliud astruit hic sermo propheticus, dicendo. Hoc eis eueniet pro superbia sua, quia blasphemauerunt, nisi qđ in Euangelio suo confirmat ipsum verbum incarnatum? Sequitur. [Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.] Verè infelices, super quos Dominus horribilis est. Vnde enim hoc? Nónne Deus natura dulcis & suauis est & ad videndum serenus & desiderabilis? vtpote in quem desiderant angeli prospicere, miro atque ineffabili modo semper prospicientes, & semper prospicere desiderantes. Ergo infelices nimis, quibus pro conscientia contigit horrere faciẽ pietatis, & sic perire à facie Dei, sicut fluit cæra à facie ignis. Iã in ista vita miseri horrorem illum sentiunt, & nescio quam in consolationẽ doloris sui negant esse, quod esse sciunt, tanquã hoc destruat vel destruere posit veritatem, quòd eam ipsi in mendacio detinent. Et attenuabit, inquit, omnes deos terræ. Hic subaudiẽdum vel intelligendum, qui semetipsos deos fecerunt. Sicut enim dij terræ, super quos non est horribilis, & quos non attenuabit dominus, videlicet illi de quibus Psalmista cum dixisset, Principes populorum congregati sunt cum Deo Abrahã, subiunxit, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Et est sensus, quoniam prædicatores, qui in primis erant terra, facti dij & filij excelsi, facti fortes per fidem & per bona opera, vehementer eleuati sunt per miracula, & ita factum est, vt multi ad fidem generẽrur, multi in principibus quoq;, id est, regibus alijsq; pontificibus cum deo Abraham credẽdo congregarentur. Igitur de illis solũmodo hic agitur, qui semetipsos deos fecerunt, quia præmissum est de superbia eorum, & magnificati sunt super populum domini exercituum, & eodem modo hic dicuntur dij, quo in Canticis canticorum sodales Dei, & domini nostri Iesu Christi. Indica mihi quẽ diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Isti dij, isti sodales domini, qui nisi hæretici sunt, de quibus hic sermo est sub nominibus Moab & filiorum Ammon. Super eos planè horribilis Dominus, & attenuauit magnificentiam illorum, quia etsi in breui magnificati sunt super populũ domini exercituum, quasi sterquilinium in fine perditi sunt, & talium cuiusq; messem, si qua fuit, comedit famelicus, & ipsum rapuit armatus. Illis attenuatis, adorabunt (inquit) dominum viri, de loco suo omnes insulæ gentium. Dictum hoc & dicendum cum subsannatione aduersus eiusmodi deos, qui iam non habent locum suum, imò quos iã non intuebitur locus eorum, vel cognoscet amplius, sicut per Beatum Iob dicitur. quia sicut consumitur nubes & pertransijt, sic qui descenderit ad inferos, nõ ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam, neq; cognoscet eum amplius locus eius. Viri isti, qui non deseruerunt locum suum, omnes insulæ gentium, id est, omnes ecclesiæ, quæ constiterunt in medio gentium sicut insulæ, quãuis marinis fluctibus vndiq; tundantur, stãt & locum suum non deserunt, adorabunt de loco suo dominum, & hunc crucifixum, deum & hominem Iesum Christum. Locus eorum apud ipsum Deũ est, sicut ipse ad Moysen: Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petrã, &c. Locus ille humilitas est, sicut Psalmista testatur dicens. Si nõ Moses electus eius stetisset in confractione, id est, in nimia mentis humilitate in cõspectu eius. Locum hunc hæretici nõ inuenisse arguuntur, quibus hoc, quod hactenus dictũ est, eueniet, inquit, pro superbia sua, quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum domini exercituum. Sequitur. [Sed & vos Aethiopes interfecti gladio meo eritis.] Iã superius dictum est, triplices esse ecclesię hostes, scilicet Iudæos, hereticos atq; paganos. & Iudæos sub nominibus Chanaan, & Philistinorum. hæreticos aũt sub nominibus Moab & filiorum Ammon. paganos verò hic designari sub nomine Aethiopũ. Cur paganos sub noie Aethiopũ? Quia videlicet sicut

1. Petr. 1. Psal. 67.

Matth. 12.

Dij terræ boni.

Psal. 46.

Dij terræ mali.

Cant. 1.

Insulæ gentium ecclesia Christi.

Exodi 33. Psal. 105.

pellis

Universidad de Deusto
Biblioteca

pellis Aethiopica magis quàm cæterarum gentium nigra est, ita paganorum magis quã Iudæorum, aut hæreticorum impietas nota est. Siquidem Iudæi atque hæretici quodam diuini nominis candore, vtcunque se palliauerunt. pagani non vnum Deum, sed multa dæmonia publico errore coluerunt. Igitur non soli Chanaan & Philisthijm, & Moab, & filij Ammon, sed vos, inquit, Aethiopes interfecti gladio meo eritis, id est, non soli Iudæi atque hæretici, qui legem acceperunt, sed & vos pagani siue gentiles, eiusmodi legem non habentes, iudicio meo condemnabimini. Non enim est distinctio apud Deũ. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Sequitur adhuc.

Rom. 2.

"[Extendit manum super Aquilonem, & "perdet Assur.] Notum est, in sanctis propheticis scripturis, nomine aquilonis, & nomine Assur, diabolum significari. Ipse autẽ, scilicet diabolus, inimicorum caput est, & sicut caput membris, ita cunctis præeminet inimicis, super quos euaginatus est gladius Domini, de quo & nunc hic dictum est, Et vos Aethiopes interfecti gladio meo eritis, statimque subiunctum, Extendet manum suam super aquilonem, & perdet Assur. Et in cantico Deute. præmisso Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionẽ hostibus meis, & his qui oderunt retribuam, Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes, ita demum subditũ est, de cruore occisorum & de manu inimicorum capitis, ita hic & illic, verbis quidem diuersis, sed eodem sensu omnium impiorum & ipsius diaboli damnatio certa & ineuitabilis denunciatur. Fuerit quidem carneus Assur, id est, genus Assyriorum, quæ circa huius prophetiæ tempora solutum est imperium, & Niniue metropolis eiusdem imperij, quam subuerterunt Chaldæi, de qua & protinus "dicit. [Et ponet speciosam in solitudinem "& in inuium quasi desertum, & accubabũt "in medio eius greges, omnes bestiæ gentiũ, "& Onocrotalus, & Ericius in liminibus eius "morabuntur. Vox cantantis in fenestra, cor"uus in superliminari, quoniam attenuabo "robur eius. Hæc est ciuitas gloriosa habitãs "in confidentia, quæ dicebat in corde suo. Ego sum, & extra me nõ est alia amplius. Quo "modo facta est in desertum cubile bestiæ? "Omnis qui transit per eam, sibilabit & mo"uebit manum suam.] Fuerit (inquam) & ille carneus Assur, & ciuitas Niniue, quæ hic appellatur speciosa, & facta à Babylonis tanta eius vastitas, vt ex istis verbis datur intelligi, Onocrotalus & Ericius in liminibus eius morabuntur, vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari, quæ indicia sunt solitudinis. Veruntamen res, quæ in parte gesta est, intelligentiam eorum, quæ in toto futura sunt, non destruit, immò magis astruit, cum per experimenta magnarum vrbium, quæ destructæ sunt, compellitur audiens credere Euangelicæ veritati, quia præterit figura huius mundi, & quia secundum similitudinem, scilicet Niniue & Babylonis, totũ quoque mundum Dominus in fine iudicabit. Iam quia de subuersione Niniue, quòd fuerint exempla totius mundi perituri, aliàs dictum, & à sanctis doctoribus affatim est declamatum. Nos ad cætera properantes, illud tantum dicere libet, quid sit huic speciosæ dicere in corde suo. Ego sum, & extra me non est alia amplius, & quomodo omnis, qui transit per eam sibilabit, & mouebit manum suam. Nimirum hoc dicere, ego sum, & extra me non est alia amplius, superbire est, & tantummodo in præsentibus confidere, nullamq; post hanc aliam vitam credere vel sperare. Impiorum est ita existimare, qui (vt sapientia perhibet) dixerunt apud se, cogitantes non rectè. Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fide hominis, & non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquã si non fuerimus. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vbique relinquamus signa lętitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Cum hæc & his similia dicit in corde suo impiorum vniuersitas, quis nisi speciosa ista ciuitas Assur, vniuersa cupiditas mundi huius loquitur, Ego sum, & extra me non est alia amplius? At verò omnis, qui transit per eam, qui cum Abraham, & Isaac, & Iacob patribus sanctis confitetur, quod peregrinus sit & aduena super terram, & non vult hic habere manentem ciuitatem, sed futuram inquirit, cum viderit quòd Onocrotalus, Ericius, & coruus, possidebunt speciosam hanc, non iã speciosam vt nunc videtur, sed desertam, vbi præterierit figura huius mundi, sibilabit & mouebit manum suam, id est, nec allocutione, ne dicam consolatione dignam iudicans, solo hutu, vel gestu oris & manus suæ despiciet, & subsannabit eam. Sequitur.

Deut. 32.

Vox impiorum, qui nõ credunt se habitaturos in hanc vitã. Supra. 2.

1. Cor. 7.

Hebr. 13.

CAP. III.

"[Væ prouocatrix, & redẽpta ciuitas Co-"lumba non audiuit vocem, & non susc epit "disciplinam, in Domino non est confisa. Ad "Dominum Deum suum non appropinqua-"uit. Principes eius in medio eius, quasi leo-"nes rugientes. Iudices eius quasi lupi vespe-"re, non relinquebant in mane. Prophetæ e-"ius vesani, viri infideles. Sacerdotes eius pol"luerunt sanctum, iniustè egerunt contra le-"gem.] Super quam cœpit intentio iudicij di"cendo, Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes habitatores Hierusalem, super eandem ciuitatem, & consummatur dicendo. Væ prouocatrix, & redempta ciuitas. Quæ enim alia ciuitas à Deo prouocatrix, quàm passim, & ferè vbique sancta scriptura dominum prouocasse arguit? Ipsa prouocatrix, ipsa redempta, & tanto dãnabilior prouocatrix, quanto pluribus redempta beneficijs. Prouocationes eius magna cum admiratione hic denarrantur, cùm in primis columba ipsa nominatur, & deinde leonum sæuitiã, luporum ferocitatẽ, vel habuisse, vel habere declamatur. Columba, inquit, non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam, hoc dicere est, mansueta quondam ciuitas vel gens, rebellis facta est, incorrigibilis perseuerat. Quid enim mansuetius Abraham, Isaac, & Iacob, cæterisque patrib. Moyse & Dauid, cæterisque sanctis & prophetis vel iustis hominibus? Si illos & vniuersam illius gentis vel ciuitatis electionem consideres, rectè nimirum ciuitas columba dicta est. Econtra, si illos attendas, qui prophetas & iustos homines occiderunt, qui dominum dereliquerunt, & Baal, cæteraque portenta coluerunt, & alia sacrilegia commiserunt, veraciter dicas, quia non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam, in domino non est confisa, ad dominum Deũ suũ non appropinquauit. etenim si attẽdas, qualiter in ipsum dominum eadem ciuitas egerit, quomodo generatio mala & adultera illum occidendo mensuram patrum suorum impleuerit, rectè dictum animaduertis. Principes eius in medio eius, quasi leones rugiẽtes, iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane. prophetæ eius vesani, viri infideles, sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniustè egerunt contra legem. Quis non meretur hæc de ea, quæ fuit vel esse debuit, columba? Quomodo leones columba genuit? quomodo lupos enutriuit? quomodo vesanos fouit? quomodo infideles educauit? quomodo de pullis suis tales sacerdotes edidit, qui polluerent sanctum, qui quasi secundũ legem maledictum facerent sanctum sanctorum. Dixerunt enim. Ecce lex dicit, quia maledictus à Deo est omnis qui pendet in ligno. Hic autem dicitur, quod sit sanctus, quòd sit ipse benedictus, de quo Psalmus dicit. Benedictus qui venit in nomine domini. Appendamus ergo eum in patibulo, & erit non benedictus, sed maledictus, erit non sanctus, sed pollutus tanquã leprosus. Hoc modo polluerunt sanctum, & ita polluentes sanctum, nimirum iniustè contra legem egerunt. Lex enim ita dixit, ita præmisit, quando peccauerit homo, ꝙ morte plectẽdum est, demum ita subiunxit, & adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo. At ille homo non peccauerat, quod morte plectendum esset, imò sanctus erat, & sanctus est. Ergo polluendo sanctũ, suo iudicio cõstituendo maledictũ, quem constat esse benedictũ, iniustè egerunt cõtra legem, dum vo "lunt impietatis suæ patronã facere legẽ [Do "minus iustus in medio eius, non faciet ini"quitatem. Manè manè iudicium suum dabit

Prouocatrix, ac redẽpta ciuitas Hierusalẽ, ꝙ olim columba.

Quomodo polluerunt sanctum. Deut. 21. Psal. 117.

in luce, & non abscondetur.] Illi nimis iniustè egerunt, illo modo polluentes sanctum, & eum qui benedictus est, volentes constãter esse maledictum, sed dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem, neque enim iniustus est, aut esse potest, vel iniustam dare aut scribere legem. Nónne esset iniquitas, si maledictum esse concederet hominẽ, ex sui patibuli pœna, non præcedente patibuli causa? Non faciet, nec fecit hoc, non sequetur tale sacerdotũ iudicium, neque dedit sacerdotibus tale legis decretum. Præmisit causam, quãdo peccauerit homo quod morte plectendum est, & deinde subiunxit, & adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, quod à iustitia vel equitate non discrepat, & deinde quod miserationis est, non (inquit) permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadẽ die sepelietur, semper quippe moriturus sepeliri vel sepultura non carere, optabile fuit, miramque causam huius censuræ subdidit, quia maledictus à Deo est omnis qui pẽdet in ligno, & nequaquã contaminabis terram tuam, quam dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. Miro modo ô sacerdotes, dum sanctum polluere tentatis, lex contra quam iniustè egistis, vos in astutia sua comprehendit, ita vt & illum facere maledictũ non possetis, nec insepultum relinquendo contaminare terram corporis sancti, imò & omni modo, vobis nescientibus, per vos prouisum fuit, sepeliendo resurrecturum principem & authorem resurrectionis. Non igitur faciet iniquitatem dominus iustus, non consentiet vobis lex domini iusti, non erit vestri similis, sicut vos existimastis iniqui. Sed quid? Manè manè iudicium suum dabit in luce, & non absconditur. Vos iudicium vestrum dedistis in nocte super sanctum, clamando qnod esset reus mortis, pro eo quòd non negauit se esse sanctum Dei, quod vobis interrogantibus confessus est, se esse Christum filium Dei benedicti, dominus autem manè dabit, manè manifestum faciet iudicium suum, de illo sancto quale sit, & hoc in luce, ita vt non absconditur. Dicet enim illi. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, atq; ille respõdebit, exurgam diluculo, & ita fiet. Ita iudicium suum dabit manè, & dabit in luce, & non absconditur, imo in omnem terrã exiuit sonus, & in fines orbis terræ audietur. quod longè aliter & dissimiliter à vobis iniustis, de illo sancto suo iudicet dominus iustus, in medio vestrum vobis videntibus & audientibus, & pro iniusto iudicio pœnas exoluentibus. [Nesciuit autem iniquus confusionem.] Et hoc admiratiuè dictum est, & reuera miranda est impudentia, non erubescere vel cõfundi, manifesto in tã clara luce iudicio Dei de causa illius sancti, iuxta ꝙ cecinit Psalmista. Iudica me Deus, & discerne causam de gente nõ sancta. Eodẽ modo hic

Lex de suspenso in patibulo.

Matth. 26.

Psal. 107.

Psal. 42.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hier.3. dictum est, nesciuit iniquus confusionem, cui apud Hieremiam dominus ait. Frons mulieris meretricis facta est tibi, erubescere noluisti. Iā ac si quæras, quomodo vel quid agendo deus dedisti in luce iudicium tuum, "ita subiungit. [Disperdidi gentes, & dissipati "sunt angeli eorum. Desertas feci vias eius, "eò quòd non sit qui transeat. Desolatæ sunt "ciuitates eorum, non remanente viro nec vl "lo habitatore.] Hoc (inquit) est iudicium meum, propter sanctum quem polluerunt, & ita manifestum, vt iam nemo sit, qui interrogat, scientibus & videntibus cunctis, quia disperdidi illos, qui tam iniustè egerunt, & non paucos, sed tanta multitudine, vt rectè dixerim gentes, quia primum ciuitates omnes & subiectos pagos tribus omnes, diuersa confinia, tandemque ipsam metropolim Matth.23 Hierusalem disperdidi. Hoc est quod ait, disperdidi gentes, & dissipati sunt anguli, id est, principes eorum, imò leones earum, lupi earum, sicut iam dictum est. Olim celeberrima ciuitas & templum, quo nihil erat in toto mundo augustius, quomodo frequē tabatur? quomodo viæ eius confluentibus Esa.42. turbis populorum stipabantur? At nunc desertas fecit illas, eò quòd nō sit qui transeat, & sicut in vero iudicio dixi. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, ita in vero iudicio feci, quod desolatæ sunt ciuitates, non remanente viro, nec vllo habitatore. Nunquid autem hoc nimis properanter egi, & patientiam nullam exhibui? imò tacui, "diu silui, patiens fui. [Dixi. Attamen time- "bis me, suscipies disciplinam, & non peribit "habitaculum eius propter omnia in quibus "visitaui eam. Veruntamen diluculo surgen- "tes, corruperunt omnes cogitationes suas.] Sensus hic est, Misi, pphetas meos cōsurgēs diluculo, & ad pœnitentiam prouocans, dixitque, feci quidem tibi hæc omnia Hierusalem, sed feci vt timeres me, & susciperes disciplinam, & non periret habitaculum tuū, hoc est, templum, propter omnia scelera quæ gesseras. At econtrario habitatores Hierusalem, me eos ad pœnitentiam prouocante, quasi de industria & ex cōtentione diluculo surrexerunt, vt festinatione qua ad me redire debuerāt, complerent omnes cogitationes suas, & opere demonstrarent, quod mente conceperant. Itaque quod ait, dixi, attamen timebis me, suscipies disciplinam, quoniam non est factum quod dixit, cū significatione dubitantis intelligendum est, ac si diceret. Dixi, forsitan timebis me, forsitan suscipies disciplinam, mandaui prophetis meis, dicēs: loquimini ad eum verba mea, forsitan audiet & timebit vel quiescet & nō peribit habitaculū eius, quod futurum est, nisi timuerit me, nisi susceperit disciplinam. Solet em Deus interdum loqui cū significa- Ezech. 2. tione dubitantis, cū apud eum nihil dubium sit. Fili hominis, ait ipse ad Ezechielē, dices ad filios Israel, hæc dicit dominus Deus, si forte vel ipsi audiant, vel si forte quiescant, quoniam domus \ xasperans est. Item. Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiāt & timeant vel quiescant, quoniam irritatores sunt. Quod autem ita, quasi dubius loquitur, condescensio est ad vel propter eos, qui dubij sunt vel esse possunt, nisi experiantur, nec iudicia Dei iusta venerentur, nisi experimento didicerint, incorrigibiles eos fuisse, quos spreuit, aut iudicauit Deus. Sequitur. [Quapropter expecta me, dicit dominus in die tribulationis meæ in futurū, quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna. Et effundam super eos indignationem meam, & omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen domini, & seruiant ei humero vno.] Post- quam super impios & peccatores & illā quæ prouocatrix merebatur dici Hierusalem, seueritatem iusti iudicij declamauit, nunc tandem ad eam conuertitur, quæ habet aurem fidei, & ea quæ sunt gratiæ, quæ sunt misericordiæ, familiariter insinuat illi, quam vocat & filiam Syon. nuncupat Israel, nominat filiam Hierusalem. lauda (inquiēs) filia Syō, iubila Israel, lætare & exulta in omni corde filia Hierusalem, &c. vsque in finem, quę ita concludit, dabo enim vos in laudem, & nomen omnibus populis terræ, cū conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris, dicit dominus. Quapropter (inquit) Ioan.12. quoniam sicut in initio dixi, congregans cō gregabo omnia à facie terræ. i. omnia trahā ad meipsum, scilicet in die resurrectionis meæ, postquam fuero exaltatus à terra, & hæc omnia quæ dicta sunt faciam super eos qui me non expectant, qui in me non cre- Matth.27. dunt, tu expecta me, tu crede & spera in me, in die resurrectionis meæ in futurum, id est, ex qua die resurgam à mortuis vsq; in diē nouissimum, quia tunc faciam iudicium, & hoc erit iudicium meum, vt congregem gētes, & colligam regna. Tunc enim sedebit filius hominis in sede maiestatis suæ, & veniēt omnes angeli cum eo, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Expecta me in die resurrectionis meæ, illuminatos habens oculos clara & certa fide resurrectionis meæ, quam qui non credit, non est in die, sed in Actor.1. nocte. Expecta me, memor illius dicti angelorum testium meorum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cælum. Cùm dicit, vt congregem gentes, & colligā regna, subauditur, à sinistris. Sequitur enim, Et effundam super eos indignationem meā, Matth.25. & omnem iram furoris mei, videlicet dum dicam eis. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra, id est, ómnes impij qui cælum nó respicien-

respiciētes, cuncta terrena gesserunt opera, tam qui sine lege, quàm qui in lege peccauerunt. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Tu autē à dextris eris, cū hoc auditu, venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, & tu eris tūc illa regina, de qua dicebatur mihi. Astitit regina à dextris tuis. Quia tunc reddam populis labium electum, tunc retribuam populis fructum labiorum nomini meo confitentium, quia videlicet nomini meo confiteri, hoc est, habere labium electum, labium mūdum vitæ æternæ & cantici sempiterni, retributione dignum. In quo reddam illis? In eo vt inuocent omnes nomen domini, & seruiant ei humero vno. Num parua est ista reddition? Aut nunquid parum est, illic inuocare nomen domini, & seruire domino? Imò magnum atque magnificum, & omne exuperans desiderium, illic est inuocationis & seruitij bonū. Hoc Psalmista sciens cùm dixisset, illuc enim ascenderunt tribus, tribus dñi, testimoniū Israel, hoc subiunxit, ad cōfitendum nomini domini. & magnificentius dicere non potuit, & in Apocalypsi vnus de senioribus dicit Ioanni, hi sunt qui venerūt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni, ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius. Igitur non vt ibi dem litera sonat, regnum illud vel ciuitatē Dei viuentis Hierusalem cælestem Christianus vel spiritualis homo existimet, aut existimare debet auro stratam, gemmisque aut margaritis prostratam, quia videlicet non in auro aut lapidib. pretiosis, sed in cōfessione nominis dni, & in seruitio eius est regnū dei.

Rom.2. Psal. 44. Labium electum. Psal.121. Apoc.7.

Seruire humero vno

Seruitur aūt illic seruitio perfecto, ꝙ mira breuitate propheta hic innuit, cùm dicit, humero vno. Quidnam est humero vno, nisi corde indiuiso. Non ita hic in isto exilio, vbi dispositi sumus ad seruiendum eidem domino, Multæ nanque sunt huius mundi varietates, & animus mortalium, quamuis iustorum atque perfectorum, vix vna hora secum totus est. Non ergo aut esse potest hic, quod promittitur illic. Sciendum est autem, & manifestius dicendum, quæ, causa faciat, vt possit illic seruiri humero vno, humero indiuiso. Quænam illa est? Videlicet, quia ciuitatis illius, regni illius, rex & dominus, vnus & solus est, vnus Deus pater & filius & spiritus sanctus est indiuisus & inseparabilis Imperij rex, & hic idem ipse est, idem per manet incommutabilis substantiæ, & inuariabilis animi est, & vna semper trium personarum vnius Dei voluntas est. Hinc indiuisum imperium habet, quia indiuisus & inuariabilis ipse est, iuxta illud ab ipso dictū. Ego sum qui sum. Proinde quod hic dicit, vt inuocent omnes nomen domini, & seruiant ei humero vno, nihil aliud esse arbitror, quàm quod fuerat in psalmo dictum, commutato duntaxat ordine sententiarum. Cuius participatio eius in idipsū. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus dñi testimonium Israel, ad confitēdum nomini domini. Nam inuocare nomen domini, quid aliud est, nisi confiteri nomini domini. Et huic domino humero vno seruire, quid aliud est, nisi participatio eius in idipsum. Sequitur. [Vltra flumino Aethiopiæ inde supplices mei filij dispersorum meorum deferent munus mihi.] Si ita dixisset. Quia tunc reddā populo meo labium electum, vt inuocet nomen domini, putaret vt contenderet Iudæus de se tantummodo esse dictum, vt contendere solet, quasi Iudæorum sit Deus tantùm, & non etiam gentium. Nunc autem cùm dicit, reddam populis, negare non potest, quin & de alijs cura deo sit, quod etiam aliundè iamdudum prouiderit sibi Deus confessores nomi nis sui. & ita est. Nam vltra (inquit) flumina Aethiopiæ. i. in fines orbis terræ, subauditur, exibit sonus prædicationis euāgelicæ, & inde ô filia cui loquor, cui dico expecta me, & cui, ptinus dicturus sum. lauda filia Syon lætare & exulta in omni corde filia Hierusalem, deinde (inquam) de finibus terræ supplices mei, scilicet Apostoli, deferent mihi munus dispersorum meorum, id est, dispersos meos complices, scilicet Apostoli, deferent mihi munus dispersorū meorū, id est, dispersos meos, cōgregabunt in vnum ꝙ mihi vtique erit munus magnum, hoc sciens Euangelista, cùm esset (inquit) Caiphas pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, cō gregaret in vnum. Hoc ô tibi filia pro magna consolatione dictū est, quia si ex te exierunt, qui tui esse debuerunt, filij scelerati, semen nequam, nihilominus multiplicaberis, & in filijs lætaberis, qui profectò venient de lone g, quod magnificè significatur, dicendo, vltra flumina Aethiopiæ, non quod desola debeant Aethiopia venire, cùm per alium prophetam dixerim. Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi, sed quod vniuersitas gentium propter tenebras, in quibus erant, ignorantiæ, & propter persecutionem principum, vel tyrannorum rectè significetur, per impetus fluminum, & per nigredinem Aethiopiæ. Simul & plurimum laudis dat supplicibus suis quod transmeare debeant flumina Aethiopiæ, & deinde sibi dispersorum suorū munus deferre, id est, omnium persequentium tyrannorum sæuitiam exuperare, & ecclesiam sibi de gentibus adducere, secundum typum qui in eo præcesserit, quod regina Saba venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Nunquid autem ô filia semper nigri erunt illi Aethio-

Rom.3. Ioan.11. Esa.1. Esa.49. 3.Reg.10. Exod.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pes ſupplices mei, aut tu ſemper Aethiopiſſa
eris, vt ſit ſemper vnde erubeſcere poſsis?
"Imò audi ꝙ ſequitur. [In die illa non con-
"funderis ſuper cunctis adinuctionibus tuis,
"quibus præuaricata es in me, quia nunc au-
"feram de medio tui magniloquos ſuperbiæ
"tuæ, & non adijcies exaltari amplius in mõte
"ſancto meo.]Magna promiſsio, magna con-
Eſa. 64. ſolatio. Nunc interim antequam veniat dies
Zach. 13. ille, dies reſurrectionis meæ, confunderis, &
non abſque re, cũ dicis & cõfiteris veraci cõ-
feſsione quippiam tale, vt eſt illud Eſa. Sicut
pannus mẽſtruatę omnes iuſtitiæ noſtrę. At
verò in illa die ita nõ erit, præſertim vt fiet,
ꝙ nunc promitto tibi in prophetis & in pſal
mis, quia erit fons patens domui Dauid, &
habitantib. Hieruſalem in ablutionem pec-
catoris & menſtruatæ. Vnde & Dauid bona
Pſal. 50. ſpe exultans in ſpiritu S. Aſperges me (inquit)
Pſal. 38. hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper
niuem dealbabor. Equidem quãuis & alibi
dicat. Accedite ad eum, & illuminamini, &
facies veſtræ non confundentur, tamen in
Rom. 6. præſenti vita, quãuis vtitur mortali cõditio
ne, & nondũ plenus eſt in te dies ille reſurre
ctionis meæ, erubeſcis modo quodã, iuxta il
lud, quẽ ergo fructum habuiſtis tunc, in qui
bus erubeſcitis nunc, ſed iſta cõfuſio gloriã
adducit, & ipſa omninò ſuccedẽte gloria per
tranſibit. Cũ enim venerit plenitudo illius
diei, plenitudo meæ reſurrectionis, cũ reſur
rexerint membra, ſicut caput reſurrexit, nũ-
quid recordatio præteritæ nigredinis quic-
quã afferet confuſionis Imò locupletiſsi-
Pſal. 88. ma erit materia cantationis ipſa miſeriarum
recordatio, iuxta illud. Miſericordias domi
ni in æternum cantabo. Nunquid vel alius
Num. 21. quis improperare poterit tibi, ꝙ tu Aethio-
piſſa fueris, vel mihi, quod Aethopiſſam
vxorẽ duxerim? Iam Mariã operuit candẽs
lepra tanquã nix, & extra caſtra manet ſe-
ptem diebus, ꝙ eo quod murmurauit cõtra
Moyſen, propter vxorẽ eius Aethiopiſſam.
Et vt manifeſtius dicã, iam ſynagogã immũ
ditia ſuæ iniquitatis omni ſeculo notã fecit,
proiectam non ſolùm ſecundum animam
de regno Dei, verumetiam ſecundum cor-
pus de ciuitate & templo quondam Dei, &
Pſal. 58. foris manet, mente & corpore diſperſa ſecũ-
dum illud. Diſperge illos in virtute tua, &
donec pertranſeant ſeptem dies. i. donec ple
nitudo gentium ſubintroeat, non reuocabi-
tur in caſtra hæc, pro eo quod improperat ti
bi vel ſupplicibus tuis, quod Aethiopes fue-
rint & mihi de talib. ego eccleſiam coniun-
xerim. Quanto magis in plenitudine illius
Apoc. 1. diei, in reſurrectione vniuerſali, omne os
Rom. 10. obſtructum erit: Prædico tibi, quia tunc au-
Ioan. 8. feram de medio tui magniloquos ſuperbiæ
tuæ, ſcilicet iſtos qui ſe dicunt Iudæos eſſe,
& non ſunt, ſed ſunt in ſynagoga Sathanæ,
verè magniloqui & ſuperbi, in eo maxi-
mè, quod ſuam quærentes ſtatuere iuſtitiã,
iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, quæ videli-
cet ſuperbia, ſic tua ſupbia dicitur eſſe, quo-
modo illi dicuntur eſſe filij tui vel filij Abra
hæ, & ſe vnum patrẽ Deum dicunt habere.
Hoc facto, nõ adijcies altari amplius in mon
te ſancto meo, ſed ſtabis in magno & æterno
ſanctæ humilitatis firmamẽto, ſciens & per-
fectè cognoſcens, quod nũc ex parte cogno-
ſcis, & veraciter cõfiteris, quia de ſuis operi
bus nullus vnquã potuit vel poterit in con-
ſpectu Dei iuſtificari. Imò oẽs peccauerunt,
& egẽt gloria Dei, & quod tunc probatione
non indigebit, quia res manifeſta erit. Aufe-
rentur magniloqui, & qui relinquentur ibi?
Ait. [Et derelinquam in medio tui popu-
lum pauperem & egenum, & ſperabunt in
nomine domini reliquiæ Iſrael.] Sic magni
loqui veraciter dicuntur & ſunt, qui in ſe-
metipſis tanquam iuſti confidunt, & de ope
ribus legis præſumunt, ita pauperes & ege-
ni rectè dicuntur & ſunt, qui ſe peccatores
eſſe cognoſcunt, & non niſi per fidem Ieſu
Chriſti iuſtificari ſe ſentiunt. Talem popu-
lum ita pauperem, ita egenum, pauperem
ſpiritu, ſcientem ſe egere vel eguiſſe gloria
Dei, quæ eſt iuſtificari gratis per fidem Ie-
ſu Chriſti, derelinquam (ait) in medio tui,
vt venientes ab oriente, & occidente, recum
bant in ſinu Abrahæ, magniloquis illis fi-
lijs regni in tenebras exteriores eiectis. Fiet
tamen quandoque, vt ſperent in nomine
Domini reliquiæ Iſrael, ſcilicet cùm pleni-
tudo gentium ſubintroierit. Quid erit illis
ſperare in nomine dñi, niſi deponere perti-
naciam, qua ſe iuſtificari arbitrantur ex ope
ribus ſuis, & oẽm iuſtificationem credere in
ſolo nomine dñi, in fide Ieſu Chriſti? Sequi-
tur. [Nõ facient iniquitatẽ, nec loquẽtur mẽ-
dacium, & nõ inuenietur in ore eius lingua
doloſa, quonã ipſi paſcẽtur, & accubabũt, &
nõ erit qui exterreat.] Felix ille dies reſurre
ctionis, in cuius plenitudine nec verbo nec
opere quiſquã peccabit. Magna & beata re-
muneratio omni animę vel omni homini ꝙ
nunc & ſi iniquitatẽ fecit, & mendaciũ locu-
tus eſt, iã vlterius iniquitatẽ facere & menda
ciũ loqui nõ vult. Magna (inquã) & beata re
muneratio, quia nunc accipiat ſtabilitatem
hanc, vt iniquitatem facere, vt mendacium
loqui iam non poſsit, quippe vbi iam malã
voluntatẽ habere non poterit beata anima
Deo creatori ſuo ſociata vel coniuncta, in-
ſeparabiliter per ſpiritũ amoris æterni. [Lau-
da filia Syon, iubila Iſrael, lætare & exul-
ta in omni corde filia Hieruſalem.] Subau-
ditur, hanc promiſsionem habens. Lauda
Deum patrem, & iubila Deo filio, lætare &
exulta in Deo ſpiritu ſancto, quæ ſancta tri-
nitas vnus Deus eſt, vnde accepiſti, quod
es filia Syõ, quod es Iſrael, quod es filia Hie-
ruſalem, Filia Syon per fidem, Iſrael per ſpẽ,
filia Hieruſalem per charitatem. [Abſtulit
dominus iudicium tuum, auertit inimicos
tuos rex

1. Cor. 13.
Pſal. 142.
Rom. 3.

Quis eſt pa
pulus pau-
per & ege-
nus.

Rom. 2.
Matth. 8.

Rom. 11.

Magna et
beata remu
neratio.

Trinitatem
hic ſæpe inſi
nuat Ipſe.

"tuos rex Iſrael dominus in medio tui, non
"timebis malum vltra.]Verè pulchra, ſed ad
modum occulta prædicatio ſanctæ & indi-
Apoc. 21. uiduæ trinitatis. Dominus Deus pater iudi-
cium tuũ abſtulit. Rex Iſrael Dei filius ini-
micos tuos auertit, dominus ſpiritus ſanctus
in medio tui eſt, & idcirco non timebis malũ
vltra, quia quem nunc vides per ſpeculum
in ænigmate, tunc videbis facie ad faciem,
& mors vltra non erit, quæ fuit iudicium
tuum ſuper omne genus humanum Adam
peccante prolatum. Neque luctus, neq; cla-
mor, neque dolor erit vltra, quæ prima ab-
ierunt. [In illa die dicetur Hieruſalem. No-
"li timere Syon, nõ diſſoluantur manus tuæ,
"dominus Deus tuus in medio tui fortis, ip-
"ſe ſaluabit. Gaudebit ſuper te in lætitia, ſi-
"lebit in dilectione tua, exultabit ſuper te in
"laude.]Quã lætus trinitatis amator animus
hoc attendit, ꝙ hic ſpiritus S. per os ꝓphetæ
indubitabili veritate loquens, quaſi tinnulã
fidei tripudiat cantilenã, & iucũditatis ſuos
modulos triplicat, vt excitata audientis ani
ma, iam per hæc verba meditando guſtare,
vt ſpeculari incipiat, quod Deus ſuus ſancta
ſit trinitas, quã videlicet trinitatem, quia tũc
mundus nomẽ eius, quod eſt pater, & filius,
& ſpiritus ſanctus, portare non poterat, id-
circo quærendum non eſt hic, cur non ita ꝙ
Matth. vlt. pheta diſtinxit, ſicut ipſe in Euangelio ſuo
dominus deprompſit, dicendo. In nomine
patris, & filij, & ſpiritus S. Ecce quatuor mo
dis opus decantauit, quod circa nos agit, vel
actura eſt indiuiſa vnitas trinitatis. Primò
modo ita ſonat, vox exultationis, & reuera
Quatuor Chriſti ſa-cramenta opera vnius trinitatis. ſonus epulantis. Lauda filia Syon, iubila Iſ-
rael. lætare & exulta in omni corde filia Hie
ruſalem. Secundò autem ſic. Abſtulit domi-
nus iudicium tuum, auertit inimicos tuos
rex Iſrael, dñs in medio tui. Tertiò verò ita.
In die illa dicetur Hieruſalem, noli timere
Syon, nõ diſſoluantur manus tuæ, domin'
deus in medio tui fortis ipſe ſaluabit. Quar
tò autem ſic. Gaudebit ſuper te in lætitia, ſi
lebit in dilectione tua, exultabit ſuper te in
laude. Quã pulchrè quatuor his modis va-
riatur eiuſdẽ vox vnius laudis, trinis ꝓ ſingu
los modos diſtincta clauſulis. Quã pulchrè
(inquam) ſi conſideres, quia quatuor ſunt,
quæ in vno Chriſto pro maximo propter
nos operata eſt vnitas trinitatis, quæ neſcire
non licet vlli animæ, quæ & Syon, & Iſrael,
& Hieruſalẽ ſit digna nuncupari. Quæ ſunt
Incarnatio illa? incarnatio, paſsio, reſurrectio, & aſcen-
ſio. Incarnatio trinitatis opus eſt, quia vt in-
carnaretur filius, pater illum miſit, Ipſe vir-
ginis vterum ingreſſus eſt, ſpiritus ſanctus il
le verum corpus, veram carnem de carne
virginis condidit, & cum anima rationabili
carnem noſtram verum hominem vt indue
Paſsio. Hebr. 9. ret, ipſe effecit. Paſsio, trinitatis opus eſt,
quia calicem illum, quem pater dedit, filius
bibit, & per ſpiritũ ſanctum (ait Apoſtolus)
ſeſe hoſtiam obtulit, vt emundaret conſcien
tiam noſtram ab operibus mortuis. Reſur-
rectio, trinitatis opus eſt, quia pater. Exurge
gloria mea dixit, filius exurgam diluculo &
reſpondit, ſpiritus ſanctus, eadem die ex ore
eius in remiſsionem peccatorum proceſsit
inſufflantis & dicentis: Accipite ſpiritum
ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remit
tuntur eis. Aſcenſio trinitatis opus eſt, quia
dixit pater. Sede à dextris meis, filius aſcen-
dit & ſedit, ſpiritus ſanctus de illo conſeſſu
ſuper diſcipulos veniens, diuiſiones gratia-
rum illis diſtribuit. Itaq; pro eo, quia Deus
homo factus eſt. Lauda Syon, iubila Iſrael,
lætare & exulta in omni corde filia Hieru-
ſalem, quia inde tu filia Syon, ꝙ ſicut Deus
patribus promiſit, ita filium ſuum miſit, in-
de tu Iſrael, quia natura tua cum Dei filio,
Dei verbo, in vnam perſonam aſſumpta, re
uera cum Deo directa eſt ſecundum nomẽ
Iſrael, inde tu filia Hieruſalem, quia per ean
dem diuinæ & humanæ naturæ coniunctio
nem, tu quæ de terra eras, cæleſtibus in pa-
ce ſociata es, & iam quidem per hoc ipſum,
ꝙ propter te paſſus eſt, iudiciũ tuũ, iudiciũ
mortis abſtulit, inimicos tuos auertit, ſcilicet
malignos ſpiritus, & ipſum principẽ mundi,
quem foras miſit, & illo foras miſſo, domi-
nus in medio eſt tui, & malũ illud præuarica
tionis antiquæ, tranſgreſsionis paternæ, non
timebis. Veruntamen eſt adhuc aliquid ꝙ
times, dum in corpore viuis, ſcilicet, mors
carnis & paſsiones corporis. Sed certum ti-
bi eſt & eſſe debet, quia in illa die reſurre-
ctionis vniuerſalis dicetur tibi. Noli timere,
videlicet, quia mors vltra non erit, non diſ-
ſoluantur manus tuæ, quia immutata, & im
paſsibilis facta eris. Porrò gaudium quo gau
debit ſuper te in lætitia, ſilentium quo ſile-
bit in dilectione tua, exultatio qua exulta-
bit ſuper te in laude trinitatis ſancta, oculus
non vidit, auris non audiuit, & in cor homi
nis non aſcendit. Sequitur. [Nugas qui à le
ge receſſerant, congrego, quia ex te erant,
vt nõ vltra habeas ſuper eos opprobrium.]
Nugas dixit, nugaces homines, videlicet,
qui dominum ipſum, de quo hic ſermo eſt,
ſicut Sapientia teſtatur, calumniantur, dicen
tes. Quoniam diſsimilis eſt alijs vita illius,
& immutatæ ſunt viæ illius. Tanquã nuga-
ces eſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs
noſtris, tanquam ab immunditijs. Eiuſmo-
di nugas, inquit) illos nugaces, qui à lege re-
ceſſerant, dicentes aduerſus dominum, &
aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vin-
cula eorum, & proijciamus à nobis iugum
ipſorum. Congregabo, quia ex te erant, id
eſt, in faſciculos ad comburendum alliga-
bo, & manus iudiciũ portabũt, propter hoc
ipſum quia ex te erant, quia legem accepe-
rant, quia ſemen Abrahæ erant, quia Iſrae-
litæ erant, quia miniſtri Chriſti erant, vnde
& opprobrio tibi fuerunt, & propter eos

Reſurrectio
Pſal. 56.
Pſal. 107.
Ioan. 20.
Aſcenſio.
Pſal. 109.
Actor. 2.
Eſa. 61.
1. Cor. 2.
Sap. 2.
Pſal. 2.
Matth. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

blasphematum est nomen meum. Congregabo eos, vt non vltra habeas super eis opprobrium, vt nō vltra in comparatione tui iustificet se Sodoma siue Gomorrha, neque dicat mare, vt Syon erubescat, quod nimirū dicit, quoties manifesta gentilitas tibi propter aliquos, qui in te gentiliter viuunt, insultant. [Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo.] Non eos tantùm, qui ex te erant, & ex te exierūt, imò ex te non erant, sicut quidā tuorum dicit. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nō (inquam) illos tantùm, sed & omnes, qui te afflixerunt, siue in lege, siue sine lege peccantes, interficiam in tempore illo, eos qui in lege peccauerunt, per legem iudicando, & eos qui sine lege peccauerunt, sine lege perditio ni dando. [Et saluabo claudicantem, & eā quæ eiecta erat, congregabo, & ponam eos in laudem & in nomen, in omni terra confusionis eorū in tempore illo, quo adducā vos, & in tempore, quo congregabo vos.] Magna dignatio, quam omnes nouimus, excelsi domini, qui iuxta illud Psalmistæ. Quoniam excelsus dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit, & fecit, & facit. Nā videte (inquit) vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secūdum carnem, non multi potentes, sed quæ stulta sunt mūdi, elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret. Quia aliud hic placet, dum dicit. Et saluabo claudicantem, & eam quæ eiecta erat, congregabo? Nam per claudicantem & eiectam cuncta infirma siue impotentia, cūcta stulta, & ignobilia, & contemptibilia, rectè propheticus sermo designat. Saluabo (inquit) & congregabo huiusmodi? & ponam eos in laudem, & in nomen, & in omni terra confusionis eorum, id est, faciam eos laudabiles atque nominatos illic, vbi erant sine nomine, vt videbātur illaudabiles, videlicet, confundendo per ipsos, & destruendo sapientes, fortes, atque potentes illos, quorum in oculis habebantur ignobiles, & videbantur contemptibiles. Hoc (inquam) faciam in tēpore illo, quo adducam vos, & in tempore quo congregabo vos, id est, non solùm in futuro, verumetiam in præsenti seculo faciam nominatos, & inclytos illos de humilitate vocatos principes vestros, ita vt sicut ad Moysen dixit. Ecce constitui te deum Pharaonis, ita & isti dij terræ dicantur, & sint, iuxta illud Dauidicum. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. [Dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris, dicit dominus.] Omnes populos terræ hic intelligimus electos de omnibus populis terræ, qui dicunt in Apocalypsi, & redemisti nos Deo, omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Quos istos vel quod ob meritum, daturum se promittit, eos in nomen & in laudem, cùm conuerterit captiuitatem ipsorum coram oculis eorum? Nimirum illos, quos iam diximus Principes populorum, quorum labore & industria, cooperante eis Dei gratia, factum est & fit, hoc ipsum quod conuertitur, & conuertetur captiuitas eorum coram oculis eorum, quæ videlicet conuersio captiuitatis nunc inchoata, tunc perfecta erit, quando resurgent mortui, & constituētur à dextris, mox percepturi regnum, quod paratum est eis ab origine mūdi. Magnum conuersæ captiuitatis spectaculum ipsorum quondam captiuorum, & magna præsentis admiratio felicitatis apud ipsos, recolentes, magnitudinem transactæ miseriæ præteritæ captiuitatis. Proindè cùm dixisset, cùm conuertero captiuitatem vestram, magnificè addit, coram oculis vestris. Tunc isti principes, vel patres, siue Apostoli, & quicunque conuertendæ huius captiuitatis adiutores fuerunt, vel sunt, in nomen & in laudem, id est, nominati & laudabiles eisdem erunt, quos audierūt, vt conuerteretur captiuitas eorum, & valdè iusto ordine principes vel patres, imò & saluatores post deum illos se habere gaudebunt. Hæc omnia dicit dominus, subauditur, qui non mentitur, & cuius omnia dicta necessariò implebuntur. Cælum enim (inquit) & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Rom. 2. Ezech. 16. Esa 23.
1. Ioan. 2.
Rom. 2.
Psal. 137.
3. Cor. 1.
Exod. 7.
Esa. 40.
Actor. 3.
Matth. 25.
Ibidem 24

LIBRI SECVNDI IN SOPHONIAM PROPHE. FINIS.

PROLO-

PROLOGVS RVPERTI
IN AGGÆVM PROPHETAM.

AGGAEVS decimus est in ordine. XII. prophetarum. Spiritus sanctus, qui per os prophetarum loquebatur prę sagio signari voluit nomine, vt vocaretur Aggæus, videlicet, secundum negotiū, de quo per os eius erat locuturus. Hoc namque nomen Aggæus interpretatur festiuus, & magnam vtique festiuitatem prospiciebat eius oculus, dum ista loqueretur, quæ nunc habemus in manibus, dum diceret per eum dominus, Populus iste dicit, Nondum venit tēpus domus Domini ædificandæ, & dum iubente domino interrogaret sacerdotes, dicens. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? & si tetigerit pollutus in anima ex omnib. his, nūquid cōaminabitur? Hæc & cętera, huiusmodi dicta siue interrogata, qui intelligit, cur scribi digna fuerint, profectò magnam & dignam sentit causam huius quoq; nominis Aggei, id est, festiui. nec dubitat quin tale vocabulum sortitus ille fuerit nutu Dei, qui quos præsciuit sanctos, & prædestinauit illos & vocauit, iustificauit, & magnificauit. Nunquid enim festiuitas alia non erat in corde prophetali, nisi lætitia, qualem habebat vel habere poterat cum plebe, de illa reædificatione templi manufacti, iterum contaminandi, iterum irrecuperabiliter arsuri? Equidem fuerit eiusdem templi reædificatio, quam præsens videbat, materia magnæ festiuitatis: veruntamen non secundum se, vel propter se, sed propter omnium sanctorum & angelorum, & hominū festiuitatem Christum, quia futurum erat, & reædificato templo, muri quoque ciuitatis postmodum reædificarentur, & rursus ciuitas habitaretur, & reædificata ciuitate rursus coalesceret in terra populus, vndè Christus seruata veritate promissionis, quæ ad Abraham & ad Dauid facta & iuramento firmata fuerat, nasceretur. Igitur omnia, quæ hic loquitur Aggæus, sic adiuuante spiritu sancto suscipimus, vt eum omninò in Christum tendere non dubitemus. Et tunc demùm nos quoque Aggæi, id est, festiui quodammodo dici vel esse poterimus, vide licet cōtemplando id ipsum, quod iste contemplaturus, diuino vtiq; præsagio vocatus est Aggæus.

Aggæus, id est festiuus
Rom. 8.
Lætitia Aggei in Christum tēdit.

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN AGGÆVM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER VNICVS.

IN anno secundo Darij regis, in mense sexto, in die vna mensis factum est verbū Domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel filiū Salathiel ducem Iuda, & Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, dicēs. Hæc ait Dominus exercituum dicens. Populus iste dicit. Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum domini in manu Aggæi prophetæ, dicentis. Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus lequeatis, & domus ista deserta] Primò illud operę pretium est, q̄ sicut Nabuchodonosor in sanctis, pheticis scripturis diabolo assimilatur, vel similis demō straturob ea causā qua populū Dei captiuū de Hierusalem in Babylonem adduxit secū dum similitudinem diaboli, qui genus humanum in primis parentib. de paradyso in hunc modu captiuauit. Ita Zorobabel & Iesus filius Iosedech, & cęteri filij transmigrationis, qui ascendentes de Babylone, templū & ciuitatē Dei reædificauerunt, illos significauerunt patres, siue patriarchas & populū, nec solū significauerunt, verumetiā pars eorum fuerunt, qui de hoc mundo tendentes deū, hoc meruerūt, vt de carne ipsorū nasceretur Christus, templūq; non manufactum. Nam sicut templum illud à filijs captiuitatis ædificatū est, ita Christus de patrib. confitētibus, q̄d peregrini & hospites essent super terrā, natus est. Vndè & corpus suū templū ipse nuncupauit. Soluite (inquiens) templū hoc, & post triduū excitabo illud. Nā hoc dicebat (ait Euangelista) de tēplo corporis sui. Cum igitur hic ita dicit. Factū est verbū dñi in manu Aggei prophetæ ad Zorobabel filium Salathiel ducē Iuda, & Iesum filiū Iosedech sacerdotē magnū, dicens. Hæc ait Dominus

Filij transmigrationis.
Hebr. 11.
Ioan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus exercituum, dicens. Populus iste dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, & hoc dicto nihil amplius addit, nisi rursus præmisso, & factum est verbum domini in manu Aggæi, profectò hoc ipsum populus iste dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Tale oportet intelligi, quale nō potuisset sciri, nisi per verbum domini, quale Aggæus scire non posset, nisi propheta esset, nisi ad eum vel in manu eius verbum domini factum fuisset. Et quod illud est, nisi quod hodieque audimus & videmus? Nam populus iste notabilis, & publica captiuitate notatus & notus, populus Iudaicus dicit, quia Messias nondū venit, tempus ædificandæ domus Dei, nondum venit. Nos autem dicimus, credimus, propter quod & loquimur, quia tempus iāpridum venit, iam dudum templum hoc ædificatum est, & in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & hoc de carne Mariæ virginis ædificatum est. Non (inquiunt) ille fuit Messias nec est, qui de Maria natus est, veniet alius, eum expectamus adhuc. Dum hoc populus iste dicit, nónne sacrilegium facit? Mendacem quippe facit patriarcham & patrem suum dicentem. Nō auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est. Si verùm ille dixit, imò quia verùm dixit, vbi ablatum est sceptrum de Iuda, regnante Herode alienigena, qui patre Idumęo, & matre ortus erat Arabica Iam tunc erat aduentus Messiæ, quod tempus (vt iam dictū est) erat domus domini ædificandæ, de qua & in parabolis dictum est. Sapientia ædificauit sibi domum, scidit columnas septem. Hoc animaduerso constat profectò, quia non vanè, quia non absque propheticæ auctoritatis dignitate præmissus est. Factum est verbum domini in manu Aggęi prophetę. Hęc ait dominus exercituum, dicens. Et tunc demùm breuis iste sermo subiūctus est, Populus iste dicit, Nondum venit tempus domus domini ædificandæ. In paucis quippe verbis, magnum istius populi malum signabatur, quod videlicet viuentem Christum nō susceperus, aliumque foret expectaturus. Vndè & ipse loquitur. Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis. Ecce aliud. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens. Nunquid tempus est vobis, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Et hoc nimirum quod ait. Nunquid vobis tempus est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta, tam magnum est, & ita magnificè in telligi debet, vt dignum sit verbo domini, & ore prophetali, quoniam edictum est prę missa tali enunciatione, & factum est verbū domini in manu Aggæi prophetæ. Et reuera magnum & magnæ est stultitiæ mendacium, quod populus iste, cum dicit nondum venisse tempus ædificandæ domus domini, contendit nihilominus tempus sibi esse, vt habitet in domibus laqueatis, id est, cū Christum neget venisse, nihilominus asserat paradysi, vel regni Dei mansiones iam à patribus possideri, & sibi hæreditatem illā omninò deberi. Veritas enim ita se habet, quod nulli regni cælorum aditus patere potuisset, nisi per aduentum Christi, & quod non sit in alio aliquo salus, aut aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Interroga Iudæum, in quo vel vndè confidat saluari, vel paradysum ingredi, si Christus nondum venit. Et respondet tibi, quod per Abraham, vel per iustitiam suam factus sit aptus regno dei. Ergo (inquit propheta) domus ista deserta, id est, aduentus Christi nulla est gratia, nulla est vtilitas. Vt quid enim Christus promissus fuit, aut venire debuit, si absque aduentu eius homo per iustitiam suam saluari potuit? Igitur vndè apud prophetam arguitur populus iste, dicendo. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, quæ non valent aquam continere. Inde & hic arguitur ænigmaticè, dicendo Populus iste dicit. Nō dum venit tempus domus domini ædificādæ, & nunquid vobis tempus est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Vnum quippe malum est, negare Christum venisse: aliud, domos siue mansiones regni Dei sibi vel patribus suis arrogare, & adhoc, vt in illas mansiones inducerentur sancti, aduentum Christi non necessarium reputare. Sciendum autem, propter istam domum non manufactam, propter incarnationem verbi Dei filij Dei futuram, reædificationem illius manufactæ domus fuisse necessariam. Si enim domus illa & ciuitas reædificata, & gens restituta non fuisset, vndè promissio vel aduentus Christi, vel propositum eius adimpleretur, præsertim cū per alios prophetas dixisset. Quia de Syon exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Vndè & si tunc temporis non intelligebantur, quæ nunc in istis prophetæ verbis intelligimus, attamen nonnihil conferebat ipse carnis sensus, quo eadem verba intelligentes, ad ædificandam domum illam accenderentur. Vndè & in libro Esdrę scriptum est: Et non fiebat opus vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum. Prophetauerunt autem Aggęus propheta, & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa & Hierusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedech, & cœperunt ædificare templum Dei in Hierusalem, & cum eis prophetę Dei adiuuantes eos. Veruntamen quòd populus ille tunc temporis dixerit, nondum venit tempus domus

Iudæi malè negant Christū ad ueniſſe. *Coloſſ. 2.* *Gen. 49.* *Prou. 9.* *Ioan. 5.* *Hebraicè in domibus laqueatis.* *Act. 2.* *Duo mala commisit Iudæi.* *Hier. 2.* *Esaiæ. 2.* *1. Esdræ. 1.*

domus domini ædificandæ, ex eadem scriptura Esdræ non comprobatur, imò omnis, inquit, populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quòd fundatum esset templum domini. Hoc tamen quibusdam eorum displicebat, & fletum incutiebat, quod minus fiebat quam fuerat. Siquidem vt Iosephus quoque meminit, cum fuissent altitudinis cubitorum centum viginti, reædificatum est in altitudine cubitorum sexaginta ex præcepto Darij, quod tandem Herodes in antiquam magnitudinem reformauit. Plurimi, inquit Esdras, de sacerdotibus & leuitis, & principes patrum & seniores, qui viderant templum priusquam fundatum esset, & hoc templū in oculis eorum, flebant voce magna, & multi vociferantes in lætitia eleuabant vocē, nec poterat quisquā agnoscere vocē clamoris lætantiū, & vocem fletus populi. Vndè ergo secundū literam dictum esse constabit. Populus iste dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Igitur quomodocunque tūc res sese habuerit, nos vt cœpimus, sic intelligere curemus, tanquam verbum Domini, tanquam prophetiam tendentem quo omnes prophetæ intendunt in tempora vel sacramenta Christi. Sequitur. [Et nunc hæc dicit Dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras, Seminastis multū, & intulistis parum. Comedistis & non estis satiati. Bibistis & non estis inebriati. Operu istis vos, & non estis calefacti. Et qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.] Et hæc vt litera sonat, nō facilè probantur ex historijs, quia videlicet, quod intermissum est opus, & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij, hoc egerunt hostes Iudæ & Beniamin, quia conduxerūt aduersum eos consiliatores, vt destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum: Si inuito populo Dei opus intermissum est, quomodo illa intermissio in crimine reputatur ei, & vindicatur in eum sterilitate terræ, & defectu potus atque ciborum, & calefactionis, siue vestium? Itaq; sicut iam dictum, quomodocunque tunc res habuerit, spiritualiter, vt cœptum est, intelligere curemus verba Spiritus sancti. O Iudæi qui in vtroque peccatis, & in eo quod dicitis, nondum est tempus domus Domini ædificandæ. quod est dicere, nondū est tempus aduentus Christi, Et in eo, quod habitare præsumitis in domibus laqueatis, domus autem ista deserta, quod est confidere in operibus legis, tanquam Christi gratia vobis ad salutem non sit necessaria. Ponite corda vestra super vias vestras, considerate diligenter operationes siue actiones vestras. Denique hoc pacto vobis contigit, sicut illi, qui seminauit multum, & intulit parum. & sicut illi, qui comedit, & non est saturatus. sicut illi, qui bibit, & non est inebriatus. sicut illi, qui operuit se, & non est calefactus, sic vt illi, qui mercedes congregauit, & misit eas in sacculum pertusum. Seminastis quippe multam salutem. Nam salus ex Iudæis est, sed intulistis parum, quia videlicet quicquid ex patribus habere potuistis, parùm est, imò nihil confert non suscipientibus semen benedictionis Christū. Comedistis, & nō estis satiati, quia videlicet paleam sectantes literę occidentis, non attigistis granum spiritus vnificantis, Bibistis, & nō estis inebriati, quia legentes non intellexistis, nolentes interesse nuptijs dominicę incarnationis, vbi de aqua vinum fit. Operuistis vos, & non estis calefacti, id est, præclaris nominibus patrum, & sacerdotio legis adornati, & exteriori religione vestiti, nihilominus quàm gentes frigidi permansistis nō habentes dilectionem dei in vobis. Et qui ex vobis mercedes congregauit, id est, qui aliqua operatus est secundū præcepta legis, sic perdidit, quomodo qui mercedes misit in sacculum pertusum, quia profectò absq; fide Christi nihil opera prosunt.

[Hæc dicit Dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite, in montem, portate lignum, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit dominus.] Cum iam domus ista, quam dicimus domus vel templum corporis, in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, ædificatum sit, quomodo adhuc dicitur vel dicendum est populo isti ex imperio domini exercituum, ascendite in montem, portate lignum, & ædificate domum? Quomodo, inquam, nisi ac si dicatur, credite venisse Christū credite in crucifixum, credite illū resurrexisse, & ascendisse in cælū. Deniq; illi quidē primi ædificauerunt hanc domū, qui promissiones accepérunt, & ex quibus ipse Christus est secundū carnem, sed nos quoque posteriores, quotiescunque prædicamus, vel recitamus librum generationis eiusdem Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, & in summo eiusdem generationis vertice I E S V M, qui de Maria natus est, testificamur esse Christum, profectò ascendimus in montem, qui iuxta visionem Danielis impleuit orbem terrarum, & inquantum vel ipsi credendo, vel alijs prędicando credentium facimus crescere numerum, in tantum portamus lignum, ædificamus domum, & huiusmodi ædificatio siue domus acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit dominus. [Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domum, & exufflauit illud.] Non facitis ô Iudæi, quod mandaui vobis, vt optaretis iustificari per fidē Iesu Christi, sed respexistis ad amplius, id est, voluistis iustificari ex operibus, quasi opus vestrū sit amplius, quā fides eius, & ecce factū est minus, qd' ex eo satis patet, quia quicquid operū intulistis in domū, exuf-

1. Esdræ 3. *Ioſe. de anti. lib. 15. cap. 11.* *Myſticus ſenſus hic potius attē di debet, q̄ ni literæ.* *1. Esdr. 4.* *Ioan. 4.* *2. Cor. 3.* *Coloſſ. 2.* *Roma. 9.* *Mons Christus.* *Daniel. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

exufflauit illud, & diſperſum eſt, ſicut exuf-
flante aliquo diſpergitur puluis exiguus, &
vos quoque cum operibus veſtris eadẽ ex-
" ufflatione in omnes gentes diſperſi eſtis.
" [Quam ob cauſam dicit dominus exercitu-
" um? Quia domus mea deſerta eſt, & vos
" feſtinatis vnuſquiſq; in domum ſuam, pro-
" pter hoc prohibiti ſunt ſuper vos cæli, ne da
" rent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret
" germen ſuum, & vocaui ſiccitatem ſuper ter
" ram, & ſuper montes, & ſuper triticum, &
" ſuper vinum, & ſuper oleum, & quæcunq;
" profert humus, & ſuper homines, & ſuper
" iumenta, & ſuper omnem laborem manuũ]
Hæc (vt ſupra diximus) ſecundum literam
acciditſſe, difficile ex hiſtorijs comprobatur,
videlicet quòd populus dixerit, nondum ve
nit tempus domus Domini ædificandæ, &
quòd idcirco prohibiti ſint cæli ne darent
rorem, & terra ne daret germen ſuum. Nã
Eſdræ 3. vt Eſdras memorat & diligenter enarrat, cũ
alacritate magna opus faciebant ſimul lau-
dantes Dominum, & concinentes in hym-
nis & confeſsione, quoniam bonus, quoniã
in æternum miſericordia eius ſuper Iſrael,
donec per accuſationem hoſtium Iudæ &
Beniamin actum eſt, vt opus intermitte-
retur, vt iam ſupra meminimus. Non ergo cau
ſa manifeſta eſt, cur ex die, qua opus inter-
miſſum eſt, ſterilitas terræ, vel ſiccitas iuſtè
illis accidere debuerit, niſi quod ſatis credi-
bile eſt, quia prohibiti ædificare domum do
mini, nimis citò prohibentibus acquieue-
runt, & circa ædificationem domus Domi
ni negligentes atq; ſocordes effecti ſunt, gau
dentes, quòd per hanc occaſionem vacaret
cuique ſuam domum ædificare ad habitan-
dum. Cæterum quomodocũq; tunc actum
ſit, nos Aggæum prophetam eſſe ſcimus v-
num de prophetis, per quos vtique locutus
eſt Spiritus ſanctus, & idcirco ſub verbis,
quibus præſentes excitabantur & confortа-
bantur, myſteria futurorũ prophetico mo-
Eſaiæ 1. re illum ſignaſſe non dubitamus. Cœpto i-
gitur modo perſequamur. Quã ob cauſam
Coloſſ. 3 Rom. 10. dicit Dominus exercituum, vobis reſpicien
tibus ad amplius, ecce factum eſt minus, &
cum hoc ipſum inferretis in domum, exuf-
flaui illud. Quam ob cauſam odi & proiecі
feſtiuitates veſtras? Videlicet quia domus
mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſq;
in domum ſuam, id eſt, quia vos non quæri-
tis iuſtificari per Chriſtum, cuius ſolum cor
pus iuſtitiæ domus eſt, & totius diuinitatis
templum, & eius juſtitiæ non ſubiecti, feſti-
Cæli apoſto li, terra ec- cleſia. natis vnuſquiſq; ſtatuere iuſtitiam ſuam.
Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli,
ne darent rorem, prohibiti ſunt Apoſtoli a-
pud vos perdere ſermonem, & terra, ſcilicet
eccleſia per orbem terrarum diffuſa prohi-
bita eſt dare germen ſuum, prohibita eſt vo
bis ingerere Euangelium, non quod debeat
ſalutem veſtram cupere, ſed quod non va-
leat nolentibus vobis ad ſalutem proficere,
& vocaui ſiccitatem. Et ſicut per alium di-
Eſaiæ 5. cit prophetam: Nubibus mandaui, ne ſuper
vos quondam vineam meam pluant imbrẽ.
Sequitur. [Et audiuit Zorobabel filius Sala
" thiel, & Ieſus filius Ioſedech, ſacerdos mag-
" gnus, & omnes reliqui populi, vocem Do-
" mini Dei ſui, & verba Aggæi prophetæ, ſic-
" ut miſit eum Dominus Deus vocem eorũ,
" ad ipſos, & timuit populus à facie Domini.
" Et dixit Aggæus nuntius Domini, de nun-
" tijs Domini, populo dicens. Ego vobiſcum,
" dicit Domins. Et ſuſcitauit Dominus ſpiri-
" tum Zorobabel filijs Salathiel ducis Iuda, &
" ſpiritum Ieſu, filij Ioſedech ſacerdotis ma-
" gni, & ſpiritum reliquorum de omni popu-
" lo, & ingreſsi ſunt, & faciebant opus in do-
" mo Domini exercituum Dei ſui, in die vice
" ſimaquarta & quarta mẽſis, in ſexto menſe,
" in anno ſecundo Darij regis.] Manifeſtis nõ,
" eſt immorandum. Veruntamen hic nõ prę-
tereundum, duos homines Zorobabel & Ie
ſum ſacerdotem magnum, qui templum il-
illud manufactum reædificauerunt quoddã
exemplar extitiſſe omnib. qui templi nõ ma
nufacti, ſcilicet corporis Chriſti fidem ſuſce
perunt, ſuſcipiunt & ſuſcepturi ſunt. Deni-
que alter illorum, videlicet Zorobabel fili
us Salathiel, qui filius Iechoniæ fuit, de tri-
bu erat regali. Ieſus verò filius Ioſedech ſa-
cerdos de ſtirpe ſacerdotali. Nónne & om-
nes, qui ad ſpirituale tendũt vel pertingunt,
templi non manufacti corporis Chriſti, &
ſacerdotis, & regis, ſacerdotes & reges ſunt?
1. Petr. 2. Vos autem (inquit Petrus) genus electum,
regale ſacerdotium. Et in Apocaly. gratiarũ
Apoc. 5. actionis ipſorum vox iſta eſt. Feciſti enim
nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes. Sed
Myſterium numeri ſe- narij. & hoc, quòd in ſexto menſe ingreſsi ſunt, &
faciebant opus, in domo Domini, pro ipſa
Luc. 1. perfectione numeri ſenarij reminiſci nos fa-
cit, quod angelus ad Mariam dixit, vbi ingre
diebatur in vterũ virginis verbum Deus, ſa
pientia Dei, domum de carne eius mox ædi-
ficatura ſibi. Et hic menſis eſt ſextus illi quę
vocatur ſterilis. Fortè & hic menſis ſextus
anni ſecundi Darij, quo ingreſsi ſunt, & fa-
ciebant opus in domo Domini, & illic men-
ſis ſextus à conceptione Ioannis, quo concі-
piente Virgine de Spiritu ſancto, inchoatũ
eſt templum corporis Dominici, lectorem
delectat propter perfectionem (vt iam di-
ctum eſt) numeri ſenarij, qui conſtat ex par
tibus ſuis. Eſt enim dimidium eius ternari-
us, tertia pars binarius, ſexta vnitas, quæ vi-
delicet partes ſimul iunctæ ſenarium perfi-
ciũt eiuſmodi numeros, qui valdè rari ſunt,
arithmetici perfectos dicunt. Ex ipſo igitur
numero cõmoniti, libenter hic quoq; prædi
camus, quia perfectius inter cuncta opera
mundi nihil eſt templo corporis Chriſti, & ædificatum eſt in abſolutione captiuitatis generis humani ſecundũ typũ templi illius manu-

manufacti, quod ædificatum eſt in abſolu-
CAP. II. tione captiuitatis populi Dei, qui de Baby-
" lone redijt. Sequitur. [In ſeptimo menſe, vi-
" ceſima & prima menſis, factum eſt verbum
" Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens:
" Loquere ad Zorobabel filium Salathiel du-
" cem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedech ſacer
" dotem magnũ, & ad reliquos populi dicẽs.
" Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domũ
" iſtam in gloria ſua prima? & quid vos vide-
" tis hanc nunc? Nunquid non ita eſt, quaſi nõ
" ſit in oculis veſtris? & nunc confortare Zo-
" robabel dicit Dominus, & confortare Ieſu
" fili Ioſedech, ſacerdos magne, & confortare
" omnis populus terræ, dicit Dominus exerci
" tuum. Verbum quod pepigi vobiſcum, cũ
" ingrederemini de terra Aegypti, & ſpiritus
" meus erit in medio veſtrum. Nolite timere,
" quia hęc dicit dominus exercituum. Adhuc
" vnum modicum eſt, & ego commouebo cæ
" lum & terram, & mare & aridam, & moue-
" bo omnes gentes, & veniet deſideratus cun-
" ctis gentibus, & implebo domum iſtam glo
" ria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt
" argentum, & meum eſt aurum, dicit Domi-
" nus exercituum. Magna erit gloria domus
" iſtius nouiſsimæ, plus quàm primæ, dicit do
" minus exercituum. & in locõ iſto dabo pa-
" cem, dicit Dominus exercituum.] Totum
hoc capitulum ſimul poſuimus, vt quoniam
per ſe ſatis patet literalis ſenſus, totius ad de-
lectationem latentis in ea myſterij diligens
pertingat animus. Nimirum quando (vt ſu-
pra iam dictum) monuimus, fundatum eſt
1. Eſdræ 3. templum Domini. Plurimi (inquit Eſdras)
etiam de ſacerdotibus & leuitis, & principes
patrum, & ſeniores, qui viderant templum
antequam fundatum eſſet, & hoc in oculis
eorum, flebant voce magna, & multi vociſe
rantes, in lætitia eleuabant vocem ſuam, nec
poterat quiſquam agnoſcere vocem clamo-
ris lætantium, & vocem fletus populi. Cau-
ſa hæc fuit, vt diceret Dominus. Quis in vo
bis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in
gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc
nunc? Nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in
oculis veſtris? Fiebat enim ferè templum di
midio minus quàm fuerat prius. Hoc pro-
ſpiciens ſiue intendens, magna erit gloria do
mus iſtius nouiſsimæ, plus quàm primæ, di-
cit Dominus exercituum, & in loco iſto da-
bo pacem, id eſt, peccatorum remiſsionem,
Vide Ioſe. in antiqui. lib. 15. cap. fin. dicit Dominus exercituum. Equidem He-
rodes templum illud, quoniam erat priore
minus, depoſuit, & in antiquam magnitudi-
nem reformauit, multis & magnis ædificijs
decorauit, ſed hoc nunquam Dominus ex-
ercituum pro gloria reputare ſit dignatus,
quòd homo funeſtus, rex impius operatus
eſt, exæquari vel etiam præferri conten-
dens regi magnæ opinionis, & ſapientiſsi-
mo Salomoni. Gloria illa, gloria vera fuit
loco vel templo illi, quod in eo Deus ho-
mò factus, offerri eſt dignatus ſecundum
conſuetudinem legis dicentis. Quia omne *Exod. 34.*
maſculinum adaperiens vuluam, ſanctũ Do
mino vocabitur, & quoniã in illo lõco, in ci
uitate illa, ante portas vrbis pro omni mun-
do crucifixus, pacem, id eſt, peccatorum re-
miſsionem dedit credẽtibus, & his, qui pro-
pe erant Iudæis, & his, qui longè erant genti
bus. Nunc illud dicere libet, quia quorum
in oculis domus quæ fundabatur, ſic erat
quaſi non eſſet, qui viderant illam in gloria
ſua prima, flebant voce magna, vociferanti-
bus in lætitia iunioribus, qui priorem illam *Lucæ 2.*
non viderant, nonnullam ſimilitudinẽ præ- *Epheſ. 2.*
tulerunt eorum, qui tempore Euangelicæ
prædicationis credentes, ex circunciſione
grandem excitauerũt tumultum, & eos qui
crediderunt ex gentibus, turbauerunt, ſicut
habemus in Actibus apoſtolorum. Domus *Act. 13. 14.*
quippe nouiſsima ſic erat, quaſi non eſſet in
oculis eorum, in comparatione eius, quam
prius viderunt, id eſt, fides Chriſti, & ritus
ſacrificij noui, veri ſacrificij, cuius ipſe Chri
ſtus auctor eſt, ſacerdos in æternum ſecun- *Pſal. 109.*
dum ordinem Melchiſedech, non valere ad *Act. 15.*
ſalutem illis viſus eſt, niſi circunciderentur,
& omnem obſeruarẽt morem, quem tradi
dit Moyſes. Sed quid dicit ſermo propheti-
cus? Et nunc confortare Zorobabel, dicit do
minus, & confortare Ieſu fili Ioſedech ſacer
dos magne, & confortare omnis populus
terrę dicit Dominus exercituum, & facite
quoniam ego vobiſcũ ſum, dicit Dominus
exercituum. Sicut dixit, ita factum eſt, quo-
niam confortatus eſt omnis in quo erat Do
minus exercituũ ſpiritus paracletus. etenim
diſcipuli gaudio & conſolatione ſancti ſpiri
tus replebantur, & in eo, quod quotidie cre-
ſcebat & augebatur credentium numerus,
fiebat quotidie, & fit, & fiet vſq; in finẽ ſecu
li, quod dictũ eſt, magna erit gloria domus
iſtius nouiſsimę, plus quã primę. eiuſdẽ glo-
rię ſummũ erit illud, ꝙ ait: Adhuc vnũ mo-
dicum, & ego cõmouebo cælum & terrã, &
mare & aridã, & mouebo omnes gentes, &
veniet deſideratus cunctis gentib. Magna e-
rit illa motio, glorioſa erit illius deſiderati
viſio. Hinc iple dicit, & erũt ſigna in ſole & *Luc. 21.*
luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium
præ confuſione ſonitus maris & fluctuũ, are
ſcentibus hominibus præ timore & expecta
tione, quæ ſuperueniẽt vniuerſo orbi. Nam
virtutes cęlorũ mouebuntur. Et tunc vide-
bunt filium hominis venientẽ in nubibus cũ
poteſtate magna & maieſtate. Et tũc ſine du
bio plena & perfecta erit gloria domus hu-
ius nouiſsimæ Chriſti & eccleſiæ. Proindè
cum dixiſſet, & veniet deſideratus cunctis
gentib. ita ſubiunxit, & implebo domũ iſtã
gloria, dicit Dominus exercituum. Interim
gloria nondum perfecta eſt, quia gloriamur
(inquit Apoſt.) nondum in re, ſed in ſpe glo *Rom. 5.*
riæ filiorũ Dei. Ibi erit plenus fidei fructus,
quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Ioan.3. 1.Cor. 13. quia spiritualiter egressi sumus de terra Aegypti, credentes in Christum, & Spiritu sancto in baptismate signati, hoc ipse promittens, verbum, inquit, quod pepigi vobiscũ, cum egrederemini de terra Aegypti, & spiritus meus erit in medio vestrum. Videbitis sicut est, videbitis facie ad faciem, euacuato quod ex parte est. Quod toties repetit, dicit Dominus exercituum, nullum legenti vel audienti parere debet fastidium, imò facere attentum, docilem, & beneuolum audi torem, vt sentiat magnam esse quam audit, & dignam promissore Deo remunerationẽ.

''[In vicesima & quarta, noni mensis in anno
''secũdo Darij regis, factũ est verbum Domi-
''ni ad Aggæum prophetam, dicens, Hæc di-
''cit Dominus exercituum, Interroga sacer-
''dotes legem dicens. Si tulerit homo carnem
''sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetige
''rit de summitate eius panem, aut pulmentũ,
''aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum,
''nunquid sanctificabitur? Respondentes au-
''tem sacerdotes, dixerunt: Non. Et dixit Ag
''gæus. Si tetigerit pollutus in anima ex om-
''nibus his, nunquid contaminabitur? Et re-
''sponderunt sacerdotes, & dixerunt. Contaminabitur. Et respondit Aggæus, & dixit.
''Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem
''meam, dicit Dominus, & sic omne opus ma
''nuum eorum, & omnia quæ obtulerunt ei,
''contaminata erunt.]Ecce hic tertiò factum est ad Aggæum verbũ Domini, pulchrũ & delectabile fidei mysterium, sua interrogatione innuit, quod non nisi fidelis & Euangelicæ gratiæ studiosus animaduertere possit. Denique prima responsione, qua interro

Ex lege iustificatio nõ est. ganti Domino, siue prophetę, si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panẽ, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? Respõdent sacerdotes dicentes. Non conuincuntur & iudicantur ex ore suo Iudæi cum sacerdotibus suis, quod ex lege non possunt

Cæremoniæ legis, figura Christi. Iustificari. Quis enim fuit homo, qui sanctificatam carnem absconditam, & colligatam tulit in ora vestimenti sui, nisi Moyses, qui sacrosanctæ carnis & passionis Christi sacramenta sub velamine legis abscondit? Hoc denique est, quod in sancta ecclesia vbique prædicatur, quod in omnibus ecclesijs Apostolus & omnis docet discipulorum Christi chorus, quia quicquid cæremoniarum in immolatione agni paschalis, & in cæteris Moyses tradidit, aut scripsit, typus fuit salutiferæ passionis Christi. Itaque dare legem eiusmodi, sine dubio carnem sanctificatam fuit ferre in ora vestimenti. Et eiusdem legis litera, populum in cibis & potibus instruere, Hoc fuit de summitate vestimenti panẽ aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum tangere. Sed nunquid sanctificabitur quippiam talium tactum de summitate vestimenti, cuius in ora caro sanctificata portatur? Non inquiunt sacerdotes legem scientes, & quod dicunt verum est. Igitur nec vos ô Iudæi, nec patres vestri de lege sanctificati estis, quia quid est lex, nisi vestimentum aut pannus, cuius in ora caro sanctificata, caro Christi portatur, id est, figuratur? Secunda responsione, qua interroganti

Iudæi in anima pollũ. domino, si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his, nunquid contaminabitur? respõdent sacerdotes & dicunt, Contaminabitur, sine dubio conuincuntur & iudicantur ex ore suo Iudæi cum sacerdotibus suis, quod tam immundi sint, vt contaminetur omnis homo, quicunque communicat eorum cæremonijs. Quis enim est pollutus in anima, id est, in morte hominis, nisi Iudaicus popu- *1.Tim.2.*
lus, qui mediatorem Dei & hominum Iesum Christum occidit, & eundem nunc iste blasphemare non desinit? Igitur sic, inquit, populus iste, & sic gens ista ante faciem meam dicit Dominus, subauditur, non est sanctificatus ex lege, quam Moyses dedit. Sicut non sanctificatur panis aut pulmentum tactum de summitate vestimenti, cuius in ora carnem sanctificatam homo tulerit, & sic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerint ibi, videlicet in synagoga, vel cœtu suo, vbi in anima, id est, in morte polluentur Christi, contaminata erunt, sicut iamdudum per Esaiam dixit. Ne afferatis *Esaiæ 1.*
vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, Kalendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea. Sequitur. [Et,, nunc ponite corda vestra à die hac & suprà,, antequam poneretur lapis super lapidem,, in templo Domini, cum accederetis ad acer,, uum viginti modiorum, & fierent decem,, intraretis ad torcular, vt exprimeretis quin,, quaginta lagenas, & fierent viginti. Percussi,, vos vento vrente, & aurugine, & grandine,, omnia opera manuum vestrarum, & non,, fuit in vobis, qui reuerteretur ad me dicit,, dominus.]Et ad hoc, vt litera sonat, ex histo,, riis demonstrare non possumus, quòd propter dilationem, siue intermissionem operis domus Domini sic euenerit, quemadmodum dicit, Percussi vos vento vrente, & aurigine, & grandine, omnia opera manuum vestrarum, & quod tunc temporis ita duri, & in malo pertinaces fuerint, vt inde loquatur tanta conquestione, & non fuit in vobis qui reuerteretur ad me. Ergo potius huc respiciamus, quò nos mittit, dicendo ante hęc, & sic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerint, ibi cõtaminata erunt. Quò enim mittit nos dicendo, ibi, nisi ad hæc tempora, vbi sine dubio pollutus est Iudæus in anima, sicut iam dictum est, in morte Christi Iesu, quem occidendo factus est homicida, & idcirco cuncta quæ offert, sunt contaminata? Ibidem prophetiæ spiritũ ista quoq; non dubitemus dicere, & in hoc dicto perse

uerare vsque hodie. Et nunc, inquit, ponite corda vestra à die hac & supra antequã poneretur lapis super lapidem in templo Domini. Dies antequam ponatur lapis super lapidem in templo Domini, omne tẽpus est, quod nunc præterit, antequam velint Iudæi superædificari, tanquam lapides viui, in domo vel templo, quod est ecclesia Christi, quod futurum est, cum plenitudo gentium subintrauerit, vel superædificata fuerit. Cul

Rom.11. pa incredulitatis eorum, propter quam omnia quæ offerunt contaminata sunt, & erũt quandiu fuerint ibi, scilicet in pollutione, qua in anima eius quem occiderũt sunt polluti, culpa, inquã, incredulitatis eorum pulchrè & subtiliter innuitur his verbis mysti

Aceruus viginti modiorũ Christus est. cis. Cum accederetis ad aceruũ viginti modiorum, & fierent decem. intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas & fierent viginti. Quando enim Iudæi accesserunt ad aceruum, & ad torcular intrauerunt, nisi quando Christum de semetipsis primogenitum, prædicantem audierunt, moriẽdo viderunt? Ipse est enim aceruus modiorum viginti, qui numerus binarius decennus est, quia videlicet non vnius tantum, sed geminæ substantiæ est, non homo tantum, sed Deus & homo est, & ecclesia quoq; eius aceruus est, sicut eidem dicit

Cant.7. ipse in Canticis. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs: sed non dicit, quòd aceruus ille viginti modiorum sit. Iste solus viginti modiorum aceruus est, quia (sicut iam diximus) geminæ substantię est, Deus & homo est. Sed vos Iudæi, cũ intraretis ad aceruum huiusmodi, aceruum modiorum viginti facti sunt decem modij, dimidiumque vobis perijt, quia non Deum & hominem, sed tantum hominem attẽdistis. Item mors

Mors Christi torcular fuit. vel passio eius torcular extitit, vnde & propheta alius prospiciens eum, ait. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Et

Esaiæ 63. Leuit. 25. ipse respondens, Torcular (inquit) calcaui solus, Hoc torcular quinquaginta lagenas, id est, peccatorum remissionem facit. Numerus nanq; iste, scilicet quinquagesimus, remissionem significat secundum legẽ, quę anno quinquagesimo remissiõem sacrauit, vnde annus iubileus, id est, dimittens dicitur. Sed vos ô Iudęi cùm intraretis ad torcular eiusmodi, torcular lagenarũ 50. factę sũt vobis lagenæ viginti, qui numerus longè est à numero quinquagesimo, numero remissionis. Plus quã dimidium vobis defecit. Nã totius quod erat reponendum, tres vobis partes desunt, & tãtummodo duæ susceptæ sunt. Quinq; partes susci debuerunt, quæ

Pro quinq. partib. duas tantũ receperunt Iudæi. ita totum perficiunt sicut quinque decades in quinquaginta surgunt, & sacratum faciũt iubileum. Quænam sunt duæ partes quas susceperunt? Videbat natũ ex Maria, passumque vel mortuum, quamuis peruerso cor-

de non ignoratis. Quæ sunt tres partes, quas omisistis? Nimirum resurrexisse, in cælum ascendisse, atque ad iudicandum viuos & mortuos venturum esse, non creditis. Non igitur ignoretis, aut scire vos dissimuletis cur Dominus dixerit, quòd omne opus manuum vestrarum, & omnia quę offertis cõtaminata sint, sicut secundum legem contaminatur omne quod pollutus in anima tãgit. Nam ista causa est, quòd vos accessistis ad aceruum viginti modiorum, & decem feciſtis, id est, Christum & Deum hominem præsentem habuistis, & hominem videtes, Deum ex operibus cognoscere noluistis, quodque intrastis ad torcular, & de quinquaginta lagenis viginti feciſtis, tribus partibus de toto relictis, tantumque duabus susceptis, id est, verum hominem, & verè mortuum experti, victorem esse mortis, ascensorem esse cæli, iudicem esse venturum seculi, non accipitis. Quod deinde subiungit, percussi vos vento vrente, & aurugine & grandine, omnia opera manuum vestrarum, & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me, hoc est, quod nunc vsque videmus, quia miserabile passi excidium, cum cecidunt in ore gladij, ciuitate & templo flagratis, & qui superfuerunt captiui ducti in omnes gentes, veracem ipsum esse sciunt, qui prædixit, fere nullus est, qui ad eum reuerti velit, dura ceruice, & corde indomabili. Sequitur. [Ponite corda vestra ex die ista,,, & in futurum, à die vicesima & quarta noni,,, mensis, à die qua fundamenta iacta sunt tẽ-,,, pli Domini ponite super cor vestrũ.] Quã-,,, uis dixerit, & verum dixerit, & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me, tamen quia futurum est, vt reliquiæ conuertantur ex eis, videlicet cum plenitudo gentium subin- *Rom.11.*
troierit, adhuc hortatur & dicit. Ponite corda vestra, &c. Porrò in eo quod ita dicit, ex die ista, & in futurum à die vicesima & quarta noni mensis, à die qua fundamenta iacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum, nullum diem libẽtius intellexerim, quàm diem natiuitatis eius, de quo agitur, Domini nostri Iesu Christi, templi vtique Domini, templi non manufacti. Nam de vi- *Nonus mensis.*
cesima & quarta noni mensis scilicet Decẽ- *Exod.12.*
bris, ille enim Romanis quidem à Martio decimus est, sed Iudæis nonus ab Aprili, qui secundum legem primus illis in mensibus anni est, die (inquam) vicesima & quarta noni mensis, id est, Decembris, Christus de virgine natus est, scilicet octauo Calendas Ianuarij. Media nocte natus est, & illa nox erat præteritæ diei, quia non ita vt nunc à resurrectione eiusdẽ Domini, nox tunc præcedebat diem, sed dies noctem. Igitur diem quam hic dicit diem natiuitatis illius libentissimè intellexerim, quæ videlicet dies apud Romanos quidem per omnes annos vicesima quarta est mẽsis Decembris, apud

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsos autem Iudæos, quia secundum lunam computant menses, non per omnes annos, sed tertiodecimo duntaxat anno lunaris cycli, itidem vicesimaquarta est eiusdem mensis. Ex die ista (inquit) & in futurum, quo Christo nascente fundamenta vtique iacta sunt templi corporis eius sacrosancti, & inde per succedentes dies & annos ædificatum est, proficiendo sapientia, ætate, & gratia apud DEVM & homines. Ponite corda vestra, considerate quæ & quanta facta sint magnalia, quanta vobis non credentibus mala, quanta credentibus prouenerint bona. Quæ sint illa bona, si quasi "nescientes quæretis, iam dicam. [Nunquid "iam semen in germine est, & adhuc vinea, "& ficus, & malo granatum, & lignum oli- "uæ non floruit? Ex die ista benedicam.] Interrogando vehementius affirmat illud, vnde nemo dubitat, quia videlicet mense nono, mense Decembri, qui (vt iam dictum est) ab Aprili nonus est Hebræis, semen in germine non est, nec enim hoc temporis natura fert, nec vinea, nec ficus, nec malogranatum, nec lignum oliuæ floresci. Sic nimirum, quando natus est CHRISTVS, ferè nusquam erat semen in germine iustitiæ, aut flos sanctitatis, ita vt in vinea vel ficu, & malogranato, & ligno oliuæ, per quæ intelligimus iustos homines, posset parere. Quomodo illo tempore anni, quo & Christus natus est, intrinsecus latet, quicquid viroris est in germine, vinea, ficu, & malogranato, seu ligno oliuæ, frigore cuncta constringente, ita quicquid in paucis hominibus erat iustitiæ, supprimebatur, Herode impio regnante, propter quem vel maximè non erat tutum, vel iam sciretur quòd de Spiritu sancto impregnata fuisset virginitas Mariæ, quippe cum nec loqui quisquam auderet manifestè de Messia, id est, CHRISTO, quòd tempus aduentus eius existeret, eò quòd regnante alienigena sceptrum de Iuda & dux de fœmoribus eius ablatus esset. Igitur prophetali intuitu in illius diei vel temporis consideratione positus. Nunquid (ait), iam semen in germine est, aut lignum floruit? subauditur: non, statimque subiunxit, Ex die ista benedicam. Ponite corda vestra, iterum dico, ponite cor vestrum, & videte quia ita est. Nam ex illa die me benedicēte, semen in germine apparuit, vinea, ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ floruit, id est, omnis iustitiæ fructus & decus crescere & proficere cœpit. Primò in paruis innocentibus, quos funestus Herodes occidit, quomodo pietas germinauit? quomodo lignum oliuæ floruit? Per totum orbem quidā paradisus spiritualis, liliis castigatis & rosis cœpit vernare martyrij, tantumq; fructum exuberauit vsq; nunc, & exuberabit vsq; in finem seculi, vt benè decuerit dicere

Luca 2.

Matth. 2.

Gen. 29.

Osea 21.

Dñm Deū ad gloriam suā, ex die ista benedicā. Sequitur. [Et factum est verbū Domini secundo ad Aggæum in vicesima & quarta noni mensis, dicens. Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cælum pariter & terram, & subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & subuertam quadrigam & ascensorem eius, & descendent equi & ascensores eorum, vir in gladio fratris sui.] Zorobabel dux filiorum Iuda, qui templum reædificauit nomine & opere, & in ipso principatu suo similitudinem gessit Domini nostri IESV CHRISTI, sicut & multi iustorum vel prophetarum, quemadmodum ipse dicit. Et in manu prophetarum meorum assimilatus sum. Nomine, quia Zorobabel interpretatur natus in Babylone. Et quis in Babylone tam insignitèr est natus, quàm ille, qui cum in forma DEI esset, semetipsum exinaniuit, veniens in hunc mundum qui verè est Babylon in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, ob huiusmodi causam vt solueret captiuitatem nostrā, vt sicut Psalmista cecinerat. Ascendens in altum captiuam duceret captiuitatem. Opere, quia manus eius fundauerunt domum illam manufactam, & manus eius perfecerunt eam. Et quis alius, nisi ipse Iesus Christus fundauit templum non manufactum corporis sui, & nunc vsque Ecclesiam, quæ est corpus eius, plenitudo eius de viuis & electis lapidibus perfecit? Principatu suo, quia princeps & dux fuit filiorum Iuda? Et quid est Iuda, quod interpretatur confessio, nisi vniuersitas confitentium Domino. Et quis nesciat principē confessionis nostrę esse Iesum? Cum igitur audimus factū esse verbum Domini ad Aggæum, vt loqueretur ad Zorobabel, videlicet pulchrè intelligimus, quia totius salutis nostræ festiuitas & omnis prophetiæ veritas à Christo nascēte de Maria virgine celebranda atq; implēda, suscepta & in ipsum directa est. Quid autem sibi volunt quatuor dicta hęc quę promisso, Ego mouebo cælum & terram, ita cōtinuat, Et conuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & subuertam quadrigam & ascensorem eius, descendent equi & ascensores corū? Idē. n. videtur toties repetisse, & hoc est, subuertam solium regnorum, quod est & conterā fortitudinē regni gētium, &c. similiter. Sed reuocemus ad memoriā illā Danielis visionē, in qua quatuor bestię grādes ascendebāt de mari. Prima quasi leæna. Secunda similis vrso. Tertia quasi pardus. Quarta terribilis atq; mirabilis, & fortis nimis, dētes ferreos habēs magnos, comedēs atq; cōminuens, & reliqua pedib. cōculcās, & deinde antiquus dierum thronis positis sedit, & venit cum nubibus cæli quasi filius hominis, atque peruenit vsq; ad antiquum dierum, & dedit ei potestatem, & honorē, & regnum, interfecta bestia, aliarum quoq; bestiarum potestate ablata. Quod enim apud illum, videlicet Danielem, talibus est imaginibus præsignatum, hoc ipsum in isto est verbis repromissum. Iste Zorobabel propter nos (vt iā dictum est) in Babylone natus, ad quē quatuor ista dicuntur, ille filius hominis est, qui bus quatuor bestijs interfectis, siue sublatis, potestas, honor, & regnum soli datur, quod non corrumpetur. Deniq;, quia quatuor regna fuerunt, quę ex istorum prophetarum tempore contra Deum sese extulerunt, & per quæ nisus est diabolus destruere locum & gentem, vnde salutem mundi Christum nasci oportebat, secundum quod iurauit Deus Abraham, idcirco quatuor hic dicta sunt, & subuertam solium regnorum, scilicet solium Babyloniorum, & cōteram fortitudinem regni gentium, videlicet, Persarum & Mœdorum. & subuertam quadrigam & ascensorem eius, nimirum regnum Græcorum, & eum qui in illo regno cōtra Deum eius magnificatus est impium Antiochū, qui Epiphanes, siue illustris dictus est. Et rectè illud regnum quadrigam nominauit, quia post mortem Alexandri Magni, in quatuor regna diuisum est, sicut significatum fuerat Danieli, quia hircus caprarum factus est magnus nimis, cumq; creuisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt cornua quatuor subter illud per quatuor ventos cæli. Et descendent equi & ascensores eorū, scilicet Romanum imperium, cuius equi multi, & equorum ascensores plurimi fuerunt. Quò descendent? Nimirum illuc vbi Daniel vult intelligi dicendo. & vidi, quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni, & de hoc regno maximè notandum, quia cum dixisset, & descendent, & ascensores eorum, addidit, vir in gladio fratris sui, quia quod ferè nulli incognitum est, Romanum imperiū ciuilibus, imò plus quàm ciuilibus bellis semetipsum persæpè lacerauit. Et iam quidē particulatim & paulatim subuersa & contrita sunt, & subuertē tur, & descendent regna hæc. tunc autem, quando faciet quod præmisit Dominus, dicens. Ego mouebo cęlum pariter & terram, de quo videlicet motu omnes scripturæ loquuntur, quo & virtutes cælorum mouebuntur, tunc omnia simul subuertentur, & descēdent, videlicet in infernum, quia pro- "pter hoc (inquit Esaias) dilatauit infernus a- "nimam suam, & descendent sublimes eius, "gloriosique eius ad eum. Sequitur. [In die "illo dicit Dominus exercituum, assumam te "Zorobabel filij Salathiel serue meus dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.] Quomodo assumam te in illo die? Videlicet, ostēdam quòd assumpserim te, & quòd regnum tuum sit legitimum, rapina verò fuerit omne solium regnorum, omne regnum gentium, quia regnauerunt non ex me. principes extiterūt, & ego antiquus dierum non cognoui, & iniuria facta est mihi in republica mea, quia non respexerunt ad caniciem, siue antiquitatē meam, & ius meū quantum in ipsis fuit, infringere fuerunt ausi. Nemo quippe in regno meo, in mundo quod totum est & esse debet iuris mei, quia mundum ego feci, nullus, nisi ex me, regnare debuit. Quicquid homines egerunt noui & hesterni, ego antiquus dierum faciā quod est meū, ordinabo regnum meum, statuam ex me regem meum, assumendo te ō Zorobabel serue meus, qui vnde Zorobabel, inde serue meus es, quia formam serui accipiens, in Babylone. i. in mundo, natus es, filio Salathiel. i. filius petitionis Dei, filius quem longo & magno desiderio sanctorum vel iustorum vniuersitas à me Deo suo, vt te mitterem petiuit. Te assumam dando tibi potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, ac linguæ seruient tibi et potestas tua, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum tuum quod non corrumpetur. Assumam te (inquit) et ponā te quasi signaculum, quod videlicet signaculum pater signauit, ait ipse de semetipso, et sanctificauit. Apostolus quoq; ipse est (inquit) imago Dei inuisibilis, et figura substantiæ eius. Dicendo quasi signaculum, non minuit veritatem signaculi, sicut in psalmo dicendo, facti sumus sicut consolati, non diminuitur veritas consolationis. Nos quoque vulgari sermone sic dicere solemus, fecisti quasi fidelis, sicut amicus, et ita dicendo, verè fidelem, vere amicum pręclarè pronunciamus. Itaq; sicut signaculum. i. verè signaculum, quo sicut annulo, siue imagine regis cæra subiecta, ita signatur et similitudine decoratur credens et fidelis anima. Vbi ponam te? Nimirum in conspectu meo, ad dexteram meam, in gloria mea, in omnipotentia mea, vt habeas omnem potestatem in cælo et in terra, quia te elegi ō forma serui, vnam esse personam cum forma Dei. In tam breui vero ciculo tertiò repetitum esse, dicit Dominus exercituum, non debet nobis videri tædiosum, aut superfluum, sed delectabile, et operosum, quia reuera forma serui, Hoc dulcissimæ promissionis eloquium, Dominus pater dixit, Dominus verbum dicit, Dominus Spiritus sanctus dicit, et hoc opus totius est trinitatis, quod illa forma sedet à dextris Dei, talis, vt sponsa eius gratuletur, et dicat. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex milibus.

Luca 21.

Esaiæ 5.

1. Mach. 1. Danie. 8.

Danie. 7.

Daniel. 7.

Ephe. 1. 1. Pet. 2. Hebr. 3.

Omnia regnagentiū rapina sūt.

Christus dicitur Zorobabel, & filius Salathiel.

Philip. 2.

Ioan. 6. Coloss. 1. Hebr. 1.

Psal. 125.

Cant. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLOGVS RVPERTI
IN ZACHARIAM PROPHETAM.



LOngè ſpectatum, ô diligens anima, Zachariam nunc ingrederis, qui vndecimus eſt in ordine duodecim pphetarũ. Quis niſi verus & ſanctus, qui habet clauem Dauid, aperiet intelligentiæ oſtium, dabitque ſermonem rectum, & benè ſonantem in os tuum. Quid eſt quod mente retractas, aſiſtens iam, & pulſans ad huius prophetæ, imò propemodum pulcherrimi Euangeliſtæ oſtium. Vidi per noctem, ait, Et ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, atque hoc dicens, reminiſci me facit, quod neſcio qualiter ſapiẽs quis accepturus ſit, quia vidi per noctem, & ecce immenſitas lucis, & patria liminis dulcè rubentis, & rubicundo ſereno lucentis, vltra quàm dici poſſit, & in ea cantus ſuauis, cantus multitudinis iugiter canentis, & abſq; interruptione conſonam laudem perſonantis. Illuc appropinquanti acceſſerunt exinde obuiam quidam puſioli, & applaudentes lætabũdi. Iſte (inquiunt) ille eſt, qui de Domino noſtro ſic & ſic loquitur, Hæc & talia dicit. Interim illius patriæ quædam ſuauitas ineffabilis inundabat ſecretiora ventris, & dicebat ſpiritus animæ intelligenti, quòd illi concentui deberet cõſociari. Nonne hæc infantilia ſunt? Sed tu Domine Deus noſter, cuius admirabile eſt nomen in vniuerſa terra. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Igitur quicunq; hæc audit, ſiue infantem, ſiue virum accipere velit, tendenda chorda ingenij, percutienda eſt cithara pectoris, tuam Chriſte fidem ſpirantis, ac rogandus eſt ſpiritus tuæ charitatis, quatenus ipſe componat promptæ modulamina laudis, qui iãdudum hoc inſpirauit, vt de prophetarũ theſauris nihil aliud ſperẽ, nihil aliud cupiã cõſequi, quàm teſtimonia tua, teſtimonia fidelia euangelij tui, qđ euangelizatũ eſt nobis, quia iſtæ ſunt ſcripturæ quæ teſtimoniũ perhibẽt de te, ſicut dixiſti Iudæis, ſcrutamini ſcripturas, quia in ipſis vos putatis vitam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Ecce in introitu aſiſtens huius ſcripturæ, illud quod verũ eſt, decanto, & ſedula mente rumino, quia teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, Iuſtitiæ Domini rectę lętificantes corda, prȩceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Visio huius Ruperti.

Ioan. 5.
Psalm. 11.

Psalm. 8.

Fiat mihi ſecundum illud quod dixiſti tu Deus noſter & Dominus, dilata os tuum, & implebo illud.

FINIS PROLOGI.

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN ZACHARIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.



IN menſe octauo, in anno ſecundo Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo prophetam, dicens. Iratus eſt dominus ſuper patres veſtros iracundia.] Aggæus iſte & Zacharias contemporales fuerunt ſimulq; ſub Dario, ſecundo regni eius anno prophetarunt, adiuuantes Iudæos & conſortantes ſicut in Eſdra ſcriptum eſt. Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel & Ioſue filius Ioſedech, & cœperunt ædificare templum Dei in Hieruſalem, & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos. Duobus menſibus Aggæus prior quàm Zacharias prophetare cœpit. Siquidem ad iſtum in menſe octauo, ad illum autem in menſe ſexto eiuſdem anni, qui erat ſecundus Darij regis, factum eſt verbum Domini. Idcirco ſicut prophetæ tempore, ita & ſcripturæ iſtum ille prȩcedit ordine. Porrò Darius, cuius anno ſecundo prophetauerũt, filius Hydaſpis quarto loco poſt Cyrum Mœdis & Perſis imperauit. Denique Cyro filius Cambyſes, & Cambyſę duo fratres Magi ſucceſſerunt, eiſque interfectis, Darius iſte rex conſtitutus eſt. A primo anno Cyri regis, qui templum Domino reędificari iuſſit in Hieruſalem, & quinquaginta fermè millia captiuorum remiſit in Iudæam, XL. computantur anni, in quibus altare tantùm extructum fuerat, & iacta templi fundamẽta, vicinis nationibus eos ex prȩcepto Cambyſę regis, ne templũ vel ciuitatem ędificarent prohibentibus. Secundum magnitudinem gratię vel meriti, quo

2. Eſdræ 3.

Darius quartus à Cyro rex.

quo dignus extitit in libro vitæ conſcribi.

Zacharias in nomine Chriſti typum geſſit.

Nomen quoque apud homines iſte ſortitus eſt, vt vocaretur Zacharias, quod interpretatur memoria Domini, & filius Barachię, i. filius benedictionis Dñi, & filius Addo, id eſt, filius teſtimonij Domini. Magnæ gratię filius prædicatur nominibus iſtis, & ipſa gratia cognoſcenda eſt, ex ipſo quod ad eum factum eſt verbum Domini, cuius in ingreſſu nunc aſſumus, quod ſic incipit. Iratus eſt Dominꝰ ſuper patres veſtros iracundia. [Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum. Conuertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.] Sicut in fine Aggæi, ita & in huius initio trina refulget repetitio nominis Domini. Nunquid caſu vel ſine intuitu rationis putamus ita dictum, Hæc dicit Dominus exercituum. Couertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos dicit Dominus exercituum? Non vtique caſu, nõ ſine rationis intuitu, ſed quia propheta erat, & prophetabat oculo in illud tempus acceptabile, in illum diem ſalutis totus tendebat, quod dicendum erat. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, & vt abluerentur peccata illa per ſanguiné Chriſti, propter quę Dominus iracũdia ſuper patres iratꝰ veſtros fuerat. Quos nanq; ſuper patres, & quali fuerat iratus iracũdia? Nimis anguſtam facimus nobis ſanctam ſcripturam, ſi nullam intelligimus aliam iracundiam, quàm captiuitatem vnius generationis, quæ ſuo tempore ducta eſt in illam Babyloniam, quandam mundi huius particulam, nulloſq; patres alios, niſi Iudæos, qui in Babylone defuncti ſunt patres Iudæorum, qui inde reuerſi ſunt. Sed profecto non val de magna erat iracundia, pertranſiſſe de gẽte in gentem & de regno ad populum alterum. Non (inquam) valde magna illi, qui maiorem conſiderat, cuius iſta quædam ſimilitudo, tenuiſq; fuit vmbra, per quam velut imaginem, pueris hominum ſenſus, magnam iracundiam, veramq; captiuitatem, in quã decidit per Adam & de qua liberatus eſt per Chriſtum, paulatim introductus, agno icat igitur iratus eſt (inquit) Dominus ſuper patres veſtros iracundia, ſubauditur, quam iracundiam portaſtis & vos, ſicut & alius propheta confitens loquitur, Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, nos autem iniquitatem eorum portauimus. Non poteſt illa iracundia ſedari, non poteſt ille paries inimicitiarum ſolui, niſi per fidem Ieſu Chriſti, niſi ſignari properetis in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. Dices ergo (inquit) ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum pater, ait Dominus exercituum filius, dicit Dominus exercituum Spiritus ſanctus. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, id eſt, credite in me, & iracundia remota in reconciliationem ſuſcipiam vos. [Ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes. Hæc dicit Dominus exercituum. Conuertimini de vijs malis, & cogitationibus veſtris peſſimis, & nõ audierunt neque attenderunt ad me, dicit Dominus.] Hoc ſimile eſt illi, quod Spiritus ſanctus dicit in Dauid. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tẽtauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea, &c. Quod hic dicit. Ne ſitis ſicut patres veſtri, hoc eſt in illo, nolite obdurare corda veſtra ſicut in illa exacerbatione vbi tentauerunt me patres veſtri. Et quod hic dicit. Et non audierunt neq; attenderunt ad me, hoc eſt in illo. Ipſi vero non cognouerunt vias meas. Igitur ad quem diem nos ducit Apoſtolus in verbis illis, Hodie ſi vocem eius audieritis, ad ipſum reſpicere pulchrũ eſt, in iſto dicente. Ne ſitis ſicut patres veſtri. Quoniam ergo (inquit idem Apoſtolus) ſupereſt, quoſdam intrare in illam requiem, & hi, quibus prioribus annunciatum eſt, non introiuerunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quendam in Dauid, dicendo poſt tantum temporis. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Nam ſi Ieſus eis requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſt hac die. Et reuera hodie, hoc tempore ſalutis gratiæ, qui mundo illuxit, à Chriſti paſſione & reſurrectione dicitur non ſolis Iudæis. ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabant prophetæ priores, & non audierunt, neq; attenderunt, ne obduretis corda veſtra, ſicut patres veſtri qui me tentauerunt, & in deſerto proſtrati ſunt; nec in illã requiem introierunt, ſed & nobis cunctis hominibus, quacunque ſint ex gente vel natione, dicitur, Ne ſitis ſicut patres veſtri Adam & Eua, qui in illam requiem, id eſt, in paradiſum introierant, & eadem requie ſeſe indignos fecerunt. Veruntamen & hoc ſciendum, quia quicunque murmuratores, aut rebelles in profeſsione Chriſtianitatis ſunt, quacunque ex gente vel natione ſint, patres eorum recte dicuntur illi, qui tranſito mari rubro, quamuis Aegyptum reliquiſſe viderentur, in illam repromiſſionis terram non introierunt, ſed in deſerto proſtrati ſunt, & illi qui deinceps miſſos ad ſe prophetas non audierunt, cuncti murmuratores vniuerſi rebelles illorum filij ſunt, videlicet per imitationem, & proinde non minus Græcus, quàm Iudæus, ſi dictum intelligat, ne ſitis ſicut patres veſtri, &c. Sequitur. [Patres veſtri & prophetæ vbi ſunt? Nunquid in ſempiternum viuent? Veruntamen verba mea & legitima mea, quæ man-

Qualis fuit illa iracundia Domini.

Ne ſitis ſicut patres veſtri.

Thren. 5.
Ephe. 2.

Num. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

daui seruis meis prophetis, nunquid non comprehenderunt patres vestros?] Ac si dicat, Saltem vexatio tunc intellectum det auditui, quoniã cum in pace habitaretis, prophetis quos mittebam, credere noluistis, potius vestris attendentes pseudoprophetis. Vbi nunc illi patres vestri & prophetæ sunt? Illos namque prophetas mendaces insultabunda requirit veritas, de qualib. Hieremias, Nolite (inquit) audire verba prophetarum dicentium vobis. Non seruietis regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquuntur vobis, quia non misi eos (ait Dominus) & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter. Nunquid (ait) eiusmodi prophetæ vestri in sempiternum viuent? Imò illi citius mortui sunt, exempli gratia, vt ille Ananias, qui contra Hieremiam imò contra Dominum falsò prophetauerat, Non misit te Dominus (ait Hieremias) & tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hoc anno morieris, dicit Dominus, aduersus enim Dominum locutus es. Et mortuus est in anno illo mense septimo. Nunquid ergo in sempiternũ viuẽt? Nequaquã, sed verba mea, & legitima mea quę mãdaui seruis meis ꝓphetis, illa viuũt, & illa patres vestros comprehẽderunt. [Et cõuersi sunt, & dixerunt. Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis secũdum vias nostras, & secundum adinuẽtiones nostras fecit nobis.] Non bona conuersio nec suauis videtur dictio, imò murmurosa diuinæ sæueritatis reprehensio, in eo quod dicunt, sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis, ita fecit. Quanto melius atq; suauiùs Daniel & socij eius. Domine Deus magne & terribilis, peccauimus, iniquè fecimus, omnia quæ induxisti super nos, & vniuersa quæ fecisti nobis, vero iudicio fecisti, tibi iustitia, nobis autem confusio faciei, & cæter. his similia. Recta conuersio & amabilis dictio talium, vbi semetipsos sic accusant, vt iustificent DEVM. Non ita patres vestri (inquit) sed conuersi sunt, & dixerunt. Sicut cogitauit Dominus exercituũ facere nobis secundum vias nostras, & secundum adinuentiones nostras fecit nobis. Ita dicendo semetipsos non iustificant, quia non possunt, iustitiam autem Dei non prædicant, quia nolunt. Videas vsque hodie Iudæos nimirum patrum eiusmodi, patrum malorum filios pessimos, ita permanere peruersos, vt si quæras, cur captiui sunt? nihil aliud dicãt, nisi istud. Sicut cogitauit Dominus, sicut placuit Domino, secundum vias nostras fecit nobis, & nunquam causam cõfiteri vel nosse velint, propter quam Dominus ita cogitauerit, vel cogitare facere debuerit. Dicunt quidem, Secundum vias nostras fecit nobis, sed dicere nolunt, quænam illę viæ fuerint. Perseuerat nihilominus sermo diuinus sermo propheticus. Ne sitis (inquiens) sicut patres vestri, & illi factis reclamant, imò erimus sicut patres nostri, vnde fit, vt inexcusabiles sint. [In die vicesima & quarta vndecimi mensis Sabath, in anno secundo Darij, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachię, filij Addo prophetam, dicens. Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & post eum equi rufi, varij & albi, & dixi, Qui sunt isti Domine mi? Et dixit ad me angelus Domini, qui loquebatur in me. Ego ostendam tibi quid sint hæc. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit. Isti sunt, quos misit Dominus vt perambulent terram. Et responderunt angelo Domini qui stabat inter myrteta, & dixerunt. Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quiescit.] Visio pergrandis & admirabilis, vnius Dei, scilicet vicesimęquartę vndecimi mensis in anno secundo Darij, cuius mense octauo primum fuerat factum ad hunc Zachariam verbum Domini, visio (inquam) pergrandis, & valdè clarior est, quàm vt pati queãt nostri cæcutientes oculi claritate nimia reuerberati. Incipit à viro ascendente super equum rufum, & stantem inter myrteta, quæ erant in profundo, & terminatur illic vbi coronatur Iesus filius Iosedech sacerdos magnus, coronis Heliræ, & Tobiæ, et Hidaiæ, et Hen filij Sophoniæ. Qua voce, qualib. verbis pulchritudinẽ atq; maiestatẽ eloquar tãtę visionis? Adsit autor ipse et ordinator visionum propheticarũ spiritus Domini, quia prophetica quædam historia, quędam historia prophetica est expectationis et aduentus tui Christe fili Dei, passionis et glorioſę resurrectionis siue clarificationis tuæ Christe fili hominis, et secundi aduentus tui, quo in nouissimo Dei gloria et honore coronatus, et coronarum tuarum nullus est terminus, regni tui nullus erit finis. Talem tamque amabilem tuæ laudis historiam, se vtcunque contemplari gaudet animus fidelis, optat eloqui lingua tuo deuota nomini. Vidi (inquit) per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo. Pręmiserat ita. Factum est verbum domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo prophetam, dicens, et antequam ipsa domini dicta, quæ sibi erant optabilia, subiungit, Zelatus sum Hierusalem, et Sion zelo magno, etc. Sic et Lucas in Actibus apostolorum cum prædicaret, Stans Petrus in medio fratrum, dixit, breuiorem licet quàm hic digressionem fecit, subiungens. Erat autem turba hominũ similiter ferè centum viginti. Itaque per anticipationem intelligendum quod præmisit, factum est ad me verbum domini, dicens,

Esaiæ 28.
Hier. 27.
Ibid. 28.
Non recta conuersio Iudæorum. Danie. 9.
Visio pergrandis.
Act. 1.

plus

plus enim narrabit ordinem gestæ rei, demumq; ipsa ordietur gratiosa dicta Domini, Vidi (inquit) per noctem. Rectè per noctem, vt ipsum tempus visionis tristitiæ & mœrori congrueret, in qua ipsa erat, videlicet propter diuturnam gentis & loci desolationem. Ob eandem causam & Daniel in nocte vidit. Et aspiciebam (inquit) in visu noctis Longa nox & frigida, nec minus erat obscura. Erat enim vicesimaquarta vndecimi mensis Sabath, qui apud nos Februarius dicitur. Vicesimaquarta die, luna prope est in defectu. Igitur & prolixitas noctis, & asperitas frigoris, & defectu luminis, seu lunæ subluſtris, tristitiæ congruebant, in qua nimirum propheta consolatione indigebat supernæ visitationis & allocutionis, quæ huiusmodi fuit. Ecce vir qui ascendens super equum rufum. Ad quid ascendens super equum rufum, nisi vt faceret, quod postmodum dicit. Reuertar ad Hierusalem in misericordijs? Vir enim ille ipse est Dominus, & propterea super equum ascendere videbatur, quia tempus erat, vt ad illam ciuitatem suam reuerteretur, quia tempus venerat miserendi eius. Quid erat ille equus, nisi humana natura ipsius? Nõdum quidem erat homo factus, sed hoc vt fieret, parabatur, & quod in re futurum erat, præsenti visione significabatur. Ob hoc pulchrè super equum ascendere videbatur, ad Hierusalem in misericordijs reuersurus, quia videlicet Hierusalem illam reædificari causa ista exigebat, vt esset, vnde iuxta promissiones, quæ ad patres factæ sunt, ipse homo factus nasceretur. Equum autem vidit, vel dixit rufum propter ipsius sanguinem rubicundum. Eundem equum Ioannes in Apocalypsi vidit album. Vidi (inquit) cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax, & exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum. Vnus idemque equus, & ille propter suam innocẽtiam visus est albus, & hic propter passionis suæ sanguinem rufus. Quid aliud intendit ecclesia, dum dicit in Canticis, Dilectus meus candidus & rubicundus? Et ipse stabit inter myrteta, quæ erant in profundo. Myrtus temperatiuæ naturę est, & hanc arborem medicorum libri aptam asserunt curandis infirmitatibus, & maximè mulierum necessitatibus plurimis. Dicitur autem myrtus à mari, eò quòd maris littoribus soleat innasci. Vnde est illud Vergilij, Littora myrtetis lætissima. Et amantes littora myrtæ, Quid ergo significat myrteta, nisi sanctas & verè salubres legis & prophetarum atque psalmorum scripturas? Et iste vir de quo loquimur, nónne iam tunc stabat inter huiusmodi myrteta? Etenim scrutamini (inquit) scripturas, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Planè ab omnibus sanctis scripturis testimonium habere, hoc est inter myrteta stare. Et myrteta (inquit) erant in profundo. Nam reuera sanctarum scripturarum magnum est profundum. Vnde Psalmista. Abyssus (inquit) abyssum inuocat, id est, vnius scripturæ profunditatem vt penetrare valeas, alterius scripturæ ad mota profunditas plurimum iuuat. Illic stabat vir, & illic potest inueniri, atque inde cognosci, si quæritur, non autem inuenitur ab eo, qui quærere non vult, veluti stans aliquis inter myrteta, nec ita in propatulo est, vt citò videatur à negligenter prætereuntibus, nec ita latet, vt non possit inueniri à diligẽter quærentibus. Ex quo Móyses in typum eius agnum in Aegypto immolauit, & postes domorum, eius sangui ne signauit, imò & ex quo pater Abraham vnigenitum filium Isaac sacrificaturus super aram imposuit, & ex eo ac deinceps rufus cœpit videri equus, super quem vir iste ascendit. Etenim quocunque te verteris inter myrteta huiusmodi, ingerit se oculis tuis sacramentum passionis huius viri præfiguratum, tam factis quàm dictis patriarcharum & prophetarum mysticis. Et post eum (inquit) equi rufi, varij & albi. Post eum (inquam) & non ante eum, nam ipse ante omnes, & primogenitus in multis fratribus. & omnes sancti fratres eius, equi vtique Domini alij martyrio rufi, alij candore virginitatis albi, alij diuersorum charismatum donatione varij sequuntur eum, sic vt supra ex Apocalypsi dictum est, & exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum. Omnes equi huiusmodi sessorem vnum habent Deum, & idcirco concordem faciunt exercitum. Et dixi. Qui sunt Domine mi? Cui dixerit, vel quem interrogauerit, vtrum virum ipsum, qui stabat inter myrteta, angelum suum, id est, sibi deputatum, qui loquebatur in eo, non facilè dinoscitur, sed hoc palam est, qui vtrunq; respõdet. Nam primò subiungitur, & dixit ad me angelus Domini, qui loquebatur in me, ego ostendam tibi quid sint hæc, ac deinde, & respondet vir qui stabat inter myrteta, & dixit. Isti sunt quos misit Dominus, vt perambularẽt terram. Nisi esset propheta is cui sic responsum est, non esset responsio, siue demonstratio sufficiens, isti sunt quos misit Dominus, vt perambularent terram. Sed quia propheta erat, Iamq; spiritualem habebat intelligentiam, intelligere potuit, vnde & vltra non quæsiuit. Quærimus autem nos quomodo miserit dominus illos quos diximus equos suos, vt perambularent terram, & quid intendentes respondeant, & dicant ei, perambulauimus terrã, & ecce omnis terra habitabitur & quiescit. Vt inueniamus primùm, adiungendũ est, quod sequitur. [Et respondit angelus domini, & dixit, Domine exercituum, vsquequo non misereberis Hierusalẽ & vrbium Iuda, quib. ira-tus es?

Danie. 17.
Vir super equũ, filius Dei in humana natura.
Apoc. 19.
Cant. 5.
Ioan. 5.
Psalm. 41.
Exod. 12. Gen. 22.
Apoca. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu es: Iste iam septuagesimus annus est.] Igitur equi Domini, scilicet homines sancti, quales fuerunt Abraham, Isaac, & Iacob, & cæteri magnam deprompserunt querelam, dicendo perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitabitur, & quiescit. Ac si dicerent. Tu Domine misisti, vt perambularemus terram, & iussu tuo facti sumus instabiles, fuimusque peregrini & hospites super terram, & hoc confitentes, significabamus nos patriam inquirere, atque expectare fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor tu es Deus. Siquidem illius meminissemus, habebamus vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetiuimus, id est, cælestem. Porrò, illius cælestis præparatio nobis esse debuit ista Hierusalem terrestris, quia videlicet non est nobis inuenire ciuitatem cælestem, quam appetiuim⁹, nisi hinc promissio impleatur, hatque quod scriptum est, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus. Perambulauimus terram, pertransiuimus de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, aliqui sponte iussu tuo de terra sua egressi, aliqui captiui non sponte abducti, & ecce omnis terra habitatur & quiescit, Hierusalem autem & terra Iuda non habitatur, neque quiescit, terra cuius habitatio, cuius quies sola est necessaria nostræ spei, nostræ expectationi, nostræ saluti, vt faciat, quod promissum est nobis, vt iustificeris Deus in termonibus tuis, vt nascaris ó Christe de semine Abrahæ, de semine Dauid, vt de Sion exeat lex, & verbum Domini de Hierusalem. Ad ista verè magnam, & valdè oportunam talium equorum Domini querelam respondens seque adiungens angelus Domini dicit. Domine exercituum vsquequo tu non miserebaris Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. Hic angelus Domini respõdens, rectè intelligitur non ipse vir, qui stabat inter myrteta, cui & loquebantur, dicentes, Perambulauimus terram. Ipse quidem ante angelus Domini dictus est, ita & respõderunt angelo qui stabat inter myrteta, sed non ipse est qui dixit, Domine exercituum, vsquequo tu non miserebaris, & c. Sequi-

«tur enim. [Et respondit Dominus angelo
«qui loquebatur in me, verba bona, verba cõ
«solatoria.] Qui loquebatur in propheta so-
lummodo angelus est, qui autem stabat inter myrteta vir siue angelus, ipse est dominus exercituum. Sed dicet aliquis. Si vir ille, angelus ille qui stabat in myrteta (vt iam dictum est) Dominus ipse exercituum est, quomodo dicit vel dicere conuenit illi, isti sunt quos misit Dominus? Hoc profectò superfluè quæritur, cum Domini vel Dei nõ tantum persona sit, & vna de duabus, & alia de aliqua loquatur, vt illic. & nunc Dominus misit me, & spiritus eius. & alibi, Dominus mecum est tanquam bellator fortis. Sequitur. [Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me. Clama, dicens. Hæc dicit, Dominus exercituum. Zelatus sum Hierusalem & Sion zelo magno, & ira magna, ego iracor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi verò addiderunt, in malum. Propterea hæc dicit Dominus, Reuertar ad Hierusalem in misericordijs, domus mea ædificabitur in ea ait Dominus, exercituum, & perpendiculum extendetur, super Hierusalem.] Angelus qui loquebatur in propheta, iã hic facit quod paulo ante promisit. Dicenti namque quid sunt isti Domine mi? Ita respondit. Ego ostendam tibi quid sint hæc. Clama (inquit) dicens. Hæc dicit Dominus exercituum. Zelatus sum Hierusalem, &c. Ac si dicat. Quæris de viro stante inter myrteta, cur ascendat super equum, ecce dico tibi, quia magnum est signum Domini exercituum, valdè irati super gentes, quæ Iudam & Hierusalem afflixerunt. Super equum ascendit, & contra eas vadit. Quam ob causam? Videlicet quia ego (inquit) tanquam pater, siue tanquam vir coniugem amans, zelatus sum Hierusalem, & Sion zelo magno, zelo bono, visitando in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, quæ videlicet virga nunc fuit potestas Babyloniorum, quæ verbera sunt captiuitas, & templi vel ciuitatis incendium. At verò gentes, quibus tradidi filios in hoc ipsum, addiderunt siue ad uuerunt in malum. Quid addiderunt? Illud nimirũ efficere voluerunt, quòd si fuisset effectum, iam non virgã siue verbera tantũ, sed plus quã virgam, plus quã verbera subirent quippiã, scilicet mortis additamẽtum. Hoc enim agere, & ad hoc illos impellere voluerunt, vt me derelinquerent Deum suum, & nolentibus consentire, dira supplicia mortesque diuersas intulerunt. Propterea hæc dicit Dominus. Reuertar ad Hierusalem in misericordijs, hoc quod nunc vidisti virum ascendentem super equum rufum, & post eum equos rufos, varios & albos, & dixisti, qui sunt isti DOMINE mi, equi rufi, varij & albi, exercitus Domini sunt, & hic ipse dicitur, & est DOMINVS exercituum, quia tot equi, & multo plures quàm vidisti, vadunt post eum, vt tu videns, non timeas gentes opulentas, & rectè dicas, vt quidam alius ad puerum suum dixit: noli timere, quia plures nobiscum sunt quàm cum illis. Quod eo dicente & orante, aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in conspectu Helisæi. Ecce tu quoque vidisti equos Domini, & ipsum ascendentem super equum suum rufum, cum his verbis, reuertar ad Hierusalẽ in misericordijs, domus mea ædificabitur in ea, & perpendiculum extẽdetur super Hierusalem.

Patriarchæ perambulauerunt terram.

Hebr. 11.

Psalm. 86.
Psal. 104.

Gen. 12.

Esaiæ 2.

Esaiæ 48.
Hie. 20.

Zelus Domini ad Hierusalem.
Psalm. 88.

4. Reg. 4.

rusalem. Istud clama & contestare filijs trãsmigrationis, vt confortentur scientes Dominum ad ipsos reuerti in misericordijs, &

«dicito quia ascendentem vidi. [Adhuc cla-
«ma dicens, hæc dicit Dominus exercituum,
«Adhuc affluent ciuitates meæ bonis, & con-
«solabitur Dominus adhuc Sion, & eliget
«adhuc Hierusalem.] Non, inquit, hoc tantum clames, quòd domus mea ędificabitur, & perpendiculum super Hierusalem extendetur, sed sicut interpellatus est ipse Dominus à me dicente, Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus prius iratus es, ita respõsum accipe meum, & de Hierusalem & de cæteris vrbibus Iuda, quia adhuc, inquit affluent ciuitates meæ bonis, subauditur temporalibus, & propterea consolatione sempiterna consolabitur Dominus adhuc Sion, & electione perfecta eliget adhuc Hierusalem, ita videlicet, vt sicut apud aliũ prophetam dicit, Vocetur ciuitas iusti, mater ciuitatũ, vrbs fidelis, & fiat quod apud eundem locutus est dicens, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.

«[Et leuaui oculos meos & vidi, & ecce qua-
«tuor cornua, & dixi ad angelum, qui loque-
«batur in me. Quid sunt hæc? Et dixit ad me.
«Hæc sunt cornua quæ ventilauerũt Iudam
«& Hierusalem, & ostendit mihi Dominus
«quatuor fabros, & dixi, Quid isti veniunt
«facere? Qui ait, dicens. Hæc sunt cornua
«quæ ventilauerunt Iudam per singulos vi-
«ros, & nemo eorum leuauit caput suum, &
«venerunt isti deterrere ea, vt dejciant cor-
«nua gentium, quæ leuauerunt cornu super
«terram Iuda, vt dispergerent eam.] Ecce secundum quandam similitudinem exercituum ad bella ediuerso procedentium, hinc apparuit Dominus exercituum, ascendens super equum rufum, & equi rufi, varij & albi post eum, atque inde quatuor cornua, scilicet exercitus siue reges exercituum, id est, gentium quæ disperserunt (ait) Iudam & Israel, & Hierusalem. Nam quatuor gentes quę in regibus vtique superbię cornibus diuinum nomẽ impugnauerunt, & Dei populum obtriuerunt, Babylonios, Mœdos atque Persas, Macedones ac Romanos esse & nunc angelus interrogatus à propheta exponit, & Daniel plenissimè replicat, qui in visione statuę, quę habebat aureum caput & pectus argenteum, & sub vmbilico ęreũ, & crura ac pedes ferreos ac fictiles, has quatuor gentes interpretatus est. Et rursum in alia visione quatuor bestias, leęnam & vrsum, & pardum, & quartam terribilem bestiam, cui nomen non posuit, ealdem gentes sub alia figura monstrauit, Mœdos, & Persas vnum esse regnum post victoriam Cyri, non ambigit qui & seculares, & sacras literas legit. Quid Babylonij, quid Mœdi atque Persę, quid Greci, id est, Macedones fecerint, quomodo Iudam, & Israel, & Hierusalem, quasi cornibus ventilauerunt, quomodo cornu Romani imperij non solum Hierusalem illam, quę iam non erat Hierusalem, sed spiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi Dominus noster crucifixus est, verum & Christi ecclesiam, verum Iudam, verum Israel, veramque Hierusalem eliserit atque dissipauerit missis per orbem terrarum, siue vbique gentium crudelibus edictis legibusque publicis, quis nescit, quis nõ audiuit? Et eiusmodi cornua simul quidem prophetica visione demonstrata sunt verũ Dei populum non pariter oppresserunt, sed sibi inuicem successerunt Babylonis, Mœdi & Persę. Persarum regno regnum Macedonum, regno Macedonum imperium Rõmanorum. Similiter de fabris sciendũ, qđ simul quidẽ prophetę ostẽsi sunt, venientes ad deterrenda cornua regnorũ illorum, sed non vno eodemque tempore detriuerunt, neque omnes omnia, sed singuli singula certis temporibus deterrentes confregerunt, & inuicem contrarij fuerunt, et alter alteri restiterunt. Quinam sunt vel fuerunt quatuor isti fabri? Nimirum non absurde intelligitur, quod fuerint principes, id est, angeli illi, qui singulis pręerant regnis, sicut apud Danielem declaratur his verbis. Ego (inquit) angelus veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi, viginti et vno diebus. Et infra. Nũquid, ait, scis quare venerim ad te? Et nunc reuertar, vt prelier aduersus principẽ Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Grecorum veniens. Sicut principem Persarum, et principem legimus Grecorũ, ita principem quemlibet Babyloniorum, et principem aliquem fuisse non dubitamus Romanorum, scilicet angelos, qui singulis regnis prefuerunt, malos vtique angelos, malos principes, maligni, in quo mundus positus erat, sicut manifestè testantur acta principatus eorum, acta crudelia, gesta sanguinea, quorum narrationibus horrisonis libri tam seculares, quàm diuini pleni sunt. Vnus Dei populus bonum angelum bonũ habebat principem, scilicet Michaelem, vt ibidem angelus qui Danieli loquebatur. verumtamen, inquit, annunciabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis, et nemo est adiutor meus in omnib. his, nisi Michael princeps vester. Primus istorum quos prophetę Dominus ostendit, primus fabrorum eiusmodi scilicet angelus qui pręerat Babylonijs detriuit cornua gentium, quę ventilauerunt, Iudam et Israel, et Hierusalem, in eo videlicet quòd permittente vel disponente iusto iudice Deo, caput regni Assyriorum Niniuen subuerterunt, multasque gentes per circuitum, non valente aliquo resistere principi Babyloniorũ. Non quidem ille, neque alij fabri, id est, princi-

pes mali,

Esaiæ 1.

Ibid. 3.

Quatuor Præcipua regna contra Dominum.
Danie. 2.

Ibid. 2.

Apoc. 11.

Populo dei bonus præerat angelus.

Danie. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pes mali, quorum secundus princeps Persarum Babylonici regni cornu contriuit, tertius princeps regni Grætorum, qui Persas cornu suo mutilauit, quartus princeps Romanorum, qui cornu Græcorum citissimè confregit. non, inquam, illi propterea sic & sic egerunt? Non propterea irati sunt, quia regna illa populum Dei vexauerunt, sed cũ semper auidi sint sanguinis humani, & videre hominum cædes eorum luxuria sit, permisso Dei libenter vsi sunt, quod videlicet permissum, cum sit, iustum & bonum, ipsi semper illo iniustè ac malè vtuntur, sicut econtra Deus malis eorum semper benè vtitur. Vnde notandum, quòd cum dixisset propheta, quid isti fabri veniunt facere, repetiuit angelus quod iam dixerat. Hęc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam, & adiecit, quod non dixerat, per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum, & tunc demum de fabris ait, & venerunt isti deterere ea, vt deijciant cornua gentium, quę leuauerunt cornu super terram Iuda, vt disperderent eã, & est sensus. Cornua quæ ventilauerut Iudam, id est reges vel regna, quę captiuauerunt vel obtriuerunt Iudææ, singula suis temporibus nimis grandia nimisque fortia fuerunt, ita vt dum ventilarent Iudam per singulos viros, nemo eorum leuaret, aut leuare deberet caput suum, verũ dum alterum contra alterum consurgit, & alteram fortitudinem, quasi manu fabrili & ferreo malleo contundit atque confringit, siue deterit, datur inde occasio leuandi caput suum, & resistendi iam detritis cornib. gentium. Verbi gratia, Cornu magnum de quatuor cornibus vnum fuit regnum Græcorum, sed diuisum est contra semetipsum, quia de regno vno regna quatuor facta sũt, quando Alexandro mortuo, obtinuerunt pueri eius regnum vnusquisq; in loco suo. Attende nunc, Si regnum illud integrum permansisset & vnum, nunquid contra illud Iudas Machabæus leuasset caput suum? Equidem potuisset hoc fieri per Dei auxilium, sed placuit Deo tali ordine fieri hoc ipsum, scilicet vt regnum diuisum infirmius existeret, & præterea faber ille magnus Romani imperij principatus, eidem superueniret, suoq; illud malleo tũderet ac detereret. Recensitæ historiæ hoc testantur, quòd Epiphanes ille Antiochus, contra quem rectè & iustè caput suum leuauit Iudas Machabæus, iamdudum crescentis & inualescentis eiusdem Romani imperij virib. terebatur, & legati Romanorum iussu Israel Aegypto inquam, regno suo voluerat adiungere, vnde fuerat inhoneste reuersus. Laudabilis in istis quoq; prouidentia Dei, quia sicut quãdo primum Israel ex Aegypto ascendit rubrum mare, vt transiret, diuisit illi in diuisiones, ita extunc regna gentium, quorum in medio peregrinatur omnis qui ad Deum

Leuare caput.

1. Mach. 1. Vide Ioseph. de antiq. lib. 12. ca. 6.

tendit, verus Israel contra semetipsa diuisit, ita vt illorum dissensio sanctis & electis occasio salutis existeret. [Et leuaui oculos, meos & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum, & dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me, Vt metiar Hierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta lõgitudo eius. Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre, & loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius, & ego ero ei (ait Dominus) murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius] Magnum gaudium angelorum, magnum in his verbis istis pro re quæ accidit cælestibus spiritibus & terrenis hominibus, lætitiæ tripudium. Nam quia pręualuit Dominus exercituum, & detritis cornibus regnorum gentium, propositum Dei ad effectum peruenit vt ædificaretur Hierusalẽ, & in ea templum nomini Domini. Gaudẽt angeli, & homines volũt esse participes gaudij sui. Verè magna gaudendi ratio, sed attendas non solum templum illud manufactum quod Zorobabel fundauit & perfecit, nec solùm ciuitatem illam, cuius muros Neemias construxit, detrito duntaxat vno cornu regni Babylonici per fabrum regni Persici, sed templum non manufactum & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestẽ, quæ detritis cunctis quatuor cornibus illis, nunc vsque ædificatur vt ciuitas (vt ait Psal mista) cuius participatio eius in idipsum, cuius templum iamdudum ædificatum est, imò & Iudaica impietate solutũ fuit, & post triduum excitatus est. Templum aliud ciuitas non habet, nam templum (ait Ioannes) non vidi in ea, Dominus omnipotens templum illius est & agnus. Illuc sine dubio tẽdit hęc prophetica visio, & inde gaudent angeli, quòd tale cum hominibus tẽplum semper sint habituri, talem cum hominibus ciuitatem semper sint habituri. Quare autem maximè tunc temporis visio pro hac re demonstrari debuit angelicæ congratulationis, nisi quia ciuitas illa terrena & templum illud manufactum, quæ tunc reędificari incipiebant, quædam erant instrumenta siue initia cælestis illius ciuitatis. Nam (vt ante iam dictum est) de loco & ciuitate vel gente illa, iuxta promissiones Dei Christum nasci oportebat, & inde iam tunc gaudium, quia reædificato templo & ciuitate illa, sanctorum spes non peribat, & promissio permanebat. Vnde quomodo nunc gaudere gestiunt. Ecce, inquit, vir & in manu eius funiculus mensorum, & funiculus ille alacriter quid ageretur, significabat, & vt amplius inquireretur, vidẽtem excitabat. Nec ille moratus, quo, inquit, tu vadis? vt metiar (ait) Hierusalem, & videam quanta sit latitudo

CAP. II.

2. Esdræ 6. Templũ nõ manufactum.

Psalm. 121.

Apoc. 21.

Congratulatio angelorum.

tudo eius, & quanta longitudo illius. Breui ter asseruit, quòd ædificatio non in incerto esset, aut deberet differri. Nunquid autem vir ille cuius est funiculus in manu habere, nondũ sciebat quantæ longitudinis Hierusalem, & quantæ deberet latitudinis esse? Si de ciuitate illa terrena siue manufacta quæritur, non magnum erat illi viro scire vel videre, sed nec vllus prophetarum dignum duxit scripto, ad nostram notitiam transmittere, quanta fuerit latitudo vel longitudo eius. Porrò de ciuitate cælesti, cuius illa ciuitas quoddam exemplar fuit, haud dubium est quin longitudinis & latitudinis mensor ille sit vir cuius in manu funiculus est, qui omnis diuisionis gratiarum cum patre & æqualem Spiritu sancto potestatem habet, & huiusmodi dimensiones ita videt, vt videre faciat, nec quenquam lateat quanta debeat esse longitudo illius, quæ est fides, scilicet vsq; ad mortem, & quanta latitudo, quæ est dilectio, scilicet vsq; ad mortem. Nam esto, inquit, fidelis vsq; ad mortem. Et maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. & tanta quidem longitudo, tanta latitudo, tam in isto seculo habenda, vbi pro fide mori quis potest, pro dilectione animam suam ponere potest. Sed in illo seculo quo cum peruenerit, neque mors, neque luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra. quid erit longitudo & quid latitudo, nisi longitudinis & latitudinis huiusce remuneratio? Hoc illi viro videre, perfectionem erat ostendere atq; promittere. Ad hoc dictum illius viri, ecce, inquit, angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, fortè dimensiones illas in spectaturus. Docendus autem erat propheta, ne humano sensu acciperet id quod de latitudine & longitudine audierat. Alius ergo, inquit, angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum. Curre & loquere ad puerum istum, dicens, Absq; muro habitabitur Hierusalẽ. Qua causa, putas, prophetam hic angelus puerum appellat, nisi quia (sicut iam dictum est) docendus erat? Est enim quædã sensus pueritia, quæ in isto quidem nondũ reprehensibilis erat, quia nondum audiendo vel videndo talia, multum tempus habebat. Reprehenduntur autem in his, qui propter tempus esse deberent, & non sunt perfecti siue magistri, qualibus Apost. Quoniam, inquit, imbecilles facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus eorum, qui pro consuetudine exercitatos habẽt sensus. Hæc Apostoli sententia præsenti quoq; exemplo clarior fit. Videbat hic oculis eleuatis virum, cuius in manu funiculus mensorum, & audierat eum dicentem, vt metiar Hierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo illius. Si nondum aliud quid intelligebat in visu illo, nisi terrenæ illius ciuitatis dimensiones, profectò puer erat, puerilem sensum habebat, & interim vilio quam videbat, quia de terreno tantum ædificio gaudebat non solidus ille cibus, sed quædam erat lactis alimonia. Rectè igitur puer dictus est, sed citò in virum proficere habebat præsenti magisterio cælestium spirituum dicentium, Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, & ego ero ei (ait Dominus) murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. Est enim sensus, Hierusalem quæ per nos ædificatur, quam per semetipsum vir iste metitur, muro manufacto non circundatur, sed tota spiritualis est ædificatio eius. Dominus ipse murus eius, murus ignis in circuitu, per quod ciuitas illa quàm firma sit, satis innuitur. Cum enim scriptum sit, Sicut fluit cæra à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Quis ibi hostem timebit? quis de inimico solicitus erit? Ergo quod in Psalmo de hac ipsa Hierusalem dictum est. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, magnificè præsens locus illustrat ei, qui sẽsum excelsit pueri. Quod deinde vbi dixerat, ego Dominus murus ignis in circuitu, subiunxit, & in gloria ero in medio eius. Itidem longè supra sensum pueri est, quia videlicet non sicut homo localis & terrenus in medio hominum locaIium terrenorum, sed sicut Deus creator spirituum in medio erit angelorũ & hominum in templis cordium, in domibus quæ ipsa corpora sanctorum & animarum præcordia sunt, quod quale est vel erit, oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit. Pueri quidam qui nunquam proficiunt, pueri centũ annorũ, istud quod hic dictũ est, absq; muro habitabitur Hierusalẽ præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, putant carnaliter esse venturũ, videlicet quòd Hierusalẽ tantam beatitudinẽ habitura sit, vt præ multitudine hominũ & iumentorum omniũ, murum habere non possit, sed Domini defensio murus sit ipsius, & illius in medio habitãtis gloria perfruatur. Ad puerum huiusmodi, puerũ centum annorũ, qui moritur est maledictũ, populus. n. Iudaicus est, non curit neq; mittitur angelus vt ad eum loquatur, nec enim audire aut secundũ sensum senum intelligere vult. Nos aũt cum isto puero, qui audiendo & intelligendo proficit in viru, sic intelligim⁹ quod dictũ est præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, absq; muro habitabitur, vt nũc manifestè oculis apertis videmus. Quis. n. regũ aut imperatorum tã magnum siue tam amplum potuisset facere murũ, qui concluderet orbẽ terrarum? Nisi autẽ concluderet orbem ter-

Apoc. 2.

Ioan. 15.

Apoc. 21.

Cur propheta hic puer dicitur.

Hebr. 5.

Dominus murus eius.

Psalm. 67.

Psal. 124.

Esaiæ 64. Iudæi pueri centũ annorũ sunt.

Esaiæ 65.

Rom. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bem terrarum, non posset ambire Hierusalem istam, scilicet ecclesiam, quia videlicet in toto diffusa est orbe terrarum in ea dicitur homines, qui spiritualia sapiunt, iumenta verò qui simpliciter sapiunt, iuuant autem eos, qui cum sint spirituales, sua spiritualia seminant illis, & eorum carnalia metunt. Et hic quidem in præsenti seculo talis Hierusalem peregrina pars cælestis Hierusalem, idcirco absq; muro habitabitur, quia non vno in loco, non in vna gente continetur, sed (vt iam dictum est) per orbem terrarum diffunditur. In illo autem seculo, quo hinc quotidie transfertur, multò maximè nec est, nec esse debet aut potest murus in circuitu eius, nisi Dominus, qui & in gloria erit in medio eius. Sequitur. [O ô fugite de terra aquilonis, dicit Dominus quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus. O Sion fuge quę habitas apud filiam Babylonis, quia hæc dicit Dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos. Qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruiebãt sibi & cognoscetis, quia Dominꝰ exercituum misit me.]

Quàm oportunè, quàm sapienter Spiritus sanctus dum senibus loquatur, & senili auditoris animo delectetur, interim puero blanditur, qualis verò totus tunc erat populus, qui de Babylonica captiuitate reuertebatur, cuius sensum supergredi volebat istũ, quem appellabat angelus puerum, dicens, curre & loquere ad puerum istum. Nã puero centenario, de quo iam dictum est, nequaquam blanditur, sed dicit ei, quia morietur. Quomodo, vel ad quid blanditur illi puero, id est, simplici populo? Videlicet ita loquẽdo, vt sentiat talis puer sese diuina inuitatione reuocari de Babylone ad rædificandam ciuitatem vel templum, cuius reædificatio (sicut iam dictum est) præparatio erat salutis humanæ. Puer erat, quisquis nihil aliud præter restitutionem loci & gentis sperare sciebat, quenque saltem hoc exiguum delectabat. Vir autem, imò & senex erat, quisquis loci illius restitutionem non propter ipsum locum, sed propter eum, qui inde venturus erat, scilicet Christum desiderabat, Vocatiuum casum congeminans, ô ô fugite (inquit) de terra aquilonis, itemque tertiò, ô Sion, fuge quę habitas apud filiam Babylonis. Fugite de terra aquilonis, idem est, quòd fuge quę habitas apud filiam Babylonis. Plagæ namque orbis, quas Græci appellant Climata, iuxta situm Hierusalem intelliguntur & templi, & iuxta situm illius Babylon, apud quam captiuus erat Dei populus, in parte est aquilonari. Hoc ergo quod dicitur, ô ô fugite, ô Sion fuge, sic intelligitur, sensu quidem puerili, sed nõ inutili. Ecce quomodo pœnitet Dominum mali quod fecit nobis, quomodo dolet super ciuitate inclita & templo nobili, in qua sola ciuitate glorificabatur, in quo templo vnico nomẽ eius inuocabatur. Nec mirum magnum enim illic erat nomẽ eius, magnus honor impendebatur nomini eius. Cyrus nos illuc redire non compulit, sed tantummodo redeundi licentiam dedit. Quis est in vobis (ait) de vniuerso populo Domini cæli? Sit Deus illius cum ipso & ascendat Hierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificent domum Domini Dei sui Israel. Quantopere nos inuitat, vt properanter velimus exire de terra ista, terra Babylonis immunda, dũ dicit, ô ô fugite de terra aquilonis, ô Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. & quantum pœnitet eum de his quæ passi sumus, qui enim deinceps tetigerit nos, tanget pupillã oculi eius & prædæ nobis erunt hi, quib. seruiebamus. i. captiuos ducemus eos, qui captiuos duxerunt nos. Iste sensus (vt iã dictũ est) puerilis quidem est, sed vtilis, quia quomodocunq; factũ sit, factum est vt restitueretur locus & gẽs, vnde salutẽ mundi Christum oportebat nasci. Sensus tanto vtilior, quanto solidus cibus lacte melior existit, in discipulis Christi est. Primò ipsa quæ hic loquitur persona cognoscenda est. Vnde cognoscetur? Nimirum ex eo quod ait Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos, itemq; & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me, lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui, ait Dominus. Quis est iste Dominus exercituum, quem post gloriam misit Dominus exercituum? Quis, inquam, nisi Dominus filius Domini patris? Filium namque Dominum & Deum, quod iustè credimus & fideliter confitemur, misit in hunc mundum post gloriam pater Deus & Dominus. Quã post gloriam? Nimirum post gloriam diuinitatis longè & infinitè, postquam erat in forma DEI. Quod non est aliud, quàm in gloria DEI. Hinc Apostolus dicit, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens, &c. Itaque dictum hoc propheticum gratum & gratiosum nobis sit, quia fidele est testimonium Domini nostri Iesu Christi, non solũm quidem, sed de multis vnum pulcher rimum atq; clarissimum. Igitur ab isto loco illuc se intẽdat animus, quo post detrita (vt iam dictum est) cornua gentium, victor propositi Deus, promissum suum impleuit, & iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, mittendo in hunc mundum filium suæ charitatis propter nimiam charitatem qua Deus mũdum dilexit. Hic pulcherrimus est ordo prophetiæ, quatenus post reuersionem eius ad Hierusalem in misericordijs, quibus do-

Esaiæ 65.

Climata secundum situm Hierusalem.

Sensus mystici.

Philip. 2.

Luca 1.

Ephe. 2.

mus

mus eius ædificata est in ea, & post detritionem regnorum quatuor, quæ per quatuor cornua significata sunt, & per quæ sibi succedentia, draco diabolus insectando populum illum, promissionis effectum auertere nitebatur, venisse, qui promissus fuerat consideretur, & dicta hæc, ô ô fugite de terra aquilonis, & cætera, tanquam præsentis eius voces audiant. Quid enim est aliud, fugite de terra aquilonis, siue fuge Syon quæ habitas apud filiam Babylonis, quam hoc initium eius Euangelicæ prædicationis, pœnitẽtiã agite, appropinquabit enim regnum Dei. Denique incredulum esse & cordis impœnitentis, hoc est, permanere in terra aquilonis, venti vtique frigidi, per quem diabolus solet in scripturis figurari, & econtra, fugere de terra aquilonis, hoc est, credere & pœnitentiam agere cum spe perueniendi ad regnum Dei. Item habitare apud filiam Babylonis, hoc est, seruire vitijs & concupiscẽtijs, & econtra, fugere de habitatione Babylonis, hoc est, cessare ab eisdem vitijs & concupiscentijs. Duæ causæ quas hic posuit, quoniam in quatuor ventis cæli dispersi vos, quia post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos, vnam rationem faciunt, & illius vnius continent sensum, quam Euangelista scripsit, quia Iesus moriturus erat, vt filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in vnum. Ratio hæc sic in isto diuisa est, vt omni habenti aures audiendi, prima parte timorem incutere, sequente dilectionem insinuare velit. Dum enim præmisso, fugite de terra aquilonis, quod est dicere, nolite cordis esse impœnitentis subiungit, quoniam in quatuor ventis cæli dispersi vos, opportuno timore concutitur attentus auditor, si tamẽ intelligit, quomodo vel q̃ ob causam facta sit illa dispersio, qua sparsim mixtimq; inter malos & reprobos electi nascuntur in hoc mundo, qui simul esse & soli nasci debuissent in paradyso. Cùm item præmisso, ô Syõ fuge quæ habitas apud filiam Babylonis, subiungit, quia post gloriam misit me ad gẽtes, Magna dilectionis Dei offertur occasio, consideranti quod veraciter dictum sit, quã bonus Israel Deus. Quia videlicet sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Et quàm bonus sit idem vnigenitus, qui cùm in forma Dei esset, propter nos accepit formam serui, atque post gloriam claritatis quam habuit apud Deum priusquam mundus fieret, saturatus est opprobrijs, dans percutiẽti maxillã, & factus est obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis, & qui misit, & qui missus est Dominus exercituũ est, testatur præsens locus scripturæ veritatis. Nam ne fortè quis non audierit, non contentus fuit semel dixisse de isto, qui post gloriam missus est, quod Dominus sit, sed tertiò repetiuit, dicit dominus. Pauculis dictionibus interiectis, & de illo qui misit, secundò asseruit quod dominus exercituum sit. Iam quippe semel dixit iste dñs qui missus est, & cognoscetis, quia dominus exercituum misit me, & paucis interiectis, iterum dicturus est filiæ Syon, & scies quia dominus exercituum misit me ad te. Interea vide quàm sapienter, quàm mira arte sapientiæ, puerum illum supradictum capit, scilicet populum illius temporis, qui sperare nesciebat tale quid, qui non posset vesci tam solido cibo tantæ promissionis, & idcirco oportebat eum lactari lacte literali, quod est huiusmodi, cũ dixisset: Post gloriam misit me ad gentes, addidit, quæ spoliauerunt vos, & subiunxit, qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi eius, siue oculi mei, quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui seruiebant sibi, hoc enim litera sonat, quod talis deberet rerum mutatio fieri, vt reuersi de Babylonica captiuitate, multiplicati atque roborati, præsente cum eis Domino irent super Babylonis & cæteras gentes, à quibus fuerant spoliati, & versa vice spoliarent eos, cederentéque sibi in prædam hi, quibus seruierant ipsi, eodem genere vel modo prædæ si ue seruitij. Bonus nobis error pueri, siue sensus puerilis, & cunctis profuturus seculis, quia videlicet tali spe alacriores effecti, reuersi sunt & ædificauerunt, & scripturam, quæ vtique pro nobis, gentibus facit, quasi contra nos agentem nobisque contraria, promittentem, maiore cum fauore susceperũt & custodierunt tanquam scripturam vt verè est, diuinæ authoritatis. Deus autem quomodo cogitauit, ita & fecit, leuauit manum suam super gentes, quæ spoliauerũt Iudæos ornatu ciuitatis & templi, & quibus seruierunt & seruiunt Iudæi, quarum gentium maximè fuere Romani, & ecce ipsi sunt prędæ Iudęis, scilicet Apostolis, qui vtique sunt ex Iudæis. Quomodo gentes siue Romani prædæ sunt Apostolis? Nimirum eo modo quo piscatoribus pisciculi. Sic enim quibusdam eorum quando vocauit eos, dixit. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Isti sunt & quique similes illis, quos qui tetigerit, tanget pupillã oculi mei, non vt ego cæcus fiam, sed vt cæci sint ipsi qui tetigerunt, & ego absondam faciẽ meã ab eis, quomodo absondit & auertit quis, ictum vitans aduersarij insidiantis, pupillã oculi sui. Sequitur. [Lauda & lætare filia Syon, quia ecce venio & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia dominus exercituum misit me ad te. Et possedit Dominus Iudam partem suã in terra sanctificata, & elegit adhuc Hierusalem. Sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.]

Fugere de terra aquilonis, est pœnitentiam agere.

Matth. 4.

1. Esdræ 1.

Ioan. 11.

Sensus mystici.

Ioan. 3. Philip. 2. Ioan. 17. Esa. 53.

Philip. 2.

Luca 1.

Error Iesus puerilis, dæorum bonus est nobis.

Hebr. 5.

Rom. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sicut iam ante prælibauimus, bis ab ista persona domini exercituum, quæ hic loquitur, dictum est, dominus exercituum misit me, quia dicturus, lauda & lætare filia Syon, sic præcedentia finierat, & cognoscetis quia dominus exercituum, misit me, & ecce iterum præmisso, & habitabo in medio tui, subiungit, & scies quia dominus exercituum misit me ad te. Pulchrum hoc & consideratione dignum est, quia profectò filium, qui reuera dominus exercituum est, misit pater sine dubio dominus exercituum, misit spiritus sanctus veraciter dominus exercituũ. Duæ personæ patris, & spiritus sancti, vnam personam filij miserunt, sicut apud Esaiam ipse loquitur, & nunc dominus misit me, & spiritus eius. Nimirum quando beata virgo Maria, nunciante angelo, concepit nunc filium dominum exercituum, & pater dominus exercituum misit, & spiritus sanctus dominus exercituum misit eum in vterum eiusdem virginis. Pater, quemadmodum ipse dicit. Eructauit cor meum verbum bonum. Spiritus sanctu, squemadmodum angelus ad Mariam. Spiritus sanctus (ait) superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et ad Ioseph. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto natum. Super hoc lauda & lætare filia Syon, ait dominus, ipse qui missus est, Deus ex Dei patris generatione, & homo ex sancti spiritus operatione, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui. Quid est in medio tui? nisi in communione naturæ tuæ, cum substantia veræ carnis. Nam verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ergo in medio tui, hoc est, præter peccatum omnia suscipiens, quæ sunt tuæ conditionis, primò nouem mensibus habitans in hospitio ventris fœminei, deinde in cunabilis, imò in præsepi inuolutus pannis, circuncisus, & ad templum deportatus, cum hostia legali, & p annos triginta patiẽs omnia quæ sunt humanæ fragilitatis, præter peccatum (vt iam dictum est) modis omnibus inuentus est homo, & mortis quoque experimento. Verè magna materia laudationis & lætitiæ talis aduentus, & talis domini cohabitatio Quamobrẽ & ita præmisit, lauda & lætare filia Syon. Omnis anima quæ tantum bonum per fidem speculando mereris dici & esse filia Syon. Anima Ioannis verè filia Syon, prima lætata est post illam lætitiæ matrem, cuius in medio, cuius in vtero iam hic dominus habitabat. Vnde & laudabat in lætitia, lætabatur in laude, dicendo. Magnificat anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Post eam prima laudauit, & lætata est anima Ioannis. Ecce enim (ait Elisabeth) ex quo facta est vox salutationis tuis in aurib. meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Vbi tempus loquendi affuit, illius lætitiæ causam pulchra cum laude taliter deprompsit. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem eius. Hoc ergo gaudium meum impletum est, quod deinde dicit dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad dominum in die illa, & erunt mihi in populum, manifestum atque perspicuum est, quia videlicet ex quo dies ista illuxit, vel tempus aduenit de quo in Esaia dominus. In tempore placito (inquit) exaudiui te, & in die salutis adiui te. Apostolus autem succinit. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, & ex eo gentes multæ applicantur ad dominum, & sunt ei in populum. Porrò ante diem hanc, notus tantum in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, & rectè aliæ quoque gentes applicantur ad dominum, & sunt ei in populum, licet inuideant & indignentur Iudæi, qui sibi videntur soli esse filia Syon, & non pertinent ad filiam Syon. Quid enim? an Iudæorum Deus tantum? nónne & gentium? imò & gentium. Et habitabo (inquit) in medio tui, scilicet secundo aduentu, nó quomodo primo aduentu venio, sicut iam dixi, vt habité in medio tui. Primò nanq; passibilis atq; mortalis atque iudicandus. Secundò impassibilis atque immortalis Deus iudicij dominus, habitabo in medio tui. Primæ habitationis in medio tui fructus hic est, vt applicẽtur gentes multæ ad dominum, sequentis habitationis erit effectus, quẽ Ioan. dicit. Scimus, quia, cũ apparuerit, similis ei erimus, quoniã videbimus eũ sicuti est. Illud videre, perfectũ erit scire, de quo hic ait, & scies, qa dominꝰ exercituũ misit me ad te. Quid porrò sibi vult? quod cùm dixisset, & applicabuntur gentes multæ ad dominum, & erunt mihi in populum, subiungit atque ait, & possidebit dominus Iudam partem suam in terra sanctificata, & eliget adhuc Hierusalem? Nimirũ quia faciendum & huic erat, quod prophetis alijs iubetur, scilicet claudere sermonẽ, ligare testimonium, quia videlicet, sic expediebat, nec enim portare potuissent homines, si manifestè diceret illis Deus, id qꝺ intendebat. Ecce illud quod dixerat, & applicabũtur gẽtes multæ ad dominum, subiecit, dicendo. Et possidebit dominus Iudam partem suã, quo nomine, quoniã Iuda interpretatur cõfessio, cũ significentur omnes gentes Christum cõfitentes, putare poterat ille populus Iudæ, qui hæc audiebat, qꝺ qualicunque modo applicandæ forent ad dominum multæ gentes, tamen ipse solus dominis pars esse deberet, quę existimatio nihil proposito dei nocuit aut nocet, imò prodest, quia dum illi beneuoli fuerunt, scriptura nobis custodita est. Sensus hic est, Iudam partem suam, id est, eos qui prẽordinati sunt ad vitam, qui secundum propositum vocati sunt sancti, quos prẽsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, qui omnis Iuda.

Idem

Esa. 48.
Psal. 44. Lucæ 1. Matth. 1.
Lucæ 1.
Ioan. 3. 2. Cor. 6.
Psal. 25.
Rom. 3. Duplex ad uentus Chri sti.
Ioan. 3.
Dani. 7.
Rom. 8.

Idem credentes atq; confitentes sunt, & pars Domini sunt, possidebit Dominus in terra sanctificata, in terra viuentium, vbi quod est, totum sanctum est, & ita possidebit, vt nullus desit de numero eorũ, & quia nó sufficiunt, qui de ista terrena Hierusalem illuc ascendunt, adhuc eliget de alijs quoque gentibus, assumet qui sint Hierusalem. Nonne in his quæ dicta sunt, meritò confortentur "manꝰ dissolutæ, & genua debilia roborẽtur? "Nonne meritò dicãt pusillanimis, cõfortamini, & nolite timere: Sequitur ergo. [Sileat omis caro à facie domini, quia cõsurrexit de habitaculo sancto suo.] Ac si dicat. Sileant quatuor cornua, quæ ventilauerũt Iudam, & Israel, & Hierusalem. sileant omnes qui regnare præsumpserunt, domino nescient, domino nõ probante, quia caro sunt Assyrij cum Babylonijs, Persæ cum Mœdis, Macedones siue Græci, Romani terribiles & vt videbatur ferrei. Sileant (inquit) à facie domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo, quia throni eius positi sunt, & iudicium sedit, & iudicatum est interfici bestias cornutas, & auferri potestatem eorum, & dari potestatem & honorem & regnum filio hominis, venient in nubibus cæli, vt suscipiant regnum sancti Dei altissimi, quibus insultabant regnantes bestiæ, tanquam peregrinis, atq; captiuis, & obtineant regnum vsque in seculum, & seculum seculorum.

Hebr. 12.
Esa. 35.

FINIS LIBRI PRIMI IN ZACHARIAM PROPH.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ZACHARIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

CAP. III.

Prophitia lucerna ardens & lucens.

Habemus (inquit Apostolus Petrus) firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquã lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Dulce est auditu, dulcius experimento, quod propheticus sermo lucerna ardens & lucens sit, quã vtique Spiritus sanctus Christo suo parauit. Vnde videri possit ille in hac nocte per speculum in ænigmate, donec illucescat ille dies in quo videndus est facie ad faciem æterna visione. Hæc intentio nostra sit, vt in lumine huius lucernæ, non ad horam, sed æternam eiusdem Christi gloriam exultare velimus, cuius exultationis hoc initium est, vt prophetica testimonia meditantes, ex parte sciamus, & nos quoque ex parte prophetemus, donec veniat quod perfectum est, & quod ex parte est, euacuetur. Cum hac simplicitate oculi, nunc vsque progressi, lucidũ persequamur ordinem huius prophetiæ, reuera lucentis lucernæ, cuius in lumine corde & ore dignum sit exultare omni animæ, quæ Christi claritatem non ficta diligit charitate, & spes nostra hæc sit, quam sapientia promittit, quia de fructu oris sui homo satiabitur bonis. Magnæ & pulcherrimæ visionis pars aliquanta decursa est, videlicet ab eo quod ait. Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, vsque ad id Sileat omnis caro à facie domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo, in qua videlicet parte illud considerandum est, quia frustrata sunt pugnantia contra Deum regna mundi, & illis prætermissis, nascente Christo venit regnum Dei. Post hæc sequitur.

[Et ostendit mihi Iesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo dñi, & Sathan "stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et "dixit Dñs ad Sathan. Increpet dominus in te "Sathan, & increpet dominus in te, qui elegit "Hierusalẽ. Nunquid nõ iste torris est erutus "de igne? Et Iesus erat indutus vestib. sordi- "dis, & stabat ante faciẽ angeli. Qui respõdit, "& ait ad eos q stabant corã se, dicens. Auferte vestimenta sordida ab eo, & dixit ad eum. "Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indue te mutatorijs, & dixit. Ponite cidarim mundã super caput eius. Et posuerunt cidarim "mundam super caput eius, & induerunt eũ "vestib. Et angelus dñi stabat, & contestabatur angelus domini Iesum, dicens. Hæc dicit "dominus exercituũ. Si in vijs meis ambulaueris, & custodiam meã custodieris, tu quoque iudicabis domũ meam, & custodies atria mea, & dabo tibi de his ambulantes, qui nunc his assistunt, audi Iesu sacerdos magne tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego addũco seruum meũ orientẽ, quia ecce lapis quẽ dedi corã Iesu, super lapidẽ vnũ septẽ oculi "sunt. Ecce ego cælabo sculpturã eius, ait dominus exercituũ, & auferã iniquitatẽ terræ "illius in die vna. In die illa, dicit dominus exercituum, vocabit vir amicum suum, subter "vineam & subter ficum.] In præcedentibus "dicendo, post gloriam misit me ad gentes, & "ecce venio, & habitabo in medio tui, &c. Dominicæ incarnationis significatur mysterium, in præsentibus tentationum, & passionis eius subrutulat sacramentum, in sequentibus verò resurrectionis eius triumphale

1. Pet. 1.
Ioan. 5.
1. Ioan. 2
Prouer. 13
Visio de Paßione Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phale gaudium, vbi post hæc propheta mox dicturus est. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, &c. Et ostendit mihi (inquit) Iesum sacerdotem magnum. Hebræi (inquit beatus Hieronymus) Iesum sacerdotẽ magnum filium Iosedech intelligi volunt, qui cum Zorobabel populo præfuit, cuius aduersarius à dextris stabat, & non à
1. Esdr. 10. Malach. 2. Psal. 109. Isa. 9. sinistris, quia vera erat accusatio, eò quòd ipse cum cæteris alienigenam accepisset vxorem, quod in Esdra & Malachia, qui hunc prophetam sequitur, plenissimè scriptum est. Nostri autem (ait) ita disserunt sacerdotem esse magnum, ad quem dicitur. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui quoniam per se videri nõ potest, à domino prophetæ ostenditur, stans coram angelo domini, quem volunt magni consilij esse angelum, non quod alter & alter sit, vt duas personas recipiamus in filio, sed quòd vnus atque idem & quasi homo sordidatus ostenditur, & quasi angelus mediator Dei, & hominum apparere dicatur. Iuxta hunc sensum, hoc (ait) videtur esse difficile, quod Iesu ab angelo dicitur, si ambulauerit in vijs domini, & eius præcepta seruauerit, ipse quoque iudicet domum eius, & custodiat atria illius, & det ei dominus ambulantes de his qui assistant ei. Nos verò pogo rei appa ret.
In visione, non substãtia, sed imaremi non ab re miramur, si inter doctores scrupulosa vnquam fuit concertatio, pro re huiusmodi, cum visio sit noctis, quia sic incepit. Vidi per noctem, &c. In visionibus nanque non ipsa persona siue substãtia cuiuscũque, sed similitudo siue imago personæ, vel substantiæ solet apparere, siue hominis, siue alterius cuiuslibet rei, præter spirituales substantias, vt sunt angeli. Itaque sicut in hac ipsa visione quatuor cornua, & sicut in visione Danielis quatuor bestiæ, non ipsa quatuor regna, sed quatuor regnorum quædã imagines fuere: ita hic Iesus, neque substantia domini nostri Iesu Christi, qui secundũ hominem nondum existebat, neque ille Iesus filius Iosedech illius temporis, pontifex erat, qui cùm homo esset & corpus, quomodo in visu noctis apparere poterat? Imago erat hominis, quæ videbatur, quædam similitudo duntaxat sufficiens ministerio prophetico, ad significanda illa, quæ de domino nostro Iesu Christo iam tunc significari rem puk vel ratio postulabat. Quod si quærat quis, cur in ea similitudine potius quàm in alia significari hic placuerit: scire debet, quia cunctos fere sanctos & probos antiquorum temporum viros, qui venturo regno Dei proprio labore aliquid contulerunt, Spiritus sanctus eiusdem regni Dei mysterijs sic honorauit, vt aliquem qualemcunque, singuli proferrent similitudinem regis, regni Dei dñi nostri Iesu Christi. Hinc est, q in illis hominibus sanctis, tanta conquisita & inuenta sunt à sanctis doctoribus, gesta vel dicta
Dani 7.

in typum eiusdem domini, qualium de præcipuis fuere Isaac, Ioseph, & Dauid, & Salomon, quãdiu in sapientia vigilauit. Isti duo Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedech, multũ in hac parte omni mundo profuerunt, siue contulerunt, quia videlicet in reuersione de Babylonia principes extiterunt, templumq; fundauerũt & perfecerũt, loco vel genti recuperandæ studentes, vnde salus veniret, quia salus ex Iudæis est. Honorauit igitur eos Spiritus sanctus, vt in nominibus vel figuris eorum, venturi Christi mysteria significarentur, pro eo quod eius aduentu, vel regno labor & opus eorum famulabatur. His autèm præmissis, nunc præsentia visionis dicta vel acta ordine persequamur. [Et ostendit mihi Iesum sacerdo-,,
Ioan. 4. tem magnum stantem coram angelo domi-,,
ni, & Sathan stabat à dextris eius, vt aduer-,,
saretur ei.] Quid illud significauerit, in eadẽ visione innuitur his verbis. Audi Iesu sa-
Christus, sit cerdos magne, tu & amici tui qui habitant citur ser- coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce *uus Domi-* enim ego adduco seruum meum orientem, *ni.* &c. Itaque Iesus ille, quem vel citius specie siue imaginem videbat in nocte, stantem co-
Philip. 2. ram angelo domino, portentum fuit serui Dei, serui (inquam) illius nomine orientis, qui cùm in forma Dei esset, propter nos semetipsum exinaniuit, formam serui accipiẽs vnde & rectè dicitur seruus domini, quia propter nos seruiuit, & obediens fuit vsque
Psal. 8. ad mortem, mortem autem crucis. In illa forma stare habebat sacerdos magnus corã angelo domini. Minuisti enim (ait) eum paulominus ab angelis. Minoritatem illam hæc dictio pulchrè innuit, stantem coram angelo domini, pulchrius autem & venerabilius
Luc. 22. illud in Euangelio, quod cùm factus in agonia prolixius oraret & sudaret sudorem sanguinem, apparuit illi angelus de cælo confortans eum, maior vtique minorem, vtpotè nunquam moriturus, continuò moriturum. Quod in illo visu Sathan stabat à dextris Iesu vt aduersaretur ei, hoc est, quod talis iste seruus de semetipso dixit. Venit e-
Ioan. 14. nim princeps mundi huius, subauditur, quærens in me suum aliquid. Stabat vt aduersaretur, nec tamen dictum est, quod aduersatus sit ei, vel aduersari potuerit, quia videlicet sic futurum erat, vt ad ipsum quidem veniret princeps mundi, sed in me (inquit) non habet quicquam. Stabat, non à sinistris, sed à dextris, quia videlicet sic futurum erat, vt in isto nihil sinistrum, sed totum dextrũ, id est, nihil malum, sed totum esse bonum. Itaque stabat à dextris, quia nulla erant sinistra, videlicet hoc intendens, vt de dextris
Matth. 12. 27. faceret sinistra, vt peruerteret quæ dixerat, quę feceret bona, sicut narrat Euangelica veritatis eius scriptura. Accusabatur enim tanquam malefactor, cùm esset benefactor. Sic
Iob. 1. olim idẽ Sathan stabat à dextris Iob, vt peruerteret

Increpare Sathanã. Ioo 5. uerteret eius bona, cùm diceret. Nunquid frustra Iob timet Deũ? &c. [Et dixit dñs ad Sathan, increpet dominus in te Sathan, & increpet dñs in te qui elegit Hierusalẽ.] Cur non dixit, vade Sathan, siue desine aduersari Sathã? Videlicet, quia multũ profuturus erat, sic aduersando Sathã non solũ vt exemplum patientiæ esset nobis, ad q̃ informamur, dicente Iacob Apostolo, patientiã Iob audistis, & finẽ domini vidistis, verũetiam vt mundũ redimeret illa patiẽtia saluatoris, illa passio redemptoris. Igitur increpet (ait dominus) in te Sathã. i. assistas quidem, sed non vsq; ad plenã voluntatẽ tuam. Nimirũ & illud erat increpare, q̃ dixit pro B. Iob: Ecce in manu tua est, veruntamẽ animã illi serua. Similiter pro isto dictũ sit ab omni potẽtia, caro in manu aduersariorũ sit, quos tu in flammas, veruntamen animã illius in inferno nõ detineas, caro in sepulchro corruptionem non videat, hoc dixit dominus, increpet dominus, & increpet dominus, sicq; ab
Hebr. 9. Christus torris de igne. vna persona, duæ personæ domini ad increpandũ inuitantur, quia videlicet victoriam dominicæ passionis, quæ magna est increpatio diaboli, trinitas operata est vnus Deus. Pater nanq; calicẽ illũ filio dedit, & filius per
Actor. 2. Spiritum S. (ait Apost.) semetipsum obtulit
" [Nunquid nõ iste est torris erutus de igni?
" & Iesus erat indutus vestib. sordidis.] Et secundũ hanc illius visionis similitudinẽ dominus Iesus torris erutus de igne fuit, siue quia in mundo hoc, magno vtiq; camino & grandi officina peccati, peccatũ eua fit, peccatum non fecit, neq; ex conceptione contraxit, siue quia cũ descendisset ad infernũ, impossibile fuit illũ ab eo teneri, & indutus erat quidem vestimentis sordidis, veruntamẽ non suis, sed alienis. Nam dominus posuit in
Esa. 53. Malach. 2. eo iniquitatẽ omnium nostrũ, & Esaias trãs figurans in se (inquam) æstimationẽ impiorum, & nos (inquit) reputauimus eũ quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatũ. Itaq; fuerit quidẽ Iesus ille homo temporis illius sordidatus peccatis suis, quoniã vxorẽ alienam, vel sicut Malachias ait, filiã duxerat Dei alieni. Christus autem Iesus, qui in illa nocte per imaginẽ significabatur illius Iesu, non suis, sed alienis peccatis, indutus erat vestibus sordidis. [Et stabat ante faciem
" angeli, qui respondit, & ait ad eos qui stabãt
" corã se, dicens. Auferte vestimenta sordida
" ab eo.] Hoc dixit angelus domini, authoritate vel imperio loquentis in se domini, licet non interposuerit, q̃ postmodum inter
Infr. 4. posuit idem angelus domini, hæc dicit dominus exercituũ, si in vijs meis ambulaueritis, &c. Qui porrò erant, qui stabant ante faciẽ angeli, imò ante faciẽ domini, in angelo siue per angelũ loquentis? Non enim qualescunque erant vel sunt reuera magni, quorũ officij est auferre vestimẽta sordida, auferre iniquitates & peccata, Inferius in hac visione duę oliuæ (inquit) super cãdelabrũ, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius, & dixi. Quid sunt duæ oliuæ istæ? Et rursus. Quid sunt duæ spicæ oliuarũ, quæ sunt iuxta duo rostra aurea? Ita secundo interrogatus angelus, isti sunt (ait) duo filij olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ. Eosdem duos filios olei intelligimus hic stare corã angelo loquente vel agente in persona domini, & deistis, qui nam sint, opportunius in illo loco pro posse dicendũ est, hoc tantũ in præsenti dixerim, q̃ vestimenta sordida, quæ nostræ iniquitates erant, ablatæ sunt à domino Iesu in passione sua per spiritum S. qui est remissio peccatorum, & diuersarum distributor gratiarum. Vnde & protinus dixit ad eum. [Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, &,,
Abstulit à te iniquitatem tuam. indui te mutatorijs.] Iniquitatẽ tuam cũ di-,,
xit, simul attendere conuenit, quod postmodũ velut exponemus, quid ista significent, cũ dixisset. Ecce ego adducã seruum meum orientẽ, &c. Ita conclusit, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. Ergo abstuli à te iniquitatẽ tuam, id est, iniquitatem terræ tuæ, iniquitatẽ ecclesiæ tuæ, peccata omniũ credentiũ in te, & indui te, id est, eosdẽ tuos mutatorijs, quia videlicet ab iniquitate tibi emundati, diuersis ornabuntur charismatũ donis, & quod multum ad Dei gloriam spe-
Rom. 5. ctat, vbi abundauit iniquitas, superabundauit gratia. [Et dixit. Ponite cidarim mundã,,
super caput eius, & posuerunt cidarim mun-,,
dam super caput eius, & induerunt eum ve-,,
stibus.] Hoc est, quod nunc videmus (vt Apostolus) dominũ Iesum Christũ propter
Hebr. 2. passionem mortis gloria & honore coronatum. Cidaris i. pileus siue mitra pontificalis, cui superponebatur, lamina in fronte pontificis, habens scriptum tetragrammaton inefabile nomen domini, coronã significat gloriæ & honoris in capite domini nostri Iesu Christi, qui factus est obediens vsq; ad mortem crucis, propter quod & deus illum exaltauit, & dominauit illi nomen, quod est super omne nomen. Et vestes de quibus ait, & induerunt eum vestibus, dona illa sunt de
Philip. 2. quibus iam dictum est, quæ dantur ecclesiæ eius, quæ est corpus eius. Vnde (sicut iuxta
Psal. 67. aliam tanslationem legimus) ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, ita nihilominus veraciter psallimus, accepisti dona in hominibus, quia videlicet propter vnitatem personæ capitis & corporis, ipsius & ecclesiæ, ipse accepit in nobis dona quæcunque accipimus, cùm ipse det, vt verè Deus. Quæ hactenus in visione ostensa sunt, propter quid ostensa sint sequentibus verbis ipse angelus aliquantisper declarabit his ad ipsum Iesum præmissis. Hic dicit Dominus exercituum. Si in vijs meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris, tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

"de his ambulantes qui nunc hic asſiſtunt.] Hæc enim ad illum hominem Ieſum eſſe dicta, rectè intelligimus abſque vlla ſignificationis vel myſterij clauſura, quod ex eo vel maximè conſtat, q̃ præmiſſo, ſi in vijs meis ambulaueris, ita perſonam vel cauſam illius hominis determinat, tu quoque iudicabis domum meam, & cuſtodies atria mea. Cùm enim dicit tu quoque, ſatis innuit ea quæ præmiſſa ſunt, & quæ ſequentur de alio dicta, propter alium eſſe facta vel oſtenſa. Et rectè tali homini ſub conditione ſiue conditionali modo locutionis, dicendo, ſi in vijs meis ambulaueris, p̃mittũtur iudicare domum domini, ſicut iam dictum eſt, ducendo alienigenam contra præceptum legis Domini, ſacerdos, cuius labiorum eſt cuſtodire ſcientiam, cuius ex ore legem requirunt, eò quòd ſit angelus Domini exercituum. Et cùm dicit. Tu quoq; iudicabis domum meam, ſubintelligendum eſt aliter & felicius, ſiue meliori fine, quàm Heli, qui de ſella cecidit, & cadendo dignitatem iudiciarij perdidit honoris. Et illius quidem principatus temporalis & cuſtodia tranſitoria deſignatur, dicendo. & dabo tibi de his ambulantes, qui nunc hic aſsiſtunt. Illius autem de quo vel propter quem præcedentia dicta, & ſequentia dicenda ſunt. Principatus æternus, & cuſtodia ſempiterna eſt, principatus & cuſtodia præteritorum, & præſentium, atque futurorum, quem & de "ſignat, ita ſubiungens. [Audi Ieſu, ſacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant co- "ram te, quia viri portendentes ſunt. Ecce enim ego adducam ſeruum meũ orientem.] 2. Reg. 4. Ac ſi dicat. Cùm acceperis narrationem viſionis eius, propheta narrante, Ieſu ſacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quorum imagines videt in nocte & audit quæ dicuntur in te, audi & cognoſce quia viri portendentes ſunt, id eſt, quia viſio quam videt circa te & amicos tuos, portentum eſt futurorum, quæ ſine dubio magna erunt. Ecce enim ego adducam ſeruum meum orientem, & illius adductionem portendis tu in hac viſione oſtenſus, & amici tui tecum. Sicut amici tui in hac viſione coram te habitantes, viſi ſunt, ita coram illo quem adducam oriente ſeruo meo, multi facti ex inimicis amici habitabunt, quibus ipſe dictu- Ioan. 15. rus eſt, in ipſo articulo, quo Sathan ſtabat à dexteris eius, ſicut hic portenditur. Iam nõ dicam vos ſeruos, ſed amicos meos, & maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis, vos amici mei eſtis. Hic inde oriens dicitur, quia lux vera eſt, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & inde ſeruus quia ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Cùm hæc diceret, videbatur "quoque lapis coram Ieſu. [Super lapidem "vnum ſeptem oculi ſunt. Ecce ego dabo ſculpturam eius dicit Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius, in die vna.] Lapidem eſſe Dominum Ieſum Chriſtum, lapidem ſummum angularem electum in fundamento fundatum, & per ſeptem oculos, qui ſuper hunc vnum lapidem ſunt, ſeptem eſſe ſpiritus Dei, qui ſuper eum requieuerunt, ferè nulli eſt aut eſſe debet incognitum. Non enim huic ad mẽſurã dedit Deus ſpiritũ, & in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hic lapis ab hominibus reprobatus eſt, à Deo autem electus & honorificatus eſt. Quomodo ab hominibus reprobatus eſt? Electus extra portam in ligno ſuſpenſus eſt, vt maledictum legis exiſteret, quia lex dicit, maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno. Hæc erat ædificantium reprobatio. Sed ecce ego (inquit) cælabo ſculpturã eius, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. Et eſt ſenſus. Iſtum lapidem clauis crucis, & lancea militis faciam vulnerari, & in illius paſsione auferam iniquitatem terræ in die vna, de qua ſcriptum eſt. Hæc eſt dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. [In die illa vocabit vir amicũ ſuũ, ſubter vineam, & ſubter ficum.] A tempore, enim dominicæ paſsionis cœpit annũciari eu angeliũ, q̃ eſt vocari ſubter vineã, & ſpiritualiter, lex intelligi, q̃ eſt vocari ſubter ficum, Spiritu S. reuelante, q̃ lex & prophetę Chriſti euangelio perhibeant teſtimonium. [Et reuerſus eſt angelus qui loquebatur in me, & ſuſcitauit me, quaſi virum qui ſuſcitatur de ſomno ſuo. Et dixit ad me. Quid tu vides? Et dixi. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis quæ erant ſuper caput illius, & duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius, & reſpondi, aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens. Quid ſunt hæc domine mi? Et reſpondit angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me. Nunquid neſcis quid ſunt hæc? Et dixi. Non domine mi. Et reſpondit, & ait, ad me, dicens. Hoc eſt verbũ domini ad Zorobabel, dicens. Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo dicit dominus exercituũ.] Sicut in præcedentibus humilitatem paſsionis, in qua minoratus fuit paulominus ab angelis, ita in præſentib. gloriã intelligimus reſurrectionis eiuſdẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, in qua gloria & honore coronat eſt, & conſtitutus ſuper opera manuũ patris, clarificatus claritate apud Deũ, quã habuit priuſquam mundus eſſet apud ipſum. Quid enim eſt candelabrum aureum totum. & lãpas eius ſuper caput ipſius, niſi Chriſtus ipſe, decus & lumen omnium angelorum & hominum, lampade ſuæ diuinitatis, quæ ex virtute ſuæ reſurrectionis mundo innotuit, illuminãs quæ in tenebris ſunt vel fuerunt?

Philip. 2. Chriſtus lapis ſuper ſeptẽ oculi. Eſa. 11. Actor. 4. 1. Pet. 2. Hebr. 13. Deut. 21. Pſal. 117. CAP. IIII Ioan. 17. Chriſtus ẽ delabrũ aureum.

Vnde notandum pariter & admirandum, quia poſtquã viſus eſt Ieſus veſtib. ſordidis indutus, eiſq; ablatis. Ecce (inquit Dominus) abſtuli iniquitatem tuam, & iterum de eodem, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna, reuerſus dicitur angelus eſſe & ſuſcitaſſe prophetam, quaſi virum qui ſuſcitatur de ſomno. Sic enim futurum erat, & ſic factum eſt, quia poſtquam ablata eſt iniquitas terræ Domini Ieſu, quæ eſt eccleſia eius, in die vna, in die deſponſionis eius, in die lætitię cordis eius, quando lancea militis patefacto latere eius exiuit ſanguis & aqua, vtiã vltra non eſſent ſordida veſtimenta eius, quæ ſordes erant iniquitates omnium noſtrum (vt ſupra iam diximus) ipſe triduo dormiuit in ſepulchro, & tertia die ſuſcitatus eſt de ſomno ſuo. Vnde ſignanter propheta dixit. Suſcitauit me quaſi virum, qui ſuſcitatus eſt de ſomno ſuo, per hoc innuens in ſe præfiguratum, quòd vir ille Dominus Ieſus ſuſcitandus eſſet de mortis ſuæ ſomno. Sed & reuerſio angeli quam dicit, & reuerſus eſt angelus, qui loquebatur in me, de ſignat eum ad tempus receſsiſſe, videlicet in ſignum illius receſsionis quam declamabat vir ille, dum diceret, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me. Igitur, vidi (inquit) & ecce candelabrum aureum totũ, & nos videmus Dominum Ieſum glorificatum, & mundum gloria reſurrectionis eius illuminatum. Et ante paſsionem illius, caput illius dilecti, id eſt diuinitas eius aurum erat optimum. ſed corpus eius, cum paſsibile & mortale eſſet, nondum erat aurum. Ergo candelabrum nondum erat aurum totũ, quia corpus pro cõditione mortali erat ſubobſcurum, & minus quàm nunc eſt glorioſum.

Cant. 3. Iohan. 19. Eſaiæ 53. Pſal. 21. Matth. 27. Quid lampas vna, & lucernæ ſeptem.

Lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptẽ lucernæ eius ſuper illud requieſcens, ſuper ipſum eſt ſpiritus ſanctus, ex quo reſurrexit ipſe, magis in eo manifeſtus, qa videlicet ſpiritus, quia vnus eſt, lãpas vna dicitur, & quia ſeptiformis eſt, quia ſeptiformis eſt, quia ſeptem eius dona ſunt, ſeptem lucernæ dicũtur. Lucernæ & infuſoria, id eſt, vaſcula in quibus oleum eſt, quod infunditur in lucernas, eadem ſignificant, ſeptem dona ſpiritus hac ſola differentia qua id, quod efficitur ab efficiente diſtat: Sicut enim ſingula infuſoria, ſingulas alunt lucernas, ita ſinguli ſpiritus propria quędam efficiunt opera, de quibus hi, qui Spiritum ſanctum acceperũt ſua menſura clara ſunt, vt videant homines, & bono exemplo ædificati glorificent Deum. Duæ oliuæ, oliuæ ſuper candelabrum vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris quid ſunt? Denique & propheta hoc, &c. inquiſiuit, & reſpondi (inquit) & aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens. Quid ſunt hæc Domine mi? Qui cum reſpondiſſet, & dixiſſet. Nunquid neſcis, quid ſunt hæc, & ille dixiſſet. Non Domine mi, & inter hęc paratus ad audiendum, ſine dubio redderetur attentior ad intelligendum, tandẽ hoc eſt, ait, Verbum Domini ad Zorobabel, dicens. Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo dicit Dominus exercituum Et hoc reſponſo potuit quidem, quamuis benè reſponſum fuiſſet, potuit (inquam) intelligere, quoniã propheticam ad intelligendum gratiam habebat, quid eſſet candelabrum, quid lampas eius ſuper caput ipſius, quid ſeptem lucernę ſeptem q; infuſoria lucernis, quę erant ſuper caput ipſius. Veruntamen nondum intellexit quid eſſent duæ oliuę, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris ipſius. Et quid ſibi vult reſponſum huiuſmodi, nõ in exercitu nec in robore, ſed in ſpiritu meo dicit Dominus? Iam quidem diximus candelabrum aureum. Dominum Ieſum eſſe propter paſſionem mortis gloria reſurrectionis glorificatum, ſeptemque lucernas ſuper illud cum totidem infuſorijs, eum quiextunc datus eſt ſanctum ſeptiformem ſpiritum, qui ſimirũ eatenus modo, ſcilicet in remiſsionem peccatorum non dabatur. Vndè enim eſt illud? Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nõdum erat glorificatus. Sed quid ſibi vult taliter ad Zorobabel dictum. Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo. Breue dictum, magnæ rei ſuggerit intellectum. Senſus enim hic eſt. Antequam iuxta præſentẽ viſionem veniat Dominus habitare in medio tui, ô filia Syon, cuius paſsione deleatur iniquitas terræ illius in die vna, ſicut ſignificatum eſt per hoc quod auferri iuſſa ſunt ab Ieſu veſtimenta ſordida, quique gloria reſurrectionis, & aſcenſionis glorificatus ſanctũ ſeptiformem det ſpiritum, ſicut ſignificatur per candelabrum aureum tot lucernarum. Antequam veniat (inquam) ille Dominus, probè & laudabiliter fecerint, quicunq; habentes zælum eius cum exercitu, & cum roboreaſcenderunt, vel aſcenſuri ſunt, ex aduerſo ſtare pro domo eius, vt fecerunt iudices Iſrael, vt fecit fidelis Dauid, vt facturi ſunt Machabæi. At vbi venerit idem Dominus & clarificatus fuerit, vbi dixerit omnibus, quod vni dicturus eſt, conuerte gladium in locum ſuum, iam non in exercitu, nec in robore ſubaudiatur, certabitis pro me nec enim erit neceſſe, dicit dominus. Antequam ego venirem agere in exercitu & in robore tale fuit, quale defendere arborem ne ſuccidatur, de qua fructus ſperatur vitæ æternæ. Agebat enim diabolus per impios homines, quatenus gens illa non eſſet, de qua promiſſum fuerat patribus, quod ego eram accepturus. Natus ſum, & idcirco non iam in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo, quia iam non contra homines, ſed tã tum modo cõtra diabolũ certamẽ neceſſariũ eſt, qui quoniã ſpiritus eſt, nõ in exercitu nec in robore, ſed in ſpiritu meo debellandus

Matth. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& superandus est. Idcirco sub nomine Zorobabel rectè ipsum dominum intelligimus
Aggæi 1.2. sicut in Aggæo plenius de eo dictum est. Nã illo tempore in ædificando exercitu & robore vtebantur. Denique media pars iuuenum (ait Neemias) faciebant opus & media
Neem. 4. parata erat ad bellum, & lanceæ & scuta, arcus, & loricæ, & principes post eos in omni domo Iuda ædificantium in muro, & portantium onera, & impotentium, vna manu sua faciebant opus. & altera tenebat gladiũ, Aedificantium enim vnusquisque gladio ac cinctus erat renes, & ædificabant, & clangebant buccina iuxta me. Hæc de muris ciuita
1. Esdræ. 6. tis dicta sunt. Templum quoque illud manufactum non sine aliquo robore hominũ reædificatum est, cum regium esset positum huiusmodi decretum. Omnis homo qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo illius, & erigatur & configatur in eo, domus aũt eius publicetur. Illudvnũ omninò sine exercitu & sine robore in spiritu Domini factum est, quod princeps huius mundi foras est missus, in quem protinus ita dicitur. [Quis tu mõs magne corã Zorobabel in planũ?] Mons quippe magnus mon ti Domini contrarius, mons importuosus, mons naufragosus diabolus est, qui in hoc mundo principabatur, de quo ipse Dominus. Venit enim princeps mundi huius, scilicet vt mihi aduersetur, secundum quod signi-
Ioann. 14. ficatum est suprà, vbi Satan Stabat à dextris Iesu, vt aduersaretur ei. Hoc est, quod nunc dicitur. Quis tu coram Zorobabel, & dicendo quis tu, omninò nescitur, quia totus reprobus est. Quodque ita subiungitur, in planum, potest ita intelligi: vt subaudiatur sternere, & à tua superbia deijcere. nisi quod ille nunquam eo modo in planum, descendit, aut descensurus est. Ergo inde potius redarguitur, quòd contrà planum, id est, contra humilitatem Domini nostri, quem intelligimus per Zorobabel (vt iam dictũ est) steterit mons magnus & frustra. quia in hoc plano. i. in hoc miti & humili corpore est Spiritus sanctus, cui resistere non potest spiritus malignus. Sequitur. [Et educet lapidem primarium & exæquabit gratiã gratiæ eius.] Quis nisi spiritus meus, de quo dixeram, ego Dominus non in exercitu, nec
Danie. 2. in robore, sed in spiritu meo. Quis inquam,
Roma. 8. nisi spiritus meus educet lapidem primariũ,
1. Cor. 4. id est, mediatorem Dei & hominem Iesum Christum, lapidem vtique angularem & honorificatum, & exæquabit gratiam gratiæ eius. Educet eum, id est, crescere faciet, vt iuxta propheticum, quod Daniel exposuit regi, somnium, fiat mons magnus, & impleat
1. Iohan. 3. vniuersum orbem terrarum. Gratiam quoque exæquabit gratiæ eius, ita videlicet, vt non sit solus, sed sit primogenitus in multis fratribus. Nam hæc est gratia, quam secundum hominem accepit Dominus Iesus, qd' vocatur & est Dei filius: Quid enim habet, quod non accepit, etiam in vnigenito, nostra natura? Ergo gratiam, inquit, exæquabit Spiritus sanctus gratiæ eius, id est, multos faciet fratres, & cohæredes eius, hinc est illud. Videte qualem gratiam donauit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus. Veruntamẽ licet in hoc gratia, quã dedit nobis Deus, exæquata sit gratiæ eius, non tamen omni modo æquales sumus aut erimus, quia videlicet ille solus natura filius. nos autem omnes adoptione filij Dei nominamur & sumus. Magna quidem distãtia est, sed quid dum modò filij & cohæredes vnici & vnigeniti sumus? [Et factum est verbum Domini ad me dicẽs. Manus Zorobabel fundauerũt domum istã, & manus Zorobabel perficiẽt eam, & scietis, quia Dominus exercituũ misit me ad vos. Quis enim despexit dies paruos, & lætabuntur & videbunt lapidem stãneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.] Nondum de toto ornatu candelabri responderat angelus interroganti, immò & postmodum interrogauit, sicut post hæc sequitur. Quid sunt duæ oliuę istæ ad dexterã candelabri, & sinistram eius. itemque secundò. Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quę sunt iuxta duo rostra aurea. Ergo & hoc, quod nunc interseritur, & factum est verbum domini, ad rationes eiusdem pertinet candelabri, maximè quia lapidem stanneum videbunt, vt in manu Zorobabel, statimq; subiungit. Septem isti oculi Domini, qui discurrunt in vniuersam terram. Denique & hæc & illud, quod præmissum est ducet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius, prohibent nos & increpant ne istud medium, manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam, eo tantũmodo sensu accipiamus, quo pueris illius temporis blanditur, quisq; huiusmodi est. Domum istam manufactã, quam in metu & cum retardatione ædificare cœpistis, impedientibus aduersarijs in breui completam videbitis, ita vt ex ipsa velocitate operis scire debeatis, quod Dominus exercituũ miserit me ad vos. Scire (inquam) debebitis, per hoc. Quis enim despexit dies paruos? quod est dicere. Cui non mirum visum est, aliquando grandè opus fieri intra dies paruos siue paucos? Sunt autem pauci dies, ab anno secundo Darij regis, à vicesima & quarta vndecimi mensis eiusdem anni, qua videlicet die ego loquor vobis in verbo DOMINI, vsque ad tertium diem mensis Adar huius anni, scilicet, qui sextus est Darij Regis. Nimirum pauci dies ad tantum opus videlicet tantum quatuor anni computantur, & tam paucis diebus opus illud completum fuisse scriptura Esdræ testatur. *1. Esdræ. 6.* Cum enim dixisset. Seniores autem Iudæorum ædificabant & prosperabantur iuxta prophe-

Sensus literalis de ædificato.

prophetiam Aggæi prophetæ, & Zachariæ filij Addo, ita subiunxit. Et completi sunt dies domum Dei istam vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus Sextus Darij Regis. Benè ergo cùm dixisset. Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos, dignam statim rationem cũ acri interrogatione subiunxit dicendo. Quis enim despexit dies paruos, id est, quis tantam velocitatem tanti operis non accipiat pro testimonio siue experimento, quod Dominus
Sensus mysticus de Christi tẽplo non manufacto misserit me ad vos? Ad quid autem illam dierum paucitatem scire nobis valet, nisi ad illud, quod supra puerilem sensum est, & senes delectare debet, qui paruos dies, nec plures quàm communes creandi hominis natura postulabat, in formando templo dominici corporis nõ manufacto transisse manifestum est? Denique & illa domus quatuor
Ioban. 2. annis ædificata est, & istud proprium Dei templum nouem mensibus à conceptione decursus, nascendo in hanc lucem eductum est. Non tamen huic contrarium est illud, quod in Euangelio Iudæi contra Dominũ dicunt, quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, quia videlicet illi rancore ex inuidia fœuientes, quia dixerat, soluite templum hoc, & ego in triduo excitabo illud, non solùm tempus quo templum ædificatum est, sed impedimentorum quoque & dilationis annos computauerunt. quibus opus, ne fieret ab edicto Cyri regis, vsque ad secundum Darij annum, impeditum & dilatum est. Et vt magis amplectamur, quod dixit. Et scietis, quia dominus exercituum misit me ad vos. quis enim despexit dies paruos? sciendum, quia non plures, quàm totidem in est, nouem generationes transituræ
Nouem generationes inter Zorobabel & Ioseph virum Mariæ. erant inter Zorobabel, cuius tempore prophetauit iste, & Ioseph virum Mariæ. Zorobabel quippe genuit Abiud, Abiud genuit Eliachim, Eliachim genuit Azor, Azor genuit Sadoch. Sadoch Achim, Achim Eliud, Eliud Eleazar, Eleazar Mathan, Mathan Iacob. & post hunc illa non manufacta domus Domini fundata est in vtero, & ex vtero virginis, habentis, sed non cognoscentis, virum Ioseph. Quid despexit aut despicere debuit dies tam paruos, verbi gratia, vt diceret, in tempora longa fiet istud. Tunc vtique qui fideles erunt, qui redemptionem Israel expectabunt, scientes experimento, quòd Dominus exercituum miserit me, & hæc reuera loquutus fuerit per me, lætabuntur (ait) & videbunt lapidem stanneum, in manu Zorobabel, id est, Christum natum de stirpe Zorobabel. Quare autem dixit lapidem stãneum, & non potius aureum lapidem siue Chrisolitum, aut supra iam dixit, candelabrum aureum? Ad hæc, hoc sciendum, quia
Colloss. 2. gloria humanitatis Christi vsque ad passionem mortis longè minor existit, quàm esse cœpit ex virtute resurrectionis. Erat quidẽ etiam ante passionem habitans in illo omnis *Esaiæ 11.* plenitudo diuinitatis, manebatq; & requiescebat super eum spiritus septiformis. vnde & ita super lapidem stanneum, septem oculos Domini, sicut super candelabrum aureum, septẽ lucernas se vidisse dixit, sed quãto preciosius stãno aurũ, quanto lapide stãneo candelabrũ aureum, tãto glorioſior est post resurrectionem quàm fuit ante passionem humanitas eiusdem mediatoris Dei & hominum. Sequitur. [Et respondi, & dixi ad eum. Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexterã candelabri & sinistram eius? Et respondi secundò, & dixi ad eum. Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro? & ait ad me, dicẽs. Nunquid nescitis, quid sunt hæc? Et dixi. Non Domine mi, & dixit. Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.] Valdè attenta & studiosa percunctatio vix breuem responsionem accepit, quæ & si prophetæ intelligibilis fuit, vt pote iam intelligentiæ donum habenti, nihilo minus clausum illius temporis hominibus sensum continuit, quàm si nihil responsum fuisset ei. Sed & hodieq; sensus eiusdem responsionis multis dubius & incertus est, ita vt alij duas oliuas Mosen & Heliam significare velint, alij legem & euangelium in dextra, lex in sinistra sit. Nos autem postremi quid dicemus, si nec illud, nec illud sufficit? Nimirum quoniam in septẽ lucernis super candelabrum aureum significationis Spiritus sancti, quem cum patre Deo filius Deus glorificatus, & propter passionẽ mortis gloria & honore coronatus dedit, & tantæ dignitates duæ oliuæ sunt, vt stent iuxta duo rostra aurea candelabri, vnam ad dexteram & vnam candelabri siue lampadis arbitramur nihil dignius, nihil intelligi posse conuenientius, quàm duo data eiusdem Spiritus sancti. Bis nanq; datus est spiritus. Primò, in remissionẽ peccatorũ per passionem Domini nostri Iesu Christi. Secundò in diuisiones gratiarum per gloriã eiusdem Iesu Christi resurrectione & ascensiione glorificati, & sedẽtis ad dexterã maiestatis in excelsis. Vna oliua à sinistris, & vna à dexteris candelabri. Quia videlicet datum primũ, quod est in remissionem peccatorum ab humilitate passionis, secundum quod est in diuisione gratiarum à gloria paterni consessus, credentibus in ipsum prouenit. Hæc sunt duo rostra aurea, videlicet, adoranda passionis humilitas, & prædicãda exaltationis gloria, iuxta quæ videntur stantes duæ oliuæ, quia videlicet vbi passus & mortuus est, ibi expectantibus se remissionẽ peccatorũ contulit defũctis & viuis. vnde & mox vbi post mortẽ in medio discipulorũ suorũ rediuiuus stetit, & dixit eis. Accipite Spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis peccata remittũtur eis. Et exinde quinquagesimo die vbi sedet ad dexteram pa-

Duæ oliuæ duo data spiritus sancti.

Duo rostra aurea, Ioan. 20. Actor. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ram patris, inde diuisiones gratiarum dedit Apostolis, quas & significabant dispertitæ linguæ, quæ apparuerunt illis tanquam ignis. Istæ sunt ergo (inquit) duo filij olei, id est, duo data Spiritus sancti siue duo effectus omnipotentis eius gratiæ, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ, quia semper promptum & paratum est vni Deo patri, & filio & spiritui sancto remissionem peccato

CAP. V. rum, & insuper quamlibet diuisiuam gratiã
"dare, & prout vult distribuere. [Et conuer-
"sus sum, & leuaui oculos meos, & vidi, & ec-
"ce volumen volans, & dixit. Quid tu vides?
"& dixi. Et ego video volumen volans, Lon-
"gitudo eius viginti cubitorum, & latitudo
"eius decem cubitorum, & dixit ad me. Hæc
"est maledictio, quæ egredietur super faciem
"omnis terræ, quia omnis fur, sicut scriptum
"est, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc simi-
"liter iudicabitur. Educam illum dicit Domi-
"nus exercituum, & veniet ad domum furis,
"& ad domum iurantis in nomine meo men-
"daciter. Et commorabitur in medio domus
"eius & consumet eum, & ligna eius, & lapi-
"des eius.] Hoc futurum erat vt post illa, quę
hactenus in hac visione significata sunt, scilicet post incarnationem, passionem, resurrectionem, & ascensionem Domini Iesu, da to spiritu, prædicantibus Apostolis Iudæi

Deut. 28. non crederent, imò & prædicatores euange lij persequerentur & occiderent, atque proinde venirent super eos omnes maledictiones legis, quas Moses in Deuteronomio scripsit, quę sunt huiusmodi. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictũ horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, &c. Rectè ergo & secundum rerum gerendarum ordinẽ, Post quam dixit Dominus, ecce venio & habitabo in medio tui. Postquam ablatis vestimẽtis sordidis, Iesus indutus est mutatorijs, Postquam candelabrum aureum stetit cum septem lucernis, & duabus oliuis siue oliuarum spicis, quæ sunt duo filij olei, id est, duo de quibus iam dictum, data benedictionis, cernitur volumen volans, & hæc est maledictio, inquit, & educam illud & veniet ad domum furis & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter. Dilexit enim maledictionem & veniet ei & noluit benedictionẽ & elongabitur ab eo. Volatus voluminis, cursum velociter aduenientis significat ma-

Psal. 108. ledictionis, quia videlicet, sicut Psalmista di-
Ibidem. xerat, In generatione vna deleatur nomen eius, ita futurum erat, & ita factum est, vt vltra quadraginta annos maledictio, id est, vindicta super populum Iudaicum non differretur. Longitudo voluminis, id est, male-

Longitudo & latitudo voluminis. dictionis. æternitas est damnationis, & latitudo eius, temporalitas tribulationis. Nam & in præsenti & futuro seculo damnati sunt increduli Iudæi in vindictam sanguinis Domini Iesu & prophetarum eius. Et latitudo quidem maledictionis decem cubitorũ est, quia videlicet temporalis tribulatio, qua ceciderunt in ore gladij, & captiui ducti sunt in omnes gentes, decalogi, quod præuaricati sunt, iusta vindicta est. Porrò longitudo eiusdem maledictionis viginti cubitorum, id est, dupla est, quia nimirum æterna damnatio non solùm corpus vt præsens tribulatio continget, sed & corpus & animam gehennali igne puniet. Hæc igitur est maledictio (inquit) quæ egreditur super faciem omnis terræ. & profectò primùm terræ Iudaicæ. Ira enim & indignatio, & tribulatio, & angustia in omnem animam hominis Iudæi primùm & Græci. Et reuera prophetiæ præsentis ordo postulat, faciem omnis terræ hic intelligi vniuersitatem terræ Iudaicæ, quæ legem accepit, id est, non solam ciuitatem Hierusalem, sed & omnes ciuitates Iudææ, quia super omnem terram illam maledictio aduolauit & super omnem gentem illã effusa est. Vnde & adhuc subditur. Quia omnis fur, sicut alibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Quomodo ibi scriptum est, scilicet in volumine maledictionis? Præmisso, maledictus eris in ciuitate vsque, maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Quantæ, quàm horribiles maledictionis sententiæ, nominatim cursu continuo proferantur, vo lenti legere vel numerare promptum est. Triginta nanque eiusmodi sententiæ, & plerę; ex ipsis declamatione imprecatoria deprõptæ, quarũ prima est. mittet Dñs super te famem & esuriem, tricesima, ipse erit in caput, & tu eris in caudam. Nam verba siue sententias esse maledictionis ipse cõfirmat, ita concludens, & venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te donec intereas. Post hæc & alia similiter ad maledictionem pertinentia declamat, nò tamen imperantis modo, sed annunciatio & loquentis more prophetico. Hæc idcirco dixerim, quia reuera nonnihil habet cõsiderationis, & admiratione dignũ, tot præscriptas fuisse sententias maledictionis, quot argenteos daturi erant in pretium sanguinis Domini. In Psalmo quoq; cẽtesimooctauo, si diligenter computes, maledictiones totidem inuenies, quarum prima, constitue super eum peccatorem, vltima est, & induantur sicut diploide confusione sua. Nonne propter hæc magis delectatus animus, numerum voluminis qui est in longitudine, & numerum qui est in latitudine rectè coniungit & componit, vt sint triginta cubiti magnitudinis voluminis, sicut sunt triginta sententiæ maledictionis, & triginta argentei fuerunt, quos in pretium sanguinis DOMINI fur ille, id est, cœtus Iudæorum dedit? Denique sicut longitudo & latitudo vnam magnitudinem faciunt, ita & decem qui sunt latitudinis

Triginta maledictiones.

Mysteria in triginta.

& viginti cubiti longitudinis rectè simul ve-

Domus furis templũ Iudæorũ. niunt, & triginta fiunt. Et quis nesciat, quis dubitet euenisse quod ait, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis

Matth. 21. iurans ex hoc similiter iudicabitur, educam

Ibid. 26. illud & veniet ad domum furis, & ad domũ

Deute. 28. iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius & lapides eius? quis nescit, quis non audit, quia sic omninò factũ est? Venit enim volumen illud maledictionis ad domum furis, ad domum illam, quæ cum debuisset esse domus orationis, facta est spelunca latronum, & domus negotiatio nis, & ille fur qui hoc fecerat, & latrocinia sua in domo illa periuro cumulabat, imò & ipsum Dei filium mendaciter, & in dolo adiurauerat, proloquente quodam. Adiuro te per Deum verum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius dei benedicti? Omnis eiusmodi fur & eiusmodi iurans siue adiurans, id est, tam populus quã sacerdos iudicatus est, sicut ibi scriptum est. omninò sicut scripsit Moyses, & consumpsit eum, ligna eius & lapides eius, ita vt flamma concremarentur ligna, & nõ remaneret lapis super lapidem de omni domo illa, & non pertransiuit à populo illo volumen illud, quod est maledictio, sed commorabitur adhuc in medio eius. Se
"quitur [Et egressus est angelus, qui loqueba
"tur in me, & dixit ad me. Leua oculos tuos
"& vide. Quid est hoc, quod egreditur? & di-
"xi. Quid nam est? & ait. Hæc est amphora e-
"grediens. Et dixit. Hic est oculus eorum in
"vniuersa terra. Et ecce talentũ plumbi por-
"tabatur, & ecce mulier vna sedens in medio
"amphorę, & dixit: Hæc est impietas. Et pro-
"iecit eã in medio amphorę, & misit massã plũ
"beã in os eius. Et leuaui oculos meos & vidi,
"& ecce duę mulieres egrediẽtes, & spiritus
"in alis earũ, & habebãt alas quasi alas milui,
"& leuauerunt amphoram inter terram & cę
"lum. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in
"me. Quò istę deferunt amphoram? Et dixit
"ad me, Vt ædificetur ei domus in terra Sen-
"naar, & stabiliatur, & ponatur ibi super ba-
sim suam.] Pars maxima, pars præcipua Iudaici sceleris, & pœnæ consequentis, miracu lo mystico, mysterio mirabili designatur litera præsentis capituli. Dixerat in præceden tibus furem, dixerat mendaciter iurantem,

Matth. 23. sed de his duobus dictis, nondum habes scelerum illorum mensuram siue plenitudinẽ, quam ipse Dominus cognitam, imò præcognitam habens iamdudum, & vos, ait, implete mensuram patrum vestrorum. Mensura illa rectè hic intelligitur præmonstrata per amphoram. Nam leuatis oculis suis ad videdum, & attentus factus ab interrogante oculo, quid est hoc, quod egreditur, & ipse interrogans, quid nam esset, audiuit. hæc est amphora egrediens & hic est oculus eorum in vniuersa terra. Secundum ordinem hacte nus in præsenti visione obseruatum, rectè, vt iam dictum est, illa intelligitur mensura patrum, qui prophetas occiderunt, quam cũ impleuissent filij, occidendo ipsum prophetarum Dominum, lapidando siue occidendo, flagellando in synagogis suis, & persequendo de ciuitate in ciuitatem missos ad se prophetas euangelicos, & sapientes, & scribas iustum fuit vt veniret super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, quemadmodum ipse dixit, & ita factum est. Et notandum, quod amphoram etiam oculum nuncupauit. hic est (inquiens) oculus eorum in vniuersa terra. Constat enim, & in vniuersa terra notũ est, quia non per ignorantiam, sed per inuidiam Christum occidendo, & Apostolos eius persequendo, mensuram illam siue amphoram impleuerunt, & omninò scienter peccauerunt, & oculum in peccando apertum & videntem habuerunt: Nam si cæci essetis, ait, non haberetis peccatum, & alibi. Nunc autem & viderunt & oderunt, & me & patrem meum. Verè igitur hic est (ait) oculus eorum in vniuersa terra, quia videlicet peccatum eorum non effecit error siue ignorantia, sed oculus nequam, nequam, id est, inuidia, & hoc auditum est in vniuersa terra.

Ioban. 9. *Ibidem 15.*

Sed & illud notandum, quod dicens, hęc est amphora, addidit egrediens, quia profectò illa iniquitatis amphora diu versabatur intus, & in conuenticulis & secretis consultationibus, quomodo Iesum in sermone caperent, quomodo illum dolo tenerent & occiderent, & quod taliter diu tractauerunt, tandem longo circuitu pertractum, egressum est in publicum. Hinc est illud Psalmistæ, quod tam de traditore, quàm de omni inimicorum cœtu, qui dixerunt, quando morietur & peribit nomen eius, rectè intelligitur, cor eius congregauit iniquitatem sibi, egrediebatur foras, & loquebatur inidipsum, aduersum me susurrabant omnes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi, verbum iniquum constituerunt aduersum me. Nimirum sic agendo ampho ra intus versabatur, tunc autem egressa est, quando diffinito consilio, tanquam ad latronem exierunt cum gladijs & fustibus, & seditiosis clamoribus petierunt atque effecerunt vt crucifigeretur. Et ecce ait, talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit. Hæc est impietas. Talentum plumbi, pondus est iudicij siue damnationis, magnum vtique & graue secundum magnitudinem & grauedinem irremisibilis delicti, id est, cordis impœnitentis.

Matth. 22. *Marc. 14.* *Psalm. 40.* *Ioban. 18.*

Nam huiusmodi delictum impietas est, cuius perseuerantiam quam hodieq; videmus, sessio mulieris in medio amphoræ congruè significat. Sedens namq; nunc vsq; pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres impij in cathedra pestilentiæ blasphemantes,& filios suos Christum blasphemare docentes,atque hoc modo in medio amphoræ siue mensuræ impletæ mulier sedet, dum eis etiam in ore gladij cadentibus, & vbique gentium in captiuitatem dispersis,impietas sua placet. Proindè quid sequitur? Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius. Hoc post præsentem vitam & fit & fiet. Iam factum est,quod supra significabatur & dicebatur,vbi volumen volans propheta vidit, & hæc maledictio (inquit angelus) & educam illud,dicit dominus exercituum,ad domum furis, & consumet eum, & ligna eius,& lapides eius. Hoc(inquam) iam factũ est,quia templum illud exterminatum, & quæ erat ciuitas destructa est, sed magnitudo amphoræ & impietatis,quæ in medio sedet,exigit,vt hac vindicta simplici, iusticia Dei non contenta sit. Ergo & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius,statimque & leuaui(ait)oculos meos & vidi,& ecce duæ mulieres egredientes,& spiritus in alis earum, & leuauerunt amphoram inter terram & cælum, & cæte. Mirum quod & mulier,quę est impietas,sedebat in medio amphoræ, & proiecit eam in medio amphoræ, vt litera sonat. Quomodo poterat proijci in medio amphoræ,quæ sedebat in medio amphoræ? Sed profectò amphora ista non manufacta, quæ est impleta peccati mensura,aliter est, quia videlicet peccato suo nemo traditur, nisi qui se tradidit vltroneus,iuxta illud. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, & qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est,sordescat adhuc. Nam proijcere impietatem,id est,impiam animam,hoc est,non cõuertere eam,quod tunc fit, cum ad quartũ scelus peruenerit, sicut in Amos Dominus dicit. Super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor,siue super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertam eum. Primum namque scelus est, malam voluntatẽ habuisse,secundum,malum quoq; opus perpetrasse,tertium,consuetudinem mali operis habere,quartum arguenti legi siue iustitiæ Dei repugnare, & verba proferre blasphemiæ. Qualis vel quanta quarto huic sceleri pœna debeatur,significat id, quod dictum est,& misit massam plumbeam in os eius. Massa namque plumbea siue talentum plumbi,pondus(vt iam dictum est) significat damnationis vel iudicij Dei, quod videlicet impietas huius amphoręid est,mensuræ sæpe dictæ irremisibilis sit,testante ipso Domino, quia qui dixerit verbum contra spiritum sanctum,id est,qui scienter de bono dixerit malum, vt tunc Iudæi vel Pharisæi,& post Hæreliarchæ fecerunt, non remittetur ei in hoc seculo, neque in futuro. Quid tandem sunt duæ mulieres, quæ portando huic tanto ponderi addictæ,quemadmodum dicit. Et leuauerunt amphorã inter terram & cælum? Duas ex scripturis prophe ticis mulieres notas habemus,& nomina earum,ait dominus ad Ezechielem, Oolla maior,& Ooliba soror eius minor. Item. Porrò earum nomina Samaria Oolla,& Hierusalem Ooliba. Ac deinceps. Fili hominis nõ iudicas Oollam & Oolibam, & annuncias eis scelera earum,quia adulteræ sunt,& sanguis in manibus earum? Hæc & his similia per similitudinem dicta sunt,quia videlicet sicut adultera dicitur & est mulier, quæ relicto viro suo alteri commiscetur viro, ita Oolla & Ooliba relicto Deo patrum suorũ coluerunt Deos alienos. Et sanguis in manibus earum,quia missos ad se prophetas occiderunt. Et Ooliba minor plus quàm Oolla, id est,Hierusalem plus insaniuit, quàm Samaria: Quomodo? quia proculdubio cum similia fecerit Hierusalem, quæ & Samaria fecit,occidendo prophetas,& sectando idololatriam,addidit quod maius est, occidendo Dominum,& eligendo Barrabam,quod fuit implere(vt iam dictum est) mensuram patrum, quæ intelligitur per amphoram. Pulchrè ad hunc sensum accedit, quòd & apud Oollam,id est,Samariam mulier Iezabel priores prophetas interfecit,& apud Ooliba m,id est, Hierusalem mulier Herodias nouissimum prophetarum & plus quã prophetam Ioannem occidit. Igitur duæ mulieres patres & filij sunt. patres, qui mensurã sanguinis ferè dimidiauerunt,& filij qui mẽsuram impleuerunt,& ita vnam eandẽ amphora sibi ad portandum, cum impietatis pondere communem fecerunt. Iste habebant alas quasi milui,id est,superbiam quasi diaboli,quia videlicet sicut in Psalmo scriptum est. Tenuit eas superbia, opertæ sunt iniquitate & impietate sua, & prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. dum diceret anterior mulier,non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Posterior verò dicente Pilato,Regem vestrum crucifigam? clamaret dicens. Non habemus regem nisi Cæsarem: Itaque & spiritus (inquit) in alis earum,spiritus vtique blasphemiæ, vnus idemque in superbia mulierum talium, vtilla subsannaret patrem & patriarcham & Dauid,ista filium Dauid. Hoc omninò reminisci iuuat,quotiescunque mensuræ illius mẽtio fit,de qua hic agitur,propter amphoram eiusmodi, quia videlicet abnegatio Dauid, & scisma quod fecerunt patres,scindendo sẽ à domo Dauid, vitulosque colendo, quos Hieroboam fecit, initium fuit impietatis, quam impleuerunt filij negando Christum ante faciem Pilati. Nónne patres dicendo. Non est nobis pars in Dauid,iam negatores extiterunt eiusdem Christi, quem negauerunt filij. Promissio namque facta fuerat ipsi Dauid,Christum de semine eius nasci,& idcir-

Psalm. 80. *Apoca. 22.* *Amos. 2.* *Matth. 12.* *Ezech. 13.* *3. Reg. 11.* *Matt. 11.14* *3. Reg. 12.* *Psalm. 72.* *Iohan. 19.* *3. Reg. 1.*

idcirco sicut ad Samuel dixit dominus. Non enim te abiecerũt, sed me,ne regnem super eos,ita de illis verisimè dicas,quia non Dauid,sed Christum negauerunt, ne regnaret super eos,præligentes filio Dauid Barrabã, sicut illi patres eorum ipsi Dauid præelegerunt Hieroboam. Et leuauerũt(ait)amphoram inter terram & cælum. Quid sibi vult huiusmodi dictum, leuauerunt inter terrã & cælũ. Scimus quidem, quia quod est portandum siue deferendum,deferendo leuatur inter terrã & cælum. Sed quid sibi vult huiusmodi dictum? nisi vt innuat tibi,respicere rem,cuius erat totum portentum? Quę nam est illa res? Nimirum ipsa sanguinis vindicta,cuius(vt supra dictum) signum erat amphora,& in amphora sedẽs impietas. Quanis enim est sanguinis siue iniquitatis illius vindicta? Ecce palã est, & videmus Iudæos qui mensuram illam (vt sæpe iam dictum est) impleuerunt,leuatos inter terram & cælum. Quomodo? quia videlicet nec terra sua capit eos,nec cælum admittit eos. Nónne ducti in omnes gentes captiui, terram suam nõ contingunt? Multò magis cælum cõtingere, id est,ad regnum cælorum peruenire,cũ sint increduli, non possunt. Huius rei non istud solum fuit portentum,quod leuauerunt amphoram inter terram & cælum, verumetiã illud quod sceleris eorum signifer Iudas perijt inter terram & cælum. Suspensus enim crepuit medius,& vt ait quidam,cælo terræque perosus,inter vtrunque perit, & diffusa sunt omnia viscera eius. Sic nanque ille populus cælo ac terræ perosus à terrena Hierusalem abactus, & cælesti Hierusalem indignus,inter vtranque perijt,& sic reliquiæ disperſæ sunt eiusdem populi, sicut pendentis viscera proditoris. Quantò melius,quantò pulchrius atque dulcius signum siue portentum,quod duo viri ex his,qui explorauerãt repromissionis terram,reuertentes botrum cum palmite in vecte portauerunt. Confer duos illos viros duabus mulieribus istis,& vectationem illorum istarum oneri,si tamẽ possunt conferri,cùm omninò cõtraria sint. Sicut enim istæ mulieres duæ malos patres, & malos malorum patrum filios,qui impleuerunt mensuram corũ, significauerunt:sic econtra,illi duo viri,bonos patres, quorum optimi patriarchæ & prophetæ fuerunt, & bonos bonorum patrum filios, quorum Apostoli optimi sunt, & mysticè designauerũt. Et sicut amphora quam inter terram & cælum mulieres leuauerunt, plenæ mensuræ scelerum portentum fuit:sic econtra botrus, quem in vecte viri portauerunt, pietatis & iustitiæ quæ in cruce pependit,signum extitit. Nunc sequentia percurramus. Quo (inquit) istæ deferunt amphoram? Vt ædificetur(ait)illi domus in terra Sennaar,& stabiliatur ibi super basim suã. Terra Sennaar dicta est terra Babylonis,vbi turrim ædificauerunt superbi, quorum linguę confusæ,& ipsi in omnes terras dispersi sunt. Interpretatur autem Sennaar, excussio siue fœtor dentium,& hoc maximè loco terram significat illã, q̃ dicit Dauid tenebras,& terrã obliuionis, & Iob sanctus terram tenebrosam,& opertam mortis caligine, ille dicendo. Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua,& iudicia tua in terra obliuionis, iste autem clamando. Dimitte me domine, vt plangam paululùm dolorem meum,antequã vadam ad terram tenebrosam,& opertam mortis caligine. In illam terram Sennaar,in illam terram putoris dentium,desecerunt(ait) mulieres istæ amphoram suam, mulieres quarum dentes arma & sagittæ, & quarum lingua gladius acutus,vt illic ædificetur illi domus & illic super basim stabilia tur. Quæ est illa domus? Quæ est illa basis eius? Domus est mortis, basis est perditionis stantis & permanentis. Quia sepulchra eorũ (ait Psalmista) domus eorum in perpetuum, & non est ibi spes siue expectatio transeundi ad alium domum, transmigrandi ad alium locum. O ergo quã malum stabilimentum, quod miro modo declamauit, ita pronuncians,vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur & ponatur ibi super basim suam Sequitur. [Et conuersus sum,& leuaui oculos meos,& vidi, & ecce quatuor quadrigę egredięntes de medio duorũ mõtiũ, et mõtes,mõtes ærei. In quadriga prima,equi rufi, & in quadriga secunda, equi nigri,& in quadriga tertia equi albi,& in quadriga quarta equi varij & fortes. Et respondi,& dixi ad angelum, qui loquebatur in me. Quid sunt hæc,Domine mi? Et respondit angelus, & ait ad me. Isti sunt quatuor venti cęli, qui egrediuntur vt stent coram dominatore omnis terrę. In quo erant equi nigri,egrediebantur ad terram aquilonis,& albi egrediebantur post eos,& varij egressi sunt ad terram austri. Qui autẽ erant robustissimi,exierunt & quęrebant ire & discurrere per omnem terram. Et dixit. Ite & perambulate terram, & perambulauerunt terram. Et vocauit me,& locutus est ad me,dicens. Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis,requieſcere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis]Meminisse oportet, vnam esse,& vnius noctis visionem,ab eo quod dixit. Vidi per noctem. Et ecce vir ascendens super equũ rufum, vsque ad id quod post modum dicturus est, & factum est in anno quarto Darij regis,secundum rerum ordinem,quę tunc gerendę erant, nunc autem gestę sunt ferè omnes,prẽter secundum viri eiusdem, scilicet Domini nostri Iesu Christi aduentum. Consideremus visionis ordinem pulcherrimum, & non minimè delectatus est animus, gloriam talis viri quęrens ac diligens, quia recto hic ordine inuenit historiã

Num. 13. *Gen. 11.* *Epilogus rerum vnius visionis. Infr. 7.* *CAP. VI.* *Psal. 87.* *Iob 10.* *Psal. 56.* *Psal. 48.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutis, historiam gratiæ & veritatis, quomodo Deus & verbum siue filius Dei, memor propositi, memor ad Abraham & Dauid dictæ atque iuratæ promissionis, reuersus est ad Hierusalem in misericordijs, & in ea domus eius ædificata est. Et quatuor cornua quæ ventilauerunt Iudam & Hierusalem, id est, quatuor regna, per quæ conatus est diabolus eandem abolere promissionẽ, detrita sunt, & tunc venit dominus ô filia Syon, & habitauit in medio tui. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Atque idem Deus, filius Iosedech, quod est filius domini iustitiæ, mutatorijs indutus, id est, propter passionem mortis, gloria & honore coronatus est, ascendensque in cælum, factusq; candelabrum magnum, candelabrũ aureum septem lucernarum, claruit per mũdum vniuersum, dando Apostolis, vel prædicatoribus suis sanctum septiformem spiritum, & qui lumen tantum extinguere voluerunt, impleta paternorum mensura scelerum, suam, sicut nouissimè dictum est, amphoram & impietatem blasphemiæ deportandam in terra Sennaar, cum plumbea dãnationis massa receperunt. Quid deinde factum est post illorum excidium, quod dignum sit intelligi per quatuor huiusmodi quadrigas, egredientes de medio duorum montium, quarum in prima sunt equi rufi, in secunda equi nigri, in tertia equi albi, in quarta equi varij fortes? Leuemus cum propheta oculos nostros, & prospectum extendamus per mundum vniuersum. Et ecce mundus plenus est, & ex quo beati Apostoli de candelabro illo sunt illuminati, cœpit impleri quadrigis feruentibus, & equis currentibus, de quibus & Abacuc decantans domino, qui ascendes (ait) super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. Quadriga prima, in qua erant equi rufi, Apostolorũ est & Martyrũ. Quadriga secunda, in qua erãt equi nigri, pœnitentium est, qui ab Apostolorum temporibus incipientes, in his qui sanguinẽ Christi fuderant, vitam nobis cœnobialem sanxerunt. Vnde vsque hodie per orbem niger tam professione, quã habitu perseuerat ordo monachorũ. Quadriga tertia, in qua erant equi albi, ordo est virginum vtriusq; sexus, totum candore suo perornans equitatum Iesu Christi domini exercituum. Vnde illud notandum, quia cùm dixisset. In quo erant equi nigri, egrediebantur ad terram aquilonis ait, & albi egrediebantur post eos. Illum nanque vitæ ordinem, qui facinorosis erat necessarius, quemque priores illi susceperunt, vt fructus dignos pœnitentiæ facerent, subsequuntur quam plurimi, neque homicidij, neque adulterij, siue alterius cuiuslibet criminis rei, immò & plerique corpore incorrupti atque integri, quos beatus Papa Gregorius, quid (inquit) nisi & iustos & pœnitentes dixerim? Planè hoc ipsum est egredi ad terram aquilonis, vitam austeriorem exequi, quæ tantum differtà vita remissiore multis vtente delitijs, non tamen illicitis aut lege prohibitis, quantum rigor aquilonis à suauitate austri siue fauonij, quantum hyemalis algor à vernis distat blanditijs. Vnde notanda littera, quia sic dictum est, in quo erant equi nigri egrediebãtur in terram aquilonis, vt sit sensus. Propter quod erant sibi peccatorum conscij, in propositum se dimiserunt vitæ arctioris. Quadriga quarta, in qua erant equi varij fortes, pastorum atq; doctorum est, & omniũ in quib. eminent illę gratiarum diuisiones, de quibus Apostolus, alij (inquit) per spiritum datur sermo sapiẽtiæ, alij fides, alij genera linguarum, alij gratia sanitatum, &c. Num paruum hoc est, aut indignum fuit inter illa magna, quæ ventura erant, & de quibus iam dictum atq; adhuc dicendum est. Istos ecclesiæ gentium ordines prophetica visione demonstrari, imò quis prophetarũ de huiusmodi tacuit & gentes saluãdas. (Vnde ordines istos diuinitas assumpsit) non declamauit in gaudio Spiritus sancti? Quid porrò sunt duo montes illi, quorum de medio quadrigæ istę videntur egredi, qui videlicet montes dicuntur ærei. Montes isti duo testamenta sunt, Lex & Euangelium, dicunturque montes propter altitudinem siue dignitatem cælestium, quæ continent, sacramẽtorum, quam videlicet altitudinẽ illud quoque significat, quod & lex in monte data est. Et Euangelicum sermonem, Dominus in monte sedens atque os suum aperiens, exorsus est. Montes isti montes ærei, videlicet propter sonoritatem atque diuturnitatem, tam legis, quàm Euangelij, quia non potest solui scriptura tam legalis, quàm Euangelica Nam iota vnum siue apex vnus, ait dominus, non peribit à lege donec omnia fiant, & cælum & terra trãsibunt, verba autem mea non transibunt De medio montium istorũ quatuor quadrigæ egressæ sunt, quia videlicet vtrunque testamentum, quatuor iam dicti ordines ecclesiæ recipiunt, & sicut in alia similitudine dictum est, de medio petrarum dabunt vocem, ita hic rectè dicas, quia de medio duorum mõtium, montium æreorum, quadrigæ istę procurrent, id est, de cõmuni legis & Euangelij sensu siue consensu seruabunt vitę ordinem, scientię vel doctrinæ puritatem. Quid tandem est, quod percũctanti prophetę, quid sunt isti domine mi? Respondens angelus, isti sunt (ait) quatuor venti cęli qui egrediuntur, vt stent coram dominatore vniuersę terrę? Quid, nisi sapiẽtia dicit, quia multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum? Idcirco nimirum quatuor quadrigę istę, quatuor venti cęli dicuntur esse, quia sicut venti perflando flebulas siue pruinas euertunt, aeremque qui per quietem corruptior fieret, inquietando sanio-

Quatuor quadrigæ

Abacuc 3.

Equi varij & fortes.

1. Cor. 12.

Exod. 20.
Matth. 5.
Ioan 10.
Matth. 5.
Ibidem 24

Psal. 103.

Sapien. 6.

saniorem efficiunt. Sic ordines isti, quos diximus singuli in suijs officijs stando, & cùm tempus postulat discurrendo atque festinãdo suscitant homines ad cognoscendum Deum creatorem suum, qui nisi crebra cõmonitione soliciti redderentur, nec cogitarent quidem corrupti mente, restare quicquam post præsens seculum, aut in fine distare quippiam inter hominem & iumentum. Hinc est illud, quod Ioannes in Apocalypsi, Vidi ait, quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos cæli, ne flarent super terram, neque super mare, neque super vllam arborem. Quatuor nanque angeli quatuor angelorũ mali principes, id est, angelicæ fortitudines fuere quatuor regnorum principaliũ, Babylonici, Persici, Macedonici, atque Romani, de quorum vno angelus bonus, qui Danieli loquebatur. Princeps (ait) Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. Regnis siue regnorum principibus illis hoc fuit tenere quatuor ventos cæli, cohibere à cultu siue seruitio Dei quadrigas istas, id est, colentium Deum, id est quos diximus ordines & seruientium creatori, sed inclamauit & compescuit illos alter angelus, qui ascendit ab ortu solis habens signum Dei viui. Qui non est alius nisi vir ille, qui in initio visionis huius super equum rufum ascendit, & post eum equi rufi varij & albi, qui erant sancti priores populi veteris testamẽti. Nam istæ quadrigæ, isti quatuor venti cęli, qui abeuntibus illis mulieribus cum amphora sua, egressi sunt de medio duorum montium, vt assisterent dominatori vniuersæ terræ, sancti sunt iunioris populi, qui (negante Christum synagoga, vt dudum negauerat, dicendo. Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai, mulier altera, scilicet decem tribuum scissura) crediderunt in eum, & assistunt illi nunc vsque, sicut veraciter dominatori vniuersæ terræ. Inter quos ista equorum non prætereunda est distantia, quod illic nigri non erãt equi, tantummodo rufi, varij, & albi: hic autem rufi, nigri, albi, & varij. Quid ex hoc animaduertendum est, nisi quia pœnitentiam, quam equorum esse nigredinem iam dictũ est, publicè illo tempore nemo prædicabat. Nam à diebus Ioannis ista nigredo cœpit, qui primus baptismum pœnitentiæ prædicauit, subsequẽte protinus Euangelica voce ipsius domini dicentis, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Porrò in lege ne saltem pœnitentiæ nomen arbitror vsquã reperiri, sed qui fecerit hoc vel illud, morte moriatur, nisi quod post legem multo tempore venientes prophetæ, aliquid super pœnitentia clamauerunt regibus, & populo qui communiter derelicto domino, & vitulos aureos, quos fecit Hieboam, & Baal, & Astaroth, cæteraq; tam in Hierusalem, quàm in Samaria colebant portenta deorum, à diebus (vt iam dictum est) Ioannis regnum cælorum vim pati cœpit huiusmodi, vt non diceretur, morte moriãtur criminosi, morte moriatur qui hoc vel illud fecit aut fecerit, sed pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum, quorum primum Ioannes, secundum ipse dominum, tertium Apostoli domini post passionem eius, ipso iubente, prædicauerunt, & extunc cunctis peccatoribus, quacunque ex gente vel natione confugientibus, quantumlibet criminosis siue facinorosis, patet pœnitentię asylum, patet eorum violentiæ regnorũ cælorum. Vnde notandum, quia de nigris equis (vt iam dictum est) egredientibus ad terram aquilonis, id est, de peccatoribus pœnitendo semetipsos tradentibus vitæ arctiori dominus ita dicit. Hi qui egrediuntur ad terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis. Etenim hic sensus. Hi qui pœnitentiam egerunt vel agunt de peccatis suis, quod est egredi ad terram aquilonis, vbi vltroneus labor, tanquã glacialis rigor pœnitentis corpus affligit, per hoc ipsum quod illuc egressi sunt, iræ meę spiritum requiescere, id est, cessare fecerunt, vt iam ego non iraſcar eis, quoniam ipsimet irati sunt sibi. Sicut enim peccando exacerbauit dominum peccator, sic contra pœnitentiam agendo spiritum domini requiescere facit peccator. Sine dubio cùm dicit, requieſcere fecerunt spiritum meum, intelligendus est spiritus iræ, testante Psalmista, qui cùm de peccatorum conuersione præmisisset, commota est & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, & cætera, ita subiunxit. Ab increpatione tua domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ. Quod si equi nigri egrediẽdo in terram aquilonis requiescere faciunt spiritum domini, quid putas de his qui egrediuntur post eos equis albis? Et vt manifestius dictum sit, si facinorosi pœnitentiam agendo gaudium faciunt Deo & angelis Dei, secundum illam parabolam centum ouium, & vnius inuentæ quæ perierat, siue decem drachmarum & vnius inuentę, quæ perdita fuerat: quid putas de illis, qui nullius criminis rei, vel conscij propositum vel regulam sequuntur constitutam pœnitentibus criminosis? Profectò hi spiritum domini non solummodo requiescere faciunt, verumetiam oblectant plurimùm, & vnde illi veniam, inde iusti coronam consequuntur sempiternam. Dictum est de equis nigris & equis albis quod egressi fuerint, & non dictum est de equis rufis qui erant primi. Porrò de equis varijs qui erant quarti, manifestè dicitur, qa egressi sunt ad terrã austri.

Matth. 11.
Ibidem 3.
Ibidem 4.
Actor. 2.

Apoc. 7.

Dani. 10.

Apoc. 7.

Pœnitentia facit requiescere spiritum furoris Domini.

Psal. 9.

Psal. 17.

Luca 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed & protinus sequitur. Qui autem erant fortissimi, exierunt & quærebant ire & discurrere per omnem terram. Dixitque dominus ad eos. Ite & perambulate terram. Vnde & arbitrari licet, illos, qui primo loco dicti fuerant equi rufi, nunc in nouissimo fortissimos dici. Nõ plures enim quã quatuor quadrigæ supra numeratæ sunt, neque dictum est hactenus quicquam de equis rufis, nec vllo modo contra rationem est, vt ijdẽ equi & rufi dicantur & fortissimi. Restat igitur dicere, & de istorum egressu. Varij (inquit) egrediebantur ad terram Austri. Iam suprà dictum est, varios equos domini, illos esse vel dici, quibus diuersa data sunt charismata Spiritus S. sermo sapientiæ, sermo sciẽtiæ, gratia sanitatum, genera linguarum, interpretatio sermonum, prophetia vel discretio spirituum, & his similia: Porrò nomine Austri, Spiritus sanctus solet designari. Et quæ terra huius austri, nisi sancta scriptura legalis, prophetica, euangelica, quã vniuersam vtique Spiritus sanctus condidit? Quid igitur est, varios equos egredi ad terrã austri, nisi doctæ fidei viros iam dictas diuisionum gratias habentes, eximere se omnibus curis seculi, soliscque vacare vel studere scripturis sanctis, & verba tractare Spiritus sancti. Talium est enim huiusmodi negotium, propter ipsum, quòd non solummodo nigri siue albi sunt, sed varij, id est, non solummodo propositi sancti executores vel sanctitate vitæ decori: sed & sancti pariter & eruditi, quasdam habentes facultates sermonis & præclari ingenij, cæterorumq; talium quas non habent multi, qui sunt vitæ laudabilis & arctioris, quã sunt isti, quia non deditipse auster, cuius hæc terra est, non dedit spiritus sanctus diuitiarum huiusmodi dominus, diuidens singulis prout vult. Denique sicut de quodam paulò simplice legimus, qui in conuentu patrum requisisse fertur, prius ne prophetæ fuerint, an Christus, ita de multis diffiteri non possumus sanctæ vitæ, vt extitit ille, q̃ eis plurimum defuerit, gratiæ illius qua sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo est qui claudat, qua Apostolis suis iam quidem sanctis, sed eatenus idiotis, post resurrectionem suã aperuit sensum, vt intelligerent scripturas. Qui erant fortissimi, videlicet, quos iam ante rufos dixit. quærebant exire & discurrere in omnem terram, quia videlicet spontanea charitate fortissimi milites Christi, pro fide ipsius ad passiones cucurrerunt, spontanea deuotione tradiderunt corpora sua ad supplicia propter Deum, hoc expediebat, & fidei Christianæ talis eorum fortitudo necessaria erat, quia profectò, multos idololatria defensores habebat, quorum stultitia nihilo melius quã morte vel sanguine martyrum cõfundi, vel superari poterat. Et notandum, quia nõ prius dictũ est equis fortissimis, ita & perambulate terram, & postea, quæsierũt exire & discurrere in vniuersam terram, sed prius quæsierunt exire, & tunc demum dictum est eis, ite & perambulate terrã. Christiano quippe nolenti aut timido non præcipitur, vel semetipsum ingerat passioni, vel persecutorib. obijciat, imò licentia datur fugiendi, dicente dño. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Volentibus ergo atq; desiderantibus coronam martyrij, per magnam gratiam cõcedi designatur, dũ fortissimis equis volentibus exire, dicitur: ite & perambulate terram. Exempli gratia. Tunc vnus de equis huiusmodi, equis fortissimis quærebat exire. & dictum est ei, & perambula terram quomodo B. Laurentio dicenti ad Sixtum Papam. Quo progrederis sine filio pater, respondit ei dñs per os illius, q̃ post triduum esset secuturus. Cautela bona, cautela necessaria est omnib. equis domini, quamuis fortissimis, vt quãuis multum desiderent ad martyrium exire, non exeant, nisi expectata, & per orationes quæsita dignatione supernæ gratiæ, quia periculosum est huiusmodi prælium, nisi magnũ adsit Spiritus S. solatium, & pleriq; in negationis barathrum prolapsi sunt, dum se fortiter agere cõfidentes, vltro se tradiderunt. Quàm fortissimus in hoc ordine Petrus Apostolus extitit, in quo tamen summæ sapiẽtiæ complacuit sancire exemplum cauendi nimiam confidentiam in eiusmodi. Cùm enim dixisset. Domine tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire, animam meam pono pro te, & si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scãdalizabor, & si oportuerit me mori tecum, nõ te negabo, cum ita fortiter cinxisset se adhuc iunior & ambularet vbi volebat, occurrit ei vna ancilla, & tu (inquit) ex illis es, atque hoc audito mortem timuit & vitam negauit. Expectandum illi fuerat, vt alius eum cingeret & duceret, quod & factum est postquam senuit, postquam sapientiam veramque fortitudinem didicit, quia videlicet senilis animi & cani sensum est scire, quod hæc fortitudo non in homine, sed in Deo sit. Itaque fortissimis equis & ratio præsens, & exemplum in promptu esse debuit, vt volentes exire, expectarent nutum dicentis: ite & perambulate vniuersam terram, quod est dicere offerte vos ad mortem propter me sustinendam. Nam quia moriturus quispiam dicit, aut legitur dixisse, ego ingrediar viam vniuersæ terræ, rectè & hic exire in vniuersam terram, siue ambulare terram intelligitur, quod sit mortem non timere, ad meliorẽ vitam festinare. Ad vltimum & hoc nõ prætereundũ, quia congruè quos in ordine quadrigarum dixerat equos rufos, hic vbi exire volentibus dictum refert, ite & perambulate terram, non dixit rufos, sed dixit: fortissimos. Quia videlicet non ante quàm fundant, sed

Matth. 10.

1. Cor. 12.

Apoc. 3. Luce 24.

Equi fortissimi, Apostoli & martyres.

Matth. 26. Ioan. 13. Luca 22. Ioan. vlt.

Perambulare terram quid est.

3. Reg. 2.

Equi rufi, per sanguinis fusionẽ.

sed postquam fuderint sanguinem suũ propter dominum, equi domini rufi sunt, & vt manifestius dictũ sit, ante passiones suas confessores equi albi sunt, in passionibus & post passiones vsque in sempiternum martyres & equi rufi sunt. Post hæc omnia quæ hactenus dicta & facta sunt, eodem ordine quo in hac visione præmonstrata fuerant, ab eo quod dictum est, vidi per noctem, & ecce vir ascẽdens super equũ rufum, quid restat secundũ Christi Euangelium, nisi vt veniat ipse filius hominis sedẽs in sede maiestatis suæ, & coronam regni habens in capite suo, pro eo quod propter nos homo factus, & in ista captiuitate natus, in ista Babylone cum hominibus conuersatus, nostram captiuitatem per passionem suam soluit, & multos filios in gloriam adduxit, & reduxit congregatos in vnum qui dispersi fuerant, secundum similitudinem illorum, qui tunc soluta captiuitate de Babylone ascenderunt, & reædificato templo domini, rursus in Hierusalem habitare cœperunt. Sequitur ergo.

[Et factum est verbum domini ad me dicens. Sume à transmigratione ab Oldai & à Tobia, & ab Idaia, & venies in die illa, & intrabis in domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone, & sumes argentum & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit dominus exercituum. Ecce vir oriens nomen eius, & super eum orietur. & ædificabit templum domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit & dominabitur super solio suo, & consiliũ pacis erit inter illos. Et coronæ erunt Helen & Tobiæ & Idaiæ, & Hen filio suo Sophoniæ memoriale in templo domini, & qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo domini, & scietis, quia dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu auris audieritis vocem domini Dei vestri] Hic finis est præclaræ ac pulcherrimæ visionis, quæ sic incepit. vidi per noctem, & ecce vir ascendẽs super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta. Visionis illius nocturnæ finis hic est, sacrosanctam salutis nostræ prophetiam miro modo præsentans historiã, quam hodie credentes videmus & gaudemus esse impletam, quia sicut iam sæpe dictum, & semper est sciendum, secundum magnum quod in ea continetur pietatis sacramentum, ad illam, quam tunc Babylonij destruxerant Hierusalem, vir ille dominus exercituum reuersus est in misericordijs, & in ea domus eius ædificata est, & licet illa quatuor cornua regnorum principalium supradictorum Iudam & Hierusalem multum ventilauerint, nihilominus fecit, quod facere Deus proposuit, quia promissum fuerat, Christus inde venit, & secundum scripturas iuxta hanc visionem ea quæ de ipso erant, iam finem habent, & vt iam ante dictum est, nihil restat, nisi vt ipse qui victor salutis omniũ, per passionem consummatus resurrexit, & in cœlum ascendit, redeat gloria & honore coronatus, omni mundo, & angelis, & hominibus spectabilis. Vnde quia visio est, & hæc omnia per noctem prophetа vidit, non magnopere hic insistendum est sensui literali, dum dicitur, sume à transmigratione ab Oldai, &c. Equidem tradunt Hebræi, vtpotè literæ amici, quod Daniel & tres socij eius reuersi de captiuitate, aurũ, & argentum obtulerunt in domo domini, & exinde iusserit dominus, sicut hic sonat littera, coronas fieri, eosq; commutatis nominibus designari, scilicet Oldai, Tobiam, Idaiã & Hen, Ananiam esse, & Azariam, & Misaelem, & Danielem. Porrò quod in secundo loco pro Oldai positum est Helen, idcirco factũ est, quia Helen interpretatur somnium, & Daniel cum socijs suis apud Deum obtinuit, vt somnij quod viderat rex reuelaret sacramentum. Veruntamen siue in re gestum, siue tantummodo in visione fuerit ostensum, grande & admirabile contemplemur negotium, cuius illud constat extitisse portentum. Suprà namque in hac eadem visione taliter dictum est. Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Non ibi totum dictum est illi, quod audire iussus est, neq; amicis eius illic totum expositum est, quod audire iubebantur, sed nec nomina ipsorum illic scripta sunt, neque expressa propter quam, vel in qua portendentes dicti sunt. Ecce nomina eorum semel & iterum expressa sunt, primum dicendo. Sume à trãsmigratione ab Oldai, & à Tobia, & ab Idaia argentum & aurũ, & facies coronas, deinde & coronæ erunt Helen, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ memoriale in templo domini Nimirũ & nominib. suis, & auro atque argento suo, & in eo q̃ coronę exinde factæ poni iubentur in capite Iesu filij Iosedech, viri isti portendentes sunt. Et rectè ibi Iesus indutus erat sordidis vestibus, quę & ablatæ sunt ab eo, dictumque est ad eum: audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt, rectè (inquam) illi dilata est hęc portẽti pars, quia videlicet prius oportebat illa fieri, quę per candelabrum aureum, & per cætera quæ scripta sunt, vsq; ad præsentem locum significata esse vni diximus, & demum futurum erat, & fiet illud q̃ prælenti capitulo significatum est. Ipsos sanctæ ecclesię quatuor ordines, quos in quatuor quadrigis intelligendos esse diximus, in gloria resurrecturos, & ex ipsis siue propter ipsorũ saluationẽ coronãdum esse dominũ Iesum,

Narratio ex Hebræorum traditione.

Dani. 2.

Supr. 3.

Quid portendunt hi quatuor viri Oldai.

Hebr. 2.

quadrigę illi, in qua sunt equi nigri. i. ordini

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi, in quo sicut supra dictum est, peccatores conuersi ad pœnitentiã deprecantur faciem domini. Tobias interpretatur, bonus domini, & idcirco congruit quadrigæ illi, in qua sunt equi albi. i. ordini illi, in quo nullius maculã criminis, imò etiã multus in plerisque candor virginalis propositi. Siquidẽ talis ordo, siue quispiam huiusce ordinis rectè dicitur bonus dñi, ita vt quidã istorum notissimus, dicatur etiã dilectus domini. Idaia interpretatur notus domini. Vnde & benè congruit quadrigæ illi, in qua sunt equi varij, id est, ordini illorũ quibus Spiritus S. diuisiones gratiarum distribuit, ita vt alios docendo, regendo, atque confirmando, plus cæteris innotescãt domino, ita vt cuiuslibet eorum dignetur dicere, noui te ex nomine.

Tobias. Hen interpretatur gloria. Vnde & nomen
Ioan. vlt cõuenit equis illis fortissimis, qui exierũt, & quærebant ire & discurrere in omnẽ terrã, scilicet glorioso martyrum ordini, qui vexillum diuini nominis foras extulerunt, &
Idaia. contra diabolum & plagas eius, visibiles atque inuisibiles exierunt ad pugnam, & per vniuersam terram sanguine roseo suo sanctam rigauerunt & decorauerũt Ecclesiam, hoc fecisse illis gloria maxima est. Igitur ab istis sumes (ait) argentum & aurum, & facies
Exod. 33. coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, quia videlicet per singulas virtutes electorum suorum dominus
Hen. coronatur, imò in illis omnibus coronatis, saluator in singulis coronam accipit. quia videlicet ipsius gratia, ipsius est opus, omnis omnium sanctorum corona. Non solũ aurũ,
Quomodo Christus coronatur in electis. neque solum argentũ, sed & aurum sumitur & argentum, ad coronandum Iesum, quia videlicet non solo sensu scripturarum, qui intelligitur per aurum & argentum, clarificamus eũ. Locus verò vbi coronæ istæ fiant domus est Iosię, id est, saluati filij Sophonię, id est, visitationes domini, quo nomine rectè intelligitur Ecclesia, quam dominus vniuersam sua visitatione saluauit, secundũ typum domus Zachæi, quã ipse visitauit. Et
Domus Iosue ecclesia est. hodie salus domini huic facta est, inquit, & loqueris ad eum, dicens. Hæc dicit dominus
Luca 12. exercituum, dicens. Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, &c. Ponendo coronas in capite Iesu filij Iosedech, iubetur loqui ad eum & dicere, cuius rei ipse & amici eius, viri portendentes sint, ac si dicat. Istud q̃ agitur hic aliud portendit, alterius rei portentum est, quia videlicet iuxta hanc significationem ecce venit, ecce in propinquo est vir magnus, vir fortis & potens, cui non est par alius. Et si vultis scire quis dicatur, vel quomodo nominetur, Oriens est nomen eius, quo videlicet nomine, nullus viro ĩum præter ipsum iure nominatur, quia solus hic semper est in ortu, & nullus vnquam illi est occasus. Cũ occidere putabitur, maximè orietur. i. cùm fuerit secundum carnẽ huic mundo mortuus, tunc apud infernos timentibus Deum orietur, moxq; super occasum ascendens, cælo & terræ orietur viuus & nunquam moriturus. Hoc omnino est in potestate eius, & idcirco dico vobis, quia hoc ipsum nomen eius. Oriens subter eum orietur. i. per eum in multitudine credentium dilatabitur, in gloria resurgentium clarificabitur. Hinc est q̃ protinus sequitur. Et ædificabit templum domino, & ipse extruet templum domino. Non enim quod semel dixerat, & ædificabit templum domino, superflua repetitione repetiuit, dicendo & ipse extruet templum domino, sed quia vna eademque Ecclesia, & in præsenti seculo ædificatur, dum gentes conuertuntur, & in futuro extruetur, dum omnes resurgemus, rectè non contentus semel dixisse, & ędificauit templum domino, repetiuit, & ipse extruet templum domino. Et tunc ipse portabit gloriam, scilicet quam coronæ illę significant, quia videlicet magna illi erit gloria, tam multos filios adduxisse in gloriam. Si enim cuiuslibet gloria sunt hi, qui per eius ministerium crediderunt, quemadmodum & Apostolus dicit. Quia gloria vestra nos sumus, sicut & vos nostra in die domini nostri Iesu Christi, quantò magis ipsius domini nostri Iesu Christi gloria est, & gloria erit, quod est ipse salus omnium, quemadmodum idem Apostolus ait, quia complacuit per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt? Tacitò quod primum est, quia in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, & omnia per ipsũ & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constãt, quæ causæ si cũ iam dictis congregentur, quot putas coronarum gloriæ est, vnus idemq; Deus & homo Iesus Christus? Ergo & ipse portabit gloriam, & sedebit (ait) super solio suo, & erit sacerdos super solio suo. Quod quã iustũ sit, melius quis cogitare potest quã eloqui, vtille sedeat & dominetur omnium, per quem omnia condita sunt, & sit sacerdos in æternum, per cuius sanguinẽ vniuersa pacificata sunt. Dominetur, inquã, super solio suo, & sit sacerdos super solio suo, q̃ de nullo sanctorum dicere fas est, quia nullius eorum ius est, dicere suum dominationis vel sacerdotij soliũ, sed huius tantũ domini & sacerdotis vnici, cuius maiestas est, & sedes vna cadẽq; sedes maiestatis Dei, quẽadmodũ dicit. Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & oẽs angeli cum eo, tunc sedẽbit super sedẽ maiestatis suę, &c. Quid & ista sibi vult cõgeminatio, & dominabitur super solio suo, & erit sacerdos sup solio suo, nisi quia vnus idẽq; in quẽ hæc dicuntur. futurũ erat vt esset & nunc est rex atque sacerdos?

Vir Oriens nomen eius.

Gloria Christi. Hebr. 2. 2. Cor. 12. Colos. 1.

Solium Christi vtrũq; & sacerdotium.

Denique

Matth. 25. Denique qui rex idcirco dominabitur (ait) super solio suo, & erit sacerdos super solio suo, satisq; manifestum est, hunc esse sensum, quia in vnam personam conueniẽt regnum & sacerdotium, & vnus idemq; geminum obtinebit regni & sacerdotij solũ. Vbi statim infertur, & consilium pacis erit inter illos, subaudiendum est, dominantem & sacerdotem, non quo Christus diuidatur, sed quo principatus duo, qui fuerant catenus diuisi, altera enim erat persona regia, & altera sacerdotalis, imò Christo consocientur. Inter illos igitur, subauditur principatus, cũ in vno fuerint inseparabiliter consotiati, cõsilium (inquit) pacis erit, quia videli
Coloss. 1. cet per illam coniunctionem pax est nobis, & sicut iam ante ex Apostolo commemoratum est, per eum, complacuit reconciliari omnia in ipso, & pacificari per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cælis. Et coronæ erunt, ait, Helen, & Tobię, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ memoriale in templo Domini. Hoc est, quod expectamus, quia sanctis omnibus & amicis Domini, quos per istos significari iã diximus, memoriale erunt sempiternum, in illo cælesti templo Domini ipsæ coronæ, quæ de auro & argento ipsorũ Domino Iesu factæ sunt. De sensu & sermone ipsorum, quo spiritus sanctus eundem Dominum Iesum clarificauit, & clarificare non desinit, vsque in finem
Gentes etiam procul a Deo. seculi. Illud quoque quod sequitur. Et qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo Domini, videmus quia factum est, & fit & fiet vsque in finem seculi, & nos maximè, qui de gentibus aduenimus continget, quia procul eramus, quos meminisse nos vult Apostolus, vbi ad Ephesios loquitur. Pro- *Ephes. 2.* pter quod memores estote, quod vos qui eratis sine Christo, alienati à cõuersatione Israel, & hospites testamentorum promissionis spẽm non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Nunc venimus credẽdo, tunc autem vbi ponetur coronarum memoriale, veniemus resurgendo, & ędificabimus, imò & ædificati tanquam lapides viui in templo domini permanebimus. In fine sermonis ad *1. Petr. 2.* ipsos, de quibus loquebatur, familiariter se *1. Cor. 13.* conuertit. & scietis, ait, quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc si auditu audieritis vocem domini Dei nostri. Et nunc quidem scimus, quod prophetiam in veritate Dominus miserit ad nos, & veritatem locutus est Spiritus sanctus per prophetas suos, sed scimus ex parte, quod nondum venit, quod perfectum est. Per fidem enim ambulamus, & nõ per speciem, Tunc *1. Ioan. 3.* autem sciemus experimento, cum apparuerit cum coronis iam dictis, quoniam videbimus eum sicuti est. Et hoc erit (ait) si auditu audieritis vocem domini Dei vestri, hoc est, si præcepta eius custodieritis, quia sine operibus ad tantam gloriam promerendam sola fides non sufficit.

FINIS LIBRI SECVNDI IN ZACHARIAM PROPH.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ZACHARIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

Cant. 8. QVAM dulciter in cãtico sponsa dilecto canit. Apprehendam te, & ducam te in domũ matris meæ, & in cubiculũ genetricis meę ibi me docebis. & quã dulce est experimento discere vim huiusce modulationis. Quid enim est dilectum apprehendere, nisi Christi sensum in scripturis inuenire? Et quid est eum apprehensum in domum matris, & in cubiculum genetricis ducere, nisi ad cõmunem Ecclesiæ vtilitatem siue instructionem voce aut in scripto proferre? Talis erat anima Pauli, qui nuper regeneratus ecclesiæ sacramentis, Christum eidem Ecclesiæ iã notum optimè cognoscens de scripturis notiorem reddidit, tam voce quam literis. Ibi me (ait) docebis, quia videlicet in tali facto me- *Matth. 28.* ritum est vicissitudinis, vt qui præceptis Ecclesiam docuit, ipse adhuc de pluribus debeat edoceri, iuxta illud. Omni habenti dabitur, & abundabit. In hac igitur spe, vt hactenus cucurristi, percurre anima, gloriam quærens eiusdem dilecti, & tandiu fruere hoc quod ex parte est, donec veniat, quod perfectũ est. Sequitur. [Et factũ est in anno quarto Darij regis, factum est verbũ domini ad Zachariam in quarto mensis noni, qui est Casseu, & miserunt ad domum Dei Sarasar & Rogomelech & viri, qui erãt cum eo ad deprecandum faciem Domini, vt dicerẽt sacerdotibus domus domini exercituum & propheris loquentes. Nunquid flendũ mihi est in mẽse quinto, vel sãctificare me debeo, sicut

CAP. VII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

"sicut feci iam multis annis? Et factum est
"verbum Domini ad me dicens. Loquere ad
"omnem populum terræ & ad sacerdotes, di-
"cens: Cum ieiunaretis & plangeretis in quin
"to & septimo per hos septuaginta annos, nũ
"quid ieiunium ieiunastis mihi? Et cum com
"ederetis & bibistis, nunquid non vobis come-
"distis, & vobismetipsis bibistis? Nunquid nõ
"sunt verba, quæ locutus est Dominus in ma
"nu prophetarum priorum, cum adhuc Hie-
"rusalem habitaretur & esset opulẽta ipsa &
"vrbes in circuitu eius, & ad austrum, & in cã
"pestribus habitaretur.] Duo fermè intra
anni. Siquidem in anno secundo Darij, decimo mense, viceſima & quarta mensis, vidi (ait) per noctem, & hic in anno quarto Darij in quarta mensis noni verbum Domini ad se factum dicit, causam siue occasionem protinus inferens, propter quam, anno siue die illo factum est ad eum verbum domini. Miserunt (ait) ad domum Dei Sarrasar & Rogomelech, & viri, qui erant cum eo ad deprecandum faciem Domini, &c. Istis interrogantibus & dicentibus. Nunquid mihi flendum est, sicut feci iam multis annis, iubetur propheta, vt loquatur ad omnem populum, & dicere, Nunquid ieiunium ieiunastis mihi, & cæt. Vnde datur intelligi, populum quoque ferè omnem sensus fuisse eiusdem, cuius erant Sarrasar & Rogomelech, qui miserant ad domum Dei super quęstione eiusmodi. Quos Persas fuisse, & duces regis Darij, timentes Dominum, autumant Hebræi (vt ait beatus Hieron.) Reuera sensus eorum, & populi sensus erat imperfectꝰ, qui quoniam templum videbant vel audiebant esse constructum, iam flendi & ieiunãdi causam sibi nullam superesse arbitrabantur. Manifestum est ex ipsorum interrogatione, quod temporalibus & visibilibus intenti, de æternis & inuisibilibus bonis nulla aut parua sollicitudine tenebantur. Memoriter tenebant, quòd in quinto mense subuersa ciuitate Hierusalem & templo, populus captiuus ductus est, & quòd in septimo Godolias interfectus est ab Ismael, & reliquiæ populi dispersæ sunt & ob hoc per singulos annos ieiunabant & flebant. Porrò captiuitatem illam vniuersalem, qua humanum genus adeò captiuatum est in Adam, non satis curabant, atque liberatoris aduentum, qui eatenus differebatur, non valdè suspirabant, aut propter hæc flendum sibi & ciulãdum existimabant. Quod si causas istas præ oculis habentes ieiunarent & flerent, nunquam taliter respondisset Dominus. Loquere (inquiens) ad omnem populum terræ & ad sacerdotes, dicens. Nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Et comedistis & bibistis, nunquid non vobis comedistis & vobismetipsis bibistis? Longè aliter ieiunanti Danieli responsum fuit, quia longè alias ieiunandi causas ille sibi propositas habuit. Daniel (inquit angelus Gabriel) nunc egressus sum, vt docerem te & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, &c. Ille profectò ieiunium Domino ieiunauit, quia vir desiderio rum ea, quæ Domini sunt desiderauit, videlicet non illud solùm, vt reædificaretur illa ciuitas & templum manufactum, sed (quod longè maius, & incõparabiliter melius est) vt consummaretur præuaricatio, & finẽ acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, & adduceretur iustitia sempiterna, & implerẽtur visio & prophetia, & vngeretur sanctus sanctorum. Igitur quoniam vnus idemque Dominus & hic per prophetam loquitur, Nunquid ieiunium ieiunastis mihi? & subaudiendum est, non. & cum comedistis & bibistis, nunquid non vobis comedistis & vobismetipsis bibistis, & subaudiendum est etiam. & alibi per Apostolum dicit, Et qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat. Clarè atque studiosè discernendum est inter eum, qui dum non manducat, Domino non manducat, id est, cum ieiunat, Domino ieiunat, Et eum, qui non manducat, vel dum ieiunat, non Domino, sed sibi nõ manducat aut ieiunat. Rursusq; inter eum, qui dum manducat, Domino manducat, & eum qui dum manducat, non domino, sed sibi manducat. Nimirum qui ob hoc ieiunat, vel non manducat, vt per hunc pœnitentiæ laborem omnipotenti Deo de peccatis suis satisfaciat, & vitæ æternæ fructum recipiat, ille ieiunium Domino ieiunat, ille Domino non manducat. Qui autem idcirco ieiunat, vel non manducat, vt vel temporalem pœnam euadat sicut Achab, vel transitoriam laudem recipiat, sicut quiuis hypocrita, ille non Domino, sed sibi non manducat. Similiter, qui idcirco manducat, vt opus domini operari valeat, quales ipse vult esse Apostolos suos, siue Euangelistas, dicens, Edentes & bibentes. Dignus est enim operarius mercede sua ille domino manducat. & econtrà, qui operatur, quamuis opus sanctũ, quamuis opus Dei, ob hoc solùm vt manducet, ille non domino, sed sibi operatur, & sibi manducat. Amplius aũt si non vult operari, & manducat, non domino, sed sibi manducat. Dicat igitur. Nunquid ieiunium ieiunastis mihi, & subauditur, non, quia nõ ieiunastis propter regnum Dei, non ieiunastis ob hoc, vt ciuitatem Hierusalem cęlestem quam in Adam perdidistis, in aduentu seminis, quod Abraham promissum est, scilicet Christi recuperare mereamini. Dicat inquã, nunquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?

Interuallũ duarum visionum.

4. Reg. vl. Hiere. 41. Iudæi non Deo ieiunabant, sed propter causas temporales.

Daniel. 9.

Aliud est ieiunare Domino, aliud ieiunare sibi.

Rom. 14.

3. Reg. 21. Matt. 21.

Matt. 10.

Gen. 22.

& re-

& respondeatur, etiam, quia non idcirco cõedistis, vt operaremini opus Dei, vt viatico sustentati, peruenire possetis ad patriam vel regnum Dei. Et quis dignè eloqui sufficiat, quàm competenter, quàm oportuna inuectione illos continuò percutit, dicendo. Nũquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cũ adhuc Hierusalem habitaretur, & esset opulẽta ipsa & vrbes in circuitu eius, & ad austrũ, & in campestribus habitaretur? Nã quia puerat, & de magnis atque sempiternis malis parũ aut nihil solliciti, sola temporalia mala deplorantes, & ieiunauerant & fleuerant, rectè insultabundus loquar, nunquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus, &cæ. Quod si ita dixissent, per istos septuaginta annos ieiunauimus & fleuimus, pro eo qđ Hierusalem deserta, & nos captiui eramus, sed multò magis ieiunandum & flendũ est, quia nondum venit promissio aut aduentus eius, nũquam ita loqueretur, nequaquã ita insultaret eis de malis minoribus. Sequitur. [Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens. Hæc dicit Dominus exercituum. Iudicate iudicium meum & misericordiam, & miserationes facite vnusquisq; cum fratre suo, & viduam & pupillũ, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, & vir fratri suo malum non cogitet in corde suo, & noluerunt attẽdere, & verterunt scapulam recedentẽ, & aures suas aggrauauerunt ne audirent, & posuerũt cor suum ada mantem ne audirent legem, & verba, quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum suorum priorũ. Et facta est indignatio magna Domino exercituum, & factum est sicut locutus est & non audierunt, sic clamabunt, & non exaudiam dicit dominus, & dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt, & terra desolata est ab eis, eo quòd non esset transiens & reuertens, & posuerunt terram desiderabilem in desertum.] Priores prophetas, quorum per manum misit dñs exercituum in spiritu suo verba hæc, iudicate iudiciũ verum, &c. illos dicit, qui ante captiuitatẽ extiterunt, quorũ de præcipuis vnus Esaias erat, per quem ita locutus est. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Si volueritis & audieritis me, bona terræ cõedetis. Quod si nolueritis & me prouocaueritis ad iracundiam, gladius deuorabit vos. Huiusce modi dictis, & lex primitus plena data est. Quod autem dicit, & noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentẽ, & aures aggrauauerunt ne audirent, minus est facto ipsorum. Illi enim non solùm non audierunt, verumetiam clamantes, prophetas occiderunt, duro corde, indomabiles, & adamanti similes, qui lapis fortissimus & in tantum durus est, vt omnia metalla confringat, & ipse à nullo confringatur, vndè à Græcis indomabilis dicitur. De quo illud mirandum, quòd cũ tantæ sit duritiæ, solo perfuso sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissoluitur. Vndè cõgrua similitudo est valdè, & cor suum posuerũt adamantem, quia cum durissimæ ceruicis & cordis indomabilis essent contra Deum, mollissimi erant in omnium libidinum fluxum, vt meritò in illos constet eundem Esaiam dixisse. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei populus Gomorræ. Quorsum ista commemoratio? Videlicet quòd Dominus iustus ad cognoscendum, ipsi autem fuerint inexcusabiles, quia quod factum est illis, nõ est factum per properantem Domini impatientiam, sed per ipsorum perseuerantẽ impœnitentiam. Quis non enim consentiat iuste factam esse indignationem magnã domino exercituum, pro eo quòd peccatis suis addiderunt contemptum contra Spiritum sanctum, in quo mittebat eis verba dominus exercituum per manũ prophetarũ? Ista ergo vicissitudine, & factum est (ait) sicut locutus est, subauditur, spiritus sanctus, & nõ audierunt, sic clamabunt, & non exaudiam dicit dominus, & dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt, & terra desolata est ab eis, eo quòd non esset transiens & reuertens, & posuerunt terram desiderabilem in desertum. Quare autẽ cum præteritorũ narratio sit, & in cæteris omnibus omnis enuncia tio currat verbis præteriti temporis, hæc tantùm verba in futurum tempus extendit, sic clamabunt & non exaudiam, cũ dicere posset, sic clamauerunt & non exaudiui? Quare nisi vt intelligas eum immutabilem esse, & perseuerantem in iudicij veritate, quod sicut fecit tunc, ita debeat, si iterũ peccauerint, iterum facere? Deniq; & hoc futurum non ignorabat, quod posteri illorum peiora facturi forent, quàm patres ipsi fecissent, vnde & clamantes non exaudiret, neque exaudire deberet, quod cunctis gentibus, nunc manifestum est. Quàm verò acerba est infelicium sugillatio dicere de terra, desolata est ab eis, & posuerunt terram desiderabilem in desertum: Nam verè infelicissimum est, & infelicitatem desolationis pati, & insuper criminis argui, quòd ipsi desolationem ipsam fecerint, & quod ipse contra illos terra iustè videatur deflere & conqueri, & dicere illis. Non Deus, qui hoc fieri iudicauit, nõ Nabuchodonosor, qui iudicio Dei super me ascendit, sed vos coloni pessimi, vos feciſtis, & ex vobis causa est, qđ desolata & in desertũ posita sum ego terra desiderabilis. Et multũ congruè præsenti loco dñs, cui nulla terra desiderabilis, cui nil terrenũ desiderabile est, terrã appellat desiderabilẽ, qa videlicet cũ se ieiunasse & fleuisse diceret, ppter terræ desolationẽ, nimis apertè fatebãtur terrã sibi fuisse desiderabilẽ cęlestẽ autem

Iudæi pueri erant, sed tempora tia cogitan ter.

Ibidem.

Iustus Dominus in pœniendo.

Priores prophetæ.

Esaiæ 1.

Querela terræ cõtrà iudæos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem non se desiderare promissionẽ, quippe quia dicebant, nunquid flendum nobis est & ieiunandum, satis sibi existimantes, q̃ videbant solutam esse captiuitatem temporalem. Hoc igitur, & posuerunt terram desiderabilem in desertum, claret quàm acerbè sit dictum, ab eo quem naturaliter dulcé ipsi sibi exacerbauerunt. Porrò qualis causa est ista eo quod non esset transiens & reuertens. Præmisit, & terra desolata est ab eis, & tunc demum subiunxit, eo quòd non esset transiens & reuertẽs. Si ita dixisset, terra desolata est, & non est transiens neque reuertens, solummodo putaremus modum desolationis expressum, idq̃ue esse, quòd nullus eundo aut redeundo per terram graderetur. Nunc autem non tam modum exposuisse, quã causam reddidisse desolationis videtur, dicendo eo, quod non esset transiens & reuertens. Quid ergo sit, non fuisse transeuntem & reuertentẽ, hoc inquirẽdum est. Confestim occurrit illud in Psalmo dictũ, spiritus vadens & non rediens, quia sensum hoc & illud habent similem, sicut sonitum literalem penè eundem. Nam vadens & rediens, quid aliud est, quàm transiens & reuertens? Porrò illic spiritus vadens & nõ rediens, hoc est, in malum cadens, & à malo nõ resurgens. Ergo & hic, eo quod non esset transiens & reuertens, hoc est, eo quòd non esset de his transeuntibus in malum, qui reuerteretur in bonum, terra desolata est ab eis. Nam cor impœnitens, quod supra denotauit dicendo, & cor suum posuerunt adamantem, & auerterunt scapulam recedentem, nonne causa est satis, iustitiam vindicis iræ defendens, & ad defendendum sufficiens? Verè igitur ipsi terram, suã terram desiderabilem posuerunt in desertum, & ab eis desolata est, eo quòd non esset transiens & reuertẽs. i. per id quod cũ oẽs transgressores essent, nullus erat aut vix vllus erat trãsgressor de transgressione sua pœnitentiã agens. Sequitur. [Hæc dicit Dñs exercituũ. Zeleatus sum Syõ zelo magno, & indignati one magna zelatus sum eã. Hæc dicit Domi nus exercituum. Reuersus sum ad Syon, & habitabo in medio Hierusalem, & vocabitur Hierusalem ciuitas veritatis, & mons domini exercituum mons sanctificatus. Hęc dicit dñs exercituũ. Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Hierusalem, & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum.] Hactenus quasi ridendo & subsannãdo loquebatur, iuxta quod sapientia talibus dicit. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis, quod timebatis aduenerit, nunc deposito risu & subsannatione semota, gloriosa dicit de te, ô Syon ciuitas Dei, cuius pars non vilis aut parua erat illa, quæ tunc reædificabatur Hierusalem terre stris, secundum electionem, quæ de gente illa erat assumenda, maximeq̃ propter implendam promissionem exinde nascituri & regnaturi in te Christi regis æterni. Zelatus sum (ait) Syon zelo magno. Zelus Domini bonus est diligere homines, & odisse hominum vitia. Quo contra zelus diaboli malus est odisse homines, & amare hominum vitia. Hinc erat illud, quod idem Dominus vt iniquitates cõpesceret, captiuitati tradiderat homines, & ciuitas Syon cum templo igne conflagrata est. Magnus hic vtique extitit angelus, non parcere suo templo & propriæ ciuitati, non peperciisse genti, apud quam so lam erat notitia nominis sui. Et non est (ait Hieremias) recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. Zelo zelatus sum (ait) Syon zelo magno. Verum hoc dicere superioribus quoq; temporibus potuit. zelatus sum populo meo zelo meo, quoties (vt ait psalmista) iratus est in furore in populo suo, & tradidit eos in manus gentiũ, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos, scilicet Mesopotamij & Moabitę, Chananæi, & Madianitæ, & filij Ammon & Philisthijm. Potuit (in quam) tunc etiam dicere, Zelatus sum zelo magno, quia videlicet sub illis quoque hostibus vehementer afflixit eos. At verò tempore illo, de quo hic sermo est, amplius fecerat, quia nõ in terra sua cõsistentes, seruierãt Babylonijs, sed desolata & posita in desertũ terra desiderabili, tenti fuerunt per septuaginta annos in Babylone captiui. Recte ergo non contentus dixisse. Zelatus sum Syon zelo magno, addidit, & indignatione magna zelatus sum eam. Et est sensus, Non solum taliter zelatus sum, vt eos seruituti sub ijcerent aduersæ gentes, quod sæpè factum est, sed addita, cum zelo indignatione magna, terram quoque & locum nomine meo sanctificatum illis abstuli igni & Babylonico tradidi, quod hactenus factum non est. Quare? Videlicet, quia non solùm vt olim me derelinquentes, Deos alienos colue runt, verumetiam prophetas occiderunt, & multum sanguinem innocentem effuderũt. Zelus ille magnus & indignatio magna per iustum venit iudicium. At nunc idem Dominus exercituum hæc dicit, subauditur, quæ misericordiæ sunt, memor, quod iurauit in sancto suo locutus Dauid. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem non dispergam ab eo. Reuersus sum ad Syon, videlicet in eo, vt iterum ædificetur ipsa ciuitas & templum reædificatum est. Postmodum veniam & habitabo in medio Hierusalem, scilicet homo factus, ita vt ipsa Hierusalem, & omnis, qui legem & verbum, Domini, quod de ipsa exibit, non incredulus audierit, dicat & veraciter dicere possit, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Proinde & vocabitur (ait) Hierusalẽ ciuitas

Transiens & reuertẽs Psalm. 77.

CAP VIII.

Prouer. 1.

Zelus Domini bonus.

Psal. 84.

Esaiæ 2. Miche. 4. Carnalia desideria Iudæorum.

Threm. 2.

Psal. 118.

Psalm. 80.

ciuitas veritatis, videlicet pro parte electorum, prophetarum atque Apostolorum & omnium iustorum, qui ex illa gente fuerũt, vel sunt, vel erunt, quorum de carne homo factus, habitabo in medio Hierusalem, vnde & ipsa vocabitur & erit ciuitas veritatis, id est, ciuitas vel terra, vnde veritas oriri dignata sit, iuxta quod Psalmista prædixit. Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Rectè igitur vocabitur ciuitas veritatis & mons Domini exercituum, mons sanctificatus, de quo videlicet monte multa in prophetis dicta sunt, vt est illud apud Esaiã huc Micheam. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, &c. Porrò hæc promissa spiritualia sunt, & spiritualibus conueniunt, ac desiderabilia sunt. Illi autem ad quos sermo fiebat carnales erant & carnalia deliderabant, sicut iam demonstratum est, ex illa ipsorum interrogatione, nunquid flendum mihi est, vel sancti ficare me debeo, sicut feci iam multis annis. Putabant enim, nullam sibi iam esse causam fletus vel ieiunij solo contenti gaudio temporali, quòd videbant soluta captiuitate, terrenam ciuitatem & templum reædificari. Condescẽdens ergo carnalibus, sermo diuinus, & quasi cum pueris vt eos mulceat balbutiens pater grandæuus, Adhuc (inquit) habitabunt senes & anus in plateis Hierusalem, & viri baculus in manu præ multitudine dierum, & plateæ ciuitatis implebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis eius. Hæc namque dicta plenam fore & integram ciuitatis restitutionem, pulchrè personant atque denunciant, quam illi multum desiderabant, propter quam multum desiderabant, propter cuius destitutionem ''iesunauerant & fleuerant. Sequitur. [Hæc ''dicit Dominus exercituum. Si difficile vide ''bitur in oculis reliquiarum populi huius in ''diebus illis, nunquid in oculis meis difficile ''erit.] Perspicuum est, illos tales fuisse, qualibus oportuerit de terrenis & temporalibus bonis blandiri, qualibus non iam deberent spiritualia vel cælestia prædicari. Nam, vt quodã loco ipse dicit, Si terrena dixi vobis &nõ creditis, quomodo si dixero vobis cęlestia credetis. Similiter hic, quoniam difficile videbatur in oculis eorum, vt fieret sicut dixerat. adhuc habitabunt senes & anus in plateis Hierusalem, &c. Dicere conuenit ei, qui nusquam inconuenientia dicit. Si difficilè videtur vobis, posse fieri hæc terrena, vt habitent senes & anus in plateis Hierusalẽ, & viri baculus in manu eius, præ multitudine dierum, & plateæ ciuitatis impleãtur infantibus & puellis ludentibus, quæ omnia terrena sunt, quanto magis difficile videbitur si dixero vobis spiritualia siue cælestia, quæ eadem ciuitate prouentura sunt. Verũtamẽ quodcunq; illud sit q̃ dixi siue dicam vobis, quantumuis difficile videatur in oculis vestris, in oculis meis nequaquam difficile erit [Hæc dicit Dominus exercituum. Ecce ego saluabo populum meum de terra orientis & de terra occasus solis, & adducam eos, & habitabunt in medio Hierusalem, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate & iustitia. Hæc dicit Dominus exercituum. Confortentur manus vestræ, qui auditis in diebus his sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur. Siquidẽ ante dies illos merces hominũ nõ erat, nec merces iumẽtorũ erat, neq; introeunti & exeũti erat pax præ tribulatione, & dimisi homines vnũquemq; cõtra proximũ suum. Nunc aũt non iuxta priores dies ego faciam reliquijs populi huius, dicit Dominus exercituum, sed semen pacis erit. Vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum, & possidere faciam reliquias populi huius vniuersa hæc. Et erit, sicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda & domus Israel, sic saluabo vos, & eritis benedictio. Nolite timere, confortentur manus vestræ, quia hæc dicit Dominus exercituũ, sicut cogitaui vt affligerem vos cum ad iracundiam me prouocallent patres vestri, dicit Dominus, & non sum misertus, sic conuersus cogitaui in diebus istis, vt benefaciam Hierusalem & domui Iuda. Nolite timere. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris, & vnusquisque malum contra proximum suum, ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ odiui dicit Dominus.] Cuncta hęc vt dicuntur, rectè simpliciter intelliguntur, nec opus est propter mysticos siue allegoricos sensus digressionem facere ab illius temporis statu, quo ppheta ad populũ Domino mandante loquebatur. Hoc maximè & ante omnia sciendum est, quòd omnis consolatio siue exhortatio hæc in CHRISTVM tendat, ad CHRISTI aduentum respiciat, nec propter aliud Spiritui sancto, qui hæc sine dubio per os Prophetæ loquebatur, curæ fuerit dereq dificanda & rursus habitanda siue implenda terra, & ciuitate illa, nisi propter eundem CHRISTVM, quatenus esset vnde nasceretur, iuxta fidele DEI promissum. Neque enim aliundè, sed de gente illa, de semine Abrahæ, de domo & familia Dauid nasci oportebat illum. Expediebat igitur promissis & blandimentis consolatorijs animari & beneuolum reddi populum ad habitandum in loco illo, ad reædificandum & reformandum terræ vel ciuitatis statum pristinum templo iam reædificato, ad quod venturus (iuxta alium prophetam) esset idem dominator dominus. Verumtamen,

Zach. 8.

Ephes. 4.

Iohan. 3.

Cuncta hæc verba in Christum tendebant.

Malach. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

runtamen,quod hic de templo manufacto in parte,in vna gente,immò in paruis vnius gentis reliquijs dictum est,hocidem de templo non manufacto Dominici corporis in vniuersitate,in toto humano genere veraciter dici potest. Ante dies illos (inquit) antequam fundaretur domus Domini, merces hominum non erat, nec merces iumentorũ erat,id est, omnis labor vester irritus fuit, & tam homines quàm iumenta in agricultura,in mercimonijs,operibusq; diuersis cassis conatibus frustrabantur. Neque introëunt(ait)& exeunti erat pax præ tribulatione,& dimisi omnes homines,quemque contra proximum suum. Quod est dicere, foris aduersarij,domi erat seditio, & vbique tristitia ob bellorum frequentiam, & insidias domesticas, dum nec frater fratri exhibet fidem, & omnis est inimica propinquitas.

Mystica expositio. Nónne itidem verum, imò magis verũ est, quòd antequam fundaretur templum Dominici corporis,antequam Deus homo fieret ex vtero virginis,nullum erat precium generis humani? Reuera neque hominum, id est,tudæorum,neq; iumentorum, id est, gentilium vllum erat precium. Non enim erat pax introeunti & exeunti,id est, nascenti & morienti præ tribulatione, subauditur peccati, quia cũ peccato ois homo introiens in hunc mundũ nascendo,cum peccato exibat moriendo, videlicet nõdum pariete inimicitiarum soluto. Quo enim precio redimeretur saltem homo id est, Iudæus? Nunquid precio sanguinis hircorum,aut vitulorum? Ergo non erat pax, non erat remissio peccatorum,& dimisi (ait) homines, vnumquemque contra proximum suum, vtpote habentes semen & concordię spiritum? Nũc autem non iuxta priores dies ego faciam. Sed quid? Semen pacis erit, nimirum secundum illud Euangelium. Pacem relinquo vobis,pacem meam do vobis, quę pax non alia debet intelligi, quàm reconciliatio Dei & hominum,non alia quàm remissio peccatorum,quam tunc ipse,dum diceret hęc,faciebat,per sanguinem suum, hæc animaduertens,quis nũc leue reputet, quod subinde dicit,& erit,sicut eratis maledictio in gentib. domus Iuda & domus Israel,sic saluabo vos & eritis benedictio. Nam qui tũc erat maledictio, ita vt diceretur, vel dici posset tale quippiam ei,quem perire quis vellet, sic tibi eueniat quomodo euenit miserabili populo,qui terra sua in desertum redacta, & ciuitate Hierusalem cremata igne, captiuus abductus est, ipse idem populus nunc est benedictio per Christum semen pacis, vt ante dictum est,quia in ipso benedicentur omnes gentes Ad hoc ipsum pertinet, hoc quoque quod protinus dicit Sicut cogitaui vt affligerem vos,cum ad iracundiam prouocassent me patres,dicit Dominus exercituum,& nõ sum misertus: sic conuersus cogitaui in diebus istis,vt benefaciam Hierusalem & domui Iuda. Nam reuera ad iracundiam prouocauerunt Dominum patres nostri Adam & Eua,non solùm transgrediendo præceptũ verumetiam defendẽdo peccatum, & propter hoc cogitauit vt affligeret nos, & modo quodã non est misertus, quatenus alio modo melius misereretur. Emisit enim eos de Paradyso mortis & multarum miserus sententijs oneratos. Sed sicut cogitaui tunc vt affligerem vos,sic (inquit) conuersus cogitaui in diebus istis vt benefaciam, scilicet per templum vel propter templum meum non manufactum,quia sicut illud per mortem solutum, post triduum excitatum est, ita et vos omnes resurgere faciam. Nescio qualiter euenit,vt penè mihi inuito accidit, diuersum ab eo,quod suprà dixi. Siquidem de his verbis propheticis dixi, quia cuncta vt dicuntur,ita simpliciter rectè intelliguntur,nec opus est propter mysticos siue allegoricos sensus digressionem facere ab statu illius temporis quo hęc dicebantur. Et quidem illud dixi studio vitandi fastidij,sed mysteriorum nota suauitas, cursum sermonis improuisum odore suo intrinsecus traxit, & apud se paulisper detinuit. Quoniam ergo cætera perstrinxit, cur omittat initium præsentis capituli, quo dixerat Dominus. Ecce ego saluabo populum meum de terra orientis,& de terra occasus solis,& adducam eos. Et habitabunt in medio Hierusalem,& erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in veritate & iustitia. Denique & si tempore illo, vbi templum per manus Zorobabel,& murus ciuitatis per Neemiam restauratus est, populum suum saluauit dominus,salus illa non tanta extitit, vt digna esse posit tantis oris Domini declamationibus. Verùm vbi conditũ est templum iam dictum, templum Dominici corporis non manufactum,tunc & ex eo veraciter de terra orientis,& de terra occasus solis saluatur populus Domini. Multi enim veniunt ab oriente & ab occidente,& recumbunt in sinu Abrahę,quod vtiq; est adduci & habitare in medio Hierusalem,& sunt Domino in populum,& ipse est,& erit eis in Deum in veritate & iustitia,id est,in Christo, qui est ipsa veritas,& iustitiæ via,& vita æterna. Sed iã quid tandem de ieiunio interrogatus, post hæc Dominus responderit, audiamus. [Et,, factum est verbum domini exercituum ad,, me,dicens. Hæc dicit Dominus exercituũ.,, Ieiunium quarti,& ieiunium quinti, & ieiu,, nium septimi, & ieiunium decimi erit do-,, mui Iuda in gaudium & lætitiam,& in solẽ-,, nitates præclaras. Veritatem tantum & pa-,, cem diligite, dicit Dominus exercituum.],, Ad id quod suprà Sarasar & Rogomelech per legatos quæsierant, vtrũ in mense quinto ieiunare deberent,an post ædificationem templi finire ieiunium,luctumq; deponere,

Genes. 2.

Suauitas sensus allegorici.

Ephes. 2. Hebr. 9.

Ioban. 24.

Matth. 1. Ioan. 14.

multis in medio positis quæ facerent, quæ sperarent, hæc Dominus, per prophetam, respondit. Et illi quidem de vno interrogauerunt ieiunio mensis quinti, Dominus autem respondens,de cęteris quoq; ieiunij suã sententiam deprompsit, de ieiunio quarti, de ieiunio quinti,de ieiunio septimi, de ieiunio decimi. Erat autẽ ieiunium quarti mensis,qui apud Latinos vocatur Iulius, die septima decima eiusdem mensis, quando descendens Moyses de monte Sina,tabulas legis abiecit,atq; confregit.& iuxta Hieremiã muri primùm rupti sunt ciuitatis. In quinto mẽse,qui apud nos appellatur Augustus, cum propter exploratores terræ sanctæ seditio orta esset in populo, iussi sunt montẽ non ascendere, sed per quadraginta annos longis à terra sancta circuire dispendijs, vt exceptis duobus,Caleph & Iosue,omnes in solitudine caderent. In hoc mense & à Nabuchodonosor templum Hierosolymis incensum est,atq; destructum, & populus in captiuitatem abductꝰ. In septimo,qui apud nos appellatur October, occisus est Godolias,& Iudæ tribus ac Hierusalem reliquiæ dissipatæ. Mense decimo, qui apud nos Ianuarius dicitur, Ezechiel in captiuitate positus,audiuit & cunctus populus captiuorũ, quinto mense templum esse subuersum,qđ plenissimè in eodem propheta cognoscimꝰ. Hæcigitur ieiunia propter causas tristes ac flebiles meritò ieiunabant, sed ieiunandi scientiam non habebant,quippe qui vnum ex his,scilicet ieiunium quinti iam non obseruandum esse volebant, quoniam captiuitatem solutam,& templum videbant reædificatum. Porrò, Dominus non vsquequo tẽplũ reædificaretur,sed vsquequo deleretur peccatum,& finem acciperet præuaricatio, volebat obseruari ieiunium, hoc est, quod præmisso,ieiunium quarti, & ieiuniũ quinti,& ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam,& in solennitates præclaras, continuò subiun-

"xit.[Vsquequo venient populi, & habita-
"bunt in ciuitatibus multis, & vadent habita
"tores,vnus ad alterum,dicentes. Eamus &
"deprecemur faciem Domini, & quæramus
"Dominum exercituum. Vadam etiam ego,
"& venient populi multi, & gentes robustæ
"ad quærendum Dominum exercituum in
"Hierusalẽ,ad deprecãdum faciẽ Domini,
"hæc dicit Dominus exercituum. In dieb. il-
"lis,in quibus apprehendent decem homines
"ex omnibus linguis gentium, & apprehen-
"dent fimbriam viri Iudæi,dicentes. Ibimus
"vobiscum. Audiuimus enim, quoniã Deus
"vobiscũ est.]Quid aliud est hoc dicere, nisi vsquequo veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium? Neque enim ante, sed quando ex quo ille venit, venerunt, & veniunt populi, & habitauerunt atq; habitant in ciuitatibus multis.i.in ecclesijs mul-

Ieiunium quarti in Iulio. Exod. 32. Hier. 52. Ieiunium quinti.

Num. 14. 4. Reg. vlt.

Septimi.

Decimi. Hier. 41. Ezech. 24.

Gene. 49.

tis, & ex eo vadunt habitatores ciuitatũ eiusmodi, vnus ad alterum dicentes. Eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum, quod dicere nimirum est annunciare Christi euangeliũ, & exhortare atque ędificare alterutrum, atque hoc modo dum vnus dicit, eamus & alter respondet. vadam etiam ego, ver[illegible]t,& vsque in finem seculi venire non [illegible]unt populi multi,& gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalẽ, ad deprecandam faciem Domini. Ex abundanti est astruere siue demonstrare, quòd in illam quoq; terrenam Hierusalem, vbi Dominus exercituum in terra visus,& cum hominibus conuersatus est, vnde post mortem Christi,atq; resurrectionem salus processit,sicut alibi scriptum est, quia de Sion exibit lex,& verbum Domini de Hierusalem,in illam(inquam)Hierusalem terrenã, vbi est sepulchrum eius gloriosum, vadunt populi multi ad quęrendum Dominum,ad deprecandum faciem Domini. Illam potius Hierusalẽ hic intelligere placet, quam Psalmista pulchrè exprimens. Hierusalem (inquit)quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Vsquequo istud fiat, vsq; dũ istud proueniat. Ieiunium(ait)quarti,& ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras. Quomodo in gaudium & lætitiam et in solennitates præclaras? Videlicet non ieiunando cum tristitia, sicut ieiunant hypocritæ tristes, non (inquam) cũ tristitia, sed cum lætitia, iuxta illud. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, et faciẽ tuam laua, etc. Ibi enim solennitas præclara, vbi est intentio iucunda desiderantis, vt soli Domino placeat, hoc ipsum quod ieiunat. Quid ergo inquis? Cum venerit illud tempus, de quo dicis, vsquequo venient populi, non erit ieiunandum in mensibus illis? Nõ vtiq; exiget Dominus, imò prohibebit illa ieiunia vetustatis. Nónne hoc ipsum habet veritas euangelij? Tunc(inquit)accesserunt ad eũ discipuli Ioannis, dicentes. Quare nos et Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autẽ tui non ieiunant? Et ait illis Iesus. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quãdiu cum illis est sponsus. Venient autẽ dies cum auferetur ab eis,et tunc ieiunabunt. Itaq; causa ieiunij absentia sponsi est,et vsquequo veniret, vsq; dũ nascereturꝰ,et præsens adesset, ieiunandum erat,et quãdiu præsens fuit, ieiunare nõ debuerunt discipuli eius, filij sponsi, siue filij nuptiarũ, vt alius euang. scripsit, et rursus quando et ex quo ablatus est eis, rectè ieiunant vsquequo cũ illo sint. Dicet aliquis. Ergo Ioãnes de filijs sponsi nõ erat, qui ieiunabat? Planè & intimus sponsi ami-

Iciunũ in gaudium. Matth 6.

Baruch 3.

Esaiæ 2.

Psalm. 121.

Matth. 9.

Marc. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus erat, sed vsq; ad tempus illud, cuius Euangelista describens actus, & erat (inquit)
Ibidem. 1. Ioannes vestitus cameli pilis, & locustas & mel syluestre edebat. Sponsum eundé non viderat, & veniſſe quidem illum nouerat, sed eundem facie neſciebat. Mirum ſacramentum quod & hic in propheta vbi ieiunandum eſſet, dixit: vſquequo venirent populi, hæc quoq; ſubiunxit. In diebus illis, in quibus apprehendent decé homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes. Ibimus vobiſcũ,
Matth. 9. audiuimus enim quoniam vobiſcum eſt, & in euangelio ſecundum Matthæum vbi dixit, ſicut iam memorauimus. Nunquid poſſunt filij ſponſi ieiunare, quamdiu cum illis eſt ſponſus, &c. hæc illo loquente, ecce princeps vnus acceſsit, & adorauit eum, dicens. Filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet, dũ ſurgens ſequeretur eum & diſcipuli eius, ecce mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur
Gentium et Iudæorũ cõuerſio & hic, & in euangelio præſigurata. annis duodecim, acceſsit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & ſalua facta eſt ex illa hora. Quem non delectet hic vtrumq; & in propheta, & in euãgelio ſimillima facies, vt vnus idemque ſacramenti vim continẽs ſenſus literalis, non multum diſſimilis ſuperficies. Deniq; gentium multitudo, quæ hic propheticis verbis denunciatur, dicendo. Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudæi, ipſe ſignificatur factis myſticis per mulierẽ, quæ fimbriam veſtimenti eius tetigit, viri vtiq; ſecundum carnem Iudæi. Et quid eſt mulierẽ retro accedere, & fimbriã veſtimẽti tangere, niſi multitudinem gentium, non ante, ſed poſt aſcenſionem eius in ipſum credere, & præcepta eius ſeruare, atq; hoc modo liberari à fluxu ſanguinis, liberari ab omni immunditia peccati? Adhuc ea quæ ſequuntur in eodem euangelij loco, & quæ in hoc propheta ſubiuncta ſunt, conſiderare atq; conferre libet. Tangendo mulier fimbriam veſtimenti Domini, ſalua facta eſt, & deinde puella archiſynagogi filia, propter quam Dominus idem ſurrexerat, & ibat, re-
Marc. 5. ſuſcitata eſt. Puella (vt Marcus manifeſtius exprimit) erat annorum duodecim, & mulier in profluuio ſanguinis erat annis duodecim. Ergo quando mulier infirmari cœpit, tunc illa puella nata eſt, & quando ſanata eſt mulier, tũc illa puella mortua eſt. Magnum hic in myſterio patet ſpectaculũ, quia videlicet iuxta hanc ſimilitudinem, quando gentilitas ſanguineo cultu idololatriæ cœpit fluere, tunc ſynagoga ex patriarchis Abraham & cæteris, ad quos factum eſt verbum promiſsionis nata eſt, & quando gentilitas per euãgelium Chriſti ſanata eſt, tunc ſynagoga per inuidiam mortua eſt. Nunc ſequentia prophetæ videamus, quomodo
CA. X. "his cõferantur. [Onus verbi Domini in terra Adrach & Damaſci requiei eius.] Item in
Matth. 9. Euangelio protinus ſequitur de duobus cæcis, qui clamãtes. Miſerere noſtri filiDauid, illuminati ſunt, & hic in propheta ſubiungitur. [Quia Dominus eſt oculus hominis, &, omnium tribuum Iſrael.] Per terram Adrach & terram Damaſci, itidem ſicut per puellam, quæ mortua eſt, & per mulierem quæ ſanata eſt, & per hominem, atq; per omnes tribus Iſrael, quorum Dominus oculus eſt. itidem ſicut per duos cæcos, qui illuminati ſunt, duas intelligimus gẽtium ſiue hominum partes, ſcilicet Iudæos atq; Gentiles, & quicquid circa partes eaſdem, tam per iudicium quàm per miſericordiã factum eſt vel fiet. Quæ per iudiciũ facta ſunt vel fiunt in vtriſq; & hic in ,ppheta, per Adrach atq; Damaſcum, & in euangelio ſignificatur per puellæ mortem, & per mulieris fluxum. Adrach quippe ex duobus integris compoſitum eſt. Ad acutum, rach molle tenerumq; ſignificat. Vnde hoc ipſum nomen valdè ſynagogam denotat, habentem in ſe duo contraria, tenerum in ore, acutum in corde, teſtante Pſalmiſta. Molliti ſunt (inquit) ſermo
Pſalm. 54 nes eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Idcirco puella mortua eſt, id eſt, idcirco ſynagoga à Deo deſerta eſt, quia videlicet de ieiunio iam dicto, ſiue de alia qualibet re veniſſet occaſio, loquebãtur pacem cum proximo ſuo Ieſu Chriſto, mala autem in cordibus ſuis. Porrò, Damaſcus eandem, quam & mulier quę fluxum ſanguinis patiebatur, gentilitatem, tam nomine quàm re ſignificat. Nomine, quia Damaſcus ſanguinem bibens interpretatur. Re, quia is locꝰ eſſe perhibetur, vbi ab impio fratre, pius Abel eſt
Gene. 4. interfectus. Porrò, quod appoſuit requiei eius, qua ratione dixerit, protinus innuit, quia Dominus, ait, eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael, id eſt, illuminatio non minus gentilis, quàm Iſraelitici populi, quos ambos ſignificant duo cæci, quorum illuminationẽ poſt mulieris curationem, & puellæ reſuſcitationẽ, continuò Matthæus
Pſalm. 55. euangeliſta ſubſcribit. Inde Damaſcus requies eſt Dñi, inde de gentilitate per fidem requieſcit, quia factus eſt oculus eius, quia illuminauit eam, vt ab homine gẽtili cognoſceretur, quia prius tantum in Iudæa notus erat Deus, tantum in Iſrael magnum nomẽ eius. Veniam poſcit ſermo incultus, quoniã ex magnitudine ſenſuum difficultatem patitur, remq; clariſsimam, claritatem iucundiſsimam, verſando & eloqui conando, dũ intendit ſenſibus fidelis animus, vocis & linguæ officio fraudatur. Nec.n. verbis ornare perfacile eſt rẽ, cuius proprio labore mẽtis reuerberatur intuitus. Verè adoranda Chriſti filij Dei diuinitas, & prædicãda veritatis ſapientia, quæ dum de ieiunio queſtionẽ obiectam accepiſſet à dicentibus. Quare
Matth 9. nos & phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli

puli autẽ tui non ieiunant, reſpexit ad hunc locum propheticæ veritatis, vbi quæſtionẽ de ieiunio propoſitam acceperat, atque reſponderat ipſum verbũ Domini. Nihil dulcius amatori, ſiue inquiſitori veritatis, veritatem quæ ipſe Chriſtus eſt diligenti, nihil (inquam) dulcius, nihil iucundius in hac pe-
Ioan. 5. regrinatione, quàm claro intuitu ſcripturarum veteris & nouæ, facies mutuo ſe reſpiciẽtes agnoſcere, quæ teſtimonium (inquit) perhibẽt de me. Nunc ipſum literæ cũrſum ac tramitem breuiter iterare, & attentius cõſtruere licet. In diebus illis (ait) in quib. apprehẽdent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes. Ibimus vobiſcum, audiuimus enim, quoniam Deus vobiſcum eſt. Eclypſin hic ſermo patitur, & ſubaudiẽdum eſt, iam non celebrabitur à populis & gentibus robuſtis, quæ venient ad quærendum Dominum exercituum, non (inquam) celebrabitur, aut celebrari debebit ieiuniũ pro cauſis eiuſmodi, pro qualibus vos celebratis, quia tabulæ priores fractæ ſunt, iratꝰ Moyſe, propter reatum vituli, quem fecit Aaron, quia propter exploratorum de-
Exod. 32. Num. 14. tractionem & populi ſeditionem iratus Dominus, non videbunt (ait) terram, pro qua iuraui patribus eorum, & filij veſtri (ait) erunt vagi in deſerto annis quadraginta, donec cõſumantur cadauera patrum in deſerto, quia Babylonij ciuitatem & templum ſuccenderunt, & populum captiuum duxerunt, quia Iſmahel Godoliam interfecit, &
4. Reg. vlt. Hier. 41. reliquię populi diſperſę ſunt. Pro his & huiuſmodi cauſis in dieb. illis nõ celebrabunt ieiuniũ, qui venient ad quęrendũ Dominũ.
Matth. 9. Quare? Quia nemo (ait ipſe Dominus) immittit cõmiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus. Tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit. Neq; mittunt vinum nouũ in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Deniq; ſpẽ habere cæleſtium ſiue æternorũ, & flere atq; ieiunare pro præterito detrimẽto terrenorũ ſiue tẽporaliũ, hoc quodãmodo eſt immittere cõmiſſurã panni rudis in vetus veſtimẽtum, mittere in vtres veteres vinũ nouũ. Potius in vtres nouos mittatur vinum nouum, id eſt, noua ſpes cæleſtium bonorum pro ipſis cæleſtibus quandiu differuntur, & nondum ea cõprehendit, fletum habeat atque ieiunium, atque ita ambo conſeruantur, quia & ſpes non confundetur, & ieiunij labor abundantiori ſaturitate remunerabitur. Eodem modo pannis rudis nouo veſtimento inſeratur, ne veteri inſertus peiorem ſciſſuram faciat, quid fecit Cherintus, qui fidem noui euangelij miſcere voluit legalibus cæremonijs, & ita neque vetus neq; nouum iuſtitiæ veſtimentum poſsidere potuit. De fimbria viri Iudæi, quam apprehendent (inquit) decẽ viri ex omnibus linguis, iam ſupra dictum eſt. Verùm cum credentes de gentibus multi & nobis innumerabiles ſint, cur dixit decem viri, cum dicere potuiſſet, multi ex omnibus linguis? Ad hæc breuiter dicendum, quia tantis miſericordia Dei contenta fuiſſet, & propter tantos, id eſt, propter decem pepercíſſet, ſi decem iuſtos in Sodomis in-
Gene. 18. uenisſet. Nam vſque ad hunc numerum miſerator deſcendit, dimittam (inquiens) omni loco propter quinquaginta, non delebo ſi inuenero quadraginta quinque, non percutiam propter quadraginta. non faciam ſi inuenero ibi triginta, non interficiam propter viginti non delebo propter decem. Vl
Rom. 8. terius non deſcendit. Igitur dicẽdo decem homines apprehendent fimbriam viri Iudæi, tantos vult intelligi, quantos idem vir Ieſus Chriſtus ſecundum carnem Iudæus, ex omnibus linguis gentium vocare, iuſtificare, & magnificare venit, quantos ante ſecula præſciuit & prædeſtinauit Deus conformes fieri imaginis filij ſui. Iuxta hunc ſenſum alibi quoque omnis electio, decimatio, & omnis electus ſiue iuſtus rectè dicitur decimus. Apud Eſaiam. Et multipli-
Eſaia 6. cabitur (ait Dominus) quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea erit decimatio. Et in libro Machabæorum ſecundo, ita
2. Mach. 3. ſcriptum eſt. Iudas autem Machabæus qui fuerat decimus, ſeceſſerat in deſertum locũ. Quod tãdem vel quale eſt onus, quod protinus ſubiungit. Onus verbi Domini in terra Adrach & Damaſci requiei eius. Nam ante iã dictum eſt, quamobrẽ hic per Adrach, & per Damaſcum eadem rectè intelligãtur, quæ in euangelio per puellam mortuam, & per mulierẽ quæ fluxum ſanguinis patiebãtur. Ergo quoniam propter quæſtionẽ ieiunij factum eſt hic ad prophetã verbum Domini: non aliud onus quærẽdum eſt, quam onus ieiunij, ſiue in terra Adrach, ſiue in terra Damaſci. i. ſiue in populo Iudaico, ſiue in populo gẽtili, ſed modis longè diuerſis. Nã in populo Iudaico ieiunium fames eſt audiendi verbum Domini, quia fame ieiunat, & mortua eſt puella iam dicta, id eſt, ſynagoga idem iubeat dare illi manducare, ſcilicet quando reliquię conuertentur eiuſdem populi, ſicut euangelica veritas myſticè ſignauit. Nam cum reſuſcitaſſet puellam, iuſſit dari illi mãducare. Porrò, in populo qui ex gentibus credidit, ieiunium eſt, & eſſe debet eſuries & ſitis iuſtitiæ. Vnde loco eu-
Matth. 9. angelij ſuperius memorato, quando mulier acceſsit fimbriam veſtimenti eius tangere, dicebat ipſe. Venient autẽ dies cum auferetur ab eis ſpõſus, & tunc ieiunabunt, &c. De eo quod protinus ait. Quia Dominus eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael, iam ſupra dictũ eſt. Sequitur. [Emath quo-,,
que in terminis eius, & Tyrus, & Sidon, aſ-,,
ſumpſerant quippe ſapientiã. Et ædificauit,,

Quæſtio.

Reſponſio.

Gene. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

"Tyrus munitionem suam, & coaceruauit "argẽtum quasi humum, & aurum vt lutum "platearum. Ecce dominus possidebit eam, "& percutiet in mari fortitudinẽ eius, & hæc "igni deuorabitur. Videbit Ascalon, & time "bit Gaza, & dolebit nimis & Accaron, quia "confusa est spes eius, & peribit rex de Gaza, "& Accaron non habitabitur, & sedebit sepa "rator in Azoto, & disperdam superbiã Phi "listinorum, & auferam sanguinẽ eius de ore "eius, & abominatiões eius de medio dentiũ "eius, & relinquetur etiam ipse Deo nostro, "& erit quasi dux in Iuda, & Accaron, quasi "Iebusæus, & circundabo domum meam ex "his qui militant mihi euntes & reuertentes, "& nõ transibit super eos vltra exactor, quia "nunc vidi in oculis meis.] Septem hic præ currit nomina gentium siue vrbium genti lium. Emach, Tyrum, Sidonem, Ascalon, Gazam, Accaron, & Azotum pronuncians esse in terminis Domini, propter quod di xerat, quia Dominus est oculus hominis, & omnium tribuum Israel, itemq; paulo ante, apprehendent (ait) decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudei.

Septenario vniuersitas significatur.

Porrò numero septenario vniuersitas deligari solet. Ergo idem valet, ac si vniuersas gentes in terminis Domini esse dixisset, videlicet eodem spiritu, & eadem intentione, qua Paulus apostolus disceptantibus Iudeis & Gentibus, contra Iudæum loquitur. Vbi est gloriatio tua? Excluſa est, an Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Imò & Gentium. Quare autem propheta cum eandem haberet intentionem potiùs quàm cæteras gentes vel vrbes istas nominauit, Emach, Tyrum, Sidonem, Ascalon, Gazam, Accaron & Azotum? Nimirum quia loco vel positione terrarum Iudaicæ terræ viciniores, quã cæteræ sunt. De Emach q. Israeliticæ terrę vicina sit, vel ex eo constat, quia

3. Reg. 3.

in libro Regum scriptum est, Fecit ergo Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Israel cũ eo multitudo magna, ab introitu Emach vsq; ad riuum Aegypti. De Tyro & Sidone non dubium, similiterque de Ascalon, Gaza, Accaron & Azoto, vrbibusque Philistinorum, non incertum quin terræ illis satis vicinę sint. Volens ergo quasdam pro cunctis ponere gentibus, earumq; vniuersitatem septenario (vt iam dictum est) designare numero, cur lon

Conuersio gentium.

ginquiores magis, quã propinquiores, imò cur non magis vicinas, quàm remotas poneret gentes vel vrbes? Igitur ne qua tribus Israel aduersus hominem gentilem glorietur, Emach quoque (ait) in terminis eius, & Tyrus & Sydon, Ascalon, Gaza, Accaron, & Azotus, id est, non minus Gentium quã Iudæorum vnus idemq; est Deus. Assumpserant quippe sibi sapientiam olim vanam, nunc autem veram. Olim deniq; Tyrus, id est, quælibet gens ædificauit munitionem suam, videlicet decepta, & deinceps per inanem philosophiam. ecce autem assumplit veram sapientiam, quando vel ex quo apprehendit (vt iam dictum est) viri Iudei fim briam. Olim (inquam) coaceruauit argentum, quasi humum, et aurum vt lutum platearum. ecce autem vt comprobato, quòd aurum sapientiæ eius lutum, et argentum eloquẽtiæ eius fuerit humus, Dominus possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinẽ eius, et hæc igni deuorabitur, id est, quicquid in ea prius viuebat, occidet et destruet baptismo aquæ ac spiritus. Nam per mare aqua baptismi, et per ignem spiritus rectè intelligitur, per quæ hominis siue gentis fortitudo percutitur, atque deuoratur, quãdo deposita superbia vetusti hominis in humilitate noui hominis Iesu Christi, id est, in morte eius baptizatur. Nam quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsi[us] baptizati sumus. Videbit Ascalon, id est, quælibet gens, et timebit, et timendo sapiẽs incipiet fieri. Nã initiũ sapientiæ timor Domini. Videbit Gaza. i. quælibet gẽs, et dolebit nimis, scilicet de peccatis et errorib. suis. dolebit (inquã) dolore pœnitentię, qui videlicet dolor præparatio est lætitiæ sempiternæ, et Accaron, subauditur, videbit et dolebit nimis, quia confusa est spes eius, nimirum illa confusione, de qua Apostolus loquitur. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Et peribit rex de Gaza, subauditur, qui prius illic regnabat, et Accaron, id est, quælibet gens nõ habitabitur, videlicet ab illo rege, à quo prius habitabatur, qui erat princeps mundi huius. Et sedebit separator in Azoto, id est, in qualibet gente, ille nimirum separator qui idcirco butyrum vel mel comedet, vt sciat reprobare malũ, & eligere bonũ, et ita sedebit tanquam in area sua, iubens eam vẽ tilari ac separari triticũ et paleas. Et disperdam superbiam Philistinorum, subauditur his modis, quibus iam dictum est, quia videlicet Ascalon, Gaza, Accaron, et Azotus, ciuitates sunt Philistinorum, qualium superbia tunc benè dispergitur, quando qui erãt superbi, humiles efficiuntur. Ferè cũcta hęc cum significent gratiã, tamen in litera vidẽ

Rom. 6.

Psalm. 110.

Rom. 6.

Esaiæ 7.

Matt. 3.

Cur gentis salus obscurius ponatur in scripturis.

tur sonare irã, quod nimirum spiritus propheticus per magnam procurauit sapientiã. Iudęos nanq; constat gentium semper odisse salutem, et idcirco vtile tunc erat verbis obscuris ac dubijs, salutis gentium promissiones inuolui, ne Iudæis ipsa scriptura propter gentes fieret odibilis, apud quos oportebat eam custodiri, profuturã venturis seculis, vt nunc videmus, quia custodita ab illis vsque ad nos peruenit. Et auferã (inquit) sanguinẽ eius de ore eius, et abominationes eius de medio dentium eius, et relinquetur etiã ipse Deo nostro. Cuius de ore sanguinẽ eius, et cuius de medio dentium auferã abomina-

ónationes eius. Nimirũm cuiusque credentis, quicunque videbit & dolebit nimis, agendo pœnitentiam de peccatis suis. De ore & de dentibus cuiuslibet eiusmodi auferã sanguinem & abominationes eius, vt iam non recorderis, vel quòd sacrificia dæmonum comedit, vel quòd etiam martyrum sanguinem fudit. Hinc est illud, Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Est enim hic sensus. Non congregabo eos qui pœnitentiam egerunt, vt iudicem eos vel vindicem in eos de peccatis præcedentibus, & nominum eorum qui impiè gesserunt, pro quibus raptores, homicidæ, adulteri nominati sunt, nõ recordabor, nec pro his puniam eos. Considera cuncta hæc nomina septem, Emath, Tyrus, Sidon, Ascalon, Gazo, Accarõ, & Azotus, valdè acerba sunt, & talia, qualium dominum nõ esse memorem, grande sit beneficium. Emath namque indignatio, Tyrus angustia, Sidon venatio, Ascalon ignis ignobilis, Gaza fortis, Accaron sterilis, Azotus ignis generationis interpretatur. Nònne hæc omnia mala sunt, indignatio, & angustia, venatio subauditur diabolica, ignis ignobilis, siue ignis homicida, id est, homicidalis ira, fortitudo sine dubio, quæ Deo repugnat, sterilitas subauditur animæ, & ignis generationis, id est, luxuria. Sed non ero (inquit) memor nominum talium, id est, conuersum vel pœnitentem non puniam pro talibus, qualium nomina huiusmodi significatiua sunt. Et relinquetur (ait) etiam ipse Deo nostro. Quàm bonum est relinqui Deo nostro, vt videlicet malis nominibus abolitis, Deo relinquatur homo, & ideo viuat residuꝰ homo Deo, remaneat humana, quam creauit ipse, substantia bona, nec vlla supersint accidentia mala. Nec vacat quod dicit etiam ipse, scilicet non minus Gentilis quàm Iudæus, Emathites, Tyrius, & Sydonius, Ascolonites, & Gazæus, Accaronites, & Azoticus, non minus quàm Hierosolymites, aut Ephrateus, aut alia quacunque ex tribu vel ciuitate Israel denominatus. & erit dux in Iuda, nimirum idem quasi antistes aut vir apostolicus

Psalm. 15.

Septem nomina vrbium.

in sancta confessionis Christi ecclesia, & qui erat Accaron, id est, sterilis, erit Iebusæus, id est, Hierosolymitanus. Hæc enim ciuitas tribus nominibus appellatur, Iebus, Salem, & Hierusalem, hoc illi dicto apostoli consentit, non est enim distinctio Iudæi & Græci. Et circundabo (inquit) domum meam, id est, ecclesiam ex his qui militant mihi euntes & reuertentes. Non dixit, circundabo domum meam ex Iudæis, siue congregabo ex Græcis, sed absq; distinctione siue acceptione personarum, circundabo (ait) ex his qui militant mihi euntes, id est, obedienter operantes, & reuertentes, id est, ipsum quod operati sunt, non sibi, sed mihi attribuentes, non suam, sed Dei iustitiam statuere volentes, iustitiæ Dei per omnia sese subijcientes. Nam in veritate comperi (ait Petrus) quia non est personarũ acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiã, acceptus est illi. Et non transibit vltra super eos exactor, scilicet diabolus malus creditor, & impius exactor, qui suadendo peccatum debitum retegit genus humanum, debitumque exigit ab omni homine, qui non habet redemptorem Christũ Dei filium, patronum patrem Deum, aduocatum Spiritum sanctum. Non (inquam) super eos ille exactor vltra trãsibit, & non eos conculcabit, aut suffocabit, quia nũc vidi in oculis meis. i. visitaui eos in gratia septiformi Spiritus sancti, cuius oculi septẽ sunt oculi mei, oculus sapientiæ, & oculus intellectus, oculus consilij, & oculus fortitudinis, oculus scientiæ, & oculus pietatis, & oculus timoris Domini. In istis oculis meis nunc vidi & violentiam exactoris, & miseriam eorum, de quibus exigit. Nunc vidi dixit, pro eo vt diceret, nunc miseratus sum. Nã videre Dei subuenire est, visus Dei magnitudo beneficij est. Exempli gratia. Vbi Abraham magnitudinem beneficij persensit in hoc dicto, non extendas manum tuam super puerum, neque facias quicquam, appellauit nomen loci illius, Dominus videt. Vndè vsque hodie dicitur in monte Dominus videbit.

Iebusæus.

Rom. 3.

Euntes & reuertentes.

Rom. 10.

Act. 10.

Exactor diabolus.

Oculi septem.

Esaiæ 11.

Gen. 22.

FINIS LIBRI III. IN ZACHARIAM PROPHET.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ZACHARIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

IX his quæ hactenus dicta sunt ab eo qd ait, Cum ieiunaretis, & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, nunquid ieiunio ieiunastis mihi, vsque ad id onus verbi Domini in terra Adrach & Damasci requiei eius, satis demóstratum est, Iesum Christum Dei filium, solum & vnicum esse & planctus & ieiunij remedium, propter cuius moram, donec veniret, rectè fuerit ieiunandum, propter cuius præsentiam, quoniam ablatus est sponsus filijs suis nihilominus rectè sit ieiunandum. Rectè (inquam) nam ipse est risus sanctorum, vndecunque gaudium angelorum cuius in typum natus patri Abrahæ filius vnicus, iussus est vocari Isaac, quod interpretatur risus, dixitque mater, risum fecit mihi Dominus. Fecitque pater grande conuiuium in die ablactationis eius. Iam quæ sequuntur melius patebunt, si memoria teneat animus istud risus æterni, gaudijq; sempiterni capitulum. [Exulta satis filia Sion,
"iubila filia Hierusalem, ecce rex tuus venit
"tibi iustus & saluator. Ipse pauper & ascen-
"dens super asinam & super pullum filium
"asinæ, & disperdam quadrigam ex Ephra-
"im, & equum de Hierusalem, dissipabitur
"arcus belli. Et loquetur pacem cum gentibus, & potestas eius à mare vsque ad mare,
"& à flumine vsq; ad terminos orbis terræ.]
"De hoc Euangelista, cum dixisset, cum appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem olueti, &c. Hoc autem (inquit) totum factum est, vt impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem. Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullũ filiũ subiugalis. Quod ergo dicit. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalé, ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ, luce clarius est, & expositione non indiget. Hoc tantum interim tenet nos, quod dicit, exulta, & non contentus dixisse exulta, addidit, satis. & de verbo quidem exulta manifesta ratio est, quia supra dixerat ieiuniorum solennitates habendas, vsquequo venirent populi & habitarẽt in ciuitatibus multis, & apprehenderent gẽtes simbria viri Iudæi, quem videlicet Virũ Iudæum, quoniam venientem & quasi præsentem videt oculo prophetali pulchrè positus in contemplatione præsentiæ eius. exulta (inquit) filia Sion, iubila filia Hierusalem, nimirum iuxta quod hic loquitur, non possunt filij sponsi lugere, quàm diu cum illis est sponsus. Porrò quod addidit, satis, modum non qualemcunque vult esse exultationis, quia videlicet exultatio filiorum sponsi iam dicti longè dissimilis exultationi filiorum huius seculi. Filij huius seculi erãt illi, quibus dum loqueretur inter cætera, dixit. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Horum idcirco meminerim, quia exultare ad horam, & exultare satis contraria sunt, & ex opposito illius exultationis, qua ad horam exultare voluerunt illi, dictum est filiæ Sion, exulta satis. Quid enim est voluisse exultare ad horam in luce Ioannis, nisi temporalem quæsisse vel sperasse gloriam in prædicatione Ioannis? Putantes enim illum esse Christũ, quem audierant foreventurum regem magnum, iam videre volebant sub tanto rege regnum Iudæorum magnum, & cunctis populis tremendum, quale tunc erat regnum Romanorum, quale suo tempore regnum Græcorum, suo tempore regnum Persarũ & Mœdorum, suo tempore fuerat regnum Babyloniorum, siue Assyriorum. Equidé maius volebant vel separabant regnum fieri Iudæorum, quàm fuerat quodlibet eorum, veruntamen temporale & terrenum, quia scientiam non habebant, nec habere volebant regni Christi, regni Dei quod est cæleste & sempiternum: Ergo exultare volebant ad horam, sed ita exultare non est exultare satis. Siquidem exultatio talis, ad veram beatitudinem non sufficit. Tu igitur ó filia Sion, paruam respuens exultationẽ huius seculi exulta satis, id est, illa exultatione exulta, quam prædicat tibi habitus regis tui, venientis tibi regis iusti, regis saluatoris tui. Qualis est habitus eius? ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ. Verè pauper, id est, mitis & humilis, sicut dicit ipse, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Verè pauper, quia in hoc mundo de omni terra nec passum pedis possedit, aut possidere voluit. Et ascendens (inquit) super asinam, & super pullum filium asinæ. Perpende quo tempore hæc fecerit pauper iste, hoc fecit tunc, quãdo venienti Hierosolymam occurrere illi habebant turbæ quæ venerant ad diem festum cum ramis palmarum, clamantes, Benedictus rex qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. Illo in tempore super asellum sedere voluit, facto vtiq; protestans id, quod postmodum verbis aperuit. Regnum meum (inquiens) non est de hoc mundo, regnum meum non est hinc, atq; ita sedendo satisfaciens insidiatoribus suis, calumniantibus sibi denomine regis, & dicere volentibus quod se regem faceret contra maiestatem Romani imperij. Denique satisfactum illis esse potuisset, nisi fuissent inimici & odio magno illum persequẽtes, quia videbant illum non grandi equo, sed paruo sedentem asello, & circa eum nõ splendores armorum, sed odorem & suauitatem oliuarum. Hæc enim satis illum excusabant, quod non vellet vlli homini terrenum eripere regnum. Et secundum literam quidem non super vtrunque, id est, super asinam & super pullum sedebat, sed secundum spiritualem sensum fieri poterat & fit, quia videlicet super homines de Iudaico populo tanquam super asinam, & super humiles de populo gentium tãquam super pullũ sedet regnando, vtrorumq; rex, vtrorumque saluator. Igitur exulta satis, id est, gloriare non in honore vel potentia principum huius seculi, sed in humilitate regis tui cui gloria sempiterna succedit. Et disperdam (ait) quadrigam Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli. Vel pater vel spiritus sanctus de filio dixerit ad Sion siue Hierusalem, Ecce rex tuus, cui dicere conueniat, & disperdam quadrigam ex Ephraim, & c. rursumque de filio, & loquetur pacem de gentibus. Hierusalẽ electos de Iudæis, & Ephraim electos significat ex gentibus: quadriga autem & equus quæ disperdam, inquit, superbiam & vanitatem huius seculi. Vnde descendentes humiles, ad hunc regem Christum conuersi, dicunt alijs in eadem superbia perseuerantibus. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem nomen Domini nostri inuocabimus. Simul etiam secundum literam Ephraim & Hierusalem percutit, quia videlicet temporibus illis quadrigas, & equos sibi multiplicauerant reges Samariæ, qui fuerant ex tribu Ephraim, & reges Iuda, quorum metropolis erat Hierusalem, & frequenter contra inuicem bella gesserant. Et dissipabitur (ait) arcus belli, videlicet in his qui non contenti præcepto regis pacifici, quod est, nemini calumniam facere, neminem concutere, & vnumquenque stipendijs suis contentum esse, sequuntur etiam consilium, vt cum Petro apostolo gladium suum omninò conuertant, vel recondant in locum suum, de qualibus & Esaias loquitur. Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, &c. Quod protinus dicit. Et loquetur pacem gentibus, hoc est quod Apostolus dicit. Et veniens pacem euangelizauit vobis qui longe fuistis, & pacé his qui prope, quæ videlicet pax reconciliatio est Dei & hominum remissio est peccatorum. Et sicut hic vbi dixit, & loquetur pacem gentibus, continuò subiunxit, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ, ita in Psalmo spiritus idem cum dixisset, Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, statim subiunxit. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. A mari Indico vsque ad mare Britannicum, vel à mari orientali vsque ad mare occidentale dominabitur, & potestas eius erit, & illa tamen dominatio, siue potestas incipiet à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, id est, à tempore baptismi: & diffundetur vbique terrarum, vel à flumine subauditur Iordanis, id est, à Iudæis, & "diffundetur in omnes gentes, quia de Sion" (ait Esaias) exibit lex, & verbum Domini" de Hierusalem, & iudicabit gentes, & arguet populos multos. Nunc ad ipsum, de quo loquebatur, apostrophen facit, & dicit. [Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.] Dicendo, tu quoque, admirationem nobis facit, quia re vera miræ dignationis est, quòd non legatus neque angelus venisset, tu per temetipsum Deus homo factus ad inferos descendisti, & hoc in sanguine tuo, quod magnum & mirum est opus dilectionis, quia maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sanguinem illum, sanguinem dicimus testamenti tui, quia videlicet testamentum tuũ, testamentum æternæ hereditatis quod scripsisti hæredibus tuis, tu sanguine tuo, tu morte tua confirmasti. In illo sanguine tuo qui de latere tuo lãcea militis patefacto cũ aqua cucurrit, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, vinctos (inquam) tuos, qui collecti ab origine mundi, per omnes ætates siue generationes vsque in horam tuæ passionis expectabant te in lacu inferni, in quo non est aqua, subauditur, quæ aliquem à peccatis abluat. & idcirco hinc illuc aquam manare, hinc vsq; illuc aquam cum sanguine tuo profluere oportebat, quia illic nõ erat, illic acquiri non poterat. Et hoc nimirũ, quod hic ista regiõe viuentium aqua & sanguis de humano corpore exiuit, & illic emundationem fecit. Vis nanque illa, vis siue virtus diuina quæ hoc efficit, vt & sanguis & aqua exirent de corpore iam exanimi ipsa hoc efficere potuit, vt mortui statim canerent omni macula peccati, & contagione primæ præuaricationis, veluti mari magno inũdati, Emisisti illos, subauditur, dicens eis. [Conuertimini" ad munitionem vincti spei.] Id est, reuerti-" mini in paradisum vincti, non desperati. Munitionem quippe sanguinis testamenti

Sup 7.
Gen. 21.
Matt. 2
Matt. 9.
Ioan. 5.
Exultare ad horam.
Humilitas regis nostri.
Matth. 11.
Act. 7.
Ioan. 12.
Matth. 21.
Marc. 11.
Ioan. 8.
Mystica expositio.
Psalm. 19.
Luca 3.
Matth. 26.
Esaiæ 2.
Philip. 2.
Psalm. 17.
Esaiæ 2.
Ioan. 15.
Hebr. 9.
Ioan. 19.
Lacus in quo nõ est aqua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vobis acceſsibilem fecit, extincto flammeo
Genæ. 3. gladio, quem ſententia vindex ante paradiſum collocauit, & eo paradiſum contra
"præuaricatores muniuit. Sequitur. [Hodie
"quoque annuncians duplicia reddam tibi,
"quoniam extendi mihi Iudam, quaſi arcum
"impleui Ephraim, & ſuſcitabo filios tuos
"Sion, ſuper filios tuos Græcia.] Quanquam
& aliter poſsit intelligi, nullo modo tamen
libentius intellexerim, quàm vt hæc quoq;
ſit vox patris, ſiue ſpiritus ſancti ad eundem
filium cui dixerat: tu quoq; in ſanguine te-
ſtamenti tui, &c. Hodie quoq;, hoc eſt, hoc
Pſal. 107. ipſo tẽpore ſiue tertia die paſsionis vel mor
tis tuæ, annuncians & dicens, Exurge gloria
mea, exurge pſalterium & cithara. Duplicia
Philip. 2. reddam tibi, videlicet propter quod obedi-
ens fuiſti vſque ad mortem, mortem autem
crucis, ſcilicet vt omnem poteſtatem in cæ-
lo & in terra habeas, in diuina ſimul & hu-
mana natura, quam prius habebas tantùm
in diuina. Adhuc in eo quoq; duplicia red-
dam tibi, vt & tui qui mortui fuerant ab o-
rigine mundi, & ad inferos deſcenderãt, re-
ſtituãtur tibi. & alij non ſolũ de carne Abra-
hæ, ſed & de cunctis gẽtibus naſcantur tibi,
Pſalm 2. ſicut ſignificaui dicens, Poſtula à me, & da-
bo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſ-
ſionem tuã terminos terræ. & hoc inde fiet,
quoniam extendi mihi Iudam, quaſi arcum
impleui Ephraim, id eſt, quoniam & apoſto
los de Iudæis, & apoſtolicos viros de genti-
bus præparaui, quarum videlicet gentium
multitudo ſignificatur nomine Ephraim,
quod interpretatur fructificans. Quoniam
ſagittarius extendit ſibi arcum, & pharetrã
ſuam implet ſagittis tempore ſuo proferen-
dis, ita extendi mihi, & impleui viros eiuſ-
modi verbo prædicationis, eruntque verba
eorum quaſi ſagittæ peruenientes ad cor, &
pungendo vrentes, & vrendo pungentes, vt
peccatores prius compungantur timore,
deinde ardeant amore, quemadmodum
Pſal. 109. Pſalmiſta dicit. Sagittæ potentis acutæ, cum
carbonibus deſolatorijs. Quod eſt dicere,
Sententiæ ſubtiles illius qui abſolutè potẽs
eſt, ſcilicet Domini ad modum ſagittarum
corda hominum penetrant cum authorita-
te ſanctorum patrum. Quæ videlicet exem
pla cor compunctum ardentia, vitia deua-
ſtant pœnitentis, & idcirco dicuntur carbo-
nes deſolatorij. In hoc primi ſunt apoſtoli
ex Iudæis, loco ſecundo Græci. Ait ergo, Et
ſuſcitabo (ait) filios tuos Sion, ſuper filios
tuos Græcia. Sion pro Iudæo poſuit, & Gre
ciam pro gentili. Apoſtolus quoq; vult in-
Rom. 2. telligi cum dicit. Ira & indignatio in omnẽ
animam operantis malum, Iudæi primùm
& Græci. Gloria, & honor, & pax omni o-
peranti bonum, Iudæo primum & Græco.
Igitur ſuſcitabo filios tuos Sion, ſuper filios
tuos Græcia, id eſt, cõfortabo apoſtolos de
Iudæa, quatenus ad gentes ire & gentibus
prędicare non timeant. Poterat quidem ſic
dicere: ſuſcitabo filios tuos Sion, ſuper filios
Græciæ, ſed maluit eo modo loqui, in quo
eſt maior familiaritas, maiorq; ſentitur affe-
ctus congratulationis, pro magnitudine gra
tiæ vel beneficij, quod is ipſe qui loquitur
vtriſq; contulerit. [Et ponam te quaſi gla-
dium fortium, & Dominus Deus ſuper eos,
videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius.
Et Dominus in tuba canet, & vadet in tur-
bine auſtri, Dominus exercituum proteget,
eos, & deuorabunt & ſubijcient lapidibus,
fundæ, & bibentes inebriabuntur quaſi à vi,
no, & replebũtur vt phialæ, & quaſi cornua,
altaris. Et ſaluabit eos Dominus Deus eo-
rum in die illa, vt gregem populi ſui, quia la,
pides ſancti eleuantur ſupra terram eius.
Quid enim bonum eſt, & quid pulchrum,
eius, niſi frumentum electorum & vinum,
germinans virgines?] Quàm pulchra literæ,
ſuperficies, quantam intus euangelicæ gra-
tiæ pulchritudinem cõtinet? Nónne hoc eſt
ipſum quod credimus, quod ſcimus factum
eſſe vſque ad nos, ex quo tu Chriſte fili Dei
in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos
tuos de lacu, in quo non eſt aqua, id eſt, ex
quo mortuus infernum ſpoliaſti, & cũ tuis
omnibus victor inde aſcendiſti. Ex eo nan- *Filij Sion, apoſtoli.*
que filios Sion, id eſt, apoſtolos tuos ſuſcita
uit Deus pater, ſuſcitauit Spiritus ſanctus, ſu
per filios Græciæ, te dicente. Euntes docete *Matth. vlt.*
omnes gentes baptizantes eos in nomine pa
tris, & filij, et Spiritus ſancti, et ex eo poſuit
te pater Deus, poſuit te Spiritus ſanctꝰ quaſi
gladium fortium, videlicet vt fieret per te
illud quod eſt fortiſsimum, quod tu ipſe ſi-
gnificabas, dicendo. Non veni pacem mitte-
re, ſed gladium. Veni enim ſeparare homi- *Ibid. x.*
nem aduerſus patrem ſuum, et nurum ad-
uerſus ſocrum ſuam, et inimici hominis do-
meſtici eius. Hoc per miniſterium filiorum
Sion, hoc per prædicationem factum eſt a-
poſtolorum tuorum. Vnde illorum prædi-
cationi tanta vis tantusq; effectus? Et Domi
nus Deus ait, ſuper eos videbitur, et exibit
vt fulgur iaculum eius. Quod eſt dicere, Il-
lis proficiſcentibus, et prædicantibus vbiq;,
Dominus cooperabitur, et ſermonem con-
firmabit ſequentibus ſignis. Nam exire vt *Marc. vlt.*
fulgur iaculum eius, hoc eſt coruſcare mira
culis euangelium eius. Et Dominus in tuba
canet et vadet in turbine auſtri. Quid eſt in
tuba canere, niſi futurum iudicium audien *In tuba ca-*
te mundo vniuerſo declamare? Exẽpli gra- *nere.*
tia, Dum dicit Apoſtolus. Reuelatur enim *Rom. 1.*
ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem
et iniuſtitiam hominum, etc. Nónne Domi
nus in tuba canit, et vadit in turbine auſtri,
id eſt, in impetu Spiritus ſancti? Nam ſecun
dum ſimilitudinem tubæ canẽtis et magnæ
tempeſtatis, terruit gentes vocibus huiuſce-
modi. Non erubeſcendum euangeliũ Chri-
ſti, quoniam eſt virtus Dei, quoniam in eo

reuelatur iuſtitia Dei. Et reuera Dominus
exercituum ait: proteget eos videlicet non
vt timeant, non erubeſcant, dicatq; quilibet
Ibidem. eorum: non enim erubeſco Euãgelium, vir
tus enim Dei eſt, &c. Et deuorabũt (inquit)
& ſubijcient lapidibus fundæ. Bona deuora
tio, qua traijciuntur in corpus eccleſiæ. & *Lapides fundæ.*
boni lapides fundæ, quæ ſunt reuelata illis
ſacramenta ſanctæ ſcripturæ, quibus auditis
ſiue intellectis, Græcia ſe ſubiecit, gentilitas
quaſi lapidata cõticuit, victa acquieuit. Vn-
de hoc illis, vt tam fortes ſint ad deuoran-
dum, tam valentes ad iaciendum, & la-
pidibus fundæ ſubijciendum? Et bibentes
(ait) inebriabuntur quaſi à vino, & reple-
buntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris.
Act. 2. Nónne ita factum eſt? Nónne apoſtoli bi-
berunt & inebriati ſunt? An nõ ita dixerunt,
qui eos viderunt? Cum enim accepiſſent ſpi
ritum ſanctum, & loquerentur varijs lin-
guis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui il-
lis, ſtupebant & mirabantur, dicentes. Quid
nam vult hoc eſſe? Alij irridentes dicebant,
Quia muſto pleni ſunt iſti, & verè muſto
Repleta phialæ. pleni ſunt iſti, & verè muſto pleni, ſed non
quali muſto putabant illi. Nunquid Petrus,
quia dixit, non enim ſicut vos æſtimatis, hi
ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia, prorſus il
los ebrios eſſe negauit? Non vtique prorſus
negauit, ſed quẽdam ebrietatis modum re-
mouit, dicendo. Non ſicut vos æſtimatis.
Tanquam diceret. Sunt quidem inebriati,
ſed non ſicut vos exiſtimaſtis. Igitur biben
tes inebriabuntur quaſi à vino, id eſt, Spiri-
tum ſanctum accipientes, ſic ſe habebunt, vt
dicantur pleni eſſe muſto. Et replebuntur
vt phialæ, id eſt, plenam habebunt facultа-
tem, non ſolum ſcientiæ, verumetiam elo-
quentiæ. Phiala namque os patulum habet,
& idcirco per huius ſimilitudinem rectè in-
nuitur linguarum vniuerſitas, quæ illis da-
ta eſt, vt & capere vel noſſe & eloqui poſsẽt
omnibus gentibus magnalia Dei. Et quia
non ſufficit oris ſiue linguarum abundan-
tia, niſi adſit & zeli boni fortitudo ſancta, cũ
Apoſtoli quaſi cornua altaris Exod. 21. dixiſſet: replebuntur vt phialæ, addidit, &
quaſi cornua altaris. Cornua altaris iuſsit
Dominus quatuor fieri dicens Moyſi. Fa-
cies & altare de lignis Sethin, quod habebit
quinque cubitos in longitudine, & totidem
in latitudine, id eſt, quadrum, & tres cubitos
in altitudine. Cornua autem per quatuor
angulos ex ipſo erunt. Quomodo impleta
ſunt illa cornua altaris? Facies (ait) & vectes
altaris de lignis Sethin duos, quos operies
laminis æreis, & induces per circulos, erunt-
que ex vtroq; latere ad portandum. Secun-
dum hanc ſimilitudinem impleti ſunt apo-
ſtoli ſcientia vtriuſq; teſtamenti, quaſi duo-
bus vectibus de lignis Sethin per circulos
charitatis ad portandum ad altare, quod eſt
Chriſtus, videlicet altaris apoſtoli quædam
cornua fuerunt & ſunt, videlicet perhiben-
do illi fortiſsimum coram regibus & gen-
tibus teſtimonium. Igitur replebuntur (ait)
vt phialę, & quaſi cornua altaris, id eſt, vno
eodemq; ſpiritu & ſcientiſsimi fient & for-
tiſsimi ad portandum, id eſt, euangelizan-
dum cunctis gentibus Chriſtum ſecundum
myſterium illius altaris manufacti, quòd vt
portari poſſet, cornua eius circulis & vecti-
bus iuſſa ſũt impleri. Et ſaluabit eos, inquit,
Dominus Deus eorum in die illa, vt gregẽ
populi ſui, quia lapides ſancti eleuantur ſu-
per terram eius. Senſus hic eſt, Sicut paſtor
gregem ſuum, ita ſaluabit multitudinẽ cre-
dentium, & hoc inde proueniet, quia ſicut
lapides rotundi facile volui poſſunt, & citi-
mouentur ſecundum voluntatem eius qui
vſpiam illos ducere vult, ita illi ſaluatoris
imperium ſequuntur; & per infirmitatem
quidẽ carnis teneri, vt ouium grex, ſed per
patientiæ virtutem duri vt lapides, & per o-
bedientiæ beneuolentiam ſemper volubi-
les, & ad iuſſa peragenda currentes. Quid e-
nim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, *Frumentũ vinum ſpi-*
niſi frumentum electorum, & vinum ger- *rituale.*
minans virgines? Hoc ita cum præcedenti-
bus continuari poteſt. Dixi, replebuntur vt
phialæ, & quaſi cornua altaris, & ſubaudiẽ-
dum eſt bonis Domini pulcherrimis, ſcili-
cet frumento & vino, quæ verè bona Domi
ni eſſe ſentit, quiſquis frumentum & vinum
ſpiritualiter intelligit. Nam frumentum Do
mini, eſt verbum Domini, & vinum Domi
ni eſt ſpiritus Domini. Sicut frumento viſi-
bili fames expellitur corporis, & vino non
ſolum extinguitur ſitis, ſed & vegetatur ca-
lor naturalis: Ita verbo Dei anima viuit, &
dulcedine ſpiritus ſancti prouocatur mens
ad amorem Dei. Hoc à tempore prædicatio
nis euangelicę ſic abundanter cœpit fieri, vt
ſicut tempore meſsis ſolet apparere plenitu
do agri frumẽtarij. Et ſicut in abundãtia ro
ris vel imbris temporanei & ſerotini, ger-
men arridet horti benè culti, vernantib. ro-
ſis et candentibus liljs: ita per orbem vni-
uerſum paſsim ſpectentur, et electus ſexus
virilis, et virgines ſexꝰ fœminei. Quid aliud
beatam trinitatem magis quàm hoc ſpecta-
culum in hoc mundo delectet? Dicat ergo.
Quid enim bonũ eius eſt, et quid pulchrum
eius, niſi frumentũ electorum, et vinũ ger-
minans virgines? Sequitur. [Petite à Domi- *CAP. X.*
no pluuiam in tempore ſerotino, et Domi-
nus faciet niues et pluuiam imbris, dabit eis,
ſingulis herbam, in agro, quia ſimulachra,
locuta ſunt inutile, et diuini viderunt men-
dacium, et ſomniatores fruſtra locuti ſunt,
vanè conſolabantur.] Optimè ſciẽdum eſt,
etenim ſcire ſapientis eſt, quia bonum hoc
et pulchrum, de quo dixerat, Quid bonum
eius, et quid pulchrum eius eſt, niſi frumen
tum electorum et vinum germinans virgi-
nes, bonum (inquam) et pulchrum, hoc ſo-
lius Dei donum eſt, et propter hoc ab ipſo

Universidad de Deusto
Biblioteca

petendum est. Nam de germine virginitatis, de frumento verbi Dei, quicunq; studiosus fuit, non ignorat, sed experimento didicit, quod de terra carnis nostræ resurgere non possit, quàuis plantet aut riget aliquis,
1. Cor. 3. nisi Deus incrementum dederit. Qui ergo bonum hoc vel pulchrum ostendit, rectè & consilium suggerit petendi illinc vnde possit acquiri. Petite (inquit) à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues pluuiam imbris. Ac si dicatur, Vbi desideratur frumentum Domini, & vinũ
Remediũ à Domino contra incendiũ carnis. germinis virginei, vbi consilium est castitatis, vel propositum virginitatis, ibi sentitur magis incendium carnis aduersus spiritum concupiscentis. Sed nolite deficere, nolite desperare. Petite à Domino, & Dominus dabit niues, & pluuiam imbris. Niues quibus
Ioan. 6. æstum carnis refrigeret ac temperet. Pluuiam imbris duo terra cordis compluta, proferat herbam frumenti, quo viuit homo, quod confirmat cor hominis. Nam nix interdum malũ significat, vt illud beati Iob. Qui timent pruinam, irruet super eos nix.
Prouer. 25 Interdum verò bonum, vt illud de parabolis Salomonis. Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum, animam illi⁹ requiescere facit. Petite (ait) à Domino in tempore serotino. Magna & vehemens est huiusmodi exhortatio & vniuscuiusque conscientiam tangit hoc dicto. Quis gloriari potest, qui huiusmodi niues aut pluuiam petierit, & impetrauit tempore nimis maturo? Ferè omnis caro prius suo delectatur incendio, quàm refrigerium petat à Domino. Ergo quasi non ausus dicere, Petite in tempore mãtutino, petite (inquit) in tempore serotino. Si non mane, petite vel sero. Petite (inquam) & nolite attendere simulachris aut diuinis siue somniatoribus, quia simulachra locuti sunt inutile, & diuini viderunt mendacium, & somniatores frustra locuti sunt, vanè consolabãtur. Quid enim dixerunt? O homo qui dicis pulchrum Dei esse vinũ germinans virgines, ad quid Deus in initio masculum & fœminam creauit? Ad quid membra cocundi vsibus apta formauit? Vide ergo, ne dum Virgines existimas vel prædicas bonum & pulchrum esse Dei, contrarius existas constitutioni vel decreto Dei. Sunt autem plerique, qui non audentes sic obloqui, quoniam potest eis abundãtius responderi, Aliter dicunt, & nimis miseriter blãdiuntur sibi. Ille vel illa potuit, sanctus ille Apostolus, aut sancta illa quam Deus assumpsit, valuit proferre & custodire germen Dei, germen virginitatis, quia tẽpus bonum fuit, aut cõplexio frigidioris naturæ viuit, tempus nunc fragilius est, nos ô soror aut ô frater naturæ sumus imbecillioris, melius est sic facere, quàm vri. Illa potuit, tu virginitatem custodire vel continẽs esse non poteris. Nec defuerunt qui dicerent, nuptias in illo seculo virginibus non impietatis fore meriti. Cum hæc vel his similia audieris, scito, quia simulachra sunt, & inutile loquuntur: diuini sunt, & mendacium vident: somniatores sunt, & frustra loquendo vanè consolantur. [Idcirco abducti sunt, quasi grex affligentur, quia non est eis pastor. Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo, quia visitauit Dominus exercituum gregem suum, domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.]Idcirco ait, quia somniatores sunt, & frustra loquuntur. quia diuini sunt & mendacium viderunt, quia simulachra, id est, deceptores sunt & inutile locuti sunt ad subuertendum bonum Dei, quod frumentum electorum est, ad destruẽdum pulchrum Dei, quod est vinum germinans virgines, idcirco & ipsi, & qui consenserunt vanè consolantibus eis. Idcirco (inquã) abducti sunt in diuersas vias libidinum, & affligentur quasi grex, subauditur hircorum, quod animal nimis est libidinosum. Nam protinus dicit, & super hircos visitabo. Ergo quasi grex hircorum, id est, bruti & insensati velut hirci affligentur, subauditur multis & diuersis ignominiæ passionibus. Nam quia veritatem Dei in mendacium cõmutauerunt, quod est diuinorum huiusmodi & somniatorum. Idcirco ait Apostolus,
Rom. 1. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, idcirco tradidit illos Deus in passiones ignominię, idcirco tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Iuxta hunc sensum cum hic dicit, quia non est eis pastor, pa-
Ioan. 10. riter subintelligendum est, nec ipsi sunt pastori videlicet illi qui dicit, Ego sum pastor ouium, ego sum via & veritas, non quòd pastorem huiusmodi non audierint, aut viã & veritatem istã non cognouerint, sed quia cum cognouissent pastorem, huic non licut pastori obedierunt, vel sicut Apostolus
Rom. 1. Tit. 1. dicit. Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, imò veritatem in mendacium commutauerunt. Idcirco super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo, id est, & magistros libidinũ, quia putridi pastores sunt, & auditores, siue imitatores illorum, quia libidinosi hirci sunt, æquè iudicabo, quoniã proprio iam sunt condemnati iudicio, pastores hircis libidinũ vias ostendendo. hirci pastoribus libẽter assentiendo. Etenim inde iam excusabiles sunt, quia visitauit Dominus exercituum domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. Vocabulo domus Iuda, quod interpretatur confessio, cunctos illis contrarios significat, quoniam illi (sicut iam dictum est) cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, & idcirco passionibus traditi sunt, & idcirco non liberan-
Domus Iuda quasi confessio gloriæ in bello.

tur,

tur, quia sibimetipsis complacent passionibus. Isti autem econtra cognoscentes Deũ, sicut Deum glorificauerunt & gratias egerunt, vnde & domus Iuda. i. domus confessionis & laudis dicti sunt. Huiusmodi gregem suum, gregem non hircorum, sed ouiũ visitauit Dominus exercituum. Quomodo visitauit? Posuit eos (ait) quasi equum glorię suæ in bello. i. sicut equus gloriosus in bello exultat audacter, & in occursum pergit armatus, contemnit pauorem, nec cædit in gladio, ita isti fortes & constantes sunt intus & foris. intus contra omnem impetum libidinis, foris cõtra gladium persecutoris. hinc illi (vt iam dictum est) inexcusabiles sunt, quia videlicet vt illi, ita & isti homines sunt, caro sunt, & si voluissent illi, æquè isti habuissent adiutorẽ Deum. Vnde protinus sequitur. [Ex ipso angulus, ex ipso paxill⁹, ex ipso arc⁹ prælij, ex ipso egreditur omnis exactor simul. Et erunt quasi fortes quasi cõculcantes lutũ viarũ in prælio. Et bellabunt, quia Dñs cum eis. Et confundentur ascensores equorum, & confortabo domum Iuda, & domum Ioseph saluabo.]Bene secundum nomen suum loquitur, & confitetur dom⁹ Iuda bene adorat & sentit equus gloriæ Domini. Sic dicere, hoc nimirum est, Deum omnipotentẽ glorificare & gratias agere. Ex ipso (inquit) angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egreditur omnis exactor simul. Quidnam hoc est? Omne bonum ex ipso procedit. Angulus. i. fi-
2. Tim. 4. des. paxillus, id est, spes. arcus prælij. i. charitas. extra quam nulla est scientia, nulla virtus præliandi, ex ipso est, ipsius donum est. Simul omnis exactor. i. omnis operator qui cunq; ex cõscientia boni operis iustè audet
Angulus, fides. mercedem exigere, vt ille qui dixit. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidẽ seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem. Omnis (inquã) talis exactor ex ipso egreditur, ex ipso accipit hoc ipsum quod est operatus, pro quo mercedem vel coronam exigere meretur. Angulum diximus fidem, quia videlicet sicut angulo iunguntur duo parietes ediuerso venientes, ita per vnam eandemq; fidem coniuncta est electio gentium electioni quæ ex Iudæis est.
Paxillus spes. Paxillum spem, sicut qui lapsus in prona si paxillum firmiter fixum apprehenderit, feliciter subsistit, & tenet atq; tenetur, ne penitus decidat in ima præcipitij, ita qui varijs tentationibus poterat perechtari, & in barathrum deuenire desperationis, spe subleuatur, & ad diuinæ pietatis arcem refugit. Arcũ
Arcus prælij, charitas prælij charitatem, quia profectò nihil tam forte contra diabolum, nihil in omni armatura virtutum tam valens, tam efficax contra pugnas libidinum, quàm est charitas. per quam fides operatur. per quam spes roboratur, & omne animæ certamen iam in præsenti quadam mercede remuneratur, dum huius veri boni suauitate mens benè conscia quotidie pascitur. Exactorem diximus
Exactor, operarius fidelis, in fide stantem, in spe laborantem, in charitate currentem, & propter hoc mercedem aut coronam à Deo fideli debitore exigentem. Hæc omnia ex ipso sunt, & hoc scire debent electi supradicti, maximeq; pulchrum illud Dei germen, scilicet, virgines. scire (inquam) hęc, & respondere debent contra simulachra loquentia inutile, contra diuinos mendacium videntes, contra somniatores frustra loquentes, & vanè consolantes, vt supra iã dictum est. Et erunt (ait) quasi fortes, quasi conculcantes lutum viarum in prælio, & bellabunt, quia dominus cum eis. Quasi fortes, inquit, quasi conculcantes, id est, verè fortes, verè conculcantes, vt illud. Facti sumus sicut cõsolati, id est, verè consolati. Cõtra, quid fortes? quid conculcantes? fortes contra lutum viarum, conculcantes lutum viarum, siue stercus in medio platearum. Nam mulier fornicaria quasi stercus (ait sapientia) conculcabitur in mẽdio platearum. Duo dixit, quasi fortes, quasi cõculcãtes. Nõ prius cõculcãtes, & deinde fortes, sed prius fortes, & deinde cõculcãtes. Prius. n. antequã vincant libidines, pugnare oportet vt fortes, & deinde cõculcare possũt, vtpote victores, ita vt si vel motũ vitij sentiant, indignẽtur, cõtra qꝫ prius cum labore præliabantur. Et notandum, quia prius tria reddidit, quia dixerat, ex ipso angulus, ex ipso paxillus, & ex ipso arcus prælij, & nunc dicit, Erunt quasi fortes, erunt quasi conculcantes, & bellabunt quasi Dominus cum eis. Ergo fortes in angulo fidei, conculcantes cum paxillo spei, bellantes in arcu prælij, in fortitudine charitatis. Sed quid opus erit bellare, postquam licuit conculcare? Ad hoc sciendum, quia postquam in semetipso quis vicerit, & conculcauerit lutum viarum, id est, stercus libidinum, restat, vt pugnet & pro alijs in arcu prælij, in fortitudine charitatis, cum feruore zeli boni, arguendo, obseruando, increpãdo, maximè illos qui sibi sunt commissi, vt solet fieri, quia dignum est, & ita expedit, vt regimen animarum, non cuilibet, sed probato & emerito committatur libidinũ victori. Et confundentur (ait) ascẽsores equorum, & confortabo domum Iuda, & domũ Ioseph saluabo. Manifestum est tam de scripturis, quàm de exemplis quotidianis, quia elationem mentis sequitur confusio libidinis iusto iudicio Dei. Porrò elati quo melius atq; conuenientius vocabulo denotarẽ tur, quàm hoc dicto Ascensores equorum, tanquam diceret Humiles illa gloria sequẽ
Victor libidinum. *Ascensores equorum superbi.* tur, vt conculcent lutum viarum: super eos illa confusio, vt stercorentur eodem luto viarum. Quid porrò sibi vult, quod protinus dicit, Et confortabo domum Iuda, et

domum

Universidad de Deusto
Biblioteca

domum Ioseph saluabo? De domo quidem Iudæ iam supra dictum est quod ipsi sint cõfitentes, & Deum omnipotentem sicut Deum glorificantes, & gratias agentes, & propter hoc ipsum posuerit eos Dominus quasi equum gloriæ suæ in bello, & hoc repetitur hic breui sententia, & consortabo domũ Iuda. Sed de Ioseph cur mentionem fecit in

Ioseph insignis victor libidinum. Gene. 39.

præsenti negotio, dicens. & domum Ioseph saluabo? Ad hæc sciendum, quia Ioseph inter victores libidinum notissimus atq; nobilissimus est, quia noluit acquiescere Dominæ suæ dicenti, Dormi mecum, cum captiuus esset, & propter fidem castitatis, falsa circumuentus accusatione, carceri mancipatus est. Domum ergo Ioseph cunctos designare illos, qui pro castitate laborant non dubium est, quatenus qui hæc audiunt & recordantur laborum eiusdem Ioseph, & quomodo de eisdem laboribus saluauit eũ Dominus, prouocentur ad imitandum Ioseph, & ab experimento sciant, quia cunctis, qui pro fide & castitate agonizantur, magna merces parata, grandis honor aqud Deum ,, repositus est. [Et conuertam eos, quia misere ,, rebor eorum, & erunt, sicut fuerunt, quan,, do non proiecerã eos. Ego enim Dominus ,, eorum, & exaudiam eos & erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi ,, à vino, & filij eorum videbunt, & lætabun,, tur, & exultabit cor eorum in Domino.] Hoc assertione nostra non indiget, quod vt nunc ait, & conuertam eos quia miserebor eorũ & cõuersionis, quia cõuersi sumus, causa alia nulla est, nisi gratuita misericordia, siue misericors & miseratrix gratia. Quod deinde subiungit, & erunt sicut fuerunt, quãdo non proieceram eos, quo sensu melius intelligitur, quàm ac si dixisset, & erunt sicut prædestinatione habui eos. Nam antequã in Adã & Eua, quos emisi de paradiso, proiecerat nos, imò & antequam cælum & terra fieret, eramus apud eum omnes nos, quãto quisq; deberet accrescere meritò, quanto vniuersitas electorum complenda foret numero. Et quia non ex semetipsis, sed ex sola fiet gratia liberatoris, rectè dicit continuò. Ego enim Deus eorum, & exaudiam eos. Mox dicendo. Et erunt quasi fortes Ephraim. Ad sacram & mysticam nos misit historiã, vbi Ephraim, qui natu erat iunior, benedictione patris commutãtis manus, factus est prior. Scio (inquit) fili mi, scio quia hic Manasses primogenitus est, sed frater eius iunior, maior illo erit, & semẽ illius crescet in gentes, constituetque Ephraim ante Manassen. Erunt ergo (ait) quasi fortes Ephraim, id est, præferentur ex gentibus, credentes, & Iudæis erunt multipliciores atq; fortiores, sicut Ephraim, qui natu erat iunior, priori prælatus est, & maior factus, quãdo is qui natu erat prior Manasses. Et lętabitur (ait) cor eorum quasi à vino, id est, lætitiam habebunt, non foris sed intus: nam à seculo persecutionem patientur, sed intus consolatione spiritus sancti replebuntur. Quod deinde dicit. Et filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino, res ipsa hodie veraciter dictum esse cõprobat: quia nos filij sanctorum, filij martyrum, quibus illi certitudinem fidei Christianæ suo sanguine pepererunt, gloriam illorum videmus & lætamur, videntes & lætantes veneramur, & exultat cor nostrum in Dño, quia tales apud Christum habemus patres & patronos. [Sibilabo eis, & cõgregabo ,, illos, quia redemi eos, & multiplicabo eos, ,, sicut antea fuerãt multiplicati, & seminabo ,, eos in populis, & de lõge recordabũtur mei, ,, & viuẽt cũ filijs suis.] Magis ac magis incul,, cat ac replicat, quòd non meriti ipsorũ, sed gratiæ suæ sint omnia quę cunq; illis dicuntur, vel dici possunt gloriosa. Quid enim est sibilabo eis, nisi occulta inspiratione trahã illos, quæ est quasi sibilus auræ tenuis? Erbo sibilabo eos, id est, quicquid boni est eorum vel esse poterit, de meo spiritu erit, & congregabo illos, scilicet, eodẽ spiritu meo in vnitatẽ fidei, quia redemi eos, quia idcirco mortuus sum, idcirco (vt ait Euãgelista) mori me oportebat, vt eos, qui disperli erãt, filios Dei congregentur in vnum. Et multiplicabo eos, sicut ante fuerũt multiplicati. i. non alij neq; pauciores credent, et conuertẽtur, quàm fuerunt ante omnia secula præsciti et prędestinati. Quomodo vel quali incremento Domine multiplicabis eos? Et seminabo (ait) eos in populis, et de longè recordabuntur mei. Hic illud occurrit, quod ipse in euãgelio de semetipso dicit. Nisi granũ frumenti cadens in terrã mortuũ fuerit, ipsum solũ manet. Si aút mortuũ fuerit, multũ fructum affert. Nã principaliter ipse quidẽ erat granũ mortificandũ, et viuificãdum: mortificandũ infidelitate Iudęorũ, viuificãdum fide populorum, Sed secundariè singuli quiq; sanctorum, vel martyrum grana frumenti fuerunt & sunt. Vndè superius dictum est, bonum & pulchrũ Dei esse frumẽtum electorũ. Cum ergo in modũ frumẽti sanctificauerint sancti, ita vt per verbũ doctoris vnius multi eruditi sint, & per passionẽ vnius martyris persæpè multi occasionẽ credẽdi acceperint, qui à Deo longè erãt remoti, nónne satis liquet, quã veraciter ,, phetico præconio dixerit hic, et seminabo eos in populis, et de lõgè recordabũtur mei, et viuẽt cũ filijs suis, subauditur, qui labore ipsorũ Deo acquisiti, & saluti ęternę sũt nati. [Et,, reuertẽtur, et reducã eos de terra Aegypti,,, et de Assyrijs cõgregabo eos, et ad terrã Ga,, laad et Libani adducã eos, et nõ inuenietur,, eis locus.] Aegyptum hũc mundum, Assur,, diabolũ, et Assyrios dæmones in scripturis significare notũ est. Hinc apud Esa. Dñs dicit. In Aegyptũ descendit populus meus in princi-

Prædestinati ante mũdi creationem.

Gen. 48.

Nos filij martyrum et sanctorũ

Ioan. 12. Granũ frumenti.

Esaiæ 52.

Exod. 1.

4. Reg. 19. Ibidem 17.

principio, vt colonus esset ibi. & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Et est sensus. Sicut in istam localem Aegyptum descenderunt filij Iacob, & ibi multiplicati gemuerunt sub seruitio, & quasi in ergastulo, & deinde carneus Assur, Sennacherib, & multitudo eius, & Salmanasar itidem rex Assur calumniatus est, & captiuum duxit eum sine causa, quia nihil contra eum fecerat: Ita in principio, quando non erant nisi duo in paradyso, masculus & fœmina, Adam & Eua, descendit in illis duobus omnis electorum & ad vitam prædestinatorum populus in tenebras huius seculi, vbi Deus verum lumen non videtur, & diabolus sub tributum mortis redegit eum, inuidens illi, & odio habens absque vlla causa, quia videlicet homo diabolum de cælo ruere non fecerat. Porrò, terra Galaad & Libani terra est promissionis, interpretaturque Galaad aceruus testimonij. Libanus autem candidatio, quibus nominibus martyres, id est, testes, & omnes candidæ confessionis sanctos significare spsicuũ est. Igitur reuertẽtur ait. Et reducã eos de terra Aegypti, & de Assyrijs congregabo eos, & ad terrã Galaad, & Libani adducam eos, & non inuenietur eis locus, id est ad me conuertentur, sicut scriptum est, Reminiscentur & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & ego de præsenti seculo nequam ereptos, de potestate malignorum spirituum liberatos, congregabo eos, subauditur in vnum (sicut Euangelista dicit) vt filios Dei, qui dispersi erant congregaret in vnum, & adducam eos ad terram viuentium, quæ terra est Galaad, & Libani, id est, martyrum & omnium sanctorum, & tanta erit multitudo eorum, vt æstimatione humana non possit inueniri, quis vel quãtus sit locus, qui sufficere queat ,, illis ad habitandum. [Et transibit in maris ,, freto, & percutiet in mari fluctus. Et con,, fundentur omnia profunda fluminis, & hu,, miliabitur superbia Assur, & sceptrum Ae,, gypti recedet. Confortabo eos in domino, ,, & in nomine eius ambulabunt dicit domi,, nus.] Adhuc detinetur in contemplationẽ mysterij quo miserat nos, dicendo. Et reducam eos de terra Aegypti. Non obscura, sed notissima est paruulis quoq; Ecclesiæ filijs, illa spiritualis intelligentia, quod sicut Israel de Aegypto per mare rubrum, merso Pharaone cum curribus & equitibus eius, ascendit ad possidendam terram, quam dominus illi dare decreuerat, quod & fecit, ita electorum vniuersitas, de præsenti seculo ascendens, non alier quàm per sacramentũ baptismi ad illam terram viuentium peruenit, demerso, id est, abnegato diabolo, & vniuersis pompis eius, in virtute eius sacramenti. Cùm ergo dicit. Et transibit in maris freto, subauditur dominus, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis, & humiliabitur Assur superbia, & sceptrum Aegypti recedet. Pulchrè concludit, quasi narrationem prophe ticam, narrationem operum misericordiæ, et miserationis, quam sic inceperat. Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Nam & transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus, quid aliud est, nisi et perficiet illud, quod in diuisione maris rubri significabatur, quando virgam suam, iubente domino, Moyses eleuauit super maris fluctus, et recessit sceptrum Aegypti, subauditur, percussum virga Moysi, nec potuit filios Israel persequi? Plura hinc dici poterant, nisi quia, sicut iam dictum est, ferè omnibus notum est illius facti mysterium, et qui nota diutius tractat, affert legenti fastidium, ergo cętera persequamur. [Aperi Libane portas ,, tuas, et comedat ignis cedros tuas. Vlula abi ,, es, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici ,, vastati sunt. Vlulate quercus Basan, quia suc,, cisus est saltus munitus. Vox vlulatus pasto,, rum, quia vastata est magnificentia eorum. ,, Vox rugitus leonum, quoniam vastata est ,, superbia Iordanis.] Vniuersæ viæ domini ,, (ait Psalmista) misericordia et veritas. Item: Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine. Secundum hæc duo hic locus prophetiæ diuiditur. Nam ab eo, quod ait longè superius. Et factũ est verbum domini ad me, dicens. Ieiunium quarti, et ieiunium quinti, et cæt. vsque ad id, quod nunc dicit. Aperi Libane portas tuas, cuncta ferè promissa misericordiæ fuerunt, quæ nunc opere impleta sunt, et ab eo quod dicit. Aperi Libane portas tuas, vsque ad id quod longè inferius loquitur, brachium eius ariditate siccabitur, et oculus eius dexter tenebrescens obscurabitur, cuncta hæc terribilia veritatis ædicta, iustique iudicij documenta sunt. Quãtum dulcedinis, quantum suauitatis atque iucunditatis illic est in hoc dicto. Exulta satis filia Syon, iubila filia Hierusalem. Et econtra quantum hic amaritudinis, quantum acerbitatis et calamitatis eorum quibus dicit. Aperi Libane portas tuas, et cõedat ignis cedros tuas, vlula abies, vlulate quercus Basan. Ergo sicut hactenus misericordiam in illis, q crediderunt, vel credũt, ita ex his quę sequuntur, iustum consideremus iudicium super illos, qui nõ crediderũt. Aperi (inquit) Libane portas tuas. Libanus, quo monte terra illa nihil habuit vel habet excelsius, templum præsenti loco significat, quo gens illa nihil habet augustius. Aperi, id est, claudere Romanis vel hostibus obserare non valeas, sed ingrediantur secreta tua, et comedat ignis cedros tuas, id est, tabulas cedrinas, tabulas deauratas. Puto ipsum Libanum, hoc est, templum propheticæ vocis sensisse imperium, quoniam (vt Iosephus quoque testatur) imminente excidio portæ eius

Terra promissionis.

Psal. 21.

Ioan. 11.

Mare, typus baptismi.

Sup. 9.

CAP. XI.

Psal. 24.

Psal. 100.

Sup. 8.

Sup. 9.

Iudicium Dei in reprobos.

Iosephus de bel. Iud. li. 7. cap. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apertæ sunt absque manu hominum. Orientalis (inquit) porta interioris templi, cùm esset ænea atq; grauissima, & post meridiem vix à viginti hominibus clauderetur, serisq; ferro iunctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, vno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere. His autem curriculo per custodes templi magistratui nunciatis, ascendit ille, vixq; eam potuit claudere. Nec mirum. Imperabat enim hæc vox diuina, vox prophetica. Aperi Libane portas tuas, & tali apertione protinus fore aperiendas hostibus portas suas significabat. Abies cui dicitur vlula, & cedrus quæ cecidit, illi, principes, illi superbi fuerunt, quos apertius exprimit, dicendo. Quoniam magnifici vastati sunt. Et pulchrè sicut nomine Libani templum, ita abietis & cedri nominib. summos Iudæorum & principes designat sacerdotum, qui, quomodo abies & cedrus in Libano, ita se extollebant, & magnificabant in templo illo. Et quia præ magnitudine malorum non sufficit semel dixisse, repetit verbis paululum diuersis. Vlulate (inquiens) quercus Basan, quoniam succisus est saltus munit⁹. Adhuc aũt magis ac magis inculcãs, vox (inquit) vlulat⁹ pastorũ, quia vastata est magnificentia eorum, vox rugitus leonum, qa vastata est superbia Iordanis. Quos abietes, cedros, & quercus dixerat, eos tandem pastores & leones nuncupat, quoniam pastores erant nomine pro sacerdotali officio, leones opere, quia prædam faciebant de populo. Nomine saltus muniti, quem succisum & vocabulo Iordanis, cuius superbiam vastatam esse dicit, multitudinem atque confidentiam designat populi Iudaici, in quo iam dicti principes sacerdotum sic erant feroces, vt leones, sic rigidi atque superbi siue elati, vt quercus cedri atque abies. Quis eiusmodi cedrorum atque abietũ casum, quis querecuum succisionem non audiuit? Cuius ad aures vlulatus ille non peruenit. Vsque ad præsentem diem (ait B. Hieronymus) perfidi coloni post interfectionem seruorum, & ad exercitum filij Dei excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem, & vt ruinam eis liceat suæ flere ciuitatis, precio redimũt, vt qui quódam emerãt sanguinem Christi, emant lachrymas suas, & ne fletus quidem eis gratuitus sit. Videas in die, quo capta est à Romanis, & diruta Hierusalem, venire populu lugubrem, confluere decrepitas mulierculas & senes pannis annisque obsitos, in corporibus & in habitu suo, iram domini demonstrantes. Profectò qui superius dixerat illis, qui ieiunauerant & plãxerant per septuaginta annos, propter exterminiũ quod fecerant Babylonij. Nunquid ieiuniũ ieiunastis mihi? Idẽ dñs multò magis, multoq; sæuerius iustorũ vlulatũ cõtemnit. [Hęc dicit dominus Deus meus. Pasce pecora occisionis, quæ q possederãt, occidebãt, & non dolebãt, & vendebãt ea dicẽtes. Benedictus dñs, quoniam diuites facti sumus. Et pastores eorũ, nõ parcebant eis, & ego non parcã vltrà super habitãtes terrã dicit dñs.] Memoriter tenendũ, q; ante iã diximus, quia sicut ea, quæ prius dicta sunt misericordiã sonãt regis Syõ & saluatoris Hierusalẽ, ita hæc iudiciũ prædicant eiusdẽ regis & iudicis omniũ. Prophe ta dicit. Hæc dicit dominus Deus meus. Pasce pecora occisionis. Pauciq; interiectis dicit dominus. Ego nõ ponam vltrà super habitantes terrã, q; idem est, ac si diceret, ego non pascã. Intellectu hic opus est, quomodo dominus dicat, pasce, & dominus dicat, non pascã. Nam si paruum est, & si nõ videtur idem esse, ego nõ parcam, ac si dicat ego non pascã, postmodum manifestius dicit. Nõ pascam vos. Quod moritur, moriatur, & quod succiditur, succidatur. Proinde integrã literæ portionẽ, quam postulat sensus, iam hic perscribere idoneum videtur. Cùm dixisset dominus Deus. Pasce pecora occisionis, quę qui possederant, occidebant, & non dolebãt, & vendebant ea, dicentes. Benedictus dominus, diuites facti sumus, & pastores eorũ nõ parcebant eis, cũ (inquam) hæc dixisset dominus, statim ecõtra dixit dominus. Et ego non parcã vltrà super habitantes terra. [Ecce trado homines vnumquẽq; in manu proximi sui, & in manu regis sui, & non eruam de manu eorum, & nõ pascam pecus occisionis, & propter hoc ô pauperes gregis. Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & pauigregem. Et succidi tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis. Siquidem anima eorum variauit in me, & dixi. Non pascam vos. Quod moritur, moriatur, & quod succiditur, succidatur, & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.] Intellectu (inquam) vt iam diximus, hic opus est, quia dominus Deus est, qui dicit, Pasce pecora occisionis, & dominus Deus est qui dicit, ego non parcã vltrà super habitantes terram. Itemq; dominus est. q dicit, & pascam pecus occisionis, propter hoc ô pauperes gregis, & dominus est, qui subinde loquitur, non pascam vos, quod moritur moriatur, & quod succiditur, succidatur. Vt ergo intelligentiæ melius pateat ostium, primò illud sciendum. Quia videns Dominus ciuitatem Hierusalem, fleuit super illam, dicens. Quia si cognouisses, & tu, & cætera. Porrò, ciuitas illa, populus ille, pecus erat occisionis, id est, populus destinatus sempiternæ morti, æternæ perditioni. Quid ergo erat homini Iesu Christo, quem propheta vtiq; significat, dicens. Hæc dicit dominus Deus. Quid (inquam) illi super ciuitatem vel paulum eiusmodi, nisi dicere, pasce pecora occisionis. Nam quoniam in vno eodemq; Iesu Christo, sicut duas naturas ita duas scimus

Abies & Cedrus principes sacerdotum.

Idem & pastores & leones dicũtur.

Vindicta in Iudæos.

Matth. 21.

Supr. 7.

In Christo duæ voluntates.

mus esse voluntates, non dubium, quin secundum naturæ humanæ voluntatem, qua & super illos flere potuit, reseruare eosdẽ voluerit. Sed quid esset illos reseruare, nisi pascere pecora occisionis? Nam quantò plures scaturirẽt de illius multitudinis luxuria carne vermiculi, tantò plures proueniret victimæ morti siue occisioni. Itaq; dicit idẽ dominus filius, siue dominus pater, siue dominus Spiritus sanctus. Ego non parcam vltra super habitantes terram. Sed quid? Ecce trado (ait) homines vnumquemque in manu proximi sui, vt videlicet à semetipsis cædantur, & dilacerentur seditionibus intestinis, nimirum secundum electionem Barrabæ latronis & seditiosi, quẽ damnato principe pacis Iesu Christo, prælegerunt sibi, & in manu regis sui, scilicet Cæsaris, qui rex eorum fuit, & esse debuit, secundum suam iplorũ ,,pfessionem, dicentium, nõ habemus regem, nisi Cæsarem, Iosephus scire volentibus satisfacere potest, quàm verè in illa obsidione tradiderit eos, vnumquemq; in manu proximi sui, & in manu regis sui, & quàm verè dixerit, & concident terram, quamque veraciter addiderit adhuc, & non eruam de manu eorum. Attamen ne omninò voluntatis humanæ, de qua iam dictum est, fletus frustra proueneriț, quando videns ciuitatẽ super illam fleuit, & pascam (ait) pecus occisionis, subauditur quadraginta duobus annis, vt habeant tempus pœnitentiæ, qui ex illis pœnitentiam agere voluerint. Nam tot anni transierunt à passione Domini, vsque ad illud miserabile excidium. Occisionis illius causam in sacerdotes siue pontifices, miro modo redundare demonstrat, dum præmisso, pasce pecora occisionis, subiũgit. Quę qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti sumus. Et ne dubiũ sit, quos tangat, continuò subdit. Et pastores eorum non parcebant eis. Ergo qui possederant, sacerdotes fuerunt auarissimi, & pontifices rapacissimi, & eiusmodi pastores animas occidebant, & non dolebant, immò gaudebant, quoniam de occisione animarũ illorum, aliquod emolumentum pecuniæ capiebant, atque hoc modo vẽdebant infelicem populum, tanquam possessionem suã, præoptãtes de pereuntibus lucellũ aliquod contrahere, quã de viuentibus & Christum sequentibus suorum detrimentum sacculorum, quod timebant, incurrere. O quàm iniqui, quàm impiè Deum existimabant esse similem sibi, dum ita vendentes pecora illa docebant. Benedictus dominus, diuites facti sumus. Talis illorum benedictio, maledicta sit quoniam & ipse Dominus in alio prophe ta dicit. Et maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniã non posuistis super cor. Propter hoc ô pauperes gregis, qui propter hoc ipium quod pauperes, id est, humiles estis, occisionem euasistis, & fortè doletis super illa pecora occisionis, sicut quispiam vestrum dolens, dicit. Veritatẽ dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. O, inquam, pauperes eiusmodi, subauditur, adhuc attendite, quod vel quomodo cum gregeillo egerim, vt melius cognoscatis, quã iustum occisionis illorum iudicium sit. Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & pauigregem. Et succidi tres pastores in mense vno, &c. vt suprà. Duas virgas assumpsi mihi, id est, bis cum hominibus, vt essem Deus eorum sœdus pepigi. Primò cum Noe, & cum omnib. siue genẽtibus. Secundò cum Abraham, & semine eius. Ad Noe nanque dixi. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Ad Abraham verò. Ego sum & pactum meum tecum. Itemque Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus & seminis tui post te. Assumpsi ergo mihi duas virgas, id est, primò regimen omnium gentium, quia omnium creator sum, deinde regimen seminis Abrahæ, quoniam gentes in vias suas abierunt. Vnam virgam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, quia videlicet gentes cæteræ quoddã decus meũ, decus & ornatus orbis terrarum fuerunt, semen autem Abrahæ proprius hæreditatis meæ funiculus esse habebat, sicut illi à me dictum est. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. In illa virga quã vocaui funiculum, paui gregem, id est, dedi illis legem, quos sicut oues eduxi de Aegypto in manu Moysi & Aaron, & succidi tres pastores in mense vno, id est, me sententiam dante in mense vno, mense primo mortui sunt, Maria, Moyses, & Aaron, & contracta est anima mea in eis, id est, iratus sum eis, ita vt ad iudicarem illos sententia mortis. Quam ob causam? Siquidem anima eorum variauit in me. i. non perfecta, vel continua dilectione glorificauerunt me, subauditur ad aquas cõtradictionis. Dixitq; eis. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terrã quam dabo eis. Sciendum (vt supra iam diximus) cuncta hæc ab eo quod ait. Aperi Libane portas tuas, vsque ad id, quod suprà dicit. Onus verbi domini super Israel, ad rationes pertinet iudicij seu veritatis domini, cuius vniuersæ viæ sunt misericordia & veritas, & idcirco pertinuisse ad rem, vt nõ omitteret dicere, quod succiderit iudicio sæuero illos quoque pastores eiusmodi, quos multum dilexit. Iam si quæras, quid cum alia virga fecerit, quam vocauit decorem, qui in altera quam vocauit funiculum, pauit gregem,

Matth. 27.

Ioan 16.

Excidij causa Scribæ & Pharisæi, sacerdotes, Iudæi.

Vide hic in verbis contractu.

Luc. 19. Pecus occisionis.

Gen. 9.

Gen. 15.

Malach. 2.

Psal. 24.

Num. 20.

Gen. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est, gubernauit Israeliticâ siue Iudaicam gentẽ, protinus ait. Et dixi Non pascâ vos. Quod moritur moriatur, & ꝙ succiditur succidatur, & reliqui deuorẽt vnusquisque carnẽ proximi sui. Et hęc dicens. [Tuli (ait) virgâ meam quæ vocabatur decus, & abscidi eam, vt irritum facerẽ fœdus meũ, ꝙ pepigi cũ omnib. populis, & irritũ deductũ est in die illa.] Vnũ (inquit) gregẽ pauisti. vnam gentẽ regẽdam suscepi, cæteris aũt gentibus, dicendo. Nõ pascâ vos abscidi virgâ siue abscindendo virgâ dixi, nõ pascâ vos. Quid enim prodest pasci corpora, vbi mortuas esse constat animas. Quod moritur vel succiditur in anima, moriatur & succidatur in corpore. Hæc vbi dixi, nõ quieuit mors, nõ cessauit gladius, pascimq; truncabãt gentes, & inuicẽ truncabantur, & tamẽ miro modo qui morerentur & succiderentur, certatim nascebantur tanta insania, vt proletarij quoque in vrbib. collocarentur. Quod ad quid valuit, nisi vt infernus implerẽtur. Sequitur. [Et cognouerũt se pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbũ dñi est. Et dixi ad eos. Si bonũ est in oculis vestris, afferte mercedem meam, & si non, quiescite. Pauperes gregis, subauditur, de quo suprà dixi, & paui gregem. i. regendâ suscepi Israeliticam gentẽ, & dedi eis legem. Qui sunt vel fuerũt illius gregis pauperes. Homines sancti & humiles quorũ nonnulli, & si censũ diuites, affectu vel spiritu fuerũt pauperes, vt ipse Dauid rex. Isti pauperes cognouerũt, quia verbum domini est. i. quia iustum est iudicium super gentes. Quando autem vel quomodo dixit ad eos iste pascens gregẽ, afferte mercedem meã? Nimirum quando dedit eis regiones gentiũ, & labores populorum possederunt, tunc dixit illis. Afferte mercedem meam, quã Psalmista protinus exprimens, vt custodiant inquit iustificationes eius, & legẽ eius requirãt. Nam hæc est tota merces pastoris huius, & in hoc benè muneratũ se esse gratulatur, si grex quẽ pascit, requirat & custodiat legẽ & iustificationes eius. Et quoniam grex rationalis liberũ habet arbitriũ, & pastor iste mercedem nõ coactam desiderat, sed spõtaneã, pulchrè dixit. Si bonũ est in oculis vestris, afferte & si nõ, quiescite. Sed illi? Qualem attulerunt mercedem tanto pastori? Ait. [Et appenderunt mercedẽ meam XXX. argẽteis, & dixit dominus ad me. Proijce illud ad statuarium, decorum preciũ ꝙ appretiatus sum ab eis] Triginta argenteos dederunt Iudæi siue Pontifices, & Pharisæi Iudæ proditori, vt eum traderet illis. Argenteos illos appellat mercedem suam & decorum precium. Quis dignè verbis valeat cõsequi modũ facti, siue qualitatẽ tantæ rei? Pastor ille qui duas habuerat virgas, & vna cõtentus, alteram abscinderat. i. vnum Israelitici populi gregem curans, cunctarũ gentium tam multum gregem à cura sua reiecerat, & istum vnum gregem tanta cura, tamque miris modis, vt in scripturis legimus, pauerat pastor talis ac tantus, scilicet omniũ Deus & dominus homo factus, per semetipsum mercedẽ suam requisiuit, & talẽ mercedem appenderunt ei, videlicet triginta argenteos in precium sanguinis eius dederũt proditori. Et hoc appellat decorum preciũ, nimirum cum ironia grauissima, quia non fuit decorũ. Quis ergo rem huiusce modi satis appendere, vel dignè valeat eloqui? Vere nullus nisi solus statuarius, siue plastes Deus. Idcirco proijce (inquit) illud ad statuarium, & proieci illos in domum Dei ad statuarium, subauditur, vt ipse qui solus nouit dignũ proferre super hoc iudiciũ Proieci, id est, vt proijcerentur effeci, videlicet ꝙ Iudas pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens, Peccaui, tradens sanguinem iustum, & proiectis argenteis, abiens, laqueo se suspendit, quis effecit nisi ipse qui hic loquitur, & proieci illos in domum Dei. Interim in hac litera, quoniam dominus est qui dicit. Et appenderunt mercedem meam, atque idem ipse loquitur, & dixit dominus, ad me. Proijce illud ad statuarium, & hunc statuarium siue plastem constat esse Deum, perpulchrũ est hic attẽdere, totius trinitatis colloquium, quia videlicet res magna est, cuius magnitudinem istud quoq; insinuat, quod contra illam communem diuinitas, non in vna, sed in tribus suæ substantiæ personis, edicere molitur iudicium, & qualis est sententia iudicij. Sequitur. [Et præcidi virgã meã secundam, quæ appellatur funiculus, vt dissoluerẽ germanitatẽ inter Iudã & Israel.] Et est sensus. Sicut abscideram virgã primã, sic præcidi virgam meam secundam, id est, sicut olim gentium in idololatria diffluentium vniuerso gregi dixeram, non pascam vos, ita & multo acerbius dixi gregi Iudaicæ gentis non pascam vos, atq; ita effectum est, vt dissoluerem germanitatẽ inter Iudam & Israel, id est, vt cõpleretur malum illud, cuius præsagium fuit, illa dissolutio, qua olim dissoluta est germanitas inter Iudam & Israel, quando decem tribus sciderunt se à tribu Iuda, & à domo Dauid, & fecerunt sibi regem Hieroboam de tribu Ephraim, sciderunt se à sancto & legitimo Dei templo, & aureos pro Deo coluerunt vitulos. Secundum illud malorum initiũ quo' dissoluta est germanitas inter Iudam & Israel, præcidi hanc virgã secundam, vt videlicet sicut tunc decẽ tribus quæ vocantur Israel, & Iudã cui regnabat domus Dauid, nullius iterum sociare potuit, siquidem nullus vnquam regũ Israel recesit à peccatis Hieroboam, id est, à cultu vitulorum, quos ille fecit, quamuis multa magnalia fierent per prophetas, maximeque per Heliam & Helisæum, nec fieri potuit, vt rediret Israel in regnum domus Dauid,

Pauperes gregis.

Psal. 104.

Merces pastoris.

Statuarium Deus ipse Matth. 27

2. Reg. 12.

3. Reg. 12.

Triginta denarij. decorum precium ironicè.

Dauid, ita nemo possit sociare Iudæos confessoribus Christi, vel conuertere, vt subijci velint regno filij Dauid, regno Iesu Christi, à quo se abscideriunt, negando illum ante faciem Pilati, & crucifigendo appreciatum (vt iam dictum est) triginta argenteis. Sequitur. [Et dixit dominus ad me. Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti, quia ecce suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, & contritũ non saluabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.] Quoniam (inquit) assumpsi duas virgas, & taliter (vt iam dictum est) euenit, tanquam malam mercedem reddiderunt mihi, qui gregem paui, ad huc vnum est, quod faciam, sicut postulat ordo iustitiæ, ratio iudicij. Sume tibi vasa pastoris stulti, scilicet peram, baculum, fistulã & sibilum. Ad quid hæc? Quia ecce (inquit) ego suscitabo pastorem, &c. Quomodo Esa. vt captiuitatem populi demõstraret, nudus ambulauit, & Hieremias iuit ad domũ figuli, vt ex dissipatione vasis quod correbat in rota, & in manu fingebatur artificis, & interitum Israelis, & Dei potentiam ostenderet, & Ezechiel vt subuersionem Hierusalem, & fugam Sedechiæ, & onera captiuorum nõ solũ voce, sed & habitu demonstraret, perfodit parietẽ, & in humeris deportatus. Sed & tu habitum pastoris assume, vt stultum annuncies pastorẽ, qui venturus est. Pastor autem stultus & imperitus haud dubium, quin Antichristus sit, qui in consummatione mundi dicitur esse venturus, & qualis futurus sit, indicatur. Iste pastor ideo super eos consurget, quia pastor bonus, qui pauerat eos, tam iniqua mercede muneratus, tam indecoro ab eis precio appreciatus est. Hinc & in Euangelio dicit. Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis, pastorem vtique stultũ, id est, scienter mihi contrarium, non per ignorantiam errantẽ, sed per malitiam repugnantem. Nam quia in Psalmo quoque scriptum est, simul insipiens, & stultus peribunt. Sciendum, quia stultus & insipiens in hoc differunt, quod insipiens dicatur, ille qui nescit: stultus autẽ ille qui scit, & nihilominus agit contra rationem iustitiæ quam scit. Pastor ille non faciet, ꝙ ego bonus pastor feci. Ego derelicta visitaui, ille derelicta non visitabit. Ego dispersa quæsiui, ille dispersa non quæret. Ego contritum sanaui, id est, peccatorem conuerti, ille contritum non sanabit. Ego id quod stat, enutrio, dum bonum in melius prouehо: ille quod stat, non enutriet, imò faciet ꝙ contra est. Carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet, id est, multos qui videbantur esse sapientes, seducet, & rationem discretionis auferet, ita vt si fieri possit, in errores inducantur etiam electi. [O pastor & idolum, relinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum eius dextrũ. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter tenebrescens obscurabitur.] Hæc hostilis appellatio, ô pastor & idolum, quã congrua est, vtpotè sicut aduersarium proprium eius qui appellat eum. Nam qui appellat eum, ipse est Christus, & ille tam prius Christi est aduersarius, vt dicatur Antichristus, id est, Christo contrarius. O, inquit, pastor & idolum, falso pastor, & verè idolum, falso (inquã) pastor, quia relinquẽs gregem, & verè idolum, quia mendacium. Sicut enim filius Dei veritas dicitur & est, ita tu fili diaboli mendacium rectè diceris & es. Tu te ostendes tanquam sis Deus, sed tu non dico idolorum cultor, imò idolum es, & non Deus. Tu teipsum existimari vis, de quo scriptum est: Apud ipsum est fortitudo & sapiẽtia, sed non ita est. Imò super brachiũ tuum, id est, super tuam quã iactas fortitudinem, & super oculum tuum dextrum, id est, super tuam quã tibi arrogas sapientiã, fortioris & sapientioris, imò solius fortis, & solius sapientis euaginatus est gladius. ille (inquam) gladius, quo iam dudum in cælo diabolus pater tuus, & tu cum illo es plagatus. & mirum, quod plagatus adhuc viuus, id est, Deum viuentem te dicere præsumit, cùm plaga tua, plaga sit mortis. Huius rei admiratio est in Apocalypsi sub his verbis. Et vnum de capitibus, quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius sanata est. Itẽ, dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Non verè plaga mortis tuæ sanata est, nec verè viuis, sed tu insane pastor, & idolũ mortuum, ostentatione tua sanus es & viuus. Tale brachium tuum, non vera fortitudo, sed rebellio contra altissimum, aridate siccabitur, & talis oculus tuus tibi dexter, Deo totus sinister, oculus non verè sapientia, se veraciter malitia tenebrescens obscurabitur, vt mittaris in profundum inferni mancus & cæcus.

Ioan. 5.

Psal. 48.

Matth. 24

Antichristus idolũ, & mendacium.

Iob 12.

Apoca. 13.

Ibidem.

LIBRI QVARTI FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ZACHARIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

Rom. 9. VOlens Deus (inquit) ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, quæ præparauit in gloriam. Huius sermonis verè Apostolici reminiscí presens prophetiæ textus nos facit, quia reuera quales Deus esset ostẽsurus gloriæ suæ diuitias in vasa misericordiæ, magnificatoris prophetici gratia, Spiritus sanctus cecinit, cùm in anterioribus, tũ maximè ab eo quod ait. Exulta satis filia Syon, vsq; ad id. Aperi Libane portas tuas, & quãtæ irę vasa futuri essent Iudęi incredulí, significauit ab eo loco, vsque ad inclamationem, super brachium & oculum dextrũ pastoris stulti, id est, Antichristi. Nimirum congruebat eidem sancto prophetico spiritui, vt illam quã dicebat vel intendebat exultationem filiæ Syon, siue iubilationem filiæ Hierusalem, denunciaret in hoc seculo non fore securam, multis pressuris hominũ esse premendam, secundum quorundam titulos psalmorum, qui inscribuntur, pro torSupr. 9. in plerisque scripturarum locis Ecclesiam significat in hoc mundo peregrinantẽ, quæ quamdiu peregrinatur, & si nondum re, tamen spe iam est cælestis Hierusalem, & ista est quã posuit dominus, superliminare crapulæ, iuxta illud. In loco pascuæ ibi me collocauit, super aquã refectionis educauit me. Crapula nanque non semper prædicatur de malo, cùm Psalmista dicat. Et excitatus est tanquam dormiens dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Quare autem pro tota domo hic placet intelligi superliminare, & pro domo saturitatis dictũ esse superlimi nare crapulæ? Videlicet vbi primũ figurata est refectio siue saturitas Ecclesiæ, signum conuiuij iussum est poni in superliminari, & in vtroq; poste, vt videns dominus sanguinem, transcenderet ostium, & non sineret percussorem ingredi domos Israel, & lædere. Nempe agnus ille qui intus comedebatur, illud significabat. Vnde Hierusalem, id est, domus siue Ecclesia Christi præsenti loco superliminare crapulæ vocari meretur. Hoc ab omnibus populis in circuitu persentitur. Dicit enim Apostolus. Quia Christi bonus odor sumus Deo in omni loco in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Alijs quidam odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam. Quibus crapula hæc extitit odor mortis in mortem, ipsi obsiderunt Hierusalem. Quid autem est, quod continuò dicit, sed & Iudas erit in obsidionem contra Hierusalem? Nimirum id ipsum quod Apostolus cùm dixisset, periculis ex genere, periculis ex gentibus, & cætera. Intulit etiam istud, periculis in falsis fratribus. Huiusmodi Confessores qui Christiano nomine censentur & confitentur se nosse Deum, factis autem negant, hoc loco per Iudam, quod interpretatur cõfessio, rectè intelligũtur, quoniam dicuntur esse in obsidionem contra Hierusalem. At illa videlicet Hierusalem, non est talis, vt facile possit moueri, & omni vento circumferi, hoc est quod ait. Et ponã Hierusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui leuabunt eã, concisione lacerabuntur. Similitudinem hanc de consuetudine gentium assumpsit, quæ huiusmodi erat, vt in viculis, oppidis, & castellis, rotundi ponerentur lapides grauissimi ponderis, ad quos iuuenes se exercere solebant, & eos pro varietate virium subleuare, alij vsque ad genua, alij ad vmbilicũ, alij ad humeros & caput, nonnulli super verticem, erectis iunctisque manib. magnitudinem virium demonstrantes.

Psal. 8. 80 83. 1. Tim. 2. CAP. XII

tularibus, id est, pro tribulationibus, quib. sancta in hoc mundo Ecclesia premitur, iuxta illud. Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiũtur. Sequitur.

"[Onus verbi domini super Israel, dixit dominus, extendens cælum, & fundans terram,
"& fingés spiritum hominis in eo. Ego ponã
"Hierusalem superliminare crapulæ omnib.
"populis in circuitu, sed & Iudas erit in obsi-
"dionem contra Hierusalem. Et erit in die il
"la, ponam Hierusalem lapidem oneris cun-
"ctis populis. Omnes qui leuabunt eam, con-
"cisione lacerabuntur, & colligentur ad eam
omnes gentes terræ.] Superliminare crapu-

Superliminare crapulæ, Ecclesia Christi. læ quid est, nisi domus saturitatis? Nimirum hoc de illa terrena Hierusalem nullatenus veraciter dici potest, aut intelligi quia postquam mercedem supradictam pastoris sui triginta argenteos appendit, miserabiliter facta est domus famis, non solummodo famis audiendi verbum Dei, verumetiam corporeæ famis, quæ cogeret matres quoque carnibus filiorum vesci, iuxta maledictionem legis Moysi, dicentis. Obsideberis intra portas tuas, & comedes fructus vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi dominus Deus tuus. In angustia & vastitate, qua opprimet te hostis tuus. Ergo Hierusalem hic, sicut &

Deut. 28.

In arce Athenienſium iuxta ſimulachrum Mineruæ, vidi (ait B. Hieronymus) ſphærã æneam grauiſſimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpuſculi mouere vix poteram. Cum quærerem, quidnam ſibi vellet, reſponſum eſt ab vrbis eius cultoribus, athletarum in illa maſſa fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quenquam deſcẽdere, quàm ex eleuatione ponderis ſciatur. Senſus ergo eſt iſte, Ponam Hieruſalem, id eſt, Eccleſiam ſicut lapidem oneris, cuius ponderi cunctorum populorum, ſeu omnium gentium terrę, qui colliguntur aduerſus eam, vires non poſſunt comparari, quatenus eam agitando, à fide Chriſti diſpellere & circunferre queant quò voluerint, quinimò ipſi, qui conantur eam agitare, concidãtur, lacerentur, rumpantur, & anhelo ſpiri-

"tu diſcrucientur. [In illa die dicit dominus,
"percutiam omnem equum in ſtuporem, &
"aſcenſorem eius, in amentiam, & ſuper do-
"mum Iuda aperiam oculos meos, & omnẽ
"equum populorum, percutiam in cæcitate.
"Et duces Iuda dicent in corde ſuo Confor-
"tentur mihi habitatores Hieruſalem in Do-
"mino exercituum Deo eorum.] Hoc loco domus Iuda nõ eodem ſenſu accipitur, quò ſuprà. Nam illic dictum eſt, ſed & Iudas erat in obſidionem contra Hieruſalem. Hic autem dicitur, & duces Iuda dicent in corde ſuo, confortentur mihi habitatores Hieruſalem in Domino, itemque & ſuper domum Iuda aperiam oculos meos, quæ videlicet oculorum apertio, miſericordiæ recordatio, gratiæ eſt effuſio. Huius videlicet Iu-

Duces Iuda Apoſt. da duces, quorum ſinguli dicent (ait) in corde ſuo confortentur habitatores Hieruſalem in Domino Apoſtoli fuerunt, & Apoſtolici viri ſunt, quibus magnum fuit, & magnum eſt deſiderium, vt habitatores Hieruſalem, id eſt, filij Eccleſiæ nõ deficerent, aut deficiant in tribulationibus, quæ ab omni equo & aſcenſore eius, id eſt, ab omni poteſtate humana, & ab omni ſuperbiente in altitudine poteſtatis inferuntur eis. Quos ego percutiam, ait Dominus, in ſtuporem & in amẽtiam, & in cæcitatem, & (vt ait Apoſtolus) primò Iudæum, deinde Græcum, id eſt gentilem. Primò namque Iudæi amentia & cæcitate percuſſi ſunt, iuxta prophetiam dicentem. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, &cæt. Econtra, ſuper domum Iuda aperiã oculos meos, id eſt, donis Sancti ſpiritus illuſtrabo duces, id eſt, Apoſtolos meos. Iſti duces in die Pentecoſtes ignei facti ſunt, dum in ſpecie ignis Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut ſcriptũ eſt. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eo-

Rom. 2. Esaiæ. 6. Actor. 2.

"rum. Sequitur ergo.
"[In die illa ponã duces Iuda ſicut caminũ
"ignis in lignis, & ſicut faciem ignis in fœ-
"no, & deuorabunt ad ſiniſtram & ad dexte-

ram omnes populos in circuitu.] Fœnum, peccata leuiora, ligna peccata grauiora ſigni ficant. Eiuſmodi fœnum & eiuſmodi ligna peccatorũ conſumpſerunt Apoſtoli in his, qui conuerſi ſunt ad fidem Chriſti, poteſtate quam acceperunt ab ipſo, dicente illis. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quomodo conſumpſerunt vel conſumunt? Sicut ligna caminus ignis, ſicut fœnum conſumit facies ignis. Etenim Deus noſter Spiritus ſanctus, quem acceperunt, ignis conſumens eſt, vnde & congruum ſignum dedit aperiendo tanquam ignis, & proinde remiſſio peccatorum, quæ non eſt ex hominibus, ſed ex Spiritu ſancto eſt, rectè hic deſignatur per caminum faciemque ignis, ligna & fœnum conſumentis populos, id eſt, peccata populorum ad dexteram & ad ſiniſtram, & in circuitu deuorãtis. Ad dexteram Iudęus ad ſiniſtram Græcus, ſiue Gentilis erat, & Euangelizando in vtranque partem prædicando remiſſionem peccatorum per Chriſti fidem, circuire oportebat, vnde & Paulũ mundi circuitorem nõnulli dicebant. Quid multa? Factum eſt id, quod protinus ſequitur. [Et habitabitur Hieruſalem rurſum in loco ſuo in Hieruſalẽ, & ſaluabit dominus tabernacula Iuda ſicut in principio, vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Hieruſalem contra Iudam.] Quamuis vniuerſitas electorũ vna ſit Hieruſalẽ, vnus ſit Iuda, & vna domus Dauid, tamẽ hoc loco diſtinctionẽ Iudę & Hieruſalem ſiue domus Dauid, ſcriptura nos quære do, vbi, & quomodo domus Dauid & gloria habitantiũ Hieruſalẽ, magnificè contra Iudam gloriata ſit Ergo domũ Dauid & habitantes Hieruſalẽ eos intelligimus, qui ex Iudæis in Chriſtũ crediderunt. Iudam autẽ eos, qui ex gentibus conuerſi ſunt. Nimirũ in Actibus Apoſt. habemus quando & quomodo credentes ex Iudęis, contra illos, qui ex gentibus crediderunt, magnificè gloriati ſunt. Quare (inquiũt) introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cũ eis? Introierat enim ad Cornelium, & eos, qui cũ eo erant, quoniã ſuper eos Spiritus ſanctus ceciderat, iuſſerat eos baptizari in nomine Ieſu Chriſti. Itemq; deſcendentes quidam de Iudæa docebant fratres apud Antiochiã, quia niſi circuncidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalui fieri, facta eſt ſeditio non minima, Paulo & Barnabæ aduerſum illos. Nunquid hoc erat domum Dauid, & habitantes Hieruſalem contra Iudam, id eſt, credẽtes ex circunciſione contra credentes ex præputio magnificè gloriari? Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos in eo totus conſiſtit, vt excludant eiuſmodi gloriationem Iudæi, non per legem factorum, ſed per legem fidei, & ecce in hoc conflictu, non domui Dauid, ſed Iudæi, id eſt, non

Domus Dauid contra Iudã quomodo glorietur. Actor. 11. Actor. 15. Rom. 3. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæo credenti, sed Græco fideli iustitia victoriam concesit. Ait ergo, Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio, id est, Ecclesiam confitentium sibi saluabit, non per legem factorum, videlicet circuncisionis & cæremoniarum, sed per legem fidei, per quam saluatus est & Abraham in principio. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiã. Quomodo reputata est illi fides ad iustitiam? In circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio, nondum enim erat circuncisus. Hoc modo fiet, quod præmisit, & habitabitur Hierusalem rursum in loco suo in Hierusalem. Hierusalem (inquit) habitabitur in Hierusalem, id est, vniuersitas electorum pacem habebit cum Deo, scilicet peccatorum remissionem quæ pax significatur nomine Hierusalem. Quod autem dicit rursus, nonnihil attinet ad rem, quia videlicet olim habitare cœperat in illo loco, paradiso deliciarum videlicet in Adam, in quo sicut omnes peccauerunt, ita omnes in eo positi illic, omnes inde in eo proiecti sunt. Vndè apud Esaiam dicitur eidem Hierusalẽ. Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. [In die illa porriget Dominus habitatores Hierusalem, & erit, qui offenderit ex eis in die illa quasi Dauid, & domus Dauid quasi domus Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.] Dies quam hic tam sæpè pronunciat, tempus omne est à resurrectione Christi vsque ad diem iudicij, qui dies erit resurrectionis vniuersalis. Et enim hoc omne tempus idem Dominus apud Esaiam vno eodem loco & diem nuncupat & tempus, dum dicit. Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiui te. Quod Apostolus breuiter exponens. Ecce nunc (inquit) tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In hoc tempore, in ista die protegit dominus habitatores Hierusalem, id est, omnem in se credentium multitudinem, ita nimirum, vt (sicut Apostolus dicit) nulla sit distinctio Iudæi & Græci. Nã hoc est, quod dicit, & erit qui offenderit ex eis in die illa quasi Dauid. Quod ita congruè valet intelligi. Gẽtilis, qui colenda idola offendit, erit quasi Iudæus, qui nõ nisi vnũ Deũ coluit, vnde & sibi confidit. & super gentilẽ se extollit, in tantum, vt pro lite sedanda, Apostolum fortissimè dissererе, scribendo epistolam ad Romanos, necesse fuerit. Nec prætereundum, quod sensum Apostoli, vbi commemoratis gentilium peccatis, conuersus ad Iudæum, dicit. In quo iudicas alterũ, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas, illum (inquam) sensum hic huiusce modi dictio subtiliter innuit, & erit qui offenderit ex eis in die illa quasi Dauid. Nam & Dauid offendit. Igitur (sicut iam dictum est) vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Hierusalem, contra Iudam, ita & nunc dicendum, quod alter alteri, scilicet Iudæus gentili non possit præferri, quoniam omnes peccauerunt & egẽt gloria Dei, & ita Iudæi peccata sicut gentilis: ita gentilis peccata remittentur sicut Iudæi, per fidem Iesu Christi, & hoc est eum, qui offenderit esse quasi Dauid, Dauid sicut cum qui offendit. Et ne fortè dicas, quid magnum est eum, qui offendit esse sicut Dauid, id est, gentilem Iudæo per Iesum Christum in gratia coæquari, protinus dicit. Et domus Dauid quasi domus Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum. Gratulandum igitur est ei, qui offendit, quod sit sicut Dauid, id est, sicut Iudæus, eiusdem fidei cuius fuit Dauid, quia consequenter ipse çquè vt ille est, quasi domus Dei, sicut angelus domini, vt videlicet vna & vniformis societas angelorum & hominũ, tam gentilium quã Iudæorum, vna sit domus, vna cælestis Hierusalem, ciuitas Dei viuentis, & hoc in conspectu eorum, id est, in visione qua omnes pariter Deum videbunt. [Et erit in die illa, quæram conuertere omnes gentes, quæ veniunt contra Hierusalem.] Hoc expositione siue alicuius suauitatis aut lenitatis interpretatione non indiget: quia videlicet, & si verbum hoc interdum misericordiam significare potest, tamen nulli dubium aut ignotum est, quin in illa die iudicij debeat Dominus conuertere omnes gentes, quæ veniunt contra Hierusalem, quę tantum martyrum sanguinem fuderunt & pœnitentiam non egerunt. Sed ante hoc reliquiæ ex Iudæis cõuertendæ sunt. Ait ergo.

[Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem, spiritum gratiæ & precũ.] Nõ quidem modò sunt domus Dauid, siue habitatores Hierusalem, quamdiu increduli sunt, sed effundendo super reliquias eorum spiritum gratiæ & precum, id est, spiritum remissionis peccatorũ, (quod primũ & magnum est gratiæ donũ) fiet, vt sint domus Dauid, vt sint habitatores Hierusalẽ. Post hoc erit illa dies iudicij, de qua dixit, In die illa quæram conuertere omnes gentes, quæ veniunt contra Hierusalem. Vnde protinus sequitur.

[Et aspicient ad me quẽ confixerunt, & planctu plangent eum, quasi super vnigenitũ, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erat, planctus Adremmon in campo Mageddo, & plangent terrę familiæ, & familiæ seorsũ. Familię domus Dauid seorsum, familię domus Nathã seorsũ, & mulieres eorũ seorsũ, familię domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familiæ Semei seorsum, & mulieres eorũ seorsũ. Et omnes familię reliquę, familię & familię seorsum, & mulieres eorũ seorsum.] At Adremmon vrbs est iuxta

xta Israel, q̃ hoc olim vocabulo nuncupata est, & hodie, vocatur Maximianopolis in cãpo Mageddo, in quo Iosias rex iustus à Pharaone, cognomẽto Nechao, vulneratus est, super quo lamẽtationes scribit Hieremias, quæ leguntur in Ecclesia, & scripsisse eũ testatur liber Paralipom. Sed nũquid quando fiet quod hic loquitur, & aspicient ad me, quem cõfixerunt, & planctu plangent quasi super vnigenitum, nunquid (inquam) non maior planctus erit, quàm fuit pro morte Iosiæ regis iusti? Fuerit quidem planctus ille grandis & sapienter dispositus, vt familia domus Dauid, familia regalis: & familia domus Nathan, qui Prophetа fuit: & familia domus Leui, ex quo ortum est sacerdotium & familia domus Semei, ex quo doctorum agmina pullularunt & reliquæ familiæ, quas quia non habebant aliquod priuilegiũ dignitatis, vniuersas absque nomine comprehendit, plangerent eum viri seorsum & mulieres seorsum, verùm planctus illius magnitudo quantacunque fuerit, nihil ad magnitudinem planctus futuri, quãdo ille quẽ confixerunt, aspiciendus apparebit. Tantũmodo propter aliquantulam similitudinẽ hic illius planctus meminit, vt solent interdum res maximæ, ex minimarum rerum assimilatione melius intelligi. Minimũ fuit, q̃ homines hominẽ plangantes, modum vel habitũ sui planctus ita deposuerunt, vel singulę familię seorsũ, singularũq; familiarum viri seorsũ, & mulieres eorũ seorsũ, plangerẽt seorsum. Maximũ erit, q̃ in illo planctu omnes tribus terræ, & maximè qui illũ confixerunt, omnes omninò peccatores & impij, qui pœnitentiam non egerunt, plangent seorsum, quamuis omnes ad vnum congregentur iudicium, omnes ad vnum descendant carcerem, id est, infernum, omnis animus ab omni animo erit seorsum, multum occupatus apud semetipsum, nec amicam respiciens nec amicum. Item minimum est, quòd in hoc seculo plangit mater super vnigenitum vel dolet in morte primogeniti. maximum autem erit, quod tunc plangent & dolebunt verè primogenitum, vere vnigenitum. Quid enim ô synagoga mater infelix? Vnigenitus Dei filius, qui de carne tua natus est, mortuus est tibi, mortuus (inquã) est tibi, non solùm pro eo, quòd tu illum occidisti, verumetiam pro eo, quòd tu illum resurrexisse non credis, quòd sit viuus scire non vis, audire non pateris. Et quidem vtcũque est tolerabile malum, vbi mater in hoc seculo morientem amittit filium, quem habebat vnigenitum, quamuis nullum speret sibi nasci alium. Sed illud edici non valet, satis excogitari non potest, quàm sit infelicissimum amisisse saluatorem vnicum & vnigenitum, ita vt iam nec ipsum liceat separare, nec alium. Sequitur. [In die illa erit fons patens Domus Dauid & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa dicit Dominus exercituũ, Disperdam nomina idolorũ de terra, & non memorabuntur vltra.] Iterum ad superiora tempora sermo recurrit, qui videlicet recursus recapitulatio dicitur, & frequens est in scripturis propheticis. Ab eo quod dixerat, tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, vsque ad planctum iam dictum sermo processit, eodem ordine quæ erant res gerendæ, à passione eiusdem Domini vsque ad finem seculi, diemque vniuersalis iudicij. Nunc ad tempus recurrit eiusdem Dominicæ passionis, & vnde loquatur dicens. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, inde nunc rursus loquitur in die illa erit fons patens domus Dauid. Quis enim est iste fons domus Dauid, nisi baptismi sacramentum, quod emanauit de latere filij Dauid patefacto lanceа militis? Exiuit enim sanguis & aqua. Sanguis, vt redimeremur: aqua, vt renascęremur. Extunc vsque ad consummationem seculi, toto hoc tempore accepto, toto hoc die salutis patens est fons ille domui Dauid & habitantibus Hierusalem, id est, Christianæ religioni, & omnibus qui per fidem habitant intra sanctam Ecclesiam. In quo opus est illis fons patens? In ablutionem peccatoris & menstruatæ, id est, in remissionẽ peccatorum credentis ex circuncisione, credentis ex gentilitate, quæ sanguine fluxit idololatriæ. In omnium ablutionem fons patens est, nulli claudendus est. Et notandum, quod tantummodo domui Dauid & habitantibus Hierusalem fons patens dicitur & est. Nam his, qui contra domum Dauid & extra Hierusalem sunt, non habendo fidem hortus cõclusus est, fons signatus est. Et benè continuò sequitur.

In die illa dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, quia non memorabuntur vltra, quia videlicet fluxus idololatriæ, quæ est sanguis menstruatę fonte baptismi abluitur, ita vt nomina idolorum omnia deleantur, nec vltra in eum, in quem scripta fuerant memorentur, cum fuerit fonte illo fideliter ablutus. Hinc apud Ezechielem idem Dominus dicit Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. [Et prophetas & spiritum immundum auferam de terra. Et erit cum prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum. Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius & mater eius genitores eius cum prophetauerit. Et erit in die illa, confundentur Prophetæ, vnusquisque ex visione sua cum prophetauerit, nec operientur pallio saccino vt mentiantur

Gen. 19. Rom. 4.
Esaiæ. 5.
Dies illa tẽpus gratiæ in quo nos sumus.
Esaiæ 49. 2. Cor. 6.
Rom. 3.
Non debet Iudæus gloriari contra gentilem.
Rom. 2.
Rom. 3.
2. Para. 35.
Plãctus super Iosia.
Esaiæ 1.
At longe maior erit planctus in die iudicij.
CA. XIII.
Recapitulatio.
Supra. 9.
Fons domus Dauid baptismus est.
Ioan. 19.
Fons patẽs.
Cant. 4.
Ezech. 36.

Universidad de Deusto
Biblioteca

" tiantur, sed dicet, non sum propheta, homo
" agricola ego sum, quoniam Adam exemplũ
" meum ab adolescentia mea: Et dicetur ei,
" Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tu-
" arum? Et dicet, His plagatus sum in domo
" eorum, qui diligebant me, framea susciture
" super pastorem meum & super virum co-
" hærentem mihi, dicit Dominus exercituũ:
" percute pastorem, & dispergentur oues.]
Pulcherrimamq; atque splendidissimam præsentis capituli literam ita tractare Christo intentus, cupit animus, vt ei, qui tanquã fundamento non minoris res gestæ splendoris superædificentur. Dixerat & erit in die illa fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionẽ peccatoris & mẽstruatæ & fontem illum haud dubium de latere suo Christus profudit in sua passione. Ergo quoniam & ita terminatur. Percute pastorem & dispergentur oues, quod similiter de passione eius dictum esse ipso authore certum est. Longius ne abeamus circa eiusdem passionis sacramentum, hæc exponendo commoremur. Quos ergo tangit dicendo, & prophetas & spiritum immudum illis copulat, & qui erant tempore illo prophetæ mali habentes spiritum immundum? Nimirum illi, qui malã sibi hanc prophetiã de corde suo prophetauerũt. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum & locũ & gentem. Nempe excepto, quod præmiserunt, si dimittimus eum sic, totum quod dixerunt, in prophetiam reputatum est illis, vt omnes crederent in eum, illis autem non credentibus, venirent Romani & tollerent eorum & locum & gentem. Fuerat inter illos vnus Caiphas talium prophetarum maximus, qui cum esset Pontifex anni illius, auctoritatẽ habens vt proloqueretur. Vos (inquit) nescitis quicquam neque cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & nõ tota gens pereat. Hoc autem (inquit Euangelista) à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios dei, qui erant dispersi congregaret in vnum. Eiusmodi Prophetas & spiritum immũdum, qui nesciens sacramenta Dei, talem eis prophetiam inspirat. Auferã (ait) de terra quia iustum est vt veniant Romani, & secũdum timorem, quem sibi finxerunt, illis eueniat. Et erit cum prophetauerit quispiam vltra, &cæt. Propheta magnus de semetipso vltra prophetauit, quia illi, & præcipuè Caiphas, prophetauerunt, quòd expediret eum mori, ipse autem prophetauit, quod oporteret eũ etiam resurgere è mortuis. Hoc vltra fuit, videlicet vltra prophetiam illorum prophetiam mortis, quia prophetauit prophetiam resurrectionis. Dixit enim. Soluite templũ hoc, & post triduum excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo prophetauerit vltra quispiam, quem nominare nolo, quia non expedit, dicent (inquit) ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum. Non viues, quia mendacium locutus es in nomine domini. Pater eius Iudaicus populus, & mater eius synagoga, qui secundum carnem genuerunt eum, ita dixerunt ei. Cum enim aliud non haberent, vnde accusarent eum nouissimè submissis duobus falsis testibus istud protulerunt. Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & tri duo reædificare illud. Cumque principi sacerdotum dicenti. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei, respondisset, tu dixisti, & amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientẽ in nubibus cæli, clamauerunt, reus est mortis. Nonne hoc erat dicere, nõ viues, quia locutus es in nomine domini? Et configent eum pater & mater eius qui genuerunt eum, cum prophetauerit. Vt dictum, ita factum est. Cum prophetauerit, id est, non ante, sed postquam propositum suæ prædicationis tempus impleuerit, tunc demum, quia ante non potuerunt, crucifigent eum. Hoc (inquam) factum est, quia crucifixerunt eum, non quia mendacium locutus est, sed quia dixerunt mendacium locutus es in nomine Domini, & idcirco non viues. Et erit in die illa, confundentur prophetæ vnusquisque ex visione sua cum prophetauerint, & hoc itidem factum est. Prophetæ illi, de quibus iam dictum est, qui dixerunt. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, quorum vnus dixit. Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Ex ipsa visione sua, ex ipso profundo consilio suo confusi sunt, quia miro modo cum non sit factum, quod cogitauerunt, factum est, quod dixerunt. Omnes enim credent in eum, & per mortem suam filios Dei, qui erant dispersi congregauit in vnum. Et venientes Romani, locum & gentem eorum tulerunt, non quia dimiserunt eum sic, sed quia non dimiserunt eum sic. Hinc illis confusio magna, nobis autem credentibus honor. Nec operientur (inquit) pallio saccino vt mentiantur, subauditur, vt tunc operti fuerunt, quoniam taliter (vt iam dictum est) prophetauerunt, prophetando mentientes, mentiendo prophetantes. Quomodo tunc fuerunt operti pallio saccino? Nimirum sicut hypocritæ tristes, imò plus quàm hypocritæ, plus quàm tristes, quia homicidę, quia crudeles. Pauor ille quem coram populo simulauerunt dicendo, Venient Romani, & tollent nostrum & locum & gentem. Dira necessitas illa tam magnum faciendi homicidium, quam sibi assumpserunt, ad exasperandum populum & concitandum ne dimitterent eum. Pallium fuit saccinum, quo

Ioan. 2.

Matth. 26.

Confusio prophetarũ malorum.

Operti pallio saccino hypocritæ.

Prophetæ mali vt Caiphas.

Ioan. 11.

Christus prophetauit de seipso vltra.

quo iam operti sunt simulatores & callidi, vt viderentur multum inuiti, multumque coacti, & proinde tristes occidere illum. Sed dicet, Non sum Propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et dicetur ei. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Diligenter permutatio personarum animaduertenda est, quia nũc de pluribus prophetis, nunc de vno Prophetæ sermo. In primis dictum est de pluribus. & prophetas, & spiritum immundum auferam de terra, statimque de vno subiunctũ est, & erit cum prophetauerit quispiam vltra. Itẽ de pluribus dictum est, & erit in die illa confundentur Prophetæ, nec operietur pallio saccino vt mentiantur, statimque de vno subiunctum est, sed dicet, non sum propheta, &cæt. Et hoc sciendum, quia plures illos ipsa scriptura redarguit iniquitatis & spiritus immundi. Istum autem vnum non scriptura mendacij redarguit, sed patrem & matrem eius dixisse narrat, mendacium locutus es in nomine Domini. Nunquid iste dicat, & quid ei dicatur vigilanter audiamus. Sed dicet, non sum Propheta, & dicetur ei. quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Mirum valdè, sed non incognitum, quod ille dicit, quem confixerunt pater & mater, & dixerunt, non viues, quod ille dicet, ille loquetur, qui mortuus fuit, quod ille dicens siue loquens, plagas habebit, in medio manuum suarum, & dicet, his plagatus sum. Quid hic in litera prophetica deest, nisi quod manifestè dixit ille, confixus & mortuus resurget, & stans in medio discipulorum suorum dicet. Videte manus meas, & pedes meos, siue, infer digitum tuum huc, siue manum tuam & cognosce loca clauorum? Nimirum in litera vel tantillum deesse oportebat. nam qui portare posset, quotus tunc erat? Si enim Apostoli portare nõ poterant, antequam Iesus glorificatus esset. Vndè dicebat illis. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: quantò minus nisi clausa & signata fuissent hæc & similia, portari possent tempore illo, quo hæc scripta sunt? Vndè miranda & laudanda Spiritus sancti sapientia, qui quod necessarium erat quandoq; sciri, taliter locutus est per os prophetarum, vt verba eius non intelligerentur, quando nõ oportebat intelligi. Igitur nõ operientur (ait) pallio saccino Prophetæ illi vt mentiãtur, sed discooperto capite, sicut adulteræ mulieris caput lex sacra iubet denudari, discooperto (inquam) capite illorum, id est, sublata ciuitate & templo siue loco, qui erat ornatus eorum, & pro quo pauorem simulando sese operuerunt. dicet ille, qui confixus fuit, quique postquam confixus fuerit, dicere & loqui poterit, quia resurget à mortuis. Non sum Propheta, homo agricola ego sum. Hoc nimirum insultabundus dicere potest, quoniam ipse est sapientia, qui loquitur in parabolis. Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis, quod timebatis aduenerit. Itaque hoc sensu grauissimè dictum, non sum Propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea, subauditur æstimatione vestra, quia sic voluistis, sic dixistis falsi. Scrutare scripturas & vide, quia Propheta à Galilæa non surget. Itẽ, Quomodò hic literas scit, cum non dedicerit? Et nonne hic est filius fabri? Dicat ergo. Non sum Propheta, homo agricola, siue quẽ eodem respectu dicere potest, homo faber ego, quoniam Adam exemplum meum, id est homo peccator ego sum, sicut Adam ab adolescentia mea, id est, ex quo discretionẽ boni & mali habet natura humana. & itidẽ talis ego sum arbitratu vestro, quia dixistis quodam loco. Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Veruntamen quicquid vos dixeritis, nunc patet, vtrum Propheta à Galilæa surgere potuerit, saltem ex eo, quod dixi de vobis, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. & ita factum. Nunc (inquam) patet, vtrum ego tanquam homo agricola aut faber literas scire nõ debuerim, cum ècõtra tot Prophetas, tot sapientes fecerim & miserim ad vos, & nunc patet, vtrum ego peccator fuerim, secundum exemplum Adam, cum vos talem ac tantam propter istum sanguinem meum receperitis vindictam. Hic ironia grauissima est, id est, sententia, per pronunciationem contrarium habens intellectum, aut etiam Sarcasmos, id est, hostilis irrisio, iuxta illud sapientiæ, quod iam supra memoratum est. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & illud in Psalmo. Qui habitat in cælis irridebit eos. Aliàs autem & reuera simpliciter, sicut litera sonat, intelligi congruè potest. Si enim Ioannes requisitus à dicentibus Propheta es tu, potuit sine mẽdacio respondere, non, quoniam erat plus quàm Propheta, siquidem prophetæ est vẽtura nunciare, non etiam demonstrare. Quãto magis iste, qui non quomodocunque plus quàm Propheta, sed & Prophetarum Dominus est, & ventura non solùm annunciauit aut demonstrauit, verumetiam, quæ nunciauit siue prædixit, ipse effecit. Et homo agricola ipse est. Nimirum agricola talis ac tantus, cuius ager sit mundus? Nam qui seminat (inquit) bonum semen, est filius hominis, ager autem est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filij regni. Ergo non solùm Propheta, inquit, verùm homo agricola ego sum, id est, tanto maior Prophetis & omnibus filijs regni, quanto maior agricola & melior semine est, quod ipse seminauit. Et

Cur de resurrectione Christi hic tacuit Propheta.

Ioan. 20.

Ioan. 16.

Num. 3.

Ioan. 7.

Ibid.

Matth. 13.

Ioan. 9.

Luca 21.

Prouerb. 1.

Psal. 2.

Ioan. 1.

Quomodo Christus agricola est.

Matt. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo Adam exẽplum eſt Chriſti.

uit. Et verè, quoniam Adam exemplum meum, nimirum, quemadmodum Apoſtolus cùm dixiſſet. Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, protinus addidit, qui eſt forma futuri, & exponens quid dixerit. Si enim (inquit) vnius delicto multi mortui ſunt, & cætera vſque, ſicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Igitur non ſum propheta (inquit) ſed ego ſum homo, qui Deus eram, & ſum homo, atque homo factus & prophetas & omne bonum ſemen, id eſt, omnes filios regni tanquam agricola in agro mundi huius ſeminaui, & ſeminare non deſino vſque ad conſummationem ſeculi. Quoniam Adam exemplum meum, videlicet in eo, quod ſicut propter peccatum eius, terra carnis, non filios regni, ſed ſpinas & tribulos germinauit ei, ita propter iuſtitiam meam, terra Spi-

Pſal. 142.

ritus ſancti, de qua ſcriptum eſt. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, nõ ſpinas & tribulos, ſed filios regni germinet mihi. In hoc eſt Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea, id eſt, à natura humana, ex qua vel in qua factus ſum viſibilis & viſibiliter laborans agricola, cuius tota ſpiritualis eſt agricultura. Hæc (inquit) dicet cũ fixus fuerit, cũ mortuus fuerit, & reſurrexerit, & dicetur ei. Quid ſunt plagæ iſte in medio manuum tuarum?

Philip. 2. 1. Petr. 1.

Quamdiu putas, & quomodo hoc, & à quo vel à quibus dicetur ei? Nimirum in ſecula ſeculorum ſine ceſſatione dicetur ei, & admirando admiratione ineffabili dicetur & à Deo patre, cui factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: & dicetur ei, & à ſanctis angelis, qui in eum deſiderant proſpicere: dicetur ei, & ab hominibus quos morte ſua redemit: dicetur ei. Quid ſunt plagę iſtæ in medio manuum tuarum? O magnum miraculum, mirum ſpectaculum, præſertim in domino dominatore omnium, plagas habere in medio manuum ſuarũ, & dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. O magnum ſacrilegium, ſacrilegum homicidiũ, plagas huiuſcemodi eſſe in domo illatas diligentium. Non dicet, his plagatus ſum ab his qui diligebant me, ſed in domo eorum, qui diligebant me: Nam qui plagas intulerunt non dilexerunt me. Erant autem domus Abraham, Iſaac, & Iacob, & Dauid, & cætero rum talium, qui diligebant me, qui promiſſum ſibi expectabant me. Veruntamen hoc dicere, non eſt reſpondere ad hanc interrogationem, quid plagæ ſint iſtæ. Aliud namque percunctando dicere, quid ſunt plagæ iſtæ, & aliud dicere, vbi factę ſunt plagę iſtę? Iſtud quæritur quid ſint plagæ iſtæ? Ergo

Matth. 26.

ex abundanti dicet, his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me, & tunc demũ dicet, quid ſint plagæ, dicet, calix eſt quem pater dedit mihi bibere. Nã quod protinus ſequitur, æquipollens eſt, quia vox quam ſubiungit, patris calicem dantis vox eſt. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit dominus exercituum. Percute paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Ac ſi dicat. Quæritis, quid ſint plagæ iſtæ, & ego dico vobis, quia teſtimonia ſunt obedientiæ, ſigna voluntatis et iuſionis paternæ. Dominus exercituũ Deus pater mihi proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro vobis omnibus tradidit me. Et dixit. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, et ſuper virum cohærentem mihi. Quod eſt dicere. O mors conualeſce ſuper filium meum, paſtorem meum bonum, ſuper virum cohærentem mihi, id eſt, in vnitate perſonæ coniunctum verbo, quod conſubſtantiale mihi eſt. Ad hoc dictum, ac ſi framea quæreret, dicens. Quomodo vel in quantum ſuſcitabor ſuper hunc paſtorem tuum, ita protinus edicit. Percute paſtorem, et diſpergentur oues. Hinc ipſe paſtor dum percutteretur, ita locutus eſt. Omnes vos ſcãdalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptũ eſt enim, Percutiam paſtorem et diſpergentur oues gregis. Igitur dicentibus, quid ſunt

Matth. 26.

plagæ iſtæ in medio manuum tuarum, congruè apponitur vox patris dicentis. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, percute paſtorem & diſpergentur oues gregis, vt ſit ſenſus. Monumenta ſunt paternæ charitatis, ſigna ſunt obedientiæ meę, quia ille mihi proprio filio ſuo nõ pepercit, & ego factus ſum obediens illi pro omnibus vobis vſque ad mortem, mortem autem crucis. Sequitur.

[Et conuertam manum meam ad paruu,,
los, & erunt in omni terra partes duæ, & diſ-,,
perdentur, & deficient, & tertia pars relin-,,
quetur in ea, & ducam tertiam partem per,,
ignem, & vram eos ſicut vritur aurum, &,,
probabo ſicut probatur argentum.] Poſt-,,
quam percuſſus fuerit paſtor, & paſtore ipſo volente & dicente. Si ergo me quęritis, ſinite hos abire, diſperſæ fuerint oues, conuer-

Ioan. 18.

tam (ait) manum meam ad paruulos, id eſt, reuelabo paruulis ſacramentum percuſsionis, qua percuſſus eſt paſtor. Erunt quidem

Partes duæ

in omni terra præter paruulos partes duæ, vna pars ſapientium, & vna pars prudentiũ, id eſt, vna pars Iudæorum, & vna pars Gen-

ſapientium & prudentium.

tium in ſua ſapientia confidentium, in ſua

1. Cor. 1.

prudentia ſibi placentium. Vndè & ipſe per cuſſus paſtor ſiue paſtoris percuſsio Iudæis

Matth. 11.

quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia erit. Duæ (inquam) partes erunt, vna ſapientiũm, & vna prudentium eiuſmodi, ſed ego & à ſapientibus, & à prudentibus abſcõdam hæc, & reuelabo paruulis, id eſt, humilibus. Quid reuelabo eis? Nimirum paſtorẽ percuſſum, id eſt, Chriſtum Ieſum crucifixum

xum eſſe Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Diſperdentur prudentes Iudæi in omnes gẽtes, corpore & anima, captiui deficient ſapiẽtes Græci, contradicendo ſiue perſequendo fatigati, & tertia pars relinquetur in ea, pars Chriſtiana, pars paruulorum, ad quos (vtiã dixi) conuertam manum meam. Hinc eſt il-

Matth. 22.

la confeſsio eiuſdem paſtoris. Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Equidem ſapientes & prudentes iam dicti, paruulos affligent, & ex eis flagellabunt, crucifigent, & perſequentur de ciuitate in ciuitatem, nonnullos quoq; ignibus exurent, ſed hæc omnia paruulis cooperabuntur in bonũ. Etenim ego per hæc quæ patientur, vram eos, ſicut vritur aurum, & probabo eos ſicut probatur argentum. Secũdum hanc ſimilitudinẽ argenti & auri, quod

Iob 4.

per ignem probatur, omnia hæc illis in bonum cooperabuntur. Vnde apud B. Iob Eccleſia paruulorum, ſiue vnus aliquis eiuſmodi paruulorum gaudet, & dicit. Ipſe verò ſcit viam meam, & probabit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui & "à mandatis eius non receſsi. [Ipſe vocabit "nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicã "populus meus, & ipſe dicet dominus Deus "meus. Et ecce venient dies domini mei, & di "uidentur ſpolia in medio tui.] Quis ipſe vo-

2. Cor. 1.

cabit nomen meũ, niſi paruulus, ſiue populus paruulorum? Vocabit nomen meum, ſcilicet Deum & patrem dñi ſui Ieſu Chriſti, patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, nam hoc eſt nomen meum, & ego in hoc nomine exaudiam eum, & cõ-

Pſal. 32.

ſolabor eum in omni tribulatione ſua. Non ne magnum eſt, quod dicam, populus meus es, & ipſe dicet, Dominus Deus meus? Nam beata gens, cuius eſt dominus Deus eius, populus quem elegit in hęreditatem ſibi. Dicat ergo populus meus es, dicam ecce venient dies domini, & diuidam ſpolia in medio tui, ſcilicet diuiſiones gratiarum Spiritus ſancti,

Pſal. 118.

reuelationes myſteriorum regni Dei, quæ

Pſal. 67.

precioſa ſpolia vtique ſunt. Vnde Pſalmiſta. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui in

CA. XIIII

uenit ſpolia multa. Item, Rex virtutum di-
"lecti, dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpo-
"lia. Sequitur. [Et congregabo omnes gentes
"ac Hieruſalem in prælium, & capietur ciui-
"tas, & vaſtabuntur domus, & mulieres viola
"buntur, & egredietur media pars ciuitatis in
"captiuitatem, & reliquum populi non aufe-
"retur ex vrbe. Et egredietur dominus, &
"præliabitur contra gentes illas, ſicut præliatus eſt in die certaminis.] Vbi dixit, & conuertam manum meam ad paruulos, & erũt in omni terra duæ partes, & tertia pars relinquetur, hoc etiam locutus de duabus partibus, & diſperdentur & deficient. Nunc quomodo diſperdantur & deficiant, ita manifeſtè dicit, ſicut factum eſſe videmus oculis noſtris. Nam aduerſus Hieruſalem illam terrenam congregatæ ſunt in prælium omnes gentes, ſcilicet Romani omnium gentium principes, & capta eſt ciuitas, & vaſtatæ ſunt domus, & mulieres ſine dubio violatæ ſunt, vt ſolet fieri pro libitu victorum, & media pars ciuitatis, videlicet, quæ gladio ſuperfuit, in captiuitatem egreſſa eſt. Et notãdum, quod non dixit media pars multitudinis, ſed media pars ciuitatis, quod longè minus fuit. Nam qui ceciderunt in ore gladij, qui fame perierunt, intus concluſi, multò plures fuerunt, quàm qui abducti ſunt captiui, ſed non omnes fuerunt populus ciuitatis. A totis enim regionibus (vt refert Ioſephus) ad azymorum diem feſtum congregati fuerant, & bello ſubito circũfuſi ſunt. Et captiuorum quidem numerus, qui in toto bello comprehenſi ſunt, nonaginta ſeptẽ millia collectus eſt, occiſorum verò per omne tempus obſidionis vndecies centum millia. Multitudo quæ à tot regionibus conuenerat, ad diem feſtum intus concluſa, ſumptus non habens, quos nec prouidit, nec obſidionem prouidit, citius tormento famis interius vitam finiet miſerabilem, populus autem ciuitatis diutius, quamuis in magna penuria durans non totus intus fame interibit, ſed media pars ad manus perueniet victoris, & egredietur in captiuitatem. Quid de reliqua parte ciuitatis vel populi? Non (inquit) auferetur ex vrbe. Quare non auferetur ex vrbe? Quia victori non erit neceſſe. Mortua nanque erit gladio, fame, igne, cum cætera aduentitia multitudine. Hoc nanque modo diſperdentur Iudæi, qui erant pars vna de partibus ſupradictis. Quomodo deficiet pars alia, ſcilicet Pagani? Et egredietur (ait) dominus, & præliabitur contra gentes illas, ſubauditur, in gladio oris ſui, in fortitudine ſpiritus ſui, ſicut præliatus eſt in die certaminis, id eſt, ſecundum ſimilitudinem myſticã prælij, quo Aegyptios in mare merſit. In hoc egredietur, illo nimirum egreſſu, quem

Eſa. 8.

Eſaias præuidens, quia de Syon exibit lex, & verbum domini de Hieruſalẽ. Factum eſt, & ſicut Pharao cum curribus & equitibus ſuis in mare ſubmerſus eſt, ita gentes illæ, gẽtiumque illarum principes, reges, cæſares, conſules, præſides, ſacerdotes templorum, & põtifices cum idolis ſuis, & omni ritu pha natico, defecerunt, & ad nihilũ redacti ſunt, & ecce pars tertia ſupereſt, pars Chriſtiana relicta eſt. [Et ſtabunt pedes eius in die illa,, ſuper montes oliuarum, qui eſt contra Hie,, ruſalem ad orientem, & ſcindetur mons oli,, uarum ex media parte ſui ad orientem & occidentem, prærupto grandi valle. Et ſepa-,, rabitur medium montis ad aquilonem, &,, mediũ eius ad orientem, & fugietis ad val-,, lem mõtium eorũ, quoniã coniungitur val-,, lis montiũ vſq; ad proximũ, & fugietis ſicut,,

Media pars ciuitatis abijt in captiuitatẽ

Ioſe. de bel. Iud. lib. 7. cap. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

"fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ
"regis Iuda, & veniet dominus Deus meus,
"omnesq; sancti cum eo.] Pedes domini pe-
Pedes domini Apostoli sunt. des speciosi, Apostoli sunt Isti pedes(ait)sta
bunt super montem oliuarum,id est, super
fidem patriarcharum & prophetarum, &
in scripturis commorabũtur,& secundum
authoritatem loquentur scripturarum,quę
ex illo sunt. Et benè de illo monte dicit,qui
est contra Hierusalem ad orientem,quia vi-
delicet,sancta scriptura patriarcharum & ꝓ
phetarum omninò est contra illam terrenã
Hierusalem, & omninò intendit ad illum
orientem,de quo longè superius in hoc eo-
dem propheta. Ecce enim (inquit dominus)
ego adducam seruum meum orientem. Ita
est contra illam Hierusalem, vt interdum
etiam vocet eam Sodomam siue Gomor-
rham,vt illic. Audite verbum domini prin-
Supr 3. cipes Sodomorum,percipite auribus legem
Esa.1. Dei mei populus Gomorrhæ. Ita est ad o-
rientem,id est,ita intendit in Christum, vt
à nullo ipse cognosci, vel sensus eius possit
inueniri,nisi ab illo,qui legendo vel audien
do respicit ad Christum. Et scindetur(ait)
mons oliuarum ex media parte sui ad orien
tem & occidentem, prærupto grandi valle.
Mons oliuarum scissus. Mons oliuarum scissus est ex media parte
sui,quia cor patrum à filijs, & cor filiorum
à patribus eorum recessit. Pars montis ad
orientem,& pars ad occidentem,quia vide
licet cor patrum ad Christum & fidei respi-
cit lumen,& cor filiorum ad Antichristum
spectans,occiduam patitur cæcitatem. Rur-
Rom. 11. sus ait. Et separabitur medium ad aquilonẽ,
& medium eius ad orientem. Quod separa-
tur ad aquilonem, idem est quod dixerat,
scindi ad occidentem,sed propterea repetit,
vt de reliquijs quæ conuertentur, quando
plenitudo gentium subintrauerit, inferret,
& medium eius ad orientem. Inter patres,
quia iamdudum scissi sunt à filijs(vt iam di-
ctum est) ad orientem,& filios illos,qui tan
dem credendo separabuntur ad orientem,
valdè grande est præruptum, grande inter-
Ibidem uallum,nimirum subintrantium grandem
capiens gentium multitudinem. Huic sen-
sui veritas Apostolica consonat, cùm dicit.
Aliqui ex ramis fracti sunt,tu autem cũ olea
ster esses,insertus es in illis,& socius pingue-
dinis oliuæ factus es. Et fugietis(ait) ad val
lem montium eorum, quoniam coniunge-
tur vallis montium vsque ad proximum.
Iudæi tenebras suas amant. Hodie videmus,quia fugiunt Iudæi altitu-
dinem montium,vbi veritatis lumen est,&
retrudunt se in vallem, quæ sub montibus
est, tenebras suas amantes, faciem solis quæ
in montibus patet odientes, videre non su-
stinentes fugietis,ait,quoniam coniungetur
vallis montium vsque ad proximum,id est,
quoniam gentes vos supergredientes, locũ
vestrum supplebunt, & non erit vacuum
præruptum,atque ita & anterior mons pa-
trum, & posterior pars filiorum insertis
gentibus in medium, fiet vnus mons oli-
uarum, vnus populus sanctorum. Et vos in-
terim quomodo fugietis? Sicut fugistis(ait)
à facie terræ motus in diebus Oziæ regis Iu-
da, idem significatum est illo terræmotu,
qui factus est in diebus Oziæ regis Iuda, *1. Par. 26.*
quo ille illicitum sibi sacerdotium vendica-
re conatus est,in fronte percussus est lepra.
Ergo vos ô Iudæi leprosi estis, quia secun-
dum hanc assimulationem pro conscientia
leprosæ frontis, vos ad vallem fugitis. Iam *Psal.4.*
amplius sacerdotium vestrum non erit. In
domo separata habitabitis secundum simi-
litudinem(vt iam dictum est) Oziæ regis,&
sacerdotium eorum est & erit, quos fugitis
omnes frõtes inclytæ & lucidæ, iuxta illud.
Signatum est super nos lumen vultus tui
domine. Et veniet(inquit)dominus Deus
meus,omnesque sancti cum eo. [Et erit in
die illa,non erit lux, sed frigus & gelu,& ē
rit dies vna,quæ nota est domino Deo, non
dies neque nox. Hic est finis cunctorum Sic
veniet(inquit)dominus Deus meus,quem- *Actor.1.*
admodum viderunt eum euntem in cælum,
& impijs fugientibus quidem, sed effugere
non valentibus,omnes sancti venient cum
eo,non erubescentes, lepram in fronte non
habentes,& idcirco apertione frontis cum
lætitia cordis occurrentes,assistentes, circũ
sedentes. Et erit in die illa vobis ô fugaces,
istud quod dico eueniet. Non erit lux,sed
frigus & gelu. Quomodo autem tunc effu-
gietis,qui nũc fugitis,si nõ erit lux,sed frigus
& gelũ? Quale est fugere in gelu & frigore,&
sine luce? Igitur fiet vobis,sicut & in Psalmo *Psal.34.*
Spiritus iusto iudicio concedens, dicit. Fiat
via illorum tenebræ & lubricum,& angelus
Domini persequens eos. Econtra,sanctis
lux æterna, dies indeficiens erit. Hoc est ꝙ
continuo dicit. Et erit dies vna,quæ nota est *Esa. 64.*
domino Deo. Quis enim alius illam diem *1. Cor.2.*
nouit,nisi dominus Deus. Oculus non vi-
dit,auris non audiuit, & in cor hominis nõ
ascendit,qualem diem sanctis suis præpara-
uerit. Et quid dico diem? Non dies(inquit)
neque nox erit. Quod est dicere. Cùm dico
diem, vulgariter nomen hoc examinat ali-
quis,sed secundum sensum illius non dies
neque nox erit,id est,non ortus neque occa
sus solis erit. Sed quid? [Et in tempore vespe
re erit lux.] Id est, post omnia secula seculo-
rum,quantacunque numerari vel existima-
ri possunt,lux erit & lux expectabitur inde-
ficiens. [Et erit in die illa, exibunt aquæ vi-
uæ de Hierusalem,medium earum od mare
orientale,& medium earum ad mare nouis-
simũ. In æstate & in hyeme erunt, & erit
dominus rex super omnem terram.] Credi- *2. Cor. 4.*
mus, propter quod & loquimur, quia dies
ista dies est resurrectionis, quã dicit prolo-
quens & repetẽs, & erit in die illa,& ꝓtendi
tur dies ista à custodia matutina dominicæ
resurrectio-

resurrectionis vsq; in resurrectionem vni-
uersalem,& vltrà. Exibunt(ait) aquæ viuæ
de Hierusalem Qua de Hierusalem? Nimi-
rum Hierusalem cælesti, Hierusalem ciuita
te Dei viuentis,vbi est visio beatæ Trinita-
tis. Inde(inquit)aquæ viuæ exibunt, aquæ
(inquam)viuæ,id est, aquæ resurrectionis
Duplex resurrectio. Ioan.5. mortuorum. At illa videlicet resurrectio
mortuorum gemina est. Est resurrectio ani
marum,resurrectio prima,quæ est remissio
peccatorum:est & resurrectio corporum,re
surrectio secunda,qua procedent ad vocem
filij Dei, omnes qui in monumentis sunt.
Benè ergo aquas viuas diuisit, medium(in-
quiens) earum ad mare orientale,quod iam
factum est,ꝙ est baptisma in remissionem
peccatorum,& hæc est resurrectio animarũ,
& medium earum ad mare nouissimum,ꝙ
in capite quidem,id est,in Christo,iam factũ
est,sed in corpore,id est,in nobis,in nouissi-
Matth.19. mo die fiet,quod est regeneratio omnium,
iuxta illud. In regeneratione cũ sederit fi-
lius hominis,&c. & hæc est resurrectio cor-
porum,remuneratio tam animarum,quàm
corporum. Istæ aquę viuæ in ęstate(inquit)
& in hyeme erunt, videlicet in æstate, quæ
nunc est,quando operari & fugere licet, e-
Idem 24. runt in resurrectionem animarum: in hye-
me autem,scilicet in nouissimo iudicio, quã
do nec operari,nec fugere licebit,erunt in re
surrectionem corporum,in remunerationẽ
sanctis,tam animarum,quàm corporum. Et
tunc erit dominus,id est, tunc apparebit,
quod sit dominus & non alius rex super o-
Psal. 109. mnem terram,cõpleto quod dixit illi pater
dominus. Sede à dextris meis,donec ponam
"inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. [In
"die illa erit dñs vnus, & erit nomen eius v-
"num. Et reuertetur omnis terra vsque ad
"desertum de colle Remmon ad austrũ Hie-
"rusalem,& exaltabitur,& habitabit in loco
"suo à porta Beniamin vsq; ad locum portæ
"prioris, vsque ad portam angulorum, & à
"turre Ananehel, vsque ad torcularia regis,
"& habitabunt in ea, & anathema non erit
"amplius,sed sedebit in Hierusalem secura.]
Erit(inquit) in die illa dominus vnus, ac si
Psal.9. dicat. Nunc quidẽ sunt multi, qui dicantur
dij,qui dicantur domini. Sed sicut in Psalmo
scriptum est. Perijt memoria eorum cum so
nitu,& dominus in æternum permanet, ita
& hic dico,quia in illa erit dominus vnus,
& explosis deorum & dominorum nomi-
nibus,erit & permanebit vnũ & solum, no-
men eius. Et reuertetur omnis terra vsque
Sensus puerilis Iudæorum de Messia. ad desertum. Hæc litera omnis ferè vsque
ad finem voluminis, talis est sine dubio ex
industria Spiritus sancti, vt puerum allicere
possit ad fauorem sui, totiusque voluminis
prophetici scilicet populum Iudaicum sen-
su puerili, qui talia libenter audit, & sic in-
telligit, quod Messias, quando in Hieruſa-
lem aurea atque gemmata sederit regnatu-
rus, cuncta auferet idola, nec erit diuinita-
tis cultura diuersa,sed erit dominus vnus &
reuertetur omnis terra vsque ad desertum,
id est,ad antiquum statum, & quod secun-
dum locorum hæc vocabula, Hierusalem
ædificanda sit, de colle Remmon ad austrũ,
&c. Sciens quippe quales & quantas in hoc *Cur mysteria texit Prophetia.*
volumine congesserit margaritas, clauden-
dam thecam,significandumque vtiliter ar-
bitratus est sacculum,ne porci maligni non
solùm conculcarent eas, verumetiam con-
uersi prophetam ipsum eliderent,quod sine
dubio factum fuisset,ita vt nec scripturæ i-
psæ ad nos peruenirent. Nihil vtiliùs dice-
re possumus, quã intentionem istam scien-
dam esse in his,& in cæteris quæ postmodũ
sequuntur,quæ huismodi sunt,& oẽs qui re
liqui fuerint de vniuersis gentibus quæ ve-
nerunt contra Hierusalem, ascendent ab an
no in annum,vt adorent regem dominum
exercituum,& celebrent festiuitatem taber
naculorum,&c. Veruntamen ista seductio
talis pueri non fallit, sed sensum continet
veritatis, quem cognoscere deceat virum,
qui euacuauit ea,quæ sunt paruuli. Nam o-
Sensus mysticus. mnis terra,id est,omnis Ecclesia, omnis or-
do ecclesiasticus,qui nunc locis diuersis,&
linguis dissonis disparatur. Omnis(inquam)
vsque ad desertum,id est, vsque ad eos qui
in Ecclesia magis contemptibiles sunt, mi-
nusque spiritualium videntur habere dono-
rũ,reuertetur de colle Remmon,quod inter
pretatur excelsum ad austrum Hierusalem,
id est,de altitudine fidei, & propter ipsam fi
dem perueniet ad plenam scripturæ visionis
claritatem,vt sit vna ciuitas omnium,& sic
ut iam dictum est,vnus dominus omnium,
& exaltabitur, & habitabit in loco suo, id
est, in regno sibi ab origine mundi præpara-
to,à porta Beniamin, vsque ad locum por-
tæ prioris,quod idem esse videtur, ac si di-
cat,à fine mundi,vsque ad originem mun-
di. Nam porta Beniamin, quod interpreta-
tur filius dexteræ,rectè intelligitur, illa vo-
catio,qua dicetur his,qui à dextris erunt. Ve
nite benedicti patris mei,percipite regnum, *Matth.25.*
quod vobis paratum est à constitutione mũ *Gen.1.*
di,& porta prior ipsa constitutionis mundi,
scilicet benedictio, qua creatis hominibus
primis,crescite(ait)& multiplicamini. Nam
extunc vsque ad iam dictam vocationem,
qua vocabuntur à dextris constituti, colli-
guntur homines,quorum de reuersione hic
sermo est. Exaltabitur etiã vsq; ad portam
angulorum,id est,vsq; ad effectum promis-
sionis,& spei patriarcharum, ad quos post
maledictionem, quæ subintroiuit per pecca
catum,factum est promissionis verbum de
semine benedictionis,quę ꝓpalabitur in illa
porta Beniamin, dicendo. Venite benedi-
cti. Exaltabitur etiam,& habitabit à turre
Ananehel vsque ad torcularia regis. Ana-
nahel interpretatur gratissimus dei. Et quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

est gratissimus Dei, vt filius dilectus Deo patri? Et quis rex, nisi ille idem gratissimus dei? Porrò, turris huius grauissimi, turris ædificata cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, sancta scriptura est. Torcularia verò regis eiusdem, passiones eius fuerunt. Exaltabitur ergo (ait) & habitabit Hierusalem à turre Ananehel, vsque ad torcularia regis, id est, gloriabitur tam in his qui sanctarum virtute scripturarum instructi & armati, destruere potuerunt omnem sermonem extollentem se aduersus scientiam Dei, quàm in illis, qui proficientes vsque ad illam dilectionẽ, qua maiorem nemo habet, vt animam suã ponat quis pro amicis suis, non subterfugerunt tradere corpora sua propter fidẽ Christi. Et habitabũt (inquit) in ea, & anathema nõ erit amplius, sed sedebit Hierusalem secura. Hoc est, quod & in Apocalypsi legimus. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cũ eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà nõ erit, neque luctus, neque clamor, neq; dolor erit vltrà, quæ prima abierunt. Hæc omnia hic anathematis vocabulo comprehendit, dicendo, & anathema non erit amplius. [Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Hierusalem. Tabescet caro vniuscuiusq; stantis sup pedes suos, & oculi eius tabescent in foraminibus suis, & lingua eorum tabescet in ore suo.] Nunquid hæc erit tota plaga? Nunquid non in præsenti quoq; seculo nonulli persecutores, qui afflixerunt Ecclesiam Domini, talia receperunt? Legamus Ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximinianus, quid sæuissimus Maximinus, & apostata Iulianus passi sunt, & tunc rebus probabimus, etiam, iuxta literam prophetiæ veritatem esse completam, quod putruerunt carnes eorum, & oculi cõtabuerunt, & lingua in pedorem saniemque dissoluta sit. Nunquid oblitus est id, quod omnibus notũ est, quod cruciabuntur igne & sulphure, in cõspectu angelorũ sanctorũ, & ante conspectum agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorũ, vel sicut ipsemet ore suo loquitur dominus. Ibunt in supplicium æternũ, ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Ergo secundũ tropum, qui dicitur Tapinosis, id est, humilitas magnæ rei, non id assequente sermone, quod intendit, hic locutus est, non tam statum rei magnæ dictis infirmans, quàm magnitudinem eius quenquam verbis non posse cõsequi, significans. "[In die illa erit tumultus Domini magnus "in eis, & apprehendet vir manũ proximi sui, "& conseretur manus eius, super manum pro "ximi sui. Sed & Iudas pugnabit aduersus Hierusalem, & congregabuntur diuitiæ omnium gentium in circuitu, aurum, & argẽtum, & vestes multæ satis, & sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum quæ fuerunt in castris illis, sicut ruina hæc. Et omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, vt adorent regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatẽ tabernaculorũ. Et erit qui nõ ascenderit de filijs terræ in Hierusalem, vt adorent regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. Quod si & familia Aegypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit. Sed erit ruina, qua percutiet dominus omnes gentes, quæ non ascenderunt ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. In die illa erit, quod super frenum est equi, sanctum Domino, & erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altare, & erit omnis lebes in Hierusalẽ, & in aula sanctificatus Domino exercituum. Et venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis, & non erit vltrà mercator in domo DOMINI exercituum, in die illo.] Vltima hæc recapitulatio breuis, quo tendat, iam ante dictum est. Ad claudendum tendit, & ad ligandum potius prophetiæ sacramentum, vt non intelligeretur vsque ad tempus statutum, sicut in Danieli præcipiebatur. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum, vsque ad tempus statutum. pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia, & sicut Esaiæ dicebatur. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et tota quidem prophetia clausa est, nec nisi in ipso Christo reuelatur, sed capitulum hoc etiam clausuræ ligamentum est, nec tamen suspicari posset paruulus inuidus, id est, Iudaicus populus, quod in prophetis aliquid boni gentilibus decernetur, aut quod carnalibus cæremonijs finis esset aliquando ponendus. Fuerit illis quondam permissus carnalis & puerilis sensus, nunc autem in Christo euacuatus, inexcusabilis est error, ita vt de isto veraciter dicas, puer centum annorum maledictus erit, siue morietur. Nam quod dicit. In die illa erit tumultus Domini magnus, & apprehẽdet vir manum proximi sui, & conseretur manus eius super manum proximi sui, sed & Iudas pugnabit aduersus Hierusalẽ, & congregabuntur omniũ gentium diuitiæ in circuitu, aurum, & argentum, & vestes multæ satis, iam factum est, non quomodo illi sperauerunt & sperant, auaritiam insatiabilem sperantes, aureamque & gemmatam in terris Hierusalem expectantes, sed quomodo Spiritum sanctum fecisse decet, cuius omnis ciuitas non terrena, sed cælestis est, cuius

Can. 43.

2. Cor. 10. Ioan. 15.

Apoca. 21.

Matth. 27.

Apoca. 14.

Tumultus Domini. Psal. 2.

cuius omnis pugna non contra homines, sed contra hominum vitia est. Tumultus ergo domini magnus ille est, de quo Psalmista. Commouisti (inquit) domine terram & cõturbasti eam, scilicet per prædicatores tuos, nos terrenos commouens ad pœnitentiam. Et apprehendit vir manum proximi sui, & conserta est manus eius super manum proximi sui, scilicet taliter, vt dicerent salubriter contriti, tam Gentiles, quàm Iudæi, immò plures Gentiles, quàm Iudæi, quid faciemus viri fratres, & respondetur eis, pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine dñi Iesu Christi. Non solũ in hoc tumultus fuit, in quo bonum erat tumultuari, & ad pœnitentiam conturbari, & quasi manibus consertis quærere, & dare cõsilium salutis, sed & in hoc quod Iudas, id est, Iudæus siue Iudaicus populus, non quidem solus, sed primus pugnauit aduersus Hierusalem, aduersus Euangelicam fidem & Ecclesiam, in cælis conuersari, & ad visionem pacis peruenire cupientem. Non (inquam) solus, sed primus pugnauit Iudæus, deinde etiam Paganus. Sed quomodo prouenit. Congregatæ sunt diuitiæ omnium in circuitu, aurum, & argentum, & vestes multæ satis. Aurum, & argentum, & vestes multas satis habebat Iudæus, scilicet adoptionem filiorum, & gloriam, & testamenta, & legislationem, & obsequiũ, & promissa. Item aurum ingenij, argentum nitidi eloquij, artiũ studiorumq; vtilium, vestes multas Paganus habebat. Omnes istæ diuitiæ ad Hierusalem, id est, ad Christi Ecclesiam congregatæ sunt. Præterea materiale aurum, & materiale argentum, & vestes manufactæ omnium gentium, iure ad istam Hierusalem cõgregatæ sunt, quia mortuis regibus vel principibus impijs, successerunt reges vel principes pij, quibus ista Hierusalem, quoniã sua spiritualia seminauit, eorum carnalia nõ indignè messuit. Illi qui pugnauerunt aduersus eam vbi sunt? Perijt memoria eorum cũ sonitu. Quæ cura de illis? Sic (inquit) erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quæ fuerunt in castris illis, sicut ruina hæc. Ac si dicat. Non magis curat Deus de ruina illorum, quàm de ruina equorum, & mulorum, quibus sedentes & equitantes aduersus Hierusalem pugnauerunt, siue de ruina camelorum & asinorũ, omniumque iumentorum, quæ illorum cibaria post illos circuntulerunt. Et rectè. Nam in vita sua comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Quomodo & illud iam factum est vel fit, quod dicit. Et omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus, quæ venerint contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, vt adorent regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum? Leuemus oculos nostros per vniuersum orbem terrarum, & numeremus si possumus tabernacula Domini virtutum, id est, Ecclesias siue basilicas martyrum sanctorumque omnium. Nónne consecrationes earum recolentes, ab anno in annum celebramus festiuitatem tabernaculorũ, gratias agentes Domino, propter nostrum de Aegypto huius seculi exitum? Egressus quondam Israelis de Aegypto per vastam & terribilem ac latam solitudinem, in qua non erat domus, villa, oppidum, specus, faciebat sibi taberna cula atq; tentoria, quæ nunc à similitudine paruulæ auis papiliones vocantur. Iussumq; est, vt in mense septimo, in quinta decima die mensis fieret tabernaculorum solennitas, vt beneficiorum Dei omni tempore recordarentur, cùm cœpissent habitare in vribus. Nos quando & quomodo exierimus, quali de Aegypto, quibus de tenebris exierimus, non incognitum habemus, & illum exitum in consecrationibus Ecclesiarum mysticis sacramentis significatum, ab anno in annum celebramus ascendentes in Hierusalem, id est, mente contemplantes illam beatam patriam, & ciuitatem cælestẽ, cuius in istis tabernaculis exiguam quidem, sed sanctam & consolatoriam tenemus imaginem. Et erit, inquit, qui non ascenderit de filijs terræ in Hierusalem, vt adoret regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. Imber cælestis doctrinę, scientis Dei est. Hinc est illud. Crescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. Magna igitur pœna, magnum detrimentum his, qui non ascendunt ad festiuitatem huiusmodi tabernaculorum, quia nõ est super eos imber, quia verbum Domini non audiunt. Nec semel hanc pœnam deprompsisse contentus, denuò ac tertiò repetit hoc ipsũ. Quod si & familia Aegypti nõ ascenderit, & non venerit, nec super eos erit, subauditur imber, sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. Hæc secunda repetitio plus habet, quàm prima dictio. Nam ibi tantùm dixit. Non erit super eos imber. Hic autem cùm dixisset. Nec super eos erit, protinus addidit, sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes. Et est sensus. Inter Paganos alienos à verbo Dei reputabuntur Hæretici, qui in Hierusalem. i. in catholicam Ecclesiam nolunt ascendere, vt audiant verbum Dei, secundum regulam fidei, quos hic intelligimus per familiam Aegypti. Quã ob causam? Videlicet, quia templum aliquando fuit in terra Aegypti facti ad similitudinẽ templi, q̃ erat in Hierosolymis, quod fecit pontifex Onias, putans se implere vaticiniũ Esa. dicẽtis. Et erit altare Dñi in medio terræ Aegypti. Temporib. Machabæorũ fecit Onias illud templũ, & cũ eo infinita examina

Act. 2.

Rom. 9.

2. Cor. 9. Psal. 9.

Psal. 48.

Leuit. 23. Deut. 16.

Imber doctrina tale sit.

Deut. 23.

Esa. 63.

Vide Ioseph̃ de ant. lib 13. ca. 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esa. 19. Iudæorum in Aegypto consederunt. Ad illos est illa scriptura secundi libri Machab.
2. Mach. 1. Fratrib. qui sunt per Aegyptū Iudæis, salutē dicunt fratres qui sunt Hierosolymis Iudei, & qui in regione Iudæa, & pacē bonam, hoc maximè intendens solū esse legitimum templum q̄ erat in Hierosolymis, & illud esse contra legem quod habebant in terrā Aegypti. Quādiu stetit, vel stare debuit templum illud in Hierosolymis, tādiu qui recesserūt ab illo, templum aliud tenentes in terra Aegypti, rectè dicti sunt familia Aegypti, & nihilominus secundū similitudinē illorum hæretici, qui se sciderunt ab Ecclesia catholica, rectè dicuntur familia Aegypti, & reputantur inter gentes, dicendo: nec super eos erit imber, sed ruina, qua percutiet Dñs omnes gentes. Tertia repetitione amplius adhuc facit, dicendo sic. Hoc erit peccatum Aegypti, & hoc peccatum omniū gentium, quæ non ascenderint ad celebrandā festiuitatē tabernaculorū. Hoc em̄ est dicere. Ignorantiam Dei habentes, ex eo, q̄ non erit super eos imber, erunt inexcusabiles. Quare non erit super eos imber? Nimirum quia non ascendēt ad celebrandā festiuitatē tabernaculorū, id est, idcirco non habebunt scientiā Dei, quia non acquiescent iræ, vbi prædicatur Dei verbum. Ergo inexcusabiles erunt propter hoc peccatū suum, non quia non intellexerunt, sed quia intelligere noluerunt. Cōuincētur noluisse intelligere, per hoc q̄ noluerunt illuc ascendere, quod noluerunt festiuitatem sanctam celebrare, quæ festiuitas est, scripturas sanctas libenter legere vel audire, & pro amore illarū à seruilibus seculi operibus aliquando vacare. Igitur super quem non erit imber, nō excusabitur, sed qui ignorat, ignorabitur. In die illa erit, quod super frenum est equi, sanctum Domino. Vbi celebranda est eiusmodi festiuitas tabernaculorū, oportet celebratores & festiuos illos, siue tabernaculorum ædituos habere victum, & vestitum. Vnde habebunt? Non serunt, neq; metunt, sed semper in festiuitate occupati sunt, ad eruditionem & meditationē sanctarum scripturarum dispositi sunt. Ad hęc (inquā) satis habebunt. Inquirentes aūt Dominum nō minuētur omni bono. Vnde hoc? Quid super frenum est equi, sanctū erit domino. Hoc est dicere. Diues fidelis, quod sibi superabūdat offeret Domino. Equi frenum significat omne necessariū. Quod enim inter cuncta equi ephippia, id est, stramenta, magis vel tam necessarium, quàm frenū? Ergo quod super frenum est equi, sanctum erit Dño, id est, quod super necesitatem abundabit sibi. diues fidelis offeret Domino. Nō frenum, sed quod super frenū est equi. i. non illud quo carere non potest vir fidelis, sed quod sibi superabundabat, docebitur offere Domino. Hinc Apost. Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod habet accepta est, nō secundum quod nō habet. Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in hoc, præsenti tempore vestra abaundantia illorum inopiam supplet, vt & illorum abundantia vestræ sit inopiæ supplementum, vt fiat æqualitas. Ita que quoniam frenum equi sui dare non poterit sine tribūlatione sua, contentus erit dominus illo tantillo, quod super frenum est, vt sibi sanctificetur, id est, quoniā durum erit homini, expoliari se rebus necessarijs, tantū ea quæ superabundant, quæret, vt sibi offerantur, & hæc proficient prædictam festiuitatem tabernaculorum celebrantibus, id est religiosam & spiritualem vitam ducētibus. Et erunt (ait) lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari. Quicquid super frenum est equi (sicut iam dictum est) id est, omnis superabundantia, quæ sanctificatur vel offertur domino à diuitibus huius seculi, rectè lebetum nomine significatur, quia videlicet in lebete carnes coquuntur, & carnalia sunt, quæcūq; dño ab huiusmodi offerūtur. Porrò p phialas, quib. nō carnes coquūtur sed vinū funditur, spiritualia significantur. Igitur erunt, inqt, lebetes in domo dñi, quasi phialæ coram altari, id est, carnalia quæcunque offeruntur Domno, in vsum seruientium sibi, sic erunt sacra, vt vasa altaris, siue quæcunq; res spiritualis ministerij, ita vt æquè de carnalibus sicut de spiritualibus Ecclesiæ rebus quicquam defraudare siue deprauare sacrilegium sit. Hoc itidem magis ac magis confirmat, dicendo sic: Et erit omnis lebes in Hierusalem & in Iuda sanctificatus Domino exercituum. Quod est dicere. Omne quod carnale oblatū erit Domino exercituum in Hierusalem & in Iuda, id est, in illis, qui spiritualem vitā ducent, ita erit sanctificatum, vt non dicat quisquam aliquid suum esse, sed sint omnia communia. Vnde adhuc subditur. Et venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquēt in eis. Quod est dicere. Et venient omnes seculo renunciantes, & semetipsos domino offerentes, & sument ex eis quæ oblata sunt Domino à diuitibus, quibus (vt iam dictum est) superabundauit, & in victu, & in vestitu vtentur eis, diuidenturq; singulis prout opus erit. Et non erit vltrà mercator in domo Domini exercituum in die illa. Nomine mercatoris grauiter denotandum se esse nouerit à Spiritu S. quisquis in domo Domini, id est, in proposito spirituali propriū quid possidere præsumpserit, & delectari huic vitio nequissimo. Nō erit, id est, esse non debebit vltrà talis mercator in domo dñi exercituū, ne fortè pœnā quā Ananias, & Saphira in corpore ptulerūt, ipse in anima patiatur.

2. Cor. 8.

Et erunt lebetes, quasi phialæ.

Mercator in domo domini.

Actor. 5.

Quod super frenum est equi, sānctum erit Domino. Psal. 33.

Actor. 4.

COMMENTARIORVM IN ZACHARIAM LIBRI FINIS.

PROLO.

PROLOGVS RVPERTI
IN MALACHIAM PROPHETAM.



MAlachiam vltimum duodecim Prophetarum Hebræi Esdrā estimant sacerdotem, quia omnia, quæ in libro illius continentur, etiam hic prophe ta commemorat, & propterea titulum non habere, quia liber iste pro titulo sit. Igitur & Malachias, id est, Esdras post Aggæum & Zachariam, qui prophetauerunt sub Dario: credendus est. Hinc de abiectione Iudæorum, & vocatione gentium: non est inquit, mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non accipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentib. & in omni loco sanctificatur ob'atio munda. Itaque quoniam Esdras Propheta erat, quoniam idem est, qui & Malachias, nō mirum, quòd in libro eius, videlicet Esdræ ita legimus. Acceserunt ad me principes dicentes. Tulerunt Sacerdotes & Leuitæ de filiabus populorum terræ, & de filijs suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Cumque audissem (inquit) sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam & euulsi capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens, & cæt. Nimirum, quoniam, vt iam dictum est, Propheta erat, non dubium quin prophetico spiritu intellexit, cuius vel quāti mali præsagium illa trāsgressio fuerit, quod vbi post captiuitatis absolutionem templum reędificatum est, talis in Iuda siue in Israel suaricatio reperta est. Inde nobis plenius erit dicēdum, vbi in hoc prophetiæ suæ libro dicit. Trangressus est Iudas, & abominatio facta est in Israel, & in Hierusalem, quia contaminauit Iudas sanctificationem Domini quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Adsis ô Sancte spiritus, qui per os Prophetarum loquutus es, vt consummato in duodecim Prophetis opusculo tandem nos exigui inter filios Leui, quos Dominator Dominus veniens ad templum sanctum suum constabit quasi aurum & quasi argentum, offeramus tibi sacrificia laudum, placeatque tibi sacrificium nostrū, sicut illorum sacrificium, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui, de quibus suo loco dicen.
dum erit.

Malach. 1.

Innocatio.

1. Esdr. 9.

FINIS PROLOGI.

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN MALACHIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER VNICVS.

Onus contra Iudæos.

ONVS verbi Domini super Israel in manu Malachiæ.] Onus, id est, grauissimi iudicij pondus ista superstitio pollicetur, quod videlicet secundum prophetiam hanc infelix Iudaicus populus, similiter vt Cain, qui Abel fratrem suum occidit, septemplici reatu obnoxius, septempliciter puniendus, id est, incorrigibilis permanendo, interminabilem iram Dei foret subiturus. Numero namque septenario, qui tam apud Ecclesiasticos, quàm apud Ethnicos philosophos, mas, id est, fortis dicitur, insolubilisque habetur, & eo plerunque vniuersitas significatur, numero, inquam, septenario peccatum rebellionis, & duritia ceruicis eius in hac p̄phetia designatur. Ipsas vices hic iam perstringere libet. Primò sic alloquitur: Dilexi vos dicit dominus. At illi procaciter. In quo dilexisti nos? Deinde secundò. Despicitis nomen meum. Statimq; illi. In quo despeximus nomen tuum? Deinde tertiò. Offertis super altare meum panem pollutum. At illi. In quo polluimus te? Deinde quartò. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris. Ad hæc illi. In quo eum fecimus laborare? Deinde quintò. Reuertimini ad me & reuertar ad vos, dicit Dominus. Statimq; illi. In quo reuertemur? Quasi verò non audissent, quod dicebat, recesistis à legitimis meis, & non custodistis. Deinde sextò. Si affligit homo Deum, quia vos confixistis me. At illi. In quò configimus? Deinde septimo. Inualuerunt super me verba vestra dicit dominus. At illi. Quid loquuti sumus contra te? Ita septies conuenti, & de septem reatus sui capitulis redarguti, septies excusserūt ceruicem duram, nullam reddendo vocem confessionis, sed in omnibus horrorem

Septenarius numerus.

Septies obijcitur peccatum rebellionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spirando perpetuæ rebellionis. Per hæc vt supra iam dictum est, pœna eorum significatur interminabilis, quia culpa septemplex, id est, incorrigibilis est, atque idcirco insolubilis (vt dictum est) secundum exemplum Cain, cuius peccati septenarium incrementum potest discerni, peccati irremisibilis, quia in deterius semper progredies nusquã pœnitentiam egit. Primum in eo fuit, quòd non rectè diuisit, cum scriptura dicat. Si rectè offeras, & non rectè diuidas, nónne malum est? Rectè quidem obtulit, quia cui debuit Deo obtulit, sed non rectè diuisit, quia rem suam offerés semetipsum sibi retinuit, cor suum Deo non præbuit. Secundũ fuit q̃ fratri rectè offerẽti & diuidenti inuidit. Tertiũ, quod dolosè egit, dicens. Egrediamur foras. Quartum, quod interfecit. Quintum, quòd procaciter negauit, dicens. Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego? Sextũ, quod desperauit, maior est (inquiens) iniquitas mea, quàm vt veniam merear, Septimũ. quòd nec damnatus pœnitentiam egit, sed vsque in finem cor impœnitens habuit. Lamech, qui occidit illum, se & illum pulchrè discernit, dum reatum suum confitens & dicens, Occidi virum in vulnus meum & adolescentulum in liuorem meum, eundẽ Cain, & virum propter ætatem, & adolescentulum nominãs propter stultitiam, protinus dicit. Septies vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. Quod est dicere. Cain sicut peccatũ perpetuũ, & incorrigibile fuit, ita pœna interminabilis erit secũdum significationem numeri septenarij, qui insolubilis est, & præter vnitates in alias partes æquas nõ potest diuidi. Lamech verò sicut peccatum terminabile est siue remissibile, confitetur enim in occidendo vulnus suum, & agnoscit liuorem suum, ita & pœna solubilis erit secundum significationem numeri septuagesimi septimi, qui solubilis est, quia præter vnitates etiam in alias diuiditur æquas partes. Habet enim septies vndecim, vndecies septem. Porrò Dominus dixerat, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Quod ne contrarium putetur ei, quod dictum est, De Lamech verò septuagesies septies, sciendum est, quia & hic vbi dominus dicit. Septuplum punietur, & alias, vbicunque loquitur, qui hoc vel illud fecerit, morte moriatur, subaudire oportet, nisi pœnitentiam egerit. Hoc aũt hic subaudiri non valet, vbi dixit, Lamech septies vltio dabitur de Cain, quia cum hæc diceret, iam tunc occisus Cain pœnitentiæ tempus perdiderat. Igitur onus verbi Domini super Israel in manu Malachiæ, id est grauissimum iudicium verbi Domini super contemptores eius Iudæos continetur in hoc opere, in hac scriptura Malachiæ, quod interpretatur angelus meus. Est enim angelus, id est, nuncius Domini. Sciendumque quod postquam abductus est in captiuitatem Israel, id est, decẽ tribus indifferenter pristino nomine, & duę tribus Iudas & Beniamin appellatur Israel.

Gen. 4.

Peccatum Lamech remissibile.

[Dilexi vos dicit Dominus. Et dixistis. In quo dilexisti nos? Nónne frater erat Esau Iacob dicit Dominus, & dilexi Iacob: Esau odio habui?] Scientibus vel scire nolentibus veritatem perspicuum est, quòd verè Iacob & genus eius dilexerit Dominus. Etenim ista dilectio quam dicit, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui, de fructu suo cognoscitur. Quid multa commemorem? De genere eius Christum nasci, fecit dilectio Domini. Cum fuisset Esau primogenitus, non illi, sed iuniori benedictionem istam cupiuit. Seruiant tibi populi, & adorent de tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. Benedictio hæc in Christo completur. Quis nesciat etiam prophetas, & sanctos, vel iustos innumeros de illo genere progenitos, & in hoc apparere fructum dilectionnis qua dilexit Iacob? Ego sum ait ipse apud alium prophetam, qui ascendere vos feci de terra Aegypti, & eduxi vos in deserto quadraginta annis, vt possideretis terram Amorræi, & suscitaui de filijs vestris Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos. Nonne hic est multus dilectionis fructus, multitudo Prophetarum, exercitus Nazaræorum, id est sanctorum, & ipse Christus sanctus sanctorum? Apostolus hoc nescire nos non vult, dicens, quòd eorũ adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

Deus dilexit Iacob.

Gen. 27.

Deus nõ fuit dilexit Esau.

Amos. 2.

Rom. 9.

Si istis compares, illos qui de Esau nati sunt, & hæreditatem eius, quam in hoc seculo potens hæreditauit. Nonne hæreditas eius veraciter, solitudo siue desertum, & geminina eius dracones deserti sunt? Benè ergo protinus dicit. [Et posui Seir montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti.] Nam vt secundum literam ita factum fuerit, notum non habemus à scripturis videlicet, quod Idumæa sic destructa fuerit, vt montes eius in solitudinem sempiternam, & hæreditas in dracones deserti redacta sit. Vndè & loquitur adhuc.

[Quod si dixerit Idumæa destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus, quæ deserta sunt, Hæc dicit Dominus exercitum. Isti ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus vsque in æternum, & oculi vestri videbunt & vos dicetis, magnificetur DOMINVS super terminum Israel.] Sicut iam dictum est, hoc ex scripturis, vt litera sonat factum esse comprobari non potest, sed secundum spiritum verum est,

rum est, secundum spiritualem gratiam manifestum est, quia magnificatus est super terminum Israel, & in comparationem magnificentiæ eius, quam supra iam diximus, & Idumæa, & omnis terrenitas cælesti gratiæ, in qua dilectus est Iacob contraria, destructa & destruenda est. Et isti (ait Dominus) ædificabunt & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus vsque in æternum. Verũ hæc omnia, quæ iam diximus spiritualia bona Iacob, & generi eius collata, carnalibus Iudæis contra quos hæc prophetia texitur, pro nihilo sunt, & procaciter dicunt. In quo dilexisti nos? Nimirum sicut Psalmista loquitur. & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant, irati sunt & irascantur propter terram quam perdiderunt, & de qua in omnes gentes captiui abducti sunt, nec reputant sibi ob suum hoc euenisse peccatum, vt confitentes culpam, cum venia cælestem recipiant gratiam, sed in iracundia dicunt. In quo dilexisti nos? Quod est dicere. Falsum est, non dilexisti nos. Et Dominus deinde loquitur. [Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus, & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?] Oportuna planè commemoratio contra illos, qui patri dicenti, dilexi vos, tanquam procaciter obiecerunt. In quo dilexisti nos? Est ergo sensus? Flagellantem patrem honorat filius, recipiendo disciplinam eius. Ego flagellaui vos flagellatione, quali pater filios flagellare consueuit, quemadmodum Sapientia dicit. flagellat autem omnem filium quem recipit. Flagellatio hæc est temporalis, qua in hoc seculo flagellamini à Romanis, excidium passi & vbique terrarum captiui. Disciplinam hanc vos abijcitis, nec me honoratis, vt reatum confiteamini, & pœnitentiam agatis. Ergo filij nõ estis, ergo adulteri & non filij estis, quia extra disciplinam estis, animo rebelli, odio crudeli. Item seruus honorat dominum suum, timendo comminantem illum. Ergo quoniam non estis filij, quoniam disciplinam abijcitis, id est, propter temporalem afflictionem non respiscitis, tanquam seruis comminor vobis pœnam sempiternam, gehennam ignis, nec saltem propter hoc timentes pœnitemini. Ergo nec saltem serui estis. Nõ filij, sed adulteri, non serui sed inimici estis.

Ingrati deo Iudæi.

Psal. 34.

Iudæi nec filij nec serui, sed inimici Dei sunt.

[Dicit Dominus exercituum ad vos ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum. Et dixistis. In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum.] Dominus exercituum, cuius nomen sacerdotes Iudæorum hodie despiciunt, vnde & dicit, qui despicitis nomen meum, Dominus Deus est pater omnipotens, cuius nomẽ est vt inuocamus, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, illi despiciunt. Procaciter interrogantibus illis, In quo despeximus nomen tuum Domine? Offertis ait, super altare meum panem pollutum. Verè ex quo in festiuitate Azimorum interfectis Christũ, ex eo ô vos Iudæi offertis panẽ pollutum. Extunc omnis quem offertis panis vester pollutus est, omne quod offertis non sacrificium, sed sacrilegium: omne, inquam, quod offertis, pollutum & immundum est. [Et dicitis, in quo polluimus te? In eo quòd dicitis Mensa Domini despecta est.] Quæ est hodie mensa Domini, nisi sacramentum corporis & sanguinis domini, sacrificium panis & vini? Nimirũ talis mensa domini vobis ô Iudæi, despecta est, quia non sunt ibi carnes taurorum, & sanguis vitulorum, & cætera huiusmodi. Propter hoc despecta est vobis illa, quæ veraciter dicitur & est mensa domini, quia tauri nõ sunt ibi, nõ est hircus, aut vitulus illic, ouis aut columba, siue turtur non sacrificatur ibi. Sed dico.

Mensa Domini sacrificium corporis & sanguinis Christi.

[Si offeratis secum ad immolandum, nónne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.] Sine dubio cæcum, claudum, & languidum ad immolandum offerre, si vos interrogem an malum sit, respondetis malum est, non solum quia ratio præstò est, verumetiam quia lex prohibet. Est autem cæcum, claudum, & languidum, omne quod brutum est in comparatione hominis, qui rationalis est. Quantò magis in comparatione Christi, qui & homo & Deus est, qui Dei virtus & Dei sapientia est? Malè ergo dicitis, mẽsa domini despecta est. Mensam illam despicientes, in qua sacrificium corpus & sanguis Christi est. Potius vestrum sacrificium despicabile est, quia sicut iam dictum est, cæcũ, claudum, & languidum est. Istud autem sacrificium, quod despicitis in mensa domini propter exiguitatem eius, quod videtur panis & vini, & videt, & benè graditur & sanum est. Offer inquit, illud, offer cæcũ, claudum & languidũ duci tuo, & experire si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, Dicit dominus exercituum. Nimirum non placebit, non suscipiet illud, imò iniuriam sibi factam reputabit. Quare? Profectò, quia cum habeas in promptu, & offerre posses illud, quod & videt, & benè graditur, & sanum est, illud obtulisti, quod cæcum, & claudum, quod languidum est. Sic profectò cum in promptu sit, quod possis offerre sacrificium valens ad remissionem peccatorũ, scilicet, Christi corpus & sanguinem verum, iniuriam mihi facis offerendo pecus brutum, dicit Dominus exercituum. [Et nunc deprecamini vultum domini, vt misereatur vestri, de manu enim vestra factum est hoc, si quomodo susceperit faciem vestram, dicit Dominus exercituum.] Hoc est, quod & Petrus in Actibus Apostolorum dixit eis. Viri Israelitæ audite

Leui. 22.

1. Cor. 11.

Prouerb. 3. Hebr. 12.

Actor. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

audite verba hæc. Iesum Nazarenum virũ approbatum in vobis,& cętera vsque,pœnitentiam agite,& saluamini à generatione ista praua. De manu enim(inquit) vestra factum est hoc, videlicet quòd non solummodo cæcum, vel claudum,aut languidum, verumetiam latronem,seditiosum,& homicidam obtuliſtis, quia Barrabam propter hoMatt. 27. norem diei festi vitæ donastis, Iesum verò auctorem vitæ interfeciſtis. Deprecamini ‘‘vultum domini, vt misereatur vestri.[Quis ‘‘est in vobis,qui claudat ostia,& incendat al‘‘tare meum gratuitò?Non est mihi voluntas ‘‘in vobis,dicit Dominus exercituum, & mu‘‘nus non suscipiam de manu vestra. Ab ‘‘ortu enim solis vsque ad occasum,magnum ‘‘est nomen meum in gentibus, dicit Domi‘‘nus exercituum,& in omni loco sacrificatur ‘‘& offertur nomini meo oblatio munda, ‘‘quia magnum nomen meum in gentibus,di‘‘cit dominus exercituum,& vos posuistis il‘‘lud in eo,quod dicitis,mensa domini contaminata est,& quod superponitur cõtempti‘‘bile est cum igni, qui illud deuorat, & dixi‘‘stis.ecce de labore,& exufflastis illud dicit ‘‘Dominus exercituum.] Manifestissima de reprobatione sacerdotij Iudaici prophetia est,cum exprobratione auaritiæ,cùm dicit. Quis est in vobis,qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Omnia (inquit) lucri causa facitis.& ne illud quidem quod exiguum est, vt est ostia claudere,ignẽ altaris incendere,siue afflare,gratuitò facitis,ad mercedem temporalem semper hiantes,vacui à dilectione Dei. Non est mihi (inquit) voluntas in vobis,imò sicut per alium prophetam dixi. Nunquam quæsiui hæc de manibus vestris. Holocausta arietũ,& adipem pinguium,& sanguinẽ vitulorum,& agnorum,& hircorum,nolui. Item per aliũ prophetam dixi. Holocaustomata vestra addiEsaiæ 2. te victimis vestris,& comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris,& nõ præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti,de verbo holocaustomatum & victimarum,sed hoc verbum præcepi eis,dicens. Hier.7. Audite vocem meam,& ambulate in omni via quam mandaui vobis. Quantò magis nunc minùs suscipiam de manu vestra, quando manus vestræ plenæ sunt sanguine?

Esaiæ 1. Planè non suscipiam, immò auertam oculos meos à vobis. Incensum vestrum abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatũ, & festiuitates alias nõ feram,iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta,Laboraui sustinẽs, subauditur:per annos quadraginta duos. Vix tamdiu sustinere potui,& differre,quod oportebat fieri, scilicet vt Romani venirent,& tollerent vestrum & locum & gentem. Non suscipiam munus vestrum,sed & reiectio muneris vestri nullum infert nomini meo damnũ. Ab ortu enim solis vsque ad occasum,magnum est nomen meum in gentibus,& in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Non enim solus Hierosolymis mihi est locus, vbi oporteat adorare, sed in omni loco veri adoratores adorabunt patrẽ in spiritu & veritate. Et offerũt nomini meo oblationem mundam,oblationem panis & Ioan.4. vini,sacramentum corporis & sanguinis re- Oblatio demptoris sui. Hæc oblatio sic est munda, munda. vt exterius nullam habeat cruoris horrorẽ: Psal.17. & interius,siue inuisibiliter mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Itaque in gentibus talem oblationem offerentibus, magnum est nomen meum. vos autẽ quondam meus populus peculiaris polluistis illud,& completur illud. Populus quem non cognoui seruiuit mihi,in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti sunt mihi,filij alieni inueterati sunt,& claudicauerunt à semitis suis. In eo polluistis nomen meum, quòd cum sit oblatio munda, & emundans omnia delicta, Vos dicitis, mensa Domini contaminata est,& quod superponitur contemptibile est,cum igni, qui illud deuorat, videlicet quia in commemorationem fit passionis & mortis Domini,quem vos occidistis,cum signaculo crucis, in qua vos illum suspendistis. Vnde &ipsum signaculum examini,& torquemini conscientia crudeli. dicitis in cordibus vestris,contaminatã esse istam quam dicimus mensam Domini, & quod superponitur contemptibile esse dicitis,nimirum quia non carnes eiusmodi quales offerre vos & comedere cõsueuistis, addentes,vt per alium Prophetam dictum est, holocaustomata vestra victimis vestris. Simul cum dicitur vobis,ignem huius mensæ domini,ignem esse inuisibilem, ignem Spiritus sancti, contemptibile hoc est vobis, Hier.7. quia non apparet visibiliter,nec deuorat sacrificium corporeus ignis. Et dixistis, Ecce de labore. Dixistis(inquam) hoc, & dicitis in cordibus vestris,quia totum ministerium mensæ domini, quod celebratur in gentibus,cum sit (vt iam dictum est) commemoratio passionis Dominicæ, magnus labor, magnum est tormentum conscientiæ vestræ.

In quibus prophetia scripta est.

Proinde exufflastis, id est, blasphemastis illud nequissimo flatu magnæ inuidiæ, magnæ iracundiæ. Nescio quomodo ex libro Esdræ posit intelligi,quod secundum hanc literam reuersus de Babylone populus, minorem putauerit esse cultum religionis, quia ornatus templi deerat, & quod superponebatur,idcirco esse pollutum, quoniam altare tantùm fortuitis, & impolitis lapidibus erat extructum,absq; templo,absque vrbis ædificijs,absque extructione murorum,& quod propter paupertatem murmurantes atque inuiti offerentes dixerunt:

Ecce

1.Esdr.3. Ecce de labore. Nam ibi taliter scriptum est, quia sponte obtulerunt in domum Domini ad extruendam eam in loco suo, & secundũ vires suas dederunt, & quia congregatus est populus quasi vir vnus,& ædificauerunt altare Dei Israel, vt offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei, & quia concinnebant in hymnis & confessione Domino,quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, omnis quoque populus vociferabatur clamore magno,laudando Dominum. Num ergo illius temporis Iudæi tali fuerunt digni exprobra
Amos 9. tione?Sed vos ô Iudæi, vos ô sacerdotes & pontifices temporis pessimi, quibus iuxta prophetam alium, Væ, quia separati fuistis in diem malum,& appropinquastis solio iniquitatis,vos (inquam) sermo iste percutit, quia sermo propheticus est, & enunciabat de futuris,dum hæc loqueretur iste angelus iste nuncius Domini. Proinde audiamus quid adhuc dicat.

CAP. II. [Et intuliſtis de rapinis claudum, & lan‘‘guidum,& intuliſtis munus. Nunquid susci‘‘piam illud de manu vestra dicit Dominus ‘‘exercituum. Maledictus dolosus, qui habet ‘‘in grege suo masculum,& votũ faciens im‘‘molat debile domino,quia Rex magnus e‘‘go dicit dominus exercituũ,& nomen meũ ‘‘terribile in gentibus. Et nunc ad vos manda‘‘tum hoc ô sacerdotes. Si nolueritis audire, ‘‘& si nolueritis ponere super cor, vt detis glo‘‘riam nomini meo, ait dominus exercituũ, ‘‘mittam in vobis egestatem,& maledicam be‘‘nedictionibus vestris,& maledicã illis,quo‘‘niam non posuistis super cor. Ecce ego pro‘‘iiciam vobis brachium, & dispergam super ‘‘vultum vestrum stercus solennitatum ve‘‘strarum,& assumet vos secum.]Ad vos(inquit)mandatum ô sacerdotes, qui domum patris,quæ debuit esse domus orationis, feciſtis speluncã latronum,& inde,id est, de latrocinio vestro, de rapinis quas de populo rapiebatis boues,& oues,& columbas,& cætera,quæ oblata erant,vendendo his, qui de longè venerant, & quod offerrent non habebant, ad vos (inquam) mandatum hoc. Quia sic faciendo profectò intuliſtis de rapinis claudum & languidum, id est, intuliſtis munus omni contemptu dignum, nunquid suscipiam illud de manu vestra dicit dominus?Imò dicam. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum,& votum faciens debile immolat Domino. Quis est, qui habet masculum in grege suo,& debile offert,& debile immolat domino,nisi vos ô sacerdotes Iudaicæ perfidiæ, qui habetis Christum incarnatũ iam de genere vestro, & adhuc brutum pecus contenditis offerre domino? Maledicti estis ô dolosi, qui illum veniſſe scientes, vos scire dissimulatis,quòd iam venerit, & non qualemcunque claudũ aut languidum, non qualecunque debile, quod est omne pecus brutum,quia non vaHebr.9. let ad emundationem peccatorum, verum- etiam Barrabam latronem, homicidam,seditiosum,Domino obtuliſtis,dimittendo illum pro honore,quasi Domini, secundum consuetudinem diei festi:& deinde nunquã Psal.49. masculum illum gregis electi dominum offerre voluistis,potius brutum pecus ingerẽtes, quasi placeat illi,quasi carnes taurorum manducare,& sanguinem hircorum potare velit. Benè est, quod ipse rex magnus domi Esaiæ 5. nus exercituum nomen suum terribile faciens in gentibus,quoniam noluistis audire, quoniam noluistis ponere super cor veritatem, sed oppositistis claritati eius perfidiæ velamen,& non dediſtis nomini eius gloriã & honorem,misit in vobis egestatem,mandando nubibus suis,ne pluant super vos imbrem,sicut nunc patet,quia neque propheticam,neque quamlibet aliam habetis gratiam cælestem, & maledixit benedictionibus vestris,& iterum maledixit illis, id est, iuxta prophetam,alium duplici contritione vos contriuit,vt non solum Romani tolerent vestrum & locum & gentem,verumetiam maligni spiritus animas offerrent, iuxta Hier 7. illud Psalmistæ veriloquium. Tradentur in Psal.62. manus gladij, partes vulpium erunt. Benè (inquam) & iustè maledixit benedictionibus vestris, quoniam vos benedictionibus eius maledicere voluistis, & maledixistis quantum potuistis. Nam quia Spiritus sanctus,qui est ipsa benedictio domini,dixerat in Psalmo. Benedictus qui venturus est in Psal.117. nomine domini, vos assumpsistis quasi patrocinium legis dicentis,quia maledictus est Deut.21. à Deo, qui pendet in ligno, & damnatione patibuli maledictum voluistis facere illum, qui venerat benedictus in nomine domini. Benè omninò proiecit vobis brachium, & dispersit super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum,& assumet vos (ait) stercus illud secum. Nam quia brachium,id est,armum dextrum bruti pecoris,quod ex lege vobis fiebat,secundum cæremonias legis solùm habere voluistis, & fortissimum brachium domini CHRISTVM filium DEI reiecistis,& contemptui habuistis. Rectè brachium eiusmodi vobis tanquam canibus proiecit, ne saltem intus in Hierosolymis porrigeretur vobis,sed foris proiectum vix assequi & rodere possitis captiui atque dispersi,non solennitates meas, sed vestrarum solennitatum stercus circumferentes,quod & vos ita secum assumpsit, vt sitis possessio vel portio stercoris, non habentes portionem in terra solennitatis domini.

Maledicti sacerdotes Iudæorum.

[Et scietis, quia misi ad vos mandatum,, istud,vt esset pactum meum cum Leui, di,,cit Dominus exercituum. Pactum meum,, fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorẽ,, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

"bat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniqui-
"tas non est inuenta in labijs eius, in pace &
"in æquitate ambulauit mecum, & multos
"auertit ab iniquitate. Labia sacerdotis custo
"diunt scientiam, & legem requirent ex ore
"eius, quia angelus Domini exercituum est.
"Vos autem recessistis de via, & scandaliza-
"stis plurimos in lege. Irritum feciſtis pactum
"Leui, dicit Dominus exercituum.]

Quorsum ista commemoratio Leui tam bona? Nimirum vt sacerdotes, quos culpa omninò degenerasse demostret à fide vel iustitia paterna, nec ad patres pertinere filiorũ vituperationem, nec filijs vtique malis communem esse paternæ iustitiæ laudem. Ac si
Exec. 18. dicat, Quoniam ostia mea clauditis, & altare meum incenditis, decimas à populo suscipientis, hæreditario iure secundum carnem filij Leui, putatis vos mihi esse sicut fuit Leui, sicut fuerunt Moyses, & Aaron, & Phinees, & cæteri temporum illorum homines siue sacerdotes vestri maiores de tribu Leui, quasi non aliunde mihi placuerint, nisi ex eo, quod vos tractatis, ministerio cruenti sacrificij. Non ita est. Scietis & experimento discetis, quia misi ad vos mandatum istud vt esset pactum meum cum Leui. Cuiusmodi pactum? Vtique non pactum ostia claudendi & altare incendendi, mactandi pecora & manducandi carnes, sed pactum vitæ & pacis, & hoc pactum meum cũ eo fuit. Quo
Sacerdotale officium. modo fuit? Dedi ei timorem, & timuit me, à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis erat in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Hæc omnia sacerdotalia sunt, quæ vos non habetis. Ergo sacerdotes non estis. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est: Vestra autem labia non custodiunt scientiam, non est lex in ore vestro quam annunciare, est angelicum officium implere, immò recessistis de via, quę est Dei scientia, & scandalizastis plurimos in lege.
Esaiæ 24. Etenim sicut per alium prophetam dictum est, laqueus iuuenum omnes vos, Ergo sacerdotes non estis. Irritum feciſtis pactum Leui, irritum (inquam) non ipsi Leui, sed vobismetipsis, vt nihil vobis prosit esse secundum carnẽ filios Leui. Scire debemus quando sit factum, quod nunc dicit, pactum meum fuit cum Leui, videlicet quando post egressum de Aegypto venientes ad montem Sinai, Ascenderunt Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, qui erant de tribu Leui, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt
Exod. 24. Deum Israel. Dixitque Dominus ad Moysen. Ascende ad me in montem & esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata, quæ scripsi, vt doceas filios Israel. Hoc fuit pactum vitæ & pacis. Quæ autem post vituli reatum mandauit, non pertinent ad pactum vitæ & pacis. Vnde apud Eze- *Ezech. 20.*
chielem hæc & alia taliter distinguit. Eieci ergo eos de terra Aegypti, & eduxi in desertum, & dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciat homo & viuat in eis. Deinde subsequitur. Et irritauerunt me domus Israel in deserto, scilicet faciendo vitulum & adorando illum. In præceptis meis (inquit) non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo viuet in eis. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent. Diligenter animaduertenda sunt hæc, qualia sint præcepta, quæ dedit ante, & qualia, quæ dedit post reatum vituli, & tunc certius patebit quantum distet illud, vndè collaudatur Leui dicendo. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & illud in quo gloriantes sacerdotes impij, putabant se apud Deum sic esse vt fuit Leui. Sequitur.

[Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut
"non seruastis vias meas, & accepistis faciem
"in lege. Nunquid non pater vnus omnium
"nostrum. Nunquid non vnus Deus creauit
"nos. Quare ergo vnusquisque nostrum de-
"spicit proximum suum, violans pactum pa-
"trum nostrorum?] Propter quod (inquit)
"quoniam irritum feciſtis pactum Leui, & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut supra testatus sum, dicens. Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum. Et notandum, *Accepistis faciem in lege.* quod inter omnia quæ fecerunt, non seruando vias Domini, capitulum istud imputat pro magno crimine, & accepistis faciem in *Ioan. 17.* lege. Hanc etenim iniustitiam & iniquitatẽ illorum, ipse Dominus omnium pro nobis pauper factus, expertus contra semetipsum, dicebat illis. Et in sabbatho circunciditis hominem. Si circunsionem accipit homo in sabbatho, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbatho. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium, iudicate, videlicet vt non plus auctoritatis in minori facto concedatis Moysi, propter quod dux fuit, & iudicem super vos illum Deus constituit, quàm mihi in maiori facto, pro eo, qđ ego non iudico quenquam, imò dico, quis me constituit iudicem aut diuisorem super *Luc. 12.* vos. Hoc enim erat accipere faciem in lege, propter humilitatem faciei eius, facta eius quamuis præclara contemnere, & alterius facta minora, scilicet Moysi, propter claritatem vultus eius, importuna adulatione magnificare & dicere, Nos scimus quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus *Ioan. 9.* vndè sit. In communibus quoque rebus inquũ est faciem accipere. Hinc Iacobus dicit. *Iacob. 2.* Si dixeritis diuiti, tu sede hic benè, pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pe-

lo pedũ meorum, nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarũ? Contra huiusmodi iniquitatẽ rectè inuehitur, dicens. Nunquid non pater vnus omnium nostrũ? Nunquid nó Deus vnus creauit nos? Quare despicit vnusquisq;
Hebr. 11. fratrẽ suum, violans pactum patrũ nostrorum, subauditur, qui ex humilitate Deo cõplacuerunt, qui nõ ex facie, sed ex fide amici Dei facti sunt, qui peregrinando in paupertate spiritus, terrã nobis posidendam acquisierunt? Videte quã sit incõgruum, filios humilium & peregrinorum superbire in acce-
"ptione personarũ. Sequitur. [Transgressus
"est Iudas, & abominatio facta est in Israel &
"in Hierusalem, quia contaminauit Iudas san
"ctificationẽ dñi, quam dilexit, & habuit filiã
"dei alieni. Disperdat dominus virũ, qui fece
"rit hæc, magistrũ & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerente munus domino.]
1. Esdr. 6. 10. Parum est, ad istã declamationem solũ illud respicere, q̃ reuersi de Babylone in eo transgressi sunt, quod quidam sacerdotes & Leuitæ tulerunt de filiabus Chananæorũ cæterarumq; gentium, & de filijs suis, & commiscuerunt se cũ populis terrarum. Parum, inquam, est illud solũ respicere quoniam hæc verba sunt authoritatis propheticæ, verba sunt Spiritus S. ad spiritualia semper & cælestia tendentis. Itaq; sicut decet maiestatem loquentis de spiritualibus, cœptus sermo totus spiritualibus intentus sit. Quomodo habuit Iudas filiam dei alieni? Quæ est illa fi-
Filia dei alieni, lex cæremoniarũ sine fide. lia dei alieni? Profectò lex cæremoniarum sine lege fidei, filia est dei alieni. Vbi Iudas legem fidei contempsit, per quã primus Abraham Deo complacuit, & legem cæremoniarum in cibis & potibus, & iustitijs carnis retinuit, ibi transgressus est, & extunc habet filiam dei alieni, ex quo Christum occidit, quia quicquid extunc obseruare videtur in cęremonijs eiusmodi, nõ est religio veri dei, sed religio dei alieni, abominatio & contaminatio sanctificationis domini, quã dilexit peruersa dilectione, vt mallet Christum occidere, quã sanctificationem loci vel gentis amittere secundum timorem quem finxit,
Ioan. 11. dicens. Si dimittimus eum sic, venient Romani & tollent nostrum & locum & gentẽ. Disperdat (inquit) dñs virũ qui fecerit hoc, & ita factum est. Nam dispersi sunt, tam magister, quàm discipulus, & offerens munus domini. i. tam seniores, quàm populus, tam pharisæus quã pontifex, dispersi sunt, inquã, tam de terrenis quã de cælestibus tabernaculis Iacob. At audiamus adhuc incrementum
"sceleris, exaggerationem criminis, Ait. [Et
"hoc rursum feciſtis. Operiebatis lachrymis
"altare domini, fletu & mugitu, ita vt vltrà
"non aspiciam ad sacrificium, nec accipiam
"placabile quid de manu vestra, & in die ista.
"Quã ob causam? Quia dominus testificatus
"est inter te & vxorem pubertatis tuæ, quam desp existi, & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui.] O quanta ira, quanti zeli domini
"iracundia. Hoc, inquit, rursus feciſtis. Ausi fuistis flere in oculis meis, ausi fuistis mugire in aurib. meis, ausi fuistis operire lachry- *Ira Dei in Iudæos.*
mis altare domini. Quanta est hæc ira, clementissimum dominum dicere, hoc feciſtis, flendo & mugiendo me ad maiorem iracũdiam concitastis, & ita concitastis, ne vltrà aspiciam ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra? Quantum est miraculum? Quales sunt lachrymæ, qualis fle- *Fletus Iutus, qualis mugitus miserorum, qui tam gra* *dæorum sceiter offendit misericordiæ dominum? Sed* *leratus.*
non miremur. Nam istorum fletus scelera- *Gen. 27.*
tus & criminosus est, qa venit de amore præsentis seculi, contemptum habens futuri. Talis erat fletus & eiulatus Esau, quippe qui tã diu fleuit & eiulauit, donec pater Iacob dixerat illi. In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua. Hinc est ira Dei, ira iusta, cuius iustitię causam continuò subtiliter insinuat. Dicentibus enim, quã ob causam lachrymis nostris offensus non aspicies ad sacrificiũ, nec accipies placabile quid de manu nostra, respondet & dicit. Quia dominus testificatus est inter te & vxorem pubertatis tuæ quã despexisti, & hæc est particeps tua & vxor fœderis tui. Et est sensus, Vxorem pubertatis, vxorem quã prius nouisti tu despexisti, quia fidem per quã pater tuus Abrahã Deo complacuit, in qua Deus patres nostros elegit & assumpsit, tu reliquisti. Nõne inter te, & huiusmodi vxorem tuã *Vxor pubertatis, fides Abrahæ.* Deus testificatus est? Non enim per legem promisio Abrahæ & semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Siquidẽ *Rom. 4.* quando credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, & sicut ibidem scri- *Gen. 5.*
ptum est, in die illo pepigit dominus fœdus cum Abraham, dicens. Semini tuo dabo terram hanc, nondum lex data erat, sed necdũ ipse Abraham circunciſus erat, & proinde rectè dixerim, fidẽ fuisse vxorem pubertatis tuæ participemq̃ tuam, & vxorem fœ- *Rom. 10.*
deris tui, inter quã & te testificatus est dominus. i. testamentum fecit. Tu autem illam despexisti, & cũ per fidem in Abraham iustificatus sis, tu per legem contempta fide iustificari contendis, q̃ est iustitiam tuam velle statuere, & iustitiæ Dei nolle subijci. Quomodo ergo audes operire lachrymis altare domini, flere in oculis domini, & mugire in auribus domini, adulter legis, contemptor fidei?

[Nónne vnus fecit, & residuum spiritus
"eius? Et quid vnus quærit, nisi semen Dei?]
Quod est dicere, Nõne vnus idéq; est Deus, qui & cum illa iam dicta vxore pubertatis tuæ testificatus est, & testamentum fecit, & cuius spiritus residuum, id est, nouum testamentum fecit? Et iste & spiritus eius, cùm sit Deus vnus quid quærit, insi semen Dei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est, nisi vt credas in filium Dei? Hoc quærit Deus pater, qui primum testamentum fecit, hoc quærit Spiritus sanctus, qui residuũ, hoc est, qui secundum testamentum fecit, vt credas in filium Dei, isq; cultor & amator „ vnius individuæ trinitatis. [Custodite ergo „ spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ „ tuæ noli spernere. Cum odio habueris, di- „ mitte dicit Dominus Deus Israel. Operiet „ autem iniquitas vestimentum eius, dicit Do „ minus exercituum. Custodite spiritum ve- „ strum, & nolite despicere.] Spiritum vestrũ inquit, id est, fidem patrum vestrorum, quę 2 Cor. 3. Galat 5. tantò lege cæremoniarum siue litera legis, quantò spiritus carne melior est, custodite, si vultis viuere, quia videlicet litera occidit spiritus autem vitificat. Et vxorem huiusmodi vxorem adolescentiæ tuæ, quæ per dilectionem operando parit filios vitæ, noli despicere. Quam tunc despicis, dum iustitiã tuam volens statuere, iustitiam Dei, quæ est iustitia fidei, pro nihilo ducis, & huic subijci non vis, cùm tamen hæc vxor adolescentiæ tuæ sit, quia per hanc adoleuisti placitam in patribus quadringentos & triginta annos antequam fieret lex. Tot enim anni fuerũt ante datam legem, à verbo promissionis qđ Abrahæ creditum est. Noli ergo despicere, Matt. 19. sed custodi, id est, dilige. Cęterum si odio ha- Deute. 24. bueris, dimitte. Nam sicut de vxore carnis propter duritiam tuam concessum est tibi vt dimittas eam si odio habueris, ne fortè occidas si tenere compellaris, ita & de ista vxore spiritus tui dico tibi, dimitte cùm odio habueris, vt si in Christum credere non vis, saltem credentes non persequaris. Tolerabilius quoq; est in Christum nõ credere, quàm ita fidẽ eius suscipere, vt seruituti velis subijcere, eiq; circuncisionem & cęteras legis cæremonias superponere, quod secundum Actor. 15. Actus Apostolorum quidam, quamuis pauci, qui crediderant, non minima seditione facta Apostolis, persecutionem Apostolis conati sunt efficere. Et cõcedendo quidem dixit, Cùm odio habueris, dimitte, sed ne ipsa concessio videretur odientẽ excusare, conuersus ad auditores. Operiet autem, ait, iniquitas vestimentum eius, id est, iniquitas odio habentis vxorem huiusmodi, manifesta fiet omnib. & ab omni seculo denotabitur. Mox ad eosdem conuersus, inculcat & replicat, quod dixerat. Custodite, inquiens, spiritum vestrum, & nolite despicere, potius despicite literam occidentem, sequimini autẽ & custodite spiritum viuificantem. Sequitur.

„ [Laborare fecistis Dominum in sermo „ nibus vestris, & dixistis. In quo enim feci- „ mus eum laborare? In eo, quod dicitis, Om- „ nis qui facit malum, bonus est in conspectu „ Domini, & tales ei placent. Aut certè vbi est „ Deus iudicij?] Multos fuisse in populo Iudæorum, etiam ante hanc vltimam impietatem, qua Christum occiderunt, & Apostolos eius persequentes, verbum eius repulerunt, qui dicerent. Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent, illud indicat de libro Machabæorũ taliter dictum. In diebus illis exierunt ex Israel filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes. Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala. Et abierunt ad regem, & dedit illis potestatẽ vt facerent iustitias gentium. Secundum illos siue ex persona talium in LXXII. Psalm. dicitur. Quia zelaui super iniquos, pacẽ peccatorum videns. Item, Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? &c. Sic loqui, & sic existimare & dicere, vbi est Deus iudicij? eorum est, qui omninò à fide sunt alieni. Nõ est, aiunt, in rebus humanis prouidẽtia. Omnia casu ferũtur incerto, nec Dei iudicio gubernantur, quin potius mali ei placent, & boni displicent. Quantum offendat Deum, sermo vel sensus huiusmodi, vehementer insinuat, cum dicit. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, Cùm hæc & his similia Deus pater, Deus Spiritus sanctus diceret per Prophetas ad sacerdotes, & carnes eorum immolatitias reprobaret. Iamdudũ & interea loquebatur ad opus salutis nostrę præparans se filius vnigenitus, & dicebat il- Psal. 39. lud in Psalmo. Holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi. Ecce venio. Ad hoc dictum valdè congruit hoc responsum CAP. III. patris.

[Ecce ego mitto angelum meum, & „ præparabit viam tuam ante faciem tuam.] Hunc angelum esse Ioannem, testatur ipse Dñs dicens. Quid existis videre, prophetã? Etiam dico vobis, & plus quã Prophetã. Hic est enim de quo scriptum est. Ecce mitto an- Matth. 11. gelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante faciem tuam. Itaque reprobato veteri sacerdotio, dum sacerdotium melius introducitur, homo genere sacerdos præmittitur præparare viam sacerdotio vero, sacerdoti magno, de quo & protinus dicit. [Et statim veniet ad templum „ suum dominator, quem vos quæritis, & an- „ gelus testamenti quem vos vultis.] Et notã- „ dum quod dicit, statim, non enim longa mora interfuit, sed statim, scilicet mense sexto, id est, sexto mense à conceptione Ioannis iste conceptus, sexto mense à natiuitate Ioannis iste natus est. Vterque ange- Supra. 7. lus, quia vterque sacerdos, vterque custodiens scientiam, iuxta quod supra dictum est. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. V- Christus do terque (inquam) angelus, sed non pari mo- minator. do. Ille enim tantum homo sacerdos, iste autem & Dominator & sacerdos, id est, Dominus & D E V S, & homo sacerdos.

Vndè

Vnde & litera modum vtriusque rectè discernit, dum de illo dicit hoc tantum. Ecce ego mitto angelum meum, de isto autem, & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis. Ad quos autem loquitur, dicens: quem vos quæritis, nisi ad veros filios Leui, quorum dulciter postmodũ mentionem facit, ad eos qui expectabant redemptionem, & consolationem Israel, qualis illo tempore Simeon iustus extitit. Quid porrò est, veniet ad templum sanctum suum, nisi veniet ad sacerdotium suum? Hic enim primogenitus est. Primogenitorum autem erat sacerdotium, & ante Moysen, & ante Abraham. Vnde & Melchisedech, qui sacerdos altissimi extitit, affirmatur, q̃ ipse fuerit Sem, qui fuit primogenitus Noe. Iuxta hũc morem sacerdos esse debebat Esau, cũ esset primogenitus, sed hæc primogenita supplãtauit ei minor frater eius, & vestes illæ, de quibus scriptum est, Et vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi Rebecca, induit eum, vestes sacerdotales fuisse creditur. At vbi lex venit, primogeniti à sacerdotio vacare sunt iussi, & precio redimi, quia sacerdotij functione nihil poterãt mũdo cõferre. Subintrauit autẽ in sacerdotium & in omne ministerium cultus diuini tribus Leui, quæ aliquid contulerat, quia videlicet Moyses & Aaron de tribu Leui existentes, populum ab Aegyptiaca seruitute solutum eduxerant ad immolandum domino, q̃ & per eorum constitutionem facere cœperunt in deserto. Parum quidem contulerãt populum illum educendo, & parum conferebant, carnes aut sanguinem hircorum animalium sacrificando, sed non illo tempore sacrificium aliud fuerat, quod sufficere posset pro peccato. Vbi venit sacrificium valens, rursus remoueri debuit, sacrificium carnis & sanguinis, cũ sacerdotibus non quærẽtibus sacrificium fidei, & primogenitus vnus honorem primogeniti, scilicet sacerdotiũ suscipere debuit, vnus idemq; & primogenitus omnium, & sacerdos, & sacrificium. Quod sciens diuinus Euangelista cũ dixisset de illa, quam virginem concepisse narrauerat. Factum est autem, cũ essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, statim subiunxit. Et peperit filium suum primogenitum. Ligitur primogenitum ante omnem creaturam, primogenitum in multis fratribus, & ideo sacerdotem dignum venientem ad templum suum, ad sacerdotium suum. [Ecce ve „ nit, dicit dominus exercituum. Et quis pote „ rit cogitare diem aduentus eius?] Verè nullus, nisi cui vel per angelum, vel per semetipsum reuelauerit Spiritus S. sicut per angelum Ioseph filio Dauid, sicut per semetipsũ iusto Simeoni reuelauit. Veniet em̃ occultus, veniet sicut mitis & humilis corde. Nulla scilicet pompa præcedente, vel subsequente, nulla clamoris vel contentionis tu- „ ba personante. [Et quis stabit ad videndum „ eum? Ipse enim quasi ignis conflans, aut „ quasi herba fullonum. Et sedebit conflans „ & emundans argentũ, & purgabit filios Le- „ ui. Et colabit eos quasi aurum & quasi argẽ- „ tum, & erunt Domino offerentes sacrificia „ in iustitia. Et placabit domino sacrificium „ Iuda & Hierusalem, sicut dies seculi, & sic- „ ut anni antiqui.] Quis, inquit, stabit ad vidẽ- „ dum eum? Verè non sacerdotium, non ciuitas, non templum eorum, qui oculos non Matth. 5. habebunt ad videndum eum, qui nequam habebunt oculum & totum corpus tenebrosum. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, id est, ignem mit- Luc. 2. tens in terram, scilicet Spiritum sanctum, qui consumet incredulos, velut ignis conflatorium, credentes autem velut herba fullonum emundabit gratia remissionis peccatorum, & velut ignis conflans zelo bono, feruentes amore cælestium bonorum faciet ardentes, vt deinde dicit, & sedebit conflans & emundans argentum. Hoc repetit dicendo, & purgabit filios Leui. Sicut enim argentũ in manu aurificis vel argentarij, sic filij Leui, id est, omnes ministri domini in manu huius dominatoris domini. Quomodo, vel in quo purgabit eos? colabit eos, inquit, qua si aurum & quasi argentum. Quod colatur, Sacerdotiũ nimirum idcirco colatur, vt à bono liquore vetus liquor omnis feculentia separetur. Et quid erat sa- feculum. cerdotium prius, nisi liquor feculentus? De optimis sacerdotibus loquamur. Optimi sacerdotes, Aaron, & Phinees, & multi alij, nonnisi musque Zacharias pater Ioannis extiterunt, eorumque ministerium sic fuit quasi aurum, quasi argentum, sed aurum non defecatum, argentum feculentum. Ibi nanque erat fidei aurum, scientiæ vel boni sermonis argentum, sed erant admixtæ feces Ezech. 20. cæremoniarum carnalium. Colabit igitur aurum, colabit argentum suum, id est, reiectis cæremonijs carnis, & præceptis non bonis, de quibus superius dictum est, in quibus vita non fuit, reseruabit sacerdotio suo solummodo fidei aurum, & præceptorum bonorum argentum. Non solùm autem eiusmodi cæremoniarum, sed & omnium peccatorum feces excolabit de cordibus sa- Quid & cerdotum suorum, & offerentes erant do- qualiter of mino sacrificia in iustitia, non in sua, sed in ferunt sa- Dei iustitia, in corpore & sanguine Iesu terdotes Christi, qui est ipsorum iustitia. Et place- Christi. bit domino sacrificium Iuda & Hierusalẽ, Rom. 4. sicut dies seculi, & sicut anni antiqui, id est, non per legem factorum, sed per legem fidei iustificabuntur & glorificabuntur sacerdotes noui testamenti, qui Iuda & Hierusalem merebuntur vocari. Per quam videlicet legẽ fidei, priusquã subintraret carnalium cæremoniarum lex, placuerunt dies seculi, & anni antiqui, id est, homines sancti, &

Rom. 8. Coloss. 1. Matth. 1. Luc. 2.
Luc. 2. Venite ad tẽplũ, id est ad sacerdotiũ primogenitorum. Gen. 27. Exod. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lucidi patres & patriarchæ splendidi, non solùm à Moyse vsque ad Abraham, sed ab Abraham vsq; ad Noe, vsq; ad Abel, quorũ videlicet dierum, siue annorum, id est, sanctorũ siue sanctissimorũ numerus quantus sit vel fuerit, Deus scit. Hoc autem scire debemus, quia sicut illi placuerunt, ita & nos placere debemus per legem fidei. Econtra quid vobis erit ô sacerdotes carnis, hostes
" spiritus, inimici fidei? Nimirum id quod se-
" quitur. [Et accedam ad vos in iudicio, & e-
" ro testis velox maleficis, & adulteris, & per
" iuris & qui calumniantur mercedem merce
" narij, viduas & pupillos opprimunt, nec ti-
Psal. 142. muerunt me dicit dominus.] O quã durè so
nant, accedam ad vos in iudicio. Non intres
in iudicium cum seruo tuo domine, ait ille
qui orat in spiritu & veritate. Alius quoque
Iob 9. laudem ex Deo, & testimonium habens iu-
stitiæ, scilicet B. Iob. Etiam si habuero (in-
quit) quippiam iustũ non respondebo, sed
meum iudicium deprecabor. Item: Si volue
Ibidem. rit homo contendere cum eo, non poterit
ei respondere vnum pro mille. Si hoc dicũt
& veraciter dicunt homines sancti, dies se-
culi, & anni antiqui, quid facient malefici,
& adulteri, & periuri, & qui calumniantur
mercedem mercenarij, viduas & pupillos
opprimunt, nec timuerunt me dicit domi-
nus, quibus vel contra quos talium criminũ
Testis velox Deus. Gen. 18. non solùm iudex, verumetiam testis ero ve
lox? Et verè testis, qa vidi & audiui, quia sic-
Esa. 7. ut quondam dixi. Descendam & videbo, v-
trum clamorem Sodomorũ & Gomorrhæ,
qui venit ad me, opere compleuerint, aut nõ
est ita vt sciam. Ita & nunc, immò & magis
nunc descendi, butyrum & mel comedi, vt
scirem reprobare malum & eligere bonum,
& talia comedendo, id est, cum hominibus
conuersando. iam didici, iam in memetipso
expertus sum, verumetiam esse clamorem
quem audiui, de sanguine iustorum & pro-
phetarum, quos occidistis, & hinc ero testis
velox, quia vidi & audiui, quia portionem
meam ego quoq; de manibus vestris acce-
" pi. [Ego enim dominus & non mutor, &
" vos filij Iacob non estis consumpti.] Et hoc
est verum & iustum iudicium, quia ego do-
Actor. 7. minus de bono in malum non possum mu-
tari, & econtra, vos de malo in bonum non
estis mutati. Sicut quæro nunc, ita & semper
quæsiui iustitiam fidei, & econtra vos, sicut
recessistis nunc, ita & semper Spiritui S. du
ra ceruice & incircuncisis auribus resistitis.
Inde dico, quia non estis consumpti, id est,
" non estis mutati [A diebus enim patrũ ve-
" strorum recessistis à legitimis meis, & non
" custodistis.] Hoc idem Stephanus protho-
martyr manifestius ac pro tempore, & re a-
cerbius dicit. Dura ceruice & incircuncisis
cordib. & auribus, vos Spiritui S. resistitis,
sicut patres vestri & vos. Quẽ prophetarum
nõ sunt persecuti patres vestri? Et occiderũt
eos qui prænunciabãt de aduentu iusti, cuius
vos nunc proditores & homicidæ fuistis, q
accepistis legem in dispositionem angelorũ,
& non custodistis. Sequitur. [Reuertimini
ad me, & reuertar ad vos, dicit dñs.] Quale
est hoc dicere iustis, dicere his qui in se con-
fidunt, tanquam iusti. Nimirum iniuria vi-
detur eis, q̃ dicitur, reuertimini, quippe cùm
propter carnẽ Abrahæ videntur sibi dei esse
peculiares & proprij, suosq; infantulos de
carne luxuriosa scaturientes vermiculos o-
stentãtes, ridere sibi & nobis dicere solent.
Isti sunt infantes filij Dei. Sequitur ergo. [In
quo reuertamur?] Subauditur, etenim sub-
audiri volunt, nusquã diuertimus, Deo pro
ximi sumus, Filij Abrahæ sumus, vnum pa-
trem habemus Deũ. Quomodo vel in quo
Ioan. 8. magis appropinquare Deo possumus? Econ
tra Dñs. [Si affliget homo Deum, quia vos
configitis me?] Quod est dicere. Imò nimis
auersi atq; peruersi, sine exemplo vos auersi
& contra me versi estis. Nullus enim vnquã
homo præter Iudæum, nulla vnquam gens
præter gentẽ Iudæam, Dominũ suũ affixit,
Deũ suum ligno suspendit. Vos me affi-
xistis, vos me in ligno affixistis. [Et dixistis.
In quo cõfiximus te? in decimis, & in primi-
tiuis, & in penuria vos maledicti estis, & me,
& vos cõfigitis gẽs tota.] Et est sensus. Quia
vos redargui decimãtes mentã, & rutam, &
anetũ, & ciminũ, & relinquẽtes quæ grauio-
Matth. 23. ra sunt legis, iudiciũ & charitatẽ Dei, idcirco
vos me Deũ vestrũ confixistis, ꝓpter penu-
riam, quã timuistis, vel timere vos simula-
stis, dicentes. Ne fortè veniãt Romani, & tol
lant nostrũ locum & gentẽ. Proinde vos ma
ledicti estis, ita vt ferè nemo sit qui nesciat
Ioan. 11. vos esse, Cain, ad quẽ dictũ est. Vox sangui-
Iudæi sunt vt Cain. nis fratris tui clamat ad me de terra. Nũc igi-
tur maledict⁹ eris super terrã, quę aperuit os
suũ, & suscepit sanguinẽ fratris tui de manu
tua. Cũ operatus fueris terrã, non dabit fru-
ctus suos. Vagus & profugus eris super ter-
ram. Mirum q̃ ita vagi & profugi super ter-
ram, ô maledicti adhuc me cõfigitis gens to-
ta, gens quasi diabolo coniurata, & vno blas-
phemiæ spiritu imbuta. Cũ enim contra me
quem confixerunt patres vestri, vos filij ne-
quã simile & non minus odium spiratis, &
blasphematis vbi audetis, ꝓfectò me confi-
gitis, nec minus quàm patres vestri, qui me
præsentẽ & visibilem confixerunt, crimen
habetis ô desperati, & præ desperatione insa
ni, vt iã dictus ille Cain qui dixit, Maior est
iniquitas mea, quã vt veniã merear. Ego ve-
rò econtra dico, & veniæ ianuam, misericor
diæ ostium aperio vobis, dicendo. [Inferte
omnẽ decimam in horreum, & sit cibus in
domo mea, & probate me super hoc, dicit
dñs. Si non aperuero vobis cataractas cæ-
li, & effudero vobis benedictionẽ vsq; ad ab
undantiã. Et increpabo pro vobis deuoran
tem, & nõ corrumpet fructum terræ vestræ
nec erit

" nec erit sterilis vinea in agro, dicit dominus
" exercituum, & beatos vos dicent omnes gẽ-
" tes. Eritis enim vos terra desiderabilis, dicit
" Dominus exercituum.] Dixi hoc, & dico.
Matt. 23. Ne faciatis sicut hactenus feci stis, deciman-
do mentam, & anetum, & ciminum, & relin
quendo, quæ grauiora sunt legis, iudicium,
misericordiã, & fidẽ. Hęc oportuit facere, &
illa nõ omittere. Omnem igitur decimam,
omnẽ (inquam) inferte in horreum, & sit ci
bus in domo mea, non solus cibus corpora-
lis, ex rebus corporalibus, quæ debentur vo
bis, verumetiam quod melius & quod prius
est, cibus spiritualis ex rebus spiritualibus,
quas Deo debetis iudicio, misericordia, & fi
de, & cęteris huiusmodi, & tunc probate me
super hoc, imò & sicut per aliũ Prophetã di
Esaia. 1. xi. Venite & arguite me, dicit Dominus. Si
Matt. 6. non aperuero vobis cataractas cęli, si nõ fe-
cero cætera, quæ dixi, nisi veraciter dixerim
alibi. Primũ quærite regnum Dei, & Iustitiã
eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Vos
autem regnum Dei non quęritis, & insuper
pro temporalibus bonis impiè murmura-
" tis. Sequitur. [Inualuerunt super me verba
" vestra dicit Dominus, & dixistis. Quid locu
" ti sumus contra te? Et dixistis. Vanus est, qui
" seruit Deo, & quod emolumentum, quia cu
" stodiuimus præcepta eius, & quia ambulaui
" mus tristes coram Deo? Ergo nunc beatos
" dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt
" facientes impietatem, & tentauerunt Domi
" num, & salui facti sunt.] Notum & manife-
Iudæi gentibus inuident salutem. stum est, Iudæos salutem gentium semper
odisse, & propter salutem gentiũ, propterea
nobis, quia pœnitentiam nobis Deus ad vi-
tam donauit, indignatos esse illos, & nolle
Luc. 15. suscipere gratiam Dei. Hoc vel ex illa para-
bola satis comprobatur cuiusdam hominis
habentis duos filios, ex quibus adolescentio
rem peregrè profectum cum sua portione
substantiæ, & reuersum postquam dissipa-
uit eam viuendo luxuriosè, cum susc episset
pater, & magnum pro reuersione eius con-
uiuium celebraret, indignatus senior frater
nolebat introire, rogantiq; patri hæc respon
dit, Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam
mandatum tuum præteriui, & nunquam de
disti mihi hœdum, vt cum amicis meis epu-
larer. Sed postquã filius tuus hic, qui deuora
uit substantiam suam cum meretricibus, ve
nit, occidisti illi vitulum saginatum. Nonne
verba hæc similia sunt his, vanus est, qui ser
uit Deo. & quod emolumẽtum, quia custo
diuimus præcepta eius, & quia ambulaui-
mus tristes coram Deo, ergo nunc beatos di
cimus, arrogantes, siquidem ædificati sunt
facientes impietatem, & tentauerunt Domi
num, & salui facti sunt? Hoc enim est dice-
Ioan. 8. re. Ecce nos filij Abrahæ, nos vnum patrem
habentes Deum, tot annis seruiuimus Deo
patri nostro, & nunquam mandatũ eius præ
teriuimus, & nullum emolumentũ inde no
bis est. gentes autem, quæ non seruierunt ei,
ecce beatæ sunt, & cum impietatem fecerint
ecce ædificatę sunt. & quocunq; pergimus,
quocunque nos vertimus, audimus sym-
phoniam & chorum, videmus celebrari cũ
illis magnum Dei conuiuium, stolam pri-
mam, annulum & calceamenta, cuncta sacer
dotalia, cuncta regalia populo alieno data
sunt. Verba hæc vestra, verba inuidiæ ve-
stræ inualuerunt (inquit) super me, quæ lo-
cuti estis contra me, & ita inualuerunt super
me, vt non possim vobiscum quicquam fa-
cere, nisi quod ex vobis paucissimos conuer
ti (sicut Euangelista Marcus) vtiq; diuinitus
Marc. 6. quodam loco dixit de me. Et non poterat i-
bi virtutem vllam facere, nisi paucos infir-
mos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem illorum. [Tunc
" locuti sunt, timentes Deum vnusquisq; cum
" proximo suo, & attendit Dominus, & audi-
" uit & scriptus est liber monumenti corã eo
" timentibus Deum, & cogitantibus nomen
" eius.] Quid locuti sunt timentes Deum? Ni-
" mirum glorificauerunt Deum, dicentes.
Actor. 11. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit ad vi-
Luc. 15. tam: & laudauerunt clementiam, & senten-
tiam patris irreprehensibilem, dicentis, Mã-
ducemus & epulemur, quia hic filius meus
mortuus erat & reuixit, perierat & inuen-
tus est. Quinetiam te seniorem fratrem pro
reuersione & susceptione iunioris indignan
tem & murmurantem & dicentem, Quod
nunquam mandatum meum * præteriens,
fortiter conueniunt huiusc emodi verbis.
Forte Propter quod inexcusabilis es ô homo, om
Præterieræ nis qui iudicas. In quo enim iudicas alium,
teipsum condemnas. Eadẽ n. agis, quæ iudi-
cas. Et hoc certè verissimum est. Quæ et-
enim peccata vel vitia de gentibus vnquam
audita sunt, vt non etiam de Iudæis siue de
populo Israel audita vel nota sint ex sancta-
rum auctoritate scripturarum. Benè ergo
& veraciter locuti sunt, timentes Deum, v-
nusquisque cum proximo suo, quod om-
nes peccauerũt, & egent gratia Dei, & quod
non sit Deus Iudæorum tantùm, immò &
Gentium. Et Dominus attendit, & audiuit,
quomodo & quid locuti sunt, & scriptus est
Rom. 3. liber monumenti coram eo timentibus De-
um, & cogitantibus nomen eius, vt videli-
cet cuncta in iudicio recitentur, & ex verbis
suis iustificentur: sicut econtra, qui malè lo
cuti sunt, ex verbis suis condemnabuntur.
Hinc & illud apud Esaiam. Ego autem o-
Esaia 66. pera eorum, & cogitationes eorum venio
vt congregem cum omnibus gentibus &
linguis. In illo libro monumenti, in illa con
gregatione cogitationũ nequaquã deerit il-
Luc. 15. la confessio pœnitentis populi gentilis, quæ
patris pietatem concussit. Pater, peccaui in
cælum & coram te, & iam non sum dignus
vocari filius tuus.
[Et erunt mihi, ait Dominus, in die qua ego
facio

facio in peculium,& parcam eis,& sicut parcit vir filio suo seruienti sibi,& conuertimini,& videbitis quid sit inter iustum,& impium,inter seruientem Deo,& non seruientem.]Tunc illi (inquit) quibus inuidetis,cõtra quos liuore torquemini, quos aspernamini confidentes in vobismetipsis tanquam iusti,erunt mihi in peculium in die qua ego facio,idem vt faciam præfinitum habeo,& parcam eis,quamuis quondã peccatoribus, parcam (inquã) eis pœnitentibus & seruientibus mihi seruitio piæ cõfessionis, sicut parcit vir filio suo seruiẽti sibi quibuslibet modis,& cõuertimini,& videbitis illud,q; modo non videtis,neq; videre vultis, toti auersi,& dorsum habentes contra faciẽ veritatis,videbitis (inquam) quid sit inter iustũ & impiũ,inter seruientẽ Deo & non seruientẽ, & ita certo scietis experimento,q; non sit vanus,qui seruit Deo. [Ecce enim dies veniet CA. IIII. ''succẽsa quasi caminus,& erũt oẽs superbi,& ''oẽs facientes impietatẽ stipula,& inflãmabit ''eos dies veniẽs,dicit dñs, quæ nõ relinquet ''eis radicẽ & germen. Et orietur vobis timẽtibus nomen meum sol iustitiæ,& sanitas in ''pennis eius. Egrediemini,& salietis sicut vituli de armento,& calcabitis impios,cũ fuerint cinis sub plãta pedũ vestrorũ,in die qua ''ego facio,dicit dñs exercituũ.] Hoc erit inter iustũ & impiũ,inter seruientẽ Deo & nõ seruientẽ,quod est inter stipulã,quã profectò caminus citò consumit, inter homines quos serenus sol ortu suo lætificauit. Vnus enim idemq; dies domini, vnus idẽq; sol iustitiæ,cũ in iudicio cunctis manifestus apparuit,superbis & omnib. facientib. impietatẽ ita erit terribilis, vt non possint stare ante faciem eius, sicut stare stipula non potest in flãma caminj ardentis, vel sicut fluit cera à facie ignis, & inflammabit eos in perditionẽ, sicut inflãmatæ stipulæ non relinquitur radix aut germen. timentibus aũt nomen meũ lic erit, vt sol inito vere, sol nõ qualiscunq; sed sol iustitiæ,& sanitas in pennis eius. His verbis gemina timentiũ Deum felicitas pulchre exprimitur. Nã in eo quod dicit, sol iustitiæ, iustificationẽ significat animarũ, quã timentes dominũ,felices erunt in die illa,atque dicẽdo. Et sanitas in pennis eius, immortalitatẽ atq; incorruptibilitatẽ designat corporum,qua felices erant. i. timentes dominũ in eadem & ex eadẽ die. Itẽ hoc intererit inter iustũ & impium,inter seruientẽ Deo & non seruientẽ,quod est inter vitulũ & à vinculo solutum,& cinerẽ quem vitulus calcãs dum exilit subsilit,dispergit in oẽm ventũ. Ait enim. Egrediemini,& salietis sicut vituli de armento,& calcabitis impios in die qua ego facio, dicit dns Deus exercituũ. His verbis pulchrè & æterna significatur iuuentus sanctorũ renouanda ex resurrectione mortuorum, & vetustas irrecuperabilis impiorum,qui propter superbiã ois peccati,incendio cõflagrati cinis facti sunt. Sequitur. [Memento legis Mosi serui mei,quam mandaui in Oreb ad oẽm Israel præcepta & iudicia.] Quid hoc est dicere, in tali negotio, nisi ac si dicat. Dominator iã dictus,& angelus testamenti est,qui accuset vos Moses,in quo vos sperastis: si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi,de me enim ille scripsit,si enim illius literis nõ creditis,quomodo verbis meis credetis? Igitur memẽtote (inquit) legis Mosi serui mei, quã mandaui in Oreb ad oẽm Israel pręcepta & iudicia, videlicet, vbi dicentib. ad Moysen. Loquere tu nobis & audiemus,nõ loquatur nobis dñs, ne fortè moriamur. Prophetã aũt susciabo eis de medio fratrũ suorum similẽ tui,& ponã verba mea in ore eius,loqueturq; ad eos omnia quæ pręcepero illi. Qui aũt verba eius, q̃ loquetur in nomine meo,audire noluerit,ego vltor existã. Tunc aũt dabantur p̃cepta decalogi bona,& iudicia in quibus est vita,quę ad carnales nõ pertinent cęremonias. Memẽto (inquit) quia si memineris (inquit) illius legis temporis,& loci, memores eritis etiam mei,quia tunc & ibi de me ille scripsit. [Ecce ego mittã vobis Heliã prophetã, antequã veniat dies dñi magnus & horribilis,& conuertet cor patrũ ad filios,& cor filiorũ ad patres illorũ,ne fortè veniã & percutiã terram anathemate.]De aduentu Helię quicquam definiri nõ ausim,quia videlicet doctorũ alij,quibus oẽs ferè cõsentimus, credunt eum ad literã venturũ & restituturũ oia, ac mortis debitũ persoluturũ. alij verò nequaquã, quibus vir illustris B. Hieron. ſconsentire videtur,dicens. Quanquã multi sint etiam nostrorũ, qui credunt eũ ad literã venturũ, & restituturum oia,ac mortis debitũ persoluturum. Cęterũ dñs interrogatus ab Apostolis de aduentu Helię, respondit. Helias iã venit,& nõ cognouerunt eũ, sed fecerunt in eũ quęcunq; voluerunt, Ioannẽ in Helia volẽs intelligi. Vndè subsecutus adiunxit. Si vultis recipere, Ioannes ipse est Helias, qui vẽturus est. Veruntamen siue ipsam Helię personã, siue (vt alij volunt) prophetiã promitti magis verũ sit in his verbis. Ecce ego mittã vobis Heliã prophetã, illud constat, quia reliquię cõuertentur ex Israel, dicente supradicto patre. Epulari aũt & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est, acquiescet ei filius senior, qui nunc indignatus est, & intrare nõ vult, atq; ita conuertetur cor patrũ ad filios, & cor filiorũ ad patres eorũ, vt credãt filij hunc Iesum Christum, qui sub Pontio Pilato passus est, illum esse quẽ patres ventura expectauerunt, antequã veniat dies domini magn⁹, & horribilis dies iudicij in qua anathemate percutiet terram, id est, eos qui faciunt opera terrena, veniens manifestus, qui quondam venit occultus.

Ioan.5.

Ex aduentu Helia duplex opinio.

Psal. 67.

Exod. 20. Deut. 18.

Matt. 17.

Rom. 11.

Luca 15.

FINIS.



Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI

ABBATIS MONASTERII TVITIENSIS, ORDINIS SANCTI BENEDICTI, THEOLOGI ANTIQVI AC PLANE CLARISSIMI, in Cantica Canticorum, de incarnatione Domini, Gommentariorum libri VII. à multis sæculis in hunc vsque diem maximè desiderati, multoq; labore ac sumptu nunc iterum atque iterum excusi.



COLONIAE AGRIPPINAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Anno M. D. LXXXI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

OMNIVM CVM INSIGNIORVM SENTENTIARVM, TVM ALIARVM MEMORIA DIGNIORVM RERVM, QVAS PASSIM HI COMMENTARII IN CANTICA CANTICORVM complectuntur, index breuis idemq; non inutilis, cuius numerus paginas, a litera, primam cuiusque paginæ columnam, b verò litera, secundam demonstrabit.

Adam vtramq; mortẽ incurrit, sed Christus vtramq; vitam restaurauit 38.a
Adam per Euam vitã perdidit, & mortem inuenit 12.b
Adam non fuit formatus in paradiso 37.a
Adolescentulæ animæ imperfectæ. 2.b
Adorandum in spiritu & veritate In Prol.
Amicorum congratulatio in Canticis 31.a
Ancilla discalceata quæ sit 60.b
Anna mater Samuelis prophetæ 30.a
Angeli tres Abrahæ designant vnum Deum 19.a
Anima beata virginis quomodo liquefacta 1.a
Animæ fideles sunt filiæ Hierusalem 25.b
Anima Christi liquefacta 44.a
Animæ perfectiores, reginæ sunt, animæ vero imperfectiores, concubinæ 57.b
Anima Pauli vt Sunamitis reuersa 60.a
Apostolorum gemitus & fletus coram Maria 45.b
Apostoli quare tempore Christi nõ ieiunauerũt. ibid.
Apostolorum ebrietas qualis fuerit 40.a
Apostolorum magistra beata virgo 6.b
Apostolici viri indeficientes erunt 11.b
Apostolici sunt custodes murorum 45.a
Aquæ scripturarum amaræ secundum literam 55.b
Aquæ de Libano, sunt sacræ literæ 34.b
Aquarum viuentium puteus est virgo Maria 35.a
Aquilo in Canticis diabolus est 36.a
Arbor malus, est lignum crucis 68.a
Ascensus purpureus est Christus 24.b
Ascendere per desertum, est habere animum solitarium 22.a
Aspiratio diei resurrectio est Christi 19.b
Ascendere in palmam & in crucem, idem 64.b
Aurum & argentum in scripturis quid sit 24.b
Aurum in sensu, argentum in sermone 8.b
Aurum pulchrius ebore 51.a
Auster est spiritus sanctus. 36.b

B

Bases aureæ in Canticis Canticorum, est consilium diuinum. 52.a

C

Capreæ & cerui in canticis qui sint 14.b
Caput Christi plenum est rore 42.b
Caput aureum in Canticis, ipsa diuinitas 49.a
Caput pro corde aliquando ponitur 63.b
Capilli virginis, cogitationis munditiam significant 26.a.27.b
Cancelli in Canticis, sunt patriarchæ 16.a
Canticum Canticorum esse de incarnatione domini in Prol.
Cantica tertiæ Salomonis liber ibidem
Cantica diuina septem veteris testamenti ibidem
Cantica sunt amoris, quo Deus in beatam virginem descendit ibidem
Cur Cantica Canticorum, & non Canticum dicatur ibidem
Catalogus sexaginta fortium Israel 23.a
Cantica septem in laudem virginis 26.a
Canticum perfectum in octauis 55.b
Caro Christi reliquis longè mundior 51.b
Charitas ordinata in Canticis quid sit 13.a
Charitas finis præcepti 25.a
Charitas alterius bonum suum facit ibidem
Chorus & acies castrorum 55.b
Christus vt lilium, quia speciosus præ filijs hominum 11.b
Christus se pulchrum esse negare non potest ibidem
Christus in Iudæa, lilium inter spinas 12.a
Christi aduentus cur tam diu protractus 51.a
Christus non tardus, sed velocissimus ibidem
Christus petra est & maceria 17.b
Christus vinea nostra est 18.a
lege ibidem pulcherrima
Christus pro reliquis Israel orauit 19.b
Christus est ascensus purpureus 24.b
Christus candoris lilium per arietem præfiguratur. 12.a
Christus fecit quatuor præcipua 37.a
Christus vtramq; vitam reparauit contra vtramq; Adæ mortem eodem b
Christus aliter quàm serpens ad comedendum inuitauit 38.b
Christus veritas est opposita mẽdacijs serpentis ibid.
Christus est candidus sanctitate & rubicundus passione 48.a
Christus rubicundus propter peccata nostra. ibid.b
Christus omnia scripturarum autoritate & dixit & fecit 50.a
Christus mira operatus est & cũctis velocior. ibid.b
Christus longe excellentior & melior Moyse 53.b
Christus ex matre tantum est frater noster 66.b
Christus quare dicatur Aminadab 59.b
Circuncisio cordis & cernicis 63.b
Circuire per ciuitates & castella, est prædicare euangelium regni Dei 21.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Collactandum est spiritu & veritate in Prol.
Collum beatæ virginis sicut monilia 8.b
Collum virginis, eius humilitatē designat 26.a.28.b
Columbarum proprietates sunt septem 26.b
Comæ dilecti in Canticis, sacræ sunt scripturæ 49.a
Computatio tridui Christi in sepulchro 20.a
Commorari in villis quid sit 64.b
Conditores scripturarum potentes fuerunt 34.b
Congratulatio amicorum in Canticis 31.a
Contemplatio virginis cunctis excellentior. 42.a & 43.a
Coronatio in Canticis designat ecclesiam prophetarum 25.b
Cor Christi scripturæ sunt veritatis 68.b
Credere est fulcire virginem floribus 13.b
Cuno autor sacrarum literarum in Prol.
Custodes murorum sunt apostoli 45.a
Cypressus lignum Cedro proximum 11.b

D

Dauid minimus superbum Goliad strauit 53.a
Decantationes quatuor amoris in Prol.
Dentes virginis innocentiam eius designant 27.b
Etiam sunt sicut grex tonsarum ibidem
Deosculari dilectum, quid sit 67.a
Deus solus vidit quod in virgine latuit intrinsecus. 26.b
Deus pater osculatus Mariam 1.a
Deus beatæ virginis prolocutor fuit 3.a
Dei cellaria quæ sint ibidem b
Deliciarum virginis decor quis sit 64.a
Desiderium filij dei, acceleratio salutis humanæ 16.a
Desiderium sanctorum & angelorum videndi Christum 20.b
Desiderium Mariæ quàm vehemens fuerit ibidem
Dextera eius amplexabitur me, quomodo intelligendum 13.b
Diabolus vitio superbus, Maria virtute humilis 2.a
Dilectio melior omni substantia domus 69.a
Dilectio est vinculum perfectionis 27.b
Dilectus dilectam præuenit honore, vt filius matrem 11.a
Diligens veraciter trahitur, & trahi cupit 3.a
Diligentes deum, dij & filij dei sunt ibidem
Dilectus ex dilecto virginis quis sit 47.b
Dilectus ascēdit in hortū, quomodo intelligitur 54.a
Disceptatio de quatuor fluuijs paradisi 35.b
Discipuli domini sunt vigiles ciuitatis 21.a
Discordia dat hosti locum 56.a
Doctrina dilecti sancta & munda est 50.b
Docere sequitur facere 44.b
Domus cedrinæ, templa sunt 11.b
Dormire in Canticis, est secretum non reuelare. 14.a

E

Ebrietas apostolorum qualis fuerit 40.a
Ecclesia pro fide defendenda, nemini cedit 69.a
Ecclesia est mulier extollens vocem de turba 34.b
Ecclesia punit spirituali gladio 69.a
Egredi in agrum quid sit. 64.b
Egressus dilecti & dilectæ felix 66.a
Elatæ palmarum in Canticis, quid designent 49.a
Electus ex millibus, in Canticis quis sit 48.b
Eleemosynæ dicuntur vnguenta 31.b
Eleemosynæ virginis in Christum maximè pretiosæ ibidem
Eleemosynarum mira commendatio 34.a
Emissiones omnium bonorum, sunt virginis paradisus 33.b
Equitatus domini, virga Aaron 8.a
Eua non Dei similitudinem, sed pulchrum pomum vidit 12.b
Eua Mariæ dissimilis 27.b
Exemplum quærendi dominum in Maria 20.b
Exultabimus & lætabimur in te, quid sit 3.b
Expositio egressionis filiarum Sion 25.b

F

Facies quatuor, quatuor animalium 35.a
Fasciculus myrrhæ, commoratio dulcis, sed plenæ gemitibus 10.a
Fauus cum melle in resurrectionis gloria 38.a
Fenestræ in Canticis sunt prophetæ 15.b
Festum annuntiationis verno tempore 16.b
Fletus & gemitus apostolorum coram Maria 45.b
Fletus dulcis & lachrymæ dulces 44.b
Flos campi est decus humani generis 11.b
Flores ecclesiæ dei duplices 17.a
Fons signatus est aduentus spiritus sancti in virginem 33.b
Ferculum Salomonis sunt scripturæ 24.a
Ficus synagogam iactabundam designat 17.b
Fides iustificat, non lex 59.b
Fides plantat vineam, non opera legis 70.b
Fideles non petunt gloriam miraculorum 72.a
Filius hominis est foris stans & pulsans 42.a
Filius est nomen, per quod valde nominatus est pater 2.a
Filiæ dictio per se posita, malum significat 12.a
Filiæ Hierusalem sunt animæ fideles 25.a. 45.b
Filij ante Christum omnes proiecti fuerunt 48.b
Filia principis quæ sit 60.b
Fœminæ vnanimes communiter viuebant 42.b
Fœmina desideriorum quomodo currebat in odore vnguentorum 3.a
Fœtus gemelli qui sint 27.b
Formosa sicut pellis Salomonis 5.a
Fortitudine opus est regnum cœlorum impugnanti in Prol.
Fortitudo Iacob luctantis vsq; mane ibidem
Frater dei est, eius faciens voluntatem 4.a
Fumus & puluis in Canticis, sunt spiritus lachrymosus & conscientia humilis 22.a

G

Gemelli fœtus qui sint 27.b
Gemitus & fletus apostolorum coram virgine 45.b

Genæ beatæ virginis sunt pulchræ 8.b
Genæ virginis, verecundia eius sunt 28.b
Genæ virginis sicut fragmen mali Punici ibidem a
Genæ etiā in Canticis sunt exterior conuersatio 50.a
Genæ & genua in vtero materno coniunguntur. folio 56.b
Genua curuata offerenda sunt Deo ibidem
Genæ & oculi alti odibiles deo 57.a
Generatio vna pro anno computatur 15.a
Generationes variæ pulchrè exponuntur 58.a
Gentes quomodo venerunt ad fidem 65.a
Gentium populus filia Maria 66.a
Gladij vsus non est nunc sicuti antiquitùs 23.a
Gladius doloris & ignis amoris in Maria 45.a
Greges caprarum prophetæ sunt & filij eorum. 26.b

H

Helias primus monachorum institutor 27.a
Hæretici aliquot pessimi contra Christum. folio 40.b
Hæretici sunt capita hydræ serpentis 47.b
Hæretici inflexibiles 68.b
Hierusalem quæ sursum est, mater est omnium nostrum 57.b
Hisloria vetus de angelis circa Abraham & Loth. folio 19.a
Hortus conclusus quare bis in Canticis dicitur. folio 33.a
Hortus nucum, Christum sub lege factum significat folio 58.b
Hostes diuersi filiorum Israel 23.b
Humilitas Abrahæ & Dauid 9.b
Humilitas Mariæ optimi odoris 22.a
Humilitas Mariæ est eius fortitudo 26.a
Humilitas turris eburnea 62.a
Hydræ capita sunt hæretici 47.a
Hyems peccati, imber iræ dei 17.a

I

Ieiunium tempore Christi non fuit Apostolis iunctum 45.b
Ignis amoris & gladius doloris in virgine 45.a
Incarnatio Christi pulchrior plasmatione hominis 31.a
Innixam esse super dilectum quid sit 68.a
Innocentia virginis, eius religiositas est 26.a
Inuocatio autoris in Prol.
Ioseph & Maria in Canticis duo lilia 19.a
Iosaphat non connumeratur inter fortes Israel. folio 23.b
Ire ad montem myrrhæ quid sit 29.b
Iustificari volentes in carne, abeunt post vestigia gregum 7.b
Iustificatio est per fidem & non per legem 59.b

L

Labia virginis, eius doctrinam significant. folio 26.a
Labia dilecti doctrinam significant puram 50.a
Lampades dilectionis 69.a
Lectulus floridus, est vterus virginis 11.b
Lectulus Salomonis, vterus Mariæ 22.b
Legitimè luctari in Prol.
Lex non iustificat, sed fides 59.b
Lex sicut nux sub amaro cortice 58.b
Leonum cubilia & montes pardorum 30.a
Læua & dextra in Canticis quid significent 67.b
Libani aquæ fluentes, sunt sacræ literæ 34.a
Libanus mons Phœnicis abundat Cedris 52.b
Ligna Libani in Canticis, sunt Christiani potentes 34.a
Ligna Libani in Canticis, sunt homines sancti 24.b
Ligna syluarum sunt sine fructu bono 12.a
Lilium inter spinas est Christus in Iudæa ibidem
Locutio Dei patris ad Mariam 1.a
Locus peregrinationis nostræ vallis est lachrymarum & passibilitatis 14.a
Luctari cum verbo Dei in Prol.

M

Malum Punicum quid sit 28.a
Mala punica in veste Aaron ibidem b
Manus tornatiles in miraculis 50.b
Manus tornatiles aureæ sunt 51.a
Manus plenæ hyacinthis, sunt rationes cœlestes. folio eodem
Mariam esse matrem misericordiæ, Ruperto monstratum in Prol.
Maria prophetissa fuit 2.a
Maria quare non interfuit partui Elizabeth 4.b
Maria sciebat, & tamen absens quærebat 7.a
Maria assimilatur virgæ Aaron 8.a
Maria solitudine delectatur 8.b
Maria ante constitutionem mundi electa 16.b
Maria in omnibus opposita Euæ ibidem
Maria & Ioseph duo lilia 19.a
Maria suauem odorem spirauit altissimo 22.b
Maria sine felle sicut columba 26.b
Mariā circumsteterūt angeli obstetricum vice. ibid.
Maria est tota pulchra & formosa 29.b
Maria est regina cœlorum 30.a
Maria per fidem soror, & per amorem sponsa. ibid.
Maria votum virginitatis prima emisit ibidem
Maria fortior quàm Iacob 31.a
Maria per humilitatem exaltata ibidem
Mariæ eleemosynæ in Christum 31.b
Mariæ fauus, mel & lac, est Christus 32.a
Maria sola est hortus conclusus 33.b.3
Maria puteus aquarum viuentium 35.a
Maria quare non elegit sibi vitam solitariam sicut Helias 41.a
Maria cur filias Hierusalem adiurauerit 47.b
Maria digna laudari à dilecto 55.a
Maria consurgens vt aurora 58.a
Maria pulchra vt luna ibidem
Mariam honorat filius & omnes sancti ibidem b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mariam decoram esse in delicijs, quid sit 64.a
Martha non debet perturbare Mariam 67.b
Memores vberum tuorũ, quomodo intelligitur 4.a
Metonymia qualis sit figura 31.b
Mille clypei in Canticis, quid sint 29.a
Moduli septem beatæ virginis pulcherrimi 26.a
Moduli octo in laudem Mariæ 55.b
Moduli laudis tres quare reputantur 50.b
Montes aromatum sunt sancti 72.a
Mors animæ præcessit mortem corporis 29.a
Mors quomodo mittatur foras Ibidem b
Munditia virginis, supernorum desiderium est. 26.a
Murenula à murena serpente dicitur 8.a
Mustum malorum Granatorum 67.a
Myrrha non probata quid sit 44.a
Mysterium super historiam fundatur In Prol.
Mysterium de abolendis Iudæorum ceremonijs 6.b
Mysterium vini myrrhati 37.b

N

Nardo comparatur humilitas Mariæ 9.b
Nasus ancillæ præcisus ignobili 63.a
Nasus sicut turris Libani Ibidem
Naturalis Christi natura diuinitas est 49.a
Nigra sum, sed formosa, quomodo intelligitur 4.b
Nouorum & veterum expositio 65.b
Numeri quot diatessaron constituant 57.a
Numero septenario designatur vniuersitas 33.b
Numerus senarius regimis, octonarius verò concubinis quare tribuitur 57.b
Nuntium resurrectionis Christi 21.a

O

Obedientia Christi secundũ legem Moysi 35.b
Oculi virginis, simplicitatem eius significant 26.b
Oculi columbarum, septem sunt dona spiritus sancti 10.b
Oculi Euæ quales fuerunt 27.b
Oculi secundum spiritum in canticis qui sunt 49.b
Octo moduli in laudem virginis 55.b
Odor thuris est bonorum operum 32.b
Odor mandragoræ 65.a
Oleum effusum, verbum incarnatum 2.b
Oleo nondum effuso, timebãt animæ imperfectæ 2.b
Omnes argẽtei eius mille quomodo intelligitur 71.b
Operari bene, est stipare virginem floribus 13.b
Opera Christi mira & omnium velocissima 50.b
Opera legis non plantant vineam, sed fides 70.b
Osculetur me osculo, & fiat mihi secundum verbum tuum, vnum & idem In Prol.
Ostij pessulum in Canticis, est silentium 44.b

P

Palmarum elatæ in Canticis quid sint 44.a
Parabola de agricolis vineæ 58.b
Paradisi gratia, aquæ dulces & potabiles factæ sunt 35.b
Paradisi fluuius in quatuor capita diuiditur. & 33.a 35.a
Paradisus antiquus differt à nouo, &c. 33.a
Paradisus virginis, sunt emissiones omnium bonorum Ibidem b
Paries inimicitiarum causa dilationis Christi fuit. 15.a
Paries idem non ex originali tantum peccato conflatus Ibidem
Populus gentium filia virginis 66.a
Præconium pulchritudinis Mariæ 26.a
Prælatis non desunt curæ 43.a
Promissio autori per visionem facta In Prol.
Prophetarum præconia sunt gemmæ pretiosæ 25.b
Proprietates columbarum sunt septem 26.b
Pulchritudo Mariæ fides & humilitas 7.b
Pulchritudo Mariæ gemina 10.b
Pulchritudo Mariæ dilectæ qualis sit 26.a
Pulchritudo Mariæ constat ex 7. virtutib. Ibidem
Puteus aquarum viuentium est virgo Maria 35.a
Purpura regis, passio est Christi 64.a

Q

Quadrigæ Aminadab 59.a
Quo vino potata est Maria 1.b

R

Raab, typus ecclesiæ 28.a
Recti diligunt te, quomodo intelligitur 4.a
Redemptor noster humilitate homo, sed diuinitate supra homines fuit 21.b
Reuerti super montes Bethel, est Christum apparere matri & apostolis 20.a
Regna mundi nocturnæ auis sunt capita 30.a
Rex in accubitu suo est filius in sinu patris 9.a

S

Sagittæ potentis acutæ quæ fuerunt 46.a
Salomonis lectulus, vterus Mariæ 22.b
Sanctorum congratulatio super beneficijs alicui collatis 2.b
Salomon erat verbum domini 24.b
Sapientia dei facit vigilare cor virginis 41.b
Sacramentum corporis & sanguinis Christi quare non prius, quàm vltima cœna sit datum 39.b
Scientia legis & ceremoniarum spiritualis 63.b
Scripturarum loca duo, eiusdem sunt ponderis 1.a
Scripturarum cellaria dei sunt Ibidem
Scripturæ variè de Christo citantur 10.b
Scripturæ sacræ sunt aquæ fluentes de Libano 34.b
Scriptores sacrarum literarum potentes fuerunt. Ibidem
Scripturarum aquæ amaræ sunt secundum literam Ibidem
Sensus idem sub diuersis vocibus 1.a
Sexaginta fortes Salomonis regis temporalis 24.a
Silentium Mariæ circa secretum dei 3.a
Simplicitas virginis, prudentia eius est 26.a
Sodomorum incendium designat vniuersale iudicium 19.a
Somnus Iacob, somnus Mariæ virginis 42.a
Soror paruula ecclesia est primitiua 69.b
Spinæ, blasphemiæ sunt Iudæorum & hæreticorum sectæ 12.a
Spiritus sanctus & vinum & lac dicitur in Canticis 38.b
Sterilis peperit filios plurimos 67.a

T

Tapinosis figura quid sit 31.b
Tempus putationis, abdicatio est superfluorum 17.a
Totus desiderabilis in Canticis, quis sit 53.b
Transmigrationis Babylonicæ causa 15.b
Tremor dulcis & diuinus in Canticis per visionem declaratur 43.b
Triduum Christi in sepulchro quomodo computetur 30.a
Turris Dauid humilitas est 28.a
Turris Libani respicit contra Damascum 63.a

V

Vbera, lex & propheta 69.b
Vbera duo, sunt duo dona spiritus sancti. folio 62.a.& 1.b
Vbera fragrantia, vnguenta optima 2.a
Vbera virginis, eius fœcundam virginitatem significant 26.a
Vbera duo virginis, virginitas & fœcunditas 29.a
Vbera virginis pulchriora vino 31.b
Vbera aliarum mulierum non sunt pulchra Ibidem
Vbera ancillarum quæ sint 16.b
Venter Mariæ vt acervus tritici Ibidem
Venter sapphiris distinctus quid designet 51.b
Verbum domini erat rex Salomon 24.b
Verbum dei est causa effectiua beatitudinis 7.b
Verbum domini habet argentum & aurum 2.b
Verecundia duplex 28.b
Verecundia Mariæ, religiositas Ibidem
Veritas Christi est opposita mendacijs serpentis. folio 27.b
Vigiles ciuitatis sunt discipuli domini 21.a
Vinum nuptijs deficit, quomodo intelligitur 13.a
Vineæ, gentes designant 6.a
Vineæ florentes, sunt gentes Neophytæ 17.a
Vinea nostra Christus est 18.a
Vinum & lac in ascensionis gaudio 38.a
Vinea plantata in fide, non in operibus legis 70.b
Vinculum perfectionis est dilectio 28.b
Virginitas Mariæ decus est omnium matronarum. folio 26.b
Visio ipsi Ruperto facta mirabilis in Prol.& 32.a
Visio cuiusdam manus, tactus ejus suauissimi 43.b
Visio alia crucifixi saluatoris Ibidem
Vitia septem contraria septem prædicamentis beatæ virginis 29.b
Vmbilicus Mariæ crater tornatilis 61.b
Vox turturis, prædicatio est Euangelij 17.a
Vox tua in auribus meis, pulchrè exponitur. ibid.b
Vox pulsantis est intus & in interiori homine 42.b
Vnguenta optima quæ sint 2.a
Vnguenta eleemosynæ dicuntur 31.b.& 34.a
Vultus animi voluntatem indicat. 50.a

FINIS INDICIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS IN CANTICA CANTICORVM DE INCARNATIONE DOMINI,

PROLOGVS.

QVI contra hominem ſimilem ſibi luctatur, aut in agone contendit, opus habet fortitudine corporis, vt athleta victor exiſtens, iuſta laurea mereatur coronari. Porrò qui cum Deo luctari, & regno cœlorum vim inferre præſumit, alia & meliori fortitudine opus habet, ſcilicet fortitudiue mentis. Nam fortitudo corporis quid illic valet? Spiritus enim eſt Deus, & ſicut eum, qui adorat, adorare oportet in ſpiritu & veritate, ita nihilominus eum qui luctatur, colluctari oportet in ſpiritu & veritate. Exemplnm laudandæ huius fortitudinis habemus in patre noſtro Iacob, quemadmodum ſcriptura dicit. Cumq; maturè ſurrexiſſet Iacob, traductis omnibus, quæ ad ſe pertinebant, remanſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. Qui cum videret, quòd eum ſuperare non poſſet, dixit ad eum: Dimitte me: iam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et benedicēs illi, ſi contra Deum (inquit) fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis. Secundum illud exemplum, vir ille adhuc ſeſe à colluctante patitur vinci, quotiens ſtudioſus & fidelis animus tam diu verſatur circa verbum Dei, donec extorqueat ab illo benedictionem ſpiritus ſancti, quæ eſt verus & vtilis intellectus myſterij vel ſcripturæ: quam Deus rationabiliter ſignauit, vt non facilè poſsit apprehendi: quia margaritæ non erāt mittendæ coram porcis: & nulla difficultate vincitur, vt deſiſtat, donec apprehēdatur, quamuis quodammodo fugiat ſermo Dei, ſeq; iubeat dimitti. Igitur ô domina Dei genitrix Maria, & incorrupta mater verbi ęterni Dei & hominis Ieſu Chriſti, non meis, ſed tuis armatus meritis cum iſto viro, ſcilicet cum verbo Dei, cupio luctari, vt de Canticis Canticorum opus extorqueam, quod non dedeceat vocari de incarnatione domini, ad laudem & gloriam eiuſdem domini, ad laudem & honorem tuæ beatitudinis. Non noua hæc voluntas nunc incidit. Ante annos aliquot, cùm eſſem iunior, cingere me volueram, & huius nominis opus aggredi, ſcilicet de incarnatione domini, per occaſionem huiuſmodi. Coram regina cœlorum loquor, à conſeruo meo quolibet irrideri non debeo, dicente, ecce ſomniator. Sedebam quaſi ſolitarius per viſum noctis, & ecce quaſi ſibilus auræ tenuis per vtranque aurem tranſcurrens, velocius quàm dici poſsit, iſtos in me verſiculos depoſuit:

Iohan. 4. *Iacob cum Deo luctatus.* *Gene. 32.* *Luctari cū Verbo Dei.* *Matth. 7.* *Inuocatio.* *Viſio antea facta.* *Gene. 37.* *3. Reg. 19.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fœmina mente Deum concepit corpore Chriſtum:
Integra fudit eum nil operante viro.

Cùm reuerſus ad memet verſiculos taliter acceptos mẽte pertractarem,& nonnullis,vnde vel qualiter acceperim,ſecretius nõ ſine admiratione denarrarem, atq; ad multorum notitiã verſiculi peruenissent, qui tamen neſcirent vnde accepiſſem,ex multis & diuerſis quæ audiebam,occaſio ſe præbuit, vt ſcribere aliquid cuperem de incarnatione domini,verſaturus grande onus inualidis humeris. Circa idem tempus,& hoc aliud accidit. Frater quidam innocentis vitæ,& mundæ ac ſimplicis adoleſcentię retulit mihi,ſe vidiſſe filium tuũ dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſedentẽ ſuper altare ſuum,& circa eum collegium ſanctorum,meq; aſsidentem cum quiete, & tenentem Cantica Canticorũ.Hęc interim tranſiſſe videbãtur,&inueterata mihi erat memoria horum:cùm ecce quidam de amatoribus verbi Dei,ex te ô beata virgo incarnati, Cuno pater cœnobij Sigebergenſis, qui me pẽnè dormitare volentem, nonnunquàm excitauit, & multis inuigilare fecit, quam neſcio per occaſionẽ opportunè importunè mihi inſiſtere cœpit, vt ſcriberem aliquid huiuſmodi, quale eſt hoc,quod nunc propoſui. Tunc demũ recordatus ſum eorum, quæ nunc dixi, ſimulq; cuiuſdam promiſsi tui,quia per viſum mihi dicere viſa es:paſcha cum beata trinitate facies.Loquebar enim tecum,& dulce de beata trinitate habebam colloquium,neſciens quod ipſa eſſes: ſed poſtquam illud ex te reſpõſum accepi, tum ſcire volenti, quæ nam eſſet tam ſancta mulier, & hoc flagitanti in nomine Patris &filij &Spiritus ſancti,te ipſam eſſe miſericordiæ matrẽ ſtellantibus oculis gratanter demõſtraſti. Sequor diuinum præſagium,ſi quando merear videre faciem tuã,&ante Chriſtum tenere Cantica Canticorum,iuxta quod canimus in Pſalmo:Venientes autem venient cum exultatione,portantes manipulos ſuos.Dicẽdum in primis de iſto Salomonis libro tertio,ſuper quem velut fundamentum ædificari cupio ædificium huius nominis,ſcilicet de incarnatione domini,cur vocetur Cantica Canticorum,& deinde cur non ſingulariter Canticum,ſed pluraliter Cantica Canticorũ. Omne quod in ſcripturis nominatur Canticum,propter aliquod cãtandum eſt Dei beneficium,& gratiarum actione autorem ſuũ probans,accepti beneficij & gratiæ non immemorem ſiue ingratum. Sunt autẽ in ſcriptura veteris inſtrumenti cantica nota vel inſignia numero ſex, iſtud autem eſt ſeptimum idemq; nouiſsimum.Primum eſt canticum Moyſi ſerui Dei,pro illo beneficio,quod Deus populum ſuum filios Iſrael liberauit,ſubmerſo Pharaone in mare rubro cum curribus & equitibus ſuis. Secundum canticum eiuſdem Moyſi, canticum Deuteronomij, quod ſcripſit canendũ tam pro illo,quàm pro cæteris eiuſdẽ rei beneficijs. Tertium canticum Annæ prophetiſſæ,quę fuerat ſterilis,quod cecinit pro natiuitate Samuelis. Quartũ canticum Eſaię,quod &ſcripſit,

Alia viſio

Promiſſio per viſionẽ autoris facta.

Exod.15. Deut.23.

1. Regũ 2. Eſai.12.

Sex cãtica inſignia.

& canen-

& canendum prophetauit: Cõfitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi,pro beneficio,quo liberandus erat Iuda ab Aſſyrijs.Quintum cãticum Ezechiæ Regis,quod cecinit vel ſcripſit pro beneficio Dei,quia de infirmitate ſua conualuit.Sextum canticum Abacuc,quod prophetice cecinit pro futura deiectione diaboli,ſecundum typum Nabucho donoſor Regis Babylonis.Septimũ,vt iam dixi,idemq; nouiſsimũ, eſt canticum iſtud maximi & ſingularis beneficij Dei, canticum amoris, quo Deus in beatam virginem deſcendit,ita vt filium ex ea generaret, qui eſt Chriſtus Ieſus, homo verus & Deus ſuper omnia benedictus, quantum iſtud beneficium,cętera cũcta Dei beneficia generi humano impenſa,ſuperexcellit.Rectè igitur dicitur Canticũ Canticorum,quia quod in eo canitur,beneficium eſt omnium Dei beneficiorum. Quare aũt non ſingulariter canticum,ſed pluraliter Cantica Canticorum? Ad hanc percunctationem viam reſpõdendi parat conſiderata ſubdiſtinctio quatuor periocharum,id eſt, recapitulationũ: quarum eſt ſignum capitulum hoc tertiò repetitũ. Adiuro vos filię Hieruſalem per capreas ceruoſq;camporum,ne ſuſcitetis neq;euigilare faciatis dilectã, quoad vſq; ipſa velit.Idem ſacramentum per omnes periochas continetur. Vnius enim eiuſdemq; amoris prima decantatio eſt,ab eo quod ait:oſculetur me oſculo oris ſui,vſq;,Adiuro vos filiæ Hieruſalem.Secunda ab eo,quod dixit,vox dilecti mei,ecce iſte veniet ſaliẽs in montibus,vſq; itidem,Adiuro vos filię Hieruſalem.Tertia prolixior,ſic incipit: Quæ eſt iſta quæ aſcẽdit per deſertũ,vſq; ad tertiam adiurationẽ, Adiuro vos filiæ Hieruſalẽ.Quarta,Quę eſt iſta,quę aſcendit de deſerto delicijs affluens,vſq; ad finem. Non ignoro quantũ vel quale ſuſceperim negotium,ſcilicet hiſtoriæ ſiue rei geſtæ aliquod ponere fundamentum,& ſuper illud magnum,quod ſub iſtis vocibus continetur, ſuperædificare myſterium. Tunc enim expoſitio myſtica firmius ſtat, neq; fluitare permittitur, ſi ſuper hiſtoriam certi temporis vel rei demonſtrabilis rationabiliter ſuperædificata continetur.Labor magnus & difficilis,ſed exinde ſpei ſolatium eſt,quia ſermo Dei talis eſt,qui ſecundum ſimilitudinem viri ſuprà memorati, qui luctabatur cum Iacob, poſsit vinci, ſi colluctator, id eſt, inquiſitor eius legitimè luctari nouerit. Quid eſt legitimè luctari? Nimirum fortitudine vti veræ & ſanctæ humilitatis in precibus&lachrymis.Sic enim ille Iacob ſuperauit, teſte alia ſcriptura,in qua per Oſee ſpiritus ſanctus de illo dicit. In fortitudine ſua directus eſt cum angelo, & inualuit ad angelum, fleuit & rogauit eum. Igitur eiuſmodi fortitudinem tribuat dominus virtutum,& victoria dulcis gratum ſubſequetur duellum.

Eſai.38.

Abacuc.3.

Septimum omnia excellit.

Rom. 8.

Cur Cantica Canticorum & non Canticum Canticorũ dicimus.

Quatuor decantationes amoris in hoc cantico.

Myſterium ſuper hiſtoriam fundatur.

Geneſ.32.

Legitimè luctari.

Oſee 12.

FINIS PROLOGI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS, IN CANTICA CANTI CORVM DE INCARNATIONE DOMINI, Commentariorum
LIBER PRIMVS.

OSCVLETVR ME OSCVlo oris sui] quæ est ista exclamatio tam magna, tam repentina. O beata Maria, inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis, totam te operuit totamq; obtinuit, penitusque inebriauit, & sensisti, quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, & dixisti: Osculetur me osculo oris sui. Dixisti enim ad angelum: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Quod erat illud verbum? Quid locutus fuerat tecũ? Inuenisti gratiam, ait, apud dominum: Ecce cõcipies & paries filiũ, & vocabis nomen eius Iesum. Ac deinceps: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Esa. 64. *Luc. 1.*

Nonne hoc verbum angeli, verbum & spõsio erat iã imminẽtis osculi oris domini? Igitur prudens ponderator dictum vtrumque appendat in statera rationis, & istud, osculetur me osculo oris sui, quod dictum fuit animæ vel cordis iubilantis. Et illud: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum, quod dictũ fuit oris exultantis. Nonne sunt eiusdem ponderis? Nonne sensus idem est in verbis seu vocib. diuersis? Sicut audisti, & credidisti sicut tibimet imprecãdo dixisti, fiat mihi, ita & factũ est tibi. Deus pater te osculatus est osculo oris sui. Quis oculus hoc vidit? Quæ auris audiuit? Cuius in cor hominis ascẽdit? Tibi autem ô Maria semetipsum reuelauit & osculans, & osculũ, & os osculãtis. Longè minoris gratiæ, quælibet anima dum datũ optimũ, siue donũ perfectũ concipit, de sursum descendens ab eodẽ patre luminũ taliter afflatur, taléq; intus in semetipsa persentit osculantis attactum, vt dicere non dubitet, nobis autem reuelauit deus per spiritum suum. Quanto magis, tu ô beata, in perceptione doni singularis, dum Spiritus sanctus superuenit in te, & virtus altissimi obumbrauit tibi, reuelationem huiusmodi accepisti. Profectò anima tua liquefacta est, vt dilectus locutus est, scilicet deus pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum substantiã verbi sui, cũ illo amore suo spiritu sancto, tuæ menti, tuo ventri penitus inserret: in quo nec primam similẽ visa es, nec habere sequentem. Et ad angelum quidem dixisse sufficerit, fiat mihi secũdum verbum tuum angele dei, vt ille osculetur me osculo oris sui, ad ipsum aũt dilectum deum conuersa, loqui & iubilare anima tua non desijt, in ipso experimẽto suauitatis inenarrabilis, cuius videlicet iubilationis summa hæc est. [*Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrãtia vnguẽtis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.*] In Esaia loquitur idem ipse Deus: Audite me domus Iacob, & residuum Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua. Vsq; ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo. Ergo & vbera rectè dicitur habere, quæ Psalmista nõ ignorans, dicebat: Si exaltaui animã meã, sicut ablactatum super matre sua, ita retributio in anima mea. Quid ergo per vbera eius nisi dulcedinẽ eius rectè intelligimus? Et quid est dulcedo eius, nisi spiritus sanctus? Talis dulcedo pulchrè in duo vbera discernitur, quia duo sunt data eiusdem sancti spiritus. Alterum datum est in remissionem peccatorũ cuius videlicet dati vbere nullus ante hanc beatam virginem lactatus est sanctorũ antiquorum. Alterum datum est in diuersarum diuisiones siue distributiones gratiarũ, quo videlicet vbere lactati veteres sancti, & prophetauerunt & multa miracula operati sunt. Vtrorumq; huiusmodi vberum lætificata dulcedine ineffabili, dũ concipis ô virgo beata, dum tibi fit secũdum hoc verbum angeli, spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quibus duabus clausulis, iam dicta significabantur duo data eiusdem spiritus sancti, quid aliud diceres, nisi meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis? Non fueras experta vitium huius seculi, vinum voluptatis carnalis, sine cuius ebrietate nulla vnquam mulier præter te concipere potuit aut poterit, & tamen dijudicare nosti, quàm melior aut vehementior, dulcior atq; fortior esset voluptas siue amor dei, in quo concepisti, sine dubio potata illius torrente voluptatis. Et tu quidem veraciter dicere potueras: Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Cum eñ esses de massa, quæ

Idem sensus diuersis vocibus.

Deus pater osculatus Mariã.

Iacobi. 1.

1. Cor. 2.

Cant. 5. Locutio Dei patris ad Mariã.

Duo vbera duo data spiritus sancti.

Psal. 138.

Qui sine potata est Maria.

Psal. 35. *Psal. 50.*

quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas: sed ante faciem huius amoris peccatum, nec illud nec aliud fit, re potuit, ante faciem huius ignis stipula omnis interijt, vt totum sanctũ fieret habitaculum, in quo deus totis nouem mensibus habitaret, tota omnino munda materia, de qua sancta Dei sapiẽtia, domum æternam sibimet ædificaret. Et quia cum tanta dulcedine amoris, pretiosa plenæ gratiæ simul infusa sunt charismata, quæ cæteris ab eodem spiritu dispartiuntur sanctis & electis, rectè vbera illa dixeris fragrantia vnguentis optimis. Optima nanq; vnguenta sunt charismata hæc, sermo sapiẽtiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, opera virtutum, prophetia, discretio spirituũ, & cætera, quę qui habent, boni odoris sunt & suauiter fragrãt, sicut vnguẽtum optimũ. Vnde Apostolus: Deo gratias, inquit, qui semper triumphat per nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suę manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus ordor sumus deo. Inter cæteros odores vnguentorum, quibus perfusa es, prophetia fragrauit, etiam lõgè antequam nascereris. Hoc enim senserat propheticis naribus ille, qui dixit: Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Nunquid ille solus ad te accessit, ô prophetissa fidelis? Imò prophetæ omnes ad te accesserunt, quia prophetiæ omnium, & scripturæ omnes in tuũ sensum, cum superueniente in te spiritu sancto, cõuenerũt: Vbi enim totum se indidit patris verbũ, quomodo abessent scripturæ, quæ de ipso verbo fonte suo prodierunt. Talia tam bona vbera sunt: Quid deinde? Oleum effusum nomen tuũ. cuius vbera sunt, eius est nomẽ, id est, cuius est amor vel spiritus, per quẽ concipitur, eius est verbum siue filius qui concipitur. Nam filius nomen est patris, præsertim talis filius, tale verbum, per quod Deus in cœlo & in terra valde nominatus, valde est inclytus. Nam per verbum omnia facta sunt, quæ fecit deus. Et quis potest æstimare fortitudinem eius? Porrò nomen hoc tam forte, tam magnum, ecce est oleum effusum. mira res. Quid verbo fortius, & quid oleo suauius? Ergo ne verbũ à sua est natura immutatũ? Non. Sed qualitates creaturarũ, cum quibus illi ratio est, hinc pro virtute, illinc vitio diuersæ, imo contrarię sunt. Verbi gratia: Diabolus in cœlo per vitium superbus fuit: tu virgo per virtutẽ humilis in terra apparuisti. Pro qualitatibus tam diuersis tãq́ue contrarijs, vitium idemq́ue verbum, illi vt flumẽ tibiq́; vt oleum sese exhibuit, iuxta illud: Deus superbis resistit, humilib. autẽ dat gratiam. Quomodo autẽ, vel in quo est effusum hoc oleum? Nimirum in eo, quod à deo processit, & de inuisibilibus suis ad nostra visibilia venit, quemadmodum ipse dixit Iudæis: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex deo processi & veni. Effusum ergo est oleum, id est, nomen tuum, quia processit de secreto substantiæ tuę, verbũ tuæ fortitudinis cũ suauitate miserationis. Et ideo adolescentulæ dilexerunt te. Nihil verius. Nisi enim oleũ taliter effusum fuisset, nisi verbum tuum taliter processisset, adolescentulæ, id est, animæ imperfectæ non ausæ fuissent diligere te, imo nec ausæ fuissent audire te. Exempli gratia: Steterunt procul, dicẽtes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus. Nõ loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Et alibi: Et accessistis ad me, ait Moyses, atq; dixistis: Ecce ostẽdit nobis dominus deus noster maiestatem & magnitudinem suam. Vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quod loquente deo cũ homine vixerit homo, &c. Adeo tunc timebant adolescentulæ, nõdum quippe oleum erat effusum. At nunc, dum illud effundis, sicut tunc promisisti, dicẽs Moysi: Benè omnia sunt locuti, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, &c. dum, inquam, taliter effundis, ecce adolescẽtulæ dilexerunt, id est, certissimè diligent te, perfecta charitate foris mittente timorẽ, quia cõsideratio tanti beneficij fiduciam dabit, & credentium mentes excitabit ad vicissitudinẽ dilectionis. *Trahe me post te, curremus in odore vnguentorum tuorum.* Hactenus exclamationem tuam, ô dilecta domini, imitari conabatur in admiratione, quasi grandior modus elocutionis: deinceps sermo noster remissior in demonstratione sit. Trahe me post te, inquit. Vbi discessit angelus, exurgens autem Maria, inquit Euangelista, abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Dixerat enim illi angelus: Et ecce Elizabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic est mẽsis sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia impossibile non erit apud Deũ omne verbum. Habent sancti hoc proprium omnes, qui in veritate sanctũ habent charitatis spiritum, vt ita gratulentur de beneficijs, quæ alijs impensa perceperunt: quemadmodum & de illis, quæ à Deo sibimet collata sunt. Tum properant mutuos sibi præbere conspectus, tũ dulcia miscere colloquia, certatimq; oportuna importuna impendere inuicẽ deuotæ charitatis obsequia. Quid est hoc, nisi trahere & currere in odore

Prouer. 9.

1. Cor. 12.

2. Cor. 2.

Esai. 8.

Luc. 1.

Iacobi. 4.

Ioan. 8.

Adolescentiæ imperfectæ.

Exod. 20.

Deut. 5.

Deut. 18.

1. Ioan. 4.

Luc. 1.

Sanctorũ cõgratulatio super beneficijs alicui collatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnguentorum domini? Pretiosum erat vnguentum, magnum erat beneficium, quod dederat dominus sterili cóceptum tanti viri, qui in spiritu & virtute Helię deberet præire ante dominum, & quo maior non surrexerit inter natos mulierum. Tanti ac talis vnguẽti odorem perceperat: talis ac tanti beneficij fama siue nuntium ab ipso angelo acceperat: & de hoc, sicut de cæteris, quis finis, quæ consummatio futura esset Spiritu sancto docente, magna prophetissa non ignorabat. Trahebatur ergo post dominum fœmina desiderio rum, trahebatur & currebat in odore vnguẽtorum talium: & ipsum currere, id est, in montana cum festinatione abire, erat dicere trahe me post te. Nam qui veraciter diligit, & trahitur, & trahi cupit. Cùm igitur traheretur, siue vbi tracta est & cucurrit, quid dixit? [*Introduxit me rex in cellaria sua.*] Quomodo vel cui hoc dixit? Nimirũ per aspiratione spiritus sancti in mẽte eius redundãtis, in vẽtre eius iã operantis, hoc dixit cognatæ suæ Elizabeth, & infanti, qui erat in vẽtre illius iam mensibus sex. Intrauit enim in domũ Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factũ est, vt audiuit salutationem Marię Elizabeth, exultauit infans in gaudio in vtero eius. Et repleta est spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, &c. Ergo verè dixit, & mirabiliter dixit, quæ salutando cognatam repẽtè prophetissam efficit, vt confestim sciret illa omnia, quorũ ista summa est: introduxit me rex in cellaria sua. Verè pulcherrimus & optimus explanatiõis modus, vbi verecundę puellę prolocutor sit ipse Deus, ipse spiritus sanctus, spiritus propheticus: Qui non tentatus est, ait vir sapiẽs, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Horum idcirco meminerim, quia re uera non nisi qui tentatus est in his, quæ accepit, & à Deo reuelata sunt sibi, dignè potest perpendere religiosum silentiũ virginis, siue custodiã oris eius, circa secretum Dei. Quis enim ab illo, qui somnia primus vidit & enarrauit, quorum vtiq; visio visitatio fuit emissa ab altissimo, id est, à puero Ioseph filio Iacob: quis, inquam, vsque in præsentem diem, ita nouit vel potuit obseruare tempus tacendi & loquẽdi, quin aliquando opus habeat increpari, doceri, cauere scandalum inuidentium, sicut illum pater increpauit? Ergo quanto quisq; amplius tentatus est in eiusmodi, & expertus est inuidiæ malum quid sit, ipse scit, & enarrare potest intellectum huius rei, quod tu beata virgo verè fidelis fuisti & veraciter magnæ fidei: non solum quia credidisti angelo Euangelizanti, verum etiam quia secretum istud custodisti, neq; properasti aliquando cuiquam tuæ admirationem facere felicitatis, vt diceres, quid fecisset tibi Deus, nisi ei, cui prior ipse Deus vel spiritus sanctus reuelauit. Hoc non leuiter perpendere nos vult Euangelista, cùm semel & iterum dicit: Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Nũc dicta prosequamur: Introduxit me rex in cellaria sua. Hoc ipsa quidem dixit verbis alijs, scilicet verbis cantici sui, quo anima eius dominum magnificauit, sed sicut iam dictum est, prior eidem, videlicet Elizabeth, spiritus sanctus, spiritus propheticus reuelauit. Et quæ sunt illa cellaria regis Dei? Nimirum sacra mysteria, quę cũq; continentur in scripturis sanctis. Nam ista cellaria pretiosa sunt, meliora cellis aromatum & argenti, & auri, & odoramentorũ, & vnguenti optimi, & omnibus apothecis regiæ supellectilis, thesaurorumq́ue vniuersorum, quales habere potuerunt reges terrarum: & ille præcipuè temporalis rex Salomon. In cellaria sua, inquit, rex non qualiscunque, sed rex cœli & terræ, me introduxit. Nihil enim à me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriauit. Qui enim verbum suum, quod erat, & est in corde suo, mihi totũ infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donauit? Non enim introductio qualiscunque hæc debet intelligi, sed introductio cum iure possidendi, sicut ius est sponsam legitimam cum tabulis matrimonij in dotem suam introduci. Quid ad hæc illa Elizabeth, cum istud intus aure cordis percepisset? [*Exultabimus & lætabimur in te.*] Hoc verè dixit, & cum magno clamore dixit. Ait enim voce magna: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me: Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ tibi dicta sunt à domino. Nonne hoc erat dicere, exultabimus & lætabimur in te? Iam enim incipimus, ego & infans in vtero meo exultare in gaudio, à voce salutationis tuæ. Ex hoc & nos & qui venturi sunt post nos, exultabimus & lętabimur in te, & cantabimus, dicentes, quia Eua nos fecit plorare, Maria nos fecit exultare. Nam quod illa tristis abstulit, tu reddis almo germine. Idcirco exultabimus & lætabimur in te. Quomodo in te? Dicam paulò expressius. [*Memores vberum tuorum super vinum recti diligunt te.*] Hæc est & erit materia vel causa

Luc 1. *Matth. 11.*

Eccle, 34.

Silentium Mariæ circa secretũ Dei. *Gen. 37.*

Luc. 1.

Esai. 39. *3. Reg. 10.*

Luc. 1.

causa exultationis vel lætitiæ nostrę in te, memoria vberum tuorum, quia virgineis vberibus lactasse illum prædicaberis, qui creauit te. Dicemus enim: Beatus venter, qui te portauit Christe, & beata vbera quæ suxisti. Et si aliud quid mysticũ per vbera rectè potest intelligi, attamen causa ista cunctis erit amabilis, quia is, qui angelos suæ visionis dulcedine pascit, tua ô felix virgo vbera suxit. Huius rei memores super vinum, id est, super omne, quod in hoc seculo dulce videtur aut iucundum, recti diligũt, id est, certissime diligent te. Rectorum illorum primus est & erit infans iste, qui à voce salutatiõis tuę, qua salutasti me, iam exultauit in gaudio in vtero meo, & lætatur in te. Iam cœpit exultare & lætari in te, & exultare non desinet, memor vberum tuorum super vinum, id est, omne seculum respuens & carnalis voluptatis commercium, virum se deo, dedicans virgineum, propter vberum tuorum lac dulcissimum, quę videlicet vbera tua de cœlo plena lacte virgineo lactauerunt Deum. O quàm multi vtriusq; sexus, propter hoc ita te diligent & similiter facient. Num paruũ est hoc memoriale tuum? Imo inter omnia, quęcunque fecit Deus memorabilia, præcipuũ & omnis creaturæ expectatione est dignũ, quod is, qui angelorũ cibus est, homo factus ex te propter homines, tuis vberib⁹ lactari dignatus est. Recti ergo, hoc ipso, quod recti sunt, quod nõ inuidi, imo beneuoli sũt, memores vberum tuorum, diligent te. Quis fructus dilectionis huius? Quæ merces aut quod præmium? Abundantia. Dicit enim spiritus sanctus in Psalmo: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus te. Cuius rei abũdantia diligentibus te ô sancta Hierusalem, nisi eius, quę diligitur in te. Tale est bonum tuum, bonum videlicet à deo datum, vt quisq; diligendo facere possit, & faciat esse suum. Diligendo ergo in te, quod mater es domini, fidelis anima & ipsa mater sit: Ipse enim meus, inquit, & frater & mater est, quicunque fecerit voluntatẽ patris mei, qui in cœlis est. Cuius videlicet paternæ voluntatis, si summam quærimus, credere, sperare, & diligere est. Non ergo paruo pro præmio, habendo fidem recti sumus, habendo spem memores sumus, habendo charitatem te diligimus. Sequitur: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis: Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol.* Res ipsa exigit vt quęramus, quousque vel quàm diu beata virgo Maria mãsit cum illa Elizabeth cognata sua. Vtiq; mẽsibus tribus, fere vsq; dũ Elizabet tempus pariendi impleretur. Illenanque mensis extus erat illi, quæ vocabatur sterilis, quando Maria nuncio bono impleta, exurgens abijt cum festinatione in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Maria autẽ mansit, inquit Euangelista, cum illa quasi mensibus trib⁹, & reuersa est in domũ suam. Statimque subiũgit: Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Ergo Maria iam non erat illic, quando Elizabeth peperit filium. Cur, quæso, non interfuit? Cur tanti gaudij, tantæ exultationis festiuitatem non expectauit? Cur discessum suum non distulit, donec videret infantem, quem yidisse gaudium fuit? Non ignorabat angelum dixisse ad Zachariam: Et erit gaudium tibi & exultatio: & multi in natiuitate eius gaudebunt. Item, & ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis. Cur non expectauit videre hoc miraculum, scilicet eum, qui mutus fuerat, aperto ore eius & ligua eius, cum nomine Iohannis loquentem & benedicentem Deum? Nonne magis ad eã quàm ad quamlibet aliã pertinebat congratulari & audire verba cãtici de ore prophetantis, & tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius? Cur igitur, quę & eatenus non venisse caussam habere videretur, vt sal tem illa die veniret, cognata cum vicinis & alijs cognatis illius, & congratularetur: ecõtrà cũ iam dudum venisset, idcirco discesit ne interesset gaudentibus & congratulanti- bu⁹? Caussam nesciremus, rem ipsam, id est, discessum eius non admiraduerteremus, nisi excitasset intellectum vox ista, per spiritum sanctum in persona eius prolata, nigra sum sed formosa. Quid enim hoc erat? Quid putamus facturos vel dicturos fuisse vicinos & cognatos, qui multi conuenerunt, si inter eos inueniretur in vtero habens? Ipse Ioseph vir eius, cui desponsata erat, quoniam inuenit eam in vtero habentem, cùm esset iustus, nolebat traducere eam, sed volebat occultè dimittere eam. Ergo in oculis eius nigra erat, & est adhuc in oculis siue in sensu illorum, qui cum sint filij matris suæ, de quibus postmodum dicendum est, pugnant cõtra eam, contradicendo nobis credentibus & confitentibus, eam de spiritu sancto fuisse impręgnatam. At illa dicere poterat & veraciter dicit, nigra sum sed formosa: nigra inquam, id est, prægnans inuenta sum: sed formosa, id est, salua virginitate de spiritu sancto impręgnata. Benè actum, optimè prouisum est, vt vẽtura postmodũ multitu-

Luc. 11.

Super Vinum.

Memores vberũ tuorum.

Recti diligunt te.

Psal. 121.

Matth. 12.

Luc. 1.

Cur Maria non interfuit partui Elizabeth.

Resp̃sio.

Matt. 1.

Nigra sum sed formosa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dine ad illud natiuitatis Iohannis gaudium, reuerteretur in domum suam, ne prius ab illis deprehenderetur in vtero habens, quàm ab ipso beato Ioseph, qui dignus esset corrigi per angelum, dicentem, Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam cõiugem tuam. Quod aũt in ea natũ est, de spiritu sancto est. Nec istud suffecisset, nisi etiam, priusquàm complerentur dies Mariæ vt pareret, locum mutauisset. Poterat nanq; vicinis & notis fieri occasio loquendi, quod tam citò peperit, vix habens menses sex: ex quo monente angelo, beatus Ioseph coniugem suam accepit. Bene igitur & hoc prouisum est, quod exijt
Luc. 2. edictum à Cæsare Augusto, vt discriberetur vniuersus orbis, quatenus per hanc occasionem & scriptura impleretur, quæ Christum
Mich. 5. de Bethleem nasciturum prædixerat esse, & virgo ab omni vicinorum questione liberaretur, quomodo tam breui tempore exacto, ex quo in coniugium accepta fuerat, peperisset. Dicat igitur: Nigra sum sed formosa, filiæ Hierusalem. Secundum opinionem malè videntium nigra, secundum fidem rectè credentium formosa. Quàm nigra, & quàm formosa? Nigra, sicut tabernacula Cedar: formosa, sicut pellis Salomonis. Sicut eñ Ismahel,
Gen. 21. ad quẽ pertinet Cedar, niger, id est, ferus homo, iure fuit eiectus cũ matre sua, dicente Sara: Eijce ancillam & filium eius: non enim erit hęres filius ancillę cum filio liberę, & è regione omnium fratrum suorum in solitudine fixit tabernacula, ita & ego iure eijcienda visa sum, ita vt vir meus Ioseph nollet traducere, sed vellet occultè dimittere me. Multũ erat miserationis in eo, quod occultè dimittere voluit, cum lex multò asperius censeat
Deut. 32. de puella eiusmodi, qualis ego, dum prẽgnãs essem, poteram existimari. Ergo nigra ego sicut tabernacula Cedar: quia sicut ille cũ matre sua, ita & ego cum eo, quod conceperam, videbar eijcienda, viri mei domo & hæreditate indigna. Cedar, vt iam dictum est, pertinet ad Ismahel. Quare autem magis hic placuit dicere tabernacula Cedar, quàm tabernacula Ismahel? Videlicet quia Cedar tenebræ, Ismahel interpretatur exauditio Dei,
Formosa sicut pellis Salomonis. magisq; nomen tenebrarum, quàm exauditionis Dei congruit meæ, quæ putabatur, ingenij nigredini. Econtrà, sicut pellis Salomonis, id est, exterior cultus & omnis dignitas sapientissimi Regis incomparabiliter splenduit, ita vt nullus ei regum potuerit vnquã comparari, ita & virginitatis meæ splendor præ omnibus sanctis & filijs regni Dei est admirabilis, nec ei, qui ex me natus est, quisquã
Galat. 4. sanctorum, nec ipse Isaac eidem Cedar longè prælatus & præferendus, potuit vnquam, vel poterit comparari. Quare autem non dixit, sicut Salomõ, sed sicut pellis Salomonis? Videlicet, quia quidem formosa pellis Salomonis, sed nõ ipse Salomon valde formosus fuit. Intus enim quandam deformitatem habuit, etiam quando fulgebat formositas pellis. Dixit enim dominus illi: Quia habuisti apud te hoc, & non custodisti pactum meũ & *3. Reg. 11.*
præcepta mea, quę mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, &c. Quid nam est dicere, habuisti apud te? nisi ac si diceret, qualẽ te nunc ostendisti, sequendo deos alienos, talis eras etiã, cùm deforis me honorares omni adoratione & pulchri templi ædificio. Igitur meli⁹ dicere fuit, sicut pellis Salomonis: quã sicut Salomon, ita formosa sum, quia non sicut habuit apud se, sed sicut de foris ædificauit templum manu factum, & sicut dixit: Sa-
Prouer. 9. pientia ędificauit sibi domum: ita ex me Deus templum sibi non manu factum, & nõ manu factam sapientia sibi ædificauit domum.
Quod fusca sim. Nolite filiæ Hierusalem considerare me, quod fusca sim, id est, corrupta, quia quod tumentẽ vterum habeo, quod inuẽta sum in vtero habens, non fecit vir, quia virum non cognosco, sed ita decolorauit me sol. Verus sol, & sole Deus longè pulchrior semetipso me impleuit, de semetipso vterũ meum tumentem reddidit. Hoccine est decolorari? Non apud vos ô filiæ Hierusalem, quę habetis oculum simplicem, sed apud superborum cogitationes, quorum nequã est oculus. Non erat nequã oculus Ioseph, sed quãdam excusabilem ignorantiæ nebulam habẽs, cito purgatus est, dicente sibi angelo domini, quod sana cute decolorata essem, quam non flamma ignis de deorsum, sed desuper sol decolorauit, quod salua virginitate grauida essem: quam non vir terrenus, sed pater cœlestis de spiritu sancto grauidam fecit. Non ita cęteri oẽs cognitam veritatẽ sequuntur. Sed quid?
[*Filij matris meæ pugnauerunt cõtra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.*] *Apoc. 8.*
Filij matris meæ, Iudęi sunt, filij *synagogæ, imo qui se dicunt Iudęos esse, & nõ sunt, sed *Aliàs synagoga.* sunt synagoga satanę. Isti pugnauerunt. i. certissimè pugnabãt contra me, cõsiderantes & cõsiderare volẽtes, quod fusca sim, quod nõ verè decolorauerit me sol, sed nigra sim nigredine omnimoda, sicut tabernacula cedar. Hinc ab illis passa sum, vel patiar pugnas verborum, pugnas linguarum blasphemãtium. Prędicatũ est eis, quod non nigra, imo, vt iã dixi, formosa sim sicut pellis Salomonis: sed econtrà pugnauerunt repleti zelo, & contradixerunt propugnatoribus meis blasphemantes.

mantes. Diximus ergo: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim
Esai 42. præcepit nobis dominus: Posui te in lucẽ gẽtibus, vt sis in salutem vsq; ad extremũ terrę.
Posuerunt me custodẽ in vineis. Hoc modo posuerunt me custodẽ in vineis, id est, in gentibus, quæ non quidem erant, sed ex mea custodia factæ sunt vineæ domini. Posuerunt, inquam, id est, vt ego ponerer, effecerũt per incredulitatem suam. Non enim ego prior illos, sed ipsi priores me repulerũt, & custodia mea sese indignos iudicauerunt. Igitur iusto iudicio tales matris meæ filios reliqui, & vineam meam non custodiui, genté meam non adiuui, nõ defendi, quin venirẽt, locumq; & gentem tollerent Romani. Putauerunt, quod si me repulissent, errare deberẽ
Gene. 16. in solitudine, sicut Cedar, vel sicut Agar. Verùm non ita est. Pro vna vinea, quæ debuit esse mea, vtpotè gens mea, sanguis meus, & caro mea, multas vineas acquisiui, multas Ecclesias in gentibus dilataui, quæ omnes custodiam meam habent, & habere desiderant, de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis confitentes, & pro huiusmodi custodia clamantes ad me iugiter: Hæc ad filias Hierusalem elocuta, quales refugit, vt suprà iam dictum est, ne cõsideraretur ab eis, & inueniretur in vtero habens, in illa frequentia venientium ad Elizabeth, vt congratularentur ei, mox ad dilectum conuersa, dicit: [*Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum.*] Sensum vocis huius quærẽti, nec
Luc. 2. dubitanti mihi, quin veraciter congruat tantæ tamq; beatæ virgini, magnum & mirum sese ingerit & aperit sacramentum illius Euangelicæ lectionis: Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisq; omnibus, cũ redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius, &c. vsq;, & dixit mater eius ad illum: Fili, quid feci sti nobis sic: Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus
Luc. 2. te. Quid enim? Nunquid casu gestum est, vt puer Iesus remaneret in Hierusalem, & parentes eius illum esse in comitatu existimarent, vt requirerent inter cognatos & notos, & non inuenirent, regressi in Hierusalem, requirentes, post triduum inuenirent, nõ quomodocunq; vel vbicunq;, sed in templo sedentem in medio doctorum, audientẽ illos, & interrogantem? Nunquid hoc Euãgelista tam diligenter scriberet, nisi rem sacramenti plenam esse sciret? Sunt & alia multa, inquit, Iohannes, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur *Iohan. 21.* per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros. Si solam spectes rem gestam, quantum est hoc inter alia tam multa, vt illis omissis ab Euangelista non deberet omitti? Igitur & in voce ista, indica mihi quẽ diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: & in illa re gesta, qua dixit eadem diligens & dilecta: Fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te, vnum idemque mysterium *Mysterium de abolẽdis cæremonijs Iudæorum.* spectare iuuat. Quid enim est comitatus de die festo redeuntium, nisi frequentia vel ritus cęremoniarum Iudaicarum, cæremoniarum carnalium? Istæ nanque mandata vitæ non præcesserunt, sed comitatæ sunt, & si ritè consideres legis ordinem, post quam pręcepta bona data sunt, quæ faciẽs homo viueret *Leuit. 18. Ezech. 20. Exod. 23.* in eis, istæ cęremoniæ præceptaq; non bona, in quibus non viuerent, à reatu vituli sumpserunt initium, & hoc erat iugum grauissimum, quod neq; nos, ait Petrus Apostolus, neque patres nostri portare potuimus. Super his magna cõquisitio futura erat, & facta est: sicut in Actibus Apostolorũ legimus: Et quidam descendentes de Iudęa, docebãt fratres, *Actor. 15.* quia nisi circuncidamini, non potestis salui fieri, & quia oportet præcipere, seruari legem Moysi. Hoc erat parẽtes Iesu existimare, Iesum esse in comitatu. Sed non erat ibi Iesus. Imo erat & esse illũ oportebat in medio doctorũ, audire & interrogare verba vitę. Hinc per Hieremiã prophetam fuerat prędictum: *Hieroc. 7.* Quia non sum locutus cũ patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc verbũ præcepi eis, dicens: Audite vocem meã & ero vobis Deus, & vos *Exod 20.* eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quã mãdaui vobis, sub auditur, in mõte Oreb ante reatum vituli, vbi iustificationes & pręcepta vitæ dedi, scripta in tabulis digito Dei. Horum discernendorum vtiq; magistra te esse oportebat ô beata Maria, & magistra ma *Cant. 4.* gistrorum, id est, Apostolorum, iuxta illud: Fons hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano. An quia spiritus sanctus illos docuit, idcirco tuę vocis magisterio non illis opus fuit? imo vox tua vox illis fuit spiritus sancti, quicquid supplemẽti opus erat eisdem mortalibus vel testimonij, ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem spiritu, diuidente sin- *1. Cor. 12.* gulis, prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt, instructo ad loquendum, benè composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum. An quia loco suprà memorato de Acti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Actor. 15. Actibus Apostolorum, vbi facta seditione propter cæremonias Iudaicas conuenerunt Apostoli & seniores videre de hoc verbo, nullam tui mentionem scriptura fecit, idcirco putandum est, quod conuentus ille te omiserit, & sanctũ de tuo pectore, de tuo ore spiritum non consuluerit? Imo & illic & in cæteris agendis tu princeps, omnem soluisti quæstionem: ita tamen, vt non clamares, neque contenderes, neque audiretur vox tua foris: quia (sicut ante nos dictum est) tu sola es virgo, quæ vniuersam hæreticam prauitatem interemisti. Dixeris ergo: Indica mihi, Esai. 42. quẽ diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiã per greges sodalium tuorum. Indicari tibi flagitabas, vt alijs indicare scires. Sed dico: Nunquid nesciebas? Nunquid quod prophetę sciuerunt, tu ignorabas? Vtique nescires, nisi desuper indicatũ tibi fuisset. Et Deus tuus, filius tuus præsciebat, quod resurrecturus esset à mortuis: & tamen Psal. 40. in persona eius Psalmista dicit: Tu autem domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. Dicat aliquis: Quid ergo est, quod in supradicto loco Euangelij, dum ista significarentur, dixit: Fili quid feci̇sti nobis sic, ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te, & cætera vsque, & ipsi nihil horũ intellexerunt? Ad hęc inquam: Ecquid illud est, quod Euangelista continuo intulit: mater eius conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo? Igitur eccè duo quasi repugnantia. Si enim non nesciebat, quomodo quærens dolebat, dolens quærebat? Si autem nesciebat, quomodo vel de quibus in corde suo conferebat? Ergo neque à dextris, neque à sinistris sermo fit, quia veraciter magna hęc prophetissa, quid ageretur, non ignorabat, quoniam gratia plena erat, & tamen dolens quærebat, quoniam dispensationi diuinæ ipsa suo silentio seruiens, quamuis cum illis quærentibus quæreret, tẽpus tacendi custodiebat, & dolentibus cõdolebat. Quomodo autem dicenti, indica mihi, responsum est ex persona dilecti? Nam & percunctatio, & causa percunctationis melius cum responsione explanari peterit. *Si ignorat te ô pulchra inter mulieres, regredere & abi post vestigia gregum: & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* O pulcherrima mulierum, ô benedicta inter mulieres, cuius pulchritudo benedictio est, cuius pulchritudo ipse benedictus fructus ventris tui est, talis ac tanta causa tua est, vt si teipsam non ignores, statim scias illud quod quæris, dicens: Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie, nec verendum tibi sit, ne vagari incipias per greges sodalium meorum, id est, per conuenticula, quæ fiunt circa cathedras siue doctrinas scribarum & phariseorum, qui sese mihi sodales siue pares faciunt, qui in cæremonijs suis iustificari volunt, qui suam quærentes statuere iustitiam, Rom. 10. iustitiæ Dei quæ Christus est, subiecti non sunt. Quid enim? Vnde pulchritudinem istã acquisisti, vt sis pulcherrima mulierum? ex fide & humilitate, an ex operibus legis? nónne ex fide & humilitate? Nã & beata quæ credidit, ait illa prophetissa, illa cognata tua Elizabeth, repleta gaudio, & exultans in spiritu sancto cũ infante in vtero suo. Beata (inquit) Luc. 1. quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ei à domino. Non dixit, beata, quæ inuenta est in operibus legis. Ecce beatitudo ex fide. Tu quoque statim cecinisti. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et ecce beatitudo ex humilitate. Ergo ex fide & humilitate, imo fides & humilitas tota pulchritudo tua est, & hic est locus requietionis meæ. Locus, in quo dilectus tuus pascendo & cubando delicietur in meridie, id est, in hoc tempore plenæ gratiæ, quando figura iam præterita, res illuxit, vmbra depulsa, sol veritatis ascendit.

Si hocignoras, consequens est quod dixi, egredere & abi post vestigia gregum, videli- Coloss. 2. cet eorum, qui in lege vel in carne iustificari volunt: & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum, id est, carnales habe alumnos secundum imitationem supradictorum sodalium meorum: quorum omnium cuncti greges, non oues, sed hœdi sunt: vtpotè à peccato suo non iustificati, imo in peccato suo morituri. Ioha. 8.

Cui posthac licebit in carne gloriari? Ecce illi, quę de carne sua verbum carnem factum peperit, si ignorat se, subauditur, vnde altissimo placuerit, dicitur, Egredere & abi. Et in Euangelio, quum extollens vocem quędam mulier de turba, dixisset, Beatus venter, qui Luc. 11. te portauit, & vbera quæ suxisti, quid responsum est ei? Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Hæc enim causa principalis est effectiua beatitudinis, & sine hac beata non potuisset esse vel dici. At tamen perseuerantur & irrefragabiliter dicimus, Beatus venter quite portauit, & vbera quæ suxisti, & benè dicimus, scientes quia hospitium ventris sui, quod creatori suo præbuit, & alimoniam lactis sui, quod ori eius ministrauit, fide pretiosa & humilitate gratiosa communiuit, atque perornauit, compleuit & custodiuit, nullam habens vnquam ignorantiam sui.

Sequi-

Sequitur [*Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*] Hoc est quod nolo ignorare, & quod si ritè perpendis ô amica mea, Equitatus domine Sergæ Aaron. non ignoras te. Quisnam fuit ille meus equitatus in curribus Pharaonis vel quomodo in curribus Pharaonis? Magnũ & mirum spectaculũ respicienti, inde currus Pharaonis, hinc equitatum meum. Currus nanq; Pharaonis valde multi, ferro armati, plerique etiam auro vel argento insigniti fuerunt: equitatus autem meus, virga vna fuit, virga Moysi & Exod. 7. Aaron. Virga illa cõtra sublimes currus Pharaonis taliter equitauit, hoc modo militauit. Primò, versa in colubrum deuorauit virgas magorum: deinde percutiens aquas fluminis vertit in sanguinem, deinde extẽsa super fluuios & super riuos ac paludes eduxit ranas super terram Aegypti, deinde percussit puluerem terræ, & facti sunt cyniphes in hominibus & in iumẽtis, deniq; impleuit domos Aegyptiorum muscis diuersi generis, deinde fecit, vt morerentur omnia animantia Aegyptiorum: & deinde facta sunt vulnera vesicarum turgentium, deinde extẽsa in cœlum fecit tonitrua & grandinẽ mixtum igni, ac discurrẽtia fulgura super terram Aegypti: deinde extensa super terram ascendere fecit locustam, & deuorauit omnem herbam, quæ resiEXod. 14. dua fuit grandini: deinde extensa in cœlum, fecit vt essent tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti, nouissimè eleuata super mare, vertit illud in siccum, & diuisit aquã, & transierunt filij Israel per mediũ maris, iterumq; reducta super mare, operuit aquis currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis. Rectè ergo virga talis dicitur equitatus domini, quæ contra tot currus & equites Pharaonis sola Maria assimilatur Sergæ Aaron. sufficit, & victoriam peregit. Quomodo vel in quo tali equitatu meo amica mea assimilaui te? Videlicet in eo, quod posita coram domino virga illa in tabernaculo testimonij, Num. 17. sequenti die inuenta est germinasse, & turgẽtibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis, in amygdala deformati sunt. Erant enim quidam similes istorum sodalium meorum, pro sacerdotio contendentes, & concilia sua trahentes aduersus Moysen & Aaron: sicut isti sodales mei, sacerdotium sibi vendicant, in carnibus taurorum & sanguine hyrcorum, aduersus sacerdotiũ meum, sacerdotium æternum, secundum ordinem Melchizedec iuramẽto firmatum. Dixi ergo. Refer Heb. 9. Psal. 109. virgam Aaron in tabernaculum testimonij, num. 17 vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, & quiscant querelæ eorũ à me, ne moriantur. Illi signo, illi equitatui meo assimilaui te amica mea. Sicut enim virga illa virgas maleficorũ & incãtatorũ deuorauit, & omnẽ superbiã Aegyptiacã obtriuit, ac deinde germinauit, fróduit, floruit & fructum protulit, nó plãtata, nõ succo terræ animata, sed virtute cœlesti supra vsum naturæ prouecta, sic tu pulcherrima mulierũ, amica mea, cunctã prauitatem hæreticam interemisti, superbiam diaboli deiecisti, conceptu florida, partu fructifera, virgo in conceptu, incorrupta in partu, virgo ante partum, incorrupta post partũ. Pulchræ sunt genæ tuæ. Nonne igitur pulcherrima es mulierum? Verè pulcherrima. [*Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia*] Pulchritudo tua pudicitia est, quę multũ apparet & spectabiliter lucet in genis tuis, quia non foris vagaris oculis, sed sicut soliuaga & auis castissima turtur, solitudine delectabaris, & solitariã te angelus inuenit atq; salutauit. Non ita pulchræ sunt genę mulieris, qualẽ Sapientia denotat, Ornatu, inquiẽs, meretricio præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. Verum vt taceã de eiusmodi, pudicarũ omnium virginũ, viduarum atq; continentium pudor siue pudicitia, religiositas aut verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non est verecundia, non est pudor, non est, aut vix meretur dici pudicitia. Adde quod Collum tuũ sicut monilia. collum tuum sic est sicut monilia. Sic enim monilia muniunt matronarum pectora pudica, vnde & dicuntur monilia, eò quod pectus muniant, ne quis extraneus (id est, impudicus) manum suã inijciat, ita & collum tuum munit verba tua, non solum ne quid otiosum aut noxium siue inordinatum per vocem erumpat, verum etiã ne ipsum bonum tuum, secretum tuũ, diuinum mysterium tibi credi tum, leuiter viam vel vocem inueniat, vt auris aliena, siue filia aliqua, quanuis videatur esse filia Hierusalẽ, quæ forte custodire nesciret huiusmodi margaritas, sicut custodiri oporteret, ppter porcos, maximeq; propter Herodem & eius complices, intelligat. Verè Matth. 7. igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo, id est, tam oculorum quàm verborum tuorũ moderamine decentissimo. Quid ad hæc dicunt amici vel familiares tui, quales primi fuerũt Apostoli? [*Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*] Murenula quoddã colli ornamẽtum, Quid murenula. vulgò sic vocatum, idcirco quod scilicet auri metallo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena cõtexitur, in similitudinem murenæ serpentis. Hæc & interdum auri atque argenti texitur virgulis. Vnde hic dicitur, Murenulas aureas, vermiculatas argento faciemus tibi. Aurum & argentum

idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

idem ſignificant hic, quod in Pſalmo cùm dicit: Pennæ colũbę deargentatę, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Aurũ in dorſo vel in poſterioribus columbę, interior eſt ſenſus ſacræ ſcripturæ, argentum verò ſermo exterior, cuius nitori nullo modo cõparari poſſunt lepores ſiue exornationes eloquentiæ mundanæ, quantumlibet exquiſitæ fuerint ſiue accuratæ. Ergo per murenulas aureas argento vermiculatas, rectè intelligimus ſermocinationes ſanctorum, ſenſibus aureas, elocutionis nitore argenteas ſiue luculentas. Eſt igitur ſenſus: O virgo virginum, quomodo factum eſt iſtud? Quia nec primam ſimilem viſa es nec habere ſequẽtem. Laxa vocis iter, & collum tuum ſilentio communitum pande interdum, & tutis auribus amicorum fidelium, vel breuiter eloquendo committe ſecretum, vt dicas nobis, quomodo vel per quid altiſsimo complacueris: qualis ille tibi fuerit, primum in corde ſiue in vtero, deinde in conuictu ſiue in colloquio, dũ lactares vberibus, dum geſtares eum vlnis trementibus. Sumus enim fidi artifices, argẽtarij fideles, & ad laudem illius, qui tibi hæc magna fecit, faciemus murenulas veritatis, ornamenta benedictionis & gratiarum actionis, benedicendo & gratias agendo, quia ſic fecit tibi, ita vt non ſit locus, vbi vox laudis huiùs non audiatur, vox ſonora, laus altiſona, quæ tuũ nomen concelebrans, iugiter te ambiat, & quodammodo de collo tuo dependeat. *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engadi.* Hoc dico vobis ô amici, & hoc aurum verum eſt. Si habetis argentum, facite (vt dixiſtis) murenulas mihi, imo non mihi, ſed domino, memores illius dicti Sapientis: Glorificãtes dominum quantumcunque poteritis, ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes dominum, & exaltate illum, quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, nõ enim peruenietis. Quid enim? Cùm eſſet in ſinu vel in corde patris, de illis altiſsimis ſuis reſpexit humilitatem meam. Hoc eſt, quod dico. Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Quid enim eſt, vel erat accubitus regis, niſi cor vel ſinus patris? Illi ſupradicti paſtores vel ſodales eius, qui ſeſe pares ei faciunt, & greges non ouium, ſed hœdorum poſt ſe trahunt, dixerunt, quòd ante me rex iſte non fuerit, quòd ex me initium ſumpſerit, quòd homo tantum, & ſupra hominẽ nihil in eo ſit. At ipſe priuſquã ego eſſem, imo & antequàm Abrahã fieret, eſt & erat, & in illo accubitu ſuo erat. Nam in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Dum ita eſſet, nardus mea dedit odorem ſuum, & hoc odore delectatus deſcendit in vterum meum. Olim in Eua malo ſuperbiæ fœtore offenſus, & ob hoc ab humano genere auerſus fuerat: nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meę, ſic ad genus humanũ conuerſus eſt. Propterea nardũ meam, dico humilitatẽ meã, quia ſicut nardus herba aromatica, paruo quidem frutice vel parua ſpica, nequaquam in altum ſe ſubrigit, ſed comoſa atq; odoratiſsima, flore optimi odoris atque radicula ſuaui, multis vſibus probatur vtilis: ſic humilitas mea, ſuo quidẽ arbitrio vel iudicio parua res eſt, nimiumq́ue exilis, ſed iudicio regis pretioſior eſt cunctis operibus legis, in quibus homines iuſti ſibi videntur atq; magnifici: ipſumq; regẽ & patrem eius Deum, ſanctum quoque ſpiritũ, vnicè delectat, velut ſuauis odor, qualis quãtuſq́, de nullo vnquam vſq; ad ipſum ſpirauit, vel ſpirare potuit ſacrificio. O amici, hoc ego experta ſum. Humilitatem meam de illo accubitu ſuo ſenſit & reſpexit, & valde delectatus eſt, & placuit ſibi, quòd in iſto ſexu tantam humilitatem inuenit: in iſto (inquam) ſexu, à quo initium ſuperbiæ generi humano ſuperueniens, totam maſſam corrupit. Prius in virili quàm iſto ſexu fidã humilitatẽ inuenit, & inter cæteros in iſta gratia duo viri valde nominati ſunt, ſcilicet Abraham & Dauid, qui & ex verbis ſuis cognoſci poſſunt, quàm humiles fuerint in oculis ſuis. Abraham quippe, cùm tantus eſſet, vt cum eo Deus loqueretur, & amicus illi haberetur, non tamen oblitus ſui: Loquar, inquit, ad dominum meum, cùm ſim puluis & cinis. Dauid quoq; cũ eſſet vnctus rex, & Saul perſequeretur eum, quem perſequeris (ait) rex Iſraël, quem perſequeris? Canem mortuum & pulicẽ vnũ. Propterea non ſolũ non confunditur Deus, verum etiam iſtis duobus iurare Deum altiſsimũ nõ piguit, facturum ſe hoc myſteriũ ô amici, quod in me cernitis. In iſto ſexu tandẽ gratiam eandẽ, & fortaſsis abundantiorẽ inuenit. Nolite incumbere mihi, vt explicem, quãtam in me humilitatem mitis & humilis corde inuenerit. Nõ poſſum eloqui, non poſſum verbis cõſequi: Res iſta non eſt effabilis. Quid vel quale ſit hoc bonum, nemo ſcit, niſi qui accipit. & cùm acceperit, nulli niſi Deo poteſt effari, qui vt videt, ſic intelligit. Hoc tantum dixerim, quia requies eſt mentis, & qui hanc inuenit, ſine dubio requiem animæ ſuæ inuenit. Ego in omni-

Ecclc. 43.

Rex in accubitu ſuo eſt ſinus in ſinu patris.

Iohan. 1.

Nardo comparatur humilitas Mariæ.

Humilitas Abrahæ & Dauid.

Gen. 18.

1. Regũ 24.

Matth. 11.

omnibus requiem iſtam queſiui, & vidit rex reſpiciens vbi nardi huius ex me odorẽ ſenſit: vidit (inquam) quod requieſcere poſſet hic in ſuauitate animę quietæ, id eſt, humilis: deſcẽditq; de illo accubitu ſuo, & requieuit in tabernaculo meo. Hic requieuit, hic habitauit totis nouẽ menſibus: & cuius erat dominus, eiuſdẽ ancillę ſuæ factus eſt filius. Vultis audire amici, qualis exinde fuerit iſte dilectus meus mihi, & ego illi? Ecce dico vobis: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur. Cõferte iſtud illi dicto vnius ex vobis, vnius ex amicis, iuſti Simeonis: Ecce (inquit) hic poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionẽ multorũ in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur. Et tuã ipſius animam pertranſibit gladius. Dico adhuc: Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engadi. Si hæc ſcitis, ſi iſta ritè perpendi tis, profectò in me inuenietis, & vnde mecũ cõpungamini, & vnde mecum dulciter conſolemini. Nolite ſolã attendere horã vel diẽ illã, in qua vidi talem dilectũ ab impijs comprehenſum malè tractari, ſcilicet illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanciari, mori & ſepeliri. Nam tũc quidẽ gladius animam meã pertranſiuit: ſed antequã ſic pertranſiret, lõgum per me trãſitũ fecit. Prophetiſſa nãq; erã, & ex quo mater eius facta ſum, ſciui eum iſta paſſurũ. Cũ igitur carne mea taliter progenitum, talem filium ſinu meo fouerem, vlnis geſtarẽ, vberibus lactarem, & talem eius futurã mortẽ ſemper præ oculis haberẽ, & prophetica, imo plus quàm prophetica mẽte præuiderẽ, qualẽ, quantam, quàm prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſsionẽ? Hoc eſt quod dico: Faſciculus myrrhę dilectꝰ meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur. O commoratio, dulcis quidẽ, ſed plena gemitib. ine narrabilibꝰ. Ad vbera deforis ſtringebatur, & eiſdẽ lactabatur vberibꝰ, ſimulq; inter vbera intus in corde futurorum prę ſcio, ſemper parebat, quali eſſet morte moriturꝰ. Veruntamen & illud ſciebam, quod eſſet reſurrecturus. Huius rei præſcientia dulcis erat. Igitur dilectus meus mihi & faſciculus myrrhæ, quia moriturus, & botrus Cypri erat, quia reſurrecturus, & vltrà nõ moritur. Botrus (inquã cypri) videlicet terrę vel inſulæ, botros ꝑdulces, vinũq; optimũ afferentis, gã nõ qualecũque, ſed optimũ eſt vinũ reſurrectionis. & hoc in vineis Engadi, id eſt, fontis hœdi, hoc enim interpretatur Engadi. Cur ergo ita dixerim? Idcirco nimirũ, quia meus iſte dilectus, nõ iuſtos, ſed peccatores vocare venit, vt reſurgãt in reſurrectióe prima, qui fuerant per peccatum mortui, & hoc in fonte hœdi, in fonte baptiſmi, in lauacro regenerationis: quo regenerati, fiũt oues, qui fuerãt hœdi: fiũt ſãcti, qui fuerãt peccatis obnoxij. Ad huiuſmodi fontẽ venientes, iam nõ vineæ ſunt, ſed vineæ fiũt: ab alio translati, in alio plantati. Vnde & quilibet eorũ dicit: Si enim cõplãtati facti ſumus ſimilitudini mortis eiꝰ, ſimul & reſurrectiõis erimus. In iſtis plantationibꝰ, in iſtis vineis apparet iſte botrus Cypri, ſapit dulcedo reſurrectionis iſtius dilecti mei. Deſideratis ſcire, qualis interea mihi in colloquio fuerit? Talis vtique, qualis ex verbis iſtis debet intelligi. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui colũbarum.* Quid enim erat, illum hæc & cætera huiuſmodi dicere ad me, meque illi ſic & ſic reſpõdere, niſi me atq; illum de ſcripturis, q̃ de me & illo erant, quàm familiariter tractare? Nã hoc ipſum, ecce pulchra es, nonne de illis ſcripturis eſt? Ecce (inquit Eſaias) virgo cõcipiet & pariet filiũ. Item: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcẽdet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectꝰ, ſpiritus cõſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris domini. Hoc ergo dicebat: Ecce, ô amica mea, completum eſt in te, quod ille prænũciabat. Quãdo enim nata es de domo Dauid, tunc egreſſa eſt virga de radice Ieſſe: quando (inquam) nata es, quæ tanto humilior es hominibus huius ſeculi, quanto virgula quæuis minor & gracilior eſt grandibus cedris & quercubus magnis, de quibus idẽ propheta dicturus, Et egredietur virga, pręmiſerat: Et excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur, & ſubuertẽtur cõdenſa ſaltus ferro, & Libanus cum excelſis cadet. Quãdo autẽ ego ex te natus ſum, tũc de virga flos aſcendit, ſuper quẽ requieſcet ſeptiformis ſpiritus domini. Ecce ergo tu pulchra es: & iterũ dico ecce tu pulchra es, pulchra decore virgineo, pulchra vnigenito filio. Taliter geminata, nullius vnquam fuit, nullius vnquam erit pulchritudo. Adhuc addo iſtud, pulcherrimũ, oculi tui colũbarum. Quinam ſunt oculi columbarũ, niſi dona ſeptẽ gratiarum, id eſt, ſeptem ſpirituum ſuper me requieſcentiũ? Septem nãq; oculi, qui iuxta Zachariã prophetam in vno lapide ſunt, ſeptem ſunt ſpiritus dei, qui iuxta iam dictum Eſaiam prophetã, ſuper florem requieſcũt. Iſti oculi mei, ſunt oculi tui, oculi columbarũ, oculi omniũ gratiarum. Omniũ quippe gratiarũ vel ſpirituũ tu effecta es particeps, ex quo me caſtis viſceribus ſuſcepiſti, ſuper quem requieſcit, in

Tit. 3.

Roma. 6.

Luc. 2.

Faſciculus myrrhæ.

Botrus cypri.

Luc. 5. Apoc. 5.

Scriptura de Chriſto & Maria.

Eſai. 11.

Eſai. 8.

Gemina pulchritudo Mariæ. Oculi colũbarũ ſeptẽ dona ſpiritus ſancti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hoc eo dicēte mihi, quid ego illi? *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noster floribus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.* Hæc ego illi. Cōsiderate diligenter ō amici, qualis sit ista ordinatio huius scripturæ, scripturæ cantabilis, in qua secretū nostrū, secretū dilecti & dilectę contēplari desideratis. Et hic & in cæteris, quæ sequūtur, nō ego dilecto & ille mihi, sed dilectus meus mihi & ego illi: nisi q̄ semel audistis, ego dilecto meo, & ad me cōuersio eius. Fere in omnib. dilectā honore prēuenit dilectus vtpotè matrē filiꝰ. Ille mihi, ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra: & ego illi, ecce tu pulcher es & decorꝰ dilecte mi. Ille mihi, sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias: & ego illi, sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Quid de hoc censetis? Nonne ille cum Deus & homo sit, debuerat ab homine modis omnibus honore prēueniri? At ille in hac disciplina totum principatū possidebat. Hinc Apostolus ad Philippenses cum dixisset, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerātes, sed ea quæ aliorū, protinꝰ ait: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cū esset in forma dei, &c. Ille nanq; sicut in cæteris, ita in cōsideratione mei, semetipsum humiliauit, quodammodo non considerans quod ipse esset Deus, sed considerans quod essem ego mater, & ipse filius, superiorē sibi arbitrabatur quēadmodū & euāgelista vult, intelligi, cū dicit: Et descēdit cū illis, & erat subditus illis. Itaq; cū dilectꝰ meus mihi, ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarū: & ego illi, ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus: Scitote amici, quia verba ista non à summis labris veniūt, sed rationis & veritatis istæ voces habent fundamentum. Ille nāq; veraciter in me veneratur, quod sua mater & virgo: ego in illo adoro, quod sit deꝰ & homo. Dico ergo: Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus. Dicis mihi, Ecce tu pulchra es: & ego dico tibi, Ecce tu pulcher es: Ex quo ego pulchra facta sum, ex eo tu qui semper pulcher fuisti, pulchrior factus es. Nā verè in eo pulchritudinem tuam adauxisti, quod cum Deus esses, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher & decorus, ita pulcher, vt sis ipsa substantia pulchritudinis: ita decorus, vt sis ipsum decus humani generis. Verè ergo dicis mihi, Ecce tu pulchra es, & dico tibi, Ecce tu pulcher es, q̄a tu pulchritudo mea es. Quod ergo pulchra sum, totū tibi attribuendū est. Neque enim virga floris, sed flos virgæ pulchritudo est. Igitur nō nisi opinione falsorū atque fallētium nigra sum ego sicut tabernacula Cedar. Nā econtrà pulchra ego sum, & pulcher es tu, & lectulus noster floridus: lectus, inquā, id est, vterꝰ meꝰ, in quo tu quieuisti totis nouē mēsibus, & saluo virginitatis meæ sigillo, egressus es flos pulcherrimꝰ. nec iā in desertū eijciemur, sicut tabernacula Cedar, imo in ciuitate nostra domos habebimꝰ, & habebimꝰ diuitias multas & pclaras, scilicet Ecclesias. Nā taliū domorū nostrarū tigna cedrina, & laquearia sunt cypressina. Nam sicut cedrus imputrib. le lignum atque odoriferū, & cypressus lignum cedro penè proximū, virtutis eximiæ sunt, tēplorū quoque trabibus apta, impenetrabili soliditate nunquā oneri cedūt, sed ea, qua in principio fuerint, firmitate perseuerant: ita domestici nostri Apostoli atq; Apostolici viri, doctores Ecclesiarum atq; prelati, perpetuę virtutis atq; firmitudinis indeficientes erunt, & domus quoq; manufactę nostræ stabunt, q̄ diu durabit seculum, titulum habentes: Locus terribilis, aula Dei, porta cæli. Hic fructus, & adhuc locupletior, te florem nō decidentem sequetur. Quid ad hæc dilectus? *Ego flos campi & lilium conuallium.* Vt tu dicis ō amica mea, pulcher ego sum & decorus, nā ego flos cāpi & lilium cōuallium, id est, decus generis humani, & honor parentum humiliū, patrum spiritu pauperum, scilicet Abrahæ, Isaac & Iacob, Dauid quoq; & cæterorum: qui etsi meritis montes, mente cōualles fuerunt: etsi diuites censu, pauperes spiritu extiterunt. Illorū ergo decus vel pulchritudo sum, verè flos, verè liliū, quia speciosus forma præ filijs hominum: quam videlicet formam taliter, vt ego, nullus habet filiorū hominum. Lilium quippe lactei floris est herba, cuius dum candor sit in folijs, auri tamē species intus effulget. Ita flos cāpi siue lilium ego sum, flos lacteus, id est, puer mundissimus: flos (inquam) & castitatis lilium, cuius dum caro siue humanitas exterius satis mūda sit, diuinitatis tamen species intus incōparabilis est: Quid aliud dilectus diceret? Nunquid me dicēte, tu pulcher es dilecte mi & decorus, ipse auersaretur, & ita deberet esse humilis & mitis corde, vt veritatem suimet conaretur abigere? Hoc impossibile est. Immo si nos negauerimus eū (ait quidā vestrū, scilicet amicorū) ille fidelis permanet, se negare ipsum nō potest. Et illic vbi antequam homo fieret, dixit: Videte q̄ ego sim solꝰ, & nō sit aliusꝰ deus prēter me, & hic, vbi homo factus

Philipp. 2.

Luc. 2.

Dilectus dilectā prænit honore vt filius matrem.

Qualis pulchritudo et decor dilecti.

Domus cedrina tēplo sunt.

CAP. II.

Christus & lilium.

Christus se negare non potest.

Deut. 32.

factꝰ dixit: Ego flos campi & lilium conuallium, & vbicunq; siue inimicis Iudæis, siue vobis ō amici apostoli eius vel discipuli, q̄piā locutus est iuxta hunc sensum, profectò pium est, considerare hoc ipsum, quia ille fidelis pmanet, negare seipsum nō potest, præsertim causa poscente tā magna, causa salutis hominū, propter quos venerat, quos in eum credere oportebat, vt diceret ipse quis esset aut vnde venisset. Est aūt testis fidelis nō soli sibimet ipsi, verum etiā & alijs, vt testificetur & dicat de singulis cuius sint meriti vel nominis. Ait ergo & mihi, quā & suprà semel & iterum pulchrā esse declamauit. *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hoc restabat, quoniā ille mihi dixerat, ecce, tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra: & ego illi, ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus. Hoc (inquā) restabat dicere, quod reuera pulcher ipse, & quod ego ad similitudinē eius pulchra sim. Cū ergo dixisset, ego flos cāpi & lilium conualliū, protinus & mihi fidele perhibens testimonium, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Vbi iam quando lilium istud, lilium conuallium inter spinas? Nimirū in Iudæa, quādo tolerauit tot & tantas impiorum blasphemias, sustinuit ꝓbra, alapas, flagella, coronatꝰ, insuper corona spinea. Sic quō dam pater Abraham leuās oculos, vidit post tergū arietē inter vepres, hærentē cornibus, quē assumens obtulit holocaustum pro filio. Aries ille, animal innocuū, pfigurabat istud innoxij candoris lilium: vepres illæ, blasphemias, & maledicta Iudęorum: post tergum Abrahæ, quia nondum venerat, sed venturus erat iste flos campi, siue istud lilium conuallium suo tempore. Igitur illic inter detractiones siue accusationes Iudaicas lilium inter spinas, sic & amica mea, inquit, inter filias: filias, inquam, non Hierusalem, sed absolutè filios, id est, hæreses vanas & vagas. Filiæ nanque, cū absolutè dicuntur, fere nusquam significationem bonā habent, vt illic: Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum, & iurgatæ sunt, inuiderūt illi habentes iacula. Et alibi: Multę filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Itaq; & spinæ & filię, blasphemiæ sunt Iudęorum, sectæ sunt hæreticorum. Quæcunq; huiusmodi spinæ lacerauerunt me, ipsæ & amicā meā lacerauerunt: quęcunq; huiusmodi filię tibi inuiderunt & mihi detraxerunt. Vbi ego spinis cōpungebar, imo & clauis configebar, tu præsens patiebaris mente conuulnerata: & vbi tuę virginitati à filiabus derogatur, mihi quoq; inuidiosè detrahitur. Verum sicut ego spinas pertuli quidē, sed exuperaui: ita & de te veraciter prædicabitur, quia cunctas hęreses interemisti. Ad hęc, inquā, *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* malus lignum fructiferum, ligna syluarum sine fructu sunt. Sic dilectꝰ meꝰ boni operis facit fructū, filij verò otiosi & inutiles sunt. Dicunt enim, & non faciunt. Solummodo in hoc importunè gloriantur, quia filij sunt. Semen Abrahæ (aiunt) sumus, pater noster Abraham est, vnum patrem habemus Deum. Isti sunt filij & quasi sodales dilecti mei. Itaq; suo qui dem arbitrio filij sunt Dei, filij Abrahæ: sed reuera ligna syluarum, imo ex patre diabolo sunt, & tanquam ligna syluarum, quia nō solum non faciunt fructū bonū, verum etiā fructum faciunt malum, suntq; cubilia leonum, habitacula draconum, omniumq; latibula ferarum, id est, spirituum malignorum, profectò excidentur & in ignem mittentur. Dilectus autē meus qualē, quàm bonū inter eos fecit fructum. Vtiq; fructū vitę æternæ, quia non vtcūq; bona arbor ipse, sed lignum vitæ est. Hoc ego experta sum. Quomodo? *Sub vmbra illius quem desiderabam, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Ex quo mihi angelus locutus est, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ego sub vmbra illius sedi. Non steti ad horā sub vmbra, vt interdum paterer carnis æstum, interdum haberē refrigerium: sed continuo sedi, quia semper pacē habui, iugiter sub vmbra illius quieui. Et fructus eius dulcis gutturi meo, id est, cordi meo. Quis vestrum nescit, q̄ sit fructus eius dulcis? Expulit em̄ à nobis amaritudinem mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indidit. Malus fructus, imo malus morsus, quo Adam per Euam vitā perdidit, & mortem inuenit: bonus fructus, quo genus humanū per Mariā mortem perdidit, & vitā inuenit. Hic est fructus eius. Ad quid enim venit, ad quid succreuit inter ligna syluarū, nisi vt faceret huiusmodi fructū, quo euacuaret primæ præuaricatiōis reatū, ligni vetiti morsum? Vbi tempus venit huiusce modi fructus edendi, accipiens panem & vinum & benedicēs, Accipite, inquit, & comedite, hoc est corpus meum. Accipite & bibite, hic est sanguis meus. Non vidistis ibi carnis & sanguinis speciem, profectò nec Eua videbat promissā sibi à serpente Dei similitudinē. Nō vidistis nisi panem & vinum: profectò nec Eua vidit nisi pomū visu vel aspectu pulchrū. Attamen illi credidit quod non videbat, credidit (inquā) serpenti, dicenti, nequaquā morte moriemini, sed eritis sicut dij, magis quàm Deo dicēti, morte moriemini in quocunq; die ex eo comederitis. Plus (inquam) serpenti quàm Deo credi-

Gene. 22.

Psal. 44.

Gene. 49.

Prouer. 9.

Filij inutiles Iudæi.

Matth. 23. Iohan. 8.

Luc. 1.

Sub vmbra illius sedi.

Fructus eius dulcis.

Matth. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

credidit. Iusta ergo lege, vt expietur ille reatus malę credulitatis, exigitur fides, vt credatis id quod non videtis: credatis (inquam) Deo dicēti, Hoc est corpus, & hic est sanguis magis q̄ serpēti, qui per hæreticos dicit, Non est caro, nō est sanguis, & eritis sicut filij dei.

Vera & iusta fides de sacramēto Eucharistiæ.

Hęc vbi fecit & dixit, paratā in cōspectu viuē tiū mensam relinquēs competentē illis, cōfestim ad mortuos, siue dormiētes ipse obdormiscens & mortuus profectus, anima descēdēte ad animas, & corpore ad corpora in eun dem terrę ventrem, quo fuerant recepta, atq; ita de semetipso cibauit atq; potauit eos, atq; exinde sub vmbra illius sedent in perpetuū, & fructus eius dulcis gutturi eorum. Mihi po tissimū vmbra suauis, quam cum amore spiri tus trahit ad illum & natura carnis, cum esset in vita præsenti, nō solum modo supradicto sub vmbra illius sedere, verū etiam facié eius desiderabam semper videre, semperq; mecū præsentem habere. Sed quid actum est? *Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* Ventum est ad nuptias, vbi & aquas in vinum cōuertit. Hoc initium signo rum cōtinuo facturus, dixit mihi: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dixeram enim ego illi, Vinum non habent. Et quidem verum erat, quia vinum nō habe bant, non solū sicut litera sonat defecisse vinum, sed quia defecerat in omnibus nuptijs huius seculi per peccatum primi hominis vinum verum, scilicet incorruptio animarū & immortalitas corporum. De huiusmodi vino maior illi cura erat, sed nōdum (ait) venit hora mea, hora scilicet propinādi hoc vinū, reparandi per mortem & resurrectionē meā incorruptionem animarū, immortalitatē corporum. Tanto mihi negotio impendente, quid mihi & tibi est mulier? Opus dei tuis affectibus præponendum est. Non tuam, imo non meā, sed patris mei voluntatē fieri oportet. His & alijs huiuscemodi verbis introduxit me in cellam vinariā, & ordinauit in me charitatē, id est, intelligere me fecit, se ad hoc venisse, vt humani generis aquaticam infirmitatem in suum vinum, id est, in suę immortalitatis conuerteret fortitudinē, & quod affectibꝰ meis diuinā voluntatē præferre debere. Hoc est enim ordinatā habere charitatē, optare quidē, vt non moriatur talis dilectus, sed amplius desiderare totius humani generis salutē. Inordinata & adhuc ordinanda erat charitas Petri, qui assumens illū seorsum, abſit (inquit) domine, non erit tibi istud. Dixerat enim, quod tradēdus esset in manus hominum & occidendus. Iamdudum docuerat me charitatis ordinem, vt dolorem quidem, & iusti doloris gladium in mente vel anima portarem, non tamen auerti propositum dei cuperem, prouenturum ipsi ad gloriam & honorem, & humano generi ad perpetuam salutem. Quid igitur? *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læua eius sub capite meo & dextera illius amplexabitur me.* Ecce abijt, ecce recessit. Comprehensus ab impijs & occisus abijt in sepulchrum, descendit ad infernum, resurrexit, & parumper visus recessit in cœlum. Scitis autem, quicunq; amici estis, quicunq; illum diligitis: scitis, quia quisque vestrū dicit: Cupio dissolui, & esse cum christo. Quanto magis ego, quæ illū genui, cum illo esse cupio? Reuera non quomodocunque cupio, sed & amore langueo. Igitur fulcite me floribus, stipate me malis. Hęc mihi sit cōsolatio. Amore languēs pro absentia dilecti, vnde possum cōsolari, nisi ex eo, vt credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius ô populi vniuersi? Credendo fulcite me floribus, benè operādo & fructum vitæ æternæ percipiēdo stipate me malis. Ita enim fiet, vt nō lassescam fatigatione dilationis. In hoc læua eius sub capite meo, quod interim dum differor, floribus vestris fulcior, malis vestris stipata sum: quia vester profectus, vestra salus, meū est gaudium: & nihilominus quidē amore langueo, sed in isto cōsolata sum. Hęc est lęua eius sub capite meo, videre me impleri ea quæ scripta sunt de eo, quæq; ipse promisit de semetipso, videre hoc donum quod effudit, scilicet Spiritum sanctum, quem die pentecostes misit, videre Euangeliū eius prædicari vbiq; sequentibus signis, multiplicari credentes in nomine eius, reflorescere mundum ecclesijs eius, & fructificare cunctis virtutibus, curuari in nomine eius omne genu cœlestiū, terrestriū & infernorū, & omnē lin. guā confiteri, quia ipse Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Læua (inquā) hæc est sub capite meo, id est, consolatio magna quidem, sed minor expectatione vel desiderio meo. Quæ est illa expectatio? Quod est illud desiderium? Et dextera eius amplexabitur me, id est, gloria patris, in qua ipse est, totā circundabit & implebit me, cum de præsenti seculo eduxerit & assumpserit me. Illa videlicet dextera qualis * est, Psalmista breuiter * intimat, dicens: Et delectationes in dextera tua vsque in finem.

Ioan. 2.

Vinum nō habent.

Quid mihi & tibi est mulier.

Ordinata charitas.

Matth. 16.

Læua eius sub capite meo.

Philip. 2.

Dextera eius amplexabitur me

Alias, sita alias, insinuat. Psal. 15.

FINIS LIBRI PRIMI.

RVPER

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS, IN CANTICA CANTICORVM DE INCARNATIONE DOMINI, Commentariorum

LIBER SECVNDVS.

Psal. 118. CAntabiles mihi erāt (ait Psalmista) iustificationes tuæ domine, in loco peregrinationis meę. Quis est locus peregrinationis nostrę, nisi prēsēs deiectio mortalitatis & passibilitatis nostræ, quā & alibi vallem lachrimarum appellat, in qua oportet pati multa, scilicet esuriem, sitim, cęteraſque miserias, & ad vltimum ipsam mortem. Si ergo iam in tali loco, in tali peregrinatione cantabiles sunt iustificationes tuæ, quanto magis in ciuitate tua domine? Quæ verò maiores iustificationes tuæ sunt iustificationibus, quas habemus vel intelligimus in vocibus istis, quæ dicuntur Cantica canticorum? Igitur totis viribus cūctis extensis rationalis citharę (scilicet corporis & animę) fidibus, istas iustificationes tuas cœpta modulatione decantemus, te adiuuante sancte spiritus, quia nimirum cœleste canticum hic assuescendum est, vt nobiscum scientia vel notitia eius in illo seculo iustē perseueret. Secundæ perioches, id est, recapitulationis initium hoc est. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectā, quoadusq; ipsa velit.* Quid (rogo) necesse fuit dilectam dormire? Nemini enim parum necessaria fuit eius dormitio, quum tanta sit pro ea dilecti adiuratio. Quid ergo necesse fuit eā dormire? aut certè quid fuit illi dormire? Hoc enim perspecto melius clarebit, quàm necessaria eius dormitio fuit. Quid ergo illi dormire fuit? Profectò illud, quod Euāgelista vult insinuare, quū dicit: Maria autem cōseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Iterumque repetens alio loco, dicit: Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Hoc erat dormire, scilicet oris custodiam habere, & secretum sibi commissum, propter tempus quod malū erat, non populare, ne perciperet Herodes de rege Iudæorum, qui natus erat, vbi nam esset. Itaque necessarium valde fuit dilectam dormire, & inter verbosas filias Hierusalem nolle vigilare. Neq; enim deerant eiusmodi filiæ Hierusalem, quæ quamuis beneuolæ essent, non tamē scirent vsquequaq; opportunam habere taciturnitatem: sed idcirco non expediebat, vt dilecta hæc de sanctę contemplationis somno suscitata, cōmunem se illis faceret, & ad respondendum eis euigilaret, etsi alij quippiā loquebātur. Verbi gratia: Pastores, quos aliqua dixisse certū est. Ait enim Euangelista: Et omnes, qui audierunt, mirati sunt de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos: & si (inquā) vel tunc, vel deinceps, propter multa mira quæ facta sunt, alij loquebātur, ipsam tacere & non inquietari cōdecebat, ne res nimis manifesta fieret, maioremque persecutionis ipsa laborē sustineret, quàm fuit illa fuga, qua in Aegyptum fugere oportuerat. Igitur adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit, id est, fortiter obfirmo mentē dilectæ, ne ante tempus loquendi denarret vobis, quid vel quomodo sibi factum sit, etiam si vos multū instantes inquiratis. Per quid adiuro vos? Per capreas ceruosq; camporum. Verè magnum adiuramētum. Nā & ego iuraui ceruis & capreis, scilicet patribus vestris, regibus & patriarchis maximeq; Abraham & Dauid facere verbum istud, quod nunc feci, cū quo videlicet verbo dilecta dormit dormitione silentij competentis. Si nunc scisciantibus vobis, & illa omnibus respondente, fama nimis crebresceret, & Herodes puerū inueniret atque occideret, Euāgelio nondū cōdito, quomodo iusiurādum meū ratum permaneret, quod iuraui ad Abraham patrem vestrum, in isto semine eius benedicendas fore omnes gentes? Idcirco per illos patres vestros, vobis reuerendos, adiuro vos. Vnde patres illi capreæ siue cerui? Nimirū ex eo, quòd sicut capreæ ad instar auium ardua & excelsa tenēt, in sublimi habitant, & in petris altissimis cōmorantur: sic illi manentem non quæsierunt ciuitatem, sed meliorem appetierūt, hoc est, cœlestem, in casulis habitantes & confitētes, quia peregrini & hospites sunt super terrā: & sicut cerui, cum aliquid serpentini generis comederint, summa agilitate desiderant venire ad fontes aquarum: ita illi scientes se à primis parentibus per serpētem contraxisse originale peccatum, desiderabant nasci sibi iam dictæ benedictionis promissum fontem,

Luc. 2.

Dormire, hic est secretū non reuelare.

Eodē cap. in fine.

Luc. 2.

Adiuro vos per capreas & ceruos.

Gene. 22.

Hebr. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in quo est remissio peccatorum. Inde est illud: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus. *Vox dilecti mei: Ecce veniet saliens in montibus, trãsiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum.* Dilecta quando vult, non suscitata, neque euigilare coacta: sed quando vult, & vbi vult, & quibus vult, scripturarũ mysteria pãdit, & loquitur, & dicit: Vox dilecti mei, subauditur, talis est, qualẽ dictura sum: & vocis eius, id est, scripturę, quia ad ipsum & ad me pertinet, sensus hic est, quẽ expositura sum. Vocẽ ipsam, verba ipsa dilectæ quæ loquitur mihi, iam dicere: sed vos forte priꝰ aliud audire vultis, cur tã diu dilatũ fuerit hoc negotiũ, & priusquã mecum conueniret, tot generationes præterierũt, videlicet ab Abrahã vsq; ad Dauid generatiões quatuorrdecim, & à Dauid vsq; ad trãsmigrationẽ Babylonis, generatiões quatuordecim, & à trãsmigratione Babylonis vsq; ad ipsum generationes quatuordecim, sicut Euãgelista diligẽter distinguit. Cur aduentũ suũ tam diu distulit? num tardus est aut segnis? Imo velocissimus in opere suo est secundum testimonium scripturarum, cuius videlicet testimonij summa hæc est: Ecce iste veniet saliens in montib. trãsiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum. Dicunt enim scripturæ propheticę, velocitatẽ eius attestantes: Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari. Item: Et ecce festinus velociter veniet, non est deficiens, neque laborans in eo. Et multa his similia. Vnde ergo dilatio? Dicam: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Diligenter animaduertite, vt sciatis rem. Non enim res parua est, quam dico parietem nostrum, propter quem tam morose venit iste, qui & antequam veniret, festinus & celer vocatus est, & quum venisset illud, propter quod venerat, tam cito, tam velociter operatus est. Quid enim? Quàm longum expendit tempus in faciendo, id quod de ipso scriptum est, A summo cęlo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius? Spatio annorum plus quàm triginta duorũ tantam exultando cucurrit viam, saliens atque transiliens, tanquam caprea siue hinnulus ceruorum, de cælo in vterum meum, de vtero meo in crucem, de cruce in sepulchrum, de sepulchro rursus in cœlum. Propter quem ergo parietem nostrum tam diu moratus est, qui tam velox in opere est? Nimirum propter parietem inimicitiarum, qui non de vno tãtum originali peccato, verum etiam de multis actualibus peccatis conflictus est. Eorum, videlicet actualium peccatorum, primum illud fuit, quod filij Iacob filij Isaac filij Abrahæ, ad quem primum repromissio facta fuerat, fratrem suum Ioseph per inuidiam in seruum vendiderunt, & ille quatuordecim annis seruiuit. Quum enim sedecim esset annorũ, tũc venditus est: & quando eductus de carcere, stetit in conspectu regis Pharaonis, triginta annorum erat. Itaque sicut quodam loco iudex inquit, id est, dominus dicit, Iuxta numerum dierum, quibus considerastis terram, annꝰ pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras: ita & illic iustũ esse arbitremur iudicium, vt diceret: Iuxta numerum quartuordecim annorũ, quibus seruiuit venditus Ioseph, generatio pro anno imputabitur, & quatuordecim generationibus semen quod promisi patribus vestris, differetur, quod est Christus. Igitur ab Abrahã, inquit, vsq; ad Dauid generationes quatuordecim, subauditur, & Christus non venit, & eo vsq; distulit eũ iratus dominus: vnde & Moyses loco supradicto cõgemuit. Porro Dauid, in quem generatiões quartuordecim terminatę sunt, quum iam & ipse promissionẽ accepisset eandem cum iuramento domini, peccauit & ipse nõ minus quàm priores illi. Vriam Ethæum percusit gladio, & vxorem eius tulit, & interfecit eum gladio filiorum Ammon. Itaque non minus super hoc iratsci debuit dominꝰ, quàm dudũ fuerat iratus: & idcirco à Dauid vsq; ad trãsmigrationẽ Babylonis, ait, generationes quatuordecim, subauditur, & Christus non venit. Porro in trãsmigratione Babylonis, quæ pœna fuit transmigratis illis, nõ minoris erat peccati vel criminis, quod reges Iuda maximeq; Manasses, sanguinem innoxiũ fuderant multũ, donec implerẽt Hierusalem vsq; ad os, absq; peccatis suis, quibus peccare fecerũt Iudam, vt faceremt malũ corã domino. Igitur & à trãsmigratione Babylonis vsq; ad Christum generationes quatuordecim, subauditur, & nõ nisi post tot generationes idem Christus venit. Post huiusmodi parietem nostrũ en ipse stat, id est, propter hæc & alia peccata generis nostri, cui repromissus fuerat, ipse iustas fecit moras. Stat (inquam) respiciẽs per fenestras, prospiciens per cancellos, id est, visitans nos per prophetas, memor nostri propter patres nostros. Nam fenestræ in hoc pariete fuerũt Moyses & prophetæ, suo quiq; tempore intra multitudinem peccantiũ, in ipsa congerie peccatorum claruerunt, parietem non ita cõtiguum esse sinentes, quin dilectus haberet aditum, quo huc introrsus respiceret, & vocem

Psal.41.

Quæstio cur Christus ad. uẽtum tam diu dilatus fuit.

Matth.1.

Esai.35.

Psal.18.

Gene.37.

Gene.41.

Num.14.

Matth.1.

Num.14.

Psal.88.

2.Reg.12.

4.Reg.21.

2.Par.33.

Fenestræ sunt prophetæ.

Cancelli sũt patriarchæ

cem audibilem daret, locutionem intelligibilem faceret. Porrò cancelli, scilicet anterior pars ædificij fuerũt Abraham, Isaac & Iocob, primi patres generis nostri, per quos in eo prospexit, quòd propter eos misertus est nostri, recordatus est quid eis promiserit, quid iurauerit, hoc est quod ipsa cecini: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suę. Sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. *Et dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt.* Verba ista profectò desiderantis verba sunt. Quid autem est desiderij dilecti, vel quid amor eius, nisi charitas, nisi Spiritus sanctus? Tali vtiq; desiderio desiderare, cũ amore rectè dicitur amare, dicitur etiã latari, vt illic: Lætabitur dominus in operibus suis. Quin etiam petere dicitur, nimirum eodem desiderio, iuxta illud in Deuteronomio: Et nunc Israel, inquit Moyses, quid dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum? Amplius autem non solum petentis, verum etiam valde optantis animo loquitur, cũ item in Deuteronomio dicit, Benè omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mãdata mea in omni tempore, vt benè sit eis & filijs eorum in sempiternum. Et in Esaia dicit: Vtinã attẽdisses mandata mea, facta fuisset sicut flumẽ pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris. Hęc & his similia multa scripta sunt, testantia quietũ dilecti desiderium, charitatem impassibilis, nõ passionẽ, sed delectationẽ, qua semp optauit, sẽper cupiuit id, quod vtile esset creaturę suę humano generi. Quod si vnq̃ aliquid rectè dicitur optasse vel desiderare, quanto magis istud, in quo est summa salutis, istam plenitudinem tẽporis, in quo fieret, ex muliere fieret sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperet? Igitur hæc verba dilecti, loquẽtis mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, &c. sic accipite, quasi verba desiderantis, tanquam festinantis & optantis iam adesse materiam tãtæ salutis, scilicet me, cuius carnis illi materia foret assumendæ carnis. Tanquam præsenti loquebatur mihi, meq; iubebat surgere & properare, id est, nasci & hospitium ventris mei sibi cito præparare. Et reuera priusquam nascerer, illi præsens aderam: antequam fierem, benè illi cognita fueram. Si enim dicitis, & verè dicitis, quia elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, nonne & de me rectè sentitis, & rectè sentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi constitutionem, vt essem sancta & immaculata in conspectu eius in charitate? Et si sapiam, vt ipsa testatur iam antequam fieret, ludens erat coram eo in orbe terrarum, & deliciæ eius cum filijs hominum, quanto magis ludens erat, & deliciabatur cum ista ancilla domini, miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum. Surge, inquit, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & in his omnibus Euæ opposita. Eua nãq; quasi inimica, Eua, quasi vipera, Eua quasi deformis & ignominiosa. Mihi inimica, viro suo vipera, sibimet confusa ignominia. Inimica per superbiam, qua intus tumuit, vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens, foris tentata, facilè cessit: ignominiosa per pruritum libidinis, qua statim scaturire cœpit, vnde & nudã se cognoscens, folio pudenda contexit. Tu autem amica mea per humilitatem, columba mea per charitatẽ, formosa mea per castitatẽ. Tu contra Deum non tumuisti, imo mente humili altissimo complacuisti, & ecce amica es. Tu serpenti aurem non præbuisti, imo inimicitias inter te & serpẽtem ego posui, & ecce columba es. Tu nuditatem libidinis non incurristi, imo Spiritus sanctus obumbrabit tibi, & ecce formosa es. Veni ergo Maria, veni, nam Eua ad latebras fugit. Veni & crede angelo Euangelizanti, nam Eua credidit serpenti susurranti. Veni & cõtere caput serpẽtis, nam Eua & capite illicta, & ventre oblectata, & cauda est obligata serpentis. Veni & dic, Ecce ancilla domini, nã Eua se abscõdens pariter & defendẽs, Serpẽs, ait, decepit me, & comedi. Hæc est vox dilecti mei, & hæc loquitur mihi: Surge, propera & veni. Surge per fidẽ, propera per spẽ, veni per charitatẽ. Iã enim hyems trãsijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tẽpus putationis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederũt. Ecce enim æquinoctium vernum iam præterijt, & adest festiuitas Paschalis, dum hæc loquor tibi, dũ foris angelus annuntiat, & ego intus vocem sequor annũtiantis: quo tẽpore sine dubio, secundũ cursum solis & naturã aeris, hyems iã transijt, imber abijt & recessit. Ex ipsa ergo qualitate tẽporis auspiciũ cape magnę felicitatis, quia per istud quod dicitur tibi, quod agitur tecũ, trãsijt, id est, certissimè pertransibit,

Maria ante mundi constitutionem electa.

Ephe.1.

Luc.1.

Proverb.8.

Maria in omnib. opposita Euæ.

Psal.103.

Deut.10.

Deut.5.

Esai.48.

Gene.3.

Luc.1.

Galat.4.

Gene.3.

Festũ annũtiationis Verbo tempore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hyemis pcc cati imber ira Dei.

hyems peccati abijt & receſsit, id eſt, certiſsimè abibit & recedet imber iræ cœleſtis, quæ videlicet hyems ex eo venit, quod Eua iam dicta fugiens abſcondit ſe à facie Dei, & qui imber idcirco terram, id eſt, omne genus humanum verberauit, quia peccauit. Hic eſt imber, hæc eſt ira cœleſtis: Multiplicabo ærúnas tuas & cõceptus tuos, &c. vſque, Quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Hic talis imber abijt, & recedet per me fructũ vẽtris tui. Tũc apparuerunt, id eſt, certiſsimè apparebũt flores multi, flores ſancti ac diuerſi, alij videlicet martyrio rubicundi ſiue purpurei, alij confeſsione ſiue ad imitationẽ noſtri, virginitatis incorruptione candidi. Tunc & tempus putationis aduenit, & mox aderit, vt amputẽtur ea, quę ſuperflua sũt legis, dicaturq; floribꝰ ſiue florentibus campis & arboribus noſtris: Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorũ, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: & ea quæ vobis non vultis fieri, alijs ne feceritis. A quibus cuſtodiẽtes vos, benè agetis. Tũc & vox turturis audita eſt, id eſt, certiſsimè audietur in terra noſtra. Vox (inquam) turturis, nimirũ paruulę quidem, ſed caſtiſsimæ auis, ſcilicet prædicatio Euãgelij, cuius initiũ eſt pulchritudo noſtra caſtitatis & virginei cõceptus tui: audita eſt, id eſt, audietur, in terra noſtra, in eccleſia noſtra, in vniuerſa terra. Tũc ad vocẽ huiuſcemodi turturis ficus protulit, id eſt, certiſsimè proferet groſſos ſuos: vineæ florentes dederũt, id eſt, certiſsimè dabunt odorem. Ficus, inquam, id eſt, ſynagoga, proferet & iactitabit opera vel iuſtitias ſuas, ſed cadentibus huiuſmodi ficis, ipſa remanebit effœta, & ego veniẽs ad eam, & quærens fructũ, non inueniã. Vineæ autem florentes, id eſt, gẽtes credere incipiẽtes, dabunt odorẽ, id eſt, bonam opinionem, ita vt amici gratulentur, & dicant: Primum gratias agimus Deo noſtro per Ieſum Chriſtum pro omnibus, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuã, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Iterum vox dilecti mei, iterum loquitur mihi & ad ſurgendum inuitat, eiſdẽ nominibus me cõpellat: Surge, inquiens, amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea. Et protinus, ac ſi quererem, quò ego ſurgam, vbi, vel in quo ero columba gemituoſa: in foraminibꝰ (inquit) petræ, in cauerna maceriæ. Scit enim ſitum vel habitum mentis meæ, quia claui eius, quos, antequam fierẽt, mẽte prophetica præuidebã, & in propheta legebã dicente: Foderunt manus meas & pedes meos, & lancea lateris eius, quam ſimiliter præuidebam, in propheta legebam: Videbunt enim, ait Zacharias, in quem trãſfixerunt. Claui (inquam) eius & lancea iam eſſent animæ meæ vulnera, & in ipſis gemerem ſicut columba. Dicebat ergo: Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, id eſt, anima gemituoſa propter fixuram clauorum, qui ſum petra, propter vulnus lateris mei, qui ſum maceria. Nam ego vnus idemque aliàs petra & aliàs maceria. Videlicet vbi adhuc mortalis & paſsibilis eram, ibi ego maceria: vbi aũt iã reſurrexi à mortuis, ibi vel ex tũc petra ſolidiſsima: ſed nõ diſparuerunt in petra iã impaſsibili cauernæ ſiue foramina, quæ facta fuerãt in maceria adhuc paſsibili, imo apparebunt eadem in die iudicij. Age quod agis, contemplare quod contemplaris, atque hoc modo ſemper oſtende mihi faciẽ tuam, & oſtendẽdo corrige, quod Eua peccauit, & abſcondit à me faciẽ ſuã. Vbi abſcondit? In medio ligni paradiſi, videlicet in eodem in quo peccauit. Nam de ligno, quod eſt in medio paradiſi, ait, præcepit nobis dominus, ne comederemus, & ne tãgeremus illud, ne fortè moriamur. Comedit, & cum audiſſet vocem domini Dei, abſcondit ſe (ait ſcriptura) à facie domini Dei in medio ligni paradiſi. Ergo in quo peccauit, in eodẽ ſe abſcondit, vtpote quæ in peccato ſuo ſibi cõplacuit, & peccatum ſuum defendit. Non oſtendit mihi faciem ſuam, cùm dicerẽ, Vbi es? non ſonuit vox eius in auribus meis, vox confeſsionis, quæ ſonare debuiſſet, ſaltem cùm dicerem, quare hoc feciſti, ſicut & quãdo benedixi ei & viro eius, dicens: Creſcite & multiplicamini, nõ ſonuit vox in auribus meis, nullum enim cãtauit canticum gratiarum actionis pro tam magno beneficio, quo illam conſtituebam matrem tantæ generationis, poſſeſſurę tantã hæreditatẽ regni Dei. Tu autem oſtende mihi, ſicut & oſtẽdis, faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis, & audiam ego, audiant & amici, quorum vnus vel primus audiuit, cùm adhuc eſſet clauſus in vtero matris ſuæ, & exultauit ad vocẽ tuam, quæ hoc modo ſonuit in auribus meis: Magnificat anima mea dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Ibi ad vocem meã, & vocem tuã audire atq; exultare cœpit. Vnde & quodam loco dixit: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum

Duplices flores.

Tẽpus putationis.

Actor. 15.

Vox turturis.

Ficus protulit groſſos ſuos.

Matth. 21. Vineæ florentes.

Rom. 1.

Pſal. 21.

Zach. 12.

Chriſtus & petra eſt & macer.

Sonet vox tua in auribus meis.

Luc. 1.

Ioan. 3.

meum impletum eſt. Igitur quia & amici auſcultãt, & me delectat audire facié fidei, & audire vocem confeſsionis atq; gratiarũ actionis, oſtẽde mihi faciẽ tuã, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. In quo vox tua dulcis? In eo vide licet, quod columba mea es, & intẽta in foraminibus iã dictis, ita ſicut colũba gemitũ pro cãtu habes. Canẽdo gemis, gemẽdo canis: & ipſa exultatio, qua exultauit ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo, plena eſt gemitibus, plena lachrymis. In quo facies tua decora? In eo vide licet, ꝙ magna eſt fides, magna eſt humilitas. Iſte eſt decor, quẽ concupiuit rex, quẽadmodum Pſalmus dicit: Audi filia & vide, & inclina aurẽ tuã, & obliuiſcere populũ tuũ, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Nam vinea noſtra floruit.* vulpes Herodes, vulpeculæ ſiue vulpes paruulæ illius tẽporis omnes, qui quęrebant animã pueri. Vnde & de quodã ex poſteris eiuſdẽ nominis, cũ nuntiatũ fuiſſet à Phariſęis dicentibus, Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere: Ite, inquit, dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſumor. Ergo vulpes Herodes, maximè quia non ſolum crudelis, verum etiam doloſus ille, qui dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Fuiſſe tunc iam cum eo etiam alios eiuſdem doloſitatis, vel ex eo conſtat, quod angelus ad Ioſeph ita dixit. Surge & accipe puerũ & matrẽ eius, & vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim qui quærebant animã pueri. Igitur vulpes peruulas, quę demoliuntur vineas, capite nobis, inquit, id eſt, occidantur cito, moriãtur, & diſpereant qui quęrunt animã pueri. Nonne videtis paruulas vulpes iſtas, quomodo demoliuntur vineas? Herodes enim non ceſſat occidere fere omnes, qui erant regiæ ſtirpis, nõ ceſſat perſcrutari, vt funditus deleat domum Dauid, de qua regem Chriſtũ naſcituru ſore audiuit. Nonne videtis ad vltimũ, ꝙ teneros palmites fera iſta momordit, ꝙ infantes beſtia crudelis occidit in Bethleem Iudæ, ciuitate Dauid? Capite, capite, nam vinea noſtra floruit. Vinea illa quæ noſtra eſt, vinea vel vitis, vinea propter quam cæteras demoliuntur vineas, inter quas iſta ſic latuit, quemadmodum virga vna gracilis in magna ſylua latere ſolet ob paruitatem ſui, vinea (inquam) noſtra hęc floruit. Fructus eius adhuc flos, & non botrus eſt, nondum maturuit, & idcirco damnoſum nimis eſt, huiuſmodi vineam vel florem eius succidi vel demoliri. Creſcat prius & de flore proueniat fructus, condatur euangelium, & cognoſcatur de ſignis & virtutibus, veniſſe ſanctum ſanctorũ, atq; hoc erit florẽ veniſſe in fructum, & maturuiſſe botrũ. Tũc, ſi fuerit ſuccſus huiuſmodi botrus, cuſtodiatur, atque in vecte crucis portetur, vt experimẽto reſurrectionis & dulcedinis eius cognoſcatur, qualis terra, quale ſit regnũ eiꝰ, ad quod non pertinent vulpeculæ iſtæ, quæ vineas demoliuntur. Sicut olim duo viri de exploratoribus, quos miſit Moyſes ad explorandam terram promiſsionis, palmitem cum vua ſua deportauerunt in vecte cum cæteris frugibus terræ, dicẽtes: Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his frugibus cognoſci poteſt. Illius rei geſtę myſterium obſeruetur, & tam diu vinea noſtra defendatur à vulpibus, donec flos eius botrus fiat pręmaturus, ex ſuo ſapore cognoſcendus, & terræ viuentium experimentum mundo præbiturus. *Dilectus meus mihi, & ego illi qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ.* Hoc eſt, vnde beatam me dicent omnes generationes, quia dilectus meus mihi, & ego illi. Quomodo enim ille mihi, & ego illi, niſi ſicut per prophetam dictum eſt, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum & eligere bonũ? ita enim ille mihi, & ego illi, nec opus eſt dicere verbis, quia mẽte melius poteſt percipi, imo nec verbis exprimi, nec mente poteſt cõprehendi ſiue ęſtimari, quale vel quantum hoc ſit. Recordemur hic etiam veteris hiſtorię, per quã colligi poteſt quàm ſit terribile id, quod ſub verbis continetur tam iucũdis, qui paſcitur inter lilia. Donec aſpiret dies & inclinentur vmbrę, ſimulq; quàm ſerio de Emmanuel ſit dictũ, Butyrũ & mel comedet, vt ſciat reprobare malum & eligere bonũ. Quæ eſt illa vetus hiſtoria? Clamor Sodomorũ & Gomorrhę (ait dominus ad Abrahã) multiplicatus eſt, & peccatũ eorum aggrauatũ eſt nimis. Deſcendã, & videbo, vtrũ clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciã. Veneruntq; duo angeli Sodomã, ſedente Loth in foribus ciuitatis. Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eũ. Ingreſsiſq; domum illius, fecit conuiuium, coxit azyma & comederunt, prius autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerũt domum illius, à puero vſq; ad ſenem omnis populus ſimul, vocaueruntq; Loth & dixerunt ei: Vbi ſunt viri, qui ad te introierunt nocte? Educ eos huc, vt cognoſcamus eos. Et quidem duo angeli venerant. ſed diligenter animaduertendum

Ibidem.

Vinea noſtra Chriſtus eſt.

Pſal. 44.

Matth. 2.

Luc. 13.

Matth. 2.

Num. 13.

Eſai. 7.

Hiſtoria de angelis circa Abraham & Loth.

Gene. 18. Ibidem 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tendũ,quia sic deinde scriptũ est: Dixit quoque Loth ad eos: Quæso domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiã tuam, quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, &c. Ergo & in tribus angelis, qui venerunt ad Abrahã meridie, & in duobus qui venerunt Sodomam vespere, vnus idemq; agnoscendus est Deus, qui & per ipsos operabatur, & in ipsis loquebatur: Descendam, inquiens, & videbo, vtrũ clamorẽ qui venit ad me, opere cõpleuerint, an non est ita, vt sciã. Igitur & de illo tẽpore iã præterito rectè dicas, butyrũ & mel comedit, vt sciát reprobare malũ & eligere bonũ, quoniã, & apud Abraham & apud Loth habuit conuiuium, vt tanti illius mali caperet experimentum, & pascebatur apud illos tam diu, donec aspiraret dies & inclinarentur vmbræ, id est, vsq; mane. Sic enim scriptum est: Cumq; esset mane, cogebant eum angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. O quàm terribile impijs, & quã venerabile est pijs id, quod secundum similitudinem illius rei gestę intelligitur in verbis istis. Pascitur (inquit) inter lilia donec aspiret dies & inclinentur vmbræ. Quænã sunt lilia, nisi amicus dilecti Ioseh, & ego dilecta, cui dicit, Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias. Verè ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptijs & cohabitatiõe castissima. Inter huiusmodi lilia pascitur dilectus, donec aspiret dies & inclinẽtur vmbræ, comedit Emanuel butyrum & mel, id est, qualemcunq; victum necessarium corpori, vt sciat reprobare malum & eligere bonum. Dixit enim ipse olim, Clamor Sodomorum & Gomorrhæ venit ad me, descendam, & videbo, vtrũ opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Dicit & nunc, quia clamor sanguinis sanctorum prophetarum, quem effuderunt Iudæi, venit ad me, descendam vt videam, vtrum tales sint, an non est ita, vt sciam. Facturus quippe sum vniuersale iudicium, cuius exemplũ fuit illud Sodomorum incendiũ sulphureũ, iuxta illud, & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplũ eorũ, qui impiè acturi sunt, ponens. Quod si illud in Sodomis non feci iudicium, nisi prius experiméto scirem, vtrum ita esset an nõ, quãto magis antequam faciam illud vniuersale iudicium, debeo experiri, vt sciam reprobare malũ & eligere bonum, sic incipiens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cœlorum? Cum istud in me accepero experimentum, cum impleuerint mẽsuram patrum suorum, occidendo me dominum prophetarum, sicut prophetas occiderunt patres eorum, tunc incipiet iudicium fieri à cæcitate ipsorum secundum similitudinem Sodomorum. Sic enim dictum, & sic factum est. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerũt ad se Loth clauserũtq; ostiũ, & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate, à minimo vsq; ad vltimum, ita vt ostium inuenire non possent. Ita cæcitas continget in Israel in his, qui non tam Israelitæ quam Sodomitæ sunt, iuxta illud Esaiæ: audite verbũ dñi principes Sodomorũ, auribꝰ percipite legẽ Dei mei populus Gomorrhæ. Cũq; aspirauerit dies, subauditur resurrectionis meæ, & inclinatæ fuerint vmbræ peccatorum & ignorantiæ, in ijs videlicet, qui pœnitentiam egerint, tunc subuertam illos, sicut mane illo subuerti Sodomam & Gomorrhã, non quod reliquiæ non remanebũt, iuxta illud propheticum, Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrhã, & facti estis quasi torris raptus de incendio: Item: Nisi dominus exercituũ reliquisset nobis semẽ, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Hæc dilectus mihi. Et quid ego illi? *Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ aut hinnulo ceruorum super montes Bethel.* Quid erat hoc dicere, nisi orare pro salute reliquiarum gentis meæ? Nunquid enim ego erga gentẽ meam minorem compassionem haberem vel charitatem amicorum, scilicet prophetarũ & Apostolorũ? Exẽpli gratia: Quare (inquit Esaias) errare nos fecisti domine de vijs tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos tribus hæreditatis tuæ. Apostolus autem: Veritatem, inquit, dico in Christo, non mentior, testimoniũ mihi perhibente cõscientia mea in Spiritu sancto, quoniã tristitia est mihi magna & continuus dolor cordi meo, &c. Igitur & me non dubitetis postulasse pro salute reliquiarum gentis meæ, cuius videlicet postulatiõis summa hęc est: Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ aut hinnulo ceruorum super mõtes Bethel, id est, propter patres domus Dei, hoc enim interpretatur Bethel. Cæcitas quidem continget in Israel, ita vt te inuenire nõ possint, qui dicis, ego sum ostium, secundum supradictam similitudinẽ Sodomitarum, quos percussisti cęcitate, ita vt non possent inuenire ostium, sed reuertere super montes Bethel, id est, sicut Esaias dixit, Conuertere propter seruos tuos, recordare misericordię tuę, sicut locutus es ad patres nostros, vt saltem, quum plenitudo gentium subintrauerit, tunc omnis Israel saluus fiat. Aliter: Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ, aut hinnulo ceruorũ super

Deus in angelis illis.

Gen.19.

Esa.1.

Donec aspiret dies.

Amos 4.

Esa 1.

Ioseph & Maria duo lilia.

Esai.63.

Gene.18.

Rom.6.

Ioha.20.

Matth.4.

Matth.23.

Rom.11.

super montes Bethel. Qui pasceris inter lilia, donec aspiret dies, & inclinẽtur vmbræ, qui, vt scias reprobare malum & eligere bonum, butyrum & mel comedis, & hoc inter lilia castitatis, quę sunt optima, pater & ego virgo mater, cum aspirauerit dies & inclinatę fuerint vmbræ, reuertere, id est, diluculo resurge, valde mane, orto iã sole, plena luce reparationis nostrę, inclinatis atq; destructis vmbris mortalitatis nostræ. Cito reuertere, noli moras facere, qa anima mea desiderat te. Scio quidem quia cito reuersurus es, iuxta illud propheticũ: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, & iuxta quod ipse dixisti, sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & trib. noctibus, ita erit filius hominis in corde terrę tribus diebus & tribus noctibus. Tridui quidem tempus breue est, sed dilectæ & columbæ tuæ desideranti & gementi vulnerata mente, non satis dilecte mi festinatum est. Abbreuia hoc ipsum triduum, & similis esto in reuertẽdo capreæ aut hinnulo ceruorum, id est, velocissimus esto ad peragẽdũ cursum tuũ. In corde terrę, id est, in sepulchro tuo nõ totum expendas triduũ. Sufficit ad complendam veritatẽ scripturarum, si partem exiguã primi diei, id est, tres horas nouissimas, & partem aliquã diei tertij, scilicet sex horas, quod est dimidium noctis, cum die secundo, id est, cũ sabbato iacens in sepulchro, trãsegeris. Nã tres integri dies, horæ septuaginta duæ sunt. Hoc esset nimis longum. Sufficiunt horę triginta tres, qui numerus ex duobus ternarijs, deceno & singulari cõpositus est Beatam trinitatẽ, cui primus homo peccauit, in te & per te & de teipso, dilecte mi, caro mea & sanguis meus deus meꝰ & dñs meus, placare oportet: sed hoc fiat celerrimè & multũ festinanter, sicut caprea siue hinnulus ceruorũ in mõtibus celerrimus est: secundũ nomẽ tuum, quo per prophetã iussus es vocari, accelera spolia detrahere, festina prædari. Vix igitur expectatis triginta tribus horis, reuertere super mõtes Bethel, id est, resurge & appare principib. domus Dei, scilicet Apostolis tuis & mihi, cuius maximè, sicut & illorũ, imo & multo plus quam illorum, tu es grãde desiderium, iuxta illud patriarchæ Iacob dictum ad Ioseph filium decorum: Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrũ eius, donec veniret desiderium colliũ ęternorum. Quàm veraciter ille te appellauerit desiderium, ego maximè in visceribus meis experta sum, & hoc amicis est intimandum. *In lectulo meo per noctes quæsiui quẽ diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Quæsiui illum & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiũt ciuitatem. Num quem dilexit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quẽ dilexit anima mea. Tenui eum, nec dimittã, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ.* Hoc sentitis ô amici in vobismetipsis, quicunq; habetis sanctũ dilectionis spiritum, quicunque diligitis dominum deum ex toto corde, ex tota mẽte & ex tota anima. Hoc, inquam, sentitis vos amici, & vos filię Hierusalem, quia magnũ in ista dilectione est desiderium: Quãto vicinior iste dilectus habetur, tanto vehemẽtius desiderãtur. Qui habent, habere desiderãt, qui vidẽt, videre desiderãt. Nam angeli vident, & tamẽ, scriptura teste, desiderant in eum prospicere. Ego autem, non vtcunque habui aut vidi eum, sed in vtero gestaui, & genui eum, & ei mater lac præbui, & diligenter contemplata sum. Quid putatis, quot noctes duxi peruigiles videndo & audiẽdo eũ? Nõ enim sufficiebat dies ad tantũ desiderium, sed totis noctibus in lectulo meo, in cubiculo meo peruigil fouebã & adorabã paruulũ, audiebam & adorabam iam adultum, cum intra dulcia colloquia per oculos suos, oculos corporis, transfunderet mihi suæ diuinitatis aspectũ, ita tamen contemperans, vt tolerare possem, quę tremũt angeli & virtutes cœlorũ, iuxta illud quod auditis eum dicẽtem in hoc ipso libro Canticorum, Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Ita in lectulo meo habui eũ, sed deinde cõtigit mihi, vt ibi non inuenirem eũ. Dixit enim: Quid mihi & tibi est mulier? Iã ex quo baptizatus est à Iohãne, fieri cœperat in lectulo siue in cubiculo meo, in illo habitationis meæ secreto, vt non inuenirem eum. Nam statim ductus est in desertũ à spiritu, & deinde regressus, Euangeliũ meis prępposuit affectibus, ita vt diceret: Quid mihi & tibi est mulier? Sed & alios docuit, vt similiter facerẽt, vt scilicet patrem & matrem propter Euangelium relinquerent. Itaq; desiderio quærebam & non inueniebam eũ, vt solitaria possiderem solitarium. Dixi ergo, Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Dixi et feci sic. cum enim circuiret per ciuitatẽs & castella, prędicans Euangelium regni Dei, ego sequebar & quærebam eum. Quæsiui illum, & non inueni. Ille enim tanto intentus negotio, me matrem suam agnoscere quodãmodo dissimulauit. Deniq; et quadã die, cũ loquente eo ad turbas, dixisset ei quidã, ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes

Mare.16.

Osee 6.

Matth. 12. Quo computatur triduum Christi in sepulchro.

Gen.49.

Desiderium sanctorum et angelorũ videndi Christum.

Desiderium Mariæ.

Cant.6.

Esai.8.

Iohan.2.

Matt.10 19a Quæsiui illum & non inueni. Luc.9.

Matth. 12.

CAP. III.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iohan.19. Luc.2. Matth. 27. tes te, ipse respondens dicēti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manū in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunq; enim fecerit volūtatē patris mei qui in cœlis est, ipse meus & frater & soror & mater est. Hoc modo me matrē suam agnoscere dissimulauit. Hoc est quod dico, quæsiui illum & non inueni. Post hæc iuxta crucē eius steti. Sed nunquid hoc mihi fuit inuenisse dilectum? Imò fuit mihi inuenisse gladiū, qui & pertransiuit animam meam. Sepultus est, clausum & signatum fuit monumentum. Et ego quali mente quærebam eum? Quali desiderio desiderabā eum, sciens eum esse à mortuis resurrecturum? Inde non inueni illum. Inuenerunt me vigiles, qui custodiūt ciuitatem. Qui vigiles, vel quam custodientes ciuitatem? Discipuli eius, quia ad hoc erant dispositi, vt custodirent, imo vt ædificarent ciuitatem verā Hierusalē: de qua, vel ad quam ipse dilectus, per Esaiam dixit: Super muros Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte non tacebunt laudare nomen domini. Isti vigiles iam tunc vigilabant, quia lugentes & flentes somnum non capiebant. Isti vigiles me inuenerunt, & mulieres, quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum, quæ & emerant aromata, vt venientes vngerent eum, inuenerunt me, bonum certatim afferendo nuntium, quod resurrexisset, & quod vidissent eum. Et ego, inquam: Num, quem dilexit anima mea, vidistis? Vidimus aiunt, vidimus dominum: Surrexit verè, & apparuit Simoni. Visus est & duobus euntibus Emaus: & deinde stetit in medio nostrum & dixit, pax vobis, & ostendit nobis manus & latus: & obtulimus ei partem piscis assi & fauum mellis: & manducabat coram nobis, & dixit: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cū adhuc essem vobiscum, &c. His atque alijs modis vidimus eum ipsa tertia die qua resurrexit. Hęc mihi dixerunt vigiles illi. Ego autem sic illum inuenire cupiebam, vt iam nemo despiceret me dicētem, inueni illum, vidi illum, & ita factū est. Nam paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea & non quocunq;, sed in cęlū vidi ascendentem, & Apostolos eius misso de cœlis spiritu sancto vidi prædicātes gloriam domini. Hæc mihi fuit inuentio eius, quem diligit anima mea, & ex illa inuentione tenui eum, vt intro ducerem in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ scilicet synagogæ. Hoc ex parte iam factum est, quia multi Iudæorum crediderunt in eum: Alij quidem obclusis cordibus, me & ipsum repulerunt sed non dimittā donec illuc introducā eum. Si enim, ait scriptura, fuerit populus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eis. Dilecta & dilectarum dilectissima, cæterarū exemplū est animarū, vt similiter & ipsæ pro modulo suo dilectum quærant, & inuenire cupiant. Dilectum nanq; in lectulo quærimus, quando in præsentis vitæ aliquātula requie, redēptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia & si iam mens in illa vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectū suum non inuenit, restat, vt surgat, ciuitatem circumeat, id est, sanctā Ecclesiā electorū mente & inquisitione percurrat, per vicos & plateas ḡrat, id est, per angusta & lata gradiens, & aspiciat, vt si qua inuenire in eis valeat, eius vestigia exquirat: quia sunt nonnulli etiam vitæ secularis, qui imitandum aliquid habent de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inueniunt, qui custodiunt ciuitatem, qui sancti patres, Ecclesiæ statum custodiūt, bonis nostris studijs occurrunt, vt suo verbo vel scripto nos doceant. Quos cum paululum pertrāsimus, inuenimus quem diligimus, quia redemptor noster, & si humilitate homo inter homines, diuinitate tamen supra homines fuit. Cùm ergo transeūtur vigiles, dilectus inuenitur: quia cū prophetas & Apostolos infra ipsum esse cōspicimus, illū, qui natura Deus est, esse supra homines considerauimus. Prius ergo non inueniendus quæritur, vt post inuentus, strictius teneatur. Sancta omnium desideria, vt prædiximus, dilatione crescunt, si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt.

Inuenerūt me vigiles Apostoli.

Esai. 26.

Matth. 28.

Marc. 16.

Luc. 24.

Iohan. 20. Nuntiū de resurrectione Christi.

Pertransiui vigiles.

Actor. 1.

Actor. 2. 21.

Esai 10.

FINIS LIBRI SECVNDI.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS, IN CANTICA CANTICORVM DE INCARNATIONE DOMINI, Commentariorum
LIBER TERTIVS.

TErtia recapitulatio sonorū valde habet principium, scilicet tātam in admiratione exclamationem, vt auditorem etiam dormitantem excitare & reddere possit attentum. Prēmissa nanque admiratione, adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosq́ue camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit, de qua suprà tractatum est, continua sic exclamat diuina vox. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij?* Cuius rei quæso est hæc admiratio? Nimirùm admiratio est huius dilecti singularis huius sanctissimæ virginis. Et quid admiramur? Vel quid nobis admirandum insinuat spiritus sanctus per verba huiusmodi: ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij? O felicem mentis habitum, qui tam magnum habet præconium. Humilitas tua est, ô ancilla domini, beata Maria, quam tali admiratione Spiritus sanctus collaudat: Odor tuus, odor humilitatis tuę pręcipuus ascendit ad eum, vt verè sacrificium contribulati spiritus. Quid enim est fumus & quid puluis, nisi spiritus lachrymosus & cōscientia valde humilis? Et sua quidem æstimatione vera humilitas est fumus innoxius, quasi cremij siue torris obusti, & puluis terræ sine aqua & sitientis, iuxta illud: Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt, & sicut Abraham dixit, loquar ad dominū meum, cum sim puluis & cinis: sed non ita æstimatione Dei. Aliter & melius ille te discernit. Tu dicis, puluis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit, & ille dicit, non, sed puluis pigmentarius, siue puluis pigmentarij, puluis myrrhæ & thuris, qualem pigmentarius spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suauitas mentis, & ex myrrha probatissima, quod est mortificatio siue incorruptio carnis. Tu dicis, fumus ego sum teter coram diuinis oculis, qualis de camino siue de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit, & ille dicit, non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ & thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum, vsque ad os & olfactum domini. Talis fumus, imò talis fumi virgula, tu ô beata Maria, suauem odorem spirasti altissimo, cœlestibus disciplinis erudita atque extenuata. Talis ascendisti per desertum, id est, animam habēs valde solitariam. Si enim vera cuiusque animæ humilitas etiam inter turbas potest, esse solitaria, ita videlicet, vt in nullo alio præterquàm in Deo spem habeat, quemadmodum Hester, cum esset regina, veraciter tum dicebat: Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus auxiliator est alius: quanto magis tu vera aut solitaria, & quasi in deserto eras, quæ virum nō cognoscebas, nec cognoscere cupiebas, & ab illo, cui desponsata fueras, penè fuisti deserta, nō quia sanctus angelus, qui te solitariā inuenerat, solitariam salutauerat, te cōmendat, & filium tuum, qui quasi pupillus in hoc seculo nasciturus erat. Digna ergo exclamatio, digna admiratio. Quæ est ista, quæ talis ascendit per desertum siue de deserto? Verè mirabilis, & illi multū dissimilis, quę descendit per paradisum, cecidit de paradiso: non gracilis per humilitatem, sed nimis grossa & rigida per mētis tumorem. Propterea vultis scire, quàm magna fuerit cura altissimo de ista, quæ de superbis nō curat? *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: Vniuscuiusque ensis super fœmur suum propter timores nocturnos.* Quis enim est lectus verè & veri pacifici Regis Salomonis, qui inter nos & dominum pacem composuit? nisi illa in quo diuina natura humanā sibi naturam coniunxit. Et quis ille est, nisi vterus tuus dilecta dilecti, vterus virginalis? Ibi nanq; diuinitas verbi Dei, verbum Deus sese conclusit, & humanam naturam, de tua carne formatā sibimet in vnitate personæ inseparabiliter coniunxit, & ecce spōsus, id est, carnem nostram, cum anima rationali habens Deus, sponsus, inquam, Deus & homo Christus, sicut canimus in Psalmo, & ipse tanquā sponsus procedens de thalamo suo. Quomodo talem tanti Salomonis lectulum sexaginta fortes ambiunt. Vel qui illi sexaginta fortes sunt? Magnum & mirum mysterium, auditu q́ue & scitu dignum: sed prius est aliquid

Apoc. 8.

Ascendit per desert. tum.

Hester. 14.

Matt. 1.

Humilitas Mariæ optimus odorus.

Psal. 101. Gene. 18.

Lectulus Salomonis Gerus Mar. ria.

Psal. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur nūc nō est vsus gladij vt autequā.

quærēdum. Cur ſancti patres gladios habuerunt, aut cur gladijs licitò vſi ſunt? Hodie vel hoc tempore, ex quo Euāgelium effulſit, ex quo ille ſponſus de thalamo ſuo proceſsit, ſanctis ad perfectionē tendentibus non conceditur vſus gladij. Cōuerte gladium tuum in locum ſuum, ait idem ſponſus Petro, qui fortiter ac fideliter pro illo zelabatur, & quod vni dixit, omnib. dixit: vt poſt tēp⁹ belli, tēpus pacis nunc eſſe ſciamus. Quare iſtud? Quā ob cauſam tunc fuit tēpus belli, & nunc eſt tempus pacis? Videlicet quia radicem ſiue arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primū beati ſeminis repromiſſio facta fuerat, diabolus per barbaricos gentium vel regum impiorum gladios excidere atque extirpare volebat, vnde ſacræ hiſtoriæ plenæ ſunt. Idcirco tempus belli tūc erat, idcirco materialibus gladijs tunc opus erat, vt defenſaretur genus Abrahæ, vt defenſaretur radix Ieſſe, defenſaretur, inquam, atq; protegeretur genus & radix Dauid, donec tu beata virgo naſcereris, lectulus, vt iam dictum eſt, veri Salomonis. O igitur verum & bonum conſilium, quòd lectum Salomonis ſexaginta fortes ex fortiſsimis Iſrael ambierunt. Et qui fortes vel fortiſsimi illi ſunt vel fuerunt? Numeremus illos omnes, qui pro defenſione ſpei vel expectationis Abrahæ gladijs laudabiliter vſi ſunt cum prophetis, quorū libri extant, quique contra gladios materiales regum impiorum, gladium ſpiritualem, gladium verbi dei, non ſolū loquendo, verum etiam ſcribendo euaginauerunt, & ſexaginta fortes ſunt. Primus Abraham fortiſsimus, gladio accinctus, ſicut probatū eſt in illis, de quibus prædā reduxit, & Loth filium fratris ſui liberauit de quatuor regibus. Secundus Iſaac paterno gladio ſacratus, & deinde potentia pluſquam regia clarus, ita vt diceret ei rex Abimelech, recede à nobis quia potentior noſtri factus es valde. Tertius Iacob, & ipſe fortis in gladio, ſicut teſtatur ipſe Ioſeph, loquens filio ſuo: Do tibi partem extra fratres tuos, quam acquiſiui in gladio & arcu meo. Quartus idem Ioſeph, potentia regis potens, quaſi rex vel regis pater. Quintus Moyſes, ſextus Aarón, ſeptim⁹ Phinees, octauus Ioſue, nonus Caleph filius Iephonne: Deinde duodecim iudices, qui iudicauerunt & liberauerunt Iſrael, & ſunt viginti & vnus. Viceſimus ſecūdus Samuel, viceſimus tertius Dauid, viceſimus quartus Helias, viceſimus quintus Heliſæus, viceſimus ſextus Ioiada pontifex clariſsimus & domini benedictus, viceſimus ſeptimus Zacharias filius eius, q̄ cultū Baal, quē Helias & Helizeus exterminauerūt de Samaria per manū Iehu, Iezabel interfecta, deleuerūt de Iuda & Hieruſalem, occiſa Athalia filia eius impiiſsima, viceſimus octauus rex Ezechias, viceſimuſnonus rex Ioſias, triceſimus propheta nobiliſsimus Eſaias: Poſt illos duodecim prophetæ, quorum libri extant, qui & minores dicuntur, & fiunt quadraginta duo: Quadrageſimus tertius Hieremias, quadrageſim⁹ quartus Ezechiel, quadrageſimus quintus Daniel, & cum eo tres ſocij eius Ananias, Azarias, & Miſael, & fiunt quadraginta octo. Quadrageſimus nonus Eſdras, quinquageſimus Neemias, quinquageſimus primus Zorobabel, quinquageſimus ſecundus Ieſus, ſacerdos magn⁹ filius Ioſedech in reuerſione captiuitatis & reædificatione ciuitatis vel templi. Quinquageſimus tertius cum regina Heſter Mardocheus, qui ambo iure pro vno reputantur, quia regalis dignitas ſiue ſublimitas Heſter fuit Mardochæi gladius. Quinquageſimus quartus Matathias, quinquageſimus quintus Iudas Machabæus. Poſt illum Ionathas & Simon duces alter poſt alterum ſucceſſerunt, & deinde Iudas & Iohannes, qui & Hircanus filij Simonis nouiſſimi cōtra pardum, id eſt, regem Græcorum præliati ſunt, & fiunt quinquaginta nouem. Quibus adde hunc ipſum, per quem ſpiritus ſanctus hæc locutus eſt, regem Salomonem, & fiunt ſexaginta. Nam Ioſaphat rex fuerat quidem de fortibus, ſed non de fortiſsimis Iſrael, quia impio præbuit auxiliū, & his qui oderunt dominum, amicitia iunctus eſt per Athaliam filiam Iezabel vxorem filij Ioram, quę cultum Baal introduxit in Hieruſalem, & omnem impietatem, propter quam neceſſarij fuerunt gladij fortiſsimorum Iſrael. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi. Verè tenentes & iure tenētes gladios tam ſacerdotes, quā reges, tā patriarchæ, q̄ duces, tā ꝓphetę. q̄ iudices ſi rationē tēporis ſupradictā ritè cōſideres. Nondū enim proceſſerat ſponſus de thalamo ſuo, & adhuc laborabat diabol⁹ per ſatellites & cōminiſtros ſuos, reges Aegyptios, reges quoq; Iſraeliticos ſciſſos à domo Dauid, reges Aſſyrios ſiue Babylonios, reges Perſicos ſiue Medos, reges Græcos ſiue Macedonicos: laborabat, inquā, & laborauerat atque contenderat diabolus ſerpēs antiquus obſiſtere volens Dei propoſito, ne impleretur promiſsio, ne collocaretur hic lectus ſiue thalamus, ne eſſet vnde naſceretur hæc beata & dilecta virgo, de cuius vtero procedere oportebat dilectum, tanquam ſponſum de thalamo ſuo. Iſti erant timores nocturni, quos dicit hoc modo, vniuſcu-

Matth. 26. Marc. 13.

Gene. 12. 22

Catalogus LX. fortiū in Iſrael.

Ephe. 6.

Gene. 14. Gene. 26. Gene. 18.

Gene. 41. Iud. 3. 1. Reg. 7.

2. Par. 23. 2. Reg. 19.

Cur Ioſaphat rex nō cōnumeratur.

3. Reg. 22. 2. Par. 20.

Ad bella doctiſsimi.

vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum propter timores nocturnos. Hinc verè ad bella doctiſsimi, quia cur bellarent, cauſam præ oculis habebant huiuſmodi. Et reuerà pro cauſæ huius cōſideratione percutiēdo & occidendo impios iuuat & delectat ſiue Heliam, ſiue quemlibet alium prophetam aut ſacerdotē audire dicentem: Maledictus qui retrahit gladium ſuum à ſanguine, quia videlicet ille erat ſine zelo iuſtitiæ. Mirum ſpectaculum, quia cum hæc diceret ille realis ſiue tēporalis rex Salomon, habebat & ipſe ſexaginta fortes ambientes lectum ſuum, id eſt, pacatiſsimum & quietiſsimum regnum ſuū. Nam de patre ſuo Dauid ſibi relictos habebat fortes triginta & ſeptem, quorū primus Eleazar filius patrui Dauid Ahoi, nouiſsimus ſcribitur Vria Ethæus. Et quidē myſtica litera ſic ſe habet, Eleazar inter tres fortes & Abiſai frater Ioab, filius Saruiæ, princeps erat de tribus, & hęc fecit Banaias filius Ioiadę & ipſe nominatus inter tres robuſtos, qui erāt inter triginta nobiliores, tanquam ad myſterium intendens eorum, qui propter fidem trinitatis agonizaturi erant, quaſi diſtinctis ordinibus ſecundum triginta & tres, qui vterque numerus ternarius eſt, alter ſingularis, alter decenus, ſed in ſumma omnes triginta ſeptem ſunt. Quibus adde principes vndecim, quos habebat rex Salomon, regnās ſuper omnem Iſrael, & duodecim præfectos qui præbebant annonam Regi & domui eius: quos omnes, videlicet & principes & prefectos, ſuis ex nominibus ſcriptura commemorat, & fiunt ſexaginta, excepto quod Banaias filius Ioiadæ, vir fortiſsimus & magnorum operum, hoc pacto bis nominatur. Illi ſexaginta fortes ex fortiſsimis Iſrael, tam virtute animi quàm corporis fortitudine, tūc temporaliter ambierunt lectū, id eſt, tutati ſunt quietiſsimū regnū Salomonis temporalis, & ſicut in cæteris laudabilibus atq; memorabilibus, quæ geſsit idem Salomon, ita & iſto numero fortium magnum ſacramentum, perpulchrū rex ſapientiſsimus proſpexit myſterium, de quo iam pro poſſe dictum eſt. Et tunc quidē gladij, ſicut iam dictum eſt, neceſſarij fuerūt, nunc autem ſola neceſſaria ſunt teſtimonia ſcripturarū, & ipſæ inter eoſdē gladios diuinitus prouiſæ ſunt, vt tunc cōderentur: quæ nunc in ſuo tempore legerentur, quas legentes atq; credentes vitam in ipſis haberemus. Vnde protinus ſequitur. *Ferculū fecit ſibi rex Salomō de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureū, aſcēſum purpureum. Mediacharitate conſtruit propter filias Hieruſalem.* Ferculum nanq; Regis Salomonis, ſcripturæ

LX fortes Salomonis regis tempo ralis. 3. Reg. 23.

Ioban. 5.

Ferculum Salomonis ſunt ſcriptura. Pſal. 22.

Aſcenſus purpureus Chriſtus eſt

Pſal. 71.

Ferculum de lignis Libani.

Deut. 8. Matth. 4.

ſunt veritatis, omnes vna menſa domini cuncta regentis, & omnibus prouidentis, quemadmodum Pſalmiſta dicit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuę ibi me collocauit. Quid enim eſt, in loco paſcuæ ibi me collocauit, niſi fecit me ſtudere in ſcripturis? Ibi regit me, ſcilicet ne quid prauè intelligam, & nihil mihi deerit, videlicet quod ad intelligendum mihi neceſſarium ſit. Altiſsimum eſt huiuſmodi ferculum & habet aſcenſum. Qualem aſcenſum? Purpureum. Quid eſt aſcenſus purpureus? Deus & homo Chriſtus, pro ſalute hominum paſſus & ſanguine ſuo purpuratus. Iſtud credere, aſcendere eſt: Qui ſic aſcendit, illum ad refectionem vitæ, quæ eſt in ſcripturis diuinis, admittit. Nā qui ſic non aſcēdit, qui non credit, nunquam ſcripturas intelligit. Idcirco Iudæi, non intelligūt, & cæci ſunt, quia non aſcendunt per hūc aſcenſum purpureum: non credunt Chriſtū de Maria virgine natum, & eum qui à patribus ipſorum crucifixus eſt, Deum eſſe ac dominum, regem Salomonem verū, regem æternum. Exempli gratia: Deus iudicium tuū regi da, & iuſtitiam tuam filio regis, &c. Quo modo hæc & horū ſimilia intelligit, qui aliū Salomonem, alium regē ſiue filium regis nō recipit, niſi illum hominē, qui ſuo tempore regnauit, & mortuus eſt, ſicut cæteri homines? Nimis arduum eſt illi ferculum hoc regis, nec attingere poteſt quicquam de vitalibus cibis, quos ibi ſapiētia præparauit. Vnde rex Salomon hoc ferculum fecit? De lignis Libani, id eſt, de hominibus ſanctis, hominibus fidei imputribilibus, quorum quandam ſimilitudinem habent ligna Libani, id eſt, Cedri, per id quod ſunt naturæ imputribilis. Quomodo fecit? Eo videlicet modo, quo ad illos factum eſt verbū domini. Ipſe enim rex Salomon erat verbū domini, & per ſpiritum ſanctum corda illorum impleuit, & linguas diſertas fecit, vt de cœleſtibus ſcirēt eloqui, qui non ab hominibus, neq; per homines fuerāt docti, atq; ita locuti ſunt & ſcripſerunt, quæ paſcua vitę, in quibus homo viuit, quemadmodum ipſe dicit: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Ibi eſt argentum, ibi eſt aurum, nam columnas eius fecit argēteas, reclinatorium aureum. Quod eſt illud argentum, & quod illud aurum? Argentum illud eſt exterius eloquium valde nitidum: aurum vero interior maieſtas ſenſuum: Aurum, inquā, imo deſiderabiliora ſunt ſuper aurū & lapidem pretioſum multùm, quę intrinſecus latent: nitidiora verò ſuper argentum, quæ extrinſecus patent. Eloquia domini, inquit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal. 18. Psal. 11. Psalmista, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Quod dicit casta, quod dicit argentum, ad hanc similitudinem dicit, quia sicut casta mulier à labe corruptionis est immunis, & sicut argentum benè excoctum à cunctis sordibus redditur vacuum: sic verbis siue eloquijs domini nihil falsitatis, nihil superfluitatis potest esse admixtum. Cunctam hominũ sapientiam, cunctã rhetorum seculi huius eloquentiam exuperat hoc regis Salomonis ferculum, scilicet omne canonicarũ corpus scripturarum, vnde hic animæ viuere incipiunt & in æternum viuunt. Media charitate constrauit propter filias Hierusalẽ. Quomodo cõstrauit, ipse dicat rex Salomon: Audiuimus, quia dicit ipse: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Dixerat enim interrogatus à pharisæis, quod esset mandatum magnum in lege: Diliges dominum deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum: Secundum auté simile est huic: Diliges proximũ tuum, sicut teipsum. Statimque intulit: In his duobus mandatis vniuersa lex pẽdet & prophetæ. Verè dixit, & antiquam veritatem dixit: Quid enim aliud ab antiquo dominus petit: Et nunc Israel, inquit Moyses, quid dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas & diligas eum in toto corde tuo, & in tota anima tua? Ergo media ferculi rex Salomon charitate constrauit, id est, in medio scripturarum principatum charitatis posuit, quia reuera, de quo pendẽt cætera omnia, illud rectè medium ac principale dicitur & est. Vt quid media taliter charitate constrauit? Propter filias Hierusalẽ. Quas propter filias Hierusalem? Quæ sunt illæ filiæ Hierusalem? Animæ fideles, amantes quidem Hierusalem veluti matrem, sed virilem, id est perfectam: nec dum habentes in operibus iustitiæ virtutem, scilicet in hoc, omnia relinquere propter regem Salomonem, vt suum quoq; pro illo valeat erogare sanguinem, aut in virgineo proposito sacram & beatam sponsi & sponsæ, dilecti & dilectæ, de quibus hic sermo est, iugem celebrare festiuitatem. Quomodo vel in quo filiabus huiusmodi proficit, quod media ferculi rex Salomon charitate constrauit? Nimirum in eo, quod facere possunt, & suum faciunt illud quod est aliorũ, quod est virorum siue fortiũ. Verbi gratia: Nõ sunt carne virgines, sed bonũ virginitatis in te, ô beata Maria, diligendo, suum faciunt. Non alia præter te genuit regem Salomonem, regẽ tam magnum tam magnificum: sed illæ, diligendo in te hoc tam grande priuilegium, regis eiusdẽ matres sunt. Item: Non sunt martyres, neq; sufficiunt inter fortes præliari, & pro amore regis Salomonis fundere sanguinem suũ: sed martyres diligũt, & diligendo illos, gloriam eorũ suam faciunt. Amplius dicã: Non sunt dij, sed diligẽdo Deũ, dij vel filij dei sunt, sicut scriptũ est: Ego dixi dij estis, & filij excelsi oẽs Proinde q̃d sequitur? *Egredimini & videte filiæ Sion regẽ Salomonẽ in diademate, quo coronauit eũ mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* O igitur filiæ Sion, siue filiæ Hierusalem quoniã ferculũ eiusmodi fecit sibi rex Salomon, & quoniam propter vos media charitate cõstrauit, venite ad nuptias: Venite & aspicite, egredimini & videte hunc regem, hunc Salomonẽ pacificũ, & pacis principem, in diademate regali, in charitate nuptiali, qualis, quãtus, quàm gloriosus sit. Nolite hoc solum cõsiderare, qualis sit in carne mea, qualis natus in diuersorio, qualis collocatus in præsepio. Egredimini ex istis angustijs, & videte illum in diademate suo, quo coronauit eum mater sua, scilicet antiqua patriarcharum, & prophetarum ecclesia: cuius fidei promissus est, cuius de carne progenitus est. Antequam nascereturr: fecit ei mater sua illud pretiosum diadema, quo coronari deberet, & vnde cognoscendus foret magnus & spectabilis rex. Quod est illud diadema? Nimirum clarissima propheticæ veritatis authoritas: cuius quot sunt præconia, tot gemmarum, tot pretiosorum lapidũ, est huius Salomonis diadema: in die desponsionis illius, quo de vtero meo, tãquam sponsus processit de thalamo suo, & in die lætitiæ cordis eius, quo spinea coronatus corona laborem consummauit, & subsequenti lætificatus resurrectionis triumpho. Et in die lætitiæ illius, & in die desponsionis, in illo diademate videndus & ex illo est diademate, quantus sit agnoscendus. Exempli gratia: Paruulus natus est nobis: filius datus est nobis, & cætera, vsque amodò, & vsque in sempiternum Et alibi: Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. Quiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Nõ auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribꝰ eius, &c. Ex huiusmodi sententijs & dictis propheticis, ex huiusmodi auro & lapidibus, quàm multis, quàm pretiosis, fabricatum vel compositum est diadema regis veri Salomonis.

Nolite ergo eum solummodo in præsepio considerare, sed egredimini mente ex isto,

Charitas, finis præcepti.

1. Tim. 1. Matth. 22.

Deut. 10.

Filiæ Hierusalem.

Charitas alterius bonũ suũ facit.

Psal. 81.

Psal. 2.

Esai. 9.

Gene. 49.

isto, in quo natus est, diuersorio: & ex illo, in quo iudicatus est, Pilati prætorio siue auditorio: & videte eum in præsepio simul & in diademate, in cruce simul & in ea, qua coronauit eum Deus pater gloria & honore. Et quis fructus visionis eius? Ille nimirũ, qui in propheta promittitur, regem in decore suo videbunt oculi eius. Qui enim hic, vbi ambulamus per fidem & nondum per speciem, viderit & videre voluerit per speculum in ænigmate regem Salomonẽ, in tali diademate: videbit eundem in decore suo regem, videbit eum facie ad faciẽ, quãdo, veniente eo q̃ perfectum est, euacuatũ fuerit, quod ex parte est. Sequitur. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es: Oculi tui columbarũ, absq; eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus & sterilis non inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ, absq; eo quod intrinsecus latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* O pulchritudo admirabilis, quam sic admiratur & collaudat pulcherrimus author ipse pulchritudinis septem præconijs. Considerauit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum & vbera, & pro singulis dilectus singula decantauit dignæ collaudationis capitula. Audiant hæc pueri, & sic se habeant ad cantationem huiusmodi, sicut filij nuptiarum læti & iucũdi, longè dissimiles illis, quibus ipse quodam loco dicit: Cantauimus vobis, & non saltastis, id est, monstrauimus vobis ea, quib. delectatur Deus, & ad illa vosmetipsos aptare neglexistis. Quid enim septem istis modulis decantatur? Quid in te, ô dilectissima dilectarum, virgo virginum laudatur à dilecto laudabili, quem laudat omnis chorus angelorum? Laudatur simplicitas, munditia, innocentia, doctrina, verecundia, humilitas, mentis & carnis integritas, siue incorrupta virginitas. In oculis simplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia, in labijs doctrina, in genis verecũdia, in collo humilitas, in vberibꝰ tuis admirãda & spectabilis est cũ fœcunditate virginitas. Simplicitas tua, prudentia tua est: munditia tua, supernorum desiderium est: innocentia tua, religiositas est, humilitas tua, vera cõtra diabolum fortitudo est: virginitas tua, matrũ siue matronarum decus est. Hi sunt dulces moduli musicæ cœlestis, quos libenter audimus & intelligimus in verbis istis iam diligentius pertractandis: Primùm hoc est pulchritudinis tuæ prædicamentum.

1. Cor. 2.

Cap. IIII.

Præconium pulchritudinis.

Matth. 11. Pulchritudo ista ex septẽ virtutibus.

Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Oculi columbarum & oculi ceruorum, hoc differunt: quo dulcedo simpliciter diligentium, & multiplex amaritudo inuidentium. Simplicitas columbarum septem habet insignia virtutum naturalium. Hæc nanque auicula, primum sine felle est, deinde nihil viuum comedit, pullos alienos nutrit, grana semper candidiora colligit, in petris nidificat, gemitum pro cantu habet, libenter iuxta fluenta residet, vt venientem accipitrem ex vmbra præcognitum effugiat perniciter. Tu maximè, ô misericordiæ mater, sine felle es: nihil enim vnquã habuisti inuidiæ, nihil odij, quod familiare est rapacibus coruis. Nihil viuum columba comedit, & tu longè ab illis es, de quibus scriptum est, qui deuorant plebem meam sicut escam panis. Pullos alienos colũba nutrit, & nos qui eramus alieni secundum carnem à genere tuo, ecce viuimus tuis meritis. Grana candidiora columba colligit, & tu conferens in corde tuo testimonia de scripturis, creditum tibi conseruabas secretum Dei. Columba in petris nidificat, & tu in solitudine fidei permanens, euasisti serpentis antiqui venena. Columba gemitum pro cantu habet, & tibi gemere dulce fuit, eò quòd præ cunctis mortalibus mente vulnerata esses. Colũba iuxta fluẽta residet: tibi autem vel tuo pectori omne fluentum scripturarum, quàm contiguum est? Nunquam aduentus spiritalis accipitris tibi esse improuisus, aut te consequi, imo nec tibi appropinquare potuit. Igitur oculi tui columbarũ, & hęc vera pulchritudo est, absque eo quod intrinsecus latet, quod solus in te Deus videt: nobis autem quia inexpertum, idcirco ineffabile, imo & incogitabile est. Si enim quispiam dixit, & teste Deo vel conscio, non mentiens, dixit raptum se fuisse in paradisum, siue vsque ad tertium cælum, ita vt nesciat, siue in corpore, siue extra corpus raptus fuerit, & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: quanto magis tu regina cælorum perspẽ cœlestibus interfuisti: quippe quam & circumsteterunt obstetricum vice, gloriam Deo cõcinentes, angeli: & inter hæc didicisti vel assecuta es aliquid, quod latet & latere nos debet? *Capilli tui, sicut greges caprarũ, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Qui greges caprarum, vel quando greges caprarum apparuerunt de monte Galaad? Vtiq; greges rationales, greges caprarum rationalium tunc apparuerũt, quando cœperũt homines

Septẽ proprietates columbarũ.

Quomodo Maria sit columba.

Psal. 13. 52.

Luc. 2.

Luc. 24.

2. Cor. 12.

Absque eo quod intrinsecus latet.

Greges caprarũ, prophetæ sunt & filij eorum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebr. 11. eiusmodi esse, de qualib. apostolus dicit: Circuierunt in melotis, pellibus caprinis, &c. vsque, & in cauernis terræ. Quando cœperunt esse homines eiusmodi, vel vnde apparuerunt homines huiusce modi conuersationis? Nimirum quando Iezabel interficiebat prophetas domini, tunc apparuerunt de mõte Galaad, id est, de ciuitate eiusdem nominis Galaad. Sic enim scriptum est: Et dixit Helias Thesbytes, de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Et factum est verbum domini ad eum, dicens: Recede hinc, & vade contra orientem, & absconde re, &c. Hæc dixit, & hæc fecit ille primus author, & institutor eorum, qui dicti sunt filij prophetarum, quos fuisse monachos in veteri testamento, consentit autoritas patrum venerabilium. Et rectè dicuntur apparuisse, quia iam dictus institutor illorũ Helias, sic repente illic introducitur, vt antea nusquam scriptura meminerit, qs vel vnde fuerit progenitus. Qui capilli tui, vel vnde capilli tui, similes gregibus illis? Nimirum cogitat° tui subtilissimi in eo fuerunt, vt fugeres ad desertum gentium, propter sanguinem quem synagoga multum effudit, sicut illi in solitudines fugerũt, propter sanguinem quem Iezebel primum fudit: secũdum nomen suum, quod interpretatur fluxus sanguinis, interficiens prophetas domini. In hoc similes illis gregibus capilli tui, id est, sicut illi, imo plus quàm illi, omnes cogitatus tui, omnis meditatio tua, solitudinem & requiem in omnibus quæ fuit, procul à tempestatibus Iudaicis, qui suam iustitiam statuere volentes, iustitiæ Dei subiecti non sunt: synagoga peccatrix, & per omnia Iezabeli similis, quam Helias (quod interpretatur dominus Deus) & post eum filij prophetarum, nõ sine causa fugerunt, iuxta illud: Et dixi, quis dabit mihi pennas, sicut colũbę, & volabo, & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, & expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. Et tu columba illis similis, & quis illorum tibi columbæ similis, hęc similitudo in capillis, non solum propter illa, quæ iam dicta sunt, verumetiam, quia tu quoque longum in cogitationibus tuis, præscia futuræ passionis filij tui, pertulisti martyrium: sicut illi diu egentes, angustati, afflicti, omnes testimonio fidei probati inuenti sunt. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Quã pulcher ordo? Primũ oculi, & post oculos capilli, post capillos dentes lauãtur innocui. Respicite amici ad sinistram, considerate Euã, mulierem odiosam, huic dilectæ oppositam, & oculis, & capillis, & dẽtibus & labijs, & genis, & collo, & vberibus infaustis. Oculi eius non sicut columbarum, imo sicut oculi coruorũ rapaciũ. Scriptũ est enim: Vidit igitur mulier lignũ, quod bonũ esset ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructibus eius & comedit. Habet autem ambitionem huiusmodi, comedite & eritis sicut dij. Ergo capilli ei°, id est, ambitio eius, non sicut supradictarũ gregis caprarum, qualium est cœleste desiderium, sed sicut ille princeps super omnes filios superbiæ, qui dixit in corde suo, ascendã super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Dentes verò eius quales fuerunt? Nimirum sicut dentes leonum, qui momorderunt, & mordendo vetitum, venturæ posteritatis suæ animas interfecerunt. Si enim de filijs eius veraciter dictum vel scriptum est, Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & illud: Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet dominus: quãto magis de illa, quæ tali consilio momordit, cuius morsus tam malus prouentus extitit, rectè quis dicat, quia dentes eius arma ferrea fuerunt, dentes eius molę siue molares fuerunt? At tui dentes ô amica mea, sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt, id est, certissimè ascendẽt de lauacro. Cum enim posuero, siue de memetipso de latere meo lauacrum regenerationis, lauacrum sanguinis & aquæ profudero, sanctique spiritus inuocatione dedero, tunc lauabuntur oues, pro quibus animã meam pono & mũdabuntur eodem lauacro, nec emundatione simplici contentæ, vellera sua deponent: vellera rerum, vellera facultatum suarum, vt nihil habeant proprium, sed sint illis omnia communia. Huiusmodi tonsæ omnes sunt gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. In quo gemellis fœtibus? In eo videlicet, quòd & præceptum impleuerunt vel custodierunt, & cõsilium suo addiderunt. Quod est præceptũ, aut quod consilium? Vtiq; præceptũ est, non rapere, aliena: consiliũ, relinquere etiam sua. Cõsiliũ istud tum præcepto sibimet composuerunt, & hoc est bonum geminum, hęc est fœcunditas fœtuum gemellorum. Sic sunt ó amica mea dentes tui, id est, talium innocentiam tibi proponis, cum eiusdem innocẽtiæ magistra sis, multo excellentior qualibet ouium siue arietum taliũ, quorũ vtiq; non est dentibus malè vti, scilicet inuicẽ mordere, vel detrahere, & ab inuicem consumi. Et quidem grex ille, quicunque

Helias primus monachorum institutor.

Capilli similes gregibus caprarum.

Eccle. 24.
Rom. 10.

Psal. 54.

Eua in his longe dissimilis Mariæ.

Oculi Euæ.

Gene. 1.

Capilli Euæ.

Iob. 41.

Dẽtes Euæ.

Psal. 56.

Psal. 57.

Dentes Mariæ.

Iohan. 19.

Tit. 3.

Act. 2. 6.

Oẽs gemellis fœtibus.

Matth. 5.

Galat. 5.

cunq; talis est, sibi magistram scit, tu aũt cunctis humilior, de omnibus penè altiora sentis, & videris tibi capras & oues meas imitari, quas longè præcedis. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* In quo sicut vitta coccinea labia tua? Nimirùm in eo, quod sermo tuus à veritate nõ discordat, imò cũ veritate multũ cõcordat. Principiũ veritatis hoc est, vt non defendat se contra Deum, imò accusẽt ante Deum quispiam filiorum vel filiarum Euæ, quæ dissoluit amicitiam inter se & Deum proterua defensione Si vittam huiusmodi habuisset, si vinculo perfectionis, quod est dilectio, sese creatori astrinxisset, paries inimicitiarum in medio non surrexisset. In labijs tuis confessio & pulchritudo est, in labijs tuis sanctitas & magnificẽtia est. Illa Deo fuit muta, tu autem magnificasti dominum mẽte ardẽtissima, voce suauissima, & hæc est vitta coccinea, quia charitas est ignea, qua benè cũ eo ligata, sic deo adhæsisti, vt vnus cũ eo spiritus sis. Hinc eloquium tuũ dulce, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, & dulcedinem, quæ abundat interius, sapit sermo, qui redundat exterius. Ecce Rhaab meretrix dulcis eloquij tui vittã coccineam, siue funiculum coccineum, in feneſtra sua ligauit, signum suæ fidei, quod nuncios Iosue siue Iesu susceperit atq; saluauerit: dũ ecclesia quondã peccatrix, & idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum: quo magnificauit anima tua Dominum, pignus suæ salutis iugiter personat, & omnem doctrinã Euangelicam, in qua ipsos Apostolos tua sine dubio labia confirmauerunt, integra semper fide prædicat. Et de omni quidem anima, quæcunq; diuersa sentientes ad vnitatem sua prædicatiõe constringit, vt idipsum dicant omnes, & hoc agit in charitate & fide nõ ficta: verũ est dicere, qa labia eius sicut vitta coccinea: sed in ista gratia cæteris omnibus es incõparabilis, post me dilectum tuum, cui specialiter spiritus in Psal. dicit: Diffusa est gratia in labijs tuis. *Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Malum Punicum dicitur, eo quod ex Punica regione sit genus eius translatum. Idem & malum Granatum, eo quod intra corticis rotunditatem granorum conti neat multitudinem. Negant medici mali huius cibo corpora nutriri, sed eo sic vtendum opinantur, vt medicari potius non alere videatur. Ita, inquit, genæ tuæ sicut fragmẽ mali Punici, id est, verecunda es, sicut decet virginem, lõgè dissimilem filiabus illis quarum cuilibet dicẽdum fuit, Frons mulieris meretricis facta est tibi, & erubescere noluisti. Fragmen mali Punici & rubet, & amplius quàm integrum malum redolet. Sic tu & singulariter verecũda es, & multis per bonam opinionem in bono exemplo, pficies. Quid autem est dicere, absq; eo quod intrinsecº latet, nisi ac si diceret, & illud, quod intus in cõscientia latet, amplius laudabile est? O verè laudabilis verecundia, vbi & intus cõscientia munda, & foris facies verecũda est. Nam vbi est aliquid, quo mens erubescat, nõ adeò laudabile est, si cõspectam faciẽ rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid est, nisi religiositas summa? Et hæc virtus, sine dubio, malo Punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuẽtium oculis, & interdum suo silentio nõ minus ædificat, quàm sermo prædicationis. Vnde in tunica põtificis deorsum ad pedes eiusdem tunicæ: Facies (inquit dominus ad Moysen) per circuitum, quasi mala Punica ex hyacinto purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulũ sit aureum & malũ Punicum, rursumq; tintinnabulum aureum & aliud malum Punicũ: & vestietur ea Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonus, quando ingreditur & egreditur sanctuarium, in conspectu domini, & non moriatur. Malum quippe Punicum in medio tintinnabulorum, religiosum atq; speciosum est silentium, maximè sexus fœminei, in societate fidei vel doctrinæ prædicatorũ: qualis tu præcipuè fuisti virgo virginum in adiutorio, vel etiã regimine prędicantiũ Apostolorũ, cuius & si verba non leguntur, vel audiuntur, vbi prædicauerunt: opera tamen vel merita non ignorantur, non minora, imò maiora tinnitu prædicantiũ. Illud quoq; factitium malũ Punicum rubicundũ erat, vtpote nõ ex solo hyacinto, qui color aërius vitam significat cęlestem, verumetiã & ex purpura & cocco bis tincto factum. Et ita genę tuæ, ô dilecta verecunda, & magistra cõpetentis verecũdiæ siue religionis necessariæ: cuius verecundia tanto est laudabilior, quãto conscientia gloriosior, tutior atq; securior. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Quid erat turris Dauid? Putasne illa turris manufacta, de qua legitur, cœpitq́ue Dauid Sion, hæc est ciuitas Dauid? Imò turris Dauid non manufacta fuit, cui tuum ò dilecta collum debeat assimilari, & hęc est humilitas Dauid. Atque hic sensus placet magis, Filiæ Sion, ait Dominus Deus apud Esaiam, eleuatæ sunt, ambulauerunt extẽto collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant. Hæc fuit superbia illarum. Propterea expugnari potuerũt. Tuum autem collum nequaquam extentum fuit, sed est sicut turris Dauid, id est, sicut humilitas Dauid, per quam ille coram Deo fortis,

Ephe. 2.
Psal. 95.

1. Cor. 6.

Matt. 12.

Iosue 2.

Luc. 1.

1. Corin. 1.

1. Tim. 1.

Psal. 44.

Quid sit malum Punicum.

Hier. 3.

Verecũdia duplex.

Exod. 28.

Mala punica in veste Aaron.

1. Para. 11.

Esai. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& contra homines ſtetit inexpugnabilis. Ipſe enim quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui & cũ eſſet rex vnctus, dixit ad Saul; cum eum ille perſequeretur, Quem perſequeris rex Iſrael, quem perſequeris? Canem mortuum, & pulicem vnũ. Turris iſta ædificata eſt cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, id eſt, hanc eius tantam humilitatem cæteræ virtutes conſecutæ ſunt, maximeque fortitudo & ſapientia, ſicut ſcriptũ eſt: Dauid ſedens in cathedra, ſapientiſsimus ipſe eſt, quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. O qualis hæc turris, qualia propugnacula? Ex ea mille clypei pendent, omnis armatura fortium, qui propter humilitatem accepit, vt caneret & ſcriberet verba fortitudinis, verba ſapientiæ & veritatis tam multa, vt millenarius numerus vult intelligi: tam fortia, vt omnibus exinde armatis fortibus nihil falſitatis obſiſtere poſsit. Ita collum tuum, imò & vltrà quàm turris illa, collum tuum, id eſt, humilitas tua, quæ ſedet vel patet in collo tuo non extento, ædificata eſt cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Nihil enim deeſt illic omnium, quæ continentur in ſcripturis veritatis, & neque inuiſibilis diabolus, neque viſibilis homo hæreticus econtrà potuit vnquam vel poterit. Adde illud, quod maximum eſt, quia verbi cuius myſterij conſecuta eſt, vt caneret humilitas patris tui Dauid, verbi, inquam, eiuſdem ſubſtãtiam concepit, & incarnatam peperit humilitas tua ô filia Dauid. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ.* O vbera verè gratiſsima atq; pulcherrima, duo vbera manu altiſsimi formata. Hæc ſunt virginitas & fœcunditas, quarum pulchritudo ô in tuis dilecta vberibus caſtis, vberibus fæmineis, quæ me lactauerunt, maximè ſpectãda eſt. Spectate amici vbera hæc, imò in vberibus iſtis duo hæc, virginitatem atq; fœcunditatẽ. Nonne ſunt hæc ſicut duo hinnuli capreæ gemelli? Nunquam viſum eſt ſimile huic in montibus, ſiue collibus noſtris, ſed neq; videbitur in ſeculis ſuperuẽturis, vt vni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli, vt vni fœminæ cõtingat, quatenus eiſdem vberibus & filiũ lactet, & virgo ſit. Aſpicite & admiramini, videte & congratulamini, quia caprea hæc tales hinnulos ita geminos edidit, quia fœmina hæc, dum quaſi caprea per montes exilit, dum cæleſtib. vel ſupernis animo intẽdit, gemella hæc plenæ gratię dona feliciter apprehẽdit, vt & mater & virgo ſit. Quid faciemus gemellis iſtis? Paſcuntur, & paſcantur in lilijs, donec aſpiret dies, inclinentur vmbræ, id eſt, ſecreto cuſtodiantur, in ſilentio habeantur, nec publicè prædicentur, quod ita ſint gemelli, donec reſurgam à mortuis, quod eſt aſpirare diem, & inclinari vmbras mortalitatis. Omnino ſecreta ſunt in lilijs hæc, id eſt, in illis ſiue penes illos, quibus ineſt & candor & ſuauis odor caſtitatis, qualium prima fuit, cuius in vtero infans ad odorem noſtrum exultauit longè à filiabus illis, quarum ſunt quaſi ſeptẽ dæmonia, ſeptem iſtis prædicamentis tuæ pulchritudinis, quæ nunc edixi, contraria: ſcilicet altitudo oculorum, compoſitio capillorum, voracitas dentium, incontinentia labiorum, irreuerentia genarum, colli erectio nimia, ſubactiõis atque confractionis frequens iniuria. Tempus erit, quando hæc tua, quæ nunc ſecreta ſunt, oporteat prædicari ad gloriam Dei. Prius hoc fiet. *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. Quomodo vadam?* Aſcendam Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de me: Tradar enim gentibus ad illudendum & flagellandum. & poſtquam flagellauerint, crucifigent & occident me. Hoc erit ire ad montem myrrhæ, ſcilicet mortificari vel occidi, ſicut à patribus iſtorum mortificati ſunt prophetæ. Tertia die reſurgam à mortuis, & deinde aſcendam in cælum, & ſedebo ad dexteram patris, iuxta illud: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Hoc erit ire ad collem thuris. Exinde namque cognoſcetur & prædicabitur, quia ſum Deus, iuxta illud: & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus. Hoc prædicabitur, & ſequentibus ſignis confirmabitur, atque ita fiet, vt mihi thus offeratur tanquam Deo vero, deſtructis ſimulachris gentium & aris dæmonum, quibus hactenus ab ignorantibus & errantibus incenſum offertur & ſacrificium. Quid deinde? *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni. Coronaberis de capite amana, de vertice ſanir & hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cum pertranſiero montem myrrhæ, & peruenero ad collem thuris, id eſt, cum reſurrexero à mortuis, atq; coronatus gloria & honore reſurrectionis & immortalitatis, ſedenſque ad dexteram patris adorari, & thure, id eſt, omni diuina religione honorari cœpero Deus vnus cum patre & ſpiritu ſancto, tunc demum & tu coronaberis: tunc demum hæc loquar ad te: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Quomodo hæc loquar ad te? Nimirum magna & manifeſta Euangelij prædicatione. Et nunc quidem pulchra

Qui paſcũtur in lilijs

Luc. 1.
Luc. 8.
Septem Dæmonia.

Matt. 16. 20

Quid eſt ire ad montem myrrhæ & ad collem thuris.

Pſal. 109.

Eſa. 9. Matt. 6.

Tota pulchra es.

chra es, ſed nondum apparuit quod tota pulchra ſis, & quod macula nõ ſit in te, quod ſcilicet virgo conceperis vel genueris, & virgineis vberibus lactaueris me. Hoc ꝓdicabitur gentibus, quod à deo macula nõ ſit in te. Tũc demũ loquar tibi: veni de Libano ſpõſa mea. veni de Libano, veni coronaberis. Vnde coronaberis? De capite amana, quod interpretatur nocturna auis, de vertice ſanijr, qđ interpretatur dẽs vigiliarum, & hermon, quod interpretatur anathema. Venies de Libano, quod interpretatur candidatio, id eſt, migrabis de corpore iſto, corpore candido, corpore virgineo, & coronaberis de omnibus his, id eſt, de corpore vel membris illius, qui nominibus iſtis rectè denotatur, de regnis mundi huius. Regna namque mundi huius, quædam capita, vel quidam vertices rectè dicuntur nocturnæ auis, & dentis vigiliarũ, & verè anathematizati diaboli, à Deo ſeparati, qui cũ ſit princeps tenebrarum, & tanquam leo rugiens circumeat, quærens quem deuoret, rectè & nocturna auis & dens dicitur vigiliarũ. Ipſa eadem regna & cubilia leonum, & montes dico pardorum: qui videlicet reges regnorum, reges Babyloniorum & Perſarum atq; Medorum, reges Græcorum, reges & cõſules ſiue imperatores Romanorum, quid niſi leones & pardi dicẽdi ſunt, qui tot bellis, tot cædibus orbem terrarum lacerauerunt? De talium leonum cubilibus taliumque pardorum montibus, tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet credẽt in me fructum ventris tui, & eorum credẽtium ſalus corona tua erit. Ita coronaberis, vt & in cælis regina ſanctorum, & in terris regina ſis regnorum. Vbicunque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum, minuiſti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: prædicabitur & de te, quod ſis ô dilecta & mater huius coronati, ac proinde regina cælorum, totum iure poſsidens filij regnum, atque hoc intuitu reges atque imperatores coronis ſuis te coronabunt, palatia ſua nomini meo ſacrabunt, honori tuo dedicabunt, vt deſinant eſſe quod fuerant, montes pardorum, cubilia leonum. *Vulneraſti cor meũ ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* I. tenim quis vnquam ita habuit, vt tu habes ſoror mea ſponſa vnum oculorum? De quadam muliere ſacra & veridica narrat ſcriptura, quia cum eſſet ſterilis, & ob hoc amaro animo orauit Dominum flẽs largiter, & multiplicauit preces corã Domino, & poſt hęc ita ſubiunctum eſt: Et abijt mulier in domum ſuam, vultusq; illius nõ ſunt ampliꝰ in diuerſa mutati. Quid erat illa vniformitas vultuum, nõ ſe amplius in diuerſa mutãtium? Nimirum identitas cogitationum, & valde intẽta earundem perſeuerantia precũ, quas profectò quis diſcernat, vos ſcitis ô amici qui dicitis: Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſq; ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagium quoq; ac medullarum, & diſcretor cogitationũ & intentionum cordis, & nõ eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Hoc eſt vnum oculorum, hæc vniformitas vultuũ, oculorũ ſpiritualiũ, vultuũ internorũ indefeſſa charitate iuſtã precẽ perſeueranter, vti cœptum eſt, dirigere ad Dñm, ac ſemper cogitare idipſum. Et quis in hac re talis, vt tu ô dilecta ſingularis, quam ſolã præ cunctis amantibus totã occupault totãq; poſsidet amor dilecti. In hoc vno ſoror mea ſponſa, per fidem ſoror mea, per ſpiritum ſanctum amorem verum ſpõſa mea: in hoc vno oculorum tuorũ vulneraſti cor meum, vnde & viſcera mea ſuper te continere ſe nõ potuerunt. Nec verò ſolummodo in hoc vno oculorum tuorum vulneraſti cor meum, ſed & in vno crine colli tui, id eſt, in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem ſemper vnum vidi, quam humilitatem ſemper vniformem & indeficientem eſſe conſpexi. Quid vno crine gracilius, & quid humilitate ſubtilius? Quid crine flexibilius, & quid humilitate confractius? Crinis vnus vix comparet, humilitas tua vix conſentit, quod cõputari poſsis inter homines. Iſte eſt crinis colli, humilis cogitatus mulieris, caput non habentis: caput, inquã, id eſt, virum, neque habentis neque habere volentis. Nam caput mulieris vir. Tu capite iſto te indignã iudicaſti, tu viro & omni ſeculo te indignam exiſtimaſti. Hoc ſcientes dicunt & verè dicũt amici, quia votum egregium Deo prima vouiſti, votum virginitatis. Attamen ſponſi nõ men admiſiſti, deſponſari viro non renuiſti, & inter hæc vnum oculorũ tuorum & illum crinem iam dictum colli tui, magis ac magis in me fixiſti, fide fortis, ſpe ſtabilis, charitate immobilis. Si. n. Abraham & Sara fideles ſperare potuerunt, quod coniugium eorum nõ deberem negligere, quin cuſtodirem illud in domo Pharaonis incontaminatum, & idcirco Sarã tolli in domum illam, nec Abraham renuit, nec ipſa Sara refugit: quanto magis tu fideliſsima me fidelẽ fore ſperaſti, quod virginitatem tuam cuſtodire poſſem, aut nõ negligerem illibatam in domo ſponſi, præſertim fidelis & iuſti, & idcirco deſponſionis ſolennitatem nõ refugiſti? Itaque ſemper & vbi-

Veni coronaberis.

Leonum cubilia.

Regina cælorum.

Pſal. 2.

Soror mea ſponſa.

Gene. 4.

In vno crine colli tui.

Heb. 4.

1. Corin 11. Maria Virginitatis propoſitum emiſit.

Gene. 12.

1. Reg. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vbiq; vnum siue vnitatem habens oculorum, id est vultum in diuersa non mutatum: vulnerasti cor meum, vnũ illum crinem tuũ, scilicet spiritum humilem, & contribulatum in me iecisti, veluti spiculum præacutum, & vulnerasti cor meum. Alij quondam fortes & validi me tenuerunt, & dicẽtem, dimittite me, non dimiserunt, & luctando fortiter contra Deum fortes fuerunt, tu autem & vulnerasti cor meum. Et illi quidem luctando atq; vincendo, æternam sibimet benedictionem & necessariã peccatori populo suo indulgentiam obtinuerunt, tu autem quid inuenisti, quid accepisti vulnerando cor meum? *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Pulchriora sunt vbera tua vino, odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Amici auscultant hæc, & intelligunt me hoc dicere, hoc admirari, quia mater & virgo es, & hunc esse fructum vnius oculorum tuorum, & vnius crinis colli tui: quod cum te reputares indignam viro, facta es digna Deo: cum te indignam iudicares facere semẽ in Israel, facta es digna facere salutem in Israel, cum indignã te reputares lactare filiũ hominem, digna habita es mãmis pulchris, vberibus pulcherrimis, mammis virgineis, vberibus intactis, lactare filium Deum & hominem. Hæc auscultantes, toties de mammis & vberibus tuis, & de cæteris instrumentis tuæ pulchritudinis, de oculis, de capillis, de dentibus & labijs, tot voces dilecti gratulantis nõ fastidiunt, quoniã amici sunt, imò gaudio gaudent propter vocem sponsi lætantis, iuxta illud: Lætabitur Dominus in operibus suis. Voces istæ, voces lætitiæ nostrę sunt, lętitiæ patris & filij & spiritus sancti in istis operibus nostris, in mammis siue vberibus tuis semel duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, quod iam supradictum est: & nũc iterum, quàm pulchræ sunt mammæ tuę soror mea sponsa, ac tertiò, pulchriora sunt vbera tua vino. Hæc enim egregia sunt opera Trinitatis, hæc gratiora valdeque pulchriora primis operibus illius, dicentis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, plasmãtis de terra Adam & fabricantis de costa eius Euam. Nunquid enim non valde pulchrius est, sicut nunc, de vtero mulieris absq; viro virũ facere, quàm tunc de costa viri mulierem feciſſe? Illic nanque de viro mulier facta est, quæ perdat, hic de muliere vir sanctus est, qui perdita saluet, propter quod & factus est. Pulchritudo eius operis iucundius spectatur in mammis siue vberibus tuis, quãdo, iam peracta est species tantæ pulchritudinis, quando iam natus lactor mammis tuis, mammis fœmineis, vberibus virgineis. Qualis tandem est ista comparatio pulchriora sunt vbera tua vino? Aut quid magnũ est dicere, pulchriora sunt vbera tua vino? Nam in vino luxuria est. Nolite (ait quidam amicorum, ad nostras adolescentulas scribens) nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Quid ergo magnũ est dicere, quod vbera tua pulchiora sunt, eo quod non est pulchrum? Vinũ nanq; siue hoc præsens vini significatum nõ est pulchrum, cum sit luxuria, siue carnis voluptas: sine cuius ebrietate præeunte nulla vnquam vbera præter vbera tua filium lactauerunt. Est igitur illud, quod apud hominum scholas dicitur tapinosis, id est, humilitas, statum rei magnæ dictis infirmãs. Magna quippe res est virginitas siue integritas vberum, me filium lactãtium, nec satis laudatur hæc tam pulchra res, dum re maritali siue cõiugali pulchior esse prædicatur, scilicet lactatione filiorum, quorum initium vinum est, id est, luxuria, quæ in vino est: itidem secundum tropum, qui apud homines metonomia dicitur, per id quod continet, ostendens id quod continetur. Poteram sic dicere, quia sola vbera tua me lactantia pulchra sunt, cæterarum cuncta vbera fœminarum, ex quo id acceperunt, vt filios suos lactare possent, etiam si quid pulchritudinis prius habuerunt, pulchra esse desierunt, ita vt re ipsa quisque lactantium veraciter dicat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, scilicet in iniquitatibus Adæ, in peccatis Euæ. Nam ex illis iniquitatibus, ex illis peccatis, cum cæteris malis istud quoque vinum venit, scilicet luxuriæ nimietas, per quam conceptus mulieris à Deo super numerum multiplicentur, vt in comparatione reproborũ electi pauci æstimentur. Quæ autem sunt vnguenta tua? Dico enim, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Quæ ergo sunt vnguenta tua soror mea sponsa? Eleemosynæ tuæ, quas expendisti in me. Audiunt & audituri sunt amici de quadam muliere effundente oleũ super caput & super pedes dilecti tui recumbentis, & dicunt, quia domus impleta est ex odore vnguenti, & intelligunt in illa muliere Ecclesiam nostram, quę quoties impendit eleemosynam pauperibus nostris, toties vnguenta sua pedibus meis superfundit, & aromata distribuit. Hæc enim sunt aromata vera, vnguenta pretiosa, esurienti cuilibet ex inimicis meis cibum dare, sitienti potum præbere, hospitem siue peregrinantem colligere, nudũ vestire, infirmum visitare, & si in carcere est, ad eum venire. Super omnia hæc aromata est odor vnguẽtorum tuorũ, id est, suaui-

Maria fortior quàm Iacob.

Gene. 12.

Maria per humilitatẽ exaltata.

Cõgratulatio amicorum.

Iohan. 2.
Psal. 103.

Incarnatio Christi pulchror plasmatione hominis.
Gene. 1, 2.

Ephes. 5.

Tapinosis.

Metonomia.

Aliarum multarum vbera non sunt pulchra.

Psalm. 50.

Vnguenta eleemosyna dicuntur.

Iohan. 12.

Matth 25.
Eleemosyna Mariæ in Christũ maximè pretiosa.

suauitas eleemosynarum tuarum, quia non vt cæteri in membris meis, sed in memetipso tu mihi munificentissima extitisti. Et quidẽ iure materno & naturali affectu tu mihi cuncta debuisti: verũtamen fidẽ & humilitatem siue charitatem tuam plusquam maternam respicienti mihi, cuncta pro optimis vnguentis, cũcta pro suauissimis fuere eleemosynis, ita vt nulla eleemosynarum aromata, quæcunque mihi in meis expenduntur minimis, vnguentis illis valeant aliquatenus comparari. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimẽtorũ tuorũ sicut odor thuris.* Parũ erat quod dixi suprà, & eloquium tuum dulce: quia nimis parum est, ducedinem esse in eloquio, nisi dulce sit etiam cor. Tu dulcis in ore, dulcis & in corde. Hoc est quod nunc dico, fauus distillãs labia tua, sublungens, mel & lac sub lingua tua, id est, in anima tua. Ibi tibimetipsi dulciter sapit fauus eloquij tui, fauus distillans à labijs tuis, labijs gratiosis. Fauus tuus ego sum, mel tuum & lac tuum ego sum: quia deus tuus & filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia: Aliud loqui non potes, quàm id quod in pectore habes. Ex abundantia cordis labia tua loquuntur. Et si alijs pro tempore tacuisti, mihi tacere non potuisti. Ex quo me natum vidisti, mecum dedicata es fauo dulcis eloquij, simulque osculo oris mei osculo oris tui, & satis factum est etiam sic fidei tuæ, spei & dilectioni tuæ, fidei per dilectionem, dicentis, osculetur me osculo oris sui. Quid de pannis dicam, quibus me inuoluisti, & in præsepio reclinasti? Nimirum id quod verum est, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Omnium nanque vestimentorum scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna & plusquam materna charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta, quæ tunc in me vel tunc propter me operata es, de magno & valido charitatis igne cũ suauitate humilitatis venerũt, rectè dixerim ego, rectè cõsenserunt amici, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Sic enim in omnibus famulata es mihi, mater & virgo fidelis, tanquam deo, cui soli debetur odor thuris in sacrificio suo, quamuis essem ego paruulus tuus, paruulus homo.

Chriſtus fauus Maria.

Luc. 6.

Can. 1.

Sicut odor thuris.

FINIS LIBRI TERTII.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS, IN CANTICA CANTICORVM DE INCARNATIONE DOMINI, Commentariorum

LIBER QVARTVS.

Psal. 41. Nuptiæ.

QVid agimus anima? quare tristis es, & quare conturbas me? Ecce in medio nuptiarum sumus, nuptiarum hominis regis, quas fecit filio suo, quẽ de virgine incarnari voluit. Et dicis mihi illud terrificum, illud valde pauendum. Intrauit autem rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intrasti, non habẽs vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus eius & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Quorsum tendis? Cur mihi hæc ingeris? Times ne, quod vestem non habeas nuptialem? Et quidẽ si de charitate agitur, q̃ ipsa sit vestis nuptialis, tu ad istas nuptias, ad istarũ nuptiarũ laudes decãtandas sine charitate nõ intrasti. Ipsa mater nuptiarũ, conscia sibi sit & testis, quod sine huiusmodi veste nõ accesseris, cui quondã tecũ, vt videbatur, colloquẽti, dum sermonẽ cũ illa cõferẽs de sacris mysterijs, de gloria sanctę & indiuiduę trinitatis, & dicẽti: quomodo tu audes loqui de huiusmodi? erat aũt hęc eius percũctatio facie serena & vultu hilari, ita respondisti: Ego beatã trinitatẽ diligo, & inde certissimè scio, quod de illa loquens nũquam extra veritatẽ aberrabo. Ne igitur tristeris anima mea, neq; cõturbes me, sed spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi, non aberrando, quod esset penè in tenebras exteriores mitti: & sequentem vocem sponsi cum gaudio audi. *Hortus conclusus soror mea sponsa es, Dei genitrix, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Cyprus cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cũ vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe, cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarũ viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano.*

Matth. 22.

Psal. 41.

Autori reuelatæ per visionem facta.

Ecce

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecce nouus paradisus, nouæ plantationes, quas plantauit vnus idemq; antiqui paradisi plantator dominus deus. Plantauerat autem dominus Deus, ait scriptura, paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. Produxitq; dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Ille est paradisus antiquus, paradisus terren⁹. Iste est paradisus nouus, paradisus cælestis. Vtriusq; plãtator est vnus idemque dominus Deus. In illo posuit hominem quem formauerat: in isto formauit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De ista humo produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Lignum etiam vitæ in medio paradisi: istã humum, istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarũ exemplaria virtutum produxit: ipsum quoque lignum vitæ Christum, Deum & hominem dominum paradisi cœlestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluuius ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. De isto paradiso ille fluuius, siue illud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit: fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei, qui inde diuiditur in quatuor Euãgelia. Nec paradisus ille hominem custodire potuit, nec paradisum illũ homo custodire voluit. Quoniam ergo non profuit illis parentibus primis, nec nobis in illis introductio illa in illũ talem paradisum, terrenum paradisum, non obseruato præcepto quod acceperunt, iterum plantatur alius paradisus, quem ingredientes lignum vitæ æternæ comedamus, & non moriamur, & istæ sunt emissiones dilectę, super quibus præsenti loco gratulatur dilectus, & ita loquitur: Hortus conclusus soror mea sponsa es: Dei genitrix, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ, paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus. Dicturus, emissiones tuæ paradisus, præmisit, hortus conclusus, soror mea sponsa, & iterum, hortus cõclusus, ac deinde fons signatus. Porrò emissionum horti huius illud fuit principium, quod sicut illi nunciauit Angelus, cõcepit & peperit filiũ. Quid igitur verbis istis, nisi & concipientis virginitas, & parientis prædicatur integritas? Proinde dicamus & nos feliciter cum dilecto, dicamus omnes corde credulo & ore consono: Hortus conclusus es, ô Dei genitrix, hortus conclusus, fons signatus. Vnde hortus? Nam inde nominatur hortus, quod semper ibi aliquid oriatur, quia cũ terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquàm sine fructu est. Vnde ergo hortus es tu ô dilecta dilecti, nisi quia ante natũ est aliquid, quod nunquam definit, & fructus tuus nunquam marcesit, aut deficit. Maximè autem hoc mirũ est, imo verum atque iucundum, quia de horto prædicatur quod sit conclusus. Quomodo enim hortus, si conclusus? Nunquam simile huic auditum est de omni nostrorũ multitudine hortorum, nec potuit dici vel esse hortus nó habens aditum, per quem saltem vnus intraret vel exiret hortulanus. Hic hortus vnus vel solus est & clausus vel cõclusus, hic vterus vnus est fœcũdus & incorruptus. Ogitur soror & sponsa mea, quomodo gaudent amici, quia talis es hortus, talis fons? Corpore hortus cõclusus, mente vel anima fons signatus. Et quare bis diceris hortus conclusus? Videlicet propter conceptum & propter partum, quia in vtroque mirabile est, & fidelium mentibus amabile miraculũ, quod neque corrupta es conceptu, neq; violata partu in vtroque, & amici & omnes adolescentulæ nostræ gratulantur, & vtrunq; libenter confitentur. Vnde aũt fons signatus, & quo vel quãli signaculo signat⁹? Nimirũ ex eo, quòd spiritus sanctus superuenit in te, & virtus altissimi obumbrauit tibi. Ipse spiritus sanctus signaculum est huius fontis nostri, signaculum pectoris tui. Et hoc est geminum nostrę custodiæ munimentum, geminũ nostrorum amicorum gaudium: quia & vterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio accessibilis: & mens tua nulli vitio, nulli spirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis. Mirum, quod cũ ita sis hortus conclusus, ita fons signatus, nihilominus, imo & eo amplius, emittis omnia bona, quibus mũdus impleatur, & emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus: paradisus scripturarum vel doctrinæ cum bonis & sanctis operibus. Emissiones tuæ vel paradisus tuus, cyprus cũ nardo, nardus & croc⁹, fistula & cinamomũ cũ vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis. Herbarum aromaticarum iste numerus, scilicet numerus septenarius, amicis nostris benè est cognitus, quod vniuersitatem significet, maximeque ex spiritu sancto sit sacratus, spiritu septiformi, qui hoc ipsum operatur, requiescendo super me florem primitiuũ horti huius. Operatur (inquam) hoc ipsum, quod hortus cõclusus es, quod emissiones tuæ paradisus talis & tam pulcher, sicut ex istis aromatum septẽ speciebus animaduerti potest: inter

Gene. 2.

Paradisus terrenus.

Fluuius paradisi. Psal. 45.

Iohan. 6. Cur bis dicatur hortus conclusus.

Sola Maria est hortus cõclusus.

Fons signatus.

Luc. 1.

Emissiones tuæ paradisus, &c.

Numerus septenarius designatur omnes species.

inter quas principalis est nardus, vnde & bis prędicari vel numerari meretur, quum dico, cyprus cum nardo, nardus & crocus. Nam ipsa est humilitas tua, quę valde oblectauit altissimum, oblectauit me regẽ dilectũ tuum, sicut ipsa dicis, quia dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Quicquid gratiarum, quicquid virtutũ, quicquid operationum cęlestiũ mundus accepit, emissiones tuæ sunt: vt vbi erant prius spina & vepres, vepres & carduus, lappa & tribulus, vrtica & paliurus, vniuersitas nequitiarum, ibi sit cyprus cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinamomum, myrrha & aloë, vniuersitas gratiarũ, iuxta numeri huius, numeri septenarij sacramentum, cum vniuersis lignis Libani, cum omnib⁹ primis vnguentis. Quid ibi vniuersa ligna Libani? Et prima vnguenta quid sunt vel faciunt illic? Nimirum ligna Libani sunt quidam amici nostri, amici illi, qui sunt nuptiarum nostrarum filij siue domestici, nihilominus sunt potẽtia seculi grandes & excelsi, atque facultatibus dilatati: ita vt ex eleemosynis eorũ sustententur paruuli nostri, paruuli spiritualis propositi, quemadmodum in ramis lignorum Libani nidificant passeres exigui. Vnde est illud in Psalmo præscriptum: Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt. Tales niduli passerum nostrorum, & cunctę eleemosynæ, quas faciunt vel facturi sunt potentes ac dites amici vel filij nuptiarum nostrarum, prima vnguenta sunt, vnguẽta miri odoris, sicut significatur ex me dilecto tuo, vbi mulier peccatrix pretiosum vnguentum emit, & effudit super caput vel pedes meos recumbentis, & domus repletur ex odore vnguenti. Pulchra valde varietas siue diuersitas harum emissionum tuarum huius paradisi nostri, vbi & altitudo lignorum Libani, & humilitas omnis aromatici germinis, qualecunq; decet intelligi, per iam dicta virgulta numeri septenarij, spectaculũ commune præbebit, spirãtibus in medio primis vnguentis, id est, cunctis operibus pietatis, maximeque eleemosynis, quibus suppleri poterit, quicquid minus spiritualis vitæ habuerint tales (vt iam dictum est) nuptiarum nostrarum domestici, quamuis seculi curis impliciti, nostri tamen per fidem amici. Sic quondam in tabernaculo Domini saga cilicina byssum & purpuram amica extẽtione tegebant: sic semper, qui spiritualibus minus abundant, carnalia sua spiritualibus communicant, vt iure spiritualium illorum participes fiant. Hæ sunt emissiones tuæ, soror mea sponsa, emissiones horti conclusi, emissiones fontis signati, paradisus Dei patris. Hæreditas mea dilecti tui, filij Dei, filij tui opus spiritus sancti, Ecclesia vna de multis emissionibus tuis, quæ per orbem terrarum diffusa, semper in te respiciet, & ad nos clamabit de nobisipsis, vocem extollens mulier de turba fidelis, dicens mihi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Tu fons hortorum, puteus aquarum viuentium: fons (inquam) hortorum, id est, mater Ecclesiarum: puteus aquarum viuentium, id est, secretarium omnium scripturarũ sanctarum. Quæ, videlicet aquæ viuentes, fluunt impetu de Libano, id est, sanctæ omnes scripturæ, quæ solæ dicuntur & sunt canonicæ, manauerunt de populo antiquo, populo Iudaico. Nobilitas quippe illius populi, per Libanum solet mysticè designari: de quo populo ego & tu soror mea sponsa secundum carnem sumus progeniti, cuius terræ terminus ex vno latere est mons huius nominis. Cunctæ viuentes aquæ de isto Libano fluunt, cuncta eloquia Dei huic populo nostro, non quomodocunque, sed cum impetu cucurrerunt. Oportebat enim huiusmodi aquas cum impetu fluere, oportebat eloquia Domini fortiter currere, quia multi nimis erant, qui conabantur obsistere, multi nimis adhuc sunt, qui obnituntur & audent contradicere. Idcirco amici nostri, per quos administrata sunt eloquia Dei, oportuit, vt essent non solùm authoritate diuina præditi, verumetiã potestate mundana præcelsi. Qui serè primus vocibus manifestis canturus erat mysteria regni nostri & virtutes seculi venturi, oportuit eum regem fieri, regem Dauid potentem & secundum nomen suum bellatorem manu fortem, vt pueros siue pueriles populi animos, qui nescirent sponte curam habere de futuris & inuisibilibus, nimis inhiando præsentib⁹ istis visibilibus, authoritate frangeret regiæ potestatis, admixto terroribus blandimento, scilicet suauitate musici modulaminis. Similiter cæteri amicorum nostrorum, per quos eloquia Dei manauerunt, fere omnes fortitudine & terrore armati fuerunt, & omnes gladijs vsi sunt, gladijs (inquam) materialibus necessariò armatæ huiusmodi aquæ viuẽtes, reuera cum impetu per eos cucurrerunt. Primus vel mitissimus eorum Moyses, cum de nostra plenitudine accipiens, viuentes aquas fundere, id est, legem sanctam & mysticam scribere inciperet, gladium arripuit atque arripi iussit, & vno die viginti tria milia hominum fabricatorum mendacij, impetu primo aquæ viuentis, id est, acceptæ legis, interfecit. Et illi quidem, postquam temporaliter ad-

d minis-

Cant. 1.

Ligna Libani, Christiani potentes.

Psalm. 103.

Prima vnguenta. Iohan. 12. Eleemosynarum cõmendatio.

Exo. 26. 27.

Extollens vocem mulier de turba, ecclesia est.

Luc. 11.

Conditores scripturarum potentes fuerũt.

Moyses.

Exod. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ministrauerunt, suo quique tempore decesserunt: sed perseuerat impetus aquârum viuentium, in ore & manibus etiam illorum, qui non scripserunt, quorum notissimus Helias extitit, qui vno die quadringentos viros magno impetu interfecit. A quarum igitur viuentium puteus, id est, sanctarum scripturum sacrarium, soror mea sponsa tu es, & hinc est quod dico, quia emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Sicut enim in initio fons adscendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ, sicut (inquam) fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita: sic ex te ô amica, ô terra benedicta, fons ille ascendit, qui apud Deum erat, & vera lux erat, sicut scriptum est: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Fons (inquam) ille ascēdit ex te, non principium siue initium habens ex te, sed de corde patris per occultas vias cum omnibus aquis viuentibus id est, cum omnibus scripturis veritatis veniens in te, & æternum sapientiæ fontem siue puteum faciens in te, atque hoc modo ascendit ex te. Ad quid ascendit? V tiq; ad irrigandam superficiem terræ, ad instruendam siue excolendā Ecclesiam per vniuersum orbem terræ. Ad hoc egreditur fluuius de loco voluptatis, scilicet ad irrigandum paradisum, ad hoc, inquam, ex te, ô voluptas siue locus voluptatis Dei, initium accipiet sanctum Euangelium, vt per vniuersum mundum spirituale irriget paradisum: & diuidetur in quatuor capita, id est, in quatuor necessariæ salutis sacramenta, quæ videlicet sunt hæc, incarnatio, passio, resurrectio, atque ascensio mea. Hæc enim necessario prædicabuntur, & necessario scientur, quia sine istorum confessione non fit noster paradisus, sine istorum fide non saluatur mundus. Diuidentur (inquam) viuentes aquæ in ista quatuor capita, id est, principalia sacramenta: quia videlicet omnes scripturæ in ista quatuor subtiliter intendunt, appellando hæc, faciem hominis, faciem vituli, faciem leonis, & faciem aquilæ volantis. Tunc cognoscent amici, quid etiam ante scripturas voluerit scriptura legis, dicendo: Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: quid voluerit, ordinando talem ritum vituli sacrificandi: quid voluerit, dicendo Moysi, Prophetam suscitabo eis de fratribus suis similem tui: quid voluerit, canendo: Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eos atq; portauit in humeris suis. Et de duabus quidem faciebus, de facie hominis & facie vituli, omnes in me consentiunt, scilicet quod *humanatus sim, & mortalis mortem sustinuerim, sed de facie leonis, & de facie aquilę volantis, non omnes similiter consentiunt, videlicet quod & resurrexerim, & in cælum ascenderim. Sic & de duobus capitibus fluuij, de loco voluptatis egredientis, & in quatuor capita diuisi, scilicet de fluuio Gyon, qui apud Aegyptios Nilus vocatur, & de fluuio Physon, qui & Ganges dicitur, negari non potest, quin exeant de illo paradiso terrestri: de duobus verò cæteris, scriptores mundani scripturam nostram redarguere conantur, dicendo quod non ita sit, vt ipsa dicit, eo quod illi, scilicet Tigris & Euphrates in Armenia manare videantur, vno fonte exorti: non intelligentes neque animaduertentes, quia scriptura non dixit, quod fluuius ille paradisi in ipso paradiso incipiat in quatuor capita diuidi: sed fluuius, inquit egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita, id est, in omnes fluuiales atque dulces & potabiles aquas, quarum capita sunt ista flumina principalia. Aquę etenim suapte natura salsæ erant & amaræ: ascendendo autem per illam quasi terræ mammam, scilicet paradisiacam terram, versæ sunt in dulcedinem, vt irrigarent vniuersam terræ superficiem, ipsæque dulces atque potabiles captiuo (quod futurum erat) generi humano, terram extra paradisum facerent habitabilem, scilicet herbarum, lignorū, seminumque feracem: & inter aquas cæteras, quæ ex illa mamma dulcorem acceperunt, illa flumina, Gyon & Physon, Tygris & Euphrates, præcipua sunt. Similiter aquæ scripturarum ex te, soror mea sponsa, dulcescunt, ex vtero tuo, siue per vterum tuum viuentes factæ sunt. Aliàs autem valde amaræ, imò & mortuæ & mortificantes sunt. Litera enim occidit, ait quidam amicorum nostrorum. Etenim quid aliud est, quicquid Moyses loquitur, quicquid de Prophetis legitur apud filios matris nostræ, qui pugnant contra te, nisi litera sine spiritu, sine anima corpus? Idcirco bibentes aquas mortuas, moriuntur, legentes & sequentes solam occidentem literam, occiduntur. Quomodo tandem fiet istud? Quomodo plantabitur, siue dilatabitur talis emissionum tuarum paradisus? *Surge Aquilo & veni Auster, perfla hortū meum, & fluent aromata illius.* Surgente Aquilone, & flante Austro, fiet istud. Quis ille est Aquilo? Ille nimirum, qui dixit: Sedebo in mōte testamenti, in lateribus aquilonis. Ille, de quo dictum est per Prophetam: Ab aquilone pandetur malum super

Helias. 3. Reg. 18.
Maria puteus aquarum viuentium. Gene. 2.
Psal. 33.
Fons diuiditur in quatuor capita.
Quatuor facies quatuor animalium.
Gene. 49. Leuit. 4. Deut. 18. Deut. 32.
al. homo natus.
Disceptatio de quatuor fluuijs paradisi.
Per paradisū aquæ potabiles & dulces factæ sunt.
Aquilo diabolus est.

Esa. 14. Hier. 1. Apoc. 12. super omnem terram. Ipse est serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas. Vnde iste talis aquilo surget? Quomodo surget? Surget de occultis insidijs, vbi iacebat olim, & serpebat lubricus anguis, quādo primā mulierē decepit, quemadmodum illa dixit: Serpens decepit me, & comedi. Non ibi surrexit vt impugnaret, sed serpendo sibilauit, vt deciperet. Vires quippe non habebat prius, quā cōsensum voluntarium præberet ei mulier, quam Deus innocentem fecerat. Inter te & illum, soror mea sponsa, Deus inimicitias posuit, & idcirco de te omninò desperauit, imò de fraude sua, de dolo siue artibus suis aduersum te nihil habet spei, vt decipere possit. Dico ergo illi: Surge aquilo. Quid iaces in terra? Quid insidiaris calcaneo nostro? Nihil profecis insidiādo. Potius surge, viribus vtere, & toto malignitatis impetu debacchare. Egisti olim vt serpēs, age nunc vt draco magnus, draco rufus habens capita septem. Non quasi imperans dico, sed permittentis animo loquor. Tu enim iam dudum surgere cœpisti, nec aliud est nisi ac si dicam: Age quod agis, surge qui surgis, debacchare qui debaccharis. Quando enim surgere cœpisti? Nimirum antequam fieret hæc altera mulier, contra quam decipiendo nihil poteris. Vbi verbum promissionis, quæ nunc impletur, audisti, quod ad Abraham dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes, statim surrexisti, quia prædictas inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, inimicitias adesse persensisti. Surrexisti, caput erexisti, caput primum regnorum Aegyptiorum. Dixisti enim loquens in Pharaone: Quicquid masculini sexus natum fuerit, occidite, & in flumen proijcite: quicquid fœminei, reseruate. Et cætera his similia, vsque dum diceres, persequēs abeuntes: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Ita qui serpens deceptor fueras, draco persecutor factus es, draco magnus, draco rufus, id est, sanguineus. Post illud primum caput, tuum secundum caput erexisti occidendo per manus Iezabel & stirpis eius, præcones mysterij huius, prænuncios huius sacramenti, prophetas Domini. Deinde tertium caput in Nabuchodonosor rege Babylonis, deinde quartum in regno Persarum & Medorum per Aman, qui genus nostrum delere voluit, ne esset vnde possem ego nasci. Deinde quintum in regno Græcorum per Antiochum Epiphanem caput erexisti, & ita iam quinque vicibus, ô aquilo, surrexisti. Sextum caput nunc est, scilicet regnum Romanorum. Septimum nondum venit, videlicet regnum Antichristi. Surge igitur aquilo, id est, age quod agis, nō enim præcipio vt agas malum, quod nunquam egeris: sed permitto surgere, quia vis. Excute hoc sextum caput tuum, effice vt tradatur hoc semen mulieris in manus Romanorum. Ita surge aquilo, & veni auster, veni sancte Spiritus, cui diabolus Aquilo contrarius est, perfla hortum meum & fluent aromata illius, fietque quod antè dixi, emissiones tuæ paradisus, quod nunquam ita factum est. Nunquam enim ô auster ita contra Aquilonem venisti, vt perflādo hortum meum, nouum faceres fluere paradisum, id est, nouam propagari Ecclesiam de multitudine gentium. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.* Vt dilectus meus mihi loquitur, ita est. Ego hortus, ego fons hortorum, ego fons signatus, ego gratia eius, puteus aquarum viuentium, & emissiones meæ paradisus malorum Punicorum. Veniat ergo ipse in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorū. Non, quomodo Eua inuitauit virum suum, ego inuito dilectum meum. Illa inuitauit virum suum ad comedendum pomum, non suum, pomum alienum, pomum interdictum: ego inuito dilectum meum ad hortum suum, ad comedendum fructum pomorum, non alienorum, sed fructum pomorū suorum, quem admodum dicit: Meus cibus est, vt faciā voluntatem patris mei, quæ videlicet voluntas patris, salus & vita est generis humani, quod ipse plasmauit, quod benedixit, quod perditum reparauit. Et quid tam propriè suum inter omnes fructus pomorum suorum, quàm ego, quæ sum prima de primitijs pomorum, immò etiam fons hortorum. Veniat igitur in hunc hortum suum, & me transferendo in illud tertium cælum, in illum tertium paradisum, quo abijt, quo, me vidente, ascendit, comedat fructum pomorum suorum: perficiat, vsque in finem perducat gratiam eorum, quæ in me celebrata sunt, operum suorum. Ex quo in cælum abijsti, crebro reuerteris in illum quem dicis paradisum emissionum mearum, & comedis de pomis Punicis, quæ optima sunt inter primitias earūdem emissionum mearum. Tot enim iam comedis fragmina malorū Punicorum, quot beatas animas Martyrum Confessorumque tuorum hinc assumis, & transfers in illud vitæ sempiternæ secretum. Quando ita venies in hunc hortum tuum, ad istum quem dicis fontem hortorum? Quando ita venies ad me, vt vbi tu es, illic ego tecum sim? *Veni in*

Draco.
Apoc. 12. Surge non imperatiuè, sed permissiuè dicitur.
Gene. 22.
Exod. 1. Exod. 15.
3. Reg. 18. 4. Reg. 9. Hester 3. 1. Macha. 1.
Serpens Gene. 3.
Auster est Spiritus S.
2. Cor. 12.
Actor. 1.
Ioha. 4.
Aliter Eua, aliter inuitauit Maria.
CAP. V.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hortum meum soror mea sponsa, messui myrrhã meam cum aromatibus meis. Comedi fauũ cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi. Omnia quæ generi humano ad salutem siue restaurationem ipsius erant necessaria, ego te silẽte perfeci, soror mea sponsa: nunc me quiescente, tibi debetur aliqua eiusdem operis portio tua. Quid tantum ad requiem tuam festinas? Ego nascendo, moriendo, resurgendo, & in cælum ascendendo, salutem mundo operatus sum: nunc cum amicis & testibus meis te supereſſe oportet, & omnium quę facta sunt, idoneũ perhibere testimonium, cum necessaria operatione signorum atque virtutum. Diligenter auscultent amici, & enarrent omnibus nuptiarum nostrarum filijs, quatuor ista quæ facta sunt, quia veni in hortum meum, quia messui myrrhã meam cum aromatibus meis, & quia comedi fauum cum melle meo, & quia bibi vinum meum cum lacte meo. Descendendo quippe in vterum tuum, & assumendo carnem, vt verus homo nascerer, qui verus Deus eram, veni in hortũ meũ: moriendo atque ad infernum descendendo, reuersurus cum omnibus sanctis & electis meis, qui me expectabant ab origine mundi, messui myrrham meam cum aromatibus meis: resurgendo, comedi fauum cum melle meo: ascendendo in cælum, bibi vinum meum cum lacte meo. Descendendo (inquam) in vterum tuum homo factus ego, veni in hortum meum. Quid enim non meum? Ego quippe, ego ipse sum verbum, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Et ille paradisus, de quo scriptura dicit: Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, per me plantatus est: & tu hortus alius, hortus conclusus, per me factus es: & vniuersus emissionum tuarum paradisus, per me plantatus siue plantandus est: propterea dixi hortum meum. At non sic ille primus homo, de quo sic scriptum est: Tulit ergo Dominus hominẽ, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum: non (inquam) sic ille dicere potuit. Veni in hortum meum. Non enim paradisum ipse fecerat siue plantauerat, sed nec in paradiso ipse formatus fuerat. Ego & hortũ feci, & in horto natus sum, & vt alijs verbis vtar, ego & ciuitatem condidi, & in ciuitate natus sum, sicut scriptum est: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Non suus paradisus erat, atque eo magis operari, & commissum custodire illum condecebat. Quod quia non fecit, necessarium erat vt venirem ego in hortum meum, & vltra debitum operando ac seruiendo, corrigerem illius peccatum, qui nec operatus est debitum. Quomodo correxi? Messui myrrham meam cum aromatibus meis, id est, expandi manus meas in cruce, hoc fructu, vt saluarentur omnes mei, quos ille, metendo mortem animæ suæ, perdidit. Dictum quippe fuerat illi: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die ex eo comederis, morte morieris. Non obediuit, immò inobediens manus incontinentes, ad vetitum extendit. Hoc illi metere fuit, seminauerat enim impiam cogitationem, tumens intus, & cogitans esse sicut Deus. Hoc illi, inquã, metere fuit, non myrrham, sed gehennam, non mortem corporis, quę interdum pretiosa est, sicut dicit Psalmus: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, sed mortem animæ, quæ mors mala est, sicut item dicit Psalmista. Mors peccatorum pessima. Mortem illam messuit, morte illa statim mortuus fuit, vbi pomum de arbore rupit & momordit, iuxta veritatem dicentis: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Ego autem messui myrrham meam, scilicet corporis solam mortem, mortem pretiosam. Seminaueram ante iustitiam, seminaueram humilitatem & obedientiam spontaneam, cum essem ego non, vt ille, tãtum homo, sed & Deus & homo. Considerabam illud vnde patre minor essem, scilicet natura carnis, sicut scriptum est. Minuisti eum paulominus ab angelis, & secundum illam naturam ita iustitiæ ordinem tenui, vt omnibus subditus essem & obediens patri, tanquam minor maiori, homo Deo, creatura creatori, secundum legem Moysi. Exempli gratia. Ter in anno apparebit (inquit) omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo, scilicet in solennitate azimorum, in solennitate primitiuorum mensis, & in solennitate exitus anni, quæ est solennitas tabernaculorum. Hæc enim pars iustitiæ siue obedientiæ, maximè mihi seminariũ myrrhæ fuit: quia exinde inimicis meis oportunitas venit me interficiendi, dum sciens eos tractare mortem meam, nihilominus propter præceptum legis ascendi Hierosolymam. Ita factum est, vt meterem myrrham meã cum aromatibus meis, id est, vt per obedientiam peruenirem vsq; ad mortem, mortem autem crucis, cum qua & per quam omnia traxi ad me, & acquisiui omnes electos meos à constitutione mundi. Quid deinde? *Comedi fauum cum melle meo.* id est, surrexi à mortuis, recepi carnem meam, non vltrà morituram semperq; victuram cum verbo sibi vnito, verbo deo, quod sum & eram ego. Miranda

Quatuor fecit præcipua Christus.

Gene. 2.

Ibidem.

Psalm. 86.

Psal. 115.

Psal. 33.

Psal. 8.

Exod. 34.

Philip. 2.

Iohan. 12.

Ephes. 1.

randa oppositio, mirabilis correctio. Ille primus homo requisitus siue redargutus de peccato suo, quoniam semetipsum defendit, nõ solùm mortem animæ, quam incurrerat, nõ euasit, verum etiam mortem corporis insuper acquisiuit, dicente Deo, Quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Ego autem, quoniam tradidi pro peccato, non meo, sed alieno, memetipsum, obediens patri, non solùm vitam animæ non animi, quasi propter maledictũ legis, dicentis: Quia maledictus à Deo est, qui pẽdet in ligno, verum etiam vitam carnis cito recuperaui, & ecce sum homo in vtroque, scilicet in corpore & in anima viuus, contrà quod ille fuit in vtroque mortuus. Itaque & mel meum cum fauo meo, & fauum meum cum melle meo comedi: quia mel meũ fauũ suum recognouit, & fauus meus melle meo respirauit, ita vt nulla vnquam myrrha interfluere possit, id est, vitæ & verbi, quod ego sum sempiterna dulcedo, carnem meam rursus decorauit, & caro in diuinitatis gloriam transiuit, ita vt ipsa iam mori vel mors ei dominari vltrà non possit. Hoc sacramentum nesciebant adhuc amici nostri, quando rediuiuus apparens eis, dixi: Habetis hic aliquid quod manducetur? & tunc obtulerunt mihi partem piscis assi & fauum mellis. Comedi coram eis non prius fauum mellis, & deinde partem piscis assi, sed prius partem piscis assi, & deinde fauum mellis, & sumens reliquias, dedi eis. Hoc signo edocens, quod ipsi exemplo meo prius passionibus atq; pressuris desiccandi, ac deinde fauo consurgendi mecum forent satiandi. Similiter & inimici mei nesciebant sacramẽtum dicti huius, quod dixi, & nunc dico: Messui myrrham meam cum aromatibus meis, & nihilominus dabant mihi bibere vinum myrrhatũ, vinum cum felle mixtum. Post illum resurrectiõis fauum ista est gloriæ & honoris consummatio, quia bibi vinum meum cum lacte meo, id est, lætificatus sum ascensionis gaudio, completa scriptura, quæ dicit: Lætificabis eum in gaudio cũ vultu tuo. Nam ego sum ille rex, de quo dicebat: Domine, in virtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Illa lætitia, illa vehemens exultatio, ista est quam nunc dico, Bibi vinum meum cum lacte meo. Ascendi enim in iubilo & inde non solùm lætatur cor, verumetiam exultat caro: & idcirco dixi, Bibi vinum meum cum lacte meo. Hoc vinũ meum, obliuionẽ mihi fecit laborum præteritorũ, iuxta illud: Da siceram mœrentibus ô Lamuel, & vinum his qui amaro sunt animo. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris nõ recordentur amplius. Bibi, & bibendum dedi his, qui amaro mecum fuerunt animo, vinũ cum lacte meo. Biberũt & obliti sunt egestatis atq; doloris: egestatis, qua pri⁹ egentes fuerãt, vtpote homines sine literis & idiotæ: doloris, quo propter passionem meam doluerãt, sicut prædixerã eis iam hora passionis imminẽte: Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrũ. Item: Et vos igitur nunc quidem tristitiã habetis: iterum autẽ videbo vos, & gaudebit cor vestrũ, & gaudiũ vestrũ nemo tollet à vobis. Hoc sacramentũ nescientes, qui videbant & audiebãt eos, scilicet q̃ bibissem ego & gustandũ prębuissem illis vinum meũ cum lacte meo: dicebant, nescientes quid loquerentur, quia musto pleni sunt isti. Deniq; spiritum S. dederã illis, spiritum paracletum, qui vnus idemq; est, & vinũ meum, & lac meũ: vinum meũ, quia gaudiũ de præsentibus bonis: lac meum, quia consolatio de præteritis malis: vinum meum, quia dilectio Dei: lac meũ, quia dilectio proximi. Et dicebam eis. *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Quid comedetis, & quid bibetis? Nimirũ reliquias, quas ego sumens dedi vobis, reliquias faui mei & mellis mei, reliquias vini mei & lactis mei, nõ sine reliquijs myrrhæ meæ vel piscis assi mei. Nõ quomodo serpẽs mulierẽ Euam, & mulier virũ suũ inuitauit ad comedẽdum, ego inuito vos ad comedendum & bibẽdum, imò contra illud quod illi comederunt, ego necessarię comestionis atq; bibitionis appono vobis antidotum. Serpens non dabat illis de suo, sed suadebat rapere de alieno: ego do vobis de proprio, de fauo & melle meo, de vino meo & lacte meo, imò & de corpore meo, de sanguine meo, simul & de spiritu meo. Spiritus hic veritatẽ loquitur vobis contra mendaciũ, quod serpens loquebatur illis. Quid enim locutus est illis: Scit. n. Deus: quia quocunq; die comederetis de ligno illo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, & idcirco prohibuit ne comederetis. Hoc dicens ille spiritus blasphemię, magnã Deum asseruit contra hominem habere inuidiam. Iste autem spiritus veritatis, quid dicit vobis. Scit enim Dei filius, quia si manseritis in illo, & ipse in vobis, eritis sicut filij Dei, eritis dij, eritis omnes filij excelsi, quia aperiẽtur oculi vestri, aperientur vobis sensus, vt scripturas intelligatis, & idcirco dixit vobis: Accipite & comedite, hoc est corpus meũ. Accipite & bibite, hic est sanguis meus. Hoc dicens iste spiritus gratię, magnã circa nos insinuat Dei beneuolentiã. Comedite igitur amici & bibite, & inebriamini charissimi. Hoc vnũ de similibus loquor vobis, de similibus serpentis. Nõ enim

Gene. 3.

Deut. 21. Fauus cum melle in resurrectionis gloria.

Luc. 24.

Prouer. 21.

Mare 15.

Iohan. 9.

Psal. 20.

Ibidem.

Psal. 46.

Actor. 2.

Iohan. 19.

Actor. 2.

Aliter Christus, aliter serpens inuitauit ad comedendum.

Gene. 3.

Iohan. 17.

Psal. 81.

Luc. 8.

Matth. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim sine causa dixi: Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non (inquam) sine causa dixi, quia videlicet ecce loquor vobis vnum de similibus serpentis. Quid est illud, vnum de similibus? Comedite (inquit ille) & eritis sicut dij, comedite & bibite (ego dico) & eritis vos gratia, quod sum ego natura, scilicet filij Dei. Neq; illi, videlicet primi homines, in fructu ligni vetiti videbant hoc quod audiebãt, scilicet diuinitatis effectum, neq; vos videtis in pane & vino corporalibus oculis, sic esse, vt dico corpus & sanguinẽ meum. Illi videbant solummodò arboris pomũ, vos videtis solummodò panem & vinum. Plus ille serpens, quàm videretur, credi sibimet voluit, & creditum est illi: plus & ego mihi, vt credatis exigo, quàm videre possitis corporis oculis, & credendum est mihi, vt quo ordine mors introiuit, eodem foras mittatur, & vita sublata malè credulis, benè credentibus recuperetur. Quo enim ordine vita sublata est & mors introiuit? Eo videlicet, vt morte animæ præcedente, mors carnis subsequeretur. Nã quo die comederunt primi homines vetitum, eodem morte animæ, morte peccati mortui sunt: & deinde morte carnis, suo quoq; die vel tempore in puluerem reuersi sunt. Ibi vos quoq; amici, & secundum animã mortui, & secundũ carnẽ mortales facti estis. In Adã quippe omnes moriuntur, & hoc scienter vnusquisque vestrum confitetur. Nunc autẽ quid spiritus dicit? Eleuare, eleuare, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius, & vsque ad fundum calicem soporis bibisti, & potasti vsq; ad feces. Duo sunt quæ occurrerunt tibi, vastitas & cõtritio, & fames & gladius. Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omniũ platearum, sicut bestia illaqueata, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. Quam dicit indignationẽ Domini, ipsa est mors animæ: & quam dicit increpationem Dei tui, ipsa est mors corporis, & ipsa est calix, quem bibisti (inquit) de manu Domini, subauditur, increpantis atq; dicentis: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec vertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Nam calicem mortis animæ bibisti, non de manu Domini Dei tui, sed de manu serpentis antiqui inimici tui. Mortis corporeæ calicem idcirco bibisti de manu Domini, quia sublata vita animæ, vita corporis si perpetua fuisset, nimis esset inutilis. Hæc duo occurrerunt tibi, inquit. Ac deinde subiungit: Idcirco audi hæc paupercula, & ebria nõ à vino. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ. Nõ adijcies, vt bibas illũ vltrà. Hoc agitur nũc, ô charissimi, dum dico vobis: comedite amici & bibite, & inebriamini. Amici, inquam, & charissimi. Iam enim non dico vos seruos, sed amicos meos, quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis. Idcirco non dico chari, sed dico charissimi, quia charitas erga vos maxima mihi est, qua maior esse nõ potest. Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quàm vt animã suam ponat quis pro amicis suis. Hoc ego facio. Nam ecce dum morior, dum ad mortem trador, iamque venditus in morte agonizor, corpus quoq; meum comedẽdum, & sanguinem meum bibendum vobis appono; vt sicut iam dixi, quo ordine mors introiuit, eodem foras mittatur de animabus & corporibus vestris. Primò quippe foras mittitur mors animæ, dum comeditis & bibitis sacramentum mortis vel passionis meæ, quia sicut quodam loco dixi, Qui manducat me, ipse viuet propter me. Post hoc foras mittetur mors corporis, scilicet quando omnes resurgetis, quod & vos me primo resurgente fideliter creditis, sicut itidem ego dixi de illo, qui manducat me, viuet propter me, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die. Dicit aliquis. Sancti itaque patres vestri quomodo viuent, qui non comederunt neq; biberunt hoc vitæ sacramentum, nisi tantum in figura & in generatione vna, quando manna in deserto cõederunt, & aquam de consequente eos petra biberunt? Adhæc, inquam, sicut viuentibus vobis pro modo vestro, ita & defunctis illis pro modo ipsorum, sapientia Dei prouidit, eandemq; mẽsam parauit. Siquidem dissipati sunt illi, quoniam animæ quidem apud inferos sunt in requie spei, corpora verò requiescunt in sepulchris, dissipabor & ego panis vinus, qui de cælo descendi, & anima quidem ad animas illorum, corpus verò descendit ad corpora ipsorum, scilicet in eius terræ ventrem, quo illa recepta sunt. Mox animæ illorum reuiuiscunt in vita plena atque perfecta, cuius in spe aliquatenus vixerunt, in nouissima autem die vobiscum resurgent resurrectione corporum. Atque ita fiet, quod dicit aliquis vestrum, quodq; firmiter tenet fides omniũ vestrum, quia sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabũtur. Hoc tantæ salutis sacramentum ab initio non feci vobis, hunc cibum potumq; vitæ æternæ hactenus non porrexi vobis, cum ambularetis mecum ad prædicandum Euangelium regni Dei. Nõ enim tempus erat, neq; ordo

Mors animæ præcessit mortem corporis. *1. Cor. 15.* *Esa. 51.*

Gene. 3.

Esai. 51.

Inebriamini charissimi. *Ioan. 15.*

Ordo mittendi foras mortem.

Ioan. 6.

Ibidem.

Quæstio.

Exod. 16. *1. Cor 10.* *Responsio.*

1. Corin. 15. *Cur in Ecclesia carnẽ & nõ primo dedit Christus corporibus & sanguinem.*

Vt sui sanguinem. ordo poscebat, vt vobis cibus aut potus dare tur nouæ salutis, priusquam mundaremini, priusquã deleretur macula vestra, macula reatus antiqui, quã contraxerunt comedẽdo vetitũ, vobisq; omnibus nascituris intulerũt iã dicti homines, primi parentes vestri. Mundari aũt aliter neq; vos potuistis, neq; potuerũt veteres amici nostri, sancti antiqui ab origine mudi, nisi per effusionẽ sanguinis mei, lauacrum regenerationis, scilicet sanguinis & aquæ de latere meo decurrentis. Non igitur antè vobis facere aut dicere debui, accipite & comedite amici, accipite & bibite charissimi: nõ, inquã, antè, sed in ipso articulo passionis meæ vel mortis, qua emundati estis, vnde & dico vobis, quia & vos mundi estis propter sermonẽ, quẽ locutus sum vobis. Nã quia credidistis, & quia permansistis mecũ in tentationibus meis, ideirco ex quo ego cœpi agonizari, vos cœpistis emundari: ac proinde sicut iam mũdis, sicut emundatis à peccato originali, quod primus homo per cibũ cõtraxit, hũc cibũ & hũc potũ feci vobis apponẽdũ cæteris amicis & filijs vestris post vos nascituris, hoc ordine, vt ipsi prius lauẽtur aqua baptismatis, quæ post sanctificationem verbi cũ signaculo crucis siue exorcismo passionis meæ vel mortis, non erit alia, sed eadem, quam cum sanguine meo de latere meo iã mortuus profundã, percussus lancea militis, & tunc demum particeps fiat cibi huius ac potus eo modo, quo tradidi vobis.

Ioan. 15.

Luc. 25.

Roma. 8. *Qualis est libertas Apostolorum*

Ioan. 2.

2. Corin. 7.

Inebriamini igitur charissimi, inebriamini, inquam, ita vt egestatis vestræ obliuiscamini, & doloris amplius nõ recordemini. Nam corpus quidem mortuum, id est, certissimè moriturum est propter peccatũ, spiritus verò viuit propter iustificationẽ. Et ipsam mortem & omnes modos siue species mortis atque pœnarum, quicquid doloris & quicquid gaudij, quicquid timoris & quicquid spei mũdus habere, siue inferre potest aut potuit, ob liuiscimini charissimi præ ebrietate vini vestri, præ abundãtia spiritus sancti, præ dulcedine nuptiarum nostrarum, nuptiarum præsentium, quibus interesse meruistis, quarum festiuitatem videre primi meruerunt beati oculi vestri. Vos enim estis conuiuæ nuptiarum præcipui, qui primi omnium aquam vinum factum gustare meruistis. Siquidem iã hoc ipsum, quod non habetis tristitiam siue dolorẽ seculi, quòd contemnitis gaudiũ mũdi, & timorem hominis non timetis, quod non in homine speratis: quæ videlicet quatuor passiões aquę mortuæ, imo & aquarum mortuarũ quędã capita sunt: sed solùmodo secũdum Deum contristamini, solummodo in spiritu sancto gaudetis, solum deum timetis, & in solo deo speratis: iam, inquã, hoc ipsum est prægustare factum ex aqua vinũ, & ebrietatis initium: veniet autem satietas, per ficietur ebrietas, post hoc, iuxta illud in Psalmo: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ecce hæc sunt soror mea sponsa, quæ feci, quæque dixi amicis & charissimis meis, veniẽs in hortum meum, metens (vt iam dixi) myrrham meam cum aromatibus meis, comedens fauũ meũ cum melle meo: & bibens vinum meũ cum lacte meo. Cæterum quod optas & dicis post hęc omnia: Veniat dilect⁹ meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum, hoc desiderãs, vt te, quam dixi hortũ conclusum, cuius emissiones sunt vel esse incipiunt per mundum vniuersum paradisus malorum punicorũ, te, inquam, hortum cõclusum, fontemq; hortorũ, mox accipiã ad meipsum: vt vbi ego sum, illic & tu sis mecũ: hoc nimirũ ratio differre postulat, videlicet in primis, ne vacet huic mundo dicere, quod nunquam mulierem viderit, de qua nouum hoc audit ex euangelij nostri prædicatione, quia misit Deꝰ filium suum, factũ ex muliere, factum sub lege. Pulcherrimum atque ordinatissimum est, quod dũ aduersarij nostri libros baiulant secum, dicentes siue scriptum habentes, Ecce virgo concipiet & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emanuel: & amici nostri prędicant in ista plenitudine temporis hoc esse perfectum sequentibus signis ad cõfirmationem dictorum, tu quoq; ades media librorum præcedentium atq; prædicatorum signorũq; subsequẽtiũ, tu, inquã virtutũ operatrix, ac totius sanctæ magistra religiõis, qualem nũquã oculus vidit, qualis ab initio, quãdo Eua facta est, nõ fuit nec est nec erit, in cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suauitatis, in omni flore & fructu honoris & honestatis. Ecce venturi sunt homines spiritus cõtrarij, spiritus cõtra semetipsum diuisi, & cõtra conclusionẽ horti mei, contra virginitatem vteri*mei, contra paradisiacas emissiões tuas, multa ac diuersa, imo & cõtraria dicturi, videlicet Carpocratiani, Valẽtiniani, Apollinaristę, Pauliani, Iouinianistæ, & alij spiritu erroris seducti siue seducendi, per quos serpens antiquus sibilabit, vt dicant, alij me hominem fuisse tãtum, & vtroq; sexu progenitum: alij me nihil corporis assumpsisse ex te, sed trãsisse per te quasi per fistulam, alij non me hominem verum, sed in phantasia apparuisse hominẽ phantasticũ, alij non semper me fuisse, sed ex te sumpsisse initiũ, alij filios te ex Ioseph suscepisse

Psal. 35.

Ioan. 14.

Galat. 4.

Esai. 7. *Matt. 1. cap.*

Ecclesi. 42.

alias tui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

post me natũ. Tã diu igitur differri te oportet & detineri in peregrinatione ista, donec interimas & istas & cæteras hæreses vniuersas, narrando fideliter, quod prædicetur & scribatur veraciter, narrando, inquam, prout tempus & causa postulauerit, quod non me ex viro, sed ex superueniente spiritu sancto conceperis, quod non ita per te, quasi per fistulam transierim, sed de ipsa carnis tuæ substantia veram carnis substãtiam susceperim, quod non phantasticum, sed verum & verè humanũ corpus acceperim, & in cœlum leuauerim, quod non ex te initiũ sumpserim, sed ante te imo & in principio ante omnia secula Deus Dei verbũ ego extiterim, & post me natum semper virgo sis, iuxta quod Ezechieli prophetæ dictum fuit, quia porta hæc semper clausa erit. Portas istas & omnes eiusmodi emissiones tuas, tẽpus tuũ erit, vt cum anima tua faciam id, quod summopere desiderãs, dicis. Vt veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. *Ezech. 44.*

LIBRI QVARTI FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS, IN CANTICA CANTICORVM DE INCARNATIONE DOMINI, Commentariorum

LIBER QVINTVS.

Beata Maria, vocem sponsi iamdudum audierunt non solum amici, verum etiam adolescẽtulæ quàm plurimæ pulchritudiuẽ tuam laudãtis & dicentis, qa tota pulchra es, & adhuc* adijcientis, absq; eo quod intrinsecus latet. Quid est illud quod intrinsecus latet, nisi optimus intentionis siue conscientiæ thesaurus? Hoc enim fere omnes nos latet, dum legim⁹, quia tu religionis & fidei magistra cũ beatis apostolis conuersata es, cum hominibus & fere inter turbas visa es. Cur nõ potius in abscondito te continuisti? Cur non confirmasti tibi secretum contemplationis? Cur vnquam alicui mortalium visus est magis te assumsisse pennas sicut columbæ, vt volaret & requiesceret, vt elongaret fugiens, & maneret in solitudine? Hoc enim multi fecerunt, non solus Helias siue Helizæus, verumetiã quàm plures filij prophetarũ. Quid igitur? Quam ob causam non & tu similiter, siue amplius eo modo pretiosam abscondisti hominibus pulchritudinis tuæ margaritam? Quærimus hoc & est scitu dignum, & ecce iam inuenimus & videmus, non quidem omnino sicut est, sed quasi per speculum. Nam speculi vice ad causam istam considerandam habemus maximè hunc scripturæ locum, hęc pulcherrima dicta Canticorum, quæ sic incipiũt: *Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ distillauerunt myrrham primam, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo. At ille declinauerat atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Quæsiui illam & non inueni: Vocaui, & non respondit mihi. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: Percusserunt me & vulnerauerunt me, tulerunt mihi pallium meũ custodes murorum. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectũ meum, vt annuntietis ei, quia amore langueo.* Ecce hic, ô Maria beatissima, ecce hic nobis quasi per speculum in ęnigmate sublucet vita tua, vita inclyta, quæ (vt dicere vel canere iam consueuimus) cũctas illustrat ecclesias. Totus fere huius capituli sensus ad illud pertinet, quod in te latet, & supra nos est quemadmodum suprà dicebat dilectus, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet: sicut fragmẽ mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet. Admoueamus igitur hoc speculum, & diligenter oculis cordis exinde cõtemplemur, vt saltem aliqua ex parte cognoscamus sanctissimam conuersationem tuam. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quid hoc est aliud, nisi illud ipsum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui sapientia dei, In omnibus requiem quæsiui? Et quid hæc sunt, Ego dormio, &c. In omnibus requiem quæsiui, nisi optimam partem elegi, relictis cunctis solicitudinibus vel curis seculi? Et quidem multæ

Aliàs. dicẽtis.

Cur Maria nõ elegit sibi vitã solitariã sicut Helias.

Psalm. 54. 3. Regu. 18. 19.

1. Cor. 13.

Sup. cap. 4.

Eccle. 44. Luca. 10.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

multæ filiæ siue multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt, sed tu dormitionis huius totum obtines magisterium, & vigiliarum cordis torum tenes principatum. Quid aliud nobis in Psalmo loquitur ibidẽ dilectus, dicẽs: Vacate & videte, quãdo ego sum Deus. Hoc nanq; idem est, ac si dicere t: Vos dormite, & cor vestũ vigilet. Intelligimus igitur quid dicas, Ego dormio, & cor meũ vigilat, scilicet quia talẽ nobis vt sequamur vitam tuã esse insinuas, qualis in patre tuo Iacob, quasi per vmbram significata est, qui & ipse quando dormiuit tũc cor eius vigilauit sicut scriptum est: Cumq; venisset ad quendam locum & vellet in eo requiescere, tulit de lapidibus qui iacebãt, & supponẽs capiti suo dormiuit in eodem loco. Viditq; in somnis scalam stantẽ super terrã, & cacumen eius tangens cœlum: angelos quoq; dei ascẽdentes & descendentes per eã, & dominũ innixũ scalæ, &c. Multarũ quoq; (sicut tã dictũ est) animarum fuit & est, non solum secundũ illam similitudinem otio sancto dormire, id est, à terrenis curis vacare, & in cœlestibus per contemplationem corde vigilare: verũ etiam eodem modo, quo & Iacob tunc dormiuit secundum corpus dormire, & secundũ animam per somnium cœlestia videre, iuxta illud: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbũt. Sed ô tu cœlum dei vnica sedes domini, in vtroq; vigilãtiæ modo, cũctis mortalibus siue terrenis hominibus longè eminẽtior extitisti, longè studiosior ad contemplãdum eum, in quo desiderant angeli prospicere, atq; aptior fuisti. Quid ergo tu cum hominibus, quamuis sanctis? Quid tu loqui vel conuersari cum mortalibus, quamuis apostolis? Cur non potius tanquam turtur castissima, turtur soliuaga, solitudinem expetisti remotior, quàm Iohãnes Baptista, secretior quàm Helias, vt soli te scirent, tibique famularẽtur angeli sancti, nõ ad horam, sicut angelus Heliam semel & iterum pauit, neque ad tẽpus, sicut eundem corui pauerunt ministri, sed iugiter, donec tuis completis diebus, ad transferẽdam te in cœlũ ęthereũ non vnus tantũ currus igneus, sed totus cum rege suo filio tuo veniret atq; occurreret angelorũ exercitus? Hæc nobis quasi percontantibus tu respondens, dicis: *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctiũ.* Hoc est dicere: Dilectus meus foris est, quasi sub dio est, tectum non habet, domũ non habet: Vulpes (inquit) foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis nõ habet, vbi caput suum reclinet. Quid enim? Nunquid domum vel suam habet? Imo reliqui (ait) domum meam, diuisi hæreditatem meam, facta est mihi habitatio mea quasi spelunca hyænę. Domum ergo iam habẽs tuam, & nondum adeptus aliam, id est, à Iudæis iam repulsus, & gentibus nondum cognitus, quodammodo stans foris & pulsans, rogat intus suscipi, & hæc vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, columba mea, amica mea, immaculata mea. Soror mea, per fidem, amica mea per spem, columba mea, per charitatem, immaculata, p omnimodã mentis & corporis incorruptionẽ: quod in matre, quæ concepit & peperit, valde laudabile est. Aperi mihi, scilicet os tuum, loquere, prout ad confirmandum pertinet euangelium, & in hoc optatæ tibi quietis patere suspendiũ, vt gratũ singulari pudicitiæ tuæ propter me rumpas silentiũ. Quã ob causam? Videlicet, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Extraneus factus sum quippe fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ, & sicut eius qui foris est, & tectum non habet, caput plenum est rore, & cincinni siue supremi capilli pleni sunt guttis noctiũ: ita opprobria exprobrãtium ceciderunt super me, & ab ipsis sacræ sensibus prauis inficiuntur scripturæ, quæ omnes ita mihi, scilicet verbo dei, sicut cincinni inhærent capiti. Sicut me extra portas suas, vt crucifigerent, eiecerunt, ita de cordibus suis longè fecerũt, odientes & me & patrem meum: & sicut illa nocte sua faciem meã conspuerãt, ita pertinaciter blasphemias in caput meum iactitant, & cincinnos meos cõmaculant, similes ipsi rori cadenti, siue caducis guttis noctium, quia de gratia dei ceciderunt: dum me Deum Dei filium esse blasphemantes negant, & scripturas, quæ testimonium perhibent de me, sensu contrario conturbant. Aperi igitur cum alijs testibus meis os tuum, & facito, vt in qui buscunque locum habeam, vbi reclinem caput meum. Vbi & quando ista vox dilecti pulsantis? Intus & interiori homine, vbi vobis quoque amicis dilectus idem solitus est loqui, sicut & de quodam vestrum scriptura dicit: Dixit autem spiritus Philippo: Accede & adiunge te ad currum istum. Si enim dilectus habitat in vobis, & int⁹ loquitur vobis, non necesse habetis doceri, quid de me ipsa dixerim, vox dilecti mei pulsantis. Si quæritur quando, nimirum postquam ascendit in cœlum, dum hic quoque sexus tenderet ad eũ, sicut legitur in actibus Apostolorum: Hi omnes erant perseuerantes vnanimes cũ mulierib. & Maria matre Iesu & fratribus eius. Sicut

Psal. 45.

Somnus Iacob.

Gene. 28.

Dilectus foris stans & pulsans.

Iohel. 2.

Cõtemplatio Mariæ cunctis excellentior.

3. Reg. 19.

Matth. 8.

Soror mea &c.

Caput meum plenũ est rore. Psal 68.

Ibidem.

Vbi vox pulsantis.

Actu. 8.

Quomodo femina quoq; comiter viuere cœperunt. Actu. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sicut viri, ita & fœminæ iam communiter viuere incipiebant, non ſolum Iudæorum, verumetiam Græcorum, quũ dato ſpiritu ſancto, prędicaretur euangelium Hinc eſt illud: In diebus autem illis creſcente numero diſcipulorum, factus eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduę eorũ. Propter huiuſmodi maximè fiebat vox dilecti pulſantis & dicentis: Aperi mihi ſoror mea, videlicet ne vel infirmiori ſexui deeſſet ſalutaris doctrina, miniſteriumq; & norma vitæ, vel morum diſciplina. Ego autem, inquam: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Iãdudũ quippe dilecte mi vitam perfectè ſolitariã concupiui, in qua ſic viuitur, ac ſi quis tunica vel omni veſte nudus, quieſcat ſibi in ſecreto lecti uli lotis pedibus, & expers totius pulueris. Quomodo rurſus implicabor curis, quæ nõ deſunt prælatis in conuerſatione communi, quamuis vita communiter viuentium propriumq́ue nihil habentium religioſa ſit vel eſſe poſsit? Hæc nanq; vita ſine victu vel miniſterio quotidiano nõ poteſt deduci, & nõnihil habet pulueris, imo & nimis ſæpe pulueruleta eſt & in primis murmurioſa, ſicut initio iam audiſtis ô amici, quia factus eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerẽtur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Nec mirum, quod ſexu iſto, ſexu fragili, confugiente ad nos de luto ſeculi, ſubeſt aliquid pulueris huiuſmodi, quum & in veſtro, ſcilicet ſexu virili, nonnulla reprehenſibilia ſint, & multa priſtinæ cõuerſationis veſtigia ſuperſint. Ego autem dilecto meo pulſanti loquor, eiq; nota replico, quia ſingularis ego præ omnibus exui me tunica mea, mente & actu vel habitu reliqui omnia, & ita laui pedes meos, conſcientiam ſiue intentionem meam emundante ſpiritu ſancto, vt iam dicti pulueris nihil omnino reſiduum ſit. Quomodo nunc induar tunica, vt quum mea reliquerim omnia, curem aliena, pro alijs ſolicita, & earum quæ quotidie veniunt viduarum, vel quæ vẽturæ ſunt virginum materfamilias effecta? Quomodo iniquinabo, quos laui pedes meos, id eſt, ad aliqua terrena inclinabo oculos vel cæteros, quos omnes tibi ſoli dilecte mi dedicaui, ſenſus vel cogitatus meos? Nã etſi cuſtodia tua ſemper mecum eſt, vera tamẽ humilitas ſemper ſolicita eſt, & mea potiſsimũ anima, quæ amore tuo ſingulariter plena eſt, pro pulueream æſtimat, pro ſordibus reputat, quicquid vnquã præter te per aliquam neceſsitatẽ dicit vel cogitat, quamuis licitum ſit, quamuis non otioſum, imo & aliquatenus vtile videri poſsit. Hæc vel his ſimilia dicenti & vigilanti, corde dormire volenti mihi quid obuenit? *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius.* Quo modo, ô dilecta, miſit dilectus tuus manum ſuam per foramẽ? Quæ eſt illa manus? Quod eſt illud foramen? Quis ille tactus? Quis ille tremor? Quomodo intremuit venter meus? aut quid venter tuus? Mirantes iſta quærimus, quia talium inexperti ſumus. Dicit quidam veterum amicorum: Et miſit dominus manum ſuam & tetigit os meum, & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce cõſtitui te hodie ſuper gentes & regna. Item alius dicit: Ego ſedebam in domo mea, & ſenes Iuda ſedebant coram me, & cecidit ſuper me ibi manus domini Dei. Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei. Noſtra ætate referebat quædam adoleſcentularum familiaribus ſuis, quibus propter compertam beneuolentiam ſecreta ſua committere non dubitabat, nocte quadã ſimilitudinem manus à capite lecti uli fuiſſe immiſſam ſuper pectus ſuum pene vigilãtis, imo nullatenus dormientis, non nihil tamen de exceſſu tenuiter patientis. Erat autem tactus ſuauiſsimus, quaſi dexterę manus. Et apprehendens illam ſuis vtriſque manibus demulcebat ſignaculo crucis, peragrans intus & exterius, quibus delinimẽtis valde manus eadem delectari videbatur. Cumq; poſt illas ſignaculi ſancti delicias, quibus manum demulcebat, brachium quoque contingere, ipſamq; perſonam, cuius manum tenebat, aſſequi conaretur, velociter veluti increpitans mouit & excuſsit ſe manus illa, oleo ſuauior, penna volucris agilior, motuq́ue ſuo dedit intelligi, quod ipſe cuius erat manus, nollet ſe apprehẽdi. Memorabat etiam eadem adoleſcentula, ſcilicet anima nuptijs iſtis dedita, canticiſq́ue nuptialibus intenta, quoniam dilectus in viſu noctis conſpicuus, manũ ſuam miro modo pectori eius, quaſi per foramen iniecit, & cor eius intrinſecus apprehendit, tenuitq́ue aliquandiu ſuauiſsimè ſtringens, & gaudebat ineffabili gaudio cor illud intra manum illam ſubſiliens atque tripudians. Porrò de tremore illo, tremore ſancto & diuino, tale experimentum ſibi eueniſſe fideli narratione referebat. Aſpiciebat per viſum in quadam eccleſia ſaluatoris imaginem, cruci confixam in loco ſublimi, ſcilicet vbi de more conſiſtebat, orantibus ſiue adorãtibus propoſita populis. Cumq́ue in eã intenderet, viuens imago viſa eſt, vultu quaſi regio, radiãtibus oculis, aſpectuq́; prorſus reuerẽdo: manum-

Actor. 6.

Maria præ cæteris contemplatiua.

Hiere. 1.

Ezech. 10.

Miſit manum ſuam per foramen.

Sanctus & dulcis tremor.

manumq́; ſuam dexteram de patibulo adducere, ſignaculum crucis ſuper aſpicientem edere magnifica expreſsione dilectus ille dignatus eſt. Non vana viſio, imo magnæ virtutis ſenſum videnti intulit cõtinuo. Deniq; ſicut tremit folium arboris, vbi ventus vehemẽs illud cõcuſſerit, ita cũ repẽte in hoc viſu euigilaſſet, in lectulo aliquãdu tremuit, veruntamẽ tremore dulci tremore blando, nimiumq́; ſuaui. Et antequã euigilaret, in ipſo viſu iã dicti virtus ſignaculi videntẽ ſurſum rapuit, velocius atq; facilius quã dici poſsit, manib. expanſis ad manus illius cõfixas cruci, ita vt os quoq; ori, totumq́; corpus admotum videretur eius corpori, & vbi ſomno erupit, aliquandiu (ſicut iam dictũ eſt) tremore illo diuino multum delectabiliter vigilãs tremuit. Hæc pro experimento manus vel tactus atq; tremoris diuini paucis dicta ſint. Verum cum de tua perſona agitur, ô dilecta dilecti ſingularis, qualia vel quanta ſunt iſta, vt ea, quæ circa te feciſſe credenda eſt manus domini, poſsint aliquatenus ex iſtorum ſimilitudine colligi? Magna ſunt iſta, noſtroſque longè cogitatus excedunt: te potius audiamus, cętera tam ſancta, tamq; myſtica narrãtem, tam longè ſupra literam ſpiritum vitæ in ſenſu habentem: *Surrexi vt aperirem dilecto meo. Manus meæ ſtillauerunt myrrham optimam, & digiti mei pleni myrrha probatiſsima.* Surrexi, inquã. Quomodo enim diutius dormire aut pòſt obdormiſcere potuiſſem? Quomodo tunica indui faſtidioſum, aut pulueręm pati in pedibus mihi eſſet pigrum, vbi poſt vocẽ dilecti mei pulſantis, manus quoque acceſsit, & tactu ſuo illum ineffabilem ventri meo timorem incuſsit? Surrexi igitur, vt aperirem dilecto meo, operam dedi, vt cum apoſtolis Chriſti, vtiq; dilecti mei dictis & factis proficerem currenti euangelio. Nã hoc eſt quod dico, manus meæ ſtillauerũt myrrham optimam, & digiti mei pleni myrrha probatiſsima. Oportebat nanque, vt maximè relictis credentium atq; apoſtolicam vitam imitantium viduis manifeſtũ darem exemplum omnis mortificationis vitiorum normamq́ue in propatulo mox venturis, nouũq́ue eatenus inauditũ exemplũ eo ſuſcepturis ſanctæ virginitatis propoſitum. Hæc myrrha vtiq; probatiſsima, id eſt, pretioſiſsima eſt. Cæterum carnem mortificare, nõ propter deum, neque propter ædificationem videntium, ſed propter gloriam propriam capiẽdam ex ore laudantium, hoc quidem eſt manibus ſtillare myrrham, ſed non probatã, imo nec ibi ſunt digiti, qui dicantur myrrha pleni, quia non eſt in tali opere virtus diſcretionis, quæ per digitorum diſtinctionem ſolet intelligi. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo. Peſſulum (inquã) oſtij mei, id eſt, clauſurã oris mei. Quid nanque per peſſulũ, niſi ſilentij ſignatur firmamentum. Peſſulũ ergo oſtij dilecto meo aperitur, quum indictum ori ſilentium propter Chriſtum reſoluitur, vt audientes ædificentur. Et quàm pulcher, quàm rationabilis & diſciplinatus ordo loquẽdi? Prius myrrha ſtillat de manibus, & digiti myrrha probatiſsima pleni monſtrantur, ac deinde peſſulus oſtij dilecto aperitur, id eſt, prius vita laudabilis in exemplum præparatur, & deinde doctrina fidem quærens audientium palàm profertur. Hinc de ipſo dilecto ſcriptũ eſt, quia cœpit facere & docere. Non dictum eſt prius docere, & deinde facere, ſed prius facere, & deinde docere. *Et ille declinauerat atque tranſierat.* Ego (inquit) peſſulum oſtij mei dilecto meo aperui, & ille declinauerat atq; tranſierat, id eſt, ego os meũ aperui in doctrina, vt audientibus facerem notitiam dilecti: ſed ille iam nobiſcũ non erat, iam cælo receptus, huc redire vlterius non habebat. Ergo ne, ô dilecta tu iſtud neſciebas? Nonne prius quàm modo iam dicto peſſulum oſtij tui aperuiſſes, videras, quod in cælum aſcẽdiſſet: & ſciebas, quod vltrà ad commanendũ mortalibus rediturus non eſſet? Sciebam (ait) & benè ſciebam. Sed quid? *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.* Quando vel vbi locutus eſt? Nimirum, quando vel vbi ego peſſulum oſtij mei dilecto aperui, loquendo ſcilicet pro vtilitate audientium ea quæ ſunt dilecti, tunc & ibi dilectus eſt locutus. Nõ enim ego eram quæ loquebar, ſed ipſe loquebatur in me. Si enim quilibet veſtrum amicorum dicit, & verè dicit: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſti, non dubium quin & in me dilectus idem locutus ſit, quoties ei peſſulum oſtij mei aperui, quoties linguam moui, & verbo Dei (quod ipſe eſt) vocem meam accommodaui. Vt ergo dilectus locutus eſt, anima mea liquefacta eſt. Flebam quippe, & præ ſingultibus vehementer erumpentibus nõ poteram verba niſi cõcuſſa, vel voces niſi interciſas euoluere. Nunquid enim poteram abſq; fletu de illo verba facere? Verum fletus ipſe conſolatio mihi erat, delectatio quædam mihi erat: ſicut & cuique veſtrũ lachrymæ ſuæ dulces ſunt, fluentes in eiuſdem recordatione dilecti, iuxta illud: Fuerũt mihi lachrymę meæ panes die ac nocte. Quanto magis mihi, dum diceretur mihi quotidie: Vbi eſt deus tuus, filius tuus: ſiue dũ dicerẽ ego, Me dimiſit in hoc exilio deus meus, filius meus, de me taliter incarnatus

Myrrha non probata quid ſit.

Peſſulũ oſtij oris eſt ſilentium.

Oportet prius facere poſtea docere.

Actor. 1.

Matth. 11.

2. Corin. 13.

Anima mea liquefacta.

Fletus dulcis.

Pſalm. 41.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus vel natus, propter me & me vidente, taliter agonizatus, talia passus? Quale mihi erat, cómemorare siue narrare verba eius, verba morientis, siue continuò morituri dilecti, maximè commendantis præceptum charitatis, mandatum dilectionis, ab illa cœna sacro sancta, quando tradebatur, vsque ad hæc verba nouissima: Mulier, ecce filius tuus: ad discipulum autem, Ecce mater tua? Ibi ignis, ibi gladius: ignis amoris, gladius doloris & anima mea victima erat holocausti. Hanc enim & ignis incendit, & gladius pertransiuit. Vnde sicut adeps sacrificij liquescit ab igne, & sicut fluit sanguis de gladij vulnere: sic anima mea liquefacta est, non ibi semel tantum, vbi moriebatur ipse, verumetiam quoties me aperiente pessulum ostij mei, locutus est in me. Toties quippe sensi profundo corde, vulnerata mẽte istud, quod nũc dico, quia declinauerat atq; trãsierat, ipsa commemoratione horum sensum mihi renouante vt magis ac magis sentirem eum hic iam non esse, visibiliter non comparere. *Quæsiui illum, & non inueni: vocaui, & non respondit mihi.* Quæsiui, scilicet iugiter meditando: vocaui, semper orando, sed sic quærẽs non inueni, sic vocanti non respondit mihi. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solẽ: sed mihi dulce sentiebam, videre carnem meam in ipso viuentem: delectabile habebam, quem genueram, videre facie ad faciem, ad dexteram patris super omnia fulgẽtem. Non sic statim inueni, non quàm cito volui, super hoc respondit mihi. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem. Percusserunt me & vulnerauerunt me, tulerunt mihi pallium meũ custodes murorum.* Qui sunt vel erant illi vigiles, illi custodes murorum, qui circumeunt ciuitatem? Nimirum amici & primi amicorum nostrorum, qui dicũt in libro suo, libro Actuum apostolorum: Non æquum est nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, ministerio verbi instantes erimus. Isti erant vigiles, & hoc illis erat vigilare, & ciuitatẽ circuire, & muros custodire, scilicet orationi & ministerio verbi iugiter instare, iuxta illud propheticũ: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte non tacebunt laudare nomen domini. Qui reminiscimini domini, ne taceatis & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudem in terra, illam Hierusalem nimirum, de qua & in Psalmo dictum est: Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Hoc ita vigiles illi faciebant, vt omni die in templo & circa domos non cessarent docentes & euangelizantes Iesum Christum. Isti inuenerunt, quærebãt enim me. Quomodo quærebant, & quomodo inuenerunt me? Quærebant me vtiq; omnes pia solicitudine, & ille præcipuè, cui à dilecto fueram cõmissa, dicente: Ecce mater tua: & recepit me in fua. Quærebãt isti multum sperantes de me, quod inesset mihi aliquid dignum sua inquisitione: quippe qui nouerant, quod in me vel de me fuisset factũ, qualis mater qualem genuissem filium. Nonnihil in me superesse arbitrabãtur de thesauris altissimi, quos superueniens in me spiritus sanctus thesaurizat in conceptione tanti filij. Verum quippe hoc erat, quia filius quidem de vtero meo per natiuitatem carnis, tanquam sponsus de thalamo suo processit: sed nihilominus tota plenitudo gratiæ, quã acceperã, ex tũc & vsque in seculũ in corde & in sensibus meis perseuerauit ac perseuerabit. Quærebãt igitur & inuenerunt me plenã esse gemitibus inenarrabilibus. Et hoc vnde illis, vt sic inuenirẽt me? Nimirum ex aliqua suimet similitudine. Nã quod gemebam, similiter & ipsi gemebant, eandemq; in gemitibus nostris habebamus causam, taliter ab ipso dilecto veraciter prænuntiatam. Filioli, adhuc modicum vobiscũ sum. Quæretis me, & sicut dixi vobis, quo ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modò. Hæc nobis erat communis causa gemituum atque fletuum, quod quò ipse abierat, nos non poteramus ire. Non quidem reliquerat nos orphanos, quia reliquerat cum sua promissione & suæ promissionis spe secundum verba hæc: Etsi abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiã vos ad memetipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis: veruntamẽ interim, dum differebamur, sic erat nobis, quemadmodum ipse alibi dixit: Nunquid possunt filij sponsi ieiunare, quàm diu cum illis est sponsus? Venient aũt dies quando auferetur sponsus ab eis, & tunc ieiunabunt. Quod si filijs sponsi erat ieiunandum, quanto magis mihi matri eiusdem sponsi ieiunadum erat & flendum? In hoc ipsi inuenerunt me, nec enim quid animi gererẽ, posset illos latere. Quid deinde. *Percusserunt me & vulnerauerunt me.* Quomodo, vel quib⁹ armis percusserunt me? Conferendo & colloquẽdo, & gemitus suos nimis vltroneos, imo & nimis violẽtos in medium iaciendo, percusserunt me: quos videlicet gemitus & fletus suos, & si vellent, retinere non poterant, & idcirco solutis habenis

Iohan. 19. Maria ignis & gladius.

Custodes murorum apostoli. Acto. 6.

Esai. 72.

Psal. 122.

Iohan. 19.

Iohan. 13.

Iohan. 4.

Matth. 9.

Gemitus & fletus apostolorũ circa Mariã.

benis lachrymas suas currere dimittebant, quantum ipsæ lachrymæ volebant. Tunc vnusquisq; portionem suam afferebat in medium, memores verborũ patris sui filijmei, sponsi iam dicti, dilecti nostri, verborum nouissimorum patris eiusmodi, quæ moriens & quasi vltimum trahens spiritum dixit, memores quale testamentum scripserit eisdem filijs suis, qualem hæreditatem dimisisset eis, & de ipsorum hæredum pace & concordia moriens quàm piè solicitus testator ipse fuisset, & quomodo cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Hæc erant iacula ipsorum, & istis percusserunt me, & vulnerauerunt me, percussi ipsi & vulnerati à me vicissim sagittis acutis, quæ erant sagittæ loquẽtis in me dilecti, quemadmodum Psalmista dicit: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs, atq; ita mutuis percussionibus mutuisque vulneribus percutiebamus inuicem & percutiebamur, vulnerabamus & vulnerabamur, percussionibus suauissimis, vulneribus dulcissimis: qualia qui expertus nõ est, profectò sanitatem cordis non habet. Inter ista tulerunt mihi pallium meum illi custodes murorum, ita videlicet, vt totum quod erat in me secretum, facerem, quantum opus erat, illis manifestum. Nam eatenus omnia, quæ erant de illo dilecto, verba conseruaueram conferens in corde meo, & ita contegens quasi sub pallio: tũc autem deprompsi in aperto, videlicet necessaria multumque profutura prædicando vel etiam conscribendo dilecti Euangelio. His alijsque modis defessa, & omninò huic mundo prærmortua, conuerto me ad filias sororesque nostras, Euangelij nostri viduas, siue qualescunq; sexus nostri personas mihi creditas, & aio ad eas: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt annuncietis ei, quia amore langueo.* O filiæ Hierusalem quæ veræ estis filiæ Abraham, semen Iuda, filiæ quoq; Dauid secundum fidem, credendo in eum, qui cum esset filius Dei secundum diuinitatem, & rex supernę Hierusalem, factus est filius meus, siue filius hominis ex semine Dauid secundum carnem, adiuro vos, videlicet per hoc ipsum, vnde estis filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, si ante me, vt sæpe fit, discipulæ ante magistram, exeuntes de corpore, veneritis ante dilecti mei conspectum, vt annuncietis ei, quia amore langueo, quia præ amore eius, præ magno videndæ faciei eius desiderio, nimirum vitæ huius tædium patior & animo gemituoso lachrymosisque oculis suspiriosas præsentis exilij moras sustineo. Quid erat, vel quid efficiebat hæc talis adiuratio? Nunquid ille dilectus nescire t amorem languentis siue languorem amantis, nisi annunciaretur ei? Domine (inquit Petrus) tu omnia scis: tu scis quia amo te. Quanto magis, ô tu dilecta, tam prudens tamque fidelis, per temetipsam absque internuntijs dicere poteras dilecto, & frequenter dixisti sine dubio, dilecte mi, nullum tibi est absconditum cor, nullius occultus amor, tu scis quia amore langueo? Quorsum ergo tendit vel quid efficit hæc adiuratio? Eò nimirùm, vt percussa percutiat, vulnerata vulneret, mater filias, salubriumq; vulnerum suorum aliquod, & si nõ statim omnibus, at saltem iam aliquibus earum experimentum efficiat, vt audientes filiæ vel sentientes in matre tantum vitæ futuræ, quæ nõ videtur, desiderium, in mente persentiant & ipsæ talem illum esse dilectum, vt iure propter eum fastidiat quiuis vel quæuis hoc præsens seculum, iamque inter moras præsentis vitæ magis ac magis cupiat eum agnoscere, saltem per speculum, saltem in ænigmate. Vnde & protinus dicunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* Opportuna valde percontatio, si respiciamus ad illa tempora, de quibus nunc agimus, quando tu ô dilecta propter Euangelium dilecti præsens aderas, & in corpore detinebaris, magistra necessaria, testis valde idonea. Iam tunc enim audiri incipiebant, non solùm Iudæi aperta fronte blasphemantes, verumetiam multi ac diuersi hæretici, sub nomine Christiano Christianam veritatem corrumpere laborantes, & exinde pullulare habebant, eodem quidem malignitatis spiritu, sed diuersis sibique contrarijs erroribus, quàm plura viperarum genimina, velut antiquæ hydræ capita, quæ, vt fertur, sectis prioribus plura renascebantur. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, & consulendum oraculum spiritus sancti, scilicet sacrarium pectoris tui, vt viua voce omnem necessariò tenendam demonstrares regulam fidei, cum testimonio scripturarum, quas memoriter tenebas prophetissa magna, & capax omnium prophetarum siue prophetiarum. Qualis est (aiunt) dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum, idem filius tuus Deus ex patre Deo qualis est ô virgo virginum, ô sancta sanctarum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? Neque enim nos, quæ iam sumus filiæ Hierusalem, dubium habemus, quin ipse sit dilectus ex dilecto, id est, Deus ex Deo: sed non nobis solis, quæ nunc sumus in hoc tempore tuo, verumetiam & omnibus alijs prouiden-

Cur adiurauit filias Hierusalẽ Maria. Iohan. 21.

Iohan. 13.

Sagittæ potentis acutæ. Psal. 119.

Tulerunt mihi pallium meum.

Luc. 2.

Filiæ Hierusalem secundum fidem. Rom. 1.

1. Cor. 13.

Hæreticũ & hydræ capita.

Dilectus ex dilecto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum est filiabus Hierusalem, quę futurę sunt post nos, vt ex te certo instructæ vel confirmatæ spiritus sancti testimonio, sciant contemnere hæreticos & solius dilecti sancto flagrare desiderio. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millib. Caput eius aurũ optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Oculus eius sicut colũbæ super riuulos aquarum, quæ lacte lotæ sunt, & residẽt iuxta fluenta plenissima. Genæ illius sicut areulæ aromatum, consitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus saphyris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ super bases aureas. Species eius vt Libani, electus vt Cedri Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Hierusalem.*

Tale tuum nobis carmen diuina prophetes,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum,
Dulcis aquæ saliẽte sitim restinguere riuo.

Hoc tuum carmen verè pulcherrimum, & sicut dicitur, ita est Canticum Canticorum. *Canticum Canticorũ.* Nihil amici libentius audierint, nihil adolescentulæ delectabilius acceperint, quæcunque habẽt aures audiendi sensumque promptum, quo legitimum carmẽ discernere possint. Dixisti qualis dilectus sit, & miras qualitates eius, breuiter quidem, sed delectabiliter exposuisti, sicut habet seipsa veritas rei, sicut omnes consonanter prædicant scripturæ veritatis. *Candidus sanctitate, rubicũdus passione.* *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Vnde candidus, & vnde rubicundus? Nimirùm candidus sanctitate, rubicundus passione. Dicat aliquis: Si ergo candidus, quare rubicundus? Si sanctus, quare passus? Hoc enim admirans spiritus sanctus in Dauid, cum dixisset: Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, &c. quibus vtique verbis designauit, eum fore candidum, scilicet immunem ab omni nigredine eius, in quo omnes peccauerunt: erant enim in lumbis eius, quando abijt in consilio impiorum, & stetit in via peccatorum, & sedit in cathedra pestilentiæ, cogitãdo malum, & transgrediendo mandatum, & defendendo siue in posteros suos transfundendo hæreditarium peccatum suum, subiunxit atque ait: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum & aduersus Christum eius? Et est sensus: Cùm ita fuerit candidus & omnino immaculatus: quare ita conuenerunt, & suo illum sanguine rubicundum fecerunt? Et in Esaia: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimentum tuum, sicut calcantium in torculari? præmiserat enim, Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum, quod est verè esse candidum, verè immaculatum. Statimque & quod hic dicitur electus ex millibus: ibidem subiungitur, torcular calcaui solus. Igitur quærimus & nos, siue adolescentulæ, quæ nondum ad plenum didicerunt, sed adhuc discunt tantum sacramentum: si ergo candidus, quare rubicundus? Si sanctus, quare passus: & respondent nobis amici veteres ac noui: Quia vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & ipse dilecti dilectus propter peccata, inquit, populi mei percussi eum. Quibus autem ex millibus est electus, nisi ex sanctis omnibus? Et in quo electus, nisi in eo, vt illud faceret solus, ad quod faciendum nullus illorum fuit idoneus? Hinc enim apud Esaiam, cum de vniuersitate sanctorum, quæ vna ciuitas est, quæque in Adam cecidit, præmissum fuisset: Eleuare, eleuare, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius, & vsque ad fundum calicem soporis bibisti, protinus infirmitas cunctorum millium quãta fuerit, his verbis quæ subiuncta sunt, demonstratur. Non est qui sustentet eam ex omnibus filijs, quos genuit, & non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filijs, quos enutriuit. Amplius autem ad ipsam conuersus dicit: Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata pleni indignatione domini, & increpatione Dei tui. Verè magna infirmitas cunctorum milium. Non solùm non potuerunt sustentare Hierusalem, siue apprehẽdere manum eius: verum etiam ipsi proiecti fuerunt & dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata, videlicet peccato illaqueati, peccato originali, & ob hoc pleni indignatione Domini, pleni increpatione Dei, id est, & secundum animam mortui, & secundum corpus mortales effecti, nisi q̃ in isto electo spes omnibus illis vna residua fuit, quemadmodum sequens litera continuò repromisit. Hæc dicit dominator tuus, Dominus & Deus tuus, qui pro populo suo pugnauit. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ. Non adijcies, vt bibas illum vltrà, & ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt. Hoc est opus electi, potuisse facere & fecisse, quod nullus alius fecit aut facere potuit, quod est abstulisse de manu generis

Esa.62.

Rubicũdus propter peccata nostra.

Esa 53. Rom.8.

Esa 53. Electus ex millibus.

Esa.51.

Omnes filij ante Christum proiecti erant et infirmi.

neris humani, scilicet omnium, qui ad vitam erant præordinati, qui omnes dicuntur & sunt vna Hierusalem, calicem iræ & fundum calicis, id est, sententiam vtriusq; mortis animæ & corporis. Vnde hoc illi, vt talis vel tãtus deberet esse electus? In quo discernitur? Quo differt à cunctis? *Caput eius aurum optimum.* Hoc est eius proprium, & hinc est illud, quod veraciter esse dicitur, speciosus forma præ filijs hominum: quia caput eius aurum est optimum, id est, principalis eius natura vera diuinitas est, ipse enim est Deus, Dei verbum, quod erat in principio apud Deum. Nam Deus erat verbum. Ex duabus vnus idemque subsistit naturis, diuina scilicet & humana, & ob hoc diuina eius natura rectè dicitur caput, quia principium est, quemadmodum quodam loco dicit: Ego principium, qui & loquor vobis. Quid tanti ponderis, vt hoc aurũ? Quid tam pulchrum, vt hoc caput aureum? Quid tam pretiosum, vt hoc verbum? Ego dilecta pondus auri huius ineffabiliter in memetipsa persensi, quando de cælo in vterum meum descendit. Sed habet quandam de semetipso mirabilem atque inæstimabilem efficaciam, qua mortalis conditionis vterum fragilemque hunc sexum ita dulciter solidare nouit ac potuit, vt non solùm non frangeretur, verumetiam delectaretur pondere eius paruitas vteri mei, cum sit ipse quem tremunt angeli, quem totus non capit orbis, sub quo curuantur, ait scriptura, qui portant orbem. Efficacia hæc, gratia eius est, sine qua nulla sub eo creatura subsistere potest. Hoc habet præ cunctis milibus, scilicet tale, tantique ponderis caput, & hinc est dilectus ex millibus. *Comæ eius, sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Comæ huius capitis sunt omnes scripturæ veritatis. Sicut enim comæ de capite prodeunt, & capitis quoddam sunt ornamentum: ita omnes scripturæ diuinitus inspiratæ, de plenitudine huius verbi siue electi acceptæ sunt, & omnes huic electo perhibent testimonium. Istæ comæ sicut elatæ palmarum, id est, sicut folia palmarum, quæ videlicet folia idcirco dicuntur elatæ, quod eleuentur sursum, quia non pendent deorsum, sicut aliarum arborum. Est autem palma arbor, insigne victoriæ, ramis oppansis in modum palmæ hominis, procero ac decoro virgulto, diuturnisque vestita frondibus, & folia sua sine vlla successione conseruans. Verè ergo comæ eius, videlicet electi siue aurei capitis dilecti, sicut elatæ palmarum, quia videlicet scripturæ veritatis, quarum vtique principium est caput illud, scilicet Deus verbum: non sicut scripturæ hominum, terram aspiciunt, sed sursum tendunt, & quæ sursum sunt quærunt, siquidem non occidentem literam, sed viuificantem sequaris spiritum, & valdè diturnæ sunt, sicut imò plusquam elatæ siue folia palmarum. Quia cælum (inquit) & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, & iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Sunt autem nigræ quasi coruus, quia (sicut alibi dictum est) tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, occulta scientia in propheticis atque legalibus scripturis, ita veraciter dicas, nigredo magna in comis capitis dilecti, vt sensus siue intellectus idem sit. Sed vide quid sequitur. *Oculi eius, sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte lotæ sunt, & residẽt iuxta fluenta plenissima.* Oculi eius septem sunt spiritus eius, septem dona siue septem gratiæ sunt vnius eiusdemque spiritus eius. Confer oppositа hæc, comæ eius nigræ quasi coruus, & oculi eius sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, & vide quid conficitur. Illud nimirùm, quia scripturæ sanctæ, sunt quidem sanctum, & viuificantem non habentibus spiritum nigræ quasi coruus, quia obscuræ eius & truces videntur, sed habentibus gratiam spiritualem, quæ per oculos intelligitur, candidæ, immò & lucidæ sunt sicut oculi columbæ mansuetæ, columbæ lacteæ. Exempli gratia: Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Et lex dicit: Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. In prophetis autem, vade, inquit Dominus, sume tibi vxorem fornicationis & fac filios fornicationum, & cætera. In ijs namque & cæteris huiusmodi, comę iam dictæ nigræ sunt, non quomodocunque, sed sicut coruus: quia non solùm obscura sunt hæc, verum etiam nociua videntur secundum literalem sensum. Adhibitis autem oculis iam dictis, oculis spiritualibus, apparet quia lucida sunt, columbina sunt, honesta & sancta sunt, videlicet secundum sensum mysticum, & quantum distat inter nigredinem coruorum, nitoremque columbarum lacte-arum, tantum, immò & amplius, distat inter occidentem literam & viuificantem spiritum. Igitur oculi eius, id est, gratię sancti spiritus in eo manentis sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ: columbæ valde candidæ, quæ residẽt super riuulos aquarum & iuxta fluenta plenissima, id est, omninò intendunt scripturis prophetarum, & omnes inspiciunt

Pſal.44.

Caput eius aurũ optimum, scilicet diuinitas.

Iohan.8.

Iob.9.

Comæ eius scripturæ veritatis.

Sicut elatæ palmarũ.

Gene.21.

Deut.19.

Oseæ.1.

Secundum spiritum sunt, & columbæ lacteæ.

2.Cor.3.

Luc.21.

Matth.5.

Pſal.17.

Pſal.1.

Rom.5.

Pſal.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpiciunt ſcripturas ſanctas, ſacramentorum cęleſtium pleniſsimas, iuxta illud Pſalmiſtæ: Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Quid enim fecit aut docuit abſq; authoritate ſcripturarũ? Primum vbi egreſſus eſt à deſerto, poſt ieiunium ac tẽtationem, traditum ſibi librum Eſaiæ prophetæ reuoluens, & inueniens locum, vbi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, &c. Hodie, inquit, impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris. Ita incipiens, cuncta ſine dubio cum authoritate ſcripturarum, & dixit & fecit, ſemper intendens ſcripturis. Et vt aliquid pro exemplo dictum ſit, nunquid in ipſo initio ſuæ prædicationis ſine inſpectatione ſcripturarum, abſque meditatione legis Domini in montem aſcendit, ſicut narrat Euangelium, quia videns turbas plurimas aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos, videlicet hoc præcipuè, quod non veniſſet legem ſoluere, ſed adimplere? Non vtiq;, ſed hoc inſpiciebat, hoc meditabatur, vnum & alterum, videlicet & quod olim fecerat, & quod poſtmodum erat facturus: quia nimirum & olim in mõte legem dederat eandem, & poſtmodum aſcenſurus erat in montem, id eſt, in ipſam cæli altitudinem, & aperto ore ſuo, aperto nihilominus ſenſu diſcipulorum ſuorum, vt intelligerent ſcripturas, docere habebat eos omnem veritatem. Rectè igitur ſicut columbæ, non qualecunque, ſed columbæ reſidentes ſuper riuulos aquarum, & iuxta fluenta pleniſsima, ita oculi eius, videlicet dilecti ſunt: quia ſenſus ſiue cogitationes eius nuſquam à ſanctarum inſpectione ſcripturarum ſeſe aliquando auerterunt. *Genæ illius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentarijs.* Genæ ſunt inferiores oculorum partes, vnde barbæ inchoant. Nam barba Græcè dicitur γένειον. Quod ergo per genas dilecti, niſi exterior eius habitus intelligitur? Genæ nanque hominis enunciant de illo, vnde & dicitur vultus idem locus, eo quòd per eum animi voluntas oſtenditur. Ergo genæ eius, inquit, ſicut areolæ aromatum: quia nimirum latentium in eo indices ſunt gratiarum virtutumque omnium, quæ ita intuentibus gratæ ſunt, habentibus duntaxat ſimplicem oculum atque beneuolum, ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentarijs, id eſt, non caſu complantatæ, ſed benè diſpoſitæ cura diligenti delectabiles ſunt, & aſpicientium lætificant viſum pariter & olfactum. *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Euangelij prędicatio munda eſt, & omnis doctrina dilecti ſancta & verà eſt, quod & ipſi aduerſarij confeſsi ſunt, quamuis non ſimpliciter, dicentes: Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Fuit autem initium prædicationis eius pœnitentia, præcurrente in hoc ipſum Iohanne, ſicut ipſa manifeſtè ſcriptura euangelica demonſtrat. In diebus autem illis, inquit, venit Iohannes Baptiſta, prædicans in deſerto Iudęę, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Item: Cum audiſſet Ieſus, quòd Iohannes traditus eſſet, ſeceſsit in Galilæam, & exinde cœpit prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Sed & aliàs vbicunque occaſio ſe prębuit, illam oſtendit fuiſſe aduẽtus ſui cauſam, vocare ſcilicet peccatores ad pœnitẽtiam, & hæc eſt amicorum quoque eius doctrina circa omnes homines, vt mortificẽt membra ſua ſuper terram. Ergo veraciter labia eius lilia diſtillantia myrrham primam, quia docet munditiam, vocat ad pœnitentiam. Non qualemcunque myrrham, ſed myrrham, inquit, primam, id eſt, veram & optimam, ſcilicet nequaquam cupiditate vanę glorię adulteratam. Cum, inquit, ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritę triſtes. Tu autem cũ ieiunas, vnge caput tuum & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſconſo, & pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi. *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* In quo manus eius tornatiles & aureę? Nimirum in faciendo miracula, vt conſtanter dicere poſſet: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi non vultis mihi credere, operibus credite, videlicet quę feci in vobis, qualia vel quomodo nemo alius fecit. Nemo quippe alius manus in faciendis ſignis vel prodigijs ita tornatiles & ita aureas habuit, id eſt, nemo ita velox & potens extitit in huiuſmodi, ex omnibus, quicunque mira in hoc mundo ſunt operati. Qui torno operatur, facilius, citius atque perfectius operatur. Sic iſte dilectus nimirum longè facilius, multò citius, valde perfectius, mira quę voluit operatus eſt, quàm aliquis ex cunctis operarijs virtutum, quicunque à ſeculo fuerunt. Illi namque multo ſudore, multis orationum atque ieiuniorum impendijs, multo clamore cordis & oris, aliunde, ſcilicet ex Deo, acquirere ſiue obtinere meruerunt cuiuſlibet (quam vtique in ſemetipſis vel ex ſemetipſis non habebant) virtutis effectum: hic autem ſolo nutu, ſola voluntate, ſolo imperio, interdum & tacitur nus quod voluit operatus eſt. Exempli gratia: Cùm dixiſſet in nuptijs, implete hydrias aqua, non ſolùm non clamauit aut orauit, ſed nec voce ſua ſiue labiorum motu iuſsit ſaltem aut dixit, conuertantur vel conuertimini aquæ in vinum, ſed de hoc omnino tacitus, haurite nunc, inquit, & ferte architriclino, ſciens & certus, quod ſatis ſenſiſſet natura tacitum conditoris ſui nutum. Nec mirum. Ipſe enim erat & eſt antiquus tornator, qui tornauit cęlum & terram, & ſphærica ſolis & lunæ cunctarumque corpora ſtellarum torno ſuo, id eſt, imperio velociſsimo. Vnde manus eius adeo tornatiles? Nimirum ex eo, quod ſunt aureæ. Quid eſt aureæ, niſi diuinæ? Subſtantia nanque verbi incarnati verum aurum eſt, vera diuinitas eſt: & vnde, quòd ita velociter currunt manus eius? quia quamuis infirmitate carnis obtectæ fuerint, nihilominus tamen tornatiles, vt erãt, perſeuerauerũt, & in nullo infirmiores ſiue tardiores effectæ ſunt. Adde & hanc ſapientiæ laudem, tanto præconio fortitudinis ſiue velocitatis, quia plenæ hyacinthis, lapidibus vtique pretioſis. Quinam ſunt illi hyacinthi? Nimirum cæleſtes cauſæ mirabilium ipſorum, quæ fecit, quas intendit, quas internis prę oculis habuit, ſenſu ſinterni, ſenſus pulcherrimi, quos tu, dum cum exteriori opere coniungis, dum clarè intelligis, dum opportunè eloqueris, nimirum hyacinthos pulcherrimos auro optimo ſuperadditos oſtendis. Exempli gratia: Vt illuminaret cæcum à natiuitate, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloe, &c. In hoc nimirum manus eius tornatiles & aureæ claruerunt, quia & velociter operatus eſt, & ſicut Deus in poteſtate opus fecit diuinum. Adde nunc cauſas, quare taliter operatus ſit, cum dicere poſſet, ſicut alij dixit: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit, & ecce manus eædem plenæ hyacinthis. Quæ nam illæ cauſæ ſunt? Illæ profectò, quas vſque in hanc diem ſancta Eccleſia diligenter obſeruat in catechumenis ſuis, prius liniendo oculos eorum fide vel doctrina incarnationis eiuſdem dilecti filij Dei: in qua videlicet incarnatione, quaſi ſputum oris Dei, puluerit terræ ſeſe indidit & vnus idemque Deus & homo ad illuminandum genus humanum proceſsit de vtero virginis, & deinde mittendo eos in fontem baptiſmi, quo per ſpiritum ſanctum totus homo illuminatur & viuit. *Venter eius eburneus, diſtinctus ſaphyris.* Qualis venter, quàm pulcher, & quàm decorus? veruntamen & caput pulchrius & pulchriores manus. Nam caput aurum optimum, & aureæ ſunt manus, venter autem eburneus. Pulchrum quidem & pretioſum eſt ebur, ſed aurum longè pulchrius, longè pretioſius. Sic nimirum humana dilecti huius natura ſiue ſubſtantia, paſsibilis quondam & tenera, pulchra quidem & pretioſa, ſed diuina, longè pulchrior, longè pretioſior, in vna eademque dilecti perſona, nũquàm paſsibilis, ſemper immortalis, vt erat ante omnia ſecula. Verè pulcher & decorus venter eburneus, quia ſicut ebur magni corporis, ſcilicet elephantis, tota pulchritudo, totumq; pretium eſt: ſic iſte venter, videlicet humanitas ſiue caro, quam ex genere humano aſſumpſit, totius mundi maximeque generis Abrahæ, de cuius ſemine naſci voluit, decus & gloria eſt. Pulchrius nimirum atq; pretioſius eſt ebur carne vel corpore reliquo, de quo ſumptum eſt: & nihilominus caro dilecti huius pulchrior, mundior & incomparabiliter ſanctior eſt omni maſſa, cuius ex ſemine ſumpta eſt. Nam vniuerſitatis hominum iſta conditio eſt, vt nullus ſit, qui non veraciter dicat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, præter hunc vnum & vnicum, ſingularem & ſolum, quem ſine vlla iniquitate, abſque vllis peccatis concepi ego mater ſua, nunc incorrupta, mater in conceptu intacta, in partu & poſt partum illæſa & integra. Ita venter eius eburneus, id eſt, homo ipſe eſt caſtiſsimus, ab omni vitio frigidus, contra omnia, quæ ſunt carnis & ſanguinis, valde ſolidus, impaſsibilis & mundus, ſanctus, innocens & impollutus, & omninò à peccatoribus ſegregatus. Huiuſmodi venter, & ſi non eſt aurum, ſiue aureus, vt caput eſt aurum, & vt ſunt aureæ manus, attamen diſtinctus eſt ſaphyris, id eſt, humanitas eius, & ſi non eſt idipſum quod diuinitas eius, attamen ſplenduit rebus diuinis, glorificata eſt omnimodis priuilegijs diuinitatis ab ipſo initio, quo cum vagiret in cunis, famulante cælo & indice ſtella, adoratus eſt à Magis vſque ad cõſummationem, id eſt, vſq; ad mortem, mortem autem crucis: vbi dum compungeretur hic venter clauis & lancea militis, cælum obſcuratum eſt & tenebræ factæ ſunt, & velum templi ſciſſum eſt, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & cætera deinde facta ſunt, quæ tu conſiderans rectè dicas, quia ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphyri, & quaſi cælum cum ſerenum

Pſalm.1.
Luc.4.
Eſa.61.
Sermo Chriſti in mõte.
Matth.6.
Exod.20.
Luc.24.
Iohan.6.
Genæ, exterior conuerſatio.
Labia eius doctrina munda & vera.
Matth.22.
Matth.3.
Matth.4.
Luc.5.
Coloſ.3.
Manus tornatiles in miraculis.
Iohan.10.
Nemo citiùs aut velociùs mira operatus eſt quàm Chriſtus.
Iohan.9.
Luc.18.
Manus aureæ à diuinitate.
Plenæ hyacinthis, ſignificantibus ſcilicet cæleſtibus.
Caro Chriſti reliquis longè mundior.
Pſal.50.
Venter ſaphyris diſtinctus.
Matth.2.
Philip.2.
Iohan.19.
Matth.27.
Exod.24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

renum est. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Crura illius, vię sunt illius, scilicet misericordia, & iudicium, siue misericordia & veritas, sicut ait Psalmista: Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. *Psal.24.* Nam veritas ipsa est iudicium verum. Crura ista, viæ istæ, columnæ marmoreæ, id est, rectissimæ sunt atque firmissimæ, nec est qui possit eas infirmare, aut iustè reprehendere: Nam iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Exempli gratia: Loco vel tempore supradicto, cum penderet dilectus iste crucifixus, latronum duorum medius, alterum ex eis pœnitentem misericorditer suscepit, secumque in paradisum assumpsit, alterum blasphemantem iusto iudicio reprobauit. *Psal.18.* *Luc.23.* Cum similiter populum quõdam non suum, populum gentilem, credentem atque confitentem assumit, & populum quondam suum, populum Iudaicum, non credentem, immò contradicentem atq; blasphemantem dereliquit, quis iustè reprehendere, quis immutare possit? Nemo vtique, quia rectæ sunt istæ viæ eius vniuersæ. Ergo crura illius columnæ sunt marmoreæ. *Bases aureæ, cõsilia diuina & immobilia.* Quid eo quoque verius, quòd ait, quæ fundatæ sunt super bases aureas? Bases namque aureæ consilia sunt sapientiæ diuinæ. Denique super huiusmodi bases ita fundatæ sunt illę mirabiles columnæ, vt in iudicando, siue misericordiam faciendo, dilectus iste nihil posit à semetipso facere. Flere potuit super ciuitatẽ Hierusalem, subuersionem, & damnationem suæ gentis præuidens, & tamen animum suum inducere non potuit, vt auer teret ab eis iram imminentem. *Iohan.15. Luc.19.* Stabant quippe inflexibilia crura eius tanquàm columnæ marmoreæ super bases aureas, id est, nõ qualis esset humanitatis suæ voluntas, sed diuinæ iustitiæ rationes attendebat. *Species eius, vt Libani electus vt Cedri.* Species eius, pulchritudo eius talis est vt Libani. Cuius Libani? Illius nimirum, cui per prophetam Zachariam spiritus sanctus, spiritus propheticus dixit: Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis Cedros tuas. Iste Libanus fuit templum domini, templum quod Salomon Domino ædificauit, cuius trabes & tabulata fere omnia fecit de lignis Libani, lignis Cedrinis auroq; vestiuit. *Species eius vt Libani.* In quo species dilecti similis speciei talis Libani? Primum in eo, quod sicut Libanus ille, templum illud, caput & decus extitit, sanctumque sanctorum Hierusalem illi terrenæ ciuitati, sic iste dilectus, & caput, & decus, sanctus sanctorum est supernæ Hierusalem ciuitati cœlesti, ciuitati Dei viuentis, secundum mysteria templi huius nõ manu facti, cuncta facta sunt ædificia templi illius manu facti, sicut & tabernaculum, quod Moyses in eremo iubente Domino perfecit. Sicut enim de tabernaculo faciẽdo dixit dominus Moysi: Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstraui: ita & Dauid spiritum sanctum, spiritum propheticum habenti, non dubium quin demonstratum fuerit cœlitus exemplar cœlestis ædificij, vt describeret qualiter deberet fieri, sicut scriptura libri Paralip. dicit: Dedit autem Dauid Salomoni filio descriptionẽ porticus & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum, in adytis, & domus propitiationis, nec non & omnium quæ cogitauerat atriorum, & cætera, vsque ad id: Omnia, inquit Dauid, venerũt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. Profectò propheta cum esset Dauid, qui & dicebat: super senes & super omnes docentes me intellexi, non dubium quin & ipse oculis eisdem, quibus Moyses viderat exemplar tabernaculi faciẽdi, viderit exemplar, iuxta quod descriptiones templi faciendi dedit filio suo Salomoni. Exemplar, inquam, cœleste, scilicet magnum sacramentum templi, nõ manu facti, per spiritum sanctum de vtero virginis construendi, id est, corporis sancti, sicut & ipse dilectus testatur, dicendo Iudæis: Soluite templum hoc, & post triduum excitabo illud. Hoc autem, inquit Euangelista, dicebat de templo corporis sui. Igitur species eius vt Libani, id est, decus ipse est suæ sempiternæ ciuitatis, & sanctum sanctorũ in Hierusalem cœlesti, sicut præfiguratum est in illo templo manu facto in illa Hierũsalem terrena, constructa de lignis imputribilibus atque auro tectis. Non solùm autem, sed & in hoc species eius vt Libani, & ipse electus, vt Cedri. *Electus vt Cedri.* Quia sicut Libanus mons Phœnicis qui ex vno latere terminus est terrę Iudęæ, maximis abundat cedris, in semetipso radicatis & in altum subrectis, sic iste mons Dei, mõs pinguis verè candidus, & mundus secundum hoc ipsum nomen, quod est Libanus, magnos & valde nominatos & ipsos patres suos, secũdum fidem & de semetipso radicatos protulit, quemadmodum de Dauid, vtique patre suæ carnis, ipse dicit: Ego Iesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs, ego sum radix & genus Dauid. Igitur isto quoque modo species eius, vt Libani & electus vt Cedri, scilicet sancti vel patres antiqui, id est, assimilatus est illis, quemadmodum in Osee prophe-

Osee.12. propheta dicit: Et locutus sum per prophetas, & ego visiones multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum. Exempli gratia: Sicut Isaac ad immolandum ductus, non reluctatus est ipse, tamen viuus holocausto suo superfuit. Et sicut Ioseph inuidia fratrũ superata de carcere transiuit ad currum dominationis, & Aegyptum de periculo famis eripuit. Et sicut Dauid, cum esset minimus de medio fratrum inuidentium assumptus, & rex vnctus superbum Goliad strauit, & post multas persecutiones Saul, tandem sedit in throno regni: Sic iste dilectꝰ inter aduersa gloriosus claruit, omnique inuidia & ipsa morte superata, in cœlum ascendit, & sedet à dextris Dei, iuxta illud: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Similiter de alijs quàm plurimis experimenta capere copiosa promptum est, vt scienter noueris ita esse, vt dilecta dicit, electus vt Cedri. Finis descriptionis hic est. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Guttur dilecti experimentum est diuinæ eius dulcedinis, quæ nondum apparuit, sed in futuro reseruatur in remunerationem præsentis fidei ac dilectionis, quemadmodum ipse dilectus dicit. *Iohan.14.* Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

Gene.22. *Gene.41.* *Exod.25.* *1.Reg.16.* *1.Para.28.* *Psal.109.* *Psal.118.* *Iohan.2.* *Elect⁹ vt Cedri.* *Esai.64. 1.Cor.2.* *Psal.67.* *Totus desiderabilis.* *1.Petri.1.* *Apoc.22.*

Guttur illud suauissimum, inquit, & non dicit, quàm suaue, vel cui simile sit. Cæterorum singulis quædam similia dedit siue apposuit, videlicet capiti aurum optimum, comis elatas palmarum, oculis columbas super riuulos aquarum, genis areolas aromatum, labijs lilia, manibus tornum & aurum cum hyacinthis, ventri ebur distinctum saphyris, cruribus columnas marmorias cum basibus aureis. Porro guttur, vt iam dictum est, nulli rei simile, sed tantummodo suauissimum dixit, vt per hoc recogites ineffabilem atque inæstimabilem esse internam dulcedinem diuinitatis, vt meritò dictum sit illud, quod Deus diligentibus se præparauit, quale nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Sed nec cæterorum, de quibus iam dictum est, similitudines sufficientes sunt.

Vno autem dicto supplere contendit defectum totius sermonis, dicendo, & totus desiderabilis. Verè totus desiderabilis, & semper desiderabilis, quia cum habetur, tunc magis desideratur, estque visio eius in desiderio, desiderium in visione, sicut scriptum est: In quem desiderant angeli prospicere. *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Hierusalem.* Quomodo sermo potuit *describere virum amabilem, dilectum, desiderabilem. Non talis pictura hæc, qualem aspexit illa non mater nostra, illa Hierusalem terrena, imo non Hierusalem, sed Ooliba soror eius, quæ dicebatur Oolla, de qua & sic scriptum est in propheta Ezechiele: Cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines expressas coloribus & accinctos baltheis renes, & thyaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis terræque Chaldæorum, in qua nati sunt, insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuntium ad eos in Chaldæam. Non, inquam, talis pictura hæc, veruntamen æmulamini in melius visum illum & concupiscentiam illam. Humanum dico, ait quidam amicorum, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Et ego vobis dico. Sicut illa videlicet non Hierusalem, sed Ooliba exhibuit oculos suos videre viros depictos in pariete, videre imagines Chaldæorum, expressas coloribus, videre baltheos eorum, thyaras eorum, & formam eorum, ita nunc exhibete oculos vestros, oculos interiores, videre dilectum hunc, videre aureum caput eius, nitentes oculos eius, reuerẽdas genas eius, candida & gratiosa labia eius, tornatiles & aureas manus eius, eburneum & saphyris distinctum ventrem eius, rectissima crura eius, & tangite suauissimum guttur eius, iuxta illud: Gustate & videte, quoniam suauis est dominus. De omnibus iustum iudicium iudicate, videlicet quod iste multo melior sit Moyse. Hoc enim postulabat ipse, cum diceret Iudæis: Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secũdum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Nam illi quidem locutus est Deus, & ex collocatione Dei facies eius splenduit, sed non caput aureum, non manus tornatiles & aureas habuit, id est, nõ Deus & homo, sed tantũmodo homo fuit: & hoc ipsum, quòd splendida facta est facies eius, quod aliqua operatus est quali busscũque manibus, de plenitudine huius accepit, sicut & omnes alij. Talis, inquam, est dilectus meus, & ipse est amicus meus, & prius amicus quàm dilectus meus. Prior enim ille me amauit: & respexit humilitate ancillæ suæ amicis oculis, & hinc illum ego dilexi, quia* *Al.sic. Hierusalẽ non vera, sed terrena.* *Ezech.23.* *Talis est dilectus meus.* *Psal.33.* *Iohan.7.* *Exod.34.* *Luc.11. Iohan.1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia magna fecit mihi, magna, inquam, quæ verè sunt amici. Hoc autem nunc agitur, vt vester quoque dilectus sit, & vt sciatis vel cognoscatis iam ex parte, quàm verè diligendus & totus desiderabilis sit, quia dixistis, qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos. *Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò declinauit dilectus tuus, & quærimus eum tecum? Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, vt pascatur in hortis & lilia colligat.* Ergo ô dilecta & dilectarum dilectissima, non quasi ignorans, quò abisset dilectus tuus, dixisti filiabus Hierusalem, adiuro vos, si inueneritis dilectum meum, nam ipsę potius ex te discendum existimauerunt, & tu doces eas, vbinam inuenire deberent illum. Quare autem non dixisti, dilectus meus ascendit in cœlum: sed dixisti dilectus meus ascendit in hortum suum. Videlicet quia non adhuc infidelibus, sed iam fidelibus loqueris, scilicet filiabus Hierusalem, quippe quæ nec veraciter dici possent filiæ Hierusalem, si non haberent fidem: nisi dilectum surrexisse atque in cœlum iam ascendisse credidissent. Hoc autem scire illas oportebat ad perfectionem fidei, quod licet ascendisset in cœlum, & sederet ad dexteram patris, nihilominus tamen hic remansisset præsentia maiestatis, præsentia vel gratia siue operatione diuinitatis inuisibili, quemadmodum dicit: Ecce ego vobiscum suum omnibus diebus vsque ad cõsummationem seculi. Igitur dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, vt pascatur in hortis, & lilia colligat, id est, hic perseuerat nobiscum, quò semel descendit, vt faceret voluntatem patris sui, quod est pasci in hortis, quemadmodum dicit: meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, & vt electos suos congregaret ad se, quod est lilia colligere, quemadmodum quidam de præcipuis amicorum dicit de hocipso dilecto, quia moriturus erat pro gente, & non tantum pro gẽte, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Cum hæc ita sint, non ita vobis dictum arbitremini filiæ Hierusalem, adiuro vos, si inueneritis dilectum meum, vt annuncietis ei, quia amore langueo, tãquàm hinc abierit, & hic nullo modo inueniri possit, quia Deus & dominus est, qui vbique est, & omnia implet, quemadmodum sapiẽs cognitor eius dicit. Ergo ne putandũ est, quòd Deus habitet super terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorũ capere te non possunt, quanto magis domus hæc, quã ædificaui. Quamuis secundum visibilem præsentiam hic non sit, quamuis humanam formam in cœlum leuauerit, eamque nubes susceperit ab oculis nostris, tamen hic intra vos est, & vos illi estis areola aromatis, & ipse pascitur in vobis, & vos estis lilia quæ colligit.

CAP. VI.

Dilecto meo ut ascendat in hortum suum.

Matth. vlt.

Iohan. 4.

Iohan. 15.

Christus est Deus vbiq; est.

3. Reg. 8.

Actor. 1.

FINIS LIBRI QVINTI.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS, IN CANTICA CANTICORVM DE INCARNATIONE DOMINI, Commentariorum

LIBER SEXTVS.

Digna laudari à dilecto Maria. Cants. 4.

ANtequam fierent emissiones tuę paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus, laudabilis eras & pulcherrima mulierum, & dilecti tui voce laudabaris, dicentis: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum, absq; eo, quod intrinsecus latet, &c. Quanto magis postquàm ad vocem eius pulsantis, & propter manum eius te tangentis, surrexisti, vt aperires ei, & aperuisti pessulum ostij tui, factusque est ille emissionum tuarum paradisus, verbis atque exemplis tuis complantatus, laudari debuisti ampliori laude pulchritudinis, quàm esses pulchra non solitibi, sed pulchritudinis tuæ facti essent participes plurimi. Repetit iterum dilectus canticum laudationis, & modulos multiplicat pulcherrimæ cãtionis in memoriam tui, talibus verbis te præmittente. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascatur inter lilia. Pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ouium, quæ descenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularũ non est numerus. Vna columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderũt illam filiæ, & beatissimam prædicauerunt reginæ & concubinæ laudauerunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgẽs, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Ego, inquis, dilecto meo, subauditur pessulum ostij mei aperui, vocis meæ obsequium præbui, vt audirent, & non nescirent filiæ Hierusalẽ, qualis ipse sit: dilecto, inquam, meo, qui pascitur inter lilia, id est, qui corda munda, & casta diligit corpora, & dilectus meus, subauditur, vicem reddit mihi laudationis ac beatificationis, cantico suaui, ac perfectione cantici, veluti octo chordis. Ipse est enim & psalterium & cythara Dei patris, cui pater in Psalmo dicit: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara. Fiebant autem antiquitus cytharæ octo chordis, ea lege, vt octaua eadem esset quæ prima, quam symphoniam maximam musici nominant dyapason. Considerate igitur canticum istud, quomodo currit modulis octo benè sonantibus, ita vt sonus octauus idem sit qui primus, terribilis, vt castrorum acies ordinata. Nam primus modulus est, pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Secundus, auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Tertius, capilli tui, sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Quartus, dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro. Quintus, sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Sextus, sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Septimus, viderunt illam filiæ, & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ laudauerunt eam. Octauus, quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?

Psal. 56. 107. Canticum perfectum in octauis. Octo modulis huius cãtici.

Igitur perfecta cantio maximaque hæc symphonia dilectionis, & modulus octauus idem sonat, quod primus pro eo, quod non contenta ego propria fœlicitate, studui chorum filiarum Hierusalem docere & ordinare, ita vt vnus idemque cœtus & chorus esset & castrorum acies, chorus laudantium dilectum, acies pugnantium contra diabolum propter dilectum. Nunc singula hæc modulamina studiosius addiscenda sunt. *Pulchra es, inquit, amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* In hoc est perfectio pulchritudinis, quòd non solum suauis, nec solum terribilis, sed vtrunque es & suauis & terribilis: suauis sicut Hierusalẽ, terribilis vt acies castrorum, quæ bene ordinata est. In quo suauis & decora, sicut Hierusalem? In eo videlicet, q& anima

Chorus & acies castrorum.

Suauis & terribilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma tua ſemper ſupernam videt pacem, & ex viſitatione tui diſcunt animæ plurimæ cœleſtem ducere conuerſationem, vnde & dicuntur vel ſunt filiæ Hieruſalem, quia optimam eligunt partem, iuxta illud: Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus. *Pſalm. 45.* Quid verò eſt, vt caſtrorum acies ordinata? *Vt caſtrorũ acies ordinata.* Non enim à magno intellectu vacat iſta comparatio, & idcirco ſubtiliter eſt intuenda. Scimus & conſtat, quia caſtrorum acies tunc hoſtibus terribilis oſtenditur, quando ita fuerit conſtipata atque denſata, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam ſi ita diſponitur, vt locus vacuus, per quem hoſtis poſsit ingredi, dimittatur, profectò iam ſuis hoſtibus terribilis non eſt. Et nos ergo, cum contra malignos ſpiritus ſpiritualis certaminis aciem ponimus, ſummoperè neceſſe eſt, vt per charitatem ſemper vniti atq; conſtricti, & nunquam interrupti per diſcordiã inueniamur: quia quamuis quælibet bona in nobis fuerint, ſi charitas deſit, per malũ diſ- *Per diſcordiã datur hoſti locus.* cordiæ locus aperitur in acie, vnde ad ſeriendos nos valeat hoſtis intrare. Huius partis optimæ tu totam hæreditatem poſsides, & in ea princeps tu es: partis, inquam, optimæ, cuius eſt & in ſuauitate videre iam vel contemplari ſupernam pacem, ſecundum nomen Hieruſalem, & contra malignos ſpiritus in procinctu eſſe ſecundum caſtrorum ſimilitudinem. Veruntamen ô dilecta, ô vera Hieruſalem, fac quod dico. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Et tũc, quando me præſentè habuiſti præſentia corporali, oculos tuos, oculos tam mentis quàm corporis ſemper in me fixos habuiſti: & nunc, quando ſecundum corpus abſens tibi ſum, me ſpiritualibus oculis iugiter contemplaris. Auerte oculos tuos, auerte, inquam, videlicet ita, vt prudens & diſcreta ſit contemplatio, ſciendo quod ſim incomprehenſibilis ego dilectus tuus, ex eo quod ſum Deus, cuius ſubſtantiam vel naturam quanto quis contem- *Prudẽs & diſcreta cõtemplatio. Pſal. 63.* platur ſubtilius, tanto ad comprehendendum inſufficiens inuenitur, vt de iſto quoque rectè dicas: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ergone bonum eſt hoc placitumque dilecto, propter cauſam hanc auertere oculos? Eſt planè bonum aliquo modo, ſcilicet dum ſic à me auertis, vt in temetipſam conuertas oculos tuos, id eſt, dum ſic altiſsimam diuinitatem contueris, vt reuoces ad memoriam infirmitatem tuam infirmæ conditionis, & optimè ſcias, quia hoc ipſum, quòd Deum vides, non tuę potentiæ, ſed diuinæ gratiæ eſt. *Capilli tui, ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Sicut cortex mali Punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.* Vt quid iſta dilectus laudationis modulamina *Cur repetit tres modulos laudis.* repetit, cum inter cætera ſuperius eadem & eodem modo cecinerit: niſi quia duplici honorificentia dignum eſt, eandem munditiam cogitationum, eãdem vitæ innocentiam, eandemque pudicitiæ verecundiam, quam prius habuiſti in ſolitudine ſilentij, cuſtodiſſe ad integrum in illa frequentia, cui te intereſſe poſcebat vtilitas euangelij, ſecundum voluntatem dilecti pulſantis & dicentis: aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium? Et de iſtis quidem, videlicet de capillis, dentibus atque genis iam illic dictum eſt: veruntamen de genis adhuc aliquid dicendum, quod libenter audiant amici, quò ædificentur adoleſcentulæ, quò delectentur filiæ Hieruſalem. In vtero nos ita natura formauit, vt *Genæ & genua in vtero matercõſtituta ſunt.* genua genis oppoſita ſint. Vnde & à genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent ſibi, & cognata ſunt oculis, lachrymarum indicibus & miſericordiæ. Denique complicatum aiunt gigni, formarique hominem ita, vt genua ſurſum ſint, quibus oculi formantur, vt caui fiant ac reconditi. Inde eſt quod homines, dum ſe ad genua proſternunt, ſtantim lachrymantur. Voluit enim nos natura maternum rememorare vterum, vbi conſedebamus in tenebris, antequàm veniremus ad lucem. Profectò qui cauſam iſtam diligenter attẽdit, ille ſcienter atq; rationabiliter laudat *Offerendæ ſunt Deo & genua curuata & genæ lachrymoſæ.* & approbat, ſanctis & eruditis cogitationibus familiare eſſe, genua frequentius excelſo Deo curuare, & genas lachrymoſas genibus curuis applicare, vt reſpiciat ac recogitet creator habitans in excelſis, qualiter nos in vtero formauerit. Vnde & illud ſanctus Iob *Iob. 10.* commoneſacit his verbis: Memento quæſo, inquit, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me, &c. vſque, licet hæc celes in corde tuo, tamen ſcio, quod vniuerſorum memineris. Non paruum inuentum reperit, qui iſtud conſecutus eſt, vt ſcienter ſic exhibeat creatori, ſicut reperit propheta Micheas, cum dixit: Quid di- *Mich. 6.* gnum offeram domino? Curuem genu Deo excelſo. Nec verò ſoli Deo, verum etiam hominibus dulcis viſu & amabilis eſt huiuſmodi compoſitio ſiue appoſitio, tantoque quiſque magis reuerendus exiſtit, quanto frequentius atque affectuoſius genua curuans, genas ſuas vel oculos aut totum

Genæ & oculi alis Deo hominibusq; odibiles. tum caput demiſerit. Econtrà capitis oculorumque ac genarum erectio nimia, multum Deo & hominibus odibilis eſt, magnamque ſonat vituperationem talium reprehenſio, maximè ex ore Dei. Exempli gratia, cum dicit: *Iſai. 3.* Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & *Prouer. 30.* ambulauerunt extẽto collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, &c. Item: Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ in altum ſubrectæ. Tu ô dilecta naturam condecoraſti, quæ genas tuas ad nullius viri aſpectum ſubleuare prima propoſuiſti, ſolique creatori mente & corpore humilis ſapienter *Pſal. 40.* inclinaſti, duce & magiſtro ſpiritu ſancto, in quo dicit pater tuus fidelis Dauid: Venite adoremus & procidamus, & ploremus ante dominum, qui fecit nos. Sequuntur autem te vtriuſque ſexus plurimi, quibus optimè placet id quod audiunt, ſicut cortex mali Punici, ita genæ tuæ abſque occultis tuis. *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.*

Quid eſt hoc dicere: niſi quod & ſi multæ *Gala. 5.* ſunt fideles, & propter fidem, quæ per dilectionem in eis operatur, laudabiles, nulla tamen earũ tibi ſimilis eſt, ſicut veraciter præ- *Perfectiones animæ reginæ, imperfectiones concubinæ dicuntur.* dicamus, quia nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Nam reginæ rectè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis ſunt, in eo videlicet quod eundem dilectum *Matth. 19.* tuum ſequentes, nihil terrenum, ſed ipſum ſolum quærunt, nec propter metum gehennæ, ſed propter amorem vitæ tuæ æternæ peccatum fugiunt, virtutemque amãdo, iniquitatem oderunt. concubinæ verò ſunt illæ, quæ ſub timore ſeruiunt, nec eius perfectionis, vt ſuper præceptum velint addere conſilium, ſcilicet hoc, vt relictis omnibus ſolum ſequantur hunc dilectum, habentes quidẽ in fundamento Chriſtum ſed nihilominus amantes aliqua, quæ huius mũdi ſunt. Quod porro volunt ſibi numeri iſti decem ſenarius atque octonarius: Valet ne aliquod nomen ſcripturæ huius, quod eſt, *Numeri ſexaginta & octoginta facunt diateſſaron in muſica.* שׁשׁים hoc, Cãtica Canticorũ. Valet vtique, quia primam ſymphoniam efficiunt, quam muſici nominant diateſſaron. Eſt enim in eis habitudo, quam Epitriton, id eſt, ſeſquitertiam dicunt, quia maior numerus, videlicet octoginta, minorem numerum, ſcilicet ſexaginta, totum in ſe continet, & eius inſuper tertiam partem, id eſt, viginti. Et hæc proportio numerorum in muſica ſex reddit diateſſaron, quod interpretatur de quatuor, & idcirco ſic vocatur ſymphonia hæc, quia de quatuor chordis ſiue vocibus conſtat, cum duobus tonis habens ſemitonium. Igitur ſexaginta reginæ, & octoginta concubinæ, id eſt, animæ quę verbo Dei inſtiunt, & verbi Dei ita participes factę ſunt, vt facere poſsint doctrinę fructum: meritis quidem, ſecundum quod ſuprà dictum eſt, differunt, ſed fidei conſonantiam per vnitatem confeſsionis in auribus dilecti ſuauiter reſonant. *Cur numerus ſenarius reginis, octonarius concubinis attribuatur.*

Quomodò autem numeri iſti octonarius & ſenarius, qui hic multiplicauerunt denarium, ab inuicem differunt: vt meritò per ſenarium reginas, & per octonarium voluerit deſignare concubinas? Videlicet eo differunt, quòd ſenarius numerus perfectus, octonarius verò imperfectus ac diminutus, atque vſque ad extremas vnitates ſecabilis eſt. Perfectus quippe eſt, & perfectorũ primus numerorum ſenarius, quia ſuis ex partibus conſtruitur. Habet enim dimidiam, id eſt, tres: tertiam, id eſt, duo: ſextam, id eſt, vnum, quæ partes ſimul collectæ ſenarij ſummam reſtituunt. Porrò octonarius in ſuis partibus ſeipſo minor eſt. Habet enim dimidiam, id eſt, quatuor: quartã, id eſt, duo: octauam, id eſt, vnum: quæ partes ſimul collectę, ſeptenarium faciunt, minorem videlicet ſummam ipſo octonario, cuius partes ſunt. Claret igitur & iſta cauſa, cur ſenarius reginis, & octonarius concubinis, magisque octonarius reginis, & ſenarius congruat concubinis. Adoleſcentularum non eſt numerus, id eſt, *Adoleſcẽtularũ non eſt numerus. Pſal. 39.* abundant in Euangelio plures, quàm ad cœleſtes pertineant thalamos, iuxta illud: Annuntiaui & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Adoleſcentulæ namq; rectè dicuntur, quę nondum ſaltem ad timorem Dei profecerunt, & propter hoc cuſtodia in digent vel magiſterio hominum, qui nec dum intus diuini timoris ſeu amoris habent magiſterium, & multæ ex huiuſmodi (quod valde pauendum eſt) inueniuntur extra numerum, quia de adoleſcentia nunquàm ad perfectam ætatem perueniunt, ætatem interioris hominis, quam quidam amicorum inſinuans, occurramus, ait, in virum perfectũ, *Ephe. 4.* in menſuram ætatis plenitudinis Ieſu Chriſti. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Vna (inquã) eſt, & ſimilẽ non habet: Omnino nec in- *Mater ſuperna Hieruſalẽ genẽtrix, Sponſus ecclęſia pa trum.* ter reginas vlla ſimilis huic eſt. Cui matri ſuę vna, cui genitrici ſuę eſt electa? Nimirum matri ſuæ Hieruſalem vna eſt, illi Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum, & genitrici ſuę, ſcilicet antiquæ eccleſiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

siæ electa est, ecclesiæ patriarcharum & prophetarum ac regum iustorum, quorú de carne progenita est, quorum secundum fidē benedictionis, quæ ad illos repromissa erat, ianua vel materia est. Et illi matri, & huic genitrici vna & electa est: quia nec inter angelos, nec inter homines similem vel primam habet, vel sequentem habitura est: verè columba, quia gratia plena, verè electa, quæ non solum salua existeret, verum etiam ipsam salutem pareret. *Viderunt illam filiæ, & beatissimā prædicauerunt reginæ, et concubinæ laudauerunt eā.* Hoc ipsamet præuidens ac prænoscens, cum dixisset: quia respexit humilitatem ancillæ suæ, subiunxit atq; ait: Ecce enim ex hoc beatam me dicēt omnes generationes. Nōne, vt secūdum præsentem literam hoc dictum sit, & generatio reginarum, & generatio concubinarum, & generatio adolescentularū: nonne(inquam)omnes istę generationes beatam dicēt illam? Reuera, & si impares meritis attamen fide consimiles, ecce vident illam, ecce cōtemplantur illam vnam, illam electam, & cum admiratione ineffabili voces extollunt iugiter ex omnibus locis suis, talem laudantes, talem beatissimam prædicantes, non solum hic in isto exilio mortalitatis, verumetiam & multo amplius in illa prima vitę & immortalitatis, vbi vident eam dominantem, & dominando possidentem regnum dilecti, eo videlicet iure, quo decet matrem possidere regnum filij sui. Et quid dixerunt laudantes & beatissimam prędicantes? *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Quàm pulcher ordo in ista laudatione, in ista tuæ pulchritudinis, ô beatissima, prædicatione. Primum consurgens vt aurora, deinde pulchra vt luna, deinde electa vt sol. Quando nata es ô virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana finis præteritę noctis, & initium diei sequentis, sic natiuitas tua, natiuitas ex semine Abrahæ, clara ex stirpe Dauid, ad quos cum iuramento Dei facta est repromissio benedictionis: finis dolorum, & consolationis fuit initium: finis tristitię, & lætitiæ nobis extitit principium. Quando autem spiritus sanctus in te superuenit, & filium virgo concepisti, virgo peperisti, tunc tu & ex tunc pulchra pulchritudine diuina: pulchra (inquam) non quomodocunque, sed vt luna. Sicut em luna lucet, & illuminat luce non sua, sed ex sole concepta: sic tu ô beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia diuina, gratia plena. Quando autem de hoc mundo assumpta atque ad æthereum thalamum translata es, tunc tu & ex tūc electa vt sol: electa (inquam) nobis, quia sicut ex te natum Dei filium solem verum, solem æternum adoramus & colimus vt Deum verum, sic & te honoramus atque veneramur, vt veri Dei genitricem, sciētes quia totus honor impensus matri, sine dubio redundat in gloriam filij. Et quidem natura non tu idem es, quod ille sol, sed nihilominus tanta es, vt te honoret ipse sol, honore, quo decet filios honorare parentes suos. Qui enim dixit: Honora patrem tuam & matrem, non dubium, quin ipse honoret, & ab omnibus amicis suis sanctis suam velit honorari matrem. Finis cantici idem sonat quod principium, terribilis vt castrorum acies ordinata, sicut superius iam dictum est. Protinus verò, quod dixeras ô dilecta filiabus Hierusalem, percontantibus quò abijsset dilectus tuus, dilectus meus descendit ad areolam aromatis, vt pascatur in hortis, ipse gratanter acceptum cōfirmat his verbis. *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset vinea, & germinasset mala Punica.* Ita soror mea, vt nouissimè dixisti: Ego descendi, videlicet de cælis in hortum meum, hortum nucum, factus sum enim ex te muliere, factus sub lege, quæ nimirum lex sic mihi est tanquàm hortus nucum. Denique sicut nux sub amaro cortice, intra testam duram, dulcem & ad vescendum suauem continet nucleum, ita sub amara voce vel occidente litera, & durissimo iugo cæremoniarum, suauem atque viuificantem continet spiritum. Ad quid huc descendi? Vt viderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala Punica. Verum quod econtrà euenit, illud cantabile non est, ad Cantica Cāticorum non pertinet: siquidem respicias causam illorum, qui illi descensui meo nimis ingrati fuerunt. Amici nostri & filiæ Hierusalē adolescentulæ nostræ iamdudum rem gestam benè nouerunt, secundum illam parabolam quam dixi, quæ est huiusmodi: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & c. vsque, nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres. Venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatē eius, & apprehensum eiecerūt eum extra vineā, & occiderūt eum. Secundum (inquam) parabolam illam, ego descendi in hortum nucum, id est, sub lege factus sum, vt viderem poma cōuallis, id est, vt consolarer eos, qui me expectabant in spiritu

Galat.4.

Luc.1. Beatā me dicent oēs generatiōes.

Quasi aurora cōsurgens Maria.

Pulchra vt luna.

Electa vt sol.

Maria honorat filium & omnes sancti.

Exod.20.

Gala.4.

Lex, sicut nux est. 2. Corin. 3.

Parabola de agricolis vinea. Matth.21.

Descendi in hortum nucum.

Esa.61. Luc.4. Esa.5.

ritu humilitatis. Iuxta illud: Spiritus domini super me, eo quòd vnxerit me dominus. Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgētiam, & clausis apertionem, &c. Non solùm autem, sed & vt inspicerem, si floruisset vinea: illa nimirum vinea, de qua scriptura prophetica dicit: Vinea facta est dilecto in cornu filio olei, &c. vsque, vinea enim Domini exercituum, domus Israel. At illi agricolæ eiecerunt & occiderunt me. Veruntamen licet hęc mihi fecerint, aliqua pars eorum tandem pœnitens istud cantabile dixit. *Nesciui, anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.* Vbinā hoc dictum fuit? Cum dicerent eis amici nostri, certissimè ergo sciat omnis domus Israel, quia dominum eum & Christum Deus fecit hunc Iesum, quem vos crucifixistis: His auditis compuncti sunt corde & dixerūt ad eos: Quid faciemus viri fratres? Et quidam talium notissimus ita dicit: Fui blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. His atque alijs modis dixit pœnitens synagoga, siue aliqua synagogæ pars: Nesciui, anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab. Quare autem sic dixit, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab, & non dixit, conturbauerunt me quadrigæ Aminadab? Considerate amici prius ipsas quadrigas Aminadab, & videbitis multum pertinere ad rem, quod dicit: anima mea conturbauit me, & non dicit, quadrigæ conturbauerunt me. Quadrigæ Aminadab quatuor sunt euangelica sacramenta dilecti, videlicet incarnatio vel diuinitas eius, passio eius, resurrectio eius, & ascensio eius. Propter huiusmodi quadrigas anima mea (inquit) conturbauit me, id est, cœtus pharisaicus in seditiones excitauit me, vt talium quadrigarum cursum non possem discernere, videlicet præuēta quadrigarum earundem non bona æstimatione, secundum suasiones & iniqua consilia illius talis animæ meæ. Cœtus nanque pharisaicus erat vel esse debebat anima mea, id est, ita plebem viuificare vel regere, sicut corpus vel omnia membra corporis viuificat vel vegetat anima: vtpote magistri vel sapientes, legem & prophetas scientes, immò & totam clauim scientiæ tollentes. Talis anima mea conturbauit, vt ad scientiam non possem introire, & intelligere quadrigas Aminadab, quod testimonium eis perhiberent lex & prophetæ. In quo, vel vnde dilectus Aminadab? Quò pertinuit, vt tali in re vocaretur Aminadab? In eo nimirum, quod vnus idemque dilectus, rex est & pontifex magnus, & in se vno personam vtranque coniunxit, videlicet sacerdotis & regis, secundum typum vel similitudinem illius viri Aminadab, qui cum esset de tribu regia, scilicet de tribu Iuda, dedit filiam suam in coniugium homini sacerdoti Aaron de tribu Leui, sicut in Exodo scriptū est: Accepit autem Aaron vxorē Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Naason, quæ peperit ei Nadab & Abiu & Eleazar & Ithamar. Et ille quidem Aminadab, filiam suam semel datam illi Aaron, ad semetipsum non reduxit aut reducere debuit, iste autem Aminadab, iste dilectus & primogenitus, sacerdotium suum, quod semper ante Moysen & Aaron primogenitorum fuit, pro tempore autem & propter quādam dispensationem, de qua multa essent dicenda, præstitum est tribui Leui: sacerdotium (inquam) suum exultādo, & quadrigis iam dictis viam suam currendo, repetijt & ad se reduxit, in omnibus spontaneus, sponte incarnatus & natus, sponte passus, & in ipsa passione sua ipse sacerdos & ipse hostia sponte factus, secūdum hoc ipsum nomen Aminadab, interpretatur enim populi mei spontaneus: Non solùm autem sacerdotium suum ita repetijt & ad se reduxit, verumetiam ad antiquam speciem formamq; pristinam reuocauit, sicut in spiritu prædixerat Dauid: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech. Igitur anima mea conturbauit me (ait) propter quadrigas Aminadab, videlicet malo zelo ipsa turbata & confusa præ inuidia, causam suam quasi dolendam declamans, eo quod cursores siue aurigas quadrigarū ista rum audisset dicentes, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Et multa his similia, seu antè, seu postquam cursum suum perfecit iste Aminadab. Voces autem eiusdem Aminadab currentis in quadrigis suis erāt huiusmodi. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Tu (inquit) ô Sunamitis, id est, captiua vel despecta, tu ô fides, veri sacerdotij dignitas, propter carnales cæremonias penè obliuioni tradita, ita vt nesciat neque recogitet synagoga, quia non per legem, sed per te, scilicet per fidem iustificatus est pater eius Abraham, sicut scriptum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: reuertere, & iterum dico reuertere, & tertiò dico reuertere, & quartò dico reuertere, videlicet secundum istas quadrigas meas. Nam &

Quadriga Aminadab Anima mea cœtus pharisæus.

Luc.11.

Cur Christus hoc dicitur Aminadab, q. a rex & sacerdos.

Exod.6.

Psal.109.

Non per legē, sed per fidem iustificatio est. Rom.4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad hoc natus, & ad hoc passus sum, vttu reuertaris, & resurgens, atque ascendens in cœlum, reuersionem tui inclamare non desisti. Cumque reuerteris, tu mihi es Sunamitis, quæ vel me vel patrem meum antiquum dierum calefacias secundum similitudinem hanc: Et rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies. Cumque operiretur vestibus, nõ calesiebat. Dixerunt ergo ei serui sui: Quęramus domino nostro regi adolescẽtulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu eius, & calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abysach Sunamitem, & adduxerunt eam ad regem, &c. Hæc denique, sicut & alia sunt per allegoriam dicta, & inter omnia, quæ in figura contingebant, sunt æstimanda. Vestimenta enim, quibus cum operiretur rex Dauid senex, non calefiebat, carnales cæremoniæ sunt, quas ille antiquus dierum Deus cum sibi offerrentur, non delectabiliter accipiebat, imo dicebat: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hyrcorum potabo? Et multa his similia. Porro Sunamitis, puella speciosa, sola digna est stare coram Deo rege, & in sinu eius dormire, ipsumque calefacere, id est, benè calentem charitatis eius gloriam, scilicet remissionem peccatorum obtinere. Tu ergo Sanamitis reuertere, vt intueamur te, id est, vnde iustificatus est Abraham, inde iustificari sperent omnes, qui volunt esse vel veraciter dici filij Abrahæ, scilicet non ex lege, sed ex fide: & nos intuebimur te, nos gaudebimus super te. Notum hoc debet esse amicis, imo adolescentularum multitudini, & idcirco dico eis. *Quid videbitis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Quid, inquam, aliud? Nunquid sanguinem victimarum? Nunquid circumcisionis cauteriũ? Nihil omnino nisi choros castrorum, id est, laudes siue cantiones præliantium, prælia laudantium siue cantantium, quod suauissimum, quod verè est pulcherrimum. Immola Deo sacrificium laudis, ait ipse in Psalmista, & redde altissimo vota tua. Laudando chori præliantur, præliando castra laudant, & omnino est iustitiæ Dei sibijci, non suam velle statuere iustitiam. Nihil aliud videbitis, aut videre desiderabitis: sed & si quis vestris ô amici auditoribus ostendere voluerit, vos cum spiritu sancto, spiritu consilij econtrà dicetis: Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, & ea quæ vobis fieri non vultis, alijs ne feceritis. A quibus custodientes vos, benè agetis. Igitur hoc solum in Euangelio videndum atque prouidendum est secundum fidem patrum, vt sint chori castrorum chori in vna fide, dicendo idipsum, castra resistendo vsque ad sanguinem contra peccatum. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Tibi dico ô Sunamitis, cui dixi reuertere, & quę iam reuerteris, te appello filiam principis, & hęc dico tibi, quia pulchri sunt pedes tui in calceamentis. Quæritis ne adolescentulæ, cur Sunamitem iam dictam nominem filiã principis, vel cuius dicam filiam principis? Discite hoc ex amicis, & ex illo præcipuè, cuius in anima valde claruit illa reuersio, quam inclinans dixi, reuertere, reuertere Sunamitis. Insigniter quippe reuersa est anima illius de lege factorum ad legem fidei. Ille nos filiam principis cognoscere docet his verbis: Scriptum est (inquit) quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, & cætera vsque, Itaque fratres iam non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit, state & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Libera illa cuius secundum scripturam meminit, Sara dicta est. Sara autem interpretatur princeps, & secundum hoc ipsum nomen, & secundum suæ generationis modum, allegoricè designat illam, quæ sursum est Hierusalem liberam, quæ est mater omnium secũdum fidem, neque enim generat secundum carnem, sed secundum fidem: sicut ecõtrà ancilla Agar, secundum nomen suum, quod interpretatur aliena, & secundum suæ vel generationis vel conditionis modum illam designat Hierusalem, quæ nunc est & seruit cum filijs suis. Igitur filia principis, pulchra & speciosa Sunamitis, ipsa est fides vel generatio fidei, cui nunc dico quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. An non ancilla siue ancillæ filia discalceatis pedibus incedit? Planè discalceatis, & propter hoc ipsum seruilis arguitur conditionis, quia nuditas pedum seruilitatis est argumentum, excepto si fiat propter Deum, iuxta illud: Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. Verum de calceamentis hic agitur non corporis, sed spiritus, in quo discalceatũ esse vel discalceatã, summa est ignobilitas, & pluspuam seruilis ege-

Gene. 15. *3. Reg. 1.*

Galat. 4.

1. Cor. 19. *Psalm. 49.*

Chori castrorum. *Matth. 10.*

Actor. 15.

1. Cor. 1.

Filia principis dicitur.

Ancilla discalceata.

Exod. 3.

egestas. Idcirco ancillæ calcaneum serpens momordit, tu autẽ ô filia principis benè calceata, caput serpentis contriuisti, tu maximè, ô princeps & domina, singularis dilecta, & sicut iam dixi, vna columba mea, vna genitrici suæ, videlicet generationi liberæ, generationi non carnis, sed fidei, quę me virum non de carne viri, sed de spiritu Dei concepisti & peperisti patrem vel principem filiorum non carnis, sed fidei vel repromissionis. *Iunctura fœminum tuorum, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.* Laus ista, laus magna vituperationi illi opposita est, imo & acerbissimę exprobrationi illius ancillæ iam dictæ apud Ezechielem prophetam, dicentem ex ore domini: Et diuisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas. Diuisio vel diuaricatio pedum ipsa est disiunctio fœminum, valde vituperabilis, nimirum propter illud, quod subintelligitur, videlicet propter multitudinem fornicationum. Et ecotrà iunctura fœminum, ipsa est compositio vel cõtinuatio pedum laudabilis, itemque propter illud quod subintelligitur, scilicet propter pudicitiæ pulchritudinem, saluumque ac benè custoditum castitatis sigillum, maximè in te ô singularis & vnica vel nobilissima Sunamitis, in te ô dilecta & dilectarum dilectissima, quæ prima sine exemplo iuncturam fœminum tuorum ita custodire proposuisti, vt virgo nulli vnquàm cognita vel cognoscenda viro, digna fieres coniungi tuæ integritatis autori Deo. Quantũ est hoc decus? Quanta honestas? Igitur iuncturæ fœminum tuorum sicut monilia, id est, virginitatis tuæ integritas, perpessque pudicitiæ custodia cœlestibus præsidijs communita. Cuius est hoc opus? Cuius virtus? Nimirum Dei altissimi. Et hoc ipsum, ait quidam sapiens, sapientia est scire, quod continentia donum Dei sit. Dico igitur non qualiacunque monilia, quæ fabricata sunt manu artificis, id est quæ solus Deus facere & dare potest vel potuit. *Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquàm indigens poculis.* Et ista laus tua, ô libera Sunamitis, opposita est ancillæ vituperationi, quam apud iam dictum prophetam habemus his verbis: Et quando nata es, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem. Quibus vtique verbis luxurię superfluitatem vituperat, quia viris quidem in lumbis, fœminis autem in vmbilico luxuria est, testante domino, qui de diabolo loquitur ad beatum Iob: Virtus eius in lumbis eius, & potestas eius in vmbilico ventris eius. Igitur vmbilicus tuus crater tornatilis, quid est nisi ac si dicet: Perfecta est in te virtus castitatis, & liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis? Parum quippe fuisset ad laudem veræ virtutis, dixisse, iuncturæ fœminum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis, nisi & istud adderetur, vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquàm indigens poculis, quia videlicet illo præcedenti versiculo solum denegatur opus siue affectus carnalis commercij: isto autem sequenti appetitus quoque cogitationis, qui si inesset, nunquàm veraciter diceretur vmbilicus sic præcisus, imo & circumcisus, vt crater tornatilis, neque adderetur adhuc, nunquàm indigens poculis. Quidnam est vmbilicũ non indigere poculis, nisi non vri vel sitire per appetitum libidinis? Hinc enim per quẽdam sapientem dicitur in mulierem malam: Sicut viator sitiens ad fontem os suum aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, Ergo tu ô Sunamitis, ô filia principis, corde & corpore es casta, mente & carne integra & incorrupta, cogitatione & opere munda. Vt autem perficiatur ista laus, dicendum, quia locutione quoque vtilis es atque pudica. Hoc est, quod nunc dico, ego dilectus tuus. *Venter tuus, sicut arceruus tritici vallatus liliijs.* Venter tuus venter interioris hominis, iuxta quod quodam loco dixi, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ, ipse est sicut aceruus tritici, id est nunquàm indiget pane verbi Dei, imo abundat omni tritico, quodcunque seminauerunt alij. Illuc illatum est omne, quod prophetarum fides elaborauit. Exempli gratia, vt Esaias qui dixit: Et accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Tu enim ô dilecta, tu es illa prophetissa, ad quam accessit omnis sanctus & fidelis propheta, ad quam tendebat, & in qua completa est omnis sancta & fidelis prophetia.

Hinc venter tuus sicut aceruus tritici, quod videlicet triticum prudenter congregasti, meditando in scripturis, sicut dictum est quodam in loco: Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

Huiusmodi aceruus benè est vallatus liliijs, qa profectò pulchritudo castitatis, sicut claritudinem sensus ad intelligendum scripturas efficit, ita & autoritatem parat omni homini, vt dignus sit foris eloqui ea, quæ intus reposuit vel contulit verba Dei triticum domini. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Collum tuum sicut turris eburnea.* Et ista laus liberæ, opposita est vituperationi ancillæ, imo & ancillarum, quæ ex vna factæ sunt

Disiunctio fœminum in ancilla. Ezech. 16.

Iunctura fœminum in libera.

Sap. 8.

Ezech 8.

Gregorius.

alb. 40.

Ecel. 26.

Luc. 2.

Vmbilicus Mariæ crater tornatilis.

Iohan. 7.

Vterus Maria & aceruus tritici.

Esa. 8.

Vallatus liliijs.

Vbera ancillarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

duæ. Fili hominis, ait dominus ad prophe-
tam Ezechielem, duæ mulieres filiæ matris
Ezech. 23. vnius fuerunt, & fornicatæ sunt in Aegypto,
in adolescentia sua fornicatæ sunt ibi, ibi
subacta sunt vbera earum, & fractę sunt mam
mæ pubertatis earum. Quanta iniuria seruí-
litatis in illa tali subactione vberum taliq;
fractura mammarum? Et quantum decus li-
bertatis hic secundum similitudines istas,
videlicet hinnulorum gemellorum capreæ,
atque turris eburneæ? Ergo tu ô libera Suna-
Duo vbera Mariæ. mitis, tu maximè, cuius duo vbera sunt ge-
mella, seculis omnibus inaudita, virginitas
atque fœcunditas: tu (inquam) ô dilecta sin-
gularis, libera es ab omni iugo peccati, secun-
dum istas similitudines hinnulorum capreæ
atque eburneæ turris. Quid est collum tu-
Eius collũ. um, vel quale est collum tuum? Vtique non
extentum, imo amabiliter demissum, & hæc
est humilitas tua, fortitudo magna, fort tu-
do pulcherrima: verè sicut turris eburnea,
quæ & aspectu amabilis, & statura sit fortis.
Gene. 32. Cui fortis, cui amabilis? Deo fortis, Deo a-
mabilis: diabolo autem terribilis, inacces-
bilis. Quomodo ipsi Deo fortis? Nimirum
sicut ex istis comprobatur exemplis: Quia si
Exod. 22. contra Deum fortis fuisti, ait ipse ad patrem
tuum fidelem Iacob, quanto magis contra
homines prævalebis? Ad Moſen autem: Cer-
no (inquit) quòd populus iste durę ceruicis
sit, dimitte me, vt irascatur furor meus con-
tra eos, & deleam eos, faciamque te in gen-
tem magnam. Et non dimisit eum, imo tam
diu luctatus est, vt videns Deus quòd eum
superare non posset, diceret illi: dimisi iux-
ta verbum tuum. Quali fortitudine lucta-
batur iste vel ille? Profecto humilitate, si-
Psalm. 105. cut & de isto Psalmista dicit: Si non Moyses
electus eius stetisset in confractione, id est,
Osee 12. in nimia mentis humilitate in conspectu e-
ius: de illo autem propheta Osee, cum dixis-
set: In fortitudine sua directus est cum an-
gelo, & inualuit ad angelum, & confortatus
est: confestim, fortitudinis eius exprimens
modum, subiunxit: Fleuit & rogauit eum.
Igitur ô dilecta collum tuum, quod est humi
Humilitas turris eburneæ. litas tua, turris eburnea, id est, fortissima est
atque pulcherrima: quam respiciens altis-
simus dedit tibi gemellos istos dulces hin-
nulos, duo vbera hæc, virginitatem atq; fœ-
cunditatem, & ecce habes tria insignia hæc:
tertium quippe humilitas tua est. *Oculi tui
sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ mul-
titudinis.* In quo oculi tui sicut piscinæ? Ni-
mirum in eo, quòd nõ deficiunt eis aquæ, &
tu maximè præ cunctis mortalibus semper
Psal. 41. compuncta corde, dicere potes, Fuerunt mi-
hi lachrymæ meæ panes die ac nocte: Pro-
pterea dixi, sicut piscinæ non quælescunque,
sed piscinæ in Esebon, id est, in maxima com *Esebon.*
punctione. Esebon quippe interpretatur,
cingulum mœroris, vnde & congruè no-
men hoc magnitudinem significat compun-
ctionis. Quæ sunt in porta filiæ multitudi- *Num. 32.*
nis, id est, in prima portione terræ promis-
sionis. Esebon quippe ciuitas fuit Seon re-
gis Amorræi, qui regnauit in Esebon, & ipsa
data est filijs Ruben in possessionem trans
Iordanem. Filij autem Ruben, (ait scriptu-
ra) & Gad venerunt ad Moysen & Eliaza-
rum sacerdotem, & petierunt terram il-
lam, præcepitque Moyses Eleazaro sacer-
doti, & Iosue filio Nun, & principibus fa-
miliarum dicens: Si transierint filij Gad &
filij Ruben vobiscum Iordanem omnes ar-
mati ad bellum, date eis terram Galaad in
possessionem. Rectè ergo dicitur, quæ sunt
in porta filiæ multitudinis, quia prima fuit
possessio gentis, quæ in Aegypto multipli-
cata, ingrediebatur terram promissionis.
Hoc ad mysterium valde pertinuit, scilicet
piscinas taliter designare, quæ sunt in porta
multitudinis, sunt enim prima experimen-
ta supernæ dulcedinis beatæ possessionis,
ita vt iam veraciter dici possint terra pro-
missionis, secundum magnum sacramen-
tum scripturæ dicentis: Cumque cepisset
eam, videlicet Cariathsepher, quod inter-
pretatur ciuitas literarum, Othoniel filius *Iosue. 15. Iudit. 1.*
Ceuez, frater Caleph minor, dedit ei Ca-
leph Axam filiam suam cõiugem, quam per-
gentem in itinere monuit vir suus, vt pete-
ret à patre suo agrum. Quæ cum suspirasset,
sedens in asino, dicit ei Caleph: Quid ha-
bes? At illa respondit: Da mihi benedictio-
nem, quia terram arentem dedisti mihi, da &
irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleph irrigu-
um superius, & irriguum inferius. Secun-
dum facti huius similitudinem, irriguum su-
perius accipit anima, cum se in lachrymis cœ *Irriguũ su-perius & inferius.*
lestis regni desiderio affligit: irriguum verò
inferius accipit, cum inferni supplicia flen-
do pertimescit. Igitur in his verbis, oculi
tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in pro-
ta filiæ multitudinis, hic sensus est mysti-
cus, ac si diceretur: Oculi tui præ amore vel
desiderio dilecti, quo langues & compun-
geris, fluũt lachrymis, & istę lachrymę pisci-
næ sunt in Esebon, id est, aquæ manantes
cingulo mœroris, ista compunctio terra est
irrigua aquis, principium quoddam super-
næ dulcedinis & æternæ hæreditatis, sicut il-
la Esebon & terra trans Iordanem, prima
fuit possessio terræ promissionis, illi filiæ
multi-

multitudinis, scilicet Israeliticæ plebi: cuius
multitudine non pauciores sunt qui ascen-
derunt vel ascẽdunt, vt repromissionem ac-
cipiant æternæ hæreditatis. *Nasus tuus sicut
turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Verè
ingenua, verè libera Sunamitis, nasum ha-
Nasus an-cillæ præci-sus. bens egregium, at illa ignobilis ancilla na-
sum habet præcisum, sed & aures eius præci-
sæ sunt, sicut dictum est per prophetam su-
perius memoratum. Propterea ô Ooliba hęc
dicit dominus Deus: Ecce ego suscitabo o-
mnes amatores tuos contra te, &c. vsq; Na-
Ezech 23. sum tuum & aures tuas præcident, & qui re-
manserint, gladio concident. Vt dictum ita
& factum est. Nunquid enim illa talis an-
cilla nasum habet aut aures? Si nasum habe-
ret, aliquid de longinquo sentiret, aliquid de
futuro seculo cogitaret aut desideraret. Si au
res haberet, non solum literam attenderet,
sed & viuificantem in litera spiritum audi-
ret. Nũc autem solis præsentibus delectatur,
neque audit eum, qui toties ad audiendum
Matt. 13. inuitat, dicendo, qui habet aures audiendi,
audiat. Igitur neque aures neque nasum ha-
bet. Tu autem ô libera, nasum integrum, na-
sum, vt iam dictum est, habes egregium, quæ
sano odoratu sentis & appetitu traheris, non
2. Cor. 4. Hebr. 11. eorum quæ videntur, sed quæ non videntur,
secundum illud: Est enim fides sperãdarum
substantia rerum, argumentum non appa-
rentium. Quomodo tibi est nasus eiusmodi?
Sicut turris Libani, quæ respicit contra Da-
Damascus. mascum, id est, contra cruentum supradictæ
ancillæ filium. Damascus nanque interpreta-
tur bibens sanguinem, & illum significat, de
Galat 4. Gene. 21. quo Apostolus loquitur, dicens: Sed quomo-
do tunc is, qui secundum carnem natus est,
persequebatur eum, qui secundum spiritum,
ita & nũc. Fortissimo spei ac discretionis na-
so opus erat contra omnem eiusmodi falsum
fratrem, ludẽdo persequentem, persequen-
do ludentẽ, ne vsquequaque illudat: & si cor-
pus lædit, saltem animam non decipiat. Et
Nasus si-cut turris Libani. fortis vtiquè est nasus iste discretionis, sicut
turris Libani, dum ritè spernendo visibilia,
& sperando inuisibilia, fortiter resistit, neque
Psal. 60. frangitur visibilium incommodis, iuxta il-
lud: Deduxisti me, quia factus es spes mea,
turris fortitudinis à facie inimici. Quomodo
Rom. 8. turris ista respicit contra Damascum? Nimi-
rum sensui eius sensum habendo cõtrarium,
iuxta illud: Qui enim secũdum carnem sunt,
quæ carnis sunt, sapiunt: qui verò secundum
spiritum, quæ sunt spiritus, sentiunt. Est au-
tem in respectu isto etiam manifestum Da-
masci, id est filij ancillæ, opprobrium. Sicut
enim in interiori homine Damascus ille
perdidit omnem discretionis & spiritualis in-
telligentiæ nasum, sic & exterius quoque
quendam perdidit nasum suum, nasum ma-
gnum, scilicet ciuitatem Hierosolymam, &
nobile templũ, & cætera insignia, quę destruc-
ta sunt; quibus ablatis, ita ignominiosa fa-
cta est circumcisio carnalis, sicut naso præci-
so deformis efficitur facies cuiusque homi-
nis, & idcirco quæ respicit, ipsa etiam talem
Damascum cõtemnit & dicit: Tu ancilla su-
perba cum filio tuo Damasco, quid faceret si
vel tu nasuta, vel si ille nasus tuus esset: cum
necsaltem exterius nasum habens, pulchram
te existimes? Quid (inquam) faceres, si tem-
plum tuum & ciuitas tua permansisset? Benè
igitur ô libera Sunamitis nasus tuus contra
Damascum respicit firmiter stans sicut tur-
ris Libani. *Caput tuum vt Carmelus, & come ca-
pitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus.* Car-
melus scientia circumcisionis interpretatur.
Caput verò principale est corporis, & pro *Caput pro corde ali-quãdo po-nitur.*
corde accipitur, quod principale est interio-
ris hominis, iuxta illud: His ergo fieri incipi-
entibus, leuate capita vestra, id est, exhilara-
te corda vestra, quoniam appropinquat re-
demptio vestra. Igitur caput tuum vt Car-
melus, id est cor tuum scientiam circumcisio
nis habet, vt legitimè & sicut necessarium est
circumcidatur, quisquis secundum Deum &
secundum fidem, quę in te est, iustificari vult.
An non & Moyses circumcisionem istam *Circũcisio cordis.*
præscripsit, circumcisionem cordis? Circum-
cidite igitur, ait ipse in Deuteronomio, præ- *Dent. 10.*
putium cordis vestri, & ceruicem vestram, *Deut. 30.*
ne induretis amplius. Quid est ista circum-
cisio, nisi perfecta Dei dilectio? Nam & in a-
lio loco, cum dixisset: Circumcidet dominus
Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ita
subiunxit: Vt diligas dominum Deum in to-
to corde tuo, & in tota anima tua. Porro
circũcisionis carnis scientiam verã in hoc ha-
bes, vt non dubites illam cessare debuisse, ex
quo venit, & manifestatum est semen, cuius
venturi fidem habens Abraham, signum ac-
cepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fi- *Gen. 17. Rom. 4.*
dei. Dixi de scientia circumcisionis, quid di-
cam de scientia legis? Hoc nimirum quod o- *Sciẽtia legis & cæremoniarũ, scilicet spiritualiter.*
mnem illam, scilicet cæremoniarum legẽ, spi
ritualiter intelligis. Hoc est quod dico, & co-
mæ capitis tui sicut purpura regis, iuncta ca-
nalibus. Comæ capitis, id est, sensus cordis
tui in meditando vel cogitando mysteria le-
gis Dei: Exempli gratia, quid mysterij conti-
neat vitulꝰ immaculatus, iussus offerri ꝓpec-
cato sacerdotis, q̃ peccauerit & populũ dere-
linquere fecerit, quid hyrcꝰ de capris, quid ca
pra, & quid ouis, quid turtur, & quid pullus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Leuit.4. Leu.5.&c. columbæ, cunctus ritus sacrificij: meditando, inquam, in his, & in cæteris huiusmodi, comæ capitis tui, id est, sensus cordis tui sunt, sicut purpura regis, videlicet cuncta referendo ad sacramentum passionis dilecti tui, qui *Hebr.2.* propter ipsum, quod passus est, rex constitutus & gloria & honore coronatus, sedet ad *Purpura regis passio Christi est.* dexteram maiestatis in excelsis. Et recte passio regis dicitur purpura regis, non solum propter purpureum colorem sanguinis, quem in passione effudit, verum etiam propter purpuram derisoriam, quam circumdederunt ei: protinus tribus pœnis passionum consummandũ, scilicet flagellan- *Matt.27.* dum, crucifigendum, lancea percutiendum, Nam illi quidem irridentes purpuram circumdederunt ei, tanquàm regi, sed ille seriò & purpuram admisit, & calamum pro sceptro suscepit in dextera, quia certissimè per hæc fiebat, vt & in cœlo & in terra purpuram regni, & sceptrum acciperet imperij. Proinde purpura illa rectè dicitur iũcta canalibus, quia sicut purpura eo magis tingitur, & pretiosior fit, quò vicinius atque diutius iuncta fuerit tincturæ canalibus, ita passio dilecti eo gloriosior est, quo amplius præ cunctis sacrificijs processit secundum consilium diuinitatis, cuius videlicet cõsilij arcana, quasi quidam canales sunt, per quos cucurrit pretiosissima hæc tinctura purpurea, qua dilectus iste, qui erat virginitate candidus, factus est morte vel passione sua, & permanet in æternum rubicundus, Deus verè gloriosus, & homo valde speciosus, & vtraque substantia rex vnus semper & vbique victoriosus.

Decora in delicijs. *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delicijs. Statura assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Quid est in delicijs pulchram & decoram esse, nisi in abundantia gratiæ mansuetudinem summamque humilitatem cordis habere? Deniquedona gratiarum & intelligentia scripturarum siue sacramentorum cœlestium verè sunt deliciæ, & humilitas cordis vera pulchritudo est, res decora, & Deo amabilis virtus est. Hæc in te coniuncta sunt ô charissima, tales deliciæ, talisque pulchritudo. Quod enim dixi? Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. Et ne dubium sit, cui palmæ, dicam adhuc. *Dixi ascendam in palmam & apprehendã fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odores tui sicut malorum: guttur tuum sicut vinum optimum.* Magna igitur humilitas, quam ista pulchritudo sonat: statura tua assimilata est palmæ, quia tale est, ac si dicam, mihi assimilata es omni habitu mentis tuæ, mihi, inquam, assimilata es in eo, quod in crucem ascẽdi mitis & humilis corde Hũc ergo ascensum meum futurũ dixi, nec quisquam amicorum dubitauerit, quin dixerim tibi. Si enim ipsis amicis dixi: Ecce ascendi- *Mat.16.20* mus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, & alia multa ad hunc sensum pertinentia, imo si & inimicis dixi: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham *Iohan. 12.* ad meipsum, quanto magis charissimę dixi, aut dicere debui: Ascendam in palmam & *Ascendam in palmã, exaltabor in crucem.* apprehendam fructum eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odores tui sicut malorum: guttur tuum, sicut vinum optimum? Hoc erat dicere, exaltabor in crucem victoriosam, & moriẽdo morte fructuosa, operabor velociter salutem omnium credentium, & deinde doctrina tua, doctrina legalis atque euangelica, tempore opportuno palàm prædicabitur, sicut in autumno dulces botri comeduntur, & bonus vbiq; diffunditur odor bonorum operum tuorum, & dulcissimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum sicut vinum optimum. Tu autem ad hæc: *Dignum dilecto meo ad potandum, labijsque & dentibus eius ad ruminandum.* Et reuera, vt dicis, ita est. Sicut enim vinum optimum dignum regibus est ad potandum, labijs & dentibus eorum ad ruminãdum, sic eloquium tuum dignum mihi est ad audiendum, cunctisque amicis & testibus meis ad prædicandum. Quid faciemus, vel quo ibimus cum tantis *Luc.14.* istis dilectis delicijs. Nostri enim, qui primi ad istas delicias vocati sunt, venire nolunt, sed abierunt negligentes, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam, reliqui verò tenuerunt amicos nostros, & cõtumelia affectos occiderunt. Quid igitur faciemus? *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.*

Egrediamur in agrum. Hæc ego dilecto meo locuta sum, & ad me conuersio eius, videlicet non improbando, imo propositum hoc habendo, vt egrederemur, quippe qui iamdudum dixerat ad ciues suos: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua, & hoc dicto pauca interlocutus ipse transiens per medium illorum ibat, significans vtique transiturum se à *Cõmoremur in Gilgal.* suis ciuibus, & egressurum in agrum, & commoraturum in villis. Itaque concordans proposito Dei: veni (inquam) dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in

in villis, vt videlicet qui erat agrestes, fiant domestici: qui erant villani, fiant ciues Dei, *Esai.35.* & iuxta propheticum oraculũ: Lætetur deserta & inuia, & exultet solitudo, & floreat quasi lilium, germinans germinet, & exultet lætabũda & laudans, & gloria Libani detur ei, gloria scilicet hæc, vt videant gloriam domini, & decorem dei nostri, cuius visione indignum se Libanus iste, id est, populus Iudaicus facit, repellendo verbũ Dei. Illuc egre diamur, ibi commoremur, & ibi commorãtes mane surgamus ad vineas, sine dubio iam *Si floruit vinea.* illic nostra commoratione propagantes. Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Nã tunc floruit vinea, sed iam in villis eiusmodi de carne gentilium agrestium nati sunt aliqui, qui sint ad vitam æternam præordinati, sine dubio mox credituri, & tunc flores fructum parturiunt, si dociles inueniuntur ad benè operandum: tunc etiam floruerunt mala pu- *Ibi dabo tibi vbera mea.* nica, si inueniuntur in illis aliqui, quorum fides vsque ad martyriũ durare sufficiat. quod sine dubio futurum est. Ibi dabo tibi vbera mea, scilicet nutriendo multitudinem filiorum, quos in nouam infantiam fœcunda tibi pariet gratia. Vnde hoc ita certum, quòd multitudo filiorum nasci debeat illic, vbi hactenus sterilitas fuit? Videlicet tam ex scripturarum testimonijs, quæ testantur ita debere fieri, quàm ex præsentibus experimentis, quia mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Mandragora mala habet sua *Mãdragora. Gene.30.* uè olentia, quæ & ἀνθρωπόμορφος appellatur, quòd habeat radicem, formam hominis simulantem: cuius cortex vino mixtus, ad bibendum datur his, quorum corpus propter curam secãdum est vt soporati dolorem minimè sentiant: sterilibus quoque mederi fertur, vt concipiant. Mandragoræ ergo dederunt odorem in portis nostris, id est, experimenta præsto sunt quòd iam fieri debeat illud, quod gentilitati hactenus sterili spiri- *Quomodo gentes crediderunt ad fidem.*

tus propheticus promittit: Lauda (inquiens) sterilis, quę nõ paris, decanta laudem, & hini quæ non pariebas, quoniam multi filij de- *Esai.54.* sertę magis, quàm eius, quę habet virum, &c. In portis (inquam) nostris, id est dum adhuc sumus in finibus nostris, in finibus Iudaicis, sensimus odorem huiusmodi. Venerat enim iam Aethiops eunuchus odorari in Hierusa- *Act.8.* lem, & reuertebatur sedens super currum suum, legensque Esaiam prophetam, cum ecce sentiens spiritus sanctus odorem eius, dixit ad Philippum: Accede & adiunge te ad currũ istum. Sed & tunc eramus in portis nostris, quando odorem dederunt in conspectu domini eleemosynæ Cornelij centurionis. *Act.10.* Ad quem odorẽ & illud pertinet, quòd postmodum cuidam amicorum talis vitio per noctem offensa est: Vir macedo quidam erat, stans & deprecans eum, dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos. His atq; alijs modis odorem dederunt mandragoræ in por- *Act.16.* tis nostris, fœcunditatem significantes de loco sterilitatis. Nunquid autem ibi tantum- *Noua & vetera seruaui tibi.* modo vbera mea dabo tibi? imo & omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi. Quàm diu paruuli fuerint hi, qui in loco vbi *Osee. 1.* dicebatur: Non plebs mea vos, nascentur filij Dei viuentis, quàm diu (inquam) imbecilles erunt ad audiendum grandem sermonem, eisque lacte opus erit, non solido cibo, tam *Roma.9. Hebr.5.* diu dabo vbera mea: cum autẽ perfecti fuerint, & pro consuetudine exercitatos sensus habuerint ad discretionẽ boni & mali, tunc cibum solidum tibi in illis, quia omnia noua & vetera, omnia veteris ac noui testamenti sacramenta seruaui tibi, conferens in corde meo, pro- *Luc.2.* ferẽda in tempore suo, in tẽpore opportuno.

FINIS LIBRI SEXTI.

RVPER-

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS, IN CANTICA CANTICORVM DE INCARNATIONE DOMINI, Commentariorum

LIBER SEPTIMVS.

Felix egressus dilecti & dilectæ in agrum ad gentes.

FActum est ô dilectissima dilecti, factum est, vt dixisti, veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Felix dies, felicia nobis tempora huius egressus vestri ad nos ab illis, qui repulerunt vos, dicentibus amicis & vestri consilij conscijs ad illos:

Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & *Actor.13.* indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Nunquid verò non solum illud audierant dictum propheticum, *Esai. 49.* quod subiunxerunt, dicentes: Sic enim præcepit nobis dominus, Posui te in lucem gentibus, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ? imo & cætera quàm multa huius gratiæ oracula, & istud secretissimum audierant & intellexerãt, quod tu hic ô gratia plena dixisti: Veni dilecte mi, egrediamur in agrũ, commoremur in villis. O quantũ gaudium, quãta exultatio illius sterilis & desertæ, quæ non habebat virum, quando certum de scripturis propheticis egressus vestri ad ipsam & suę salutis audiui testimoniũ. Audientes autẽ gentes, ait illa scriptura, gauisæ sunt, & glorificauerunt verbum domini, & crediderunt quot quot erãt præordinati ad vitam æternam. Secundum illud gaudium præsenti loco loquitur ipsa exultans & lætabunda & laudans.

Esai.45. Actorũ 13.

CAP. VIII. Quis mihi det te fratrem meum, sugẽtem vbera matris meæ vt inueniam te foris & deosculer, & iam me nemo despiciat? Apprehendam te & ducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis. & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Ista admiratiua percontatio, quis mihi det te, similis illi est, & vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me: & ista exultatio, inueniam te foris & deosculer, & iã nemo despiciat, similis est illi responso tuo ad angelum, ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Similis nanque est, vel quæ hęc dicit, sicut decet filiam similem esse matri. An nó tu mater eius, quæ vitam & salutem peperisti? An non filia tua hæc est, videlicet imitatione fidei? Si Abraham pater gentium, & Sara mater gentium rectè dicitur & est, videlicet propter fidem, quanto magis tu ô fidelissima fidelium mater es omnium nostrum? propterea dicit ista valde attonita propter auditum supradictũ magna gaudij multitudine: Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meę? Fratrem suum dicit dilectum suum, & describit eum dulci descriptione, sugẽtem (inquiens) vbera matris meæ. Cuius matris meæ, nisi virginis Mariæ? Propterea de patre nihil dixit, quia videlicet in fratre isto, vt conciperetur vel nasceretur, fieretq; filius naturæ vel carnis nostræ, vir nihil patrauit. Totum quòd frater noster est, de matre est. Matris vbera suxit, sed non de patris radice fluxit. Mater ista mater est, quia caro ista, caro nostra, & fides ista, fides tua ô Maria, fides nostra est. Nõ se capit intus magnitudo gaudij, intus in corde credentis, & felicitatem suam admirantis, quòd Deus filius Dei, frater eius factus sit, frater eius ô mater ex te, cuius vbera suxit. Erũpit & clamat, Quis mihi det te fratrem meũ, sugentẽ vbera matris meæ, & adijcit, vt inueniam te foris & deosculer, & iã me nemo despiciat? Despiciebatur eñ, vtpote sterilis & deserta sine viro, id est sine Deo in hoc mundo: despiciebatur, inquam, & dicebatur præputium (vt apostolus ait) ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, & erat alienata à cõuersatione Israel. Inueniam ergo te (inquam) foris & deosculer, & iam me nemo despiciat. Videlicet cũ possim dicere illud verissimum, quia multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. O frater vineæ, ô sugens vbera matris meæ, quid est inuenire te foris? quid est te deosculari? Inuenire te foris, est exire ad te extra castra, qui sicut extra portã passus es, ita extraneus fratribus tuis & peregrinus filijs matris tuæ factus es, teque deosculari, imperium tuum venerari, & sacramenta pietatis tuæ familiariter cognoscere est. Nã in quantũ illa cognoscimus & diligimus, in tantũ te amabilẽ amãtes deosculamur. Quis fructus, quod emolumentum huiusce inuentionis, huiusce deosculationis? Apprehendam te (inquit) & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meę, ibi me docebis. Quomodo fiet hoc? videlicet cum tuis fuero potitа

Ibidem.

Gentium populus filia Mariæ Gene. 17.

Ephe. 2. Roma. 3. Galat. 6.

Esa. 54. Galat. 4.

Inuenire te foris. Hebr. 13. Psal. 68.

Christus frater noster est ex matre tantũ.

Sterilis peperit filios plurimos.

potita osculis, cum tu mihi tua mysteria reuelaueris, habebo ego hactenus sterilis, habebo ex te filios innouatę iuuẽtutis, quos te faciẽte ordinabo mihi lectores atq; lectrices, cantores atq; cantrices, sacerdotes siue põtifices, propheticæ atq; apostolicæ gratiæ appropinquantes, & constituam ex eis scholas legentium atq; choros canentium: adhibebo mihi tubas prędicantium, & linguas interpretum, vt mihi explicent scripturas, quæ de te sunt, *1. Cor. 12.* & quę hactenus intus in vna lingua latuerũt. Atque ita ordinata castrorum acie irrumpã domum matris meę, & in cubiculum genitricis meæ, vbi hactenus requiescunt bestiæ, & habitant dracones siue struthiones, & pilosi *Esa. 13.* saltant & respondent vlulæ: dũ colitur adulter Iuppiter, cæterorumq; non deorum, sed dæmonum terræ phalanges, protractisq; foras omnibus, inducam te illuc, vt & in domo matris meæ, & in cubiculo genitricis meæ, sicut licet & in palatijs regum, & in templis quondam dęmonum nomen tuum innocetur. Ibi me docebis palàm, & cum libertate vocis, more tuo, quemadmodum dixisti: ego palàm locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil. Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum Granatorũ meorũ. *Iohan. 18.* Quod eñ aliud vel maius dare possum? Hoc vt daret, inuenit & ille qui dixit: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomẽ do- *Psal. 15.* mini inuocabo. Et est sensus: Prius bona pro malis, deinde bona pro bonis dominus mihi retribuit. Quid retribuam ei? Hæc deliberãs, ad id ... i, cum aliquid maius nõ possim. Calicem sa... ris accipiam, & nomẽ domini inuocabo. ... c est, quod nũc dico. Et dabo tibi poculum ex vino condito, id est, sacrificium offeram sacratum, & verè sanctum inuisibili pasionis tuæ sacramento. Nec solum istud *Mustũ malorum Granatorum.* faciam, verũ etiam mustum dabo tibi malorum Granatorum meorũ, ideſt, pretiosam in conspectu tuo mortem sanctorum martyrũ tuorum, qui quàm plures ex me tuæ mortis imitatores erunt. Hoc erit tibi poculũ, quod nõ erit sanguis brutorum animalium. Hinc *Psal. 49.* enim vel tu vel pater tuus, Deus deorũ dominus, locutus est: Nunquid mãducabo carnes taurorum, aut sanguinẽ hyrcorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde, &c. *Læua eius sub capite meo & dextera eius amplexabitur me.* O vos filij vel filiæ, magna quidem & ardua res est, fratrem meum taliter introducere in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, & multas proinde pressuras habemus tolerare, sed nolite pertimescere. Ipse vbiq; præsens, duplici consolatione consolabitur me. Nam lęua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Læua eius, id est, temporalis interdũ prosperitas, ne in laboribus deficiã, sustentabit me, neq; tẽtari dimittet supra id, q̃ possũ sustinere: & dextera, scilicet spes retributionis ęternę nõ incerta, fortius atq; abundãtius lętificabit atq; delectabit me. Fiet mihi iam in isto seculo cõsolatio hæc, vt ipsi reges vel principes mihi dentur in famulatũ: in illa verò dextera, vbi immortalitas regnat, ipsum visura sum ego visione æterna in decore suo, fratrẽ meum, dilectum meum, regem regũ, & dominum dominantium, iamq; tãrum bonum prægustare cupio per contemplationis studium. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Hoc sciens ipse frater meus, quia solos meditor vel meditari cupio amplexus dexteræ eius: ne (inquit) suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Ne (inquam) suscitetis, videlicet eo modo, quo Martha suscitare volebat Mariam sororem suam. Maria namq; sedens ad pedes dilecti, audiebat verba oris eius. Hoc erat requiescere. At illa quę satagebat circa frequẽs ministerium, volens eam suscitare: Domine (inquit) non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solã ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Cunctis filiabus eiusmodi, quę corporale ministerium siue actualem vitam nesciunt discernere, quantum distet à dignitate cõtemplationis, dictum hoc esse nemo dubitet, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Nam illa, quæ optimã partem elegit, quæcunq; studet verbo Dei, ipsa est dilecta: cęterę quę solicitę sunt & turbantur erga plurima, sicut Martha illa, filię sunt. *Quæ est ista quæ ascẽdit de deserto, delicijs affluẽs, innixa super dilectum suum?* Ab isto versiculo vsque ad finem decãtatio clarissima, circa illam, versatur de gentibus electam atq; dilectam, cuius electio fratris gratię est, fructus siue effectus euãgelicæ prędicationis, ex quo fieri cœpit, ô dilectissima dilecti, illud quod dicebas: veni dilecte mi, egrediamur in agrũ, cõmoremur in villis. Hunc tantum egressus vestri fructum admiratur electio ex Iudæis, quę parua numero per euangeliũ venit & dicit: Quæ est ista, quę ascendit de deserto, delicijs affluẽs, innixa super dilectum suum? De deserto, id est, de agro & de villis, quo vos ô dilecte & dilecta, cum consilio supradicto egredi atq; commorari voluistis. Quę est ista? Vbi erat? Vbi latebat? Mira res. Nobis nulla erat, nusquam erat: sed illi erat, in illo erat, de quo veraciter dictum est: Quod factum est, in ipso vita erat, & de quo dicit alius quidam

Quid læua, quid dextera hic dicat.

1. Cor. 10.

Martha nõ debet suscitare Mariam.

Luc. 20.

Iohan. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

amicorum. Qui vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt. Qualis enim est? qualis ascēdit? nelicijs affluens innixa super dilectū suum. Iure miremur quantis vel qualibus delicijs affluit. Delicijs gratiarū, quę manifestātur ad vtilitatem, videlicet sermone sapiētię, sermone scientię, fide, gratia sanitatum, operatione virtutum, prophetia, discretione spirituum, generibus linguarum, interpretatione sermonum. Quomodo autē vel ad quid innixa super dilectum suum? Nimirum vt nō timeat timorem hominum, vt nō deficiat in tribulationibus, quæ illam inuenerunt, siue inuenturę sunt, tribulationibus atq; persecutionibus inimicorum visibilium atq; inuisibilium, paganorum, Iudæorum, hęreticorū, & spirituum malignorum. Quomodo enim inter hęc omnia subsisteret, nisi innixa esset super dilectū suū? Nūquid innixa deberet esse super semetipsam, aut super quēlibet aliū? Tunc vtiq; caderet, stare nō posset. Nunc autem dicit: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitę meę, à quo trepidabo? Si cōsistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Hoc dicere & facere, nimirum est innixā esse super dilectum. Quomodo factum est istud? Quomodo talis & taliter ascendit? *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Delectio ex Iudęis, nunqd quasi nescíens admiraris? Nunquid causam nescis, cur ista talis taliter ascēdere debuerit? Ego causam dico tibi, quia mater tua, genitrix tua, me dereliquit, me abnegauit virum suum, regem suum, & idcirco aliam duxi, damalo, to illi libello repudij. & hæc est quæ taliter ascendit. Vbinā hoc accidit? Sub arbore malo, vbi te suscitaui sub ligno crucis, vbi te redemi. Propterea dixi sub arbore malo, id est, sub arbore afferēte fructus suos, quia videlicet lignum crucis non sterile lignum fuit, sed fructus attulit vitę & salutis. Ibi te suscitaui, sed mater tua synagoga, genitrix tua, gens Iudaica, ibi corrupta est, dicendo, nō habemus regem nisi Cęsarem: ibi violata est, clamādo: Sāguis eius super nos & super filios nostros. Propterea repudiata illa, ista talis ascendit, & sicut ait quidam ex vobis: Cæcitas contingit in Israel, donec plenitudo gētium subintroeat, & sic omnis Israel saluus fiat. Nunc audi quid dicat ista, quam tu miraris, ista mulier fortis, de qua veraciter dictum sit. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculū super brachium tuū, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lāpades eius, lāpades ignis atq; flammarum. Aquæ multæ nō potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illā. Si dederit homo omnem substantiā domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Quid (rogo) ista petit (vt iam dictum est) mulier fortis, nisi vt cōfidat in ea cor viri sui? Quid enim est dicere, pone me vt signaculū super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, nisi ac si dicat, cōfidat in me cor tuum, roboretur ex adiutorio meo brachium tuū? Et ō dilecte, quid est præsenti loco cor tuum, & quid brachium tuum, nisi scripturæ veritatis, quæ scriptę sunt secūdum cor tuum, & memoria mirabilium tuorum, ex quibus cognoscitur, quàm magnum, quàm forte sit brachium tuum? Pone me vt signaculum super illud cor tuū, pone me vt signaculum super illud brachium tuū. Quā ob causam? nimirum ob triplicem. quæ contra me latrant, insaniam videlicet Iudaicam, paganicam, hęreticā. Prompta sum, expedita sum, deuota sum, econtrà fortiter defendere illud cor tuum, protegere illud brachium tuum sicut imperiale signaculum, sicut fidele testimonium, mira fortitudine, miranda duritia, quam nullus possit effringere. Fortitudinem meā dico dilectionem, duritiam meam dico æmulationem. Cur hoc? quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Quid est hoc dicere, nisi ac si dicatur, zelum magnū habet dilectio, iram intolerabilem habet æmulatio? Attēdite amici quod dicitur, animaduertite diligenter quod agitur & actum est hactenus, ex quo ascendit de deserto delicijs affluens mulier ista fortis, & innixa super dilectum suū, quæ istud poscit, vt confidat in ea cor viri sui.

Quis vnquam portare potuit zelum dilectionis, quē habet circa cor dilecti sui iram æmulationis quam habet erga brachium dilecti sui? Sicut mors, sicut infernus, ita nulli parcit & omnibus est immitis, quicunq; male sentiunt de scripturis veritatis, quę scriptę sunt secundum cor viri sui, dilecti sui, qui malè prędicant de brachio fortitudinis, quo salutem generis humani operata est omnipotē tia viri sui, dilecti sui. Nonne cum in remittē dis peccatis pijssima sit, illos duntaxat, qui loquuntur extra vel contra verbum veritatis, mortificat, & inferno addicit illorū animas? Quippiā tolerare potest, quod cordi dilecti sui, id est, scripturæ veritatis contrarium est? tolerare non potest. Illos qui in hoc sunt, eliminat, & anathematis gladio trucidat Nō inexperta loquimur. Nulla re magis offēditur, nullo malo exacerbatur amplius quælibet anima habens spiritū dilectionis, quàm si audiat de scripturis quippiam cōtra sensum cor dis huius amici, contra honorem brachij huius dilecti. Quàm fortè natura sit mitis, statim ad rem istam sit intractabilis, & videtur aduersarijs motus eius quasi motus mortis, & ira eius quasi ira infernalis, sicut de Moyse constat, qui cum esset mitissimus omniū hominum, qui morabantur in terra, vbi causa poposcit, sic immitis factus est quasi mors, sic durus quasi infernus, ita vt diceret: Qui domini est, iūgatur mihi: & durissimo eius imperio occideret vnusquisque fratrē amicum & proximum suum, ceciderūtq; vna die viginti tria milia. Et ille materiali quidem gladio, & alij post eum complures, vt Helias & fortissimus Dauid probauerunt, quia verè fortis est vt mors dilectio, verè dura sicut infernus æmulatio. Ista verò dilectissima spirituali gladio sęuit propter dilecti sui cor & brachium, persistens fortiter tanquàm inuiolabile signaculum. Nam de materiali gladio non habet præceptum siue dilecti sui consensum, quando audiuit eū dicentem, Conuerte gladium tuum in locum suum, satis est, sinite vsque huc. Lampades eius (ait) lampades ignis atque flammarum. Cuius eius? Dilectionis siue æmulationis. Lampades dilectionis, lampades ignis, lampades æmulationis, lampades flammarū. Sicut ignis, dum concitatus fuerit, generat flammam: sic dilectio, dum aliquid perceperit nō secundū cor huius viri, nō secundum sensum huius dilecti, parit æmulationem, lucentem pariter & vrentem, amicos illuminantem, inimicos vrentem. Quid si fortes fuerint inimici? quid si habuerint turbas populor ūgladios quoq; regum atque imperatorum, sicut aliquando habuerunt? Nihilominus confidat in ista cor viri sui, quia nihilominus fortis erit, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, imo & amplius tunc lampades istæ ardebunt atque lucebunt, lampades ignis atque flammarum. Hinc est quod dicit: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruēt illam. Audiuimus, vidimus aquas multas, id est, inundantes persecutiones popularium, & flumina, scilicet persecutiones principum fortium, quæ cum vehementer inundarent, non potuerunt extinguere siue obruere charitatem, neque compescere eius æmulationem, vt saltem, de vno verbo dogmatis fidelissimi reticeret, exempli gratia, illo, quod dicitur ὁμοούσιον. Pro nihilo fuit dilectæ omne damnum, & ipsa mors, quam inferre hæretici potuerunt. Hoc est q̄ dicit: Si dederit homo omnē substātiā domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eā. Tanta illi inest dilectio verbi, vt in comparatione talis margaritæ, quam intus retinuit, quasi nihil despiciat omne, quod foris auferri potuit: Ecce mulierē fortem vidistis & audistis. Nō ex semetipsa tantā sibi fortitudinē inesse cōfidit, sed ex eo, qui solus est vera fortitudo fortium, sicut vidistis eam ascendentem, innixam super me dilectū suum. Non (inquam) ex ipsa fortitudo hæc, sed ex prouidentia nostra, secundum pium nostræ solicitudinis cōsilium, quod habuimus super eam, sicut sequentia indicant. *Soror nostra paruula est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea. Si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis.* Huiusmodi consilium super illā habuimus pater & filius & spiritus S. pro magna re, & magno negotio, quia videlicet sic se habebat, & sic habet tēpus vel status rerū eius, vt vix nata, vix super pedes suos cōsistens, iam esset alloquenda, iam deberet duci ante reges & præsides, & reddere rationem de fide nostra, de profundissimis operum nostrorum sacramentis contra Iudæos in lege gloriantes, contra philosophos sapientia sua & eloquentia tumentes, sub gladijs iudicum inter mille genera mortiū. Hoc vtique mirandum est illis, qui rem sciūt mirari sicut dignum est. Propterea consilio habito dicebamus: Soror nostra paruula est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die, qua alloquenda est? Verè enim qua die primum alloquenda erat, quādo primum sub Nerone & cæteris persecutoribus lis in iudicio contra illam proposita est de fide, quam susciebat, parua numero, paruula sensu, id est, simplex erat, vbera scilicet legē & prophetas, non habebat. Dicebamus ergo: Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea. Si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis. In ciuitatibus vel domibus aliud est murus, & aliud ostium. Similiter in dilecta ista, in corpore isto, quod est ecclesia, alius est quasi murus, alius quasi ostium. Hoc ex illius temporis statu clarius discerni potest, quando primum dilecta hæc alloquenda erat, sicut iam dictum est. Alius nāq; ita fortis erat, vt torměta vel opprobria sustinere posset, & hic vtiq; murus erat, iuxta illud: Ego quippe (ait dominus) dedi te hodie in ciuitatem munitā, & in columnā ferream, & in murum æreum, & bellabunt aduersum te, & non prævalebunt, quia tecum ego sum. Alius in hac parte infirmior quidem erat, & forte persecutiones fugiens latere volebat, sed habebat gratiam aliquam. Verbi gratia: Sacerdotalis officij gratiam, scientiam q; catechizandi rudes, & baptizandi credentes. Hic

1. Cor. 12. innixa super dilectum.

Psal. 26.

Sub arbore malo, sub ligno crucis.

Iohan. 19.

Matth. 27.

Roma. 11.

Prouer. 31.

Cor Christi sunt scripturæ veritatis.

Dilectio cōtra hæreticos inflexibilis.

Pro fide omne dānū despicit.

Mitissimus Moyses gladio fuit per hāc dilectionem.

Num 12. Exod. 32.

Ecclesia nō corporalis, sed spiritualis gladio pugnat.

Matth. 26. Luc. 22.

Lampades dilectionis. Ecclesia pro fide defendenda nemini cedit.

Soror nostra paruula, ecclesia primitiua.

Matth. 10.

Vbera lex & prophetæ.

Quis murus, quis ostium est.

propugnacula argentea, respōsa martyrū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nimirum ostium erat, quia sicut per ostium in ciuitatem vel in domum introitur, ita per tale ministerium credentes ecclesię incorporantur. Igitur, si murus est (ait) ædificemus super eam propugnacula argętea, id est, si dignè potest stare vel permanere pro fide in agone certaminis, suggeramus illi, quæcúque necessaria sunt, veritatis testimonia, vt non minus respondere sciat, quàm si legisset legē aut prophetas iuxta illud: cum steteritis ante reges & præsides, nolite præmeditari qualiter respondeatis, ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt respondere & contradicere omnes aduersarij vestri. Item: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Nónne sic & factum est? Nónne si ritè cōsideres confessiones & responsa martyrum, in illis duntaxat exemplaribus, quę fideliter ac simplicite sine fuco humani ingenij scripta sunt, vbi responsa illorū, vt dicta, sic excepta sunt: nónne, inquam, respōsa illorum nobis propugnacula, & non qualiacunq;, sed propugnacula argentea sunt? Casta nāque & castigata sunt, multūque nitoris ac splendoris habent, iuxta illud: Eloquia domini, eloquia casta, argentū igne examinatum. Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis, id est, eum qui nō tātæ est fortitudinis, vel tolerātiæ, vt tormēta passionum sustinere possit, attamen illius est officij siue deuotionis, vt viam vel introitum fideliter faciat volentibus introire in regnum Dei, baptizando siue catechizando illos verbo Dei, faciamus, vt sit memorię imputribilis atque suauis secundum similitudinem cedri, ligni odoriferi atq; imputribilis, iuxta Dauidicū illud: Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Sūt enim multa dona gratiarum, quæ valeant & sufficere possint illis, qui etiam si cupiant, palmam martyrij non attingunt. Quid ad hæc illa? *Ego murus, & vbera mea turris, ex quo facta sum corā eo, quasi pacem reperiens.* Et est sensus: Primo quidem tempore, cum iam alloquēda essem, & de nostra fide secundū charitatem tuam respondere inciperem, paruula eram, sicut dicis dilecte mi, & vbera non habebam: sed nunc & murus sum, & vbera sunt mihi, non qualiacunque, sed sicut turris. Processu nanque temporis venerunt scriptores mei, confortati sunt interpretes mei, legemque ac prophetas totumq; vetus pariter ac nouum testamentum in linguas, maximè Grecam & Latinam, de vno Hebraicæ linguæ repositorio transtulerunt, & ecce spiritu & litera fortiter instructa sum, habēs etiam de meis, qui mihi nati sunt, filijs, doctores & explanatores luculentos vtriusque testamenti. Propterea dixit: Ego murus & vbera mea sicut turris. Non autem hoc ex me, sed ex gratia dilecti. Propterea & istud subiūxi: Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, id est, ex quo per fidē accepi peccatorum remissionem. Nā ex tunc propter ipsum quod & credidi, pacem reperi, & reconciliata sum Deo per mortem dilecti mei, filij sui, & ex eo proficiens atque succrescens, istam quoque gratiam cōsecuta sum, vt nihil mihi desit, de scripturis vtriusq; testamenti, & ecce vbera mea sicut turris, quia nihil contra possunt pagani, Iudæi, hęretici. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos. Tradidit eam custodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos.* Hoc dilecta ad gratiā & gloriam de semetipsa dicit. Et dilectus cōtinuò respondens ait: *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.* Ad causam dilectæ huius, quæ hoc ipsum loquitur, multum pertinet, meminisse & denarrare, in quo plantata fuerit vinea dilecti sui, scilicet vtrum in fide an in operibus, de qua videlicet vinea & lex & prophetæ & in Euangelio suo multa loquitur ipse dilectus. Propterea nunc dicit: Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos. Quænā illa est, quæ habet populos? Fides an lex? Nō vtique lex, sed fides. In fide vinea domini plantata est, non in lege, quemadmodum & Apostolus dicit: Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Et subinde: Ideo ex fide, vt secūdum gratiam firma sit promissio omni semini Abrahæ, non ei qui ex lege est solum, sed ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti. Item de eodem: Qui cōtra spē in spē credidit, vt fieret pater multarum gentiū, secūdum quod dictum est ei, sic erit semen tuum sicut stellę cœli, & nō infirmatus est fide, &c. Ergo quæ habet populos ipsa est fides, quia per fidem Abraham pater populorum, pater multarum gentiū factus est. Quid igitur ô æmula mea, ô synagoga siue carnalis circumcisio contra me gloriaris, quasi de operibus legis, quòd sola tu sis vinea domini? Ante legem fuit vinea domini, plantata in fide, & tu in prauum cōuersa es, plantatio autem illa permanet. Ego autem (ait plantator ipse) plantaui te vineā electam, omne semen verum. Quomodo conuersa es in prauum vinea aliena? Quid igitur lex? Propter transgressiones (ait Apostolus) posita est. Hinc & alius propheta: Vinea facta est dilecto in cornu filio olei, & sepiuit eam,

Matt. 10.

Psal. 11.

Psal. 91.

Vbera mea turris.

Vinea plāctus eius.

Vinea data in fide, non in operibus legis.

Roma. 4.

Vinea domini ante legē plātata est.

Hiere. 2.

Galat. 3.

Esai. 5.

eam, &c. In cornu facta, id est, in fide plantata est, quia fidei firmitas illa per cornu designatur, de qua Apostolus: Ideo ex fide, vt secundum gratiā promissio firma sit omni semini Abrahæ. Sepiuit autem eā, quid est, nisi hoc ipsum, q; lex propter trangressiones posita est? Itaque nihil dubium remanet, quin pacifico, id est, dilecto (ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraq; vnū) vinea facta vel plātata fuerit, nō in lege, sed in fide: & idcirco non nouo cōsilio defenditur dilecta hęc, scilicet ecclesia ex gentibus, quòd ex fide absq; operibus legis iustificetur. Tradidit eā custodibus, id est, patriarchis, ducibus, iudicibus, sacerdotibus, prophetis atq; regibus, & sicut Esaias dixit: Turrim quoque & torcular, id est, templum & altare, ædificauit in medio eius, & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas. Ita cōuersa est in prauum vinea aliena. Quæ deinde dicit: Vir affert pro fructu eius mille argēteos, vinea mea coram me est, mille tui pacifici & ducenti his, qui custodiūt fructus eius, ex oppositio illius, quæ in prauū conuersa est, melius intelligūtur. Et fodi eam mihi (ait in Osea dominus) quindecim argēteis & coro ordei, & dimidio coro ordei, & dixi ad eam: Dies multos expectabis me, nec fornicaberis & nō eris viro, sed & ego expectabo te, &c. Sacramētū in numeris istis absconditū est pulcherrimū, hic in 1200 argēteis, illic in 15. argēteis & coro o rdei & dimidio coro ordei, cuius videlicet sacramenti ista hęc summa est, q; ista & virgo sit & viro cōiūcta: illa aūt neq; virgo, neq; viro cōiuncta. Huius nanq; virginitatē vnitas millena, cōiunctionem verò siue nuptias binarius cēten⁹ significat. Arithmetici siue abacistę melius norūt, quod dicitur, & qua ratione vnitas virgo, pnuntietur, vsu habent in suis tractatib. quòd videlicet in semetipsa multiplicata nihil creat, quia semel vnus, vnus est, quod nulli alij numero cōtingit. Nā cęteri numeri in semetipsos ducti, alios creant, vt bis duo, quatuor, & ter tria, nouem. Porrò nuptias huius centenus designat binarius, & hoc felicissimum est, quia dilecta hæc q; ex fide est, semper viro coniuncta est, & semper virgo permanet. Econtra illius viduitatē semel & corruptionem illud mysticè designat, quòd pretium eius neque in vnitate māsit, neque ad binarium peruenit, cū dicitur: Fodi eam mihi quindecim argenteis & coro ordei & dimidio coro ordei. Si argenteos attēdas, neq; decē sunt argentei, quę esset vnitas decena: neq; viginti, q; esset binarius decenus, sed sunt quindecim, in quo videlicet numero plus vnitate, minus est binario. Similiter neq; vnus tantū corus ordei, neque duo sunt cori, sed corus & dimidius ordei, plus monade, minus binario. Itaq; & illi hoc infelicissimū est, qa neq; virgo est, neq; virū habet. Nūc breuiter ad literæ huius serię recurram⁹: Vinea fuit pacifico in ea, q; habet populos, id est, omnis plantatio, quā plantauit dilectus vere pacificus, per quem Deo reconciliati sumus, in fide plantata est Abrahæ, per quam ille omnes hæreditauit populos. Tradidit eam custodibus, commisit eam rectoribus, vir affert pro fructu eius mille argenteos, id est, quiuis operarius fidelis ac virtuosus, scripturarum peritus & ore facundus, cūctas fidelis sermonis copias impendit prędicando, vt percipiat tempore suo quippiam de fructu eius. Omnes argentei eius mille, id est, omnes sermones eius consonant in vna fide, quia sicut iam supradictum est, numerus iste millena vnitas est, quod arithmeticis non incognitum est. Ad hæc ille: Vinea mea coram me est. Et est sensus: Ego non sum mutatus, sed vbi plantaui, ibi quęro: & habeo vineam meam, scilicet non in lege, sed in fide. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio, & esset mutabilitatis, quæ in Deum non cadit. O tu quicunque es, qui in hac vinea mille argenteos (de quibus iam dictum est) expendis, mille tui pacifici. i. pacem, vide licet remissionem peccatorum facientes vel acquirentes, sunt tibi, & ducenti his qui custodiunt fructus eius, videlicet in eo, vt virginali coniugio in cœlestibus nuptijs, quas hic significat binarius centenus, cum dilecto & dilecta in sempiternum perfruantur. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Quis dicat, qui dicat, manifestum est. Dilectus enim dilectæ dicit, quæ habitat in hortis. Quibus in hortis habitat dilecta, nisi in amœnitate scripturarum, in delectatione virtutū pulchrè florentiū, benè olentium, semper virentiū? Fac me (inquit) audire vocem tuam. Quomodo? Nimirum ita sicut scriptum est, Narrabisq; filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit dominus mihi. In manu enim forti eduxit me de Aegypto. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos meos, & vt lex domini semper sit in ore tuo. Nā te veraciter ego eduxi de Aegypto, de tenebris huius seculi, de seruitute peccati in terram illam fluentē lac & mel, vt habitares in hortis istis, in omnib⁹ scripturarū sacramētis, vbi veraciter sunt fontes & riui lactis & mellis, fluētes de spiritu Dei & hominis Iesu Christi di-

Roma. 4. Ephe. 2.

Diuersi Ęcclesiæ custodes.

Esa. 5. Hiere. 2.

Pretiū Ęcclesiæ.

Osee. 3.

Mysteriū in numeris

Viduitas & corruptio Ęcclesiæ Iudaicæ.

Ephe. 2.

Roma. 6.

1. Corin. 9.

Omnes argentei eius mille.

Roma. 4.

Mille tui pacifici.

Fac me audire vocem tuam.

Exod. 13.

Deute. 6.

lecti tui. Fac igitur vt dixi, fac me audire vocem tuam, ita vt lex domini semper in ore tuo sit, nunc prædicando, nunc orando, núc psallendo. His nanq; modis libenter audio vocem tuam: & vt amplius, sapienter ac solicitè id facias, ecce dico tibi, amici auscultant, *Psal. 137.* etiam illi, quos non vides corporalibus oculis, sancti scilicet angeli, iuxta illud: In conspectu angelorum psallam tibi. Quid tãdem ô dilecta dicis? *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloq; ceruorũ super montes aromatum.* O vocem dignam auditu dilecti, vocem de corde fideli & mente humili. Hoc enim est quod anima quælibet fidelis & sapiens dicere consueuit: Domine, non sum digna vt intres sub *Matth. 8.* tectum meum, non sum digna vt in meos tẽdas frequens aliquod præsentiæ vel visitatio *Fideles nõ petunt sibi gloriã miraculorũ.* nis tuæ miraculum. Fuge (inquã) dilecte mi. Non quęro in præsenti vita gloriam, sed desidero gratiam: nõ quęro claritatem miraculorum, sed opto remissionem peccatorum. Fuge, inquã, dilecte mihi, & saltus huiusmodi similes saltibus capreæ aut hinnuli ceruorum effice, non super me, sed super montes aromatum, super præcelsa merita sanctorum atque perfectorum. Qui sancti atque perfecti sunt, & causam pręsentem habent, vt necessariò miracula fiant, illorum est aliter di- *Petitio Helisæi. 4. Reg. 2.* cere: Exempli gratia, Helisæi prophetę qui meritorum benè conscius, & causam habens pręsentem, propter quam oporteret miracula facere: Oro, inquit ad Heliam, vt fiat spiritus tuus duplex in me, & ita factum est, duplicia enim quàm Helias, iste miracula operatus est, vt aliquos de populo reuocaret ab *Fuge dilecte mi, quia incõprehensibilis es.* impietate Iezabel, & à peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel. Sed & in hoc fuge dilecte mi, vt semper sis incõprehẽsibilis. Nam istud concedendum est tuæ maiestati, vt non possis comprehẽdi, semperq; sis desideratus *Psal. 30.* ac de siderabilis, nosq; lateat, quã diu sumus in hoc corpore, quàm magna sit multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Fuge fuge cautus nobis ac prouidus, *Mõtes aromatum.* ne vnquàm dum viuimus, nos comprehendisse arbitremur, sequentes vt cõprehendamus. Montes montes aromatum, ecce super vos dilectus, assimilatus capreæ hinnuloq; ceruorum. Dicit autem ad quẽdam vnus ex amicis sapiens admodum, si etiã sciuisset afflictum vel percussum legitimè consolari: Voca ergo si est qui respondeat tibi, & ad aliquem sanctorum conuertere. O montes sancti, causam singulorum & omnium nostrum in vno illo, in quem hoc dictũ est, recognoscimus: & idcirco quod illi ab animo indiscreto datum est cõsilium, nos discretè suscipimus, & sequi delideramus. Ille enim, videlicet Iob, quod interpretatur dolens, & in eo *Iob. 1.* quod sathan expetiuit eum vt tentaret, & in *Eccle. 44.* eo quòd tentatus fidelis inuentus est omnium, qui piè volentes viuere in Christo persecutionem patiuntur, dolores & gemitus, & subsequẽtes consolationes in semetipso prę- *2. Timo 3.* monstrauit: & in responsis suis ab illis duntaxat cognoscitur, quicunque pro causa pietatis, seu foris visibiliter, seu intus inuisibiliter ab inuisibilibus inimicis tribulatur. Ad quem igitur vestrum conuertemur? In quo ex omnibus vobis fugientem dilectum citius consequemur & cõprehendemus? O beata Maria, mons montium, virgo virginum, *Sãcti à multis inuocãdi sunt ut maxime mater Dei* sancta sanctorum, ad omnes quidem cõuertimur montes aromatum, & vocamus vt respondeant nobis, & hoc est quod vnusquisque nostrũ dicit: Leuaui oculos meos in mõ- *Psal. 120.* tes, vnde veniet auxilium mihi, sed ad te prę- cipuè conuertimur, ad te præ cæteris oculos *Luc. 2.* nostros leuamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus. Per sanctum vteri tui sacramentum, & illum, qui animam tuam pertrãsiuit, gladium obtine, vt videamus ipsam illuminationem montium æternorum, scilicet dilectum & ex dilecto dilectum, simulq; dilectionem amborum, id est, patrem & fili- *Gene. 49.* um & spiritum sanctum Deum vnum, viuum & verum, cuius regnum & imperium permanet in secula seculorum, Amen.

FINIS COMMENTARIORVM RVPERTI, ABBATIS
Tuitiensis in Cantica Canticorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI
ABBATIS TVITIEN-SIS, DE VICTORIA
VERBI DEI LIBRI TREDECIM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
APVD HAEREDES ARNOLDI BIRCKMANNI,
ANNO SALVTIS cIↃ. IↃ. LXXVII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæsa. Maiestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,
DOMINO NICOLAO VVESTO, DEI gratia Episcopo Elienſi in Anglia, Ioannes Cochlæus S. D. P.

MVlta quidem, reuerendißime pater, Ruperti Abbatis quondam Tuitienſis opera in lucem labore noſtro edita ſunt Coloniæ intra triennium hoc proximum. Libri ſanè ſuprà centum quadraginta. Neque tamen omnia huius Theologi opera perquirere potuimus. Deſideramus adhuc quindecim libros eius de glorioſo Rege Dauid, decem libros in Iob, & quædam alia opuſcula minora, quæ neque Vveſtphaliæ, neque Bauariæ, nec Hercyniæ ſylvæ, vetuſtæ monaſteriorum bibliothecæ, partim à nobis, partim ab alijs diſcuſſæ, reddere potuerunt. Leodij quidem extant adhuc quatuor libri carminum & hymnorũ eius, in monaſterio ſancti Laurentij, vbi monachum primò egit priuatum, antequàm Sigebergum aut Tuitium veniſſet. Vndè & tredecim libri eius in Matthæum, in manus noſtras, interceſſione innocentißimi viri Theodorici Hezij, traditi ſunt, ſed nimia locorum diſtantia me abſterret, ne petere auſim commodato vetus illud exemplar. Opto igitur, vt vicinior quiſpiã opus illud, deuotißima nimirũ mente, in laudẽ Dei, Chriſtiq; eius et ſanctorũ Chriſti cohæredũ ab illo conſcriptũ, ad excitandã ſimilẽ in nobis cordis deuotionẽ virtutisq; amorẽ exſcribat & euulget. Opto itẽ, vt aliquis pietatis vtilitatisq; publicæ ſtudioſus, reliqua huius authoris opera perquirat feliciùs quã nos, eaq; inuenta, per chalcographiã cõmunicet nobis. Quòd ſi chalcographiæ impenſas ferre aut nolit aut nequeat, tradat exemplar inſigni bibliopolæ Franciſco Birckmanno, ciui Colonienſi, cuius ſanè impenſis, & reliqua Theologi huius opera debemus. Quoniam verò opus eius de Victoria verbi Dei, ab alijs in minori forma editũ eſt, Vt igitur cæteris commodè iungi ac coaptari queat, viſum eſt operæpretium fore, id ipſum denuò edi in ea forma, qua cætera iam edita videmus, & quidem ſub tui potiſſimum nominis patrocinio, reuerendißime domine, quia nullum ſcio aliũ, qui ſit vel verbi Dei in corda populorum ſeminandi ſtudioſior, vel ad benefaciendum pauperibus, præſertim literarum ſtudioſis, propenſior. Bene vale præſul ornatiſſime, & nuncupationem hanc authoritate tua confirma. Ex monte ſancti Victoris, prope Moguntiacum, Quarto Idus Aprilis

M. D. XXIX.

INDEX CAPITVM LIBRORVM RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI.

CAPITA LIBRI PRIMI.

Quid ſit victoria verbi Dei, quare, & propter quem aduerſarium, nempe diabolum, hoc opus ita inſcripſerit. cap. j.
Quod verbum Dei ſit filius Dei, & quòd præmium cognitionis eius ſit protectio Dei, propter quam & gratias agimus. cap. 2.
Verbum dei magnificè quidem per opera, magnificentiùs verò per ſeipſum cognoſci. ca. 3.
Solos à Deo doctos, dignè verba Dei eloqui poſſe. ca. 4.
Magnificentiã victo. V. Dei omni laude maiorẽ eſſe. ca. 5.
Quibus & quare nominib. hoſtis verbi Dei in ſcripturis nominetur, & quid ſint ſeptem capita draconis. ca. 6.
Quare diabolus draco nominetur, & quando inceperit primum exerere cornu, & quòd Agnus, id eſt, verbum Dei totidem habeat cornua. ca. 7
Quòd cauſa rebellionis fuerit ſuperbia, & quæ fuerint cauſæ ſuperbiendi. ca. 8.
Quòd per ſuperbiam factus ſit mendacij pater, & quodnã fuerit illud mendacium ex literis propheticis. ca. 9.
Satanã ſuo ipſius mẽdacio deceptũ, cæteros angelos deſpexiſſe, maieſtatẽq; & æqualitatẽ dei ambiuiſſe. c. 10.
Satanã ſuũ ipſius mendaciũ, & cęteris angelis prędicaſſe, perſuaſiſſeq; nõnullis, vt ſe pro Deo haberent. cap. 11.
Satanam neminem creationis & conditionis ſuæ conſcium putaſſe, ideoq; nullius contra ſe teſtimonium veritus fuiſſe. cã. 12.
Solius verbi Dei teſtimonio conuictũ ſatanã, & eiuſdem verbi Dei teſtimoniũ nõ latuiſſe cæteros ſpiritus. c. 13.
Partem ſpirituum ſuperbia & inuidia deprauatos, teſtimonium verbi Dei non recepiſſe, partem humiles, & obedientes in veritate perſtitiſſe. ca. 14.
Satanam propter teſtimonium verbi à Deo damnatum, à ſanctis angelis gladio verbi Dei debellatum, & è cælo deiectum eſſe. ca. 15.
De eo quod in pſalmo ſcriptũ eſt: Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi, extunc ira tua. ca. 16.
Pulcherrima ſimilitudine declarat, motus & affectus animi in Deum cadere, ſed eum immutabilem eſſe. ca. 17.
Ex illo certamine, quo diabolus victus eſt, quendam de principibus militiæ cæleſtis, & principatum, & inclytum nomen retuliſſe, vt iam dicatur Michael, id eſt, quis ſicut Deus. cap. 18.
De eo, quod dictum eſt ad B. Iob: Quis dimiſit lapidem angularẽ terræ, cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. ca. 19.
De eo, quod dictum eſt ad eundem B. Iob: Poteſtas & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. cap. 20.
Satanam non ſtatim vt conditus eſt, cecidiſſe. cap. 21.
Satanam in ſublimibus Dei pacem turbaſſe. ca. 22.
Quod Chriſtus cum diceret, Videbam Satanam cadentẽ, ſe non ſolum hominem eſſe, verumetiam verbum patris ab æterno fuiſſe inſinuarit. cã. 23.
Quæſtionem quare Deus ſatanam cum malum fore ſciret, creârit, ſoluit, iuſtitiamq; Dei irreprehenſibilem defendit. ca. 24.
Vnde & quo diabolus proiectus ſit, quali de cælo, qualem iam tunc in infernum ceciderit. cã. 25.
Quare diabolus, quare ſatanas, & quare ſpiritus eius dæmones appellati ſint. ca. 26.
Quibus verbis nouem ordines angelorum in prophetis figurati ſint, & quòd mali ſpiritus vltra reſurgere non poſſint. ca. 27.
Falli eos, qui opinantur angelos ante cælum & terram creatos. cap. 28.
Angelos non ita creatos, vt proficere non potuerint, ſed ſolum Deum abſq; profectu, ſemper fuiſſe perfectum. cap. 29.
Angelos bonos, cognita in deiectione ſatanæ fortitudine in confirmatione ſui, bonitate verbi Dei, in æternã ſanctæ Trinitatis laudem prorupiſſe. cap. 30.

CAPITA LIBRI II.

Quid ſit quod Dominus ad Ezechielem prophetam dixerit: fili hominis, leua, planctum ſuper regẽ Tyri. ca. 1.
Quemadmodum filij Iſrael deleta tribu Beniamin, planxerunt, ita veriſimile planxiſſe ſanctos angelos, diminuto ciuium regni Dei numero. ca. 2.
Quare filius hominis iubeatur plangere principem Tyri. cap. 3.
Soli Deo notum fuiſſe myſterium verbi incarnandi, per quod reſtituendus eſſet numerus ciuium Dei. ca. 4.
Condito mundo factum hominem, propter quem diabolus contra verbum Dei certamen arripuit. ca. 5.
Diabolum veterem diuini nominis ambitionem retinuiſſe, Deum verò in proposito prouchendi hominis ad ſimilitudinem ſuam, perſtitiſſe. ca. 6.
Diabolum impedire voluiſſe propoſitum Dei, & cur Deus homini præceptum poſuerit. ca. 7.
Diabolum ſerpentem ingreſſum decepto homine, meruiſſe, vt iam dicatur ſerpens antiquus. ca. 8.
Quare diabolus ſerpens antiquus, Deus autem antiquus dierum appelletur atq; prædicetur. ca. 9.
Diabolum, cum deciperet hominem, iiſdem vſum fuiſſe fraudibus, quibus nunc Sophiſtæ vtuntur. ca. 10.
Hominem non ex ignorantia, non ex infirmitate, ſed ex ſuperbia peccaſſe. ca. 11.
Non Dei prouidentiam culpandam, ſed creaturæ leuitatem accuſandam, cum cõſideratur, tam angelũ quàm hominem, non potuiſſe ſuſtinere magnitudinem diuinæ beneficentię, ne ſuperbiret. ca. 12.
Vtile fuiſſe, vt reuelaretur per experientiam, quod nouerat Deus per ſcientiã, ſcilicet non poſſe principatũ creaturarũ humiliter ſuſtineri, niſi à verbo incarnato. c. 13.
Deum quaſi dormiuiſſe, dum deciperet hominẽ ſerpens, deinde excitatum, tanquam potentem crapulatum à vino percuſſiſſe inimicos ſuos. ca. 14.
Quibus verbis, & quare ſerpentem, virum & mulierem increpauerit Deus. ca. 15.
Quare prima promiſſio conterendi ſerpentis, quæ fuit caput victoriæ verbi, non ad mulierem, ſed ad ſerpentẽ facta ſit. ca. 16.
Per mulierem & ſemẽ illius intelligi quidem oẽs electos, præcipuè tamen beatam virginem Mariam, & ſemen eius, qui Chriſtus eſt, ſicut per ſemen ſerpentis, eos qui ſunt ex patre diabolo intelligimus. cap. 17.
Hanc inimicitiam caput & initium fuiſſe bellorum Domini, & quod ſacra ſcriptura dicatur liber bellorũ Domini, & liber iuſtorum. ca. 18.
Inter Cain ſemen ſerpentis, & Abel ſemen benedictionis Dominum ſtatim inimicitias poſuiſſe, & Abel victoriam verbi ſua morte figuraſſe. cap. 19.
Abel per iuſtitiam fidei ad ſimilitudinem Dei factum, & hominibus mortuum, Deo melius viuere, imò loqui etiam. ca. 20.
Generationem Cain, qui erat ſemen ſerpentis, velocius pullulaſſe, ciuitates & regna conſtituiſſe. Item, Cain reproborum, Abel autem electorũ generationis principium fuiſſe, caſq; deinde ſecundum carnem connu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptas diluuij vindictam meruisse. cap. 21.
Electorum generationem, deleto Abel, tardius per Seth & Enos restauratam, non habere hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirere. ca. 22.
Generationem filiorum Dei denuò per mulieres callido antiqui serpentis consilio corruptam fuisse. cap. 23.
Quo pacto sit intelligendum, quod Deus dixit: Pœnitet me fecisse hominem, & delebo hominem, quem creaui à facie terræ. cap. 24.
Quid sit, quod Moyses de Deo scripsit, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus. ca. 25.
Quo dolore tactus esse dicatur intrinsecus. cap. 26.
De diluuio, imò de tribus iudicijs Dei. cap. 27.
Quid sit, quod Dominus dixit: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. cap. 28.
Quare Noe accepta sententia perdendæ vniuersæ carnis non intercesserit pro hominibus sicut Moyses. ca. 29.
Quid sit quòd scriptum est, Noe inuenit gratiam coram Domino. Item, Noe vir iustus atque perfectus in generationibus suis. cap. 30.
Quod Noe quia seruauerat verbũ Dei, idem à verbo seruatus sit. ca. 31.
Quod Dominus propositum suum satis declarauit toties benedicendo hominibus. ca. 32.

CAPITA LIBRI III.

De tribus filijs Noe, Sem, Chã, & Iaphet, & quid sit, Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. cap. 1.
De confusione linguarum, natiuitate Abraham, & secundo promissionis verbo, quod in semine eius benedicendæ essent omnes gentes. cap. 2.
Quod confusio linguarum abscondendo diuinæ promissionis thesauro profuerit. cap. 3.
Quod mysteria Dei non solis exteris per cõfusionem linguarum, verumetiam indigenis Israelitis per ænigmata & figuras abscondita fuerint. Item de trium linguarum literis inuentis. cap. 4.
Quòd serpens antiquus propter verbum promissionis cõtra Abraham, Isaac, & Iacob, inuidia quidem motus sit, nocere tamen eis non potuerit. ca. 5.
Quod Ioseph deinde, primos serpentis insultus per fratres propter somnium excepit. ca. 6.
Quid sit, quod à Hieremia dictum est, Vox in Rama audita est, &c. Rachel plorans filios. ca. 7.
Quod serpens ille antiquus non solùm insidias fratrum, verumetiam illecebras concupiscentiæ mulieris aduersum Ioseph, suscitarit, neq; tamen vicerit. ca. 8.
De tertio promissionis verbo, non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est. ca. 9.
De signo mulieris amictæ sole, parturientis & clamantis vt pariat, & itẽ de signo draconis magni, &c. ca. 10.
Coronam duodecim stellarum in capite eiusdem mulieris fuisse principes duodecim tribuum, & quòd in vtero habuerit, fuisse verbum promissionis. ca. 11.
Quando primum cœperit parturire, clamare, cruciari vt pareret. ca. 12.
Quod agnus quem immolabant filij Israel, verbi fuerit typus incarnandi, econtra Pharao rex Aegypti caput primum serpentis. ca. 13.
Quod omnipotens verbum Dei percusserit primogenita Aegypti. ca. 14.
Quod de eodem verbo dictum sit: Exultauit vt gigas ad currendam viam. ca. 15.
Idem verbum Dei Aegyptijs fuisse gladium acutum, filijs autem Israel agnum mitem & mansuetum. ca 16.
Quam ob causam primogenita Aegyptiorum percussa sint. ca. 17.
Quam ob causam, item post cædem primogenitorum, omnes Aegyptij aquis operti fuerint. ca. 18.
Hæc omnia Abrahæ à Deo prædicta fuisse, & quod filij Israel Aegyptios iuste spoliarint. ca. 19.
Eundem esse draconẽ & Behemoth, eumq; à solo verbo vinci, vt multiplicet preces & mollia loquatur. ca. 20.
Quod Dominus populum Israel liberauerit in laudem, & gloriam nominis sui, vt faceret eam excellitorẽ cunctis populis. ca. 21.
Populo Israel non solum commissa, verumetiam scripta fuisse eloquia Dei, idq; digito ipsius. ca. 22.
Nihil vtilius inuento literarum ad cognitionem Dei creatoris esse. ca. 23.
Sicuti priores duæ tabulæ Moysi fractæ sunt, ita & literarum characteres, sub Esdra mutatas fuisse arbitramur. ca. 24.
Dona esse Dei, quòd homo in verbo Dei possit meditari, deinde & eloqui. demum & scribere, atque aliorum scripta legere. ca. 25.
Sacramenta cælestia sub sacrarum superficie literarum latentia, similia esse thesauro abscondito in agro. c. 26.
Hunc thesaurum ideò absconditũ fuisse, ne paruuli quibus lacte opus erat, solidum cibum ferre non possent, & porci margaritas pedibus subiectas conculcarent. cap. 27.
Exemplis probatur, non expediuisse, vt sacramenta scripturæ apertis verbis prodantur, donec opere compleantur. ca. 28.

CAPITA LIBRI IIII.

Quarum animalium septem illa capita Draconis similia fuerint. ca. 1.
Quòd facies secundi capitis facies vituli fuerit, quẽ fecit Aaron, & quomodo tunc mulier in vtero habens clamauerit. ca. 2.
Quod idem caput sublatum ad tempus, sub Ieroboam denuò erectum sit. ca. 3.
Quod per iudices Dominus populum ab idololatria represserit, & ab hostibus defenderit, vincente per eos verbo Dei. ca. 4.
Iudices, non nisi clamante ad Dominum populo, suscitatos. ca. 5.
Quã ob causam iudices illi saluatores appellati sint. ca. 6.
Duodecim iudices, & duodecim Apostolos, esse viginti quatuor seniores. cap. 7.
Quare Apostolis, non vt iudicib. gladio vti licuerit. ca. 8.
Quantis in periculis versati sint iudices Israel. ca. 9.
Quare Heli ad numerum duodecim iudicum non pertineat. ca. 10.
Quid sit apud Esaiam, Vòca nomen eius, Accelera spolia detrahere, festina prædari. ca. 11.
Idem verbum Dei, & per Dauid vicisse, quod antea per iudices vicerat. ca. 12.
Quare Dauid non ædificarit domum Domini. ca. 13.
Proiecto Saul, & electo Dauid, impletum esse quod dictũ est, Dominus pauperem facit, vel ditat, humiliat & sublimat. ca. 14.
Quomodo Saul, & quomodo Dauid contempserint verbum Domini. ca. 15.
Quod vtriq; se peccasse confessi sint, & quare huius confessio accepta, illius reiecta sit. ca. 16.
Dauid exauditum esse, quia secundum voluntatem Dei petierat. ca. 17.
Quod Deus in sermonibus suis iustificari visus non fuisset, nisi Dauid misertus esset. ca. 18.
Promissiones legis cũ conditione, Promissiones aũt Abrahæ & Dauidi absq; conditione factas fuisse. ca. 19.
Quid sit quod Apostolus ait: Si enim, qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est repromissio. cap. 20.
Quid sit quod idem Apostolus ait, Iustitiam Dei in Euangelio reuelari ex fide in fidem, & quænam illa iustitia sit. ca. 21.
Verbum Dei tam in Saul quàm in Dauid veritatis palmã obtinuisse. ca. 22.
Quomodo appareat in duobus illis verum esse sapientiq; dictum, Melius est duo simul esse quàm vnum. ca. 23.
Salomonem habuisse quidem verbum Dei, sed non quiete usse cum eo vt foueretur, ideoq; cecidisse, nec subleuatum esse. ca. 24.
Propter peccata filiorum Dauid, non auersum esse propositum Dei, quia iurauerat illi. cap. 25
Cur

Cur iurare debuerit ac voluerit Deus, quem impossibile est mentiri, etiam in his, quæ loquitur absque interpositione iuramenti. cap. 26.
Quibus ex causis maximè digni fuerint Abraham & Dauid verbo promissionis cum iuramento repromittentis. cap. 27.

CAPITA LIBRI V.

QVomodo secundum caput Draconis vitulus. s. sub Hieroboam, denuò fuerit erectum. cap. 1.
Quamuis etiam Baal seruierint & adorauerint, vitulum tamen caput idololatriæ fuisse. cap. 2.
Hoc caput, tametsi mite videretur, æquè tamen vt reliqua pernicio sum fuisse populo Dei. cap. 3.
Quodnam primum verbi Dei bellum aduersus hoc caput fuerit. cap. 4.
Quod Iehu primus pro testimonio verbi Dei occubuerit. cap. 5.
Quod mysterio non careat, à leone prophetam in via occisum. cap. 6.
Quid duodecim scissuræ pallij Ahiæ Sylonitæ significarint. cap. 7.
Deum iusto iudicio regem Hieroboã super Israel cõstituisse, non vt peccare faceret, sed quia peccaturi erãt. c. 8.
Heliam propheram, ne ignorantes simul cum impijs errarent, à Deo missum esse. cap. 9.
Quæ miracula fecerit Helias, & quòd spiritus Heliæ duplex in Helisæo, duplicato miraculorũ numero comprobetur. cap 10.
Quid & quãdo profecerint in populo, Helias & Helisæus prophetæ. cap. 11.
Quare zelus Domini propter Baal amplius, quàm propter vitulos aureos, in Helia exarserit. cap. 12.
Dominũ in virga & verberibus visitasse peccata domus Dauid, misericordiã verò non dispersisse ab eo. c. 13.
Quantus zelus in Helia, quantæ dignitatis fuerit. cap. 14.
Heliam translatum, ante diem magnum & terribilem Domini mittendum, & in Ioanne Baptista completũ esse. cap. 15.
Verisimile esse, Enoch & Heliam translatos, à moriendi necessitate liberatos esse. cap. 16.
Post Heliam & Helisæum idem verbum Dei, alijs Prophetis succedentibus non defecisse. cap. 17.
Quid sit, quod per Osee dictum est: Non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum & domui Iuda miserebor. cap. 18.
Quod verbum Dei nõdum incarnatum, id est, Emanuel nondum natus, liberarit terram à Rege Assyriorum. cap. 19.
Idem verbum, antequam sciret puer vocare matrem, accelerasse, spolia detraxisse, & prædari festinasse. ca. 20.
Ductis in captiuitatem decem tribubus, finitum bellum verbi Dei, contra vitulos aureos. cap. 21.
Assyrios iustiores fuisse quàm Israel, ideoque eis in captiuitatem traditum esse. cap. 22.
Quare domus Iuda seruata sit, Israel e in captiuitatem ducto, cũ vtrobiq; iusti aliquot fuerint. cap. 23.
Quare in Lege scriptũ sit: Locutus est Dominus ad Moysen, in prophetis aũt: Factũ est verbũ Domini. ca. 24.
Omnes ad quos verbũ Dei factum est, non omnes aũt ad quos locutus est, beatos & filios Dei fuisse. ca. 25.
Non Moysen reliquis Prophetis comparatum, sed Legẽ promissionibus gratiæ collatam inferiorem esse, eò quòd nusquam legatur, Factum est verbum Domini ad Moysen. cap. 26.

CAPITA LIBRI VI.

QVod reges & regna antiqui Draconis capita dicantur. cap. 1.
Regnum Assyriorum, & regnum Chaldæorum cõiunctim, tertium caput Draconis fuisse, similè leoni. cap. 2.
Quomodo Deus domum Dauid zelo prosecutus fuerit in bonum, Diabolus verò in malum. cap. 3.
Draconem tertio hoc capite, aduersatum quidẽ verbo Dei intentione, cooperatum aũt fuisse effectu. cap. 4.
Quibus peccatis in domo Dauid, puniendus Draco ille sæuierit. cap. 5.
Quod obsessa & expugnata Hierusalem, & populo translato, in fortitudine manus suæ Nabuchodonosor se fecisse sit gloriatus. ca. 6.
Nabuchodonosor typum Diaboli gessisse, & effectu quidem Deo seruijsse, voluntate verò satellitem Diaboli fuisse. cap. 7.
Quod Dominus quamuis verberaret populum, promissionis suæ non fuerit oblitus, sed Prophetas suscitauerit, & virgam contriuerit. cap. 8.
Quomodo & quo ordine verbum Dei Nabuchodonosor percusserit, & tandem vicerit. cap. 9.
Multis rationibus somnium Nabuchodonosor obseruabile fuisse. cap. 10.
Quid somnium Nabuchodonosor significarit. cap. 11.
Quare Nabuchodonosor, & non alius quispiam, hoc somnium viderit. cap. 12.
Crudelitatem regis, beneuolentiam & attentionem Danieli interpreti conciliasse. cap. 13.
Nabuchodonosor regem verbum Dei ex ore Danielis ferre non potuisse, quin caderet in faciem. cap. 14.
Nabuchodonosor adhuc tam superbum fuisse, vt statuã suam adorari iuberet. cap. 15.
Quare Scriptura, calicem aureum Babylonicæ meretrici tribuerit. ca. 16.
Quas ob causas regnum Babylonicum per aurum, & regnum Persarum atque Mœdorum signatum sit per argentum. cap. 17.
Quam ob causam regnum Græcorũ per æs significatum fuerit. cap. 18.
Quare regnũ Romanorũ per tibias ferreas, pedes partim ferreos, partim fictiles significatum fuerit. ca. 19.
Quid mixtura ferri & testæ significet. cap. 20.
Quare exclamauerit Nabuchodonosor, Ecce ego video quatuor viros solutos, & speciem quarti similis filio Dei. cap. 21.
Quare appellatio filij Dei, ab inimico, & persecutore primum vsurpari debuerit. cap. 22.
Confessionem & laudem Nabuchodonosor, propter superbiam, & tumidam vanitatẽ reprobã fuisse. ca. 23.
Quod sicut tribus pueris in camino affuit filius Dei, ità omnibus affuturus sit, qui se confiteantur. cap. 24.
Quare Deus, non vt tres pueros, ita & templum defenderit, ne conflagraret. cap. 25.
Toties victum Nabuchodonosor, nunquam tamen fuisse ex animo humiliatum. cap. 26.
Nabuchodonosor, tanquã bouẽ fœnũ comedisse. ca. 27.
Quo sensu verum fuerit, quod Nabuchodonosor dixit: Nõne hæc est Babylon, quam ædificaui. cap. 28.
Nabuchodonosor non mentem tantum, verùm & formam amisisse, cùm fœnum vt bos comederet. cap. 29.

CAPITA LIBRI VII.

BAlthasar regẽ iam tũ cũ manus hominis in pariete scribẽs appareret, à verbo Dei victum fuisse. cap. 1
Danielem nõ perturbatum, sed confidenter aspexisse, legisse, & interpretatum fuisse. cap. 2.
Quid sibi velit primum verbum, mane, id est, numeratum. ca. 3.
Quid velit secundum verbum, Tetel. i. appensum. cap. 4.
Quid velit tertium verbum, Pares, id est, diuisum. cap. 5.
Quòd scriptum & dictum tunc est, contra vnum regnum Babylonis, de omnibus regnis mundi debere intelligi. cap. 6.
Quid significet, Mane, contra principẽ huius mũdi. c. 7.
Quid significet Tetel, contra eundem principem mundi. ca. 8.
Quid significet Pares, contra eundẽ, & quid Persæ, & Mœdi, quibus diuisum regnum eius datum sit. cap. 9.
Hanc manum apparentem, signasse manum Dei, de qua Dauid: Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua. ca. 10.
De quatuor bestijs, quas Daniel viderat, & quare Deus antiquus dierum appelletur. cap. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quatuor regna, non ex Deo regnasse. cap.12.
Summam rerum omniũ & regnum ad Deum pertinere, sed quatuor bestias quantum quæque potuit, ad se rapuisse. cap.13.
Solius verbi Dei verum esse imperium, humana omnia simulata. cap.14.
Regnũ Mœdorum & Persarum, quantum caput Draconis fuisse. cap.15.
Satrapas Mœdorum & Persarũ Danieli foueam, in quã ipsi inciderent fodisse. cap.16.
De oratione Danielis contra Hierusalem, propter quã accusatus, & cũ rex liberare non posset, in lacũ leonũ proiectus fuit. cap.17.
Danielem in martyrio verbi Dei, tribus pueris non fuisse inferiorem. cap.18.
Completo captiuitatis annorum numero, non prophetas tantum, verumetiam Angelos super reædificatione Hierusalem lætatos fuisse. cap.19.
Danieli non solũ reædificationem templi, verumetiam omniũ regnorũ futuros euẽtus, reuelata fuisse. cap.20
Domum Dei, quam Cyrus ædificandam decreuerat, à Dario, vincente ita verbo Dei, tandem ædificatam fuisse. cap.21.
Tempus, quod ab exitu sermonis, vsque ad cõpletionem operis intercesserit, non modo coram Deo breue, verumetiam hominibus vtile fuisse. cap.22.
Vnde Cyro homini gẽtili tanta circa Deũ eẽli, & circa captiuũ eius populum beneuolentia prouenerit. cap.23.
Cyrum ita regem factum, vt diuinam circa se prouidentiam agnoscere potuerit. cap.24.
An libertas captiuis à Cyro donata Iudeis, eidẽ ad æternam salutẽ assequendam prouenire potuerit. cap.25.
Quæ vera confessio sit, & quid eidem Cyro de vera confessione defuerit. cap.26.
Maiorem laudandi Dei occasionẽ esse, non modo in templi Hierosolymitani, verũetiam totius generis humani reparatione, quàm conseruatione. cap.27.
Quomodo id quod de Cyro dictum est: Assimilaui te, & non cognouisti me, intelligendum sit. cap.28.
Titulum Psalmi 64. ad huius captiuitatis solutionem pertinere. cap.29.
Iuxta prophetiam Aggæi, nouissimi templi maiorem gloriam quàm primi, propter verbum incarnatum fuisse. cap.30.
Esdram, Nehemiam, Iosedech, & Zorobabel, tempore solutæ captiuitatis illustres fuisse. cap.31.
Esdram propter renouatam nouis characteribus legem præcipuum fuisse. cap.32.

CAPITA LIBRI VIII.

Omnium Mardochæi non fuisse vanum. cap.1.
Mardochæum & Aman per duos Dracones, sed diuersis rationibus signatos fuisse. cap.2.
Sicut Aman Mardochæo crucem parauerat, & in ea suspensus fuerat, ita principem huius mundi Diabolum Christo crucem parasse, & in ea victum fuisse. cap.3.
Paruum fontem, qui in magna creuerit flumina, Hester reginam fuisse. cap.4.
Dei prouidentia factum, vt Mardochæus in captiuitate maneret, cùm qui vellent, libertatem in patriam redeundi recepissent. cap.5.
Aman exaltatum & adorari iussum, etiam regnum ambijsse, & Mardochæo propter seruatum regem, inimicum factum fuisse. cap.6.
Aman Mardochæo inimicum, cũ videret sibi non flectere genu, totius gentis Iudaicæ extirpandæ cõsilium cepisse. cap.7.
Quã ob causam Mardochæus Aman non adorauerit. c.8.
Quam ob causam aliquot homines citra reprehensionẽ adorari potuerint. cap.9.
Quare tam difficilis ad regem aditus fuerit, vt qui non vocatus aditet, occideretur. cap.10.
Aman stultè tẽpus perditionis Iudæorũ per sortes quæ siuisse, cũ an perdendi essent nondũ cognouisset. cap.11.
Aman per sortes deceptum, spacium dedisse Iudæis, ad impetrandum à Deo auxilium. cap.12.
Semper fuisse, qui diuinæ promissionis de Christo memores, eam impleri desiderauerint. cap.13.
Hester quatuor illis celeberrimis virtutibus præditam fuisse. cap.14.
Quomodo virtus tẽperantiæ in Hester reluxerit. cap.15.
Quomodo iustitia in ea deprehensa sit. cap.16.
Et hoc iustitiæ fuisse, quod incircuncisо propter necessitatem coniungi sustinuerit. cap.17.
Quomodo prudentia in eius consilijs spectata sit. cap.18.
Quod prudenter coram rege petitionem suam exposuerit. cap.19.
Eius prudentiã veriusdiuinã prouidẽtiam fuisse. ca.20.
Aman in conuiuio quasi hamo captum fuisse. ca.21.
Quanta fuerit in ea boni zeli fortitudo. cap.22.
Quoties verbum Dei aliquot ex capitibus Draconis vicerit, personæ in qua vicerit, victoriæ signa contulisse. cap.23.
Quid mysterij contineat, quòd Aman in patibulo, quod Mardochæo parauerat, suspensus fuerit. cap.24.
Quid mysterij contineat, quòd domus Amã data sit Hester reginæ. cap.25.
Somnium Mardochæi, in quo paruum fontem, in fluuium magnum, deinde in solem conuerti videt, in Hester regina completum fuisse. cap.26.
Captiuitatem populi propter verbũ Dei, multo quã gentium imperiosam libertatem, gloriosiorẽ fuisse. ca.27.
Superato per verbum Dei, Persarum & Mœdorũ regno, Macedonum, quod in Daniele per hircum caprarum significatur, successisse. cap.28.
Quas ob causas regnum Macedonum in priore visione per pardũ, in posteriore per hircũ fuerit signatũ. ca.29.
Quas ob causas regnum Persarum & Mœdorum in priore visione per vrsum, in posteriore per arietem fuerit significatum. cap.30.
Quare hircus vnum tantum, aries autem duo cornua habere visus sit. cap.31.
Magnam victoriæ verbi Dei partẽ in hoc esse, quod sicut regna mutanda prædixerit: ita & mutauerit. cap.32.

CAPITA LIBRI IX.

Præfatio ad Cunonem qua conqueritur se frigidũ atque negligentem, orationibusque iuuari postulat. cap.1.
Responsio iucunda Cunoni facta, qui rogarat, vt præfationem secundi libri Machabæorum explicatam huic operi insereret. cap.2.
Quintum caput Draconis fuisse regnum Græcorum. c.3.
Principes Persarum & Græcorum malos angelos deberi intelligi, resistẽtes principib. bonis, id est, Angelis. c.4.
Principem populi Dei Michaelem esse, bonos principes omnes inter se consentire, malos verò neque cum bonis, neque inter se conuenire. cap.5.
Quale præliũ sit inter bonos & malos principes. c.6.
Quomodo princeps Persarum restiterit xxi. diebus. ca.7
Quomodo nobis orantibus, mali spiritus prælientur cum bonis. cap.8.
Quomodo sit intelligendum, quod dictum est: Ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regẽ Persarum. cap.9.
Quomodo sit intelligendum, quod ait: Cũ enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. cap.10.
Quomodo regnum Græcorũ originem cœperit. cap.11.
Regem Alexandrum se Hammonis filium videri voluisse, idq; per hircum caprarum qui terram non tangebat, Danieli significatum fuisse. cap.12.
Quomodo Alexander Hierosolymã venerit, & principẽ Sacerdotũ vestibus sacris indutũ veneratus sit. cap.13.
Quomodo illud cornu fractum sit, id est, quomodo Alexander magnus vita decesserit. cap.14.
Fracto cornu alia quatuor succreuisse, deoque Draconẽ cùm septem tantum capita habeat, decem tamen diademata gestare. ca.15.
Antiochum per cornu paruulum, quod de vno ex quatuor exierit, significatum fuisse. cap.16.
Onyæ primum sanguine quintum hoc Draconis caput maduisse, & rufum factum fuisse. cap.17.
Quibus peccatis populus meruerit, vt Deus per Antiochum eos affligeret. cap.18.
Quibus successibus populi flagitia aucta fuerint. cap.19.
Quid sit, quod Dominus per Zachariam dixit. Quia ego iratus fui parum, ipsi verò addiderunt in malũ. c.20.
Quid sit Deum irasci parum. cap.21.
Quid Antiochus addiderit in malum. cap.22.
Quæ Antiochus Hierosolymis fecerit, ad paruam Dei iram pertinere. cap.23.
Quòd Iudæos ad ritum gentilem coegerit, additamentum fuisse in malum. cap.24.
Diabolum propter eiusmodi additamenta, dictum esse Leuiathan. cap.25.
De ira Dei magna, quæ sit. cap.26.
Paruam Dei iram placari posse, magnam non posse. c.27.
Mulierem in vtero habentem, denuò parturijsse & clamasse. cap.28.
Septem fratres Machabæos, & matrem eorum præcipuè cùm paterentur, clamasse. cap.29.
Quòd carne porcina vesci noluerint, passionis eorũ causam fuisse, & quod mundis omnia munda. ca.30.
Qua ratione Deus in veteri lege inter munda & immũda discreuerit. ca.31.
Septem fratres Machabæos, præcipuè venerabiles esse, & resurrectionẽ mortuorũ apertè confessi sunt. c.32.

CAPITA LIBRI X.

Sanctos per fidem vicisse regna. ca.1.
Sanctos egentes, angustiatos, afflictos, in solitudinibus errasse in montibus. cap.2.
Quanta fuerit lætitia templi emundati & renouati. ca.3.
Quàm sedulo flagitauerit Cuno, vt procœmium, 2. Macha. interpretaretur, idq; se iam facturum. cap.4.
Onyam cum multis Iudæis Aegyptũ profectum fuisse ibique templum ædificasse. cap.5.
Quoties & quibus temporibus Iudæi Hierosolymis scripserint fratribus in Aegypto. cap.6.
Materiam, intentionem, & vtilitatem prologi. 2. Mach. se prosequuturum. cap.7.
Quæ fuerit materia, siue argumentum eius prologi. c.8.
Quæ fuerit intentio eiusdem prologi. cap.9.
Solum templum Hierosolymitanum legitimum fuisse, propter promissiones Dei illic implendas. cap.10.
Qua ratione salutationis loco scriptũ sit. Adaperiat cor vestrum in lege sua. cap.11.
Quænam fuerit illa tribulatio & impetus, qui venerat super Iudæos. cap.12.
Quare Iudæam terram sanctam appellauerunt. ca.13.
Quomodo intelligendum sit: Frequentare dies scænopegiæ mensis Casleu. cap.14.
Quod semel & iterũ eiusdẽ de causis scripserint, & quod admonitio secunda austerior, quàm prima sit. ca.15.
Eadem ratione sanctam ciuitatem qua terram sanctam esse appellatam. cap.16.
Eadem ratione ignem de cælo datum commorari. ca.17.
Qualis ille ignis fuerit. ca.18.
Eadem ratione miraculum ignis, & Nehemiæ orationẽ commemorari. cap.19.
Eadem ratione tabernaculi & arcæ commemorationem, atque excusationem factam. ca.20.
Quomodo quæ de tabernaculo & arca dicta sunt intelligi debeant. cap.21.
Qualicunque sensu Hieremias illa scripserit, Iudæos suo proposito adaptasse. ca.22.
Eadem ratione, qua superiora, orationem Moysi & ignẽ de cælo datum. cap.23.
Quàm multi hostes verbi Dei velociter sicut vmbra trãsierint. cap.24.
Quare Deus populo suo cætera regna subijcere noluerit. cap.25.
Machabæos societatem cum Romanis inire non debuisse, & quare tam cita morte sublati fuerint. cap.26.

CAPITA LIBRI XI.

Verbum Domini per Esaiam: Si non, vt putaui, ita erit, quomodo sit intelligendum. ca.1.
Quomodo Deus aliquid putare, ppriè dicatur. c.2.
Inter omnia quæ Deus putauit, præcipuum fuisse, filium quem Draco deuorare volebat, ad se & thronum suũ rapiendum. cap.3.
Inuocat sapientiam. Interim quid sit: Noli regibus dare vinum, sed his qui amaro sunt corde. cap 4.
Sextũ caput Draconis cui simile fuerit, dici nõ posse. c.5.
Quod Hebræi putant de sexto capite dictũ: Exterminauit eam aper de sylua, &c. ineptum esse. ca.6.
Quomodo bestia quarta de mari ascenderit, & sextum caput Draconis in ordine constituerit. cap.7.
Herodẽ patre Idumæo, matre verò Arabica natũ à senatu Romano regem Iudææ decretum fuisse. ca.8.
Discordias inter senatum & populum Iudaicum, Herodi regnum peperisse. ca.9.
Neque sceptrum, neque ducem de Iuda auferendum, do nec veniret Christus. cap.10.
Præter Zachariam, Elizabeth, Symeonem, & Annam prophetissam, multos fuisse, qui aduentum Christi expectarint. ca.11.
Neque demonstrando, neque narrando, Christum pro dignitate iudicari posse. cap.12.
Quod per Esaiam dictum est: Egredietur virga de radice Iesse, quomodo sit intelligendum. cap.13.
Tunc excelsa Libani cecidisse, cũ Herodes alienigena regnaret, templũq; subuersum de nouo ædificaret. c.14.
Herodem renouando templum, se Dauidi & Salomoni impudenter comparare voluisse. ca.15.
Quòd populus super illius hominis opera nequaquã lætari, neque tanto peccatori debuisset adulari. cap.16.
Quare Deus Herodem in regiam, & sacerdotalem stirpem, ita sæuire permiserit, vt ne quidem filijs parceret. ca.17.
Virgã viginẽ Mariam, Christũ verò florem esse, & cur de radice Iesse, non de radice Dauid dictum sit. ca.18.
Quid sacramenti fuerit in rebus gestis radicis Iesse, hoc est, Dauidis, quod ad Christum pertineret. ca 19.
Laudabile Dei consilium esse, quod in humilitate Diabolũ atq; Herodem fefellerit, & ars artẽ luserit. ca.20.
Quàm vtile nobis fuerit, Christum è paupere virgine matre nasci. cap.21.
Laudat incarnationem verbi, ex Psalmo Dauidis: Eructauit cor meum verbum bonum. cap.22.
Quomodo verbum Dauidis intelligendum sit. Lingua mea calamus scribæ. cap.23.
Quomodo intelligendum: Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. cap.24.
Quare Deus incarnari, & non potius per Angelum genus humanum saluare voluerit. cap.25.
Christum salua matris virginitate, natum esse. ca.26.
Quid sit: Speciosus forma præ filijs hominum, & gladius super fœmur accinctus. cap.27.
Sicut septiformis spiritus super florẽ requieuerit, ita septẽplici laude psalmus hic regem Christũ canit. cap.28.
Quare non dictum sit, manebit, sed requiescet super eũ spiritus Domini. cap.29.
Præter Christum neminem fuisse, super quem requieuisse spiritus Domini dici posset. cap.30.
Sicut virga Aaron, ita & virga Iesse, superbi certaminis finem fecit. cap.31.

CAPITA LIBRI XII.

Beatam virginem Mariam mulieris in vtero habentis, parturientis, & vt pariat clamantis non minimam partem fuisse. cap.1.
Draconem etiã Mariæ filium deuorare voluisse. cap.2.
Quare Diabolus Christum Herodi prodere non potuerit. cap.3.
Christus à Diabolo, non vt cognosceretur, sed vt corrumperetur, tentatum fuisse. cap.4.
Qua de causa Christus non solùm Dæmonijs, verumetiam Apostolis ne se proderent, prohibuerit. ca.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare Iudæi, an ipse Christus esset quæsierint, & quare ipse ante passionem semper obscurè responderit. c. 6.
Christum, vbi tempus affuit, non solùm non prohibuisse, verumetiam se regem prædicari voluisse. ca. 7.
Christum a sello insidentem, regnorum huius mundi cõtemptum præ se tulisse. cap. 8.
Christi regnum non de hoc mundo esse, satis probatum esse, copiosius tamen probari potuisse. cap. 9.
Diabolum insidiendo vitæ Christi deceptum, Dei consilium impedituisse, sed non promouisse. ca. 10.
Per mortẽ Christi sacramenta Baptismatis, eucharistiæ & Spiritus S. dona, nos consequutos esse. cap. 11.
In quẽ vsum sacramẽti eucharistiæ nobis relictũ sit. c. 12.
Spiritũ S. primum in remissionem peccatorum, deinde in diuisiones gratiarum, super nos effundi. ca. 13.
Hæc sacramenta neque Diabolum, neque impios homines cognouisse. cap. 14.
Draconem septies per impios homines contra Christum resurrexisse, & septimo comprehensum fuisse. cap. 15.
Quare dictum sit. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit. cap. 16.
In Christo duas voluntates, diuinã atq; humanam fuisse, quarũ altera mortẽ voluerit, altera expauerit. c. 17.
Quare dictũ sit, apud ipsũ est sapientia, & fortitudo. c. 18.
Quare Christus gladiũ in vaginã recõdi iusserit. cap. 19.
Quid dictum sit: Egredimini, & videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. cap. 20.
Quid sanguineus sudor portenderit. cap. 21.
Quare dictum sit: Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. ca. 22.
Quare dictum sit, Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. ca. 23.
Quid dictum sit: Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, & quàm necessarium fuerit, vt mortuus non caperet sepultura. cap. 24.
Quare dictũ sit: Maledictꝰ à Deo, qui pẽdet in ligno. ca. 25.
Quid dictum sit: Mulier cũ parit, tristitiã habet, & quòd Christus in sepulchro sabbatizauerit. ca. 26.
Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, de Christi resurrectione dictum esse. cap. 27.
Vir obediẽs loquitur victorias, de Christo dictũ esse. c. 28.
Quinque vulnera Christi esse signacula iustitiæ. cap. 29.

CAPITA LIBRI XIII.

QVomodo raptus sit filius mulieris ad Deũ, & thronum eius. cap. 1.
Quid sit, raptũ esse ad Deum & ad thronum eius, & quid sit illud: Paulus Apostolus non ab hominib. neq; per hominem, sed per Iesum Christum. cap 2.
Rapto illo ad Deum & ad thronum eius, nondum penitus impletam esse promissionem: In semine tuo benedicentur omnes gentes. cap. 3.
Quomodo mulier in solitudinem fugerit. ca. 4.
Quomodo Michael & Angeli eius pugnauerunt contra Draconem. ca. 5.
Quomodo Draco proiectus in terram, miserit aquam de ore suo. cap. 6.
Quomodo aqua eiusmodi primùm occultè irrepens, deinde per incrementa vires capiens, per quatuor partes orbis sese extenderit. cap. 7.
Quo audiuit terra mulierẽ, & absorbuerit flumen. cap. 8.
Septimũ caput draconis plaga gladij occisũ in mortẽ c. 9.
Quomodo plaga mortis eius sanata sit. cap. 10.
Caput illud esse Antichristum, cui Draco dederit vires suas, & potestatem magnam. cap. 11.
Quid sit illud Apostoli, & nunc quid detineat scitis, vt reueletur suo tempore. Et de sacramento mulieris, bestiæ insidentis. cap. 12.
Quare Apostolus tam obscurè dixerit: Tantum qui tenet, teneat, donec è medio fiat. cap. 13.
Quantã irã draco excitaturus sit ꝓ Antichristũ, & ꝙ Dominus Iesus interfectuꝰ sit ipsum spiritu oris sui. c. 14.
Interfecto Antichristo consummatam esse victoriam verbi Dei. ca. 15.
Quid sit quod ad beatum Iob dictum est: Ecce spes eius frustrabitur eum. ca. 16.
Quid sit spiritu oris Domini aliquid fieri. cap. 17.
Quã facile omnia possit verbũ Dei, exemplis probat. c. 18.
Quanta facilitate sinistros cum Diabolo & Angelis eius præcipitaturus sit. cap. 19.
Quid sit, quod dictum est apud Esaiam, & erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum. cap. 20.

Capitum librorum de Victoria verbi Dei finis.

PRAEFATIO TOTIVS OPERIS, DOCENS, QVA OCCASIONE HOSCE DE VICTORIA VERBI DEI LIBROS SVSCEPERIT SCRIBENDOS.

NVPER, quum tu hospes optabilis Cuno, pater Cœnobij Sigebergensis, nostrum præsentia tua serenares habitaculum, nos more solito semoti à cæteris, conferebamus aliqua de sanctarũ maiestate Scripturarum. Erat aũt nobis tunc sermo præcipuus de quatuor illis grandibus bestijs, & visione Danielis, quarum prima quasi leæna, ipsa fuit regnum Babyloniorum: alia similis vrso, ipsa fuit regnum Persarum et Medorum: alia quasi pardus, ipsa fuit regnum Græcorum: quarta terribilis atq; mirabilis & fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atq; comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, ipsa fuit regnum Romanorum, quorum vi deiecit regnorum singula suis temporibus super cætera gentium regna principatũ tenuerunt. Regna hæc idcirco per bestias ferocissimas, & sanguinis auidas rectè figurata fuisse dicebamus, quia plena crudelitatis fuerunt, & sanguine mundũ bestialiter debacchando implentia, Sanctos quoq; Dei altissimi contriuerunt. At verò regnum Dei, regnũ esse pacis, regnũ charitatis & germanitatis, imperium pietatis, & dominatio veritatis & iustitiæ, & mansuetudinis. Et idcirco debuisse secundum rem vel rei dissimilitudinẽ dissimilem quoque habere imaginem. Et veraciter ita est. Sequitur enim, Aspiciebam, donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit. Item, Aspiciebam ergo in visu noctis, & ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad Antiquum dierũ peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi & tribus & linguæ seruient ei. Quid, rogo, dissimilius quàm eiusmodi bestiæ ascendentes de mari, & filius hominis veniens in nubibus cæli, & perueniens vsque ad Antiquum dierũ candidum, & capillis mundissimis præantiquitate nitentem, sedentem thronis positis, & iudicantem de bestijs illis, quæ regnare festinauerunt inconsulta sapientia suæ senectutis? Cùm igitur de regnis illis, & de sanctis altissimi, quos illa regna bestialiter contriuerunt, loqueremur, ecce repente quæstionem feci de Machabais, qui pardi, quæ tertia bestia fuit, id est, regni Græcorum sauitiã cruentam, multis prælijs & materialibus armis repercusserunt, et exinde in Ecclesia Dei memoriã inclytã sibi acquisierunt, dixisti, Scire vellem certius, quæ causa sit, vt eorum bellicã defensionem nõ minus, quàm indefensam sanctorũ martyrum patientiã, in sancta Ecclesia legendo & cantando celebremus. Respondi ad hæc, Certamen illorũ & virtus militaris, cum auxilio Dei multum nobis & omni seculo profuit. Agebat enim Diabolus per Antiochũ, qui appellatus est Epiphanes, id est, nobilis, vt nulla esset memoria siue expectatio, vel fides eius repromissionis, quæ ad Abrahamum facta est, dicente Deo, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quid enim egit ille Antiochus? ædificauit abominandum idolũ desolationis super altare Dei, & per vniuersas ciuitates Iudeæ in circuitu edificauerũt aras, & ante ianuas domorum & in plateis incendebant thura, & sacrificabant, & libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, & apud quemcunq; inueniebantur libri testamenti Domini, & quicunq; obseruabant legẽ Domini, secundum edictum regis trucidabant eum. Nimirum hoc agendo fiebat, vt arbor bona succideretur, & radicitus extirparetur, ne bonus ex ea proueniret fructus, id est, vt genus Iudaicũ destrueretur, ne in semine Abrahæ, quod est Christus, omnes gentes benedicerẽtur, fieretq; irritũ, quod proposuerat & promiserat Deus. Defensa est radix, vt talis et tantus indè posset fructus fieri, atq; impleretur veritas Dei. Et idcirco Machabæi, per quos id effectũ est, iure nomẽ celebre possident in Ecclesia Dei. Similiter de Hester atq; Mardochæo sentiendum est: quia cùm diceretur vrso illi, Surge, comede carnes plurimas, id est, cũ Persarum atq; Medorum regi Assuero dixisset Aman, Decerne vt pereat gens Iudæorũ, & decem milia talenta appendam arcarijs gazæ tuæ, steterunt pro animabus suis & pro gente sua, ita vt versa vice in patibulo appenderetur Aman, quod Mardochæo parauerat, & decẽ filij eius cruci affigerentur, & per omnes prouincias vna die vltionis constituta, vindictam caperent Iudæi de hostibus suis. Cũ hæc & his similia respõdissem de illis, & de cæteris antiquis sanctis, per quorũ labores & bella necessaria fortiter eruit verbũ Dei, ne periret genus illud, de quo carnẽ assumere proposuerat, ad salutem generis humani, Tu vehementer delectatus ratione huiuscemodi, repent è in istam vocem erupisti, Scribe mihi librũ de victoria verbi Dei. Hoc idẽ repetens crebrò institisti, & nunc vsq; vehementer instare nõ desinis, putans quòd hinc, scilicet è terra sensus mei, thesaurum boni operis effodere possis secundum dignitatẽ tituli, quem præfixisti, vt vocetur liber de victoria verbi Dei. Verè res magna est, & ad eloquendum difficilis, imò & impossibile est, eam dignis verbis consequi, quia victoria magna est, & magnus Deus qui vicit. Verbum quippe Deus est magnus (inquam) & fortis est, qui vicit, & magnus hostis, qui victus est, magnum certamen, & magnæ causæ certaminis. Sed & hoc inferam, quia magna est dilectio tua, quæ ad istud me compellit, & magnus debet esse feruor sancti studij, ad placendum verbo Dei, per quod sumus facti & liberati, sinè cuius gratia nemo viuit. Adsit igitur ipsum verbũ, ipsa sapientia, quæ aperuit os muti, & linguas infantium fecit disertas, suaq; os meum laude repleat, vt cantem gloriam & magnitudinem eius, ita vt & tibi suggessisse, & mihi obtemperasse, & alicui legisse prosciat. Iam nunc opus hoc ingrediens, dignum arbitror ab ipso vocabulo exordiri, id est, in primis dicere summam causæ, cur vocetur, vel quid sit Victoria verbi Dei, &c.

Gen. 22.
1. Macha. 1.
Gala. 3.
Hester. 3.
Regnũ Dei
Daniel. 7.
Daniel. 7.
Gratia Dei sumus, id quod sumus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER PRIMVS.

Quid sit victoria Verbi Dei: quare, & propter quem Aduersarium, nempè Diabolum, hoc opus ita inscripserit. CAP. I.

Victoriam verbi Dei, effectum & opus perfectum dicimus propositi Dei, ad laudem ipsius omnipotentis & inuicti, quod neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia potuit vel poterit auertere, quin fieret & fiat, quod ipse proposuit & decreuit fieri. Quam verè laudabilis & magna sit ciusmodi victoria Verbi Dei, magis ac magis nos admirari faciet conlideratus diligentiùs ille hostis, qualis vel quantus sit, qui propositum eius auertere voluit, & adhuc contendit, cùm ceciderit, & toties victus sit. Qualis enim vel quantus ille est Draco magnus & rufus, habens capita septem & cornua decem. Draco (inquã) magnus, Serpens antiquus, vocatusq; Diabolus & Sathanas, orbis vniuersi seductor. Iste est Aduersarius verbi Dei, & cùm talis ac tantus sit, pugnando & repugnãdo rebellis, non potuit tamen, nec potest auertere propositũ Dei. Hæc est victoria Verbi Dei. Quia (secundum Apostolum) Deus quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis eiusdem verbi, eiusdem Filij sui, eosdem & vocauit, iustificauit, magnificauit per ipsum verbum suum carnem factũ, per ipsum Filium suum Deum & hominem Iesum Christum, cuius est victoria tanta, tam Nobilis, vt victo & confuso Dracone iam dicto, sedeat nunc à dextris Dei. In processu sermonis dicendum erit de illo tali Aduersario, cur vel vndè dicatur & sit Draco, vndè magnus, vndè rufus, quæ sint eius capita septem, & quæ cornua decem, vndè vel ex quo acceperit, vt Serpens mereretur vocari, vndè Diabolus, & quamobrem Sathanas vocetur, id est, Aduersarius. Nunc verò illud dicere præstat, quid sit ipsum Verbum Dei, vt videlicet principium, vel caput sermonis ornatum, vt dignum est, habeat sanctæ confessionis & adorationis.

Rom. 8.

Apoc. 12.

Rom. 8.

Draco. Serpens. Diabolus. Sathanas.

Quòd Verbum Dei sit Filius Dei, & quòd præmiũ cognitionis eiusdẽ sit, protectio Dei, propter quam & gratias agimus CAP. II.

Verbi huius Euangelista testis est amantissimus, cũ dixisset, In principio erat verbũ, & verbum erat apud Deũ, continuò subiunxit, & Deus erat verbum. Secundum huius Euangelij tutissimam Fidem, Verbũ Dei Deum esse credimus & cõfitemur Deo, apud quem erat in principio, consubstantialem. Credentes autem & confitentes adoramus cum Patre & Spiritu sancto hunc Deum, gratias agentes, quia meruimus nosse eum, quia videlicet cognitio eius magnũ habet præmium. Scriptum est enim de viro iusto, qui per Fidem cognouit eum, quoniã cognouit nomen meum. Nimirum, quia cognitio nominis eius magno præmio digna est, vt videlicet cognitor eius ab ipso protegatur. Loquitur Sapientia in Parabolis, desiderans vt diligenter cognoscatur. Quis suscitauit omnes terminos terræ? Cumque tu sinè dubio responderis, Deus, statim percõtatur & dicit, Quod nomẽ est eius, & quod nomen filij eius, si nosti? Sic percontante Sapientia, profectò tunc temporis in pleriscq; responsio deficiebat, imò præter pauciss imos diuinum atque Propheticum habentes spiritum, ferè nullus responderenouerat, q̃ eiusdem Dei nomen esset Pater, & quod Filius eius Verbum siue sermo vocaretur. Ipsa ergo sapientia, quæ percontata fuerat sapienter & discretè multumque temperanter suę percontationi respondet, ita vt margaritas ante porcos non proijciat. Sequitur enim, Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se. Idem namque est, ac si dicat, Nomen Filij eius sermo Dei est, & quĩ nouit ac diligit hoc nomen, sic eo quasi ignito protegitur clypeo. Benè ergo confortãs cognitorẽ sui, Protegã (inquit) eũ, quoniam cognouit nomen meum. Cùm igitur cognitionis eius tam magnum sit præmium gratias (vt iam dictum est) agimus ipsi, quia cognouimus & cõfiteri meruimus hoc verbum, magisque ac magis cognoscere cupimus ipsum, quia dum sumus in hoc corpore peregrini, visionem Diuinitatis cognoscere non possumus ad perfectum. Sed sicut ait Apostolus. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

Verbũ Dei. Ioan. 1.

Prou. 30.

Matt. 17.

Prou. 30.

Psal. 90.

1. Cor. 13.

Verbum Dei magnificè quidem per ὲpera, magnificentiùs verò per seipsum cognoscitur.

CAP. III.

QVomodo autem nunc ex parte cognoscitur? non tantũ vno modo cognoscitur, sed modis duobus. Cognoscitur enim ex operibus, & cognoscitur ex semetipso. Et magnificè quidem ex operibus, sed longè magnificentiùs cognoscitur ex semetipso. Quibus ex operibus cognoscitur? vtiq; ex omnibus quæ facta sunt, quia videlicet omnia per ipsum facta sunt, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim & Seraphim, cælum, terra, mare, & quæcunque in eis sunt, omnia per hoc verbum facta sunt. Ipse enim, scilicet Deus Pater, dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Si dixit & facta sunt, vtiq; per verbum facta sunt. Ex omnibus his cognoscitur hoc verbum, sicut cuiuscunq; artificis ex opere suo cognoscitur ingenium. Inde Apostolus, Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quę facta sunt, intellecta cõspiciũtur. Inter ipsa, quæ facta sunt, per quæ cognoscitur, quoniam per ipsum facta sunt, non parum admirationis facit ipse eiusdẽ verbi Aduersarius, quia ille quoq; per eũ factus est talis ac tantus, qualis vel quantus ex multis Scripturarum locis intelligi potest. Et ex illis maximè verbis ad B. Iob, quibus describitur mirabiliter dicente ipso: Qui sicut cætera, sic & illũ fecit per verbũ. Ecce Behemoth, quẽ feci tecũ, &c. vsq; ad illud, Non est super terrã potestas, quæ cõparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret. Inter cætera, inquam, per quæ hoc verbum cognosci debet, & illa mirabilis creatura & super ipsam celebrata eiusdem verbi victoria, magnificum dant omnipotentiæ vel fortitudinis eius experimentum, quam videlicet victoriam pro posse narraturi, primum ipsas demonstrare nitimur personas victoris atq; victi. Porrò ex semetipso magnificẽtiùs, vt iam dictum est, Verbum ipsum cognoscitur, quando gratia præcellenti dilectam cuiuslibet animam visitat fortiter, atque suauiter afficit, propriæ substantiæ contactu. Hæc talis cognitio siue experimentum valdè paucorum est. Deniq; præter Apostolos & Prophetas atque apostolicos viros, quorum vita summis virtutibus claruit, non facilè quis *existimare potest beatitudinis huius sortẽ *consequutos esse, vt anima eius adhuc degens in carne, saltem ad momentum aliquoties vim sensumque percipiat illius substantiæ fortissimæ: & qui sensit, qui tactus est illa fortitudine spiritus hominis, tacet de re huiusmodi, suumq; thesaurum silentio reuerẽter abscondit, quia ineffabile est, quod sentit. Dicit quiuis illorum, Factum est verbum Domini ad me, sed nõ dicit, qualiter affecta fuit in illa hora mens siue anima ipsa, quæ meruit aduentum verbi Domini ad se. Sed & frustra laboraret homo homini edicere.

Ioan. 1.

Psal. 150.

Verbum in æternum.

*existimari.

*consecutus.

Solos à Deo doctos, dignè verba Dei eloqui posse.

CAP. IIII.

FElix ille, qui taliter meruit bonum gustare verbum. Felix qui taliter meruit addiscere, quàm veraciter dictũ sit, Et Deus erat verbum. Scriptum est enim, Beatus homo, quem tu erudieris Dñe, & de Lege tua docueris eum. Illum eruditum Dominus, & eruditus est, docuit eum, & doctus est. Doctus ad militiam, eruditus ad pugnam. Ille homo per similitudinem equus est, vt dicitur ad beatum Iob, Equus nobilis, cuius Dominus fortitudinem præbuit, cuius collo hinnitum circundedit, cuius narium gloria terror est, qui tanto sessore confisus exultat audacter, & contemnit pauorem, neque gladio cedit: imò in occursum pergit armatis, videlicet cunctis capitibus draconis, cunctisque membris eiusdem aduersarij verbi Dei. Fortis est enim Deus, qui tetigit illum, imò & ipsa fortitudo est verbum Dei, nec solũ fortitudo, verùm & sapientia est vnum idẽque verbum. Inde & fortis & sapiens effectus est, quisquis talem eius meruit aduentum. Fortis est, ita vt etiam contemnat mortem. Sapiens, ita vt rectum & benè sonantẽ loquatur sermonem. Nec mirum, quomodo enim nesciret loqui, cui Deus verbum suum communicauit, qui ipsam verbi substantiam gustauit? Idcirco dignum est, vt verba eius verba Dei, & verba Dei verba eius consueuerunt dici. Veruntamen hoc vnum singulare verbum solius Dei, & non etiam cuiuslibet, dicitur aut est verbum hominis. Diligenter animaduertendũ est, non nihil differre cùm legimus vel audimus in singulari numero, verbum Domini, & plurali numero, verba Domini. Verbum namque hoc singulare Diuina substãtia est, substantia non facta, neq; creata Et idcirco verbum dicitur, & est solius Dei. Verba autem quæ in Scripturis sanctis legimus vel audimus à Deo per hoc verbum effecta, & per hominem administrata sunt, & idcirco aliter verba Dei, aliter rectè dicuntur verba cuiuslibet hominis. Vndè notandum, scriptum quidem sic esse, Verba Hieremiæ filij Helchiæ, & verba Amos, qui fuit in pastoralibus Thecue. Nusquam autem scriptum esse, Verbum Hieremiæ, siue verbum Amos, siue verbum alicuius cæterorum, nisi ita duntaxat, Verbum Domini, quod factũ est ad illum vel illũ, Verbum quippe Deus est, & nõ est alicuius, nisi solius Dei verbũ.

A Deo docti.

Ioan. 1.

Psal. 93.

Iob. 39.

Fortes & sapientes facit verbum Dei.

Verbũ, & verba Domini.

Hiere. 1.

Amos. 1.

Magnificentiam victoriæ Verbi Dei omni laude maiorem esse. CAP. V.

NOs, qui tali modo verbũ hoc nosse nec dũ meruimus, quo (vt iã dictũ est) ex semetipso cognoscitur, vtinã saltẽ illo priore modo, videlicet q̃ cognoscitur, ex operib. nosse mereamur. Ad hãc intentionẽ, ad hoc studiũ, vt feruentior essẽ, tu me Patrũ amantissime sedula cõmonitione magis ac magis excitasti: suggerendo, vt hoc opus inirẽ, De victoria verbi Dei. Hęc. n. operũ eius pars, est pars optima & pclarissima, cui videlicet operi ad laudẽ & gratiarũ actionẽ referẽdã, nulla omninò lingua sufficiat. Cæterũ de o-

Universidad de Deusto
Biblioteca

peribus cæteris, de creatura mundi, de mysterijs huius verbi legalib. Propheticis, atq; Euangelicis, & de gratia Spiritus S. iamdudum egi, quod potui, parũ nimisq; exiguũ sentiens, quicquid potui secundum quantitatem vel dignitatẽ rerum quas proposui, iuxta illud sapientis, Glorificãtes Dñm quantumcunq; potueritis, superualebit adhuc & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum po- *Eccles. 43.*
testis. Maior est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim peruenietis. Quis vidit eum & enarrauit, & magnificauit eum sicut est ab initio? Multa absconditа sunt maiora his, Pauca enim vidimus operum eius. Cùm sic ille dicat, & ita sit, quid de meipso censeam, siue in illa parte operum eius, quam prædixi, in qua glorificare, benedicere, & exaltare illum intendi: siue in ista parte, quam nunc tu mihi proposuisti, id est, In victoria qua Diabolum vicit. Multũ inualidum & elinguẽ ad tantam rem me esse fateor. Sed quoniam propositio est de ipso Verbo, verba mihi nascitura esse nõ incõgruè spero. Faciãigitur secundũ iam dictam exhortationẽ sapientis, vt exaltem quidẽ in victoria sua verbũ Dei, quantum potuero, & prout ipsum donauerit. Veruntamen scio & confiteor, quòd victoria eius maior sit omni laude, neq; laborem, quia non perueniam vt possim rem dictis exequare, vel ipsũ sicut est magnificare.

Quibus nominibus, & quare Hostis verbi Dei in Scripturis nominetur, & quid sint septem capita draconis. CAP. VI.

Apo. 12. Draco. Serpens. Diabolus. Satanas.

IAm nunc verbi huius aduersarius agnoscendus est ex suis nominibus. Dicitur in Apocalypsi, Draco magnus, Draco rufus, habens capita septẽ, Serpens antiquus, vocaturq; Diabolus & Sathanas. Vocabula hæc reciproca sunt. Neq; enim priùs fuit causa illa, propter quã dicitur Draco, quã illa, cuius intuitu dicitur Serpens antiquus: neq; priùs accidit, cur vocaretur Diabolus, quã fieret ipse sathanas i. Aduersarius, imò priùs extitit siue accidit, cur vocaretur Sathanas, deinde cur Diabolus, deinde cur Serpens antiquus, deinde cur Draco tot capitũ, Draco magnus, Draco rufus. Deinde ex eo Sathanas dicitur, & est, ex quo aduersari cœperit Verbo Dei, & inter Angelos seditionẽ fecit turbator pacis, rebellisq; lumini, & deinde siue proinde acceperit sententiã, iuxta quã dicitur Diabolus. i. deorsum fluens. Vnde Dns, Videbã (inquit) Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Post hæc egit, cur meritò vocetur Serpens antiquus, videlicet quando primũ decepit hominẽ, serpentẽ ingressus. Deinde proficiens in peius, egit cur vocetur draco: & non qualiscunq;, sed draco magnus, draco rufus habens capita septem, quando qui antiquitus seducere per fallaciã consueuerit vniuersum orbẽ, addidit cũ fallacia vim quoq;, qua Reges & Principes, ac superbos homines instigans ad persequendum & occidendũ electos propter verbum Dei, quod primũ cœpit agere statim vbi ad Abraham facta est repromissio beati semi- *Gen. 22.*
nis, q̃ est Christus, in quo oẽs gentes benedi- *Exod. 1.*
cendæ sperabantur. Hoc fieri cœpti est per *Capita draconis.*
Pharaonem Regẽ Aegypti, qui primũ pueros Hebræorũ masculos in aqua necari iussit. Regnũ ergo Aegypti primùm draconis *3. Reg. 18.*
huius caput fuit. Secundum caput Draconis, Regnum Israel fuit, scissum propter peccatum Salomonis, quibus temporibus Iesabel cũ Rege Achab & Atalia filia ipsorũ, regesq; alij tam in Samaria, quã in Hierusalẽ Prophetas verbi occiderunt. Tertiũ caput fuit Regnum Babyloniorũ, qui Hierusalẽ & templum (quod tunc erat vnicum nomi nis Dñi) succenderunt, tresq; pueros in for- *Dani. 3. 6.*
nacem ignis, & danielem miserunt in lacũ *Hester. 2.*
leonum propter verbũ Dei. Quartũ caput *1. Macha. 1.*
fuit Regnũ Persarũ atq; Medorum, qui vni- *2. Mach. 9.*
uersum genus Iudæorum, vnde verbum erat incarnandũ, vna die delere voluerunt. Quintum caput Regnũ fuit Græcorum, cuius videlicet Regni Rex impudens Antiochus, Verbi siue Legis dei memoriam omnem delere volens, inter cætera scelera crudelia, septẽ fratres cũ matre ipsorum nimis atrociter interemit. Sextũ caput, Regnũ fuit Romanorũ, sub quo hoc verbum incarnatum in crucem ascendit per Pilatum, & per manus Romanorum Martyres eius innumerabiles occisi sunt. Septimum caput erit Antichristi Regnum.

Quare Diabolus Draco nominetur, & quando incepert primũ exerere cornu, & q̃ agnus (id est, verbum Dei) totidẽ habuit cornua. CAP. VII.

IGitur à tempore Pharaonis, Draco cœpit haberi, qui iam Serpens erat, ex quo primum hominẽ per serpẽtem decepit. Quòd si auctoritas requiritur, apud Eze- *Ezech. 29*
chielẽ dicit Dñs, Ecce ego ad te Pharao Rex *Draco.*
Aegypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorũ & dicis, Meus est fluuius, & ego feci memetipsum, &c. Nimirũ dum in persona Pharaonis Diabolũ arguens, dicit ei Draco magne, satis constat, quòd à tẽpore eiusdem Pharaonis illud agere cœpit, vndè mereretur draco vocari. Nã eatenus non persequebatur violenter, tantummodo seducens fraudulenter. Econtrà simul considerandum, quia tunc etiam illud celebratũ est, propter quod verbũ Dei consueuit Agnus appellari. Ille namq; Pharao ty- *Agnus.*
pus Diaboli, draconis magni, multis plagis fatigatus, tandẽ victus per immolationẽ Agni, dimisit populum Dei. His animaduersis pulcherrimum est etiã illud reminiscì, quia quot sunt illius Draconis capita, totidẽ sunt huius agni cornua, sicut scriptũ est in eodem *Cornua Agni.*
Apocalypsis libro, in quo legitur draco tot habere capita, Et vidi in medio throni, & *Apoc. 5.*
quatuor

quatuor animalium & seniorum Agnum stantem tanquã occisum, habentẽ cornua septem, &c. Magna & mira sunt hæc Scripturarum sanctarũ sacramenta, de quibus in ordine dicendum erit, prout Verbum ipsum sua donauerit gratia. Nunc altiùs recurrere libet. s. ad initiũ duelli, quo primùm Satanas ille consurrexit aduersus Verbum Dei, & victus de cælo cecidit. Libet etiam in primis quærere, quantum de sacris poterit Scripturis cõijci, quæ causa inimicitiarũ fuerit, vel qualẽ hostis ille materiã habuerit supbiẽdi.

Quòd causa rebellionis fuerit superbia, & quæ fuerint causæ superbiendi. CAP. VIII.

SAtanas veras aduersus Dei verbum causas inimicitiarũ nullas habuit, sed falsas confinxit. Habuit autem materiam superbiendi, speciositatem, scientiam, & magnitu- *Ezech. 31.*
dinem propriæ conditionis. Speciosus namque & pulcherrimus conditus fuit, quod & ipse conditor testatur, cùm apud Ezechielẽ dicit. Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus. Eratq; pulcherrimus in magnitudine sua, omne lignum paradisi Dei non assimilatũ est illi & pulchritudini eius, quoniã speciosum feci eum. Hęc de pulchritudine eius. Porrò scientiam eius multam ibidem hoc modo significat. Aquæ nutriuerunt illum, abyssus exaltauit eum, flumina eius, manabant in circuitu radicum eius, & riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis. Manifestiùs quoque in eodem Propheta, dum sub nomine Principis Tyri denotatur, scientiamque (per aquas intelligi solet) in eo fuisse pronũ *Ezech. 28.*
ciat, idem Deus simul cum pulchritudine, de qua dictum est. Plenus (inquit) sapientia, & perfectus decore in delicijs paradisi dei fuisti, tu Cherub extentus & protegẽs. Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur. Quòd tertium erat, id est, magnitudo eius, per hoc satis exprimitur, quòd illic dicitur, extentus & protegens. Ampliùs au- *Ezech. 31.*
tem per illud, quod loco suprà memorato, cùm dixisset: Ecce Assur quasi Cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, addidit, excelsusque altitudine. Et post pauca, Cedri (inquit) non fuerunt altiores in illo paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, & platani non fuerunt æquales frõdibus illius. Per metaphoram, sinè dubio, cedri & platani, & abietis, quæ non adæquauerunt summitatem eius, Angelicæ, siue Archãgelicæ dignitates intelliguntur. Fuit ergo pulchrior & speciosior cæteris, quia omne lignum (inquit) paradisi dei non est assimilatum illi & pulchritudini eius, quoniam speciosum feci eum: fuit & maior & altior, quia abietes non adæquauerunt summitatem eius: Fuit & scientior, quia riuos suos per quos scientia designatur, emisit ad vniuersa ligna regionis iste Cherub. Hæc tria quisque perpendens, scilicet, magnitudinem, scientiam, & pulchritudinẽ eius, clariùs agnoscit, cur dum contra eum sub nomine Principis Tyri inuehatur Pro- *Ezech. 28.*
pheta ex persona Dei, Tu, inquit, signaculũ similitudinis. Cuius enim similitudinis, nisi sanctæ & adorandę Trinitatis signaculum, secundum hæc tria, fuit? Sancta quippe Trinitas ipsa est magnitudo, sapientia & pulchritudo. Magnitudo namq; Filij & Spiritus S. Pater est. Sapientia Patris & Spiritus sancti, Filius est. Pulchritudo Patris & Filij, Spiritus sanctus est, quia magnitudine, sapientia, & pulchritudine participauit (teste Scriptura) plus cæteris. Per hoc ipsum aliquatenus claret, cur dictus sit signaculum similitudinis. At ille vecors, cùm in tanto honore esset, non intellexit, & hæc omnia vertit in materiam superbiendi. Non suffecit ei tanta largitas Creatoris, nisi idem diceretur vel existimaretur de ipso, quod de Deo, nisi appellaretur Deus, nisi adoraretur ab Angelis vt Deus, nisi prędicaretur & ipse increatus. Neq; gauit quippe Deũ esse Creatorẽ suũ, & dixit se esse Deũ. Sic enim in Propheta suprà memorato, dum sub nomine Pharaonis illi exprobrando dixisset Dominus Deus: Ec- *Ezech. 29.*
ce ego ad te Pharao Rex Aegypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum statim subiunxit, Et dicis, Meus est fluuius, & ego feci memetipsum, dixit se esse increatum, negauit Deum esse Creatorem suum, *Ezech. 28.*
& sub nomine Principis Tyri dicit idem Dominus Deus contra eum: Eleuatum est cor tuũ, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei.

Quòd per superbiam factus sit mendacij pater, et quodnam fuerit illud mendacium ex literis prophetis. CAP. IX.

ECce hoc est mendacium, quòd iste Diabolus genuit, cuius patrem hunc esse, pronunciauit Dominus Iesus Christus veritas *Pater mendacij.*
& verbum Dei, dicens Iudæis, Vos ex patre *Ioan. 8.*
Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in *Ezech. 28.*
veritate non stetit, quia nõ est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius, subauditur mendacij. Hoc fuit initium duelli, principium certaminis, quòd tale mendacium locutus est ex proprijs. Ex proprijs, inquam, quia non sic res se habuit quomodo dixit, Ego feci memetipsum, Deus ego sum. Genitura ista cordis eius, contraria est genituræ cordis vnius & solius Dei, cõtraria verbo Dei, veritati Dei. Hoc est inimicitiarum exordium, & istæ inimicitiæ naturales sunt. Naturaliter quippe dissentiunt Veritas & *Veritas.*
mendacium. Veritas est verbum Dei, Men- *Mendacij.*
dacium est nihil. Verũtamen istud Nihil ad illud constituit, vt qui aliquid erat, qui magnitudinis sapientiæ, & pulchritudinis multum habebat, in alterum versus sit ita, vt iã neq; magnus, neq; sapiens, neq; pulcher pos-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit esse vel dici. Nempe adeò magnus esse desijt, vt sit quasi cinis. Nam dabo te, inquit Dominus, ô Cherub in cinerem, super terram in cõspectu omnium videntium te.
Ezech. 28. Sapiens esse desijt. Nã perdidisti, inquit Dominus, Sapientiam tuam. Pulcher esse desijt. Nam perdidisti, ait, sanctificationem tuam. Sed reuertamur ad ordinem. Nõdum enim totum audiuimus sacrilegium superbiæ eius, quod perpetrauit adhuc in illa magnitudine, sapientia, & pulchritudine conspicuus, propter quod & sic miser factus est, bonis illis expoliatus.

Satanam suo ipsius mendacio deceptum, cæteros Angelos despexisse, maiestatemq; & æqualitatem Dei ambuisse. CAP. X.

Ezech. 28. Esaiæ 14. VBi mendax ille mendacium illud locutus est, Ego feci memetipsum, & deus ego sum, deliberauit adhuc apud se, & proposuit, dixitq; in corde suo: Ascendã super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Nimirum nubium nomine, cæteros omnes Angelos cognominauit, fortasis ob magnitudinem & pulchritudinem suã, quia non paruus erat in oculis suis, tantò omnes Angelos semetipso viliores iudicans, quantò nubes, licet aliquatenus candidæ vel lucidæ, obscuriores sunt pulchritudine lucisferi.
Esaiæ 14. Lucifer namque volebat se haberi. Vnde & cum improperio ei dicitur: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Profectò quia vbi dixisse legitur, Ascendam super altitudinẽ nubium, ibidẽ quando cum exprobratione lucifer nuncupatur, datur intelligi, quòd cæteros Angelos in corde suo quasi nubes reputauerit, arbitrans de semetipso, quòd esset tanquã lux
Esaiæ 14. qua nubes indigẽt vt illustrentur. Sed illud occurrit, quòd ibidem vtrunque dixit. Super astra Dei exaltabo solium meum, & ascendam super altitudinem nubium. Ad q̃ dicendum, quòd neque astra hæc visibilia, neque nubes tunc erant, & idcirco per astrorum & nubium vocabulum intelligi oportere ordines Angelorum, quos ille, quamuis essent astra Dei, reputabat nubes compa
Iob 40. ratione sui. Cæterũ quoquo modo hæc dixerit, illud constat, quòd despectui cunctos habuit. Nam omne sublime videt, & ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Quid tandem est quod ait, Ascendam in cælũ super astra Dei super altitudinem nubium. Nonne in cælo erat, & propter hanc superbiam
Ezech. 31. de cælo cecidit ille Satanas? Nónne super altitudinem nubium eiusmodi ascenderat, cũ (sicut iam dictum est ex alio Propheta) abietes & platani, per quas intelligunt, quòd eædem altitudines Angelicæ dignitatis non fuerint æquales frondib. illius nõ adequaue runt summitatẽ eius in paradiso Dei. Aliũ ergo ascensum oportet intelligi, videlicet ascensum cordis non corporis, ascensum honoris nõ loci. Ex abundanti est astruere pro uectionem honoris ascensum rectè dici, cũ in scholis quoque pueri lectitent, Ducẽ nobilem dicentem militibus suis: Quò potuit ciuem populus perducere liber. Ascendi, su Ezech. 28. pra q; nihil nisi regna reliqui. Quod dixit, Ascendam, tumor fuit ambitionis, quia qui dicebat, ego feci memetipsum, Deus ego sum, consequenter sic ambiebat ascendere in cælum, vt cæli teneret imperium, sic exaltare super astra Dei solium suum volebat, sic ascendere super altitudinem nubium, vt adoraretur & honorificaretur concentu Angelorum tanquã Deus & Dominus ipsorũ. Hoc enim habet suprema dictio siue dictionis eius cõclusio. Nã ac si aliquis quereret. In q̃ ascendes? Ero (inqt) similis Altissimo.

Satanam suum ipsius mendacium & cæteris Angelis prædicasse, persuasisseq;, nonnullis, vt se pro Deo haberent. CAP. XI.

Ezech. 28. 29. QVomodo hoc autem fieri posit, nisi ipsorum consensu Angelorum? Vt igitur in rem procederet, qd̃ apud se habebat huiuscemodi cõsilium, cœpit prædicare semetipsum omnibus Angelis, confidens vt erat plenus sapientia, quod efficaciam haberet ad persuadendum, vt crederetur sibi dicenti. Ego feci memetipsum, deus ego sum.
Ezech. 31 Qualescunq; sunt illę linguę Angelorum, nimirum constat eum hoc de semetipso prędicasse, quod in eum propheticæ Scripturæ veritatis testatę sunt. Nec verò vtcunq;, sed magna scientiæ, qua plenus erat, arte, prædicabat omnibus Angelorum cœtibus, deum se esse. Quid enim aliud, per illud innuitur, quòd loco supra memorato, inter cætera, q̃ Dominus dicit, contra eum sub nomine Assur? Flumina eius (inquit) manabant in circuitu radicum eius, & riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis, & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis multis Riuos namq; suos emisit ad vniuersa ligna regionis. Quia sapientiã suam multam effundendo, vniuersas Angelorũ multitudines circunuenire & in sententiam suam deducere laborauit, vt apud illos tanquam Altissimus haberetur, & adoraretur vt Deus. Et eleuati sunt rami eius, prę aquis multis, quia maior quàm erat, cœpit haberi apud maximam partem Angelorum, præ multa sapentia, qua sese commendauit, de quibus post aliqua sic dicit. Et æmulata sunt Ezec. 29. eum oĩa lingna voluptatis, q̃ erant in paradiso Dei. Notandũ, quid vel qualiter dixerit, quia nõ ait, Et æmulata sunt eum oĩa ligna regionis, sed æmulata sunt eum oĩa ligna voluptatis. Et misit quidẽ riuos suos ad omnia ligna regionis, sed æmulata sunt eũ tantummodo oĩa ligna voluptatis. Quia cũctos quidem Angelos per suam sapientiã decipere, & ad suum fauorem deducere tentauit. Sed adulati sunt ei tantũmodo spiritus illi, qui gloriam suam quærebant, non Dei, quos delectabat seruire potiùs creaturæ, quàm creatori.

Ezech. 31. tori. Ita esse vel maximè liquet ex eo, quòd tandem dicitur ei. Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam, in medio circuncisorum dormies cum his, qui interfecti sunt gladio.

Sathanam neminem creationis & conditionis suæ conscium putasse, ideoq; nullius contra se testimonium veritum fuisse.

CAPVT XII.

QVem putaret posse esse ex omnib. Angelis, qui dicẽte ipso, Ego creatura dei non sum, ego à nullo factus sum, sed ego feci memetipsum, obuiaret & diceret: falsum tu loqueris? Quẽ timeret posse inueniri te-
Ioan. 3. stem Dei, qui testificaretur, & diceret, ille te fecit? Verus nanq; ille testis est, & certus, qui quod vidit & audiuit, hoc testatur. At verò cunctorum spirituũ siue Angelorũ nullus vidit, vel audiuit, quãdo illũ fecit Deus. Nullus quippe ex omnib. adhuc fuerat conditus, oés minores sunt, hic primus erat. Te
Iob 40. statur hoc ipse Deus, qui ad B. Iob illum mirabiliter describens. Ipse (inquit) principiũ est viarum Dei. Eliphas quoq; Themanites, dum de eodẽ iusto viro nimis malè sentit, putans eum contra Deum superbire, & imitari linguam blasphemãtium. Nunquid (ait) primus homo es tu, & ante colles formatus? Idem em̃ est ac si diceret. Sic eleuat te cor tuũ, & sic tumet contra Deum spiritus tuus, vt imitari videaris Adã, qui superbiæ spiritu deceptus, perijt, imò & Diabolũ qui
Iob 15. ante colles. i. ante cæteros Angelos formatus, contra Creatorẽ superbiuit. Cũ igitur nullum haberet ex omnibus Angelis consciũ suæ creationis, qui dicere posset, ego vidi vel audiui (eò q̃ primus ipse cõditus fuerit) quẽ putaret stare posse contra se testem Dei? Quis reuelaret facié indumenti eius? & in mediũ oris eius quis intraret? portas vultus eius quis aperiret? Nimirũ arbitratu eius nullus erat qui posset eum arguere esse mentitum, & conditionis eius præferre iudicium.

Solius verbi Dei testimonio conuictũ Sathanam, & eiusdem verbi Dei testimonium non latuisse cæteros spiritus.

CAPVT XIII.

Solũ verbũ Dei testimonium perhibet veritati

SEd ecce in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deũ. Hoc
Ioan. 3. verbũ, hic Dei testis esse debuit, & testis esse potuit verus & idoneus, quòd Sathanas ille falsus esset, quòd mendacium loqueretur.
Ioan. 1. Nam ipse est super omnes, ipse ante omnes, & quod vidit & audiuit hoc testatur. Quid autem non vidit, aut quid non audiuit, qui omnia vidit cũ fierent? Imò omnia vidit & audiuit antequam fierent? Nam omnia per ipsum facta sunt, &, quod factum est in ipso vita erat. Vidit ergo illum quoq; Angelum summum cùm fieret, vidit & audiuit antequam fieret, & idem per ipsum factus est. Proinde poterat testari de illo superbo, quòd esset falsa locutus, quòd esset factus vel creatus. Cùm itaque riuos suos emitteret (vt suprà iam dictum est) ad vniuersa ligna regionis mittebatur. Econtrà, verbum hoc fons viuus & verus, qui apud Deum erat, iuxta illud, Quoniam apud te Psal. 18. est fons vitæ; Mittebatur (inquam) ad irrigandum eadem ligna regionis, id est, ad instruenda spirituum agmina cognitione veritatis. Talis namque fons est hoc verbum, vt sit etiam lumen cordium illuminans ocu Verbũ Dei los mentis ad illuminandum & videndum, Fons. non solùm quæ præsentia, verumetiam quæ præterita & quæ futura sint. Vnde cũ dictum esset, quod præmisimus, Quoniam Lumen. apud te est fons vitæ, continuò subiunctũ est, Et in lumine tuo videbimus lumen. Huius rei sufficiens habemus experimentum in hominibus sanctis, ad quos factum est verbum Domini, qui & proinde videntes dicti sunt, quia in isto lumine sic viderunt lumen, vt cùm eatenus fuissent nonnulli ex ipsis homines sinè literis, imò pastores, vt Amos & Dauid, repentè fierent li Prophetæ terati, & prudentes eloquij mystici, & inter cur videre pretes cælestium secretorum miri & magni fici. Nónne etiam homines huiusmodi inter cætera quoque conditionem & præsum ptionem viderunt illius Sathanæ, id est, Ad Apostoli et uersarij, quem & descripserunt per figuras Prophetæ il & tropologias mirabiles: nunc, sub nomi literati. ne Pharaonis: nunc, sub nomine Assur: nũc, sub nomine Principum Tyri, cæterorumq; superborum principum huius seculi, qui illum sunt imitati. Itaque saltem secundum exemplum hominum Prophetarum huius verbi Domini perspicuum nobis sit, quia electi Angeli per infusionem eiusdem verbi scierunt, nec quasi incertum senserunt, sed claro lumine viderunt illud, quod erat prę teritum, scilicet & quòd, sicut ipsos iuniores ita fecisset vnus Deus illum primum. Hoc erat verbum, & fideli verbi testimonium: verbi, quod erat Deus, qui non in incerto quicquam loquitur, sed quod vidit & audiuit, hoc testatur. Testimonium eius Spi
Ioan. 3. rituũ pars quædam accepit, pars quædam Deut. 32. non accepit. Pars quæ testimonium eius ac- Ezech. 28. cepit, signauit, quia Deus verax est, dicens, 29. Videte quòd ego sum solus, & non sit alius deus præter me. Et Sathanas ille mendax est, q̃ dixit Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, & meus est fluuius, ego feci memetipsum, & cætera huiusmodi.

Partem, Spirituũ, superbia & inuidia depranatos, testimoniũ Verbi Dei non recepisse, partem, humiles & obedientes in veritate perstitisse.

CAPVT. XIIII.

PARS testimonium eius non accepit, sic est inexcusabilis, vt ille idem Princeps & pater mendacij, qui cõtra propriam conscientiam mentitus est, dicendo, se esse quod non erat, negando se esse quod erat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihilominùs nanq; & ipſi omnes ſcire potuerunt, verum eſſe verbi Dei teſtimoniũ, ſed rebelles lumini. i. eidẽ verbo extiterũt propter ſuperbiã, ſeu propter inuidiã, cuius vidélicet ſuperbiæ ſiue inuidiæ nunc vſq; prouerbium vſitatum eſt. Ob derogationẽ melioris ſemper fauere peiori. Hoc illi Spiritus qui dicuntur & ſunt maligni, ſinè dubio fecerunt. Inuidentes nanq; meliori, imò ſoli bono Creatori, malum & mẽdacẽ Sathanã, id eſt, Aduerſarium eius ſuis fauoribus extulerunt, teſtemq; eius, Verbũ eius oderunt & repulerunt, vt puta quorum ſecundũ exemplum maligni quoq; homines eidẽ Dño Iob 1. Deo dicere ſoliti ſunt, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Taliũ Spirituum maximè Iudæi imitatores fuerunt, de quibus nõ recipientib. teſtimonium ſuum, ait idipſum Dei verbum. Nunc autẽ & viderunt & oderunt, & me & Patrẽ meum. Superbiã atq; ſtultitiã illorum quidã pulchrè declamauit, tũ præmiſiſſet, O Iſrael, quã magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſsionis eius, magnus & nõ habet conſummationẽ, excelſus & immenſus, ita ſubiunxit, Ibi fuerunt Gigãtes nominati illi, qui ab initio Ioan. 15. fuerunt ſtatura magna, ſcientes bellum. Nõ hos elegit Dñs, neq; viã diſciplinæ inuenerunt, propterea perierunt, & quum nõ habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuã inſipiẽtiã. Profectò ſuperbiã illorum nomine Gigantium congruè ſignauit. Inſipien- Baruch. 3 tiã aũt pròprio vocabulo expreſsit. Magnitudinem quoq; immanitatẽ rebellionis eorum, quã contra veritatẽ rebellauerunt miro modo, tã propriè, quã breuiter expoſuit, dicendo, Scientes bellum. Porrò ſanctorum Spirituum, qui (ſicut iã dictũ eſt) verbi Dei teſtimonium acceperunt, ſapientiã, humilitatẽ, atq; obedientiam ſubinde pulcherrimè expreſsit, dicens, Stellæ autẽ dederunt lumẽ in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt, Aſſumus, & luxerunt ei cum iũcunditate. Deinde contra Principem illum Baruch. 3. malignorum, qui dixit, Deus ego ſum, veraciter intulit dicẽs, Qui fecit illos hic Deus noſter eſt, & non æſtimabitur alius ad illũ.

Sathanam propter teſtimonium Verbi à Deo damnatũ, à ſanctis Angelis gladio verbi Dei debellatũ, & è cælo deiectum eſſe. CAPVT XV.

IGitur quia Gigantes erant, quia ſcientes bellum erant, id eſt, quia ſuperbi erant, & tota intentione Creatori rebellabant, decebat eum qui fecerat eos, vt tam contra ipſos Ezech. 31. quã contra Principem eorum, æquam proferret ſententiam, & oſtenderet in illis fortitũdinem ſuã. Sententiam ipſam nomine gladij, loco ſuperiùs memorato per Prophetã contra Aſſur deſignat, cũ dicit, Cui aſſimilatus es, ô inclyte, atq; ſublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es ad terrã vltimam in medio circunciſorum, dormies cum his qui interfecti ſunt gladio. Eandẽ ſententiam damnationis, licet illic per gladium intelligi, cùm dicitur in Apoc. de beſtia quæ de mari aſcendit, quia habet plagam gladij, & vixit. Plagam nanq; gladij habet beſtia, & viuit, quia ſententiam damnationis Diabolus in cælo accepit, & adhuc ſuperbit, ac ſemetipſum defendit. Itaque gladio percuſſus eſt, cũ lignis voluptatis. i. ſententia verbi Dei, damnatus eſt cum Angelis ſequacib. ſuis. Damnatus autem per iuſtiſsimum verbi Dei iudicium, ſtatim de cælo proiectus eſt, per miniſterium ſanctorum Angelorum, victoriæ verbi Dei militantium. Sed quæ vel qualia fuerunt vel ſunt arma, quibus illi ſpiritus in illo prælio vſi ſunt? Non vtique arma materialia fuerunt, ſed omnis armatura eorum fuit & eſt ipſum Dei verbum. Ipſum (inq) Dei verbũ rebellib. illis Spiritibus vim ſuã per Angelos ſanctos intentans per ſemetipſum perfecit victoriam. Ignis quippe eſt Dei verbum id eſt, ſic intolerabile impijs, ſpiritib. malignis, vt eſt infirmis corporibus ignis viſibilis. Hinc in Parabolis ſcriptũ eſt. Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperãtibus in ſe, Et Pſalmiſta dicit, Ignitũ eloquiũ tuum vehemẽter Itẽ, ſicut fluit cæra à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Igitur nõ qualibuſcunq; armis Diabolũ, & Angelos eius debellauerunt ſancti Angeli, ſed igne ardente. In ipſis nãq; eſt verbum Dei. Etenim ignis iſte intolerabilis quidẽ eſt impijs & odientib. ſe, ſed blandus & ſuauis eſt pijs & diligẽtibus ſe. Idcirco apud Prophetã ſuprà memoratũ Angeli ſancti lapides dicũtur igniti. Sic enim ſcriptum eſt, Et poſuit te Ezech. 28. in mõte ſancto Dei, in medio lapidũ ignitorũ ambulaſti. Et ſubinde aît, Et peccaſti, & eieci te de mõte ſancto Dei, & perdidi te ô Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.

Arma populi Dei.
Verbũ Dei ignis.
Prou. 30.
Pſal. 118.

De eo quod in Pſalmis ſcriptum eſt: Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? extunc ira tua.

CAPVT XVI.

EX eo ſatis liquet, quã veraciter Pſalmiſta dicat, Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? extunc ira tua: q̃ idẽ eſt, ac ſi dicat: Nõ ex quo quiſq; peccat, ſed ex quo tibi reſiſtit peccator, (quod ille primus fecit) ira tua vim ſuã exercet, cui reſiſtere nemo poteſt. Pſal. 75. Et quis rectè conſiderãs tantã terribilis Dei nõ pertimeſcat iram? Ille qui videbatur ſibi fortiſsimus, ſic inter Angelos, quorũ volebat eſſe dñs, quaſi cæra, vel tanq̃ ſtipula inter flãmas inualidus eſt inuẽtus. Quis hoc in laudẽ verbi Dei nõ admiretur? Cõſideretur diligentiùs litera prophetalis qũo in eum declamat. Præmiſerat dicẽs, Omnis lapis preciõſus operimẽtũ tuũ, ſardi⁹, topazius, iaſpis, chryſolitus, onix, berillus, ſaphyrus, carbũculus & ſmaragdus. Poſt hęc ita ſubiunxit, Ezech. 38. Repleta ſunt interiora tua iniq̃tate. & peccaſti, & eieci te de mõte Dei, & pdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorũ.

Nouem

Nouem pretioſos lapides, per quos nouem Angelorũ intelligimus ordines, quos velut operimentum ſibi vſurpabat ad ornatũ & obſequium ſuũ, lapides ignitos appellauit. Nõne hæc dicendo, mirabilẽ euentũ prædicauit? Velut ſi quis latro vel prædo pallium vel tunicã rapiat & induat, ſtatimq; in loricã ſiue thoracẽ ignitã cõuertatur illi. Verè igitur tu terribilis es Deꝰ, & nemo reſiſtit tibi. Nã vbi reſiſtere tibi qs audet, extũc ira tua, quæ non poteſt portari. Ille tã magnus, tam robuſtus, dum à facie tua effluxit, ſicut fluit cæra à facie ignis, terribiliter in ſemetipſo expertus eſt, & omnib. pro experimẽto ſufficit quòd tibi nemo reſiſtere poſsit. Verũtamen cũ legimus vel audimus, extunc ira tua, ſeu quodlibet aliud eiuſmodi, non intelligimus, nec intelligere debemus de deo impaſsibili, q̃ in eũ cadẽt motus animi, q̃ ſignãtur vocabulo iræ vel furoris. Ipſe nanq; ſua uis ſemper in tranquillitate omnia diſponit, ſed creatura corrupta, ſuoq; vitio turbata, ipſam Creatoris ſuauitatẽ atq; tranquillitatẽ malè & pœnaliter ſentit. Inde eſt, quòd vno eodemq; tempore vel momento, & lapides ſupradictos, qui incorrupti ſunt, illuſtrat, & non vrit, & aduerſarios illorũ vrit, & nõ illuſtrat, qui ſunt corrupti, & à natura bona degeneres. Hoc licet ſatis per ſemetipſum intelligibile ſit omni ſenſato homini, iuuat tamen adhuc per notam ſimilitudinem indagando meliùs intueri.

Affectus quomodo tribuantur Deo.

Pulcherrima ſimilitudine declarat, motus & affectus animi in Deũ nõ cadere, ſed eũ immutabilẽ eſſe.

CAPVT XVII.

Deus ſemper immutabilis.

ECce quempiã lapidem lucidum ex clariſsimis lapidibus eiuſmodi, qualiũ vocabulis in Propheta (vt iam dictum eſt) Dominus Deus nouem ordines Angelorum ſignificauit, plerunq;, dum libet, attollis in faciem ſolis ſereno cælo fulgentis, ſtatimq; lapis idẽ in paruã ſui quantitatẽ magni ſolis cõcipit imaginem, ſupponis continuò materiã per aridã ignium eſcam. Nõne vnus idemq; ſplẽdor ſolaris, & in lapide radiũ vibrat innoxium, & in materia iam dicta tactu mole ſtum traijcit incendiũ? Vnus idemq; ignis & in lapide radiat, nec vrit & in eſca fumat, & Ezech. 28. vrit. Non ergo mirũ, quòd Deus noſter, qui (vt ait Apoſtolus) ignis conſumens eſt, ſimul vno eodemq; actu, ſanctos Angelos ſic ignitos reddit, vt ipſorum pulchritudo & delectatio ſit, & aduerſarios ſuos ſic attingat, vt conſumantur pœnaliter afflati. Itaq; & perdidi te (inquit) ô Cherub protegẽs de Iob 42. medio lapidum ignitorũ, ſubauditur, quia tu illorum ignẽ ſufferre non potuiſti. Tua namq; ſuperbia, & illorũ humilitas, ita ſunt contraria contrarietate naturali, vt quod illis gloria eſt, idipſum tibi pœna ſit. Sciendũ interea, quia quocunq; ſe vertat, pœnã ſuam ſecum portat, & plaga ignis ignitorum lapidum, qua ſemel eſt fulminatus, intrinſecus in ipſo perſeuerat. Hæc eius pœna ex illis nomini dictis ad beatum Iob (ſaluo ſacratiore intellectu) valet intelligi. De ore eius lampades procedunt ſicut tedæ ignis accenſæ, de naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ, atque feruens halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egre- Matth. 25 ditur. Interim ergo donec veniat dies vniuerſalis iudicij, quo in ignẽ æternum, qui paratus eſt ei & Angelis eius, præcipitabitur cunctis videntibus, iã habet pœnã incendiũ fulminis, quo fulminatus de cælo cecidit, & nihil ſic timet, quã fulmen Verbi Dei, nihil habens virium, vt ſubſiſtere poſsit vbicũque illud ſenſerit, in corde vel ex corde & ore hominis, ſiue Angeli verbi eiuſdem dilectionem habentis.

Ex illo certamine, quo Diabolus victus eſt, quẽdã de principibus militiæ cæleſtis, & principatum, & inclytum nomen retuliſſe, vt iam dicatur Michael, id eſt, quis ſicut Deus?

CAPVT XVIII.

EX illo certamine magno & mirabili, pulchro nomine & honore donatus vnus Michael. & primus de militiæ cæleſtis principibus Deut. 10. gloriosè redijt, nomine videlicet, vt exinde vocaretur Michael. Honore non ſolùm Angelorum, verumetiam hominum habẽtium Dei verbum ipſe ſit princeps. Sic enim Dan. 12. Danieli de illo ab alio Angelo dictum eſt. Et ecce Michael vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum. Item, veruntamen annũciabo vbi quod expreſſum eſt in Scripturis veritatis, & nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter. Itemque poſt aliqua, In tempore autem illo, conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui, & veniet tempus quale non fuit ex eo, quod gentes eſſe cœperunt, vſque ad tempus illud, cũ dicitur, Qui ſtat pro filijs populi, loquens illi, cuius populo ſoli creditum & notum tũc erat verbum Dei, dicitq; ei, Princeps veſter magnus. Profectò conſtat, quia Princeps eſt omnium, vſq; ad finem ſeculi, qui verbum Dei credunt, & confitentur. Et hoc honore vel principatu donatus eſt, ex quo contra Diabolum dicentem, Deus ego ſum, reſtitit, vt diceret, Quis ſicut Deus, & vincendo illũ probauit, quia null⁹ eſt alius ſicut Deus. Hinc (vt iam dictũ eſt) nomine quoq; eſt donatus, vt Michael vocaretur. Michael nanq; interpretatur, quis ſicut Deus? Iſte, & tunc in cælo victor effulſit, & nunc in Eccleſia quę ad cælũ tendit. Vnde & ipſa cęlũ dicitur quia cęleſtẽ vitam ducit, eundẽ antiquũ hoſtem vincit, myſtica Apocalypſis continet Scriptura. Et factum eſt (inquit) prælių magnum in cælo. Michael & Angeli eius pugnabant cum Dracone, & Draco pugnabat, Apoc. 12. & Angeli eius, &c. Magnus igitur princeps iſte eſt, princeps belli diuini. Verbũ aũt Dei belli eiuſdem virtus eſt. Nam quia verbum

Eccleſia cælũ dicitur.

ipſum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsum Sathanam illum, & tunc in cælo tanquā Deus elisit, & nunc caro factum in hoc mundo fortem eundem tanquā fortior alligauit. Inde Archāgelus iste cum angelis suis pugnando, & tūc illū de cælo ꝓijcere potuit vbi dicebat: Deus ego sum, & sedi vel sedebo in cathedra Dei & nūc eundē de templis vel delubris idolorum, vbi à nobis Gentib. colebatur, ꝓtrahere prævaluit, pugnādo cōtra illum, nō solū cum Angelis suis, verū et iam cū hominib. sanctis, maximeq; pijs martyribus Christi, quibus mori vicisse fuit.

Luca 11.

Ezech. 28.

De eo quod dictum est ad B. Iob, Quis dimisit lapidem angularem terræ cū me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.

CAPVT XIX.

ITaque proiecto illo, laudauerunt & iubilauerunt Angeli sancti, participes cum Michaele, & cooperatores victoriæ verbi Dei, sicut ipse Deus & Dominus ad B. Iob loquens, pulchrè innuit. Præmisso nanque, Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiā, quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt? ita subiunxit. Aut quis dimisit lapidem angularem eius, cū me laudarēt simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Equidem si futurorū Prophetiā in verbis istis attendimus, spiritualis terræ, id est, sanctæ Ecclesiæ positionē, dimentionē, atq; solidationē vtiliter intelligimus cuius lapis angularis est Christus, sicut docet B. Papa Gregorius. Veruntamen si præteritorum narrationem attendere placet, quia reuera Deus huius terræ, quā calcamus fundamenta posuit (quod mirabile est) super nihili, & bases eius. i. firmitatem eius solo præcepto suo solidauit. Lapis alius, scilicet Sathanas, erit intelligendus lapis terræ angularis, id est, princeps huius mundi. Nam de isto sinè dubio superiùs idem Iob assumpta Parabola, dixit, lapidē quoq; caliginis & vmbræ mortis diuidit torrens à populo peregrinātē, eos quos oblitus est pes egentis hominis & inuios. Haud dubium, quin eo loco lapis Sathanas ille debeat intelligi lapis caliginis, vt puta nihil habēs de illuminatione septē oculorum, quos in alio lapide Zacharias ꝓpheta vidit. Lapis (inquam) caliginis & vmbræ, non qualiscunq;, sed vmbra mortis Istum lapidē diuidit torrens iudicij diuini à populo peregrinante, vt videlicet non obscuret, non sua caligine inuoluat eos, qui in hoc mundo à populo peregrinos se esse nouerunt, qui manentem ciuitatem hic non habent, sed futuram inquirunt. Diuidit ab eodem populo cū eiusmodi lapide, etiam eos quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios, id est, oēs homines impios, quos propter incredulitatem ipsorum oblitus est, & dereliquit pes egentis hominis. i. gratia Iesu Christi, qui cùm dives esset, propter nos pauper factus est. Dereliquit (inquā) vt puta inuios, quia noluerunt parare vel parari apud se viam Dño. Lapis itaq; durissimus ille hostis, lapis terræ angularis, id est, superbꝰ Princeps huius mundi, rectè valet intelligi. Et illū Deus reuera dimisit. i deorsum misit, nec alius nisi Deus dimittere potuit. Cū igitur dimisisset illum, laudauerunt (inquit) simul astra matutina, & iubilauerunt omnes Filij Dei. Quod dixerat. laudauerunt astra matutina, repetit dicendo, Et iubilauerunt oēs Filij Dei, videlicet, sancti Angeli, qui dum in gratiæ claritate perstiterūt, rectè dicūtur astra matutina, id est, Angeli lucis. Angeli habentes charitatem, & cognitionem Dei, quæ tunc illis peruicti ruina Diaboli clariùs illuxit.

Terra noua.

Iob 38.

Iob 38.

Iob 24.

Iob 25.

Lapis caliginis.

Zacha. 4.

2. Cor. 3.

De eo quod dictum est ad eundem B. Iob, Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiā in sublimibus suis.

CAPVT XX.

QVale autē putamus huius laudationis, vel iubilationis initium fuisse? Quid pulchrius, eo quod sonat ipsum nomen Michael? Quid ad tonandam laudem sonorius, quàm istud, Quis sicut Deus? Nimirum res ipsa ferebat, vt sic intonantes laudarent, atq; iubilarent, quatenus in ipso laudis & iubilationis exordio victum illum, stultitiæ magnæ redarguerēt, qui sibi videbatur esse sicut Deus, & verum & solū Deum dignè magnificarent, quod ei similis esse non posset alius. Simul (inquam) videlicet, quod illa victoria, magnā cum Diabolo & Angelis eius excluserat discordiā magnam omnib. refiduis illis beatis Spiritib. fecerat concordiā. Ablatū erat de cœtu illorum omne scādalū. Hinc est illud ad B. Iob, Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiā in sublimibus suis. Planè veraciter dictum, sed nō bene, neq; cōpetēter illatum. Nā quia dixerat idem S. Iob in fine sermonis, Quod si non est ita, quis potest me arguere esse mentitū, & ponere ante Deum verba mea? Vnus amicorum eius, qui omnes de illo sermones nimis malè sentiebat, putans eum hoc dixisse per nimiam mentis superbiā. Potestas (inquit) & terror est apud eum, qui facit concordiam in sublimibus suis, ac si diceret, Ille te potest arguere esse mentitum, qui terribiliter potuit arguere Diabolum, & deiecto illo, pro eo quòd in sublimibus suis faciebat discordiā, indissolubilē in eiusdem sublimibus fecit concordiā. Potestas (inquā) & terror apud eū est, sicut ex illo, & ex omnib. superbis cōprobatum est, & ex teipso qui propter superbiā percussus, & omnib. bonis spoliatus, nūc in sterquilinio sedes. Malè quidē (vt iā dictum est) & incōpetenter ille dixit. Quia contra virū simplicē, rectum, Deum timentē, & à malo recedētē dixit, sed nihilo minùs bona & vera sentētia. quæ rectè dici posset, contra talē quenpiā, qualē illum esse putabat. Cùm igitur dicit, quia simul astra matutina laudabāt siue iubilabant, magnam insinuat exclusam esse discordiam, magnamque factā in cælo, cadente Diabolo, concordiam. Non leuiter est hoc sentiendum, quasi Aduersarius ille, in illa tanta multitudine Spirituum paruūm discordiæ fecerit tumultum, dum se mendaciter Deum vellet habere contra verum Deum & viuum.

Iob 38.

Sathanam non statim, vt conditus est, cecidisse.

CAPVT XXI.

Quando ceciderint Angeli.

EI qui opinione illa prævenitus est, vt eūdē Sathanā cecidisse putet statim vt cōditus est, non apparet, non accedit ad cor, vt sentiat, magnū illum fuisse Diabolicæ seditionis & discordię tumultum, licet magnas esse iras Dæmonū, magnum econtrà zelum bonum non ignoret sanctorum Angelorum. Priùs ergo sciendū est, eum nō cecidisse statim vt cōditus est Sic em in eū per Prophetā suprà memoratum dictum est, In medio lapidum ignitorū ambulasti, perfectus in vijs tuis à die cōditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te Profectò dicto huiusmodi, à die cōditionis tuæ, donec inuēta est iniquitas in te, sensum siue opinionem illam non admittit, vt dicat vel putet quis, ꝙ vbi cōditus est ille, statim ceciderit. Cōsequetur etiā illa suspicio, vt possit sulpicari, qualis idē nūc est, scilicet malus, talis à Deo conditus esset. nunc autē & innocentē & rectum illum fuisse cōditum, & nō parua mora permānisse in medio Angelorum sanctorum, præsens sermo cōuincit, dū ita præmittit, In medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in vijs tuis. Ac demum subiungit, A die conditionis tuæ, ac deinde: donec inuenta est iniquitas in te. Diē conditionis, nō sic accipimus, vt nunc cursum & recursum solis, quia necdum erat sol iste visibilis, sed meliùs exprimi nō potuit sensus Prophetæ, vel Dei ad hominē loquentis. Nō ergo putandum est, quòd cōditus statim ceciderit: imò istud verū est, quia primū conditus, & tunc demum positus est in illo Paradiso cælesti Sic enim ibidē scriptum est, In die (inquit) qua cōditus es, foramina tua præparata sunt, tu Cherub & extentus protegens, & posui te in monte sancto Dei. Sed & illud datur intelligi, quòd nō statim in initio peccati de cælo proiectus fuerit, sed ipsum quoque expectauerit patiētia Dei. Ipse autē secūdum duritiā suam & cor impœnitēs irā sibi thesaurizauit. Cū enim prēmissum fuisset, donec inuēta est iniquitas in te, statim subiūctum est. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, statimque & peccasti, ait, & tunc demum. Et eieci te (inqt) de monte Dei. Tria hæc sunt incrementa peccati, quæ in hominibus quoq; tandem istum cōsequitur iudiciū Dei. Primum iniquitatem mente cōcepisse: Deinde ipsam iniquitatē nō semel aut vno actu, sed multipliciter adimplesse: Deinde opera iniquitatis defendēdo peccare. Itaq; quia & inuenta est iniquitas in te & multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, nō parua intelligitur mora in iniquitate illius peccatoris antiqui, ad instruēdos electos Angelos, vt scirent iustum esse iudicium Dei, videntes illum peccatorem, quòd esset incorrigibilis.

Ezech. 28.

Rom. 2.

Ezech. 28.

Incrementa peccati.

Sathanā in sublimib. Dei pacē turbasse. CA. XXII.

IGitur in sublimib. Dei discordiæ tumultus grandis extitit inter magnas iras Dæmonum, magnumq; & bonum zelum Spirituum bonorū. Nimirum vt hoc animaduertamus, scilicet quòd in sublimibus Dei nimium pacē turbauerit, Idcircò sub nominibus arguitur hominum, qui terrā turbauerunt, videlicet Assur Pharaonis, Regisq; Tyri, & Nabuchodonosor Regis Babylonis, diciturque illi, Nunquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concussit Regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? Item. Tu enim terram dispersisti, tu populum occidisti, & cætera huiusmodi. Alioquin si non secundum horum similitudinem de ipso est sentiendum, quòd ita turbauerit Angelos per semetipsum, sicut turbauit gentes per talium superbias hominum tyrannidem in populos arripientiū, vt quid nominibus & rebus gestis denotatur illorum? Non ergo dubium quin iam tunc propter illum motæ fuerint virtutes cælorum, quæ & vltimo iudicio contra eū mouendæ sunt. Motus ille quantus fuerit, vt tandem rueret ille de cælo proiectus, ipse qui proiecit illum Deus, Dei verbum breuiter innuit dicens. Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Quomodo cadit fulgur? vtique motis atque collisis nubibus tanto cum fragore, id est, tonitru, vt concuti machina cæli, & terra tremore videatur. Tunc fulgur excussum breui lucet, statimque disparet. Itaque dum dicit, sicut fulgur, mirandum innuit motum virtutum cælestium, magnumq; prælium Angelorū, Michaele Principe contra illum, magnumq; super hæc omnia verbi omnipotentis, quod ipse est, tonitruum, & excutiendum illum, vt de cælo caderet cum vana luce sua, protinus extinctus est miser, eoque proiecto, serenitas pacis cælo rediret. Notum est, cur ita dixerit, cur ita taliter illius Sathanæ mentionē fecerit, videlicet, ꝓpter gaudiū incon sultum Discipulorum septuaginta duorum quos ipse miserat, quique reuersi, DOMINE (inquiunt) etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Idcirco tale illis obiecit vt cauerent exemplum, ne & ipsi per vanam gloriam seducti exciderent, & abirent retrorsum.

Esa. 14.

Luca 10.

Ibidem

Quòd Christus, cum diceret: videbam Sathanam cadentem, se non solùm hominem esse, verùm etiam Verbum Patris ab æterno fuisse insinuauerit. CAPVT XXIII.

Simulque

Universidad de Deusto
Biblioteca

SImulque hæc dicens antiquitatem suam paucis credulo auditori suauiter insinuat verbis. Quã enim antiquus est, qui illud videbat? Nimirum secundum hominẽ qui videbatur, cũ hæc diceret, paulò plus quàm triginta annorum erat. Porrò longè ante triginta annos, imò ante omnes annos, & ante creationem solis, cuius circuitus annum efficit, Sathanas ille cecidit. Igitur qui illud videbat, longè ante suæ carnis annos erat. Et verum est. Nam in principio Verbum erat, in principio Verbũ Deus ipse erat. Sed & hoc attendendum, quia nec ità dixit, Vidi Sathanam, sed videbam, ait, Sathanam de cælo cadentem. Rectè quidẽ dixisset, & verum esset, dixisse, vidi: sed videbam verbũ imperfecti temporis, quãuis præteriti, plus cõtinet, & maiorem sensum importat auri benè audienti. Deniq; vidi Sathanam de cælo cadentem, dicere posset, Michael quoque & quiuis alius Angelorum, quibus vtiq; videntibus, ille cecidit, nec solùm videntibus, verùmetiam cũ illo præliantibus. At verò nullius eorum est dicere, videbam, sed tantum vidi cadentem. Hic solus est, qui nõ solummodo tunc vidit cadentem dum caderet, sed etiam videbat cadentem antequã caderet, sed & anteq̃ idẽ formeretur aut fieret. Fiebat nanq; per ipsum, sicut & omnia per ipsum facta sunt, nec poterat Deus Verbum ignorare, quid de illo esset futurũ, præsertim cũ ipsũ sit Verbũ, quod homines facit Prophetas, id est, præscios futurorũ. Hoc planè sciendum & confitendum, quia dum fieret ille Angelus dum formaretur ille lapis magnus, & præpararẽtur foramina eius, sicut in eum per Prophetam dicitur, Aurũ opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es præparata sunt. Cùm, inquam, præpararentur foramina eius, videbat verbum Deus, quod in eisdem foraminibus ligaturas auri non esset recepturus lapis rebellis & durissimus. Hoc & manifestiùs dictum sit, dum ingenio, intellectu, memoria, plenaque & perfecta rationalitate magnificè insigniretur, videbat verbũ Deus, quòd Creatoris sui dilectionem, qua ad illum solum deberet astringi, nullo modo esset recepturus. Meliùs ergo & magnificentiùs, videbam, ait, cadentem, subauditur, etiam antequã caderet. Nã Angelorũ quoq; posset quiuis dicere, vidi cadentem, & subaudiretur, dum caderet. Ad summum & illud inferre libet, quia solus iste videbat, securus sui. Angeli autem viderunt in magno terrore positi. Sic enim ad beatum Iob dicit ipse Dominus. Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.

Ioan 1.

Ezech. 28

Iob. 42.

Quæstionem, quare Deus Sathanam, cùm malum fore sciret, creârit, soluit, iustitiamq; Dei irreprehensibilem defendit.

CAPVT XXIIII.

DIcat aliquis, si iam tunc videbat cadentem, quare illum tam magnificè formabat? quare foramina eius tam diligenter prę parabat? Si quem res ista mouet, idem illi, quod de Pharaone dictum est, de illo quoque Sathana respondendũ est. Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te fortitudinẽ meã, vt annuncietur nomen meũ in vniuersa terra. Hoc audiens fidelis animus, qui de Domino in bonitate sentit, non suspicatur, quòd eundem Pharaonem malum esse voluerit, vel malũ esse fecerit Deus. sed ita intelligit (in hoc ipsũ excitaui te, Vel sic, vt alibi legitur. Posui te) ac si diceret, Regẽ feci, vel esse volui te. Longè enim aliud est, fecisse hominem malum, & aliud hominẽ, qui malus erat, excitasse & subleuasse in Regnum. Quòd malus est homo, à semetipso fit, quòd autem, cùm sit malus, in Regnum ascendit, Dei ordinatione fit, aliquando propter peccata populi, aliquando propter probationem, vt manifesti fiãt electi, aliquãdo propter declarandam & amplificandam gloriam & laudem nominis Dei, vt prosit, audituris per interitum illorum cognouisse omnipotentiam Dei, quod manifestè de illo Pharaone vox prædicat diuina. In hoc ipsum (inquiens) posui te vt ostendam in te fortitudinẽ meam, & narretur nomen meũ in vniuersa terra. Quid aliud sana Fides sentire debeat de illo Sathana, præsertim cùm typus illius Pharao fuerit, quod omnis sancta Christi nouit Ecclesia? Igitur & de illo rectissimè dicas, quia cùm sciret Creator illum malum futurum cùm faceret, vel priusquam eum faceret, sicut videbat, ita & damnabat malum. Et vt in illo ostenderet fortitudinem suã, magnum, sapientẽ, speciosum (sicut iam superiùs ex Propheta demõstratum est) fecit eum, & tanta præ cæteris Angelis illi contulit, qui malus sponte futurus erat, quanta nec Pharaoni, qui similis illi dicitur, præ cæteris hominibus habere potuit, qui priusquam in Regem excitaretur malus erat. Denique Pharaone aliquis homo in Regno ipsius, & statura maior & sapiẽtię capacior, & forma pulchrior esse potuit. Illo autẽ Sathana nullus ex Angelis altior, sapientior aut speciosior fuit. Nam (vt suprà memoratum est) omne lignũ Paradisi Dei (ait Deus ipse per Prophetã) non est assimilatum illi. Veruntamen quia loquitur Dominus. Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra? Nos super quæstione hac temperantes, cum Apostolo dicamus, O altitudo diuitiarũ sapiẽtię & scięti æ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.

Exod. 9.

Iob. 34. Mali primipes quare

Exod. 9.

Ezech. 1.

Rom. 11.

Vnde & quò Diabolus proiectus sit: qualis de cælo, qualemq; iam tunc in infernum ceciderit.

CAPVT XXV.

FActum est, q̃ videbat veritas, cecidit Sathanas. Vnde cecidit? de cælo, inqt. De cælo, vtiq; non suo, sed Domini. Quia nec saltem

Luc 10.

saltem in cælo conditus fuit, sed postquam conditus est, positus fuit in cælo ab eo, qui & cælum & ipsum condidit. Planè sicut homo non in Paradiso factus fuit, sed postquã factus est, tulit eum factor eius, & posuit eũ in Paradiso voluptatis? Sic & illum non in cælo fecit, sed factum in cælo posuit. Vnde cùm præmisisset, Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt, tu Cherub extentus & protegens. Tunc demum subiunxit, & posui te in mõte sancto Dei. Iure ergo de cælo cecidit, quia quod datum sibi erat cælum, rapinam arbitratus est, & per humilitatem non custodiuit. Vbi autem cecidit? putas in terram? vtique in terram. Veruntamen non talem, vt nunc videmus eam. Tunc enim terra inanis erat & vacua, & tenebræ erant super faciem abysi, imò & ipsa terra tegebatur aquis, nec à cæteris distincta erat elementis: chaos erat magnum, quod illic terrę nomine signatur, id est, non tantum vnum elementum, quod priùs aridam, & deinde terram Deus appellauit, sed tota quatuor elementorum moles confusa. O ergo miserum, non tamen miserabilem. Quanta enim ex beatitudine, in quantam miseriam cecidit? Quantis ex diuitijs, in quantam paupertatem incidit? Nihil hic nisi abyssum inuenit, & tenebras super faciem abysi. Non erant hic regna mundi & gloria eorum, quæ aliquando Domino Iesu ostẽdens, Si, inquit, adoraueris me, hæc omnia tibi dabo, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Quid dico, regna mundi nondum erant: Sol & luna, stellæ & lumen, & cætera omnia, quæcunque die secundo, & deinceps facta sunt, nondum erant, sed tantùm (vt iam dictum est) chaos, & super faciem abysi caligo tenebrarum. Sciẽdum quippe, tres esse cælos, authoritate Scripturarum. Primum & summum quod à principio creauit Deus, quod est inuisibilis patria beatorum Spirituum. Infimum verò, aerẽ istum qui cælum dici consueuit, vnde & dicuntur volucres cæli. Medium autem, firmamentum, quod die secundo Deus fecit, cælumque appellauit. Hoc cælum medium nondum erat factum, quando Diabolus cecidit, sed erat factum cælum illud inuisibile, quæ habitatio est sanctorum Angelorum & hominum, semper lucens illis ex Dei visione. Et hoc infimum cælum, scilicet aer, nihil habebat saltem corporeæ lucis, sed tenebræ (inquit Scriptura) erant super faciem abysi. Isti duo cæli, medium & infimum, cõparatione illius tertij, terra sunt, quia terrenis conspiciuntur oculis. Illud autem, quod terrenis non conspicitur oculis, priusquam immutentur per gloriam resurrectionis, dicitur cælum cæli. Iuxta illud Dauidicum: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Nonne ergo iam tunc vsq; in infernum cecidit? Reuera, quamuis nondum in inferiorem missus sit. Iam iste locus, infernus est illi, respectu latitudinis illius domicilij sui quod dereliquit, respectu principatus sui quem non seruauit, & sub caligine tenetur vinculis æternis, quemadmodum Iudas Apostolus in epistola sua dicit. Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium diei magni vinculis æternis sub caligine reseruauit. Petrus quoque Apostolus, idipsum confirmat his verbis, Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.

Gen. 1.

Ezech. 28.

Gen. 1.

Psalm 23.

Celũ cæli. Psal. 113. Infernus locus.

Luc. 4. Matth. 4.

Celitres.

2. Pet. 2.

Quare Diabolus quare Satanas, & quare Spiritus eius Dæmones appellati sint.

CAPVT XXVI.

REctè igitur ex eo vocabulum sortitus est, vt vocaretur Diabolus, quod primus edidit per Scripturam Dauid, loquens in spiritu, Cõstitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris eius. Diabolus nãque Hebraicè deorsum fluens, siue clausus ergastulo interpretatur. Porrò vocabulum, de quo iã dictum est, scilicet Satanas (quod interpretatur Aduersarius, cuius propter causam nominis cecidit, & factus est Diabolus antiquior) Scriptura libri Iob primitus edidit. Quodam (inquit) die, cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, adfuit etiam inter eos Satan. Ex quo superbire cœpit, ex eo Satan est, scilicet Dei Aduersarius: & ex quo propter eandem superbiã proiectus cecidit, ex eo dicitur & est Diabolus. Tunc namque deorsum fluxit, & ergastulo clausus est, quia videlicet in grande chaos cecidit, lõgè à sublimitate Dei, & quasi in ergastulo tenetur, dũ in aere depressus impossibile sentit esse, vt rursus ascendat illuc vnde cecidit, imò futurum esse nõ ignorat, vt adhuc inferiùs præcipitetur, tradaturque inferno inferiori, seque ad hoc in diem iudicij reseruari. Nec verò loco tantummodo deorsum fluxit, sed etiam intentione semper deorsum fluit. Semper enim vilissima quęque appetit, tam vilis nunc nebulo, quàm gloriosus Archãgelus primùm extitit. Quod perpendat, qui potest, ex eo, quod in Scriptura sacra spiritus immundus nuncupari consueuit. Græcè quoque Diabolus idem sonat, quod Latine criminator siue accusator: & hic sensus veraciter illi cõguit pro causa duplici. Nam & omne crimẽ suum refert semper, & ab initio retulit in Deum, sese iustum, Deum verò audens dicere iniustum, & fictis criminibus innocentiam accusat electorum. Vnde & in Apocalypsi Angelica voce dicitur, Proiectus est Accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Angeli eius Græcè Dæmones, id est, scientes dicuntur. Præsciunt enim multa futura,

Diabolus. Psal. 108.

Satanas.

Iob 1.

Apoc. 12.

Dæmones.

tura, vnde & ſolent reſponſa dicere aliqua. Ineſt nanq; illis cognitio rerum plus quàm infirmitati humanæ, partim ſubtiliori ſenſus acumine, partim experientia vitæ longiſimę, partim per Dei iuſſum Angelica reuelatione. Hi corporum aereorum natura vigent. Ante tranſgreſionem quidem cæleſtia corpora gerebant, lapſi verò (vt iam dictum eſt) per ſuperbiam in aeream qualitatem conuerſi ſunt.

Quibus verbis noue ordines Angelorum, in Prophetis figurati ſint, et quòd mali Spiritus vltrà reſurgere non poſſint.

CAPVT XXVII.

AT cõtra beati illi Spiritus, qui in Creatoris ſui dilectione ſua manſerunt, & in veritate ſteterunt, venerabilibus ordinibus diſtincti, & ſplendidis nominibus meritò ſunt decorati, vt alij vocẽtur & ſint Angeli, alij Archangeli, alij Throni, alij Dominationes, alij Principatus, alij Poteſtates, alij *Ezech.28.* Virtutes, alij Cherubim, & alij Seraphim. Iſti nouem ordines Angelorum, lapides illi ſunt precioſi, ſardius, topaſius, iaſpis, chryſolitus, onyx, berillus, ſaphirus, carbunculus & ſmaragdus, quorum vt foramina, ſic & tua præparata ſunt, inquit, in die qua conditus es tu Cherub, extentus & protegens, ſed non ſimiliter vt iſti, tu quoque in foraminibus tuis auri ligaturas recepiſti, imò repuliſti manum aurificis ſiue artificis Dei. Qualis auri ligaturas receperũt? Aurum eſt verbum Dei, aurum illud, eſt ſpiritus oris Domini. Illo auro ſic sũt ligati lapides precioſi, lapides igniti, vt in æternum ſtẽt in ordinibus ſuis, & nullus ex eis vnquam excidere poſsit. Hoc eſt quod Pſalm. canit, Ver- *Pſalm.32.* bo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipſi ſunt lapides, *Angeli cæli & lapides dicti.* ipſi ſunt cæli. Lapides, propter æternam ſtabilitatem, firmamq; æternitatem: Cęli, propter inhabitantem in eis ſanctam Trinitatem. Hæc eſt iam victoria Verbi Dei, quia contra Principem malignitatis, ne cum illo caderent, ſunt prœuenti, & retenti per ipſum verbum, per quod & fuerant conditi. Et raptor, qui illos rapere nitebatur, comprehenſus eſt, & ingentis ruinæ pœnas dedit. Compleuit in his quod voluit Verbũ Deus, Verbum quod dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt *Gen.1.* lux. Et eodem verbo ſuo diuiſit Deus lucem & tenebras. Firmatum namq; eſt iudicium, & data eſt immutabilis ſententia, vt Diabolus & Satanas lucis refuga nunquam amplius lux fiat, neque vllus apoſtatarum Angelorum eius, ad conſortium lucis. i. ſanctorum Angelorum vltrà reſurgat.

Falli eos, qui opinantur, Angelos ante cælum & terram creatos.

CAPVT XXVIII.

BReuiter nunc reſpondere libet quorundam opinioni, qui opinantur, quòd antequam cælum & terra fierẽt, ſtatim fuerint Angeli. Et quid aliud reſpondendum eſt, niſi quòd huiuſmodi opinio, neq; Scripturæ alicuius teſtimonium, neque vllum rationis habeat firmamentum? Non enim ita ſcriptũ eſt, In principio creauit Deus Angelos, ſed: *Ibidem.* In principio creauit Deus cælum & terram. Deinde paucis interpoſitis, Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Tunc demum ſubiunctum eſt, Dixitq; Deus, Fiat lux, & facta eſt Lux. Lucem hanc, Angelicam eſſe naturam nonnulli Doctorum, præcipueque B. Auguſt. ſentit, eiuſque ſenſui non ſolùm ratio, verùm etiã, quod maius eſt, Scripturæ volũtas diligẽter conſiderata, valdè conſentit. Quòd ſi quis dubitare voluerit, dicat ipſe, cùm locus extra cælum & terrã nullus ſit, Angeli qui vtique locales ſunt & circunſcripti, quo in loco eſſe potuerint, ſi ante creationem cæli & terræ fuerant conditi? Quod ſi quæritur vnde ſint facti, qui tam glorioſi ſunt & ſplẽdidi? Reſponderi vtcunque poteſt, quòd de aeris ſubſtantijs facti ſint. Habent enim, & à doctorib. tacitum non eſt, eos habere corpora aerea, quæ tamen in ſanctis Angelis ſe liciter immutata ſunt, vt dicãtur & ſint corpora cæleſtia. Porrò apoſtatæ angeli, ab illa felicitate lapſi, rurſus in aeream qualitatem conuerſi ſunt, nec aeris illius puriora ſpatia, ſed caliginoſa iſta tenere ſunt permiſsi, qui eis quaſi carcer eſt, vſque ad diem iudicij. Nonnullos fortè hoc dicto contingit offendi, putantes non conuenire Angelorum dignitati, vt de aerea ſubſtantia dicantur vel credantur facti, cùm tamen firmiter teneãt, vt neceſſarium eſt, verum corpus Chriſti de terrena ſubſtantia ſumptum eſſe, quod ſuper omnes Angelos, & ſuper omnes cælos aſcendit, & ſedet nunc ad dexteram Maieſtatis in excelſis. Quis autem neſciat, terræ molem ſiue ſubſtantiam elemento aeris multò grauiorem ſiue inferiorem, multoque fecu lentiorem eſſe? Terra namque cæterorum quædam fex elementorum eſt? Quis rurſus neſciat genus humanum de limo terræ formatum, in reſurrectione ad ſocietatem & æqualitatem Sanctorum peruenturum eſſe Angelorum? Iamque hominem ex eadem maſſa Ieſum Chriſtum, vnam cum Verbo in beata Trinitate perſonam, ſedere & regnare ſuper omnes choros Angelorum? Nihil igitur putet beatis Angelis quis derogari, ſi dicantur facti eſſe de aere, dum Regem & Dominum ipſorum, quem ipſi adorant, cõſtet corpus habere de limo terrę. Ad ſummum, ruina Spirituum Apoſtatarum, quo (vt iam dictum eſt) de cælo in aerem modo lapſi ſunt, eodem modo cõuincit eos, quòd natura de cælo fuerint, ſed *aere inferiori *ex* Deus illuc eos tranſtulerit, ſicut hominem propter ſimile peccatum, ſententia penè ſimili, licet multò clementiori comprehẽdit,

Scriptu-

Scriptura dicente, Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur *Gen.3.* terram, de qua ſumptus eſt. Aequum profectò iudicium, vt vterq;, quia gratiam perdidit, in illud reijceretur, vnde exiſtendi initium ſumpſit: Hic, in terram Paradiſo deteriorem: ille in aerem cælo inferiorem. Veruntamen his nunc omiſsis, in beatorum felicitate Angelorum, primi huius libelli conſtituendus eſt finis.

Angelos non ita creatos, vt proficere non potuerint, ſed ſolum Deum abſq; profectu ſemper fuiſſe perfectum. CAPVT XXIX.

Pſalm. 31. FIrmati verbo Domini cæli illi, nouemque (vt iam dictum eſt) ordinibus diſtincti, nõ parum profeceruntad cognitionem Creatoris ſui, & eius per qđ facti ſunt Verbi, & dilatatis cordibus charitate pleni, laudauerunt laude inceſſabili tremendam fortitudinem eius, quam viderant in iudicio & deiectione tanti Aduerſarij. Nam profeciſſe & proficere adhuc Sanctos quoq; Angelos, cõſtat in cognitione Creatoris ſui, teſtante Apoſt. qui cùm præmiſiſſet inueſtigabiles eſſe diuitias Chriſti & diſpenſationem *Ephe. 2.* ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit, ſubiunxit atq; ait, Vt innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus in cęleſtibus per Eccleſiã multiformis ſapientia Dei. Per Eccleſiam, id eſt, per ea, quæ in Eccleſia vel cum Eccleſia Deus homo factus egit, ſponſus pro ſponſa, paſſus, mortuus, & reſurgens à mortuis, ſuperato Principe mortis. Innoteſcere dicit Principatibus & Poteſtatibus in cæleſtibus multiformem ſapientiã Dei, ſiue diſpenſationem ſacramenti abſcõditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit, videlicet ita, vt admirantes in viſu tantæ potentiæ, dicant, Quis eſt iſte Rex gloriæ? quis *Pſalm.23.* eſt iſte Rex gloriæ? ſed de hoc aliàs. Nunc illud dicendum erat, quia non (vt nonnulli putant) tales creati ſunt Angeli, vt creatis illis, continuò nihil deeſſet totius perfectionis, quia profectò ſolus Creator eſt, qui abſque profectu perfectus ſemper fuiſſe vel eſſe credendus ſit. Alioquin ſi ab initio creationis perfecti fuerunt Angeli, & nihil defuit eis, multos conſiliarios in cæteris operi bus ſuis Deus habere potuit. Dicit aũt Scri- *Iſaiæ 40.* ptura prophetica, Quis adiuuit Spiritũ Domini, aut quis conſiliarius eius fuit & oſtenditilli? Apoſtol. quoque ait, Quis enim cog- *Rom.12.* nouit ſenſum Dñi, aut quis conſiliarius eius fuit? Nimirum ſicut idẽ proſequitur, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt õmnia, ſol⁹ creator ſciuit & fecit omnia. Angeli autem, vbi ab ipſo creati ſunt, cæteris operibus ſpectatum admiſsi, qui bono & ſimplici oculo viderunt, & non inuiderunt, ſed laudauerunt ſapientiam tanti artificis, ad eius amicitiam dignè ſunt prouecti. Qui verò nequam habentes oculum, inuiderunt & oderunt, iuſtè repulſi, longeq; ſunt remoti.

Angelos bonos, cognita in deiectione Satanæ fortitudine: in confirmatione ſui, bonitate Verbi Dei, in æternam ſanctæ Trinitatis laudem prorupiſſe.

CAPVT XXX.

SVblato igitur & terribiliter deturbato Satana ſiue Diabolo cum Angelis eius, continuò profectum hunc ſancti Angeli habuerunt, vt nouam Diuinæ laudis habentes materiam, nouum inciperent canere canticum. Fortitudinem namque Creatoris in magnę creaturæ deiectione viderant, gratiam & miſericordiam Creatoris eiuſdem in ſemetipſis agnouerãt, qua ſeſe, ne & ipſi corruerent, præuentos fuiſſe non ignorant. Eiuſdem quippe conditionis cùm eſſent, ſuã in perditione illorum ſalutem reſeruatam, ſtatumq; retentum non leuiter appendere potuerunt aut poſſunt. Laxata ſunt foramina lapidum precioſorum, laxata & dilatata ſunt, pluſque in ſemetipſis auri receperunt, groſsiores atq; fortiores inſolubilis auri ligaturas admiſerunt, & ad Creatorem ſuum æterno amore aſtricti ſunt. Ex eo laudantes atq; iubilantes tacere non poſſunt, ſanctam Trinitatem glorificantes, ſilentium non habent, nec habebunt in ſempiternum. Verè ergo beati, quia verbo Domini ſic firmati ſunt, & ſpiritu oris eius ſic firmata eſt om- *Pſalm.32.* nis virtus eorum, vt nullius vnquam inſtabilitatis timere poſsint euentum. Hæc eſt victoria Verbi Dei, Dæmonia in Spiritu ſancto iam tunc de cælo eijcientis. Quia ſicut in ipſo propoſitum fuerat, ita factum eſt, dum iſti intellectuales cæli eius in ipſo ſunt firmati, & in Spiritu oris Dei.

FINIS LIBRI PRIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER SECVNDVS.

Quid sit, quod Dominus ad Ezechielem Prophetã dixerit, Fili hominis, leua plãctum super Regẽ Tyri.

CAPVT I.

INterea dum laudantium atque iubilantiũ pro victoria verbi dei Angelorum, mens humana contemplari nititur gaudium & exultationem, ecce audi tum facit, non leuiter attendendum verbum ipsum factũ ad Prophetam, & dicens, Fili hominis, leua planctum super Regem Tyri, & dices ei, Hæc dicit Dominus Deus, Tu signaculum similitudinis eius, plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs paradisi Dei fuisti, &c. Magna & mira verbi Domini disciplina, cuius præceptum est, vt tanti Aduersarij ruinam irrecuperabilem plangat Propheta. Nam & in cælo beatis spiritibus illis exultãtibus pro ipsius verbi victoria planctũ super eiusmodi creaturã leuare iubebat, pro eo quòd in illa fuisset inuenta iniquitas, & perdidisset iam verbum ipsum perditione sempiterna. Nescit homo viuens, quid laudantes & iubilantes dicant Angeli, & si quis audiuit quicquam ex eorum dictis, non annunciauit hominibus totum quod audiuit, quia dicta illorum arcana sunt, & non licet ea homini lo-
2.Cor. 12. qui. Veruntamen postquàm incarnatum id ipsum Verbum per crucem & sanguinem suum, de eodem Aduersario rursus triumphauit. Iam non est cur debeat plangi, vel super eum planctus leuari. Antea victor exercitus verbi Dei, victrix cælorum militia omnis, sic imperfectum habere poterat gaudium, quomodo bello ciuili peracto, multisq; ciuibus peremptis, pars victrix plenarium non potest triumphaliter victorię suę celebrare tripudium. Habet enim quod plãgat, quia videlicet tot vel tantis ciuib. omissis orbata ciuitas, diminuta est respub. Exẽplum de sacra proferre libet, historia.

Quemadmodum filij Israel deleta tribu Beniamin planxerunt, ita verisimile planxisse sanctos Angelos, diminuto ciuium Regni Dei numero.

CAPVT II.

CVm pro scelere ciuitatis Gabaa, quę erat in tribu Beniamin filij Israel, commune contra filios Beniamin bellum suscepissent, atq; semel & iterum fruſtra congressi, tertio tandem conflictu ita vicissent & interfecissent eos, vt non remanerent ex eis, nisi sexcenti viri, venerunt omnes in domũ Dei in Silo, & in conspectu eius sedentes, vsque ad vesperam leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere, dicẽtes: Qua re Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis. Rursusque altera die consurgentes, & holocausta Domino offerentes, flebant & dicebant: Ablata est vna tribus de Israel. Nõ vtiq; pœnitebat eos, quòd fratres suos vicissent & occidissent iure prælij, sed quòd causa vel malum accidisset, propter quod sic oportuisset fieri. Deniq; inter ipsum ploratum, dum consilium quærerent qualiter ablatam possent recuperare tribũ, dixerunt: Quis non ascendit in exercitum Domini de vniuersis tribubus Israel? Et ecce inuenti sunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuisse. Miserunt itaq; decẽ milia viros robustissimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Galaad Iabes in ore gladij, tam vxores quàm paruulos eorum, & tãtùm virgines reseruate. Sicut dictum, sic factum est. Non ergo fleuerunt, quòd vnam tribum deleuissent, sed quòd causa euenisset, cur ita facere meritò debuissent. Iuxta hanc similitudinem non absurdè vel incongruè credi potest, priores sanctos feciſſe Angelos, id quod facere iubetur homo Propheta, & verbi Dei auditor, scilicet leuasse planctum super illum Regẽ Tyri, id est, Principem huius mundi. Ita vt gauderent quidem, illo deiecto factam esse concordiam sublimibus Dei, sed dolerent imminutam esse ciuitatem supernam, paucioresque esse ciues Regni Dei.

Quare filius hominis iubeatur plangere Principem Tyri.

CAPVT III.

CAusa similis, & si non prorsus eadem, erat Prophetæ vel cuilibet homini, vt leuaret plãctum super lapsum primi hominis. Eo namq; per præuaricationem labẽte, non partis aliquantæ detrimentum, sed totius massæ, totius generis humani constat euenisse interitũ. Ergo & hoc facere debuit, & facere iussus est Propheta, scilicet, Leuare Ezech.27. planctum, siue assumere lamentũ super genus humanum, dum dicitur illi: Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentũ, & dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas. O Tyre, tu dixisti, perfecti decoris ego Tyrus. sum, &c. Tyrus namq; genus humanũ, vel præsens designat seculum, non solùm propter situm & circumfluentiam aquarum, abundantiamq; negotiationum, verumetiã propter sui nominis interpretationem. Interpreta-

terpretatur enim angustia. Et quid est humani generis præsens vita, nisi misera angustia, & angusta miseria? Porrò vt leuaret plãctum super Regem Tyri, i. Diabolum, Principem huius seculi, nõ eadem fuit causa homini, quam fuisse iam dictum est sanctis & beatis Angelis. Cur ergo illum plangere iubetur, dicendo: Fili hominis leua planctum super Regem Tyri? Quomodo plangere debet illum, cuius ruina non hominum, sed Angelorum multitudines diminuit? Homi nibus autem mansiones in cælestib. ad quas ascendere, & quas possidere possint cadendo vacuas reliquit planè, non ociosa hæc inquisitio, & nõ inutiliter solui potest. Quod vt planiùs fiat, videndum prius est, quis vel qualis ille planctus sit, de quo curare deceat Deum, dicentem, Fili hominis leua planctum. Planctus iste humilitas mentis & con fractio cordis est, considerantis & videntis
Psalm.75. opera Domini, quàm terribilis sit in consilijs, non solùm super filios hominum, verumetiam super ordines Angelorum. Ille reuera vtiliter plangit, ille planctum rationabilem leuat super Regem Tyri, qui contrito corde, & humili spiritu scrutatur, & perpendit quid sibi faciendum sit puluerи & cineri, cùm ille summus Angelus tam magnus, tam sapiens, tam speciosus, ita terribiliter proiectus sit, pro eo quòd Creatori suo subditus esse noluit, tamq; vilis, tam fatuus, tam deformis sit effectus, vt iuxta veritatẽ
Ezech.28. Propheticam, Omnes qui viderint eum, ob-
Iacob.4. stupescant super eo. Quia nihil factus est, & non erit in perpetuum. Qui hęc perpendens humiliat animam suam sub potenti manu Dei, vera humilitate, vero humilitatis spiritu, qui vbi cor tetigerit, vtique excitat inenarrabiles gemitus. Ille reuera planctum leuauit super Regem Tyri, cõdolens sibimet, quòd vel de imitatione eius aliquid iniquũ admisit, vel quòd fieri potest, vt admittat si nondũ admisit. Ad hoc pertinet quod Psal-
Psalm.2. mista dicit: Seruite Domino in timore, &
1.Tim.3. exultate ei cum tremore, & quicquid huic simile personat in Scripturis sanctis, per qđ commonetur homo, vt vigilans & valdè solicitus sit, ne quando in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli.

Soli Deo notum fuisse mysterium Verbi incarnandi, per quod restituendus esset numerus ciuium Dei.

CAPVT IIII.

ET quidem sancti Angeli detrimentum (vt iã dictum est) suæ multitudinis plan
Ezech. 4. gere poterãt in spiritu pietatis. Deus autem apud se in Verbo suo, in quo vita erat quicquid factum est, iam dudum habebat & videbat, quid esset facturus, ad gloriam & laudem nominis sui. Solus ipse nouerat, & cunctis Angelis absconditum erat, quemadmodum Apost. cùm vidisset, quæ sit dispensatio sacramenti, addidit, absconditi à seculis in Deo, q omnia creauit, vt innotescat Principatibus & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Quid erat absconditum, vel quale erat illud sacramentum? Nimirum, vt summæ beneuolentiæ largitas, largissima Creatoris beneuolẽtia, de inope & abiecta terræ materia, quæ tunc sub aquis latebat, gloriosam & angelicæ claritati consimilem ederet creaturam, & vni personæ ex multitudine eiusdẽ creaturæ suam daret potestatem & honorem, & regnum, nihilque minùs haberet creatura ipsa, quàm ipse Creator omnium, totumq; Reipub. eius obtineret imperium. Verè magnum pietatis sacramentum, quod tũc quidem (vt iam dictum est) erat absconditum, 1.Tim. 3. nunc autem manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria. Nota est persona illa, quia non solummodò creatura, sed etiam Creator est, id est, non solummodò homo, sed etiam Deus est. Celsitudinem illam Diabolus per superbiã ambire præsumpsit, dicendo: Ascendam super altitudinem Esaiæ 14. nubium, & similis ero Altissimo. At ille scilicet altissimus tantam præsumptionem repulit & damnauit, non quod eandem suam celsitudinem rapinã arbitraretur, cuperetq; gloriari solus, sed quòd sciret creaturã non posse humiliter sustinere tantę felicitatis põdus, nisi creatura ipsa sic assumeretur, vt, sal ua vnitate personæ, esset etiam Creator, id est, Deus. Res tanta tã mirabilis ingenti prælio decertata, tandem ad effectum peruenit, victo & confuso Diabolo, qui per audacissimam impudentiam semper nisus est auertere propositum Dei. Et hæc est victoria verbi Dei, cuius prędicare triumphum præsens opus intendit, &c.

Condito mundo factum hominem, propter quẽ Diabolus contra Verbum Dei certamen arripuit.

CAPVT V.

QVid longiùs morer, positus est locus certaminis, & factus est homo legitima possessio Dei, & causa totius certaminis hoc Gen. 2. modo positus est: Dixit Deus, fiat firmamẽ Causa certum, & factum est firmamentum in medio tamini. aquarum, diuisitq; aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamẽtum, dixitque Deus: Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida. Factumque est ita. Istis partibus tribus, scilicet firmamento, id est, cælo, & congregationibus aquarum, id est, mari, & arida, id est, terra, locus effectus est, scilicet hic mundus, & deinde ornatus est, ita vt rectè vocetur cosmos in Græco, quod ornatum sonat in Latino. Dixit enim Deus, Germinet terra, &c. & germinauit herbam vi- Gen.1.
rentem, & afferentem semen iuxta genus suum, lignumq; faciens fructum, & habens vnumquodq; semẽtem secundum speciem suam. Dixit autem Deus. Fiant luminaria in

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmamento cæli, & factum est ita. Dixit etiam Deus: Producant aquæ, & produxerũt reptilia animæ viuẽtis, & volatile super terram, sub firmamento cæli. Dixitque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ, secundum species suas, & factum est ita. Vt tandem esset homo, qui (vt dictum est) possessio Dei totiusq; certaminis est causa, non dixit Deus, Fiat homo, sed faciamus (ait) hominem ad imaginem & similitudinem nostram. De ista parte creaturæ Dei, id est, de humano genere, qualiter pro illo Verbum Dei certauerit, & per semetipsum vicerit, notæ planè sunt historiæ sacris digestæ literis, non solùm Euangelicis siue Apostolicis, verumetiam Legalibus & Propheticis. Porrò de alia, id est, Angelica creatura, quale in cælo certamen fuerit, tãtundem notum est, quantum ex eiusmodi sermonibus Prophe ticis valet agnosci, quos ex parte aliqua contingere siue explanare præcedentis libri ratio postulauit. Sacræ namque scriptor historiæ, imò qui per illum scripsit digitus Dei, ea sufficere iudicans, quæ ad rationes pertinent generis humani, ferè nihil de Angelorum conditione, reproborumq; Spirituum præuaricatione narrauit, nisi hoc tantùm, quia dixit Deus, Fiat lux, & facta est, & vidit Deus lucem, quòd esset bona, & diuisit lucem & tenebras, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. Quod de Angelis esse dictum, quàm rectè Doctores præcipui senserint, hic prætereundum nó esset, nisi quia iam in alio opere tractatum est, & alterius nunc incepti cursus nos detinet.

Gen. 1.

Diabolum veterem diuini nominis ambitionem retinuisse, Deum verò in proposito prouehendi hominis ad similitudinem suam perstitisse.

CAPVT VI.

PVlcher locus, & pulchra facta erat possessio Dei, vbi priùs erat abyssus, & tenebræ super faciem abyssi. Erant autem hæc omnia valdè bona per Verbum facta, quia (sicut iam prælibatum est) de singulis dixit Deus, Fiat, & factum est ita. Iustè igitur eiusdem Verbi, eiusdem Dei debebant esse omnia. Sed ô infinita Diaboli ambitio, proiectus de cælo Principatũ arripere præsumpsit tyrannus furiosus in hoc mundo. Eandem quippe spirans diuini nominis auiditatem, qua dixerat in cęlo, Super astra Dei exaltabo solium meum, id est, super omnem dignitatem sanctorum Angelorum, & sic ero similis Altissimo, saltem sic adimplere cupiuit audaciæ propositum, vt super hæc astra visibilia, super solem, & lunam, & stellas leuaret nomen suum, id est, coleretur ab hominibus vt Deus, sub nominibus solis, lunæ, stellarum, & ætheris, & terræ, & maris, & volucrum quoque, & quadrupedum, & serpentium. Hanc horribilem spirans ambitionem, tria simul intendit, scilicet vt & hominem in primis decipiens faceret sui similem. Deinde omnis creaturę honore vel obsequio, quantum in se erat, spoliaret Creatorem, & sibimet Deitatis vsurparet incommunicabile nomen. Porrò, Dei & Verbi eius hęc erat pia intentio, sanctumque propositum, vt hominem faceret sibi cõsimilem, id est, suæ bonitatis imitatorem, suæque Diuinitatis capacem, vt homo inuisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiceret, & conspiciẽs siue intelligens ipse, quod natura non erat, gratia Deus fieret. Hoc intendens & proponens dixerat ipse, per magnam suæ bonitatis abũdantiam: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, videlicet ad imaginem in eo, vt esset creatura rationalis, ad similitudinẽ in eo, vt esset imitator sui Creatoris, & imitando illum, proficeret ad gloriam visionis Dei. Sic propositum, & sic nũc tãdem est impletum. Charissimi (inquit Ioannes) nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit, quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit Christus, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Proposita verbi Dei.

Rom. 1.

Imago. Gen. 1. Similitudo Dei.

Ioan 3.

Diabolum impedire voluisse propositum Dei, & cur Deus homini præceptum posuerit.

CAPVT VII.

HOc propositum ausus est impetere, vt expugnaret Satanas, idemq; Diabolus, verbi Dei quod est veritas, sempiternus Aduersarius, ne fieret sicut proposuerat Deus. De duabus propositi eius dictionibus auferre intendit vnam scilicet similitudinem diuinam. Duo, quippe dicta fuerant, videlicet ad Imaginem & Similitudinem nostram. Ita miserum reddere intendit hominem, vt ex Deo solam retineret Imaginem, nec attingeret Similitudinem, tanquam diceret, Factus quidem sit homo ad Imaginem Dei, vt sit rationalis & æternus, sed mihi similis sit, Dei contemptor, meique imitator effectus. Cœpit prior facere Deus quod suum erat, id est, cùm creasset ad Imaginem suam hominem, cœpit illum informare ad similitudinẽ suã. Sic enim scriptum est, & notandum diligenter, præmisso: Faciamus hominem ad imaginem & Similitudinem nostram, ac subiuncto, Et creauit Deus hominem ad Imaginẽ suam, ad Imaginem Dei creauit illum. Vbi de Similitudine omninò tacitum est. Non enim creãdo, sed informando perducit Deus hominem ad Similitudinem suam, post plura sequitur ita, Præcepitq; ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autẽ sciẽtię boni & mali ne comedas. In quocũq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Hoc verbum, hoc preceptum si custodisset, profectò ad similitudinem eius qui dixerat, faciamus hominem ad Imaginem & Similitudinem nostram, benè formatus astitisset. Deus namq; qui dixerat, faciamus, Trinitas est, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et impres-

Gen. 1.

Gen. 3.

Gen. 1.

Trinitas.

impressio ꝓcepti eius si fuisset admissa, tria formasset, quæ sunt charitas, spes, & fides, quæ nunc non ab re doctrina Christiana sic reciprocat, fides, spes, & charitas. Ad id qđ dixerat: Ex omni ligno paradisi comede, Charitas debuit occurrere, vt diligeret homo Deum sufficientiam sibi offerentẽ magna largitate. Ad illud: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, Spes prompta debuit assurgere, vt consideraret largienda sibi fore maiora propter obedientiæ subiectionem, ab eo qui iam gratis tantam impẽderat largitatẽ. Ad id quod subiunxit: In quocunq;.n. die comederis ex eo, morte morieris, debuit adesse Fides hominis, vt crederet verbo Dei, tanquam veritati. Hæc ergo tria si non defuissent homini, iã tunc factus fuisset ad Similitudinẽ Dei, quoniam in his tribus haberet signaculum Trinitatis.

Trinitatis imago. Fides. Spes. Charitas.

Diabolum serpẽtem ingressum, decepto homine meruisse, vt iam dicatur Serpens antiquus.

CAPVT VIII.

EGit econtrà ille hostis Dei, vt non reciperet homo præceptum Dei, vt sibi potiùs, quàm Deo fieret homo similis. Serpentem namq; ingressus: Cur (inquit ad mulierem) præcepit vobis Deus, vt ne comederetis de omni ligno paradisi? At illa, Ne fortè (inquit) moriamur. Et ille: Nequaquã (ait) morte moriemini. Sed cur præcepit? Vultis meliùs nosse, cur ita præceperit? Ecce dico vobis. Scit enim Deus, qđ in quocunq; die comederitis ex eo, aperiẽtur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonũ & malum. Credidit mulier magis diabolo, quàm Deo, magis Serpenti, quàm Creatori, & ambo comederunt, scilicet mulier & vir. Itaq; Similitudinem Dei perdiderunt, & ei potiùs facti sunt similes, cui crediderũt, quia simile peccatum admiserunt. Propter quod enim peccatum ille cecidit de cælo, nisi quia dixit, Ascendam in cælum, & similis ero Altissimo? Quid autẽ aliud in præuaricatione illis presumere persuasit, dicendo: Comedite, & eritis sicut dij? Igitur quasi palmam de homine obtinuit Aduersarius Dei, & magnificè gloriabatur, quasi vicisset & auertisset penitus propositum Dei, vtputa dicens in corde suo: Non Deus ad Similitudinem suã, sed ego effeci hominem ad Similitudinem meam. Ex eo qui priùs causas habuerat, vt vocaretur Diabolus & Satanas, iam tertiam habet causam, vt adhuc alio nomine vocetur, scilicet, Serpens antiquus. Hoc est illi opprobrium sempiternum, quòd tali nomine censetur. Hoc illi exprobrat verbum Dei, Dei veritas, quia pro admittendo tali sacrilegio Serpentem ingressus est, venenata totus ardens inuidia. Qui enim hoc intendens cùm fuisset summus Angelus, abiectum reptile ingressus est, vt suum mendaciũ de Serpente in mulierem, de muliere in virum serpere faceret, ad perditionem totius posteritatis, ad mortem totius generis humani, nónne meritò nomen Serpentis hæreditauit?

Serpens antiquus. Gen. 3.

Esaiæ 14.

Gene. 3.

Gen. 3.

Gen. 1.

Quare Diabolus Serpens Antiquus, Deus autẽ Antiquus dierum appelletur, atq; prædicetur.

CAPVT IX.

NEc verò prætereundum, quòd non solummodò serpens, verùm & cum adiectione Serpens Antiquus cognominatur. Rectè siquidem sic prædicatur, quia multò vetustior est serpente illo visibili animante siue reptili, quem ingressus, & per quem locutus venenum deceptionis effudit. Ille nãque sexta die mundanæ creationis inter animantia cętera creatus est, dicẽte Deo: Producat terra animam viuẽtem in genere suo, iumenta, reptilia, & bestias terræ secundum species suas. At ipse videlicet Diabolus quã vetustus est? Ipse est principium viarũ Dei, ait ipse Deus ad beatum Iob: Multum ergo antiquus ille serpens est. Attamen non sic prædicatur, vel prædicari debet antiquus, quo modo Deus. Ille namq; solus sic prædicatur antiquus, vt hoc ipsum adiectiuum vice proprij nominis ponatur, vt illic: Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Itẽ. Et ecce in nubib. cęli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquũ dierum peruenit. Huiusmodi dictio per totum ponitur, qui à Grammaticis Antonomasia dicitur, videlicet cùm vice nominis, aliud quid insigniter prædicatur. Igitur serpens antiquus quidem, & ab initio nocens & persequens, Antiquus (inquam) adiectiuè dicatur. Solus autem Deus, quia ab æterno & in æternum est, quia sinè initio, & sinè fine est, propriè vel proprij nominis vice, antiquus dierum gloriosè prædicetur. Talis victor, vt sibi videbatur, qualem & quã cõgruum suæ victoriæ acquisiuit titulum? vt vocaretur extunc Serpens Antiquus, & Diabolus, & Satanas, contra quod Deus dicitur & est solus Antiquus dierum, & solus Altissimus, & solum Verbum eius veritas.

Iob 40.

Antiquus.

Danie. 7.

Antonomasia.

Diabolum, cùm deciperet hominem, ijsdem vsum fraudibus, quibus nunc Sophistæ vtuntur.

CAPVT X.

PORrò, victoria eius in qua gloriabatur (vt iam dictum est) talis erat, qualis odibilium Sophistarum esse solet. Nam per æquiuocationes, incautos & imprudentes circũuenit in primis, dicendo. Nequaquã morte moriemini, volens intelligi mortem carnis, quæ est separatio animæ & corporis, cũ Deus dicendo, In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris, intelligi voluerit mortem animæ à Deo. Deinde dicendo, Aperientur oculi vestri, apertionem oculorũ valdè nequiter æquiuocauit. Est enim alia apertio oculorum, qua cogniturí erant confusibiliter se esse nudos: Et est alia, quæ illu-

Sophistæ.

Æquiuoca

Gen. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minatio dicitur, vt nihil latere posit. Illum priorem modum apertionis oculorum ille proditor intendit, hunc autem posteriorē, seducta mulier intellexit. Similiter æquiuocè dixit. Eritis sicut Dij, se & suos Angelos cogitans, quos intendebat generi humano ita ingerere, vt diuinam illi exhiberent culturam: Ipsos autem intelligere volēs, quòd æquè vt Creator Deus vera diuinitate Dij fierent. Item dicendo, Sciens bonum & malum, boni & mali cogitabat experimētum: Ipsos autem volebat intelligere, scientiam omnium rerum bonarum siue malarum, scientiam omnium, inquam, siue præteritorum, siue præsentium, siue futurorum. Idcirco dicere noluit, scientes omnia, sed scientes (inquit) bonum & malum, vt dum cuncta euenissent contra spem, sensumque illorum, ipse nihilominùs seipsum defendere posset tanquam veracem, & omnia vera locutum. Rectè igitur sapientia, Qui sophisticè (inquit) loquitur, odibilis est, omni re defraudabitur. Non enim data est illi à Domino gratia. Omni enim sapiētia defraudatus est. Cùm hæc dicit, rectè subaudimus, quēadmodum ille Serpens antiquus, qui verè omni scientia defraudatus est. Sic in eum per Prophetam inter cætera dicitur. Perdidisti sapiētiam tuam in decore tuo. Sic enim quisquis eiusmodi est, ipse similiter quemadmodum ille Serpens omni est sapientia defraudatus, nec verè dici potest sapiens, sed malitiosus.

Aperire. *Gene.3.* *Eccl.37.* *Ezech.28.*

Hominem non ex ignorantia, non ex infirmitate, sed ex superbia peccasse.

CAPVT XI.

NEc verò tantummodò de victoria gloriabatur, verùm etiam de iustitia, siue de iusta victoria sibimet placebat, Dei & hominis inimicus nimis iniustus. Neque enim inuitum, sed volentem hominem vicerat. Deniq; neq; de ignorantia, nec de infirmitate homo excusari poterat. Quomodo de ignorantia excusaretur, cui rem per semetipsum notā fecerat Deus? Quomodo de infirmitate, qui nullas corporis vel carnis suæ pugnas patiebatur? Ne saltem esuriret, sufficere poterant cætera omnia paradisi ligna, quæ gratia largitoris abundanter vno excepto tribuerat. Ex omni (inquiens) ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Restat vt per superbiā & contemptum peccasse credatur, nolendo, scilicet pati imperium, nolendo recognoscere quòd eundem quem Creatorem & tam delicioſi paradisi habebat largitorem, deberet habere etiam Præceptorem & Dominū. Ita esse litera quoq; manifestè declarat. Cū enim dixisset Dominus Deus ad mulierem, Quare hoc fecisti? nullum subiectionis aut humilitatis verbum respondit, sed hoc tantùm dixit: Serpens decepit me, & comedi. Adam quoq; nihil aliud respondit, nisi hoc: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi, profectò respōsa hęc non consentientium Domino, haud & humilium, sed rebellium sunt & contumaciū. Palàm enim faciunt dicta hæc, quia nó quasi per vim capti, sed quasi transfugæ defecerant ab imperio legitimi Domini, & Creatoris sui. Igitur quodam quidem iure genus humanum peruasor hostis extunc detinebat, sed nihilominùs in ipsum tota perditionis hominum causa redundat. Nec veriùs iusta fuit eius victoria, quàm eiusdem inuidētis callida malitia, & malitiosa calliditas.

Gene.2. *Gen.3.*

Non Dei prouidentiam culpandam, sed creaturæ leuitatem accusandam, quum consideratur, tam Angelum quàm hominem non potuisse sustinere magni tudinem diuinæ beneficentiæ, ne superbiret.

CAPVT XII.

DIsceptant nunc vsque homines curiosi, & inquieti secretorum Dei scrutato quiunt, Deus omnipotens, & Deus omnia sciens, non præuenit, non præcauit, ne illa contingerent? Si voluit Angelum in cælo, & hominem permanere in paradiso, cur nó præuidit, cur non priùs effecit, ne vel Angelus in cælo, vel homo peccaret in paradiso? O homo quisquis es, qui versas quæstiones huiusmodi, desine sic pulsare altitudinem maiestatis creatricis, magisq; pulsa & accusa leuitatem vtriusque creaturæ rationalis, scilicet, tā Angeli quàm hominis, quia neuter ingentia Dei beneficia sustinuit, vterque grandia Dei dona in materiam vertit superbiendi. Quid enim nisi bonum creatoris donum in superbiam extulit, tam hominem, quàm Angelum. Illum in apice celsitudinis angelicæ constituit, istum patrem multitudinis hominum, multitudinis sanctorum, & Dei filiorum esse volens, in paradiso collocauit. Nimirum magna vtrisque celsitudo, illius in principatu angelico, istius in propagando genere humano. Neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit, vtpote vterque creatura leuis. Vnde autem leuitas vtriusque creaturæ, nisi ex propria cōditione? Et vt manifestiùs dictum sit, vnde vterque leuis, nisi quia de nihilo vel de non existentibus creata est? Creatus quidem est homo de aliqua materia, s. de terra, sed ipsa terra de nihilo creata. Similiter Angelus de qualicunq; materia creatus sit, ipsa eius materia de nihilo creata est, quia ergo tā Angelus, q̄ homo de nihilo creat⁹, creatura leuis est, & nisi ipsum, per q̄d⁹ creata est Verbum Dñi, Verbum increatū per amorem suscipiat, nullius ponderis est: nullum dei donū, siue beneficiū ferre potest humiliter. Quid ergo homo Deū accusas, si cuncta dona sua creaturæ subtrahit, nihilq; cōfert, ne habeat occasionem superbiendi ipsa creatura, siue angelica siue humana quid erit? Si aūt omnia vni, quæ cuilibet creaturæ conferat, nó suppor-

Scrutatores nimij, scrutatores suspicioli. *Rom.9.* *res secreta rum Dei.*

supportat creatura per elationem subuersa. Ecce comprobatum est ex duobus, scilicet ex summo Angelo & ex homine, qui prior conditus, & pater omnium fuit constitutus, quia principatum omnium nullus humiliter ferre potest, nisi Deus increatus.

Vtile fuisse, vt reuelaretur per experientiam, quod nouerat Deus, per scientiam, scilicet, non posse principatum creaturarum humiliter sustineri, nisi à Verbo incarnato.

CAPVT XIII.

COmprobatum (inquam) est, hoc notū esse valdè tam Angelis, quàm hominibus electis vtile esse. Dicit enim Apost. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum. Si omnia, nonne inter omnia tale experimentum cooperatur illis in bonū? Profectò non parua cooperatio est bonum res gesta, per quā ad cognitionem creatoris eruditi sunt & eruduntur vsque nunc. Scimus enim, & adhuc discimus recolendo ista, quæ nunquam obliuisci debemus, quia necessarium fuit, vt neq; Angelus, neq; homo quisquam principatū totius creaturæ adipisceretur, sed solus Deipse, qui veraciter dicere potest: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Planè & cùm Angelum summum in cælo, & cùm Protoplastum collocaret in Paradiso, illum super cæteros Angelos, istum vt humani generis esset vnus propagator, sciebat apud se, neutrum posse in talis disciplinę magisterio cæteris præsidere, vt diceret, Discite à me, qa mitis sum, & humilis corde. Sciebat (inquam) sed non eo modo quo scire vult res, de quibus iudiciariam debet proferre sentētiam. Exempli gratia, Sciebat quale peccatū esset Sodomæ & Gomorrhæ, & tamen dicebat: Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Ergo modo quodā nouerat, scilicet per scientiam: modo quodam non nouerat, videlicet per experimentum. Ita & antequam Angelum sublimaret in cęlo, & humani generis propagatorem in Paradiso, nouerat iam vtrunq; per scientiā, sed nondum per experimentū. Noluit ante experimentū proferre iudicium, expectans vt notitiæ suæ participes electos haberet, tā homines quàm Angelos, quod ab experimēto actum est, & vtrisq; perutile est. Sed iam ad ipsum certamen & victoriam Verbi Dei secundum res gestas recolēdam ordine accedendum est.

Rom.8. *Matt.11.* *Gene.18.*

Deum quasi dormiuisse, dum deciperet hominē Serpens, deinde excitatum, tanquam potentem crapulatum à vino percussisse inimicos suos.

CAPVT XIIII.

PAululum quasi dormitauerat dominus Deus, quodammodo dormierat, interim dum res accidit, qua se Serpens ille victorem esse, id est, propositum Dei auertisse putabat. Nisi enim dormitasset siue dormisset, nihil Aduersarius eius efficere potuisset. Hoc ipsum videlicet eū dormisse dormitione quadam, propter quam solemus dicere: Exurge, quare obdormis Domine? Scriptura innuit, cùm dicit: Et cùm audisset vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso ad auram post meridiem. Post meridiem namq; deambulare ad auram, consuetudinis humanæ est, vt post calidum soporem quispiam, qui fortè crapulatus obdormierat in aura tepida respiret, & corpus suum refrigeret ac releuet. Dormierat ergo quadam dormitione, id est, taciturnitate, permittendo Serpentem accedere, mulierē colloqui cum Serpente, virum quoq; mori pariter per inobedientiam morte animæ. Porrò vt sic dormiret Deus, culpa hominis extitit, quia Deum neque gratias agendo, neq; inuocando excitauit. Quid igitur à Diabolo factum fuerat, nisi quoddam latrociniū? quomodo gloriari solet fur cùm furatus recesserit, sic ille deceptor ad horam gloriari pro scelere suo potuit. Verùm sicut tempore longè posteriori factum, & scriptum est. Et excitatus est, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos. Ita & de illo tempore rectè dici potest, excitatus enim est tunc, tanquā potens crapulatus à vino, id est, tanquam negligens factus hominis propter ausum superbiæ, qua Deo fieri similis ambierat homo. Excitatus (inquam) est, i. requisiuit perditum, & percussit inimicos suos, videlicet Serpētem, virum & mulierem. Quo percussit eos? Nimirum verbo suo, verbo victorioso, singulis quidē pro meritis, sed non eadem animaduersione percussit. Nā quomodo percutit quis inimicum suum vt interficiat illum, ita percussit Serpētem antiquum vt damnaret, imò vt damnationis sententiam confirmaret super eum. Et quomodo percutit quis filium vel seruum suū, vt corripiat eum, ita percussit superbiētem hominem, vt ad humilitatem, quæ initium salutis est, reduceret eum.

Psalm.43. *Gen.3.* *Psalm.77.*

Quibus verbis, & quare Serpentem, virum, & mulierem increpauerit Deus.

CAPVT XV.

AIt enim ad Serpentē, quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animātia terræ, super pectus tuum gradieris, & terrā comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & cōceptus tuos. In dolore paries filios tuos, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adę verò dixit, Maledicta terra in ope tuo, in laborib. comedes ex ea, &c. vsq;. Donec reuertaris in terrā de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Profectò neq; mulieri, maledicta es: neque viro, maledictus es, dixit: sed tantú hoc, maledicta

Gen.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maledictio terræ.

lecta terra in opere tuo. Cuius videlicet terræ maledictio nō aliud est, quàm multimoda & frequens afflictio, quàm per varios euentus terræ ex eo corruptæ & deteriorate affligitur homo. Soli serpenti dixit, maledictus eris, quo videlicet dicto, firma & immutabilis intelligenda est sententia ęternæ damnationis. Quamuis enim ita litera sonet, vt de animante Serpente posit intelligi, nihilominùs tamen & multò ampliùs de serpente Diabolo totum oportet intelligi. Alioquin quomodo pro maledicto vel pœna maledicti reputabitur illi, quod dictum est ei, Super pectus tuum gradieris, cùm hoc ipsum priùs à natura habuerit, quàm Diabolus eo vsus fuit ad perditionem hominis.

Super pectus gradi.

Magis ergo illi serpenti antiquo hoc positū est in maledicto, vt supra pectus suum gradiatur, & terram comedat cunctis diebus, id est, vt super homines eo tantùm, qui ita terra sunt, vt non desiderent, aut respiciant cælum, quærat & deuoret odio insatiabili, corde impœnitenti, ita datus in reprobum sensum, vt contra intentionem suam, semper bonum Dei circa electos, dum impedire nititur, magis expediat, & adiuuet propositum. Quod est miro modo gradi super pectus proprium. Porrò ad mulierem & ad virum quæcunq; dicta sunt, etiam ipsa mors corporis, quam imponens misericors Deus. Quia puluis es, ait, & in puluerem reuerteris, verba sunt corripientis & saluare cupientis, & iam tunc vias hominis auersi, sepiētis spinis, vt saltem sola vexatio det intellectum auditui, memoremque faciat hominē suæ conditionis, vt humiliatus corrigi possit & saluari.

Rom. 1.

Quare prima promissio cōterendi Serpētis, quæ fuit caput Victoriæ Verbi, nō ad mulierem, sed ad Serpētē facta sit. CAPVT XVI.

CApitulum distulim⁹ quod maximum est, & maximè ad præsentis operis rationem pertinet, videlicet illud, quod ad serpentem post alia suprà memorata dixit Deus: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Quid primum in hoc verbo gratiosa Fides miretur? quid potissimùm collaudet? Verbi veritatem, an Verbi & Patris eius bonitatem? Vtrumque collaudet, vtrumq; dignè prædicare desideret, quia verè magna bonitate sic elocutus est, magna & constanti veritate locutio eius adimpleta est. Inimicitias, inquit, ponam inter te & mulierem, tanquam diceret. Nunc mulier simul & viri tibi fœderati sunt, tecumque fecerunt pactum, & cum morte fœdus percusserunt, vt pote, quia à facie mea profugi atque absconditi, dum requiruntur à me, quare hoc fecerint, contemnunt vocem commonentis, & defendendo peccatum suum palàm faciunt, quia tibi fauent, tibi consentientes tui amici

Gen. 3.

sunt. Ego autem huiusmodi amicitias dissoluam, inter te & mulierem inimicitias ponā. Cur hoc ad ipsam mulierem non dixit? Poterat namque, vbi dixit mulieri, multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, &c. hoc ipsum sic ad eandem dicere, Inimicitias ponam inter te & serpentem, & semen tuum & semen illius. Cur ergo non dixit? Nimirum duplicem ob causam: Primùm, quia propter peccatum & peccati defensionem hoc mulier non merebatur, vt iam tunc ad eam promissiones tales, promissiones tantę gratiæ faceret Deus. Deinde quia non ad ipsam Euam, sed ad alteram eiusdem sexus personam, videlicet ad beatam virginē Mariam intendebat ipse qui loquebatur. Rectè igitur non ad mulierem malè meritam facta est auxiliatricis gratiæ promissio, sed potiùs ad serpentem hostilis & bellica comminatio. Quid autem hoc dicto Deus, nisi semetipsum in proposito suo manere velle testabatur? Serpens namq; insidiabatur, ne fieret quod proposuerat Deus, dicendo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Vicisse, & hoc propositum se auertisse gloriabatur. Deus autem eiusdē propositi sui victoriam in potestate habēs, serpenti comminabatur.

Gen. 1.

Per mulierem & semen illius intelligi quidem omnes Electos, præcipuè tamen beatam virginem Mariam, & semen eius, qui Christus est, sicut per semen Serpētis, eos qui sunt ex patre Diabolo, intelligimus.

CAPVT XVII.

EQuidem principaliter beata virgo Maria, Mulier illa est, inter quam & serpentem inimicitias posituram se dixit, & posuit Deus: & semen illius, Filius est ipsius, Iesus Christus. Veruntamen quoniam mulier, vniuersale fœminei sexus nomen est, omnes per mulierem intelligimus personas electas fœminei sexus, & per semē mulieris oēs personas electas virilis sexus, quarum omnium videlicet personarum vtriusq; sexus Iesus Christus, cùm eadem ex qua factus est muliere, princeps & caput est. Quòd si ratio quæritur, cur per semen mulieris personæ intelligi debeant sexus virilis: Aiunt, qui de naturis scripserunt, ex paterno semine puellas, & ex materno pueros nasci, quia duplici semine constat omnis partus cuius maior pars inualuerit, occupat similitudinē sexus, igitur cùm dicit: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semē tuum & semen illius, oēs Electos, tā fœminei quàm virilis sexus, per mulierem & semen illius intelligimus, & econtrà. Sicut per serpētem Diabolus, ita & per semen serpentis omnes iniqui & maligni homines imitatores eius rectè intelliguntur, licet neminē genuerit aut creauerit ille. Nā si iniqui & impij homines, serpētis. i. Diaboli semen non essent: nequaquam Dominus diceret Iudæis: Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis. Itemque vos

Gen. 3.

Geminus viperarū.

Ioan. 8.

facitis

facitis opera patris vestri, profectò Diabolum volens intelligi. Sequitur enim protinus in eodem sermone. Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Eorum qui tam constanter dicuntur semen Serpentis, id est, filij Diaboli, causa vt nascerentur peccatum extitit, dicente Deo ad mulierem, postquam peccauit consentiens Diabolo, Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos. Porrò illorum qui intelliguntur per semen mulieris, causa vt nascerentur extitit benedictio Dei, qua ante preuaricationem primis hominibus benedixit, sicut scriptum est: Masculum & fœminam creauit eos, benedixitque illis, & ait, Crescite & multiplicamini.

Gen. 3.

Gen. 1.

Hanc inimicitiam caput & initium fuisse bellorum Domini, & quod sacra Scriptura dicatur liber bellorum Domini, & liber iustorum. CAP. XVIII.

Num. 21.

CApitulum hoc initium est libri bellorum Domini, cuius Moyses hoc modo meminit. Siquidem Arnon, ait, terminus est Moab, diuidens Moabitas & Amorræos, vnde dicitur in libro bellorū Domini. Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Quis enim est ille liber bellorū Domini, vel quæ sunt bella Domini? Constat nimirum ante ipsam, in qua hoc scriptum est, Legem Moysi, nullos fuisse materiales, vel manu scriptos libros bellorum Domini, sed nec vlla nouimus bella alia Domini, nisi illa, quibus extunc positis inimicitijs inter mulierem & serpentem. Inter semē mulieris, & semen serpentis hactenus certatum est, & certabitur vsq; in finem sæculi. Et cōtritum est caput serpentis, & idem videntibus cunctis præcipitabitur in die iudicij, quę victoria est verbi Dei. Ergo liber bellorum Domini vniuersa sancta Scriptura est, cuius partem præcipuam, scilicet Pentateuchon Moyses ipse scripsit, & cætera volumina Sacra veteris ac noui Testamēti scribenda esse nō ignorauit, cū esset Propheta, qualis vltrà nō surrexit in Israel, sicut de illo scriptū est: Quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis atq; portentis. Et quis dubitet librum eiusmodi, scilicet sacram Scripturam, librum esse vel rectè dici bellorum Domini? Quid enim aliud cōtinetur vel agitur in Scripturis sanctis, nisi bellum & certamē verbi Dei ad destructionem peccati & mortis. Dicitur autem eadem Scriptura sacra, liber iustorum. Scriptum est enim, Planxit autem Dauid planctum super Saul, & super Ionathan filium eius, & præcepit vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum. Idem enim est ac si dicatur: Quomodo malè pugnatum fuerat propter Saul, quia verbum Domini non custodierat, præcepit vt docerent filios Iuda, in quo sperare deberent belli fortitudinem, quæ intelligitur per arcum, id est, vt sic pugnare & victoriam sperare discerent, sicut docet omnis liber iustorum, omnis textus Scripturarum sanctarum. Igitur ab hoc initio libri iustorum, libri bellorum Domini, quo sic Deus edixit, inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipsa cōteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Ab hoc, inquam, initio tanquā de monte excelso virtutem contemplemur verbi Dei, descendentem velut in campi planiciem aduersus malitiam siue mendacium diaboli, Serpentis antiqui, qualiter pugnauerit, qualiter vicerit atque triumphauerit, vt cōpleto proposito suo, in quo benedicens primis hominibus in constitutione mundi, dicat tandē: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Liber bellorū Domini.

Deut. 34.

Gen. 3.

Gen. 1.

Matth. 25.

Inter Cain semen Serpentis, & Abel semen Benedictionis, Dominum statim inimicitias posuisse, & Abel victoriam Verbi sua morte figurasse.

CAPVT XIX.

PRimum Serpentis semen extitit Cain. Hinc Ioan. in epist. sua: Non, inquit, sicut Cain, qui ex maligno erat, serpentis ergo semen erat, videlicet imitatione inuidiæ, nō natura. Porrò semen mulieris, semen benedictionis dei, primus extitit Abel. Semen autem mulieris dico, quia fuit nō ex peccato, propter quod mulieri dictum est, Multiplicabo ærumnas tuas & cōceptus tuos, sed ex bono benedictionis, qua ante peccatum benedicendo & dicendo, Crescite & multiplicamini, nasci iusserat omnes sanctos. Inter hoc semen mulieris, & illud semen serpentis, deus memor propositi sui, statim inimicitias posuit. Inimicitiarū principium illud extitit, quòd à semetipsis dissenserunt studijs diuersis, imò contrarijs. Cain namq; infidelis & agricola extitit, Abel fidelis & pastor ouium fuit, de quo Apost. Fide, inquit, plurimā hostiam Abel, q̄ Cain obtulit deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius deo. Eo nimirum modo maximè deus inimicitias posuit inter eos, videlicet muneribus Abel testimonium perhibēdo. Sic.n. scriptum est, Et respexit dñs ad Abel & munera eius, ad Cain verò & ad munera illius nó respexit. Iratusq; est Cain vehemēter, & concidit vultus eius. Inimicitias ergo inter vtrunq; deus posuit, quia respect⁹ dei in Abel, semini nequā inimicitiarum & odij causa extitit. Sed & illud considerandum, quia contra serpentem in ipsa oblatione sua, pius Abel visibiles inimicitias exercuit, offerendo agnum simplex animal, & innocuum cōtra serpentem malitiosum atq; nocuum. Sed quid euenit, qualis inimicitiarum tunc euētus extitit? Pium impius occidit, Semen bonum inuidia seminis nequam extinxit. Ecce initium bellorū dominī. Hic primus ex facie verbi dei, victoriam eiusdē verbi, piæ mortis præcursione declarauit.

Liber iustorum.

2. Reg. 1.

Gen. 4.

Hebr. 11.

Gen. 4.

Gen. 1.

Gen. 4.

Abel

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abel per iustitiam fidei, ad similitudinem Dei factum, & hominibus mortuum, Deo melius viuere, imò loqui etiam.

CAPVT XX.

ECce iam vnum hominem de massa illa, cuius principia fuerunt Adam & Eua, iuxta suam prouexit intentionem bonam, quam proposuerat dicendo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Iste enim non solùm ad imaginé Dei factus est, id est, rationalis, quod non negatur etiam de maligno Cain, verùm ad similitudinem quoque eiusdem Dei, in eo quòd imitator eius extitit, per iustitiam fidei. Amplius autem in eo spectat, ad similitudinem Dei, quòd pulcherrimam in semetipso prætulit figuram verbi Dei, verbi incarnandi, & per patientiam peracturi victoriam peccati & mortis. Notum est alumnis sanctæ Ecclesiæ, penè cunctis, quod dicimus, quia in Abel Christus, in Cain, qui illum occidit, Iudaicus populus, qui Christum erat occisurus, in voce & clamore sanguinis Abel, accusatio sceleris Iudæorum inexcusabiliũ, in terra quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem Abel, Ecclesia quæ sanguinẽ Christi fideliter in sacramento bibitura erat, pia similitudine signabatur. Non ergo vinci, sed vincere incipiebat verbum Dei, propositum Dei, in morte iusti. Qui tunc reuera perfectus est, ad imaginem & similitudinẽ Dei, quando tali modo decidit. Etenim hominibus quidem mortuus est, sed Deo viuit, Deo loquitur, imò & nobis loquitur, & verbum Dei sonat sanguis eius. Nam & ipse Deus, Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et Apostolus Dei cùm dixisset: Fide plurimam hostiam Abel obtulit Deo subsecutus, & persecutus, & per illã, inquit, defunctus adhuc loquitur. Nónne & hoc ipsum testatur in Euangelio Dominus, qui cùm de mortuis daret testimoniũ resurrectionis, dicente Deo: Ego sum Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Protinus assumpsit dicens, Deus non est mortuorum Deus, sed viuorum. Omnes enim ei viuũt. Ex abundanti est hoc astruere qđ omnium primus Abel mortuus hominibus nihilominùs vixerit Deo, nisi quòd delectabile est insultare Serpenti antiquo, qui tam fatuus est, vt iam victorem faciat Deum in bono proposito, dum cupit ipse esse victor. Quia quem fecit interfici hominibus, meliùs fecit viuere hominibus, & Deo, verè super pectus suum gradiens, idem nequissimę intentioni suæ omninò contraria efficiens.

Gen. 1.

Hebr. 11.

Gen. 4. Hebr. 10.

Matth. 22.

Generationem Cain, qui erat semen Serpentis, velocius pullulasse, ciuitates & regna constituisse, ităq; Cain reproborum, Abel autem electorum generationis principium fuisse, eaq; deinde secundum carnem connuptas diluuij vindictam meruisse.

CAPVT XXI.

INterea velociter pullulabat semẽ Serpẽtis, quod erat Chain, videlicet secundum imitationem patris eius, id est, Serpentis antiqui, vtputa homicidæ & inuidi, quia per inuidiam & ipse occidit. Velociter, inquam, pullulabat semen illud, iamq; regnare properabat, condens ciuitates & oppida, sicut scriptum est. Et ædificauit Cain ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Enoch. Porrò semen mulieris siue semen Dei, tardiùs veniebat, imò à radice perijsse videbatur, quando Abel non relicto semine, id est, nullos habẽs liberos, fuerat interfectus. Sciendum quippe est, Cain & Abel duarum generationũ fuisse principia, quarum altera reproborum, altera electorum generatio est. Sunt quidem generationes istæ, secundum carnem commixtæ, sed hoc accidit per peccatum, quia cùm cœpissent homines multiplicari super terram, videntes filij Dei, filias hominum, quòd essẽt pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Hocita contra Dei statutũ euenit, sicut & illud, quod longè posteriùs filij Israel, contra præceptum Domini duxerunt vxores filias Chananæorum, ipsiq; filias suas, eorum filijs tradiderunt: vndè & accidit, vt per mulieres subuersi, facerent malum in cõspectu Domini, seruiendo Dijs alienis. Sic, inquam, & illud contra Dei præceptum extitit, quòd tunc filij Dei, id est, homines electæ generationis, filias hominum, id est, generationis reprobę, cuius Cain erat principium, vxores acceperunt. Vndè & ita corrupti sunt, vt Deus induceret diluuium, & deleret eos. Pœnitet enim, inquit, me fecisse eos. Cùm igitur sublatus esset iustus Abel, quasi de victoria tumidus Serpens sibi plaudebat, eo quod sublato bonæ generationis seminario, sola in mundo pullularet generatio sua, generatio mala & adultera.

Cain. Abel. Duarũ generationũ principia. Gene. 6.

Gen. 4.

Gen. 6.

Electorum generationem, deleto Abel, tardiùs per Seth & Enos restauratam, non habere hic ciuitatẽ permanentem, sed futuram inquirere.

CAPVT XXII.

SEd cognouit adhuc Adam vxorem suã, Gen. 4.
Sait Scriptura, & peperit filium, vocauitq; nomen illius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quẽ occidit Cain, sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomẽ Domini. Ab isto ergo semine mulieris, altera generatio rectorum, quæ secundum carnem defecerat, in Abel resuscitata est. Vndè & congruum satis vocabulum posuit illi pater, vt vocaret eum Seth. Seth namq; resurrectio interpretatur. Nimirum vel prophetico spiritu, vel ab experimentis quibuslibet Adam prædoctus est, vt sciret eum esse de Patre Deo, & per generationem eius implendum esse propositum Dei, vt prædestinati nascerentur electi, & ideirco dixit, Posuit mihi Deus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain.

Gen. 5.

Cain. Quanta mora fuerat antequam resuscitaretur hoc principium bonæ generationis? Vixit Adam, inquit, centum & triginta annos, & genuit ad similitudinem & imaginem suam filium, vocauitque nomen eius, Seth. Nimirum per tot annos Adam potuit genuisse filios & filias, nec solus Adam potuit genuisse filios & filias, nec solùm Adã, sed & ipse Cain, qui iam ciuitatem condebat. Rectè ergo & veraciter sapiens dixit: Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimis benedictione carebit. Hoc enim non solùm in quolibet homine, verũ etiam in vniuersitate hominum, certis claret experimentis, quia videlicet generatio Cain, id est, semen Serpentis, & cum festinatione venit, & cum festinatione ciuitates cõdidit. Generatio autem Abel siue Seth, semen Dei, quod posuit Deus pro Abel, & tardiùs venit, & ciuitatem hic manentẽ non habuit, sed futuram inquisiuit.

Prou. 20.

Generationem filiorum Dei, denuò per mulieres, callido antiqui Serpentis consilio corruptam fuisse.

CAPVT XXIII.

QVid ageret, quò seuerteret ille Serpens antiquus, dum semini suo contrarium semen Dei multiplicaretur? Inuenit quid faceret, vndè Verbum Dei superare, propositumque eius adhuc sese auertere posse sperabat. Sciebat, quòd per mulierem, virũ primum cepisset. At verò tunc multæ succreuerant mulieres pulchrę & concupiscibiles, & viri quamuis iusti, ad libidinem proni, vtpote de viciata radice nati. Sciens ergo valere sibi ad mortis ipsorum prouentum, consortia mulierum alienarum, id est, earum, quæ de generatione Cain, exortæ sunt, egit vt fieret, quod Scriptura factum narrat, dicens: Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, filiasque procreassent, videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnib. quas elegerant. Ecce primus effectus, primumque experimentum, propter quod veraciter de illo ad B. Iob dictum est: Virtus eius in lumbis eius, & potestas eius in vmbilico ventris eius. Per luxuriam namq;, quæ viris in lumbis, & fœminis in vmbilico est, rem tantam effecit, vt virtuosus sibi videretur, & potens siue fortis. Quia secundum intentionem suam non parum profecisse sibi visus est, in eo, quòd filios Dei, filijs siue filiabus hominum fecit conformes, vt nulla vel parua esset discretio generationis Cain, & generationis Seth. An parum sibi visus est fecisse, quum is, qui proposuerat dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, talem, tamq; diuersum protulit sermonem, Pœnitet me fecisse hominem? Sic enim scriptum est. Delebo (inquit) hominẽ quẽ creaui, à facie terræ ab homine vsque ad animãtia, à reptili vsq; ad volucres cæli. Pœnitet me fecisse eos. Si ergo ritè perpendis vanitatem Serpentis blasphemi, leuitatemque inimici præsumptuosi, haud dubium, quin multum res illa magnos eius flatus auxerit, vt putaret, se omninò auertisse propositum Dei, verbumque eius fecisse vacuum ad ipsum reuerti.

Gen. 6.

Iob. 40.

Gen. 1.

Gen. 6.

Quo pacto sit intelligendum, quod Deus dixit: Pœnitet me fecisse hominem, & delebo hominem, quem creaui à facie terræ.

CAP. XXIIII.

INterim quid rogo est, quod vel scriptor de Deo loquẽs, pœnituit eum, ait, quòd hominẽ fecisset in terra? Vel quòd ipse Deus, cùm dixisset, delebo hominẽ, quem creaui à facie terrę, subiunxit. Pœnitet enim me fecisse eos? Si idcirco delere se dicit hominẽ quia pœnitet eum fecisse hominem, cur vel vnum tantopere, tantoque miraculo reseruat hominem, de cuius posteritate rursus multiplicẽtur homines boni & mali, & pauci quidem boni, multi verò mali. Valdè repugnat hoc sensui, quem signare videtur litera dicens, quia Deum pœnituit. Nec verò factum hoc solùm repugnat, ne sicut sonat litera, passiua intelligatur Dei pœnitudo. Verumetiam & alterius loci Scriptura, quæ dicit, Quia non est Deus, quasi filius hominis vt mutetur. Itemque de pœnitudine ait: Non flectetur, neq; enim homo est, vt agat pœnitentiam. Si igitur Deus non quasi homo vel filius hominis est vt mutetur, & si pœnitudine non flectitur (vt verbi gratia nec nunc quidem quando dicit, pœnitet me fecisse hominem, vniuersum deleat hominem) qualiter in hoc dicto & loquentis veritatem, & non pœnitentis mutabilem seruabimus maiestatem? Hic primò sciẽdum est, magnam eius, quæ Deo ascribitur, & eius, quæ homini accidit, pœnitudinis esse distantiam. Homo namq;, cùm sit mutabilis, aliquando de malis vel iniustis, aliquando de bonis quoq; & iustis actibus suis pœnitudinem gerit. Et neuter huius, id est, humanæ pœnitudinis modus, in sapientem cadit. Sapiens namq; apud Philosophos seculi illę esse conceditur, qui neq; mali vel iniusti quicquam, quod pœnitudo corrigat, admisit, neq; bonum aliquod vel iustum, quod gessit in prauum mutauit. Quòd si talis pœnitudo in sapientem non cadit, quantò magis Deo nunquam accidit? Ille namq; non nisi de bonis vel iustis nunquam pœnitudinem gessit aut gerere potuit, quia mali quippiam vel iniusti committere nunquam potest aut potuit. Multum ergo à pœnitudine hominis differt Dei pœnitudo, quæ nimirũ non aliud est, nisi vel à misericordia ad iudicium, vel de iudicio ad misericordiã transitio. Nam istę sunt vniuersæ viæ Dñi, misericordia & veritas iudicij. Est aũt, quando de misericordia transiens ad iudiciũ, nequaquã pœnitudine flectitur, vt de iudicio rursus transeat ad misericordiã, videlicet dum ho-

1. Reg. 15.

Gene. 6.

Pœnitere Dei.

Sapientis pœnitudo.

Vię Domini.

Psal. 27.

C mo

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo peccator contra Deum permanet impœ
1. Reg. 17. nitens, vt idē Saul, de quo cùm dixisset do-
minus, Pœnitet me, quòd constituerim Saul
Regem, Postea Samuel contra eundem lo-
quitur: Porrò triumphator in Israël nō par
cet, & pœnitudine non flectetur. Neq; enim
homo est, vt agat pœnitentiam. Est etiam,
quādo post misericordiam, vel inter ipsam
misericordiæ largitatem, exercens iudiciū,
nequaquam tamen à misericordiæ proposi
to vlla pœnitudine deflectitur. Exempli gra
8. Reg. 11. tia, vt in Dauid, super quem post multā mi-
sericordiā, sæuerum propter Vriam Ethæ-
um iudicium exercuit, nec tamen eundem
à facie sua proiecit, sicut proiecerat Saul. Se
cundum hanc misericordiæ & iudicij dispē-
sationem, pœnituit quidem eum fecisse ho-
minem, id est, de misericordia filijs Dei im-
pensa vel impendenda, transiuit ad iudiciū.
Veruntamen eādem pœnitudine flexus nō
est, vt bonum desereret propositum, pro-
pter quod fecerat hominem primum.

Quid sit, quod Moyses de Deo scripsit: Et præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus.

CAP. XXV.

Gen. 6. QVid de hoc dicemus, quòd non solùm
pœnituisse, verùetiam intrinsecus do-
lore tactum fuisse Dominum, Scriptura te-
statur? Sic enim scriptum est: Pœnituit eum,
quòd hominē fecisset in terra, & præcauens
in futurum, & tactus dolore cordis intrin-
secus. Delebo, inquit, hominē. Dicit aliquis,
more humano Scriptura loquitur, quia lo-
quitur hominib. Ita esse consentimus. Verū
tamen necesse est verum esse, quod Scriptu
ra loquitur veritatis. Dolore cordis nomi-
Affectus animi. num tactum fuisse pronunciat. Porrò dolor est quædam passio, de quatuor passioni
bus vna, quarum hæc sunt nomina. Dolor si
ue tristitia, gaudium siue inepta lætitia, pie-
tas siue timiditas, spes siue cupiditas. Has
quatuor passiones, imò vitia, pueri legimus
apud Poëtam insignem dicentem quàm bre
uissimè, Hanc metuunt homines, cupiunt,
gaudentq; dolentq;. Cùm ergo sit impassi-
Affectus fidelium. bilis diuinitas, offenditur quispiam, quoties
pro re mentio fit huius loci, vbi dolore cor
dis intrinsecus Deum fuisse tactū sacra nar-
rat Scriptura. Sed econtra, sciendum, quia
dolor alius, gaudium aliud, alia spes, alius ti
mor, à sancta nobis Scriptura prædicantur,
quæ non passiones, siue vitia, imò summæ
virtutes è spiritualibus spiritualiter intelli-
guntur. Est enim dolor, id est, pietas, quam
Gal. 5. efficit Spiritus S. vnde & Spiritus pietatis di
citur. Est gaudium fructus eiusdē Spiritus,
sicut dicit Apostolus: Fructus autem Spiri-
tus, est gaudium &c. Est & spes primarum
virtutum media, sicut ait idem, qui suprà,
Nunc autem manēt, fides, spes, charitas, tria
1. Cor. 13. hæc. Est & timor sanctus, virtus & virtutū
custos, quem idem Spiritus S. efficit, vndè
& in ordine septem spirituum, sicut spiri-
tus pietatis (vt iam dictū est) ita & iam prædicatur spiritus timoris Domini. Non igitur offenditur fidelis animus, tanquam incō
uenienter de impassibili deo prædicetur, q
sicut litera sacra prædicat, dolore cordis ta-
ctus fuerit intrinsecus, quia reuera, sicut &
alibi veritas prophetica testatur: Deus est ę-
mulator & vlciscens dominus. Nec omni- Naum. 1.
nò quispiam Deum veraciter imitatur, nisi
sit particeps boni zeli vel æmulationis eius.

Quo dolore Deus tactus esse dicatur intrinsecus.

CAP. XXVI.

DOlor namque cordis, quo tactus est
intrinsecus, tam fortis, tam pius, & im- Zelus.
passibilis Deus, zelus bonus est, & ideirco
non passionem, sed virtutem dicimus dolo
rem eius, vt verè est. Econtrario, inuidi pia
boli, per quam mors intrauit in hunc mun-
dum, zelus malus est, & ille zelus passio ma
gna & misera, summumque vitium est. V-
trunque zelum definire libet. Zelus bonus
est diligere homines, odisse autem hominū Zelus bonus.
iniquitates. Econtrà, zelus malus est, odisse Zelus malus.
homines, diligere autem hominum iniqui-
tates. Et ille quidem Dei est, iste autem ze-
lus diaboli est. Deus namque primus est, &
præ omnibus diligit hominem, odit autem
hominis iniquitatem. Imitantur autem hūc
quicunque homines proximos suos ita dili
gunt, vt odio habeant & persequantur ma-
la facta ipsorum. Econtrà, diabolus primus
& præ omnibus odit hominem, & diligit ho
minis iniquitatem. Imitantur autem illum,
qui homines vel fratres suos ita oderunt, vt
eorum diligant iniquitatem, id est, non dili
gunt nisi consentiant vel consimiles sibi fi-
ant ad faciendum iniquitatem. Ista zeli op-
positio contraria, Diabolum Deo contra-
rium, & hominibus constituit inimicum, &
vtriusq; zeli continuum ab initio vsque ad
finem seculi perseuerat duellum, semper
vincente zelo Domini exercituum, semper
zelo diaboli cadente in confusionem & op
probrium. Diabolus in zelum amaritudinis
dum ad iniquitatem, quæ mors animæ est,
hominem allicere non potest, ad occidendū
corpus per ministros suos consurgit. Deus
autem eum quidem à quo zelus eius recef-
sit peccatoris vel impij, pro eo, quòd de ini-
quitate incorrigibilis est, & corpus & animā 1. Cor. 10.
in gehennam mittit. Eum autem, pro quo
zelari dignatur, punit temporaliter ne pu-
niat æternaliter. De huiusmodi Apostolus,
Dum iudicamur aūt, inquit, à Domino cor
ripimur, vt non cū hoc mundo damnemur.

De Diluuio, imò tribus Iudicijs Dei.

CAP. XXVII.

POenitudine igitur & dolore cordis ta-
ctus intrinsecus, id est, bono zelo excita
tus, quid dixit? quid fecit Dominus Deus? Gen. 6.
Non, inquit, permanebit spiritus meus in
homine in æternum, quia caro est, eruntq;
dies illius, centum viginti annorum. Ac de-
inde

inde ad Noë, Fac tibi, ait, arcam de lignis le-
uigatis. Ecce ego adducam diluuij aquas su
per terram, vt interficiam omnem carnem,
in qua vitæ spiritus est subter cęlū. Vniuer-
sa quæ in terra sunt, consumentur. Iudi-
cium hoc victoriæ Verbi Dei pars magna,
triumq; Iudiciorum eius quoddam mediū
Tria iudicia Dei. est. Notum quippe est, tria tremendæ Maie
statis eius esse iudicia. Primum, quo Diabo-
lus & Sathanas ille de cælo proiectus est. Se-
cundum hoc, quo mundus per aquam mū-
datus perijt. Tertium, quod in nouissimo
die futurū est per conflagrationem ignis. Et
primo quidem, soli Angeli: secundò, soli ho
mines iudicati: Tertiò, tandem & homines
& Angeli sunt iudicandi. Itemq; primi pœ-
na iudicij, solis Angelis: pœna secundi, solis
hominib. pœna tertij, simul & Angelis & ho
minibus pro sui qualitate conueniens vel
sufficiens parata est, mira & terribili dispo-
sitione Creatoris. Angelos quippe, & non et-
iam homines aëris substātia vehit, in quem
Angeli Dæmones facti de cælo sunt præci-
pitati. Econtrà, Non Angelorum vel spiri-
tuum, sed hominum vitam aquarum sub-
stantia suffocare potest vel potuit, quibus
inundantib. tunc homines terribiliter sunt
deleti. At verò substantia ignis, tam Ange-
Matth. 25. los, quàm homines vrere simul poterit, vt
Gene 6. testatur ipse Dominus dicturum se, profi-
Deus pœnis miserorum non delectatur. tens malis hominibus: Ite maledicti in ignē
æternum, qui paratus est Diabolo & Ange-
lis eius. Non igitur vanè præmissum est, De
um pœnituisse, & dolore cordis tactum fu-
Iohan. 5. isse intrinsecus, quia videlicet tanti iudicij
pœnam erat illaturus. Ipse est qui miserorū
pœnis non delectatur, nec rursus potest ne-
gligens esse aut iniustus, vt peccata secundū
modum cuiusq; non vlciscatur. Hinc ait i-
pse in Euangelio, Nō possum ego à meipso
facere quicquam, sed sicut audio, iudico. A
A seipso quippiam facere. seipso namque facit & iudicat, quod audit is
qui merita rerum subuertit & inordinata
relinquit. V.g. vt dicat bonum malum, &
malum bonum, & pro fauore suo sicut iu-
stum ita & iniustum dimittit impunitum.
Hoc qui facere non audet homo vtcunque
iustus est, qui autem non vult, iustus & san-
ctus est, qui aūt facere nunquam possit aut
potuit, solus Deus est, qui natura iustus est.

Quid sit, quod Dominus dixit: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.

CAP. XXVIII.

QVare autem facturus hoc iudiciū præ-
misit, dicens. Non permanebit spiritus
Gen. 6. meus in homine in æternum, quia caro est.
Psal. 103. Nónne & antequam hoc diceret, auferebat
spiritum homini Deus, & deficiebant, & in
puluerem suum reuertebantur? Nónne &
Gen. 3. primò dixerat homini: Donec reuertaris in
terram, de qua sumptus es, quia puluis es, &
in puluerem reuerteris? Imò nónne idcirco
emiserat eum de paridiso, ne viueret in ęter
num? Dixit enim cum ironia grauissima, di
xit iam tunc dolore cordis tactus intrinse-
cus: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus Gen. 3.
est, sciens bonum & malum, statimq; subiū-
xit. Nunc ergo, ne fortè mittat manum suā,
& sumat etiam de ligno vitæ, & comedat &
viuat in æternū, emisit eum Dominus De-
us de paradiso voluptatis. Quid ergo sibi
vult, quòd quando filij Dei, filias hominū
vxores acceperant, illæq; genuerunt Gigan
tes, id est, viros famosos & potentes à secu- Gigantes.
lo, quando corrupta iam erat terra, omnis-
que caro corruperat viam suam, cum
propter hoc vellet inducere diluuium, qua-
si tunc primùm decernens, dixit: Spiritus
meus, id est, spiritus à me datus, siue ad ima
ginem meam factus, non permanebit in ho
mine in æternum? Quid inquam, nisi omni
bus seculis satis factum esse vult ab experi-
mentis, quòd sapienter & vtiliter, rationa-
biliter, & misericorditer faceret, hoc ipsum
quòd hominem morte animæ iam mortuū,
per peccatum, in corpore immortalem esse
noluit, edicendo illi: quia puluis es, & in pul
uerem reuerteris, præueniendo illum, & e-
ijciendo de paradiso voluptatis, ne fortè mit
tens manū, sumeret & comederet de ligno
vitæ, & viueret in æternum. Igitur cùm di-
cit, Non permanebit spiritus meus in homi Gen. 6.
ne in æternum, Hoc eum intendere arbitra
mur, vt approbemus & laudemus bonum
eius consilium, quia verè, quòd hominem
in anima mortuum vetuit esse corpore im-
mortalem, hoc fecit misericorditer nobis
consulens, & sicut scriptum est, præcauens
in futurum. Quid enim si propter vitam lō
giusculā, qua tunc viuebat, alius annos non-
gentos triginta, alius nongentos quinq;, ali-
us nongentos sexagintaduos, alius nongen-
tos sexaginta nouem, vt Mathusala. Si, in-
quam, propter tantulam viuendi moram,
quæ ad æternitatem comparata, nec momē-
ti quidem, vel puncti rationem obtinet, ita
superbiebant homines viri famosi, à seculo
potentes atq; Gigantes, id est, Dei contem-
ptum habentes, mente superbissimi, & car-
ne corruptissimi, sicut ipsa Scriptura semel
& iterum atq; tertiò, imò & quarto inculcans & replicans manifestè asserit, quid egis-
sent, vel quales fuissent, si sese nunquā mo-
rituros esse [illegible]rent? Perpendat, qui potest,
quia reuera nec leuiter dictum est, præcauēs
in futurum: nec leue fuit aut paruum, quod
præcauit Deus impedimentum salutis suo-
rum ad æternam gloriam prædestinatorū,
cupiens bonum viq; ad victoriam perduce
re propositum. Arbitrari namq; licet, quia
non minùs in hominibus quàm in Dæmo-
nibus incorrigibile fuisse superbiæ malum,
addita corruptione carnis vltra miseriam
Dæmonum, qui carnei non sunt.

Quare Noe, accepta sententia perdendæ vniuersæ carnis, non interfecerit pro hominibus sicut Moyses.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XXIX.

Gen.6. PRopterea dicentem Deum, Finis vniuersæ carnis venit coram me, & ego disperdam eos cum terra, fac tibi arcam, &cę. Audit Noe vir iustus atque perfectus, & tacet, nullamque precem pro iniustis offert, vt Deum teneat, vt iram eius suspendat, Exempli gratia. Sicut eŭdem Deŭ tenuit Moyses, dicentem sibi: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam, Hoc ille fecit, vt verè mitis & iustus, nullatenus ambiens, vt fieret ipse in gentem magnam, magisque alijs quàm sibi consulens. Sed non proinde immitis aut iniustus Noe, qui cùm pararet arcam cŭ filijs suis ad reparationē orbis terrarum non interceſisse legitur aut elaborasse, vt iratum cunctis viuentibus & cunctos delere volentem, tenere posset eundem deum. Moysi namque alia in fide & dilectione cordis sui fuit causa, quàm ea, cuius solius sensus præbere videtur litera dicens: Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti dare terram hanc, & cæt. Nam ille non tantùm attendebat multiplicationem seminis vel possessionem terrę Chanaan quam tunc erant intraturi, quantum aspiciebat ad honorem Dei, salutemq; generis humani, vt esset Deus verax, & victor propositi. Iuxta illud, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Abrahæ namque promiserat, imò & cum iuramento repromiserat Deus, quod in semine eius benedicerētur omnes gentes, quod est Christus. Et per os Iacob prædixerat Spiritus veritatis, quod de tribu Iuda Christus foret nasciturus. Non, inquit, auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est. Si ergo minas impleuisset Deus cŏtra populŭ illum, dicēs Moysi, Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & cæt. non videretur Deus iustificari in sermonibus suis, victoriamque propositi peregisse verbum veritatis. Moyses namque & si de genere Abrahæ, non tamē erat de tribu Iuda. Ideoq; & si faceret eum Deus in gentem magnam, vt de linea eius Christus nasceretur, non omninò vicisset Verbŭ Dei. Quia nó tribui Leui Christus, sed tribui Iudæ fuerat promissus, vt ex ea nasceretur. Igitur eundem Deum quem iratum vni genti Moyses fideliter tenuit, Noe vniuersam carnem delere volentem, rationabiliter dimisit. Quia videlicet perditio multitudinis nihil impediebat victoriā Verbi Dei siue propositi Dei, dummodo superest, vel vnus ad suscitandum semen mulieris, inimicitias habiturum contra semen Serpentis.

Exod. 33. Exod. 33. Psal. 50. Gen. 22. Gen. 49. Exod 33. Moyses v. vnigeniti Deum iratum tenuit quem Noe vniuersam carnē delere volentē rationabiliter dimisit. Gen. 6. Gen. 5.

Quid sit quod scriptum est: Noe inuenit gratiam coram Domino. Item: Noe vir iustus atque perfectus in generationibus suis.

CAP. XXX.

HIC vnus tunc iustus erat, sicŭt de eo Scriptura dicit, Noe verò inuenit gratiam coram Domino. Item, Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis. Porrò generationes eius, ab eo quem posuit Deus, pro Abel videlicet. Seth namque genuit Enos, & Enos genuit Cainan, & Cainan genuit Malalehel, Malalehel genuit Iareth, & Iaret genuit Enoch, & Enoch genuit Mathusala, Mathusala genuit Lamech, & Lamech genuit Noe. Nam istæ generationes Noe, generationes erant filiorum Dei, & generationes Cain, generationes dicuntur filiorum hominum, cùm Scriptura sic dicat. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, filiasque procreassent, videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. Cùm igitur in generationibus suis, id est, generationibus filiorum Dei, solus Noe iustus atq; perfectus fuerit, magna & dolenda demonstratur accidisse corruptio filiorum Dei per commixtionem filiarum hominum, quarum pulchritudo mentes & oculos cœpit, & sinè dubio corda peruertit, sicut recentiori tempore Salomonem quoque sapientissimum, per mulieres alienigenas constat esse deprauatum. Vnus autem numero quid erat in illa tanta multitudine hominum, vtpote diuiuentium & multipliciter generantium. Attamen vnus ille omnipotenti verbo Dei suffecit ad retinendam, siue perficiendam victoriæ suæ palmam, vt nihilominùs quandoq; perficeret bonum propositum, quod intenderat dicendo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Quid.n. erat coram Deo omnis illa multitudo virentis & florentis seculi, nisi fœnum & flos agri. Verè enim fœnum est populus, Verè omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Et sicut facilè est fœnum exiccari, & florem cadere vento flante, sic facilè fuit Verbo Dei, tantam multitudinem delere. Porrò ipsum Verbum Domini manens in ætertum, obedientem sibi manere fecit hominem vnum, gubernans eum per contemptibile lignum.

Gen. 6. 3. Reg. 11. *Ad retinendū verbum Dei vnus sufficit.* Gen. 1. Esaiæ 40. Psal. 116. Esaia 40.

Quòd Noe, quia seruauerat Verbum Dei, idem à Verbo seruatus sit. CAP. XXXI.

PVta ergo iam tunc sibi dixisse Deum, Quoniā seruasti verbum patientiæ meę, & ego te seruabo ab hora tentationis, quæ ventura est in orbē vniuersum, tentare habitantes in terra. Multū enim attinet, ad laudem victoriosi verbi Dei, quòd obseruator eius propter hoc ipsum, quòd illud seruauit, seruatus est ab hora tentationis, imò à toto anno iudicij, id est, diluuij, quod per totum annum terram vniuersam occupauit. Quòd erat illud verbŭ patientiæ dei? Ecce, inquit, ego adducam diluuij aquas super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus

Multa ad Dei verbi victoriosi laudem attinent. Gen. 6.

spiritus vitæ est subter cælum, & cæt. Hoc verbum rectè dicitur verbŭ patientiæ Dei, quia videlicet postquam hoc verbum dixit Deus, adhuc diu patienter sustinuit. Anni ferè centum interfluxerunt ab hoc dicto, antequam inundaret diluuium, & illi credere nolentes, & in impietate permanentes, patiētiam Dei contemnendo, iram sibi irrcuocabilem thesaurizauerunt. Hinc Petrus Apostolus, Qui increduli, inquit, fuerant aliquādo, expectabat Dei patientia in diebus Noe cùm fabricaretur arca. Vigilanter itaq; attēdenti liquet, quòd longa & magna fuerit patientia Dei, & quòd veraciter ille vir iustus atq; perfectus seruauerit verbum patientiæ Dei, videlicet centum (vt iam dictum est) annis fabricando arcam. Irrisiones & fortè multa difficilia sustinēs ab incredulis, dum annunciaret verbo & opere, inundaturas super omnem terram aquas diluuij. Deniq; cùm quingentorum esset annorum, locutus est ei Deus. Fac tibi, inquiens, arcam de lignis leuigatis. Et eadem Scriptura teste, sexcentorū erat annorum, quādo diluuij aquæ inundauerunt. Quantos putas tanto tē pore fluctus hominum sustinuit, si Prophetæ suis quisque temporibus per verbum nomini præsciendo plagam quamlibet imminentem sic offenderunt, vt de vita quoque periclitarentur? Vnde & dicit quidam illorum, Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & cŏtritio, cui incredibile videtur iustum illum multum offendisse fabricando arcam, & futurum prænunciando diluuium per tot annos, apud superbos, & Gigantes illos, in illo recenti seculo, ceruicosio nimis atque luxurioso? Igitur quomodo seruauit verbum patientiæ Dei, & ipse Deus, siue verbum Dei, seruauit illum ab illa seueritate iudicij, miraculo magno & congruente eius fidei? Sicut enim corruptionem fluctus, quibus omnis caro corruperat viam suam, mente euicit, & laudem iustitiæ, siue perfectionis habere meruit, ita & aquas diluuij vehemēter inundantes per contemptibile lignum superando, seculis omnibus innotuit.

2. Petri 3. Patientia dei magna. Genes. 6. Genes. 7. Plurimos Noe sustinuit hominū fluctus.

Quòd Dominus propositum suum satis declarauit toties benedicendo hominibus.

CAP. XXXII.

POst illud iudicium, verbum Dei suos in mundo præcones & nouos & insignes habuit, imò vt haberet effecit, quorum primus idem Noe cum filijs suis benedictionem eandem accepit, quam dudum Deus edixerat, quando primos homines masculum & fœminam creauit. Sicut enim tunc illis benedixit Deus & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, sic & post diluuium retiduis istis eodem verbo benedixit. Sic denique scriptum est, Egredere, inquit, de arca tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum, cunctaque quę sunt apud te educ tecum, & ingrediminisuper terram, crescite & multiplicamini super eam. Ac deinceps, Odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & benedixit Noe & filijs eius, & dixit ad eos, Crescite & multiplicamini, & implete terram, & sit terror vester, ac tremor super cuncta animalia terræ. Deinde tertiò, Vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam. Trina verborum electorum eorundem repetitio, magna est propositi Dei confirmatio, quòd proposuit in verbo suo, sciens & præsciens atque prædestinatos habens omnes Sanctos, atque electos suos, quos nasci volebat sibi de genere humano, quantis meritis crescere, quanto numero multiplicari haberent extunc vsque in finē seculi, quando & congregatis illis ad dexteram suam dicet ipsum verbum incarnatum Iesus Christus victor propositi, Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.

Præcones suos in mūdo semper habuit Dei Verbū habuit. Gen. 3. Gen. 1. Genes. 8. 9. *Ibidem. Sanctos atq; electos in terram mundo nascituros ut iubet.* Matth. 25

FINIS LIBRI SECVNDI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER TERTIVS.

De tribus filijs Noe, Sem, Cham, & Iaphet, & quid sit, Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. CAPVT I.

Gen. 9. Tabernacula Sem, quid designent.

NVNC iam sermo per compendium currēs, videlicet omissis mysteriorum, siue allegoriarum longis itineribus, magnisq; circuitibus deuenit ad tabernacula Sem dicente patre Noë: Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Porrò per tabernacula Sem, adoptionē filiorum Dei, & gloriā & testamentum & legislationem, & obsequium, & promissa intelligimus, quæ omnia data sunt semini Abrahæ, qui fuit de posteritate Sem. Sem quippe genuit Arfaxat, Arfaxat genuit Sale, Sale genuit Heber, Heber genuit Phaleg, Phaleg genuit Reu, Reu genuit Saruth, Saruth genuit Nachor, Nachor genuit Thare, Thare genuit Abrahā. Tabernacula ergo Sem, beneficia dei sunt iam dicta, quæ præstitit Deus semini eius Abrahæ venienti ex posteritate Sem, & rectè illa beneficia intelligimus per tabernacula, quia videlicet Abraham & cæteri patres, per quos vel cum quibus illa sunt administrata, manentem hic non quærentes habere ciuitatem, & illam expectantes, cuius artifex & conditor est Deus. In tabernaculis habitabant confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Ad hæc igitur tabernacula Sem sermone deducto ingrediēdum est, & reuerenter aspiciendum, qualiter Verbum dei peregrinationem nostram subiens, exinde militauerit, contubernales non dedignans habere homines, per quos omnem militiā nostræ salutis ordinaret, tā diu cum illis commorans & per eorum voces sonans, donec ex ipsis quoque carnem assumens bellator atq; princeps belli totius, ipse ad publicum contra Serpentem antiquum procederet.

Hebr. 11.

De confusione linguarum, natiuitate Abraham, & secundo promissionis verbo, quòd in semine eius benedicendæ essent omnes gentes.

CAP. II.

Gen. 10.

DIuisæ iam erant insulæ gentium in regionibus suis, tam à filiis Iaphet & filiis Sem, quā & à filijs Cham. Enumeratis quippe filijs Iaphet, statim subiunctū est, Ab his diuisæ sunt insulę gentium in regionibus suis, vnusquisq; secundum linguam suam, & familias in nationib. suis. Item, enumeratis filijs Cham. Hi filij Cham, inquit, in nationibus & linguis & generationibus, terrisq; & gentibus suis. Deinde enumeratis filijs Sem secundum cognationes & linguas & regiones in gentibus suis, statimque præmittēs, Hę familiæ Noe iuxta populos & nationes suas. Ab his, inquit, diuisæ sunt gentes in terra post diluuium. Quam autem ob causam in linguas dissonas eædem gentes diuisæ sint, continuò Scriptura narrat, videlicet quia facere ciuitatem & turrim, cuius culmen ad cœlum pertingeret, volebant per nimiam superbiam, quam ibidem Scriptura denotat nominando illo filios Adam, ait enim, Descendit autem dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. Illic cùm dicit, filij Adam, procul dubio subintelligendum est, ac si diceret, imitatores Adam, qui dei similitudinem appetiuit, non per verbi Dei obedientiam, sed per mentis suæ superbiam. Illa diuisio, siue confusio linguarum, accidit in diebus Phaleg, qui & idcirco appellatus est Phaleg, quia in diebus eius diuisa est terra, vt iam dictum est. Anni ferè centum nonaginta successerunt post illam diuisionem linguarum hominum, & natus est Abraham, ad quem incarnationis suæ desiderabilem fecit promissionem vnicum & indiuisibile dei verbum, dicente Deo ad illum, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrā uero tibi, faciamque te in Gentem magnā, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriscq; benedictus, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Siue vt alibi dixit, Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.

Gen. 11. Gen. 10. Diuersitas linguarum. Gen. 11. Linguarū confusio. Gen. 12. Abrahæ repromissio. Gen. 22.

Quòd confusio linguarum abscondendo diuinæ promissionis thesauro profuerit.

CAP. III.

Rom. 8.

HInc illud dicere libet, quia sicut Apostol. ait, Omnia diligentib. deū, cooperantur in bonū, sic & illa confusio linguarū, & sanctis patribus, ad quos factū est hoc verbū, & ipsi Deo Dei verbo cooperata est in bonū. Oportebat. n. pro tempore, vt fieret occultū tale mysteriū, neq; super eo discepta retur per publicū, quia dignus eo nō erat mundus, ferè totus vbiq; lasciuiens & petulcus, nimiūq; ferox atq; superbus, quāuis recenter seueritate inundantis diluuij percussus, & vsq; ad paruas reliquias vna strage cōsumptus. Oportebat, inq, interim manere occultū talē, tantæ promissionis thesaurum.

Dei mysteriū occultū manere oportuit.

Primò

Matth. 7.

Primò ne peregrini illi, quibus hoc bonum erat creditum, iam tunc inuidiam intolerabilem paterentur. Deinde, ne diuinæ vocationis & supernæ spei margarita, ante porcos missa cōculcaretur. Sic erat verbo Dei pro sanctis patrib. ab hominū impiorū vel secularium inuidia cauendum, quomodo cauetur pro radice nouella, dū adhuc vnicū vix virgultū protulit, vnde bonū speras vel desideras fructū. Sicut enim extirpatio radicis spē fructus percipiendi præcedit, ita patribus, si intempestiua fuisset à persequentib.

Psal. 104.

illata iniuria mortis facultatē præpediuisset implendæ promissionis. Idcirco Verbum ipsum futuræ carnis suæ, patres custodiuit,

Ad Dei mysterium celandum

testante Psal. cū dicit, Non reliquit hominē nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Et quid ad cautelam

in te guarum cō fusio linguarū.

istā tā idoneū, quā præmissa cōfusio lingua rum? Et quidē expedierat & vtile fuerat, q vbi Deus confudit linguas, turrim illā ædificantiū, non audiuit vnusquisque vocem proximi sui, & ædificare cessauerunt. Sed magis expediuit, vtiliusq; fuit, quòd Gentib. ignorantibus prę cōfusione linguarū, sancta Scriptura turris vera & verè pertingens vsque ad altitudinem cæli construenda erat, sacramēta continens iam dictæ promissionis.

Quòd mysteria Dei, non solis exterīs per confusionem linguarum, verumetiam indignis Israelitis, per ænigmata & figuras abscondita fuerint. Item de trium linguarum literis inuentis.

CAPVT IIII.

NVnquid verò & in sola multitudine seminis Abrahæ, Isaac, & Iacob, quæ videlicet multitudo duodecim tribuum, Gens vna & populus vnus extitit, desuturi erant homines eiusmodi, homines indigni æquè vt gentiles vel incircūcisi, quibus manifestè deberet ostendi sacramentum verbi Dei? Non vtique defutura erant, imò futurum erat, vt in illa Gente carnalium multitudo, sua insipientia paucorum spiritualiū fatigaret sapientiam, futurum hoc non ignorabat Deus ipse dei verbum, dum sicut ad salutem nostram necessariū erat, suum per Scripturam Legis & Prophetarum vellet hominibus præsignare consilium. Rectè igitur non solùm in vna lingua sese abscondit verbum Dei, verumetiam in eadem lingua, quæ cæteris erat ignota Gentibus, dicta vel decreta sua sic temperauit, ita similitudinibus vel figuris obumbrauit mysticis, vt vix pauci, vix soli Spirituales percipere possent, quale haberet consilium, quali ordine recuperare intenderet salutem mundi. Propter hoc primùm literæ sunt, vt videlicet in eis & per eas significaretur, & vsque ad tempus claudēretur atque signaretur verbi dei mysterium, venturi ad expugnandum generis humani inimicum, per assumptæ carnis & passionis suæ sacramentum. Primarum, id est, Hebraicarum ista reperiendarum erat & fuit causa literarum. Primò nanque literæ Hebraicæ per Moysen repertæ, & Hebræis traditæ sunt. Secundò Græcæ, quas Græcis Cadmus tradidit, quo tempore dux Othoniel filijs Israel præerat. Tertiò loco trium linguarum principalium, iunior Latina lingua, literas habere cœpit, quas Carmentis reperit, quo tempore populum Israel iudicabat Iair. Et illæ quidem iuniores, Græcæ & Latinæ literæ ob humanas res significandas repertæ, quandoque ad Diuinas res significandas gratia Dei sunt admissæ. Primæ autem, id est, Hebraicæ ad significādas res diuinas, repertæ vel traditæ sunt. Nunc ad ordinem redeamus.

Literæ quare.

Literæ Hebraicæ, & Græcæ, Latinæ, vnde exortæ. Iudic. 3. Literæ Hebraicæ ad quid repertæ.

Quòd Serpens antiquus propter Verbum promissionis, contra Abraham, Isaac, & Iacob, inuidia quidem motus sit, nocere tamen eis non potuerit.

CAPVT V.

PROMISSIONE beati seminis facta ad patres (vt iam dictum est) quomodo ille Serpens antiquus quippiam inde cognouit, imò quomodo nō cognosceret ipse callidus, & de Regno suo, de Regno mundi huius malè solicitus. Circumibat enim terram, & perambulabat eam, tanquam fortis armatus custodiens atrium suum, attendens, ne quid fortè contra suum principatum suboriretur, secundum illud quod audierat dicentem sibi DEVM. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Hinc etenim requisitus est sub eisdem ferè temporibus à Domino dicente, Vnde venis Sathan? & respōdens ait: Circumiui terram & perambulaui eam. Et Dominus ad eum: Nunquid, ait, considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo? Erat autem Iob de stirpe Hus primogeniti Nabor fratris Abrabæ, cuius videlicet Hus, Scriptura lib. Geneseos hoc modo meminit: His itaq; gestis nunciatū est Abrahā, q Melcha quoq; genuisset filios Nachor fratri suo, Hus primogenitū, & Bus fratrē eius. De stirpe Bus Heliubuzites dictus est, qui & in libro Numeri Balaam nominatur. Porrò iam dictus Iob in terra Hus, qui fuit (vt iam dictum est) ex Nachor primogenitus Dinæ quoq; filiæ Iacob (vt Philo perhibet) extitit maritus. Istū considerauerat Sathan circumeundo terram, & perambulando eam, quòd esset homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Quomodo ergo non etiam considerasset Abraham, Isaac, & Iacob Fidem promissionis habentes, & propter illam spem, peregrinando de gente in gentem, & de regno ad populum alterū pertrāseuntes. Planè cōsiderauit istos, & sciuit esse ciues regni dei, regno suo cōtrarios, & de ipsis semē mulieris percepit

Gen. 3. Iob 1. Luca 11. Iob 1. Iob de stirpe Hus. Gen. 22. Psal. 104.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fore nasciturum suo semini cõtrarium. Sed quid ageret? Quomodo bonam radicem illam corrumperet aut quorum per manus hominum extirparet? Verbum Domini frequenter illos visitans, & intus Fidem illorum incorruptam custodiebat, & foris pro eis Reges corripiebat, hominemque eis nocere nõ relinquebat. Et Abraham propter pulchritudinem Saræ, Isaac propter pulchritudinem Rebeccæ, & Iacob propter benedictionem quam surripuerat fratri suo, mo-
Psal. 104. ri timuit, idemq; propter Laban de Mesopotamia fugit. Sed (vt iam dictum est) verbum Domini quenquam eis nocere nõ permisit, Nolite, inquiés, tãgere Christos meos, &c. Ita contigit, vt nunquam eis nocere prę ualeret inimicus, nullum ex eis siue in anima, siue in corpore lædere posset ille Serpẽs antiquus, & cæt.

Quod Ioseph deinde primos Serpentis insultus per fratres propter somnium exceperit.

CAPVT VI.

VIuente tamen Patre Iacob, primos Serpentis Diaboli assultus Ioseph sanctus excepit, & in illo accrescente filio, aspectu decoro, Pater pius nonnihil passus est, quia patienti paterno corde vulnerato compassus est. In illum adolescentem totos malitiæ suæ impetus ille inuidus intorsit. Veruntamen non est factum quod voluit, ad quod
Psal. 104. fratres ipsius per inuidiam concitatos vt facerent animauit, sed factum est quod Deus voluit siue Dei verbum, quod cum illo & in illo fuit, sicut scriptum est: Quia eloquiũ Domini inflammauit eum. Quid enim Ser-
Gen. 37. pens ille fieri voluit? Nimirum voluit illum occidi, & ex illa voluntate eiusdem Diaboli homicidæ, ex illius inspiratione vox illa processit, vt videntes eum dicerent fratres sui. Ecce somniator venit, venite occidamꝰ eum, & mittamus in cisternam veterem. Quid autem Deus voluit? profectò quia vocaturus erat famem super terram, & omne firmamentum panis conterere habebat, voluit mittere ante eos virum hunc, & potiùs in seruum venundari, quàm occidi Ioseph, vt humiliarentur quidem in compedibus pedes eius, & & pertransiret ferrum animã
Psal. 104. eius, non tamen humiliaretur sub peccato anima eius, neque pertransiret ferrum corpus eius, haberetque patientiam donec veniret Verbum Dei, donec inflammaret eum eloquium Domini, vt mitteret Rex & solueret eum, princeps populorum, & dimitteret eum, cõstitueretque eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Vicit ergo in illo iam tunc eloquiũ Domini, quia nõ est factum quod primùm dixerunt, secundum inspirationem Serpẽtis maligni, Venite occidamus eum, sed factum est, illud quod sonuit, vtique eloquiũ Domini per vnum illorum dicentem, Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? Gen. 37.
melius est vt venundetur, & manus nostrę non polluantur. Caro enim & frater noster est.

Quid sit quod ab Hieremia dictum est: Vox in Rama audita est, &c. Rachel plorans filios suos.

CAPVT VII.

PRimos assultus Serpentis illos idcirco dixerim, quia videlicet à promissione Matth. 2.
beati seminis facta ad Abraham, qui perse- Hier. 32.
cutionem pateretur, cuius sanguis propter Thren. 1.
iustitiam quęreretur, primus ille fuit. Vnde animaduertere licet sanctum & verè Diuinum Euangelistam in morte paruulorum innocentium satis congruè, multumque sapienter ita dixisse: Tunc adimpletum est quod dictum est per Prophetam dicentem. Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Quid enim, nónne eiusmodi * potentes te- * potens
stimonium, omnem filium, qui pro causa est testimo-
occiditur illius beati seminis, quod est Chri mũ quòd
stus, vult haberi tanquam Ioseph? & omnẽ matrem, quæcunque pro tali causa occisum plorat filiũ (siue vna sit mulier carnalis mater, siue sit Ecclesia spiritualis mater, pijs matribus in morte ipsorum condolens, vt sæpe factum est) vult haberi tanquam Rachel? Et rectè ac rationabiliter vniuscuiusq; illorum innocentiũ paruulorum mater in tali causa vocatur Rachel, similiterq; tota Ecclesia martyrum Christi mater, quia videlicet illius, cuius primi animam ferrũ pertransiuit, dicta est Rachel. Hoc Spiritui sancto placet, in quo & Propheta cecinit, & Euangelista intellexit, quia sicut tunc pater Iacob noluit consolari, & sicut mater Gen. 37.
Rachel si adhuc viueret, nollet consolari, eò quòd non esset Ioseph, & tamen erat, & non solùm viuebat, verumetiam potens erat, & prosperè agebat Ioseph. Ita Ecclesia siue quæcunque mater fidelis, plorat quidem pietatis affectu filium occisum, tanquã non sit, sed ille est, & non solùm est, verum etiã meliùs est, & veriùs viuit, idcirco quia talem ob causam euenit ei, quòd in hoc sęculo non est. Proinde Rachel ploranti filios Hier. 31.
suos, & nolenti consolari super eis, quia nõ sunt, cõtinuò hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Et reuertentur à terra inimici tui, & est spes nouissimis tuis, & reuertentur filij tui ad terminos suos. Firmiter hoc tenet Catholica Fides, quia filij reuertentur ad terminos suos, quia pij Martyres siue illi innocẽtes qui plorabantur, eò quòd non esset, & nullam carnis memoriam sęculo reliquissent, resurgẽt & apparebũt in Regno Christi, Regno suo secundum similitudinem illius Ioseph, qui cùm putaretur à fera deuoratus, vixit, & viuens atque potens inuentus est.

Quòd

Quòd Serpens ille antiquus non solùm insidias fratrum, verumetiam illecebras concupiscentiæ mulieris aduersum Ioseph suscitarit, neque tamen vicerit.

CAPVT VIII.

Bifariam Serpens antiquus aggressus est Ioseph. Gen. 37.

NOtandum interea, quòd non vno modo tantùm, sed duobus modis antiquus ille Serpens aggressus est Ioseph. Neque enim solummodò per fraternam inuidiam consurrexit, vt eum corporaliter occideret, sicut occisus fuerat Abel, neque solummodò per fœminam circumuenire voluit eum, vt animam eius occideret, sicut circumuenerat Adam, sed per vtrunque, & in
Psal. 104 vtroque conatus eius frustratus est. Dixe-
Gen. 3. runt nanque fratres inuidentes, Venite occidamus eum, & factum non est: dixit Domina mulier, Dormi mecum, & factum nõ est. Grandis pugna, grande spectaculum. Victus ille Serpens, quia verum infligere non potuit, falsum confinxit crimen, propter quod & humiliauerunt in compedibus pedes eius, & ferrum pertranſiuit animam eius. Sed nónne hæc agendo Serpens super pectus suum gradiebatur, id est, suam intentionem conculcabat, sibimet contrarius. Tali nanque via, talique processu procedebat ad victoriam eloquium Domini, quod inflãmauit eũ, & ad hoc pducebatur vt prodesſent illi somnia sua verbo Domini consonãtia, vt scilicet vocata fame super terram, con-
Gen. 37. surgeret & staret manipulus eius, fratrumque manipuli circumstantes adorarent manipulum eius. Itemque vt sol & luna & stellæ vndecim adorarent eum super terram. Quod fratres quidem fecerunt, pater autẽ non aliter fecisse legitur, nisi quòd iurante illo de transferendo corpore eius adorauit Deum, conuersus ad lectuli caput, qui videlicet pater per solem figuratus fuerat, sicut & fratres per stellas vndecim. Porrò mater iam obierat, quæ per lunam signata fuerat, sed pfectò si adhuc viueret tũc tẽporis, neũ in filio gratãter adoraret. Igitur in laude sapientiæ victricis, quæ non est alia quã Deus verbum Dei, veraciter est dictum, & sæpè dicendum, quia venditum iustum istum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, descenditque cum eo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit qui maculauerunt illum.

De tertio promissionis verbo, Non auferetur sceptrũ de Iuda, donec veniat qui mittendus est.

CAPVT IX.

Gen. 49. POst hæc insignia diuinæ virtutis, ecce iã
Gen. 3. tertiò verbum promissionis, verbum inuictum tale per os Iacob Patriarchæ edidit oraculum, Catulus leonis Iuda ad prędã fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Nó auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Tertium: hoc fuit beati seminis, quod est Christus, præconium. Primum quippe fuerat illud
Gen. 22. ad Serpentẽ, Inimicitias ponam inter te, &c. Secũdum illud ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Ac perinde tertium hoc est, cuius veritas duo præcedẽtia perficit, & complet. Nam si Christus, imò quia Christus de tribu Iuda est, ergo semen Abrahæ est, & dum ad prædam ascẽsurus præcinitur, verum esse confirmatur id quod inimicitias inter semen Serpentis & semen mulieris positurum se prædixerat Deus. Itaque domus quidem Iacob, in qua verbum promissionis repositum fuerat, maligni Serpentis instinctu concussa, & scelere in fratrem admisso contaminata est, & Ioseph laborauit vsque ad vincula, sed ipsum verbum neq; concussum, neq; alligatũ extitit, quinimò quod semel & iterum prædixerat Deus, idipsum tertiò repetens, & clariùs Verbũ Dei
edicés per os Patriarchæ in Aegypto pere- inconcussũ
grinantis, & in ipsa peregrinatione morien- extitit.
tis confirmauit. Adde quod tempora quo- Gen. 49.
que aduentus eius certo signo præsignauit. Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, &c. Hoc nanque signo, quia nó solùm Rex, verumetiam Dux auferendus erat, & ablatus est de Iuda, id est, de Gente Iudaica, temporibus Romani imperij, quando Rex dandus erat, & datus est Herodes alienigena, videlicet patre Idumæo, & matre natus Arabica. Hoc, inquam, & si non alio signo cognoscendum & cognitum est tempus aduẽtus eius, taliter vt nunc apparet, quia non solùm Regem & Ducem, sed & locum perdiderunt & Gentem.

De signo mulieris amictæ sole, parturientis & clamantis vt pariat, & item de signo Draconis magni & rufi, &c.

CAPVT X.

QVALITER deinde inimicitiæ sæpè dictæ processerint, qua voce, qualibus conabimur verbis consequi, quali signo vel classico sono studiosus excitabit at- Mulier in
tentumque faciet spectatorem certaminis sole.
admirandi? Ecce Ioannes in Apocalyp. Ie- Apoc. 12.
su Christi dicit, Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eiꝰ corona stellarũ duodecim, & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat, & visum est illud signum in cælo, & ecce Draco magnus & rufus, habens capita septem, & cornua decẽ, & in capitibus suis septem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partẽ stellarum cæli, & misit eas in terrã, & Draco stetit ante mulierem quę erat paritura, vt cũ peperisset, filiũ eius deuoraret. Signa hęc magna sunt, suaq; significatione & cœptũ dirigere sermonẽ, & attentũ reddere valẽt audi torẽ. Signa hæc mentis oculos feriunt, excitãtque & aperiunt ad cognoscendã earum,

de qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mulier parturiens Ecclesia est.

de quibus loquimur, faciem rerum. Mulier quippe illa, Ecclesia est: Draco ille Diabolus est. Mulier tunc cœpit in vtero habere, quando Fides Patriarcharum, de quibus nunc loquebamur, promissionem habens, Christum cœpit expectare. Diabolus autē

Draco Diabolus esse cū cœperit.

tunc cœpit Draco esse, quando contra Fidē & spem illam fœuire cœpit, aperta persecutione, scilicet mortuo Ioseph & omnibus fratribus eius, quando Rex nouus super Ae

Exod.1.

gyptum constituitur, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum. Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est, venite sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, &c. Tunc, inquam, cœpit Draco esse, & tanquam Draco non solum modò fraudulenter decipere, verumetiam fortiter pugnare. Non solummodò decipere animas, verumetiam occidere corpora, dicente illo Rege, Quando obstetricabitis Hebræos, & tempus partus aduenerit, si masculus fuerit, interficite illum, si fœmina, reseruate. Item ad populum suum, Quicquid, ait, masculini sexus natum fuerit, in flumē proijcite, quicquid fœminei, reseruate. Antequā tale quid iuberetur aut fieret eius instinctu Serpens erat, & Serpens dici mereba

Ibidem.

tur, quia decipiendo latēter & subdolè mētibus illa bebatur. Extunc autem Draco est magnus, Draco rufus, palàm sæuiens, apertè persequens, magnus magnitudine Regū, & multitudine hominum impiorum interficientium, rufus sanguine piorum morientium.

Coronam duodecim stellarum in capite eiusdem mulieris fuisse Principes duodecim tribuum, & quod in vtero habuerit, fuisse verbum promissionis.

CAPVT XI.

Philip. 3.

VTrunque signū, & mulier illa, & Draco ille apparet & videtur in cælo, quia videlicet ab his duntaxat, qui cælestia medi tantur, qui dicere possunt. Nostra autem conuersatio in cælis est, ab his, inquam, videtur, sentiturque animo, & in muliere quantus dolor, & in Dracone illo quantus sit vel

Apoc.12.

fuerit horror. Mulier illa amicta erat sole,

** roborata*

quia * dotata erat Patriarcharum Fides cælesti promissione: Luna sub pedibus eius, quia seculi temporalibus bonis sic vtebantur sancti Patres, vt nō ipsa bona mentibus eorum dominarentur per cupiditatem, sed ipsi bonis illis perliberalem dominarentur dispositionem: In capite mulieris corona

Gen.27.

steliarum duodecim, quia in illo primitiuæ Ecclesiæ initio, filij Iacob patres fuēre duodecim tribuum, iuxta illud, Fidele verumque somnium, videbam per somnium quasi solem & lunam & stellas vndecim adorare me. Sinè dubio stella duodecima, ipse est, qui somnium viderat. Equidem secundum sua temporis illius merita, fratres vndecim non lucebant, sed secundum futurorum spem & electionem quæ ex ipsis erat assumenda, stellæ lucidæ erant illi. Stellæ lucidæ sunt eiusdem electionis Principes, duodecim Apostoli. Et in vtero habens, inquit. Quid habens & vnde habēs? Habēs, inquit, *Apoc.12.* semē in quo benedicerētur oēs Gentes. Et hoc habēs ex Creatore Deo rationalis creatura, tanquā de proprio viro vxor legitima. *Gen. 22.* Ex quo deus Abrahæ semen illud promisit, & eiusdē Abrahæ cæterorūq; cuiusq; anima promissionis fidē susceptt, extunc eadem mulier in vtero habere. i. prægnās esse cœpit. Et clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat. Mulieres quæ corporeos partus *Apoc.12.* ediderunt, & pariēdo dolores illos expertæ sunt. benè sentiunt quā veraciter veritas dicat. Mulier cū parit, tristitiā habet, quia venit hora eius, &c. Sic profectò quęcūq; ani- *Ioan.16.* ma verbū dei, verbū deū, Christū Iesum Filium dei diligit, & in Christo piè volēs viuere, persecutionē patitur, benè sentit id q̄ dicitur de muliere illa, Quia clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat. Nos cœpta *Apoc.12.* persequētes, victorię verbi dei magna & p̄clara insignia in eo maximè cōtinuemus, q̄ superatis cūctis Draconis capitib. filius mulieris masculus raptus est ad deū, & ad thronum eius, Gentes oēs virga ferrea recturus.

Quando primùm cœperit parturire, clamare, cruciari, vt pareret.

CAPVT XII.

QVando (sicut iam dictum est) surrexit *Exod.1.* Rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph, & populum filiorum Israel crescentem affligere cœpit, & masculos occidi, vel in aqua necari iussit, pro hoc inuidens, quia crescebant & multiplicabantur, *Exod.2.* tunc mulier illa in vtero habens, clamare cœpit, quia videlicet tunc erigebat se primū caput Draconis tam in illo Rege, quàm in eo, qui mortuo illo succesit. Tunc nanq; *Vociferati sunt, quid.* ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Dominum pro operibus, & audiuit gemitum eorum. Et omnes quidem vociferati sunt, sed non omnes vociferandi scientiam habuerūt, id est, nō oēs vociferando corporū pariter & animarū suarū liberatorē, quia ad patres ipsorū repromissus fuerat, quærere vel desiderare sciuerunt. Nam ferè omnes de corporum sola salute soliciti, curam vel solicitudinem habere nescierunt de animabus suis. Hinc animaduertendum est, multum profuisse mulieri, quòd primū caput Draconis contra se stare videt, quia videlicet illo periculo commonita se in vtero habere recognouit, & in part⁹ sui felicitate sperare didicit. Nam si tranquillitas temporis in Aegypto illi arrisisset, malè secura iacuisset in medio fornicationū idololatriæ. De quib per Prophetā parabolicè dictū est: *Ezech.23.* Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, & fornicati sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt, vbi subacta sunt vbera earum & fractæ sunt mammæ pu-

Vexatio intellectū dat

mæ pubertatis earum. Benè igitur, quòd saltem vexatio intellectum daret auditui, vt quamuis pauci tamen nonnulli suspirarent & optarent iā semen illud, quod deus Abrahæ repromisit. Nam primus Moyses

Gen. 22. Exod. 4.

tunc ad Dominum dixit: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Sentiebat nanq; nihil per se vel per alium posse ad perfectū adduci, nisi veniret ipse qui mittendus erat, de quo pater Iacob in benedictionib Iudæ, Non auferetur, inquit, sceptrū de Iuda, &c. & hoc non sinè magni desiderij clamore dixit, quippe qui & alibi tacito ore clamasse legitur, domino dicente: Quid clamas ad me?

Gen. 49.

Clamabat igitur mulier, id est, quæ iam inciebat esse Ecclesia, quam signat mulier, & cruciabatur vt pareret, nonnullis iam cum temporali liberatione corporum desideran tibus aduenire promissum patribus, liberatorem animarum pariter & corporum.

Quod Agnus, quem immolabant filij Israel, Verbi fuerit typus incarnandi: e contrà, Pharao Rex Aegypti, caput primum Serpentis.

CAPVT XIII.

Exod. 4.

SED, Iratus, inquit Scriptura, Dominus in Moysen, ait, Aarō frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit: Ecce ipse egredietur in occursum tuum, & ostendā vobis quid agere debeatis. In hoc ipso Dominū sibi iratum dixit, q̄ Christum suum distulit, & nō statim misit qui auerteret iram, quę propter Adæ peccatum accidit. Veruntamen nō omninò illū inexauditum reliquit, ita videlicet, etsi ipsum quem missurus erat, non statim misit, at saltē signum aliquod, signum magnum, sacramentū magnum eius præmi sit. Tollat, inquit, vnusquisq; agnum per familiā & domus suas, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorū Israel ad vesperam.

Exod. 12. Agnus Paschalis, signū venturi Christi.

Agnus ille signum & sacramentum fuit vēturi Christi, qui mittēdus erat, pro quo (sicut iam dictū est) suspirās dixit Moyses, Obsecro Dñe, mitte quem missurus es. Hoc intendens Bap. Ioan. qui ante illū missus est, vbi vidit eum ambulantē, dixit, Ecce Agnus

Exod. 4. Ioan. 1. Ezech. 12.

Dei, qui tollit peccata mundi. Econtrā ille Pharao, qui tunc erat Rex Aegypti, signum Draconis iam dicti, signum & similitudinē gerebat Diaboli, hoc innuens dicit in eum per Prophetam Spiritus Dei. Leoni gentiū assimilatus es, & Draconi, qui est in mari, &c. In illa similitudine sui, in illa immolatione Agni, qualiter pugnauerit Verbū dei, qualiter illud primum Draconis, id est, Aegypti regnū vicerit atq; contriuerit, quis nescit? Erigebat se caput illud contra mulierē, vt omnē beati seminis tolleret expectationem, aboleret dei nomen, perderet promissionis fidem, deglutiret futuri regni spem. Econtrà, per Moysen verbum Dei siue in verbo dei, Moyses multis caput illud plagis percutiebat. Dimitte, inquiens, populum vt sacrificet mihi in deserto, At ille videlicet Pharao, non solùm non dimisit populū, verumetiam irridens atque dicens: Vacant *Exod.5.* otio, & idcirco vociferantur dicentes, Eamus & sacrificemus Domino, ampliùs oppressit eos operibus, in tantum vt dicerent Moysi & Aaron: Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos.

Quòd omnipotens verbum Dei percusserit primogenita Aegypti.

CAPVT XIIII.

QVid multa, post ranas & cinyphes, post muscas & locustas, quibus illud caput Draconis extimulatum atque corrosum fuerat, post vesicas turgentes, & grandines igne permixtas, quibus exulceratum atque grandinatum ingemuerat, cùm neque istis neque cæteris plagis adhuc cederet exterminium primogenitorum, victorem asseruit sermonem Dei, cum prædicta immolatione Agni mystici. Dum enim (inquit sapientia) quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo decursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus domine exiliens de cælo à regalibus sedibus, du- *Sap.18.* rus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cælum attingebat stans in terra. Hoc illa Scriptura de illo noctis medio dixit, quando percussit omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne pri- *Exod. 12.* mogenitum iumentorum. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Aegyptus, & ortus est clamor magnus in Aegypto. Neq; enim domus erat in qua nō iaceret mortuus. Cùm igitur & illa Scriptura prior dixerit, factū est in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, & ista sequens dicat. Dum nox in suo cursu mediū iter haberet, omnipotens sermo tuus, &c. Non dubium *Sap. 18.* quin Dominus q̄ percussit illa primogenita Aegypti, propria sit persona verbi dei, Filij Dei, Verbi omnipotētis, filij victorioſi. Vn de vigilanter adnimaduertendū, quòd cùm dixisset: Trāsibit Dñs percutiēs Aegyptios, cumq; viderit sanguinē in superliminari & in vtroq; poste, transcendet ostium, & non sinet percussorem ingredi, continuò subiūxit. Custodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis vsq; in æternū. Quid em̄ est prę- *Exod.12.* senti loco dicere, Custodi tibi verbū istud, legitimū, nisi ac si dicat, custodi tibi Dominum istum vsq; in æternū. (Verbum nanq; istud, omnipotens sermo iste, Dominus est, vt iam dictum est, quem custodire oportet vsque in æternum) potiùs quàm illius Agni immolandi ritum, qui profectò permanere non debuit vel custodiri vsque in ęternum,

sed tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Custodire verbum legitimum.

sed tantum vsque ad illam plenitudinẽ temporis, quo incarnandum erat verbum istud, custodiendum vsque in æternum.

Quòd de eodem verbo dictum sit, Exultauit vt Gigas ad currendam viam.

CAPVT XV.

Sap.18. IAm descriptio eius prælibata diligentiùs consideranda est, Omnipotens, inquit, sermo tuus Domine, exiliens de cælo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terrã prosiliuit, gladius acutus, insimilatum imperiũ tuum portans, & stãs repleuit omnia morte, & vsque ad cælum attingebat stans in terra. Nónne magnum & fortem in his verbis, Gigantem agnoscis? *Psal.18.* Gigantẽ illũ de quo Psalmista canit. Exultauit vt Gigas ad currendã viam suam, à summo cælo egressio eius? Quis enim alius Gigas per incarnationem de cælo descendit, & superato mortis imperio, cum victoria in cẽlum ascendit? quod Psalmista Prophetico Spiritu cecinit. Nisi omnipotẽs sermo tuus Domine, qui tunc de cælo à regalibus sedibus, durus debellator prosiliuit in terram, *Sap.18.* & vsque ad cælum pertingebat in terra stãs? Magnus vtique Gigas, qui stans in terra, vsque ad cælum pertingebat, quod Psalmista *Psal. 18.* dixit de futuro prophetans. A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Et quod sapiens ille dixit de præterito memorans, Exiliens de cælo à regalibus sedibus in terram prosiliuit, & vsque ad *Sapien. 18.* cælum attingebat stans in terra. Eandem vnius eiusdemque, qui & incarnatus venturus erat in mundum, & nondum incarnatus venerat super Aegyptum, velocitatem pariter & magnitudinem Giganteam, magnificè prædicant. Verùm quia præsenti operi susceptum vel propositum non est, eiusmodi mysteria perquirere, sed bellorum verbi Dei quandam velut historiam texere, hoc nunc in laudem victoriæ eius breuiter dicẽdum, quia dignum se fecit iste omnipotens sermo Domini, quòd tunc de cælo à regalibus sedibus taliter exiliuit, quòd durus debellator gladiusq; acutus in mediam exterminij terram prosiliuit, & stans omnia morte repleuit, videlicet ita, vt non esset domus in qua non iaceret mortuus à primogenito *Exod. 12.* Pharaonis, qui sedebat in solio eius, vsq; ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.

Idem verbum Dei Aegyptijs fuisse gladium acutũ, filijs autem Israel agnum mitem & mansuetum.

CAPVT XVI.

MIrabile vtique fecit inter domos Aegyptiorum & domos Israel vno eodemque tempore, vna eademque nocte. Illic, id est, in domibus Aegyptiorum tanquã *Matth. 11.* durus bellator erat, tanquam gladius acutus sententiam vibrabat. In domibus autem filiorum Israel mitem se & humilem natura esse signabat, Per agnũ, simplex & mansuetum animal, quod immolari iusserat. Deus nanque mitis & humilis est, neque apud nos talis didicit esse Filius Dei, ex quo carnem nostram assumpsit, vt diceret, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, sed talis erat priusquam cælum & terra fierent, natura propria, non cuiusquam imitatione. Inter nos istud non discere venit, sed doceret Peccantiũ impietas rebellando hoc meretur, quod talis esse videtur, vt de illo tempore dictum est. Durus debellator & gladius acutus, videlicet quorum cor durum mansuetudine & patientia eius abutitur, vt ille Pharao durus & superbus. Ille enim vbi primum audiuit. Hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. Quis est Dominus, ait, vt *Exod. 5.* audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam. Ita incipiens, magisque ac magis cor suum induras & aggrauans, hoc emeruit, vt iste mitis & humilis contineret mansuetudinem suã, & ostenderet in eum fortitudinem suam. Veruntamẽ neque ipsum, neq; Aegyptios cæteros durus iste debellator debellauit, per semetipsum primogenita percutiendo, sed percussori, videlicet Angelo malo, potestatem dando. De quo dixit ipse ad Moysen & Aaron. Cunque viderit sanguinem *Exod. 12.* in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere. Et Psalmista cùm dixisset, Misit in eos iram indignationis suæ, &c. addidit continuò, immissionem per Angelos malos. Vita nanque est iste omnipotens sermo, & mortis pessimæ, *Psal.77.* quæ peccatorum est, in se amaritudinem nõ habet, sed ministros eiusdem mortis malos Angelos in potestate habet, quos idcirco percutere iustè permittit, quia peccatores ac cusante culpa, iustitia viuere non sinit.

Quam ob causam primogenita Aegyptiorum percussa sint.

CAPVT XVII.

ET quid iustiùs, quid in ordine iustitiæ pulchrius, quàm vt talium primogenita interficerentur? Primogenitum nanque Domini, Pharao & Aegyptij penitus auferre volebant, & idcirco iusta vice, pulchro ordine in exterminio primogenito- *Exod. 4.* rum plagam receperunt extremam, sicut apud ipsum Dominum præscitum fuerat atque præordinatum. Dixeratq; Dominus ad Moysen, dum mitteret eum ad Pharaonem, Dices ad eum, Hæc dicit Dominus, filius meus primogenitus Israel, dixi tibi: Dimitte filium meum vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum, ecce ergo interficiam filium tuum primogenitum. Claret ordo iustitiæ in eo quòd eius interfecit primogenitum, qui primogenitum Domini nolebat dimittere. Vnde autem populus ille pri-

Primogenitus Domini quis.

mogenitus Domini aut filius? Nunquid Deus illum genuerat? aut ante illum populum siue hominem, quem appellauit Israel, nullum à seculo electum, vel gratiæ suæ filium habuerat? Equidem primogenitus aliquo modo potuit populus ille dici, videlicet respectu Gentilis populi, quem postea regeneraturus erat per Euangeliũ Christi Filij sui vnigeniti. Veruntamen nihilominùs causa cognoscenda est, cur ille populus tali in tempore filius dictus sit primogenitus, videlicet quia carnem de populo suo illo erat assumpturus idem Dei Filius, verè *Colo.1.* primogenitus, verè vnigenitus. Agebat hoc instanter Diabolus & intendebat, ne populus ille permaneret, vnde nasciturus erat ille Filius vnigenitus & primogenitus in multis fratribus. Et idcirco quicquid in eundem populum agebat per Pharaonem & seruos eius, in illum Filium rectè refertur, cuius originem carnis præcidere festinabat, ne nasceretur. Non igitur leuem aut paruam ob causam primogenita cæsa sunt. Quòd si quæras, Cur etiam primogenita cæsa sunt iumẽtorum? Ad hoc breuiter dicendum, Quia per vim retinebat Pharao iumenta vel armenta eorum. Cùm enim diceret Moyses, Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus domino deo nostro, cuncti greges pergant nobiscum: Itemq; dicente illo, Cum paruulis nostris & senibus pergemus, cum filijs & filiabus, cum ouibus & *Exod.10.* armentis, Recede (ait) à me, & caue ne vltrà videas faciem meam. Statimq; electi sunt de conspectu Pharaonis.

Quam ob causam item post eadem primogenitorum, omnes Aegyptij aquis operti fuerint.

CAP. XVIII.

Exod.12. PLaga ista, id est, morte primogenitorũ, caput illud contritum & euictum est, ita vt mollia loqueretur, & diceret: Surgite & egredimini, ite & immolate Domino, sicut dicitis, & vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Sic locutus est recenti dolore adhuc saucius, sed postmodum, cùm dimisisset populum, cùm nunciaretur ei, quòd fugisset populus, respirauit inuidia rediuiua, intumuit superbia, & cunctis curribus cum omni exercitu abeuntem Israel vsq; in ma- *Exod.15.* re persequebatur, non tam vt illum ad seruiendum sibi retineret, quã vt omninò interficeret. Dixit enim inimicus (ait in cãtico Moysis) Persequar & comprehendam, diuidam spolia, & implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Idcirco sicut dum primogenitum Domini populum dimittere nollet, iustè primogenitum filium suum perdidit, ita nimirum iusto iudicio, dum omnes interficere cupit, ipse versa vice cum omnibus suis perijt, coopertus aquis, & ne vnus quidem superfuit ex eis. Ita primum Draconis caput vicit verbum Dei, per figuratiuum sacramentum futuræ suæ carnis siue passionis, id est, per vespertinam immolationem Agni, & mulier illa, quæ in vtero habens clamabat, exultauit, id est, gens illa Christũ quandoq; paritura, præcentore Moyse, canticũ gloriæ Domino cantauit. Vnde & sapientia dicit: Inimicos eorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideò iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt: Domine nomen sanctum tuum, & *Sapien.10.* victricem manũ tuam laudauerũt pariter.

Hæc omnia Abrahæ à Deo prædicta fuisse, & quòd filij Israel Aegyptios iustè spoliarint.

CAP. XIX.

NOnne hoc est iustum & verum verbũ quod dictum fuerat ad Abraham pa- *Gen. 15.* trem ipsorum? Scito, ait, prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent annis quadringentis, statimq; subiũxit, Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum *Sapien.18.* magna substantia. Perpulchrum & expectatione dignum est, quòd iste omnipotens sermo taliter exiliens de cælo à regalibus sedibus, vt suprà memoratum est, gladius acutus, & durus debellator, non solùm illic, verùm etiam in omnibus quæcunq; debellat aut percutit, iudicio pugnat, iudicio vincit, nullumque omninò absq; iudicio percutit, quia summus est iudex, imò quia iudicium est, quia veritas iudicij est, Vnde non noua assertione, sed antiqua veritate in Apocaly- *Apoc.16.* psi de eo dictum est, Qui sedebat super equũ album, scilicet de hoc ipso Verbo habente corpus immaculatum, quia vocabatur fidelis & verax, & iustitia iudicat & pugnat. *Exod.12.* Quòd si iudicium vel iustitia iudicij quæritur, de hoc quoq; quòd iusti tulerunt spolia impiorum, quòd cum substantia magna egressi sunt, spoliaueruntq; Aegyptum, iubẽte ipso, vt postularet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa aurea & argentea: Si, in- *Luc.10.* quam, de hoc ratio quæritur, qua cum iudicio factum esse probetur, sententia in promptu est iusta & nota: Quia dignus est operarius mercede sua. Operarios autem Aegyptiorum filios Israel fuisse, quis nesciat? Præ- *Exod. 1.* posuerat namq; illis Pharao magistros operum, vt affligerent eos oneribus, ædificauerunt; illi vrbes tabernaculorum Phiton & Rameses. Qualem pro illis operibus, vel in ter illa opera tanti operarij mercedem receperunt? nullam vtique mercedem bonam, sed è contrario, pœnam amaram, sicut scriptum est: Oderantque filios Israel Aegy- *Exod.1.* ptij, & affligebant eos illudentes eis, atq; ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris, luti & lateris, omnicq; famulatu, quo in terræ operibus premebantur. Mercedẽ igitur, quã illi iniusti iniustè detinuerũt, isti iustè tulerunt, & tollendo spolia impiorum, iniustitiæ argui non possunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbo ipso (quòd Deus est fidelis & verax, qui, vt iam dictum est, iustitia iudicat & pugnat contra gentem illam, cui seruierant) iudicante cum iustitia, vt egrederentur cũ magna substantia.

Eundem esse Draconem, & Behemoth, eumque à solo Verbo vinci, vt multiplicet preces, & mollia loquatur CAP. XX.

Behemoth. PAtrata hac victoria, & victrici veritate Verbi Dei, super illud primum caput Draconis completa, sub eisdem temporib. idem Dominus dicebat ad beatum Iob, de eodem Dracone quem Behemoth nuncupabat, qui in illo Pharaone victus est, per quem verbum promissionis eius impugnauerãt: Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Item, Qui fecit eum, applicabit gladium eius. Nimirum decebat eum, vt iam sic loqueretur, quia iam fecerat in illud primum, & facturus erat in cætera capita, vt vnumquodque sibi mollia loqueretur. Nempe is, qui corde indurato, dura locutus fuerat, dicendo: Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? Nescio Dominum, & Israel non dimittam, & his similia: tandem humiliatus sicut vulneratus, idẽ superbus postquam semel & iterum falsè dixit: Peccaui etiam nunc, orate Dominum: peccaui, sed dimitte etiam hac vice peccatũ mihi, vt iam non valens vltrà fallere, Surgite egredimini (inquit) & abeuntes benedicite mihi. In mari quoque positus fracta duritia mollissimè dixit: Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Similiter de cæteris capitibus Draconis, id est, de Regnis, quæ pugnauerũt, vel per quæ Draco ipse pugnauit contra Verbum Dei. Iam hic breuiter dicendum est, quia singula suis temporibus & locis, post multam superbiam atque duritiam multiplicauerunt preces, & locuti sunt mollia. Nam & Babylonici Regni caput Nabuchodonosor, post quam ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, Leuaui (inquit) oculos meos ad cælum, & altissimum benedixi, & cæt. Sic & Aman caput superbiæ Regni Persici, cùm vniuersum genus Iudæorum sese iam delere putaret, tandem multiplicauit preces & mollia locutus est intantum, vt corruer et super lectulum pro anima sua rogans reginam Hester. Similiter de cæteris experimenta reperientur in suis locis, quàm veraciter de agitatione illorum Dracone diabolo dictum sit: Nunquid multiplicabit ad te preces, & loquetur tibi mollia? simulque illud: Qui fecit eum, applicabit gladium eius, vt videlicet frustretur conatus gladij eius, quemadmodum huius primi, qui cùm dixisset: Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea, suffocantibus aquis præpeditus est, vt gladium suum explicare non posset de vagina sua.

Iob. 40.
Exod. 5.
Exod 9.
Iob. 40.
Deut. 32.
Exod. 12.
Daniel 4.
Hester. 7.

Quòd Dominus populum Israel liberauerit in laudem & gloriam nominis sui, vt faceret eum excelsiorem cunctis populis. CAP. XXI.

VErè, magnum & laudabile victoriæ verbi Dei spectaculum, si ritè perpendas pugnantis siue duri debellatoris huius intentionem atque propositum. Quidenim intendebat? Quid in proposito habebat, quando primum illud Draconis caput omnipotens sermo tuus Domine, de cælo à regalibus sedibus exiliens debellabat? qualiter belli siue victoriæ suæ fructum quærebat? Hoc licet ferè omnes nouerimus, tamẽ ex ipsius sacræ Scripturæ oraculo audire pẽsenti loco amplius delectamur, cùm præmisisset Moyses ad Israel, Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta eius, subiunxit intentionis summam: Vt faciat (inquit) te excelsiorem cunctis gentib. quas creauit in laudem & nomẽ & gloriam suam. Quid hac intentione benignius, dulcius, amabilius? Populum numero exiguũ, seruitute miserrimum, populis omnibus viliorem atq; contemptibiliorem, superbissimis famulantem, & in ipso famulatu inter opera dura luti & lateris affligentibus, atq; illudẽtibus Aegyptijs expositum, ita consolari intendebat, vt cunctis gentibus facere proponeret excelsiorem, & hoc intendens atque dicens, Videns vidi afflictionem populi mei in Aegypto. Ad liberãdum illum descendit, & hoc tam grande certamen suscepit. Quæ autem illa celsitudo sit, vel in quo populum illum cunctis populis excelsiorem facere voluerit, & fecerit, Apostolicis enũciamus verbis, Quia ipsorum est adoptio filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissio, quorum patres, & ex quibus Christus secundũ carnem, qui est super omnia benedictus Deus in secula, amen. Num parua hæc celsitudo est? Et in alio loco, cùm percontatus fuisset, Quid ergo amplius est Iudæo, aut quæ vtilitas Circuncisionis? statim ipse respondit, Multum per omnem modum. Primũ quia credita sunt illis eloquia Dei. Tanta celsitudine excelsum facere illum dignatus est populum præ cunctis populis. Quomodo vel quãdo illi eloquia sua credidit? die quinquagesimo ascende ad me in montem, ait ad Moysen, & esto ibi, daboque tibi duas Tabulas lapideas, & in Legem ac mandata, quę scripsi, vt doceas filios Israel. Tanto ac tali studio Deus illis eloquia sua credidit, vt eloquiorum quoque signa, scilicet literas traderet Moysi, dando illi Tabulas scriptas digito Dei.

Deut. 28.
Exod. 3.
Rom. 9.
Rom. 3.
Exod. 24.

Populo Israel non solùm commissa, verumetiam scripta fuisse eloquia Dei, idque digito ipsius.

CAP. XII.

QVis deniq; alius, nisi ipse Deus signorũ huiusmodi, scilicet literarũ, auctor vel inuentor existimabitur? Sic namq; Moyses rarũ Deus ipse

Auctor literarum.

ipse testatur, Daboq; tibi (ait Dominus) duas Tabulas lapideas, Legemq; ac mandata quę scripsi. Legem cùm dicit, subiungendo: ac mandata, non vtiq; Cæremoniarum, sed Legem decem præceptorum vult intelligi, & rursus scriptum est: Et reuersus est Moyses de monte, portãs duas Tabulas testimonij in manu scriptas vtraque parte, & factas opere Dei. Scriptura quoq; Dei sculpta erat in Tabulis, & in Deuteronomio digestis rursus decem mandatis. Hæc (inquit) verba locutus est Dominus, & scripsit ea in duabus Tabulis lapideis, quas tradidit mihi. Item, de Tabulis secundis, quas fecit, priorib. fractis: Cumq; dolassem (inquit) duas Tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus, scripsitq; in Tabulis, iuxta id quod priùs scripserat, verba decẽ. Item in Exodo: Dedit quoque Moysi (completis huiusce modi sermonibus in monte) duas Tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei, ac deinceps. Præcide (ait) tibi duas Tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba quæ habuerunt Tabulæ quas fregisti. Quorsum ita tot testimonia? Videlicet vt liquidò constet, quòd qui huiusmodi rationem & vocem siue linguã ad loquendum dedit, idem ipse Deus literas, id est, ipsas elementorum figuras primã per semetipsum cõscripsit, & ei qui primus ex omnibus hominibus scribere meruit, scilicet Moysi scriptas tradidit. Nec dum quippe vel ipse Moyses quicquã scripserat, quãdo dixit ei, Ascende ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi duas Tabulas lapideas, & Legem ac mandata quę scripsi. Equidem Græcis Cadmus, quo tempore Dux Othoniel filijs Israel præerat: Et Latinas literas tradidit Carmentis, quo tempore populum Israel iudicabat Iair. Sed hoc fieri potuit humana industria per imitationem scripturæ prioris & diuini operis, vt iam non esset impossibile fieri in alia lingua, quod homini per semetipsum Deus ostenderat in vna, scilicet Hebraica.

Exod. 32.
Deut. 5.
Deut. 10.
Exod. 32.
Exod. 34.
Inuentores literarum.
Exod. 24.

Literarum vtilitas.

Nihil vtilius inuento literarum ad cognitionem Dei Creatoris esse.

CAPVT XXIII.

NOtandum itaq;, quòd inter cuncta opera manuum hominum hoc vnum opus est, quod habet homo ex artificio opificis Dei, & de cunctis operib. Dei, quæ multa sunt, hoc vnum opus est, quod homini manu sua iusserit operari. Nam & in Tabulis opere suo, Scripturam suam scripsit, & homini in libro scribere iussit. Exempli gratia: Scribe hoc (inquit) ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim memoriã Amalech sub cælo. Nunquid hoc tantũ illi scribere iussit, quòd Amalech principium gentium, id est, primus ex omnibus gentibus venisset, & pugnasset contra Israel, & idcirco memoria eius delenda esset? Imò amplius illud constat, & dignè sciendũ est, quòd iusserit illi scribere: In principio creauit Deus cælum & terram, quamuis nõ sit præmissum, Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc: In principio creauit Deus cælũ & terram. Quòd si vtilitatem huius operis, scilicet manu scribendi, rectè perpẽdis, profectò fateris, decere vel decuisse Deum maiestatis, quòd figurarum huiusmodi, scilicet literarum non alius, quàm ipse primus author extitit. Quid enim est in omni mundo, in vniuersa multitudine rerum, vel signorum vìsibilium, quod humanæ mẽti ad cognoscendum Creatorem suum, tam efficax, tam vtile, tamq; certum præbeat adiumentum? Nunquid ordo cæli, solis, lunæ, & stellarum: Quæ omnia pulchra sunt, & creatricis omnipotentiæ quædam signa sunt, quæ ita vt hæc, verborum signa, sensus nostros instruunt aut instruere possunt. Hæc signa de præterito narrant, de præsenti demõstrant, de futuro seculo annuntiant, & quod summum est, Creatoris non solùm omnipotentiam asseuerant, verùm etiam voluntatem nobis intimant, & quoties volumus, Deus nobiscum per hæc signa loquitur. Dignum igitur opus, quod ipse Deus operatus esse credatur, sicut manifestè Scriptura testatur. Quia (sicut iã dictũ est) prior ipse scripsit in Tabulis opere suo, digito suo, vtiq; modo ineffabili, & deinde homini scribere iussit.

Sicut priores duæ Tabulæ Moysi fractæ sunt, ita & literarum characteres sub Esdra mutatas fuisse arbitramur. CAPVT XXIIII.

SVnt autem literæ apud eosdem, scilicet Hebræos numero vigintiduæ, & characteres quidem immutati sunt, quia certum est, Esdram Scribam Legisque doctorẽ post captam Hierosolymam & instaurationem tẽpli sub Zorobabel, alias reperisse figuras, sed sono eodem permanente. Quod verò mirum si elementorum figuras, quas ipse Deus tradiderat, per Prophetam Esdram immutari voluit (quem ipsum esse Malachiã accipimus, qui in ordine duodecim Prophetarum est nouissimus) cùm ipsas quoq; Tabulas, in quibus Scriptura Dei literæ sculptę fuerant, (quas nimirum non Moyses præcidit, sed Moysi ipse dedit) frangi placuerit, & alias Moyses ipse fecerit (quamuis nec in illis scripserit) dicẽte Domino ad eum, Præcide tibi duas Tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerint Tabulæ, quas fregisti? Nam de priorib. Tabulis, quòd non Moyses illas præciderit, sed Dominus ipse & scripserit, & illi dederit, manifesta est authoritas Scripturæ, quæ dicit, Dixit autem Dñs ad Moysen, Ascẽde ad me in montem, & esto ibi, daboq; tibi Tabulas lapideas, & Legẽ ac mandata quę scripsi. Item alio loco, Deditq; Moysi, cõpletis huiusce modi sermonibus in monte Sinai duas Tabulas testimonij lapideas, scriptas digito

Gen. 1.
Exod. 24.
Exod. 34.

Literæ apud Hebraos quot.

Esdras idẽ qui Malachias.

Exod. 39.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei. Non ergo mirum, si in restauratione ciuitatis vel templi literas, quas digitus Dei scripsit, per hominẽ immutari placuit, cùm in constructione tabernaculi quandoq; destruendi Tabulas, quas ipse Deus præparauerat, homo fregerit, & aliàs iussu Dei præciderit. Potuit in vtroq;, scilicet & in Alteratione Tabularum, & in demutatione literarum eiusdem rei esse portentum: Quia videlicet futurum erat, vt omnia quæ tunc instituit Deus nondum homo factus pertransirent. Nam ecce vetera sunt, & transierunt, & noua omnia facienda erant, vt nunc facta
Hebr. 9. sunt, quæ instituit idem Deus homo factus Sacerdos in æternum, de quo Apostolus. Christus autem assistẽs Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, &c.

Dona esse Dei, quòd homo in verbo Dei positus me ditari, deinde & eloqui, demum & scribere, atq; aliorum scripta legere. CAP. XXV.

ECce quàm paruulo auxilio, quantum Deus & Verbum eius subuenit generi humano? Viginti duæ tantùm, sicut iam dictum est, literæ sunt. Ecce de impensis tam paruis, quàm magnum constructum est ædificium? Primò ex ipsis positum est fundamẽtum Scripturarum, id est, Scripturę illę, quę Canonicæ dicuntur, per Spiritum S. conditæ sunt, & deinde quàm multi ex omni natione & gente, maximeq; Græci & Latini, non pluribus vsi literis superædificauerũt? Inde factum, vt in publicum conuentũ nostrum habeamus ascitum, & habere semper possimus, Dei verbum. Eatenus homines pauci instructi fuerant hoc verbo, quorum notissimi sunt, Abraham, Isaac, & Iacob, ad quos fiebat Dei verbum, non huiusmodi lectione, sed occulta inspiratione, & idcirco paucissimi verbum percipiebant, quia tali
Literarum inuentor Deus. instructione non multi digni erant. Literæ datæ confestim viam fecerunt multitudini ad percipiendum verbum Dei. Ac per hoc rectè dixerim, quia literarum auctorem siue inuentorem primum, non hominẽ quẽpiam, sed ipsum Deũ esse decuit, cuius hoc tertium esse munus ad cognitionem valens verbi sui, quòd homini literas dedit. Primũ namque est donum Dei, quòd homo, vtpote rationalis, verbum illud potest meditari. Secundum, quòd solus ex cunctis animantibus linguam habens eloquentem, ipsam suam meditationem valet eloqui. Tertium quòd cùm literas didicerit manu scribere, & aliorum manu scripta intelligere, cognoscere potest verbum Dei, sapientiã Dei. Visibilibus signis sub istis signis primùm illi populo credita sunt eloquia Dei, & instructus est de adoranda maiestate vnius & solius veri Dei, quòd vnus ipse cuncta creauerit, cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, quòd hominem ad imaginem suã creauerit, quòd ad Abraham, ad Isaac, & Iacob locutus sit, & semen eorũ in populum sibi peculiarem elegerit, & sub eisdem signis Leges eius accepit, quorum summa tota est in præceptis Decalogi, quæ ipse scripsit in Tabulis, & sub eisdem signis cærimonias eius, id est, ritum vel ordinem eidem Deo sacrificandi suscepit.

Sacramenta cælestia, sub sacrarum superficie literarum latentia, similia esse thesauro abscondito in agro. CAPVT XXVI.

QVantum sapientiæ decus, quantos sapientię thesauros sub istis putas signis, *Thesaurus in agro.* id est, literis, esse absconditos? Quis explicare *Ezech. 16.* posit diuitias salutis, quas illa mulier suprà memorata in illa prima victoria, videlicet vbi victum est & contritum primum caput Draconis, accepit recõditas sub illis literis? Hinc est enim, quod apud Ezechielem dominus ad eandem mulierem dicit. Et egressus sum pactum tecum, & facta est mihi, & laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribꝰ, & calciaui te hyacinthino, & cinxi te byso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornaméto, & dedi armillas in manib. tuis, & torquẽ circa collum tuũ, & dedi inauré super os tuum, & circulos in auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, & vestita es byssо, & polymito, *Latent sub grosso velamine.* & multis colorib. Tantis namque diuitiarũ *grosso velamine.* splendidis nominibus, quid, nisi sacramenta cælestia sub illius sacræ Scripturæ grosso velamine latentia, significari putamus? Nã si eiusdem prophetiæ textum in præcedentibus ac sequentibus attendas, nimirum cõstat, dicta hæc esse de sacræ Legis institutione, quam à Domino, in manu Moysi, imò in dispositione Angelorum, Ecclesia primitiua tunc accepit, plenam cœlestibus sacramentis. Quisquis hæc attendis, profectò veram & cõgruam perspicis illam parabolam verbi incarnati dicentis: Simile est Regnũ *Matt. 13.* cælorum thesauro abscondito in agro, quẽ qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrũ illum. Siquidẽ literatura illa in superficie quodãmodo agnoscibilis est. Sed in huiusmodi agro thesaurus abscõditus est sapientię cęlestis, thesaurus nobilis, quẽ qui inuenit, id est, qui intelligit rectè gratulatur & veraciter domino dicit, Bonũ mihi Lex *Psal. 118.* oris tui super milia auri & argenti. Qui hoc inuento delectati, vniuersa quæ habebant, vendiderunt, & agrum huiusmodi emerũt, vt exonerati secularibus negotijs, vacare possent, & intendere vel meditari in illa Lege Domini, & necdum potuerunt, nec nisi ex parte cognoscere poterunt, senserunt dominum, latentem illic in factis figuratiuis & dictis mysticis.

Hunc thesaurum ideò absconditum fuisse, ne paruuli quibus lacte opus erat, solidum cibum non ferre possent, & porci margaritas pedibus subiectas conculcarent.

culcarent. CAP. XXVII.

Matt. 7. PLanè sic abscondendo thesaurum tanti precij, iam tunc ipse primus fecit, quod alibi docet, cùm dicit, Nolite margaritas vestras mittere ante porcos, ne forte conculcent eas, & conuersi lacerent vos. Item sapientia docet, paruulis non solidum cibum, sed lac esse offerendũ. Hoc (inquam) tũc ipse fecit, dum verbi sui thesaurum & margaritas secretorum cęlestium taliter signauit, vt nec porci inuenire possent, nec paruuli pressi pondere deficerent. Profectò si temporis illius statum respicias, homines aut contemptores erant nimis, aut simplices, præter
Num. 16. pauciſsimos quos spiritus propheticus, qui in Moyse amplior erat, consilii sui conscios habere dignatus est. Exempli gratia, Chore & Dathan, atq; Abyron, & cæteri proceres Synagogæ, qui contra Dominum & contra Moysen steterunt subsannantes atq; dicentes: Reuera induxisti nos in terrã, quæ fluit riuis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum vinearum. Nónne porci erant, qui conculcarent obiectas sibi cùm vidissent margaritas Regni cælorum? Idcirco valdè notandum, quòd cùm sanctę Scripturæ intentio tota tendat ad Regnum cęlorũ, ferè nusquam in omni Pentateucho vlla sit mentio de gloria eiusdẽ Regni, vel comminatio gehennæ ignis verbis manifestis, præ-
Deu. 12. ter quod dictum est in Cantico, Ignis succẽsus est in furore meo. & ardebit vsq; ad inferni nouissima. Minæ sunt ad deterrendũ, ne peccent, de gladio, de fame, de pestilẽtia, de malis bestijs, Promissiones verò, ad exci tandum bonum studium, de agris, & de vineis, de oppidis siue villis, & ciuitatibus muratis, de ficetis & oliuetis, de terra fluente riuis lactis & mellis, quibus videlicet nominibus, & quæcunq; vulgo intelliguntur, leuiora sunt his, quæ à spiritualibus spiritualiter sentiuntur, sed multò efficaciùs animos contingunt attendentium vel expectantiũ, non illa quæ non videntur, sed illa tantùm, quæ videntur. Profectò si manifestiùs proprijs iã tunc enũciata fuissent de futuro seculo illa dulcedo vitæ æternæ, & requies paradisi, quæ sub nomine terrę intelligitur lacte & melle manantis, paruuli quidem, quibus lacte opus erat, tanquam solidum cibum fastidirent, superbi autem tanquam porci margaritas conculcarent.

Exemplis probatur, non expediuisse, vt sacramẽta Scripturæ apertis verbis prodantur, donec operè compleantur.

CAP. XXVIII.

QVid de mysterio dicã tabernaculi mystici, quod sinè dubio secundum exẽplar cæleste Dominus fieri iussit? Ait enim, Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est: Si res ipsa, scilicet sacramenta incarnationis, passionis, & resurrectionis suæ, quorum illa exemplaria fuerunt, verbum ipsum palàm tunc describi iussisset, quis portare potuisset? Vt de multis vnum exempli gratia proponam, illud quod in Deuteronomio taliter dictum *Deut. 28.* est: Et erit vita tua quasi pendens ante te, & non credes vitæ tuæ. Si paulò manifestiùs dici placuisset? Esaiam serratum esse accipimus, quasi iusto & Legis iudicio damnati, *Esaias serratus.* eò quòd dixerat: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Contrarius enim ipsi Domino in hoc dicto esse iudicatus est, quia de seipso dixit, Non enim videbit me homo, & viuet? Si ergo ille ab hominibus damnatus est, quia dixit, Vidi Dominum se *Esai. 6.* dentem, Quid fieret de Moyse? Si vbi dixit, *Exod. 33.* Erit vita tua pendens ante te, & non credes *Exod. 25.* vitæ tuæ, ita manifestiùs dixisset, Crucifiges & pendere facies Dominum tuum ante te, & resurrexisse non credes eundem auctorem vitæ? Laudabilis igitur prouidẽtia verbi, in eo, quòd per Scripturam & mundo innotuit, & mundo sese abscondit, taliter eandem Scripturam contemperans, vt quasi liber signatus, carnales illius temporis oculos effugeret, & custodiretur venturis spiritualibus, quibus in suo tempore vtiliter aperiri posset. Custodibus suis statim mercedem qualem cupiebant larga manu dedit, sicut scriptum est: Et dedit illis regiones gentiũ, *Psal. 104.* & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & Legem eius requirant. Atque ita factum est, vt quamuis plerique ipsorum imbelles existerent, attamen pugnaturis in militia verbi Dei, arma ferrent, miroque modo pugnatorũ longè post futurum præcursores atque armigeri existerent. Hoc ipsum præuidens Dominus, dicebat ad Moysen: Feriam igitur eos pestilentia, atq; consumam, te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem quàm hęc est. Denique & si non statim factum est, Moyse interueniente, at nunc videmus impletum, quia percussi sunt Iudæi, & super aliam gentem, scilicet super omnem sanctam Ecclesiam Moyses princeps & magister reuelata facie constitutus est.

FINIS LIBRI TERTII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER QVINTVS.

Quarum animalium septem illa capita Draconis similia fuerint.

CAP. I.

Apoc. 12.

DE primo capite Draconis, qui ante mulierem parituram stetit, vt cùm peperisset deuoraret filium eius, id est, de primo regno, quod contra verbum Dei & promissa persecutionem excitauit, vt non perficeretur propositum eius, iam dictum est, qualiter triumphauerit Verbum Dei, Verbum Deus. Nunc iam de secundi capitis excidio narraturi, opportunum esse arbitramur, vt quomodo septem capita sunt, & diuersas habent facies, singulas singulorum capitum facies clara contemplatione discernamus. Ecce ex Scripturarum iudicio patēter animaduertere licet, quia primum caput simile erat Draconi: secundum, simile erat Vitulo: tertium, simile Leoni: quartum, simile vrso: quintum, simile pardo: sextum, cæteris dissimile bestijs: septimum, simile homini. Draconi namq; qui est in mari assimilatus es, ait Dominus per Ezechielem super Pharaonem regem Aegypti. Non necesse est hoc longis probare documentis, cum vbiq; in omni Ecclesia notum sit, & celeberrimum, quòd Pharao ille carneus, populū Dei seruituti subijciens, & per mare transeuntem persequens, atque submersus in mari cum curribus & equitibus suis, typus diaboli fuerit, cui post seruitutem peccati à populo confugiente ad Christum abrenuntiatur cum omnibus pompis suis. Idcirco primum illud caput rectè est simile Draconi. De cæteris capitibus siue faciebus, ratio nihilominùs in promptu est. Secundi namq; capitis faciem, id est, Israëlitici Regni qualitatem, idcirco similem vitulo animaduertimus, quia statim post exitū de Aegypto, caput vituli formauit idem populus, & adorauit illud, Et tunc quidem caput illud ad tempus repressum fuit, sed vbi temporis opportunitas accessit, confestim eandem faciē dupliciter, id est, duos vitulos reformauit, Regnum illud scissum à domo Dauid, & colendo atque defendendo illos, præcones verbi Dei interfecit. Deinde tertij, quarti, quinti, atque sexti capitis facies Daniel exprimit.

Capita Draconis.

Exech. 35.

Psal. 104.

2. Reg. 12.

Prima (inquit) quasi leæna, quia videlicet regnum Babylonicum secundum similitudinem leænæ, duobus malis abundauit, superbia videlicet, & luxuria. Alia bestia, scilicet Regum Mœdorum atque Persarum, similis ait vrso, scilicet propter crudelitatem Aman Agagitæ hostis Iudæorum. Bestia tertia, vel Regnum Macedonum, quasi pardus, inquit, nimirum propter varietatē Græcorum, & sæuitiam Alexādri Magni, & Antiochi, qui in Iudæos impiè desęuijt. Bestia quarta, videlicet Regnum Romanorū, non dicitur cui similis fuerit, quia Regnū illud magnitudine & fortitudine cūctis dissimile extitit, & contra Fidem verbi incarnati plus omnibus & terribiliùs infrenduit. Post illa duo superiora, & ista quatuor inferiora capita siue Regna, septimum futurum est caput, cuius facies similis homini, scilicet regnum Antichristi, qui homo peccati, & filius erit perditiōis. Nūc ordinē, pśequamur.

Quòd facies secundi capitis, facies vituli fuerit, quem fecit Aaron, & quomodo tunc mulier in vtero habens, clamauerit. CAP. II.

INterea dum in monte cum Moyse dominus, vel cum Domino Moyses loquerētur, Serpens antiquus primo capite exarmatus, iam aliud caput erigere properabat contra Deum & verbum eius. Videns namque populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, formauit, & fecit vitulū conflatilem. Et hi sunt (inquit) dij tui Israel. Item dixerunt alter ad alterum: Constituamus nobis Ducem, & reuertamur in Aegyptum. Quis nisi Diabolus Serpens antiquus hoc machinatus est? Illud intēdens, vt offensus Deus populi reatu, verbiq; sui ac promissionis oblitus, à proposito suo auerteretur. Sed clamauit mulier illa in vtero habens, videlicet Moyses, cuius anima eiusdem mulieris, scilicet Ecclesiæ pars erat, clamante & orante dominum Deum suū, ac dicente, Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuū? Recordare Abraham, & Isaac, & Israel seruorū tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens, Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli. Hæc & cętera dicēs, nimirum vehementer cupiebat, iustificari Deum in sermonib. suis, & vincere victoria veritatis, & per virtutē huiusce modi intentionis Dñi dicentis, dimitte me, vt irascatur furor meus. Fortis homo tenere potuit, quia reuera fortis est, & apud Deum, & apud homines quicunque verbi Dei fides auditor est, id est, qui optat sicut Dauid, vt Deus in sermonibus suis iustificetur, & vincat cum iudicatur. Itaq; (sicut iam suprà dictum est) facies secundi capitis similis vitulo extitit, sed tunc gladium caput illud habere non potuit, quia non sibi ducem constituerunt, imò

Exod. 32.

Num. 14.

Exod. 32.

Ibidem.

imò statim ducem suum vindicemq; contra vitulum suum, deum suū experti sunt, quā fortem haberet iustitiæ zelum, cùm esset mitissimus omnium hominū. Ille nanq; iratus valdè, proiectus de manu Tabulis atque confractis, vitulo q; combusto & contrito vsque ad puluerem, Si quis est Domini, ait, iungatur mihi. Congregatisque ad eū omnib. filijs Leui: Ponat (inquit) vir gladiū super fœmur suum, & occidat vnusquisque fratrem & amicum & proximum suum.

Ibidem.

Quòd idem caput sublatum ad tempus, sub Ieroboam denuò erectum sit.

CAPVT III.

ET tunc quidem ex oculis sublatum est caput illud draconis, scilicet vitulus, sed ex animo populi nunquā penitus fuit amotus. Eiusmodi deus semper erat illis in appetitu, sed sub seueris iudicibus prohibebantur, vsque ad tempus Roboam filij Salomonis filij dauid. Illo succedente patri, scissæ sunt decem tribus à domo dauid, & fecerūt sibi Regem Ieroboam, qui excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, posuitque vnum in Bethel, & alterum in dan, dixitq; idipsum, quod filij Israel formato (vt iam dictum est) vitulo in deserto, dixerant, Ecce dij tui Israel, qui duxerunt te de terra Aegypti. Tunc toto conamine erexit se contra mulierem secundum caput Draconis, habens (vt iam dictum est) faciem vituli. Cœpit enim vti gladijs, & interficere & persequi maximè Prophetas verbi domini. Eatenus, ex quo Pharao interijt, & nullus Regum gladios habuit ad causam hāc, vt prohibere posset, deo vero sacrificari, & annūciari verbum Domini, quicquid interim egit auertendo populum à cultu dei, non tanquam Draco bellator, sed tanquam Serpēs deceptor egit, per eundem sexum populum decipiens, per quem & primum deceperat hominem sine vi. Duxerunt enim vxores filias eorum, ipsique filias suas eorum filijs tradiderunt & seruabant dijs eorum. Hinc iratus Dominus tradebat eos in manus hostium, à quibus afflicti clamabant ad Dominum. Dominus quoque flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & suscitabat eis Iudices, & liberauit eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset Iudex, reuertebātur & multò maiora faciebant, sequentes deos alienos, & seruientes eis, & adorantes illos. Inde Serpens inermis extitit, nec tanquam Draco bellare potuit, quia Iudicem aut Principem neminem ex omnibus possedit, cuius vi posset vti ad deterrendum illos à cultu domini, quinimò ferè omnes Iudices strenuè gesserunt suis quique temporibus, astringendo populum ad custodiam Legis Domini.

2. Reg. 12.

Exod. 32.

Iudic. 3.

Iudic. 2.

Quòd per Iudices Dominus populum ab idololatria repressérit, & ab hostibus defenderit, vincente per eos Verbo Dei.

CAPVT IIII.

EOrundem omnis victoria Iudicum, profectò victoria Verbi dei est, quia videlicet non in multitudine exercitus, sed in verbo Domini vicerunt, liberantes Israel ab oppressione hostium de Othoniel, qui primus illorum videlicet duodecim Iudicum extitit, ita scriptum est. Fuitque in eo Spiritus domini, & iudicauit Israel. Egressusque est ad pugnam, & tradidit dominus in manus eius Chusan Rasathaim Regem Syriæ & oppressit eum. Post illum secundus Ahud, qui liberauit Israel de manu Moab, dum percuteret Regem Eglon. Verbum, inquit, Domini habeo ad te. Statimque dictum eius, quod secum haberet Verbum Domini, verum esse res ipsa probauit, quia videlicet victus & humiliatus est Moab de illo sub manu Ahud, & terra quieuit. Post illum, Samgar defendit Israel. Proculdubio non virtute humana, sed virtute eiusdem verbi, Cuius rei testimonium illud est insigne, quòd percussit de Philistijm sexcentos viros vomere. Deinde Barach dum pergit ad pugnam contra Sisaram principem exercitus Iabin Regis Chanaan, dixit ad eum Prophetes Debora. In hac vice tibi victoria non reputabitur, quia in manu mulieris Sisara, quod & factum est. Nam Iahel vxor Abercinei percussit eum in capite, quærens vulneri locum, & tempus valdè perforans. De Gedeon quis nesciat, quòd victoria, qua Madian & Amalech, cæterosque orientalium nationum vicit, victoria fuerit verbi dei? cum trecentis viris ad pugnam iuit, tenentibus in sinistris manibus lampades, & in dexteris sonantes tubas, illisque conclamātibus, gladius Domini, gladius Gedeonis, stantibus singulis in loco suo, immisit Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant. Nimirum eiusmodi bellum & victoria non hominis, sed dei est. De Iephte non sic elucet, quòd pugnauerit in eo verbum Domini absque robore militari, excepto quod de illo scriptum est: Factus est ergo super Iephte Spiritus domini & circumiens Galaad & Manasse votum vouit domino, transiuitque ad filios Ammon, tradiditque Dominus eos in manus eius. De Sampson nulla est dubitatio, quin fortitudo eius, verbum ipsum fuerit, cuius venturi in hunc mundum per incarnationis mysterium, mysteria præclarissima præclaris gestis præfigurauit.

Iudic. 4.

Iudic. 7.

Iephte.

Iudic. 12.

Sampson.

Iudic. 15.

Iudices non nisi clamante ad Dominum populo suscitatos.

CAPVT V.

IVdices isti non in silentio, sed clamore populi præeunte, suscitati sunt à domino, vt liberarēt filios Israel de vastantiū manibus. Quid horū magis venerandum est? quid amplius potentiam vel sapientiam

Boni principes Domini dantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

commendat verbi Dei ad victoriam tendentis? Illud ne, quòd tradidit eos in manus hostium, vt clamarent, an quòd clamantibus Iudices susciterit, qui eos liberarent? Nimirũ in vtroque omnipotens sermo tuus Domine tanquam durus bellator decertabat, vt non vacuum reuerteretur ad te, qui salutem generis humani in ipso proposueras, & hoc Abrahæ promiseras. Maximè autem in hoc dirigebat salutis eiusdem cursum, quòd tradebat Israel in manus hostium. Vexatio namque auditui dabat intellectum, vt sæpè dicta mulier aduersitatibus commonita, recogitaret, & memor fieret qualẽ in vtro haberet conceptum, & quã necessarium sibi esset, vt cõceptus ille perueniret ad partum. Quid enim clamasse arbitramur iuuenculã illius temporis vel ætatis Ecclesiam? Quoties illud legimus vel audimus, Clamauerũt filij Israel ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos. Profectò non vanè illud nonnullos clamasse & clamando postulasse intelligimus, vt iam veniret iste Saluator, qui Abrahæ fuerat promissus, & per Moysen designatus, quali signo foret cognoscendus. Prophetam (inquit) de Gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus. &c. Nunquid enim, quia solus Moyses illum inclamasse manifestè legimus, nullus, vel eodem, vel sequenti tempore eundem inclamasse putabitur? Moyses vtiq; cùm in Aegyptum ad Pharaonem mitteretur, potiùs illũ iam mitti cupiens, qui plenam salutem perficeret, Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. Item postquam vitulum fecerant cũ pro eodem populo deprecaretur, inter cætera dicebat: Præcipis mihi, vt educam populum istum, & non indicas mihi, quẽ missurus sis mecũ, præsertim cùm dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. Vnde animaduertendum, quòd eodem in loco rectè dicitur idem Moyses festinus, hoc modo, Festinusque Moyses curuatus est pronus in terram, & adorans ait, Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum, & cæt. Multum namque festinabat, quia cùm dixisset Iacob: Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, iam illum venire cupiebat, qui mittendus erat, parum attendere volens, quòd de Iuda non solùm Duces aut Iudices, verumetiam Reges existere oporteret, priusquam ille veniret.

Sap. 18.
Iudic. 3.
Deut. 18.
Exod. 4.
Exod. 33.
Exod. 3.
Gen. 49.

Quam ob causam Iudices illi Saluatores appellati sunt.

CAPVT VI.

QVod de illo, videlicet Moyse, manifestè scriptum est, de alijs quoque nonnullis sinè dubio sciendum est. Neque enim vllo tempore sic defecit Fides in Israel, vt non esset aliquis, qui eiusdem Venturi spem haberet, promissionemq; expectaret. Proinde de rectè dixerim, hoc ipsum, q̃ tradidit Dominus filios Israel, in manus hostiũ, De proposito fuisse Verbi Dei ad victoriam opusque perfectum tendentis, vt videlicet mulier in vtero habens magis ac magis clamaret, & cruciaretur, vt pareret. Hoc perpenti animo, pulchrũ valdè & venerabile apparet, q̃ eosdẽ sic datos Iudices sacra Scriptura nuncupat Saluatores. Exempli gratia, Clamauerunt ad Dñm cũ tribularentur, & suscitauit eis Saluatorẽ Othoniel. Item & postea clamauerunt ad Dominũ, & suscitauit eis Saluatorem vocabulo Ahud. Nam quid clamabant ad dñm, nisi vt Saluator, q̃ mittendus erat iam veniret? Verbi gratia, vt diceret quisq; illorum illud Moysi, Obsecro domine, mitte quẽ missurus es. Sed quia tempus aduentus eius nondum erat, illi qui interim mittebantur, vt liberarent populũ temporaliter, rectè sic dici merebãtur, quia erant vnici & veri Saluatoris vicarij. Saluatio per illos duplici modo, videlicet iudicãdo & prœliando, administrabatur. Iudicando quippe populum ab idolorum seruitute prohibebant: prœliãdo ipsi in fronte gradiẽtes, de hostibus quibus seruierant fortiter vindicabant. Erant ergo in disciplina Iudices, in prœlio Duces, in vtroque Saluatores, sacramenta victoriasque Saluatoris æterni gestis præclaris & victorijs mysticis præfigurantes. Sicut enim speculum oppositum soli similem reddit imaginem, ita & Saluatorum & Iudicum illorum lucida fides, Saluatori & Iudici æterno, cuius erant vicarij, similem prætulerunt in gestis suis pulchritudinem.

Iudices ẽ ẽti saluatores.
Iudic. 3.
Exod. 4.
Iudices xij veri saluatoris vicarij.

Duodecim Iudices, & duodecim Apostolos, esse viginti quatuor seniores.

CAPVT VII.

SVnt autem Iudices hi, numero duodecim, primus Othoniel filius Cenem frater Caleph, secundus Ahud, tertius Samgar, quartus Barach, quintus Gedeon, sextus Chola, septimus Iair, octauus Iephte, nonus Abesan, decimus Ahialon, vndecimus Abdon, duodecimus Sampson, Post istos sequitur Regnum Dauid, quem amoto Saul, Samuel paruulum in Regem vnxit iussu & electione DOMINI, quod videlicet Regnum Dauid, Regnum est verbi incarnati Christi Filij Dei, quia sic Angelus quoque de illo ad Mariam dixit: Et dabit illi Dominus Deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ; & Regni eius non erit finis. Si ergo iam dictis duodecim Iudicib. totidem Iudices alios scilicet Apostolos cõnumeres, Quibus ait ipse Rex, Sedebitis & vos sup sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, ecce habes viginti quatuor Iudices, quos nimirũ intelligi licet illos esse viginti quatuor seniores, de quibus in Apoca. scriptum est, Et in

Iudices xij qui.
Luca 1.
Luca 22.
Gladius Ibidem.
Matth. 26.
Matth. 19.
Apoc. 4.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Nam per sedem illam quid spendidius intelligi potest, quã illud iam dictũ Regnũ Dauid, Regnum Christi Filij Dei, cui dedit Dominus Deus sedem Dauid patris sui? Itaq; in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor & super thronos viginti quatuor seniores. Quia videlicet & ante exordium Regni Dauid fuerunt illi duodecim Iudices, & in cõsummatione eius dẽ Regni, vbi sedet Rex Christus super sedem Patris sui, sunt illi alij duodecim Iudices, sessuri in æternum, super duodecim sedes, & iudicaturi duodecim tribus Israel. Et rectè seniores nõ solùm isti, verumetiã illi dicti sunt, qa per maturitatẽ Fidei suæ, populum Dei iuueniliter lasciuientem coercuerunt, & quia fornicationes eiusdem populi, quibus cum mulieribus alienigenis, & cum dijs earum fornicabatur Israel, prout potuerunt iudiciali manu abstulerunt, rectè vestimentis albis circumamicti dicuntur. Nihilominùs, quia per illos actum est, vt ad propositum suum Dei Verbum percurreret & promissio non deperiret, seruaretur̃que genus Abrahæ, de quo semen benedictionis, quod est Christus, in tempore suo veniret, rectè & in capitibus eorum coronæ aureæ. Iure namque cum victore verbo Dei coronati sunt, quorum prœlijs & victorijs ad hoc vt dignatus est Deus, vt seruato genere Abrahæ, compleretur promissionis verbum.

Quare Apostolis, non vt Iudicibus gladio vtiliuerit.

CAPVT VIII.

IVdicibus siue senioribus posteris, scilicet Apostolis, non eadem quæ prioribus illis ratio vel causa extitit, vt pro verbo, vel testimonio Dei præliantes, materialibus vterentur armis. Venerat enim temporibus illorum ipse qui mittendus erat, nec alius iam sperari poterat de carne Abrahæ venturus, in quo esset salus. Vt quid ergo pro carne protegenda, gladio materiali pugnaretur? Idcirco ille, qui ex illa carne expectatus venerat, cùm in passione sua diceret, illis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Et sedeatis super thronos duodecim iudicãtes duodecim tribus Israel, & cætera. Illi nanque ad hæc responderent, Domine ecce gladij duo hic, statim huiusmodi gladios eis interdixit, Ait enim, Satis est. Itaque continuò, cùm percuteret vnus ex illis gladio, Sinite, inquit, vsque huc. Et ad Petrum qui percusserat, Conuerte, ait, gladium tuum in locum suum. Nempe quod ait, satis est, vel sinite vsque huc, hoc dat intelligi, quòd sibi cõplacuerit ante aduentum suum vsq; illuc vsus gladij, quomodo vsi sunt eo duodecim illi, de quibus nunc sermo est, Iudices primi. Iam autem sibi non placeret, vt vterentur illo, imò vt reconderent & penitus deponerẽt eum Iudices illi nouissimi cõtenti meliori gladio, qui iam venerat, qui iã datus erat, qui est ipsum verbum Dei. Proinde sicut laudabiliter materialem gladium illi dimiserunt omninò, quia iam non erat necessarius, ita nimirum isti laudabiliter illo vsi sunt, quia tunc erat necessarius, ne videlicet priùs radix bona deperiret, quàm veniret fructus eius. Rectè igitur in omniũ seniorum illorum capitibus coronæ aureę, quia profectò iuxta diuersas rationes temporũ, & istorũ militaris industria, & illorũ verbo Dei famulata est inermis patientia.

Vsus gladij

Quantis in periculis versati sunt Iudices Israel.

CAPVT IX.

ET cũ talis in præliando eorum (vt iam dictum est) fuerit intentio, considerandum est, q̃ in illa intentione bona, magno & lachrymabili fuerint fatigati periculo. Cùm enim per singula ferè prœlia, sicut Scriptura testatur, fuerint paucissimi numero, non poterat deesse aliqua timoris infirmitas, cum ipso quamuis firmissimo fidei vel spei præsidio. Vnde vnus eorum Barach filius Abinoem canit cum debora, Qui spõtè obtulistis de Israel animas vestras ad periculũ, benedicite domino. Et rursum Qui propria volũtate obtulistis vos discrimini, benedecite Domino. Non enim fuerunt aut sunt expertes patientiæ vel passionis in ipso vsum gladij pro qua coronati sunt Iudices illi (quibus vt iam dictum est) pro ratione temporis vsum gladij verbũ incarnatũ Christus ademit. Placet itaq; & multũ delectat, q̃ sicut coronas aureas, ita tamen isti, quàm illi, scilicet oẽs viginti quatuor seniores, in eadẽ Apoca. citharas quoq; & phialas dicuntur habere aureas. Cùm enim aperuisset, Agnus librũ, quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt corã Agno habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Nõne, sicut ex iã dicto cantico memoratũ est, cũ offerrent animas suas ad periculum, cũ offerrent semetipsos propria voluntate discrimini, orationes quoq; offerebant necessarias angustiati & afflicti? Proinde sicut victoriæ in coronis aureis, & sicut post victorias in citharis, ita & orationes, quibus in tẽpore angustiæ Deum exorabãt, venerabiliter agnoscantur in phialis aureis. Tanta quippe illorum angustia fuit, vt pugnantibus eis non ferre auxilium, magni fuerit sceleris, testante eodem cantico verbis huiusce modi, Maledicite terræ Meroth, dixit Angelus Domini, Maledicite habitatoribus eius, quia nõ venerunt ad auxilium domini in adiutorium fortissimorum eius.

Gladij vsũ ademit Christus.
Apoc. 5.
Orationes offerunt.
Iudic. 4.

Quare

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare Heli ad numerum duodecim Iudicum non pertineat.

CAPVT X.

1.Reg.4. FOrtè dicit quis, Heli Sacerdos Domini ipse quoque Israel iudicauit, sicut scriptum est: Senex enim vir & grandæuus & ipse iudicauit Israel quadraginta annis. Cur ergo cum cæteris Iudicibus ille nō annumeratur? an idcirco de numero tollitur, vt pulchram collationem tibi facere liceat, & tot numerare Iudices ante Regnū Dauid, quot habere Iudices alios, scilicet Apostolos, regnante iam Christo filio Dauid? ad hæc, inquam, non idcirco, vt tantùm duodecim Iudices numeremus, iam dictum Heli, de numero tollimus, sed idcirco, quia ille de numero tollitur, idcirco tantùm duodecim Iudices habemus. Quorum *gestis liber ipse contextus est, qui Iudicū nuncupatur, quorum & nomina superiùs digessimus. Quomodo ille, vel quam ob causam de numero tollitur? Nimirum propter contemptū verbi Domini. Quia in dieb. eius calce obijcere Legem Domini nimia ferè omnibus licētia fuit. Notādū quippe, quod mortuo Sampsone, qui iudicauit Israel viginti annis, dignum non existimauit Scripturæ sacræ authoritas, vt diceret: Post hunc fuit vel huic successit Heli, licet iudicauerit Israel (vt iā dictum est) quadraginta annis. Sed inter infelices dierum illorum historias, ista querela frequens est, In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisq;, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quid nisi vecordiā Sacerdotis accusat, & Iudices eiusmodi hoc dicendo. Idem nanque est, ac si dicat, qui in diebus istis iudicabat Israel, & si secundum nomen personamq; aliquis erat, secundum rem meritumq; nullus erat. Tandem missum est contra illum verbum Domini, cū quo vel per quod Iudices vel seniores omnes, tam veteres quàm noui, meruerunt sedere coronati. Prædixi enim, ait Dominus, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem, eò quòd nouerit indignè agere filios suos, & non corripuit eos. Idcirco iuraui domui Heli, quod expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. Post hæc dicta eius, finis probat, quantum à cunctis Iudicibus siue senioribus coronatis, vt iam dictum est, & super sedilia sedentibus, meritum eius differat, Vir ille qui ex acie fugerat, nunciabat ei dicens: Fugit Israel coram Philistijm, & ruina magna facta est in populo. Insuper & duo filij tui Ophni & Phinees occisi sunt, & arca Dei capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit Heli de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Nimirum cadendo de sella retrorsum, & fractis ceruicibus, moriendo palàm fecit, quòd neque sedile, neque coronam aureā mereretur habere inter Iudices alios. Proinde confestim condolendo Scriptura subiungit, Senex enim erat vir, & grandæuus, & ipse iudicauit Israel quadraginta annis. Dolendum quippe est illi, quòd cùm tot annis iudicauerit Israel, nihil vsquā memorabile, vel Iudicis officio dignum gesit.*

*Iud.12.

1.Reg.3.

1.Reg.4.

Quid sit apud Esaiam, Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari.

CAPVT XI.

QVæ vel quanta in gestis eorundem Iudicum signata sint mysteria, Iudicis æterni, verbi Dei Iesu Christi, perquirere presentis non est propositi. Veruntamen hoc in laudem eiusdem verbi Dei, eiusdem Iesu Christi breuiter dictum sit, quia rectè vocatum est nomen eius apud Esaiam, Accelera spolia detrahe, festina deprædari, Quia videlicet qui victoriosos Iudices illos fecit, & per illos vicit ipse est Christus Iesus verbū Dei. Ex hoc nanq; vocatus, accelera spolia detrahe, festina prædari: quia antequā puer fieret & sciret vocare patrem suum, & matrem suam, id est, antequam nasceretur de muliere, & subditus parentibus experiretur infirmitatem nostram, abstulit fortitudinem Damasci & spolia Samariæ, quæ videlicet Damascus & Samaria tunc iunctis viribus, Iudam, vnde nasciturus erat idem puer, debellabant & exterminare volebāt. Planè grandis acceleratio, magna festinatio, quempiam priùs spolia detrahere, quàm de matre natum esse, priùs in bello prædari, quā in vtero concipi. Nūquid autem ipsum solum priùs fecit? nunquid solius Samariæ spolia, solius Damasci fortitudinem priùs abstulit? imò & anteriùs ipse in Iudice Sampson & prædatus est, & spolia detraxit, vt ille, in mandibula asini, in maxilla pulli asinarum mille viros deleret, tandemque plures moriens interficeret, quàm antea viuus occiderat. Similiter & in cæteris ipse spolia detraxit, ipse prædatus est, & Israel defendit, nondum puer aut homo factus, sed ab æterno Deus Verbum Dei.

Locus Esa.8.

Idem Verbum Dei & per Dauid vicisse, quod antea per Iudices vicerat.

CAPVT XII.

QVod si rectè, imò qa rectè sentitur de Iudicib. memoratis, quātò magis idem de victorijs sentiēdū est Regis Dauid, q post illos sedit in solio Regni? Quis enim alius victorias illas fecit per manus Dauid, nisi idē nōdum ex ipso natus, filius Dauid, cuius nomen vocatur (vt iam dictum est) Accelera spolia detrahere, festina prædari? Ipse est filius Dauid, Filius Dei, verbū Deus, verbū Dei, qui multū accelerauit, multum festinauit, celerrimè spolia detraxit, festinanter prædat, est, Quia videlicet antequā sciret vocare patrem suū Dauid, & matrem suam virginē ex stirpe Dauid, percussit Goliath Philistæū in manu eiusdē Dauid adhuc pueri, nedumque

Ibidem.

2.Reg.23. nedumque filium vllum habentis. Et cætera fecit per eum, quæ vsq; hodie miramur in tribus fortissimis Dauid. s. sapientia, humilitate, atque fortitudine eius, in quibus cæterorum nullus ei adæquari potuit. Dauid enim sedens in cathedra sapientiæ sapientissimus, hoc est præconium sapientiæ eius. Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, hoc est testimonium humilitatis eius. Qui octingentos interfecit impetu vno, hoc est experimentum fortitudinis eius. Quis, inquam, alius in Dauid, & per eiusmodi fortissimos Dauid operatus est, nisi verbum Deus filius carnis eius futurus, ita præsens ipsi Dauid, vt iam in persona eius ipse Dauid loqueretur, ipse in eodem Dauid proprijs vocibus suis de semetipso futura, quasi iā præterita vaticinaretur? Exempli gratia, Ego autē constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptū eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Itē, Foderūt manus meas & pedes meos. Non opus est astruere, quod omnibus notū est, voces istas esse proprias eius, qui cùm in forma Dei esset, humiliare semetipsum habebat, ita vt crucifigeretur, quod est fodi manus & pedes eius. Nō ergo mirum, quòd pugnabat iam & triumphabat verbum ipsum per manum Dauid, cùm loqueretur in sua persona per os Dauid.

Psal.2.

Psal.21. Philip.2.

Quare Dauid non ædificarit domum Domini.

CAPVT XIII.

1.Para.22. SEd ecce hic illud occurrit, quod (sicut refert Scriptura libri Paralipomenō) dixit ipse Dauid ad Salomonem filium suum: Fili mi, voluntatis meæ fuerat, vt ædificarem domum nomini domini Dei mei, sed factus est ad me sermo Domini dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me. Item ad populum, Audite, ait, me fratres mei & populus meus, Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis domini, & scabellum pedum dei nostri, ad ædificandum omnia præparaui. Deus autem dixit mihi, Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinē fuderis. Dicit ergo aliquis, Si prælia quæ gessit Dauid, merita vel dignitatem eius diminuerunt, vt non mereretur ædificare domū nomini Domini, quomodo tu dicis, eadem prælia Dauid, prælia fuisse verbi Domini, & idcirco rectè concelebrari laudibus Ecclesiasticis? Vel si iure prælia siue victorias eius concelebrat Ecclesia, vt verè bella Domini, cur propter illa non poteris, ait, dominus, domum nomini meo ædificare, tanto effuso sanguine coram me? Ad hæc, inquam, non omnia bella quæ gessit Dauid ascribimus verbo domini, sed ea tantū quæ gessit in verbo domini, zelo domini, pro detentione populi domini, quorū primū vel maximum fuit, quòd percussit Philistæum, qui blasphemauit deum Israel, & abstulit opprobrium ab Israel. Cæterùm ea quæ gesit, vt vir bellator exercitio militari, non à deo prædicantur, nisi vbi manifestè operata est virtus nominis domini. Maximè autem sanguinem Vriæ Ethæi in peccatum & magni meriti diminutionem sibi reputare potuit. Vnde notandum, quòd antequam sanguinem illius effudisset, factum quidem est, quod Scriptura refert venisse Nathan ad Dauid, domino dicente: Non tu ædificabis mihi domum ad habitandum. Sed causa ista ibi dicta non est, eò quòd vir bellator sis, & sanguinem effuderis, quando ipse ad Salomonem filium suum, siue ad populum, sic & sic loquutus est, vt iam diximus. Iamdudum sanguinem Vriæ fuderat, & maximè cùm illius meritum eiusmodi sibimet dimi nutum existimare poterat. Igitur si nullum interfecisset, nisi pro zelo domini, cooperante verbo domini, hoc indubitanter sciendum, quia nihil sibi obfuisset effusio sanguinis ad ædificandum domum domini. Nam & Moyses Aegyptium interfecit, & nihilominùs tabernaculum Domini in eremo, & omnem ritum sanctuarij facere vel ordinare dignus extitit. Et Phinees zelo bono virum Israelitem cum Moabitide fornicantem pariter confodit, & propter hoc: Ecce, inquit, dominus, do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm seminis illius pactum Sacerdotij sempiternum.

1.Reg.11.

2.Reg.7.

Exod.2.

Num.25.

Proiecto Saul, & electo Dauid, impletum esse quod dictum est, Dominus pauperem facit ac ditat, humiliat & sublimat..

CAPVT XIIII.

IN isto primum magnificè impleta est verbi domini veritas, quam paulò ante ipsum ore prophetico Anna cecinerat: dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublimat, susciteans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat. Tunc enim, cùm diues & sublimis esset Saul, hic autem pauper & humilis, tanta permutatio facta est, vt hic pauper & humilis diues fieret, & hic sublimis suscitatus de puluere, & tenēs solium gloriæ. Saul autē ita pauper & humiliatus est, vt maligno spiritui traditus, suimet impos existeret. Hæc talia sunt qualia considerans quisque, rectè dicat, Misericordiam & iudicium, cantabo tibi domine. Magna quippe in dauid misericordia, magnum in Saul iudicium, magnum in vtroque exemplum, vt obediatur verbo domini. Etenim si rectè perpendis, propter inobedientiæ peccatum Saul abiectus est, dicente Samuele: Nunquid vult dominus holocausta, aut victimas, & non potius vt obediatur voci dñi? Melior enim est obedientia quàm victimæ:

Psal.110.

1.Reg.15.

Matth.12.

& au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam eſt quaſi peccatum ariolandi repugnare, & quaſi zelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro eo ergo, quòd abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex. Cũ hoc antiquiore teſtimonio vera eſt illa ſententia poſterior eiuſdem verbi incarnati, qua dicit: Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit, quod eſt dicere: Quantumcunque quis offerat, quantaſcunque videatur habere virtutes, ſi verbum Domini contemnit, verſa vice contemnit eum verbum Domini, & vilis ſit atque contemptibilis, & ipſa etiam quæ videntur ab eo rectè facta, præſumptioni & vanæ gloriæ reputabuntur, non mercedi.

Quomodo Saul, & quomodo Dauid contempſerint Verbum Domini.

CAPVT XV.

2.Reg.12. AT verò quomodo Dauid quoq; Scriptura redarguit de contemptu verbi Domini, dicente ad eum Domino: Quare ergo contempliſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo? Vxorem Vrię Ethęi tuliſti, & ipſum interfeciſti gladio filiorum Ammon. Diligenter diſtinguendum eſt, ne Sauli videatur compar Dauid in quantitate peccati, in contemptu verbi Domini. Dicimus ergo omnes quidem peccatores (verbi gratia) mœchos ſiue homicidas, Exod. 20. in hoc ipſo quod mœchati ſunt, vel occiderunt, contempſiſſe verbum Domini. Quia videlicet omni homini, abſq; perſonarum diſtinctione dicit Lex ſcripta. dicit Lex naturalis: Tob. 4. Non occides, non mœchaberis: &, quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Contempſit ergo Dauid quoq; quodammodo verbum Domini, quia videlicet non ignorabat Scripturam & voluntatem Domini, ſiue verbi Domini, & tamen mœchatus eſt, & occidit. Veruntamen plurimum differt modus peccati ſiue præuaricationis, quando idipſum quod communiter omnibus imperat Lex ſiue verbum Domini, ſingulariter perſonæ cuilibet indicit Dominus, aut verbũ Domini, & ſic quoq; contemnitur dignatio Dñi, nec obeditur illi. Huius criminis tam magni, cõtemptus, reus extitit Saul. Exod.17. Nam in Exodo dixerat Dominus ad Moyſen, Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Ioſue Delebo enim memoriam Amalech ſub cælo, Statimq; ſubiunctum eſt ibidem: Aedificauit Moyſes altare, & vocauit nomen eius, Dominus exultatio mea, dicens. Quia manus ſolius Domini & bellum Dei erit contra Amalech in generatione & generationem. Hoc modo dictum fuerat communiter cunctis, vt eſſent hoſtes Amalech, & memoriam eius delere cuperent cauſa Domini. Singulariter verò poſt multa tempora Saulem Dominus eiuſdem belli ſui miniſtrum eſſe voluit, ita dignatione ſua præcipiens illi. Recenſui quæcunque fecit Amalech Iſraeli, quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Aegypto. Nunc ergo vade, & percute Amalech, ſiue vade & interfice peccatores Amalech, & pugnabis contra eos vſque ad internitionem eorum. Hanc dignationem Domini paruipendit, hunc ſermonem Domini contempſit ille, iam non paruus in oculis ſuis. Talis contemptus nequaquam reus extitit 1.Reg. 12. Dauid, quinimò in omnibus quæcũq; perſonæ eius ſunt mandata in ſermone domini, ſtrenuè adimpleuit, & vbi de tranſgreſſione Legis communis redargutus eſt, humilem obtulit confeſsionem, dicens: Peccaui, non in corde duplici.

Quòd vtrique ſe peccaſſe confeſti ſint, & quare huius confeſsio accepta, illius reiecta ſit.

CAPVT XVI.

CONferre nunc libet vtriuſq; confeſsiones, quomodo & Saul, peccaui, dixit, eodem verbo quo Dauid. Quæ cauſæ eandem in ambobus vocem confeſsionis diſcernant, non longè quærantur. Nam ſtatim ex ſubſequentibus ipſorum ſermonibus inueniuntur. Cùm dixiſſet Samuel ad Saul. Nõ reuertar tecum, quia proieciſti ſermonem 1.Reg. 15. Domini, & proiecit te Dominus ne ſis Rex Pſal. 50. ſuper Iſrael. Porrò, triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine nõ flectetur. Neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam, Ille ait, Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenibus populi mei, & coram Iſrael, & reuerte mecũ, vt adorem Dñm deum tuum. Dauid autem dicit, Miſerere mei deus, quia tibi ſoli peccaui. Miſerere mei, vt iuſtificeris in ſermonib. tuis, & vincas cũ iudicaris. Perpende nunc quã longiſsimè contra inuicẽ cauſæ iſtæ diſparentur, quia videlicet dicendo peccaui: alter, propriam gloriã quæ ſiuit: alter, gloriam Dei. Saũl dicendo peccaui, & ſubiungendo, ſed nunc honora me coram ſenibus populi mei, quos debemus intelligere homines ſuę tribus. ſ. filios Beniamin, & corã Iſrael, & reuertere mecum vt adorem Dñm, nónne propriam gloriã quæ ſiuit? Homo quippe ſecularis animi, totuſq; deditus ambitioni, etiam ad adorãdum Dominum pompaticè ſolitus ingredi, hoc dolebat, ſi in tempore tali, in tanti triumphi feſtiuitate, tantus Propheta ſeſe ſubtraheret eius comitatui, & idcirco ſemel, & iterũ dicebat, peccaui. Profectò huiuſmodi intentionis cõfeſsione ſemetipſum vinci nõ patitur omnipotens ſermo Dñi, vnde & hoc ille audire meruit. Porrò triumphator in Iſrael nõ parcet, & pœnitudine non flectetur. At verò Dauid dicendo, Miſerere mei, vt iuſtificeris in ſermonib. tuis, & vincas cũ iudicaris, nõne (ſicut iã dictũ eſt) gloriã dei quæſiuit? Homo quippe humilis ſpiritu, cũ cura ſuę ſaluationis, maximam habebat ſolicitudinẽ pro gloria Dei, quã in eo cõſiderabat, vt ille

Saulis Dauidisq; confeſsiones.

Saul propriam quærit gloriam.

1.Reg. 15. Dauid Deum quærit gloriam.

vt ille fidelis in promiſſo, verꝰ & iuſtus prędicaretur in iuramento quod illum promiſiſſe atq; iuraſſe teſtatus fuerat, dicens: Iurauit Dominus veritatem Dauid, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Pro hoc (inquam) ſolicitus, ne ſua iniquitate ſuperatus promiſſum ſolueret, iuramentumq; irritũ faceret, dicebat deſiderantiſsimus gloriæ Dei, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris: quod eſt dicere, vt fidelis permaneas Deus, vt ſermo tuus, qui factus eſt ad 1.Reg.12. me, nõ ſit in illo, eſt & nõ, ſed ſit in illo, eſt, nec iudicari poſsis, quòd leuitate aut mutabilitate vſus ſis. Et ſicut de cæteris, ita quoque de iſto promiſſo vel iuramento ad me facto veraciter omnis ſexus, omnis ætas dicere poſsit, & ego cum illis. Quotquot enim promiſsiões Dei ſunt, in illo eſt. Ideo & per ipſum amen Deo ad gloriã noſtrã. Propterea cùm diceret, Peccaui Domino, ſtatim audire meruit hoc in verbo domini, Dominus 1.Reg.18. quoq; tranſtulit peccatũ tuũ. Nõ morieris.

Dauid exauditum eſſe, quia ſecundum voluntatem Dei petierat.

CAPVT XVII.

EXauditus eſt igitur Dauid, & rectè, quia ſecundum voluntatem Dei petiuit, dicendo: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & Pſalm. 50. vincas cùm iudicaris. Hæc eſt (inquit Ioannes) fiducia, quam habemus ad eum, quia 1. Ioan. 5. quodcunq; petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Erat enim volũtas Dei, Voluntas Dei. vt ſermo eius impleretur, vt verbum promiſsionis priùs ad Abraham, deinde factum ad Dauid perficeretur. Quia videlicet ſalutem mundi volens & prouidens Deus, hoc propoſuerat, vt verbum ſuum de ſemine illorum incarnaretur. Quòd ſi iniquitas Dauid fidem promittẽtis euacuaſſet, vt de promiſsione pœnitens ſententiam demutaret, & promiſſum non impleret, nunquid hodie tam ſecuri cum Apoſt. declamaremus: Eſt Rom.3. autem Deus verax, omnis homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris? Imò qualiter hodie cũ genere humano actum eſſet, ſi Deus per ſingulos dies iraſceretur, ſi non ſinè pœnitentia eſſent dona & vocatio eius, ſi ſtatim vbi iniquitas cuiuſquam abundaret, ſeſe gratia eius ſubtraheret? Voluntas ergo Dei erat, vt propoſitum ſeu verbum promiſsionis eius ad victoriam perduceretur. Et vt quamuis omnis homo coram ipſo inueniretur mendax, ipſe nihilominus permaneret verax. Et quia ſecundum hanc eius voluntatem (vt iam dictum eſt) petiuit Dauid, idcirco exaudiri dignus fuit, tanquam vnus ex optimis adiutoribus Dei, quærentibus gloriam Dei amatoribus iuſtitiæ Dei, deſideratoribus propoſiti Dei.

Quòd Deus in ſermonibus ſuis iuſtificari viſus nõ fuiſſet, niſi Dauid miſertus eſſet.

CAPVT XVIII.

QValem putas haberent querelam, non ſolùm Dauid, ſed & omnes, qui iudicare noſſent de ſermonibus Dei, niſi miſertus fuiſſet illi pœnitenti, vt inuiolatam conſeruaret fidem ſuæ promiſsionis? Animaduer te quæ dicuntur. Aliter præcauendum erat Deo de ſermonibus ſuis cum Dauid habitis 1.Reg. 12. in promittendo, quàm de his ſermonibus, quos locutus eſt ad multos alios. Quare? Quia videlicet cum multis alijs loquens, bona ſua conditionaliter illis promiſit. (Exempli gratia) vt Sauli & populo, qui illum ſibi Regem expetiuit Si (inquit) timueritis Dominum, & ſeruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exaſperaueritis os Domini: eritis & vos, & Rex qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrũ. Quòd ſi perſeueraueritis in malitia, & vos & Rex veſter pariter peribitis. Similiter ad Salomonem, Si ambulaueris (ait) in vijs meis, & cuſtodie 1.Reg.3. ris præcepta mea & mandata mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Porrò, ad Dauid abſq; conditionibus locutus eſt, quemadmodum & ad Abraham, De fructu (inquiens) vẽtris tui ponam ſuper ſe- Pſalm. 131 dem tuam. Non dixit ad Abraham: Si cuſto Gene.18. dieris vias meas, adducam ad te omnia quæ locutꝰ ſum ad te, ſed ita dixit ad eum: Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cùm futurus ſit in gentem magnam, & benedicẽdę ſint in eo omnes nationes terrę? Scio enim, quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iuſtitiam & iudicium, vt adducat Dominus propter Abraham omnia quę locutus eſt ad eum. Itidem de Iſaac & Iacob Exod. 32. & de Moyſe, ad quem dixit dominus Deus: Ego oſtendam omne bonum tibi, & inuocabo in nomine Domini coram te. Diligenter (inquam) animaduertendum eſt, quòd non ſunt conditionales locutiones, ſiue promiſsiones, & idcirco Deum volentem iuſtificari in ſermonibus ſuis, & vincere cùm iudicatur, oportuit meminiſſe ſuæ ſpontaneæ promiſsionis, vt ipſe eſſet verax, quantumcunq; abundaret iniquitas ſeminis illorum quibus promiſerat, quibus iurauerat. Hoc Exod. 32. ſcientes iuriſperiti Moyſes atq; Dauid, te- Pſalm.50. nebat Deum: ille, dicendo: Recordare Abraham, Iſaac, & Iacob, quibus iuraſti: iſte, dicẽdo: Miſerere mei, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Promiſsiones Legis cum conditione, promiſsiones autẽ Abrahæ & Dauidi abſq; conditione factas fuiſſe.

CAPVT XIX.

AD hunc ſenſum pertinet illud Apoſt. ad Rom. Non enim per Legem pro- Rom.4. miſsio Abrahæ aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam Fidei. Si enim ij, qui ad Legem pertinẽt, hæredes ſunt, exinanita eſt Fides, abolita eſt promiſsio. Lex enim iram operatur, vbi enim non eſt Lex,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec præuaricatio, ideò ex Fide vt secũdum gratiam firma sit promissio omni semini Abrahæ, nó ei, qui ex Lege est solũ, sed ei, qui ex Fide est Abrahę, qui est pater omniũ nostrũ, sicut scriptũ est: Quia patrẽ multarum gẽtium posui te ante Deũ, cui credidisti. Cũ hæc dicit, reuera Deum iustificat in sermonib. eius, vt apud illos, quibus Legem dedit, vel qui ex Lege sunt, non quasi debitor teneatur, vincatq; cùm iudicatur. Apud illos aũt, qui ex fide sunt Abrahæ, debitor fuisse nõ negetur. Lex nanq; tota cõditionalis est, & sub conditione dari cœpit in monte Synai, mense tertio egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, præmisso namq; hoc, Vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarũ, Statim mandata & Legem daturus sic incipit. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi Regnum Sacerdotale, & gens sancta. Sub hoc tenore conditionis tota Lex procedit. Si (inquit) postquam audieritis hæc iudicia, & custodieritis ea, & feceritis, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiã quam iurauit patribus tuis, &c. Cùm ergo tanta multitudo eorum qui ex Lege sunt, vel esse volunt, excluditur, vt non sint in peculium Domino iuxta præscriptam sponsionẽ eius, nunquid propter hoc in iudicium vocãdus est Deus? Iudicetur quidem, quoniam & ipse præstò est, dicens in Esa. Quis est qui iudicetur mecum, veniat, iudicetur, inquam, sed statim vincit, quia videlicet illi non custodierunt quod in conditione positum fuit. i. non audierunt vocem eius, non custodierunt pactum eius, imò oẽs declinauerũt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nõ est vsq; ad vnum. Atque hoc modo Lex irã operatur, dum in iudicio recitat illud, quod in conditione posuit Deus, proinde melius quod absque conditione facta promissio, & cum iuramẽto firmata est repromissio. Nõ enim dixit Deus ad Abraham: Si hoc vel illud feceris, si sic vel sic ambulaueris, si hæc vel illa mandata mea custodieris, in semine tuo benedicentur omnes gentes, sed absque vlla (vt iam dictum est) conditione, & omninò de futurorum obseruationibus tacẽs, Per memetipsum (inquit) iuraui, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo oẽs gentes terræ, quoniã obedisti voci meæ. Hinc Apost. ad Rom. Vbi (inquit) non est Lex, nec præuaricatio. Quomodo enim propter aliquam iniquitatis abundantiam, vel ipsi Abrahæ, vel posteris eius subtrahere posset tanquam præuaricatorib. iustitia Dei, quod taliter promisit. Nõ fuit ibi Lex. i. conditio de futura obseruatione cuiusquam mandati, & idcirco nec præuaricatio nominari posset in aliquo peccato, per quam liceret Deo (quoniam verax est) mutare verbum suæ promissionis.

Lex conditionalis. *Exod. 19.* *Deut. 6.* *Psalm. 52.* *Gene. 22.* *Rom. 4.* *Ioan. 3.*

Quid sit quod Apost. ait: Si enim, qui ex Lege, hæredes sunt, exinanita est Fides, abolita est repromissio.

CAPVT XX.

LIbet intueri etiam illud, quàm sapienter, quàm veraciter loco memorato Apostolus dixerit. Si enim, qui ex Lege hæredes sunt, exinanita est Fides, abolita est promissio. Quod est dicere, Si ob meritum susceptæ Legis factum esse putas, vt in semine Abrahæ (quod est Christus) benedicerentur omnes gentes, cum ante datam Legem quadringentos & triginta annos promissio præcesserit, nónne mutabilem facis Deum, & immutatorem promissi sui? Magna quippe mutabilitas, grandis immutatio est, illud post tantos annos proponere, pro mercede futuri seruitii, quod prius cum iuramento gratis promisit, præsertim cum sic promissi se iam dedisse fuerit. Et quis vnquam homo fidelis illud, quod dudũ amico suo gratis dedit, postea facere potest mercedem futuri seruitij? quanto magis nec Deus taliter fecit, nec Deum taliter facere decuit: hoc nãque esset exinanire Fidem, abolere promissionem, si post tot annos patribus defunctis ita loqueretur ad filios, dicens: Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, complebo promissiones meas, vt in semine Abrahæ benedicantur omnes gentes, Quod, videlicet vnicum semen Christus est. Non conueniret, non congrueret, imò indecens esset Deo veraci, qui sicut alia Scriptura testatur, Semel loquitur, & secundò idipsum non repetiuit, non immutauit, sed aliud dixit, aliud super addidit. Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactũ meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, dabo vobis terram fluentem lac & mel, custodiam vobis pactum meum & misericordiam, quam iuraui patribus vestris, quam vtique si non custodiero præuaricantibus vobis, nihilominus tamen custodiam patribus vestris quibus iuraui, & omnibus gentibus siue populis, qui ex illorum fide sunt vel erunt, quia non vobis solùm, sed & omnibus gentibus benedictionẽ promisi in semine eius. Idem est in Dauid. Similiter namque hoc esset exinanire Fidem, abolere promissionem, si quod promiserat, & iurauerat ex gratia, per Legẽ destrueret propter subrepentia delicta. Quod quia non fecit, sed fidelis permansit in omnibus verbis suis, Semel, inquiens, iurauí in sancto meo, si Dauid mentiar? Semen eius in æternum manebit. Ergo iustificatur in sermonibus suis, & vincit dum iudicatur, quia mutabilitatis non potest argui.

Fidem exinanire. *Exod. 19.* *Psalm. 88.*

Quid sit, quod idem Apost. ait: Iustitiam Dei in Euangelio reuelari ex Fide in Fidem, & quænam illa iustitia sit.

CAPVT XXI.

Quam

QVam aliam iustitiam Dei putamus in Euangelio reuelari, sicut Apostolus dicit: Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex Fide in Fidem, sicut scriptum est: Iustus autẽ ex Fide viuit? Iustitia Dei, incarnatio est Filij Dei, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Incarnatio, inquã, vel aduentus Iesu Christi filij Dauid. filij Abrahę. Hæc iustitia in Euangelio reuelatur. Num parua est hæc iustitia Dei? non parua, sed verè magna, & valdè laudabilis, quia per illam incarnationẽ, dum fit ex semine Dauid, iustificatur Deus in sermonibus suis, implendo quod promisit, custodiendo quod iurauit Deus verax & fidelis. Attende perpulchram huius iustitiæ definitionem. Iustitia (inquit) ex Fide in Fidẽ. Cuius ex Fide, nisi eius qui promisit, qui iurauit? Cuius in Fidẽ, nisi eius qui promittenti credidit, qui iurãti Fidem adhibuit. s. Abrahæ siue Dauid? Iustitia hæc alia est, & alia illorum Israelitarum, qui non sunt Israelitæ veri. Quia suam quærentes statuere iustitiam, huic iustitiæ nõ sunt subiecti. Quænam est illorum iustitia? Nimirum iustitia non ex Fide in Fidem, sed quasi ex operib. in opera, Quasi Abraham ex operibus iustificatus sit, cùm Scriptura dicat: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiã: Et, quasi ipsi ex operibus iustificari possint, cùm item Scriptura dicat: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs. Benè ergo iustitia Dei, quę in Euangelio reuelatur, definita est, dicẽdo: Iustitia ex Fide in Fidẽ, quia videlicet quòd Dei Filius incarnatus est, & quòd in isto semine benedicuntur oẽs gentes, ex Fide est Dei, de quo scriptum est, Fidelis Deus in omnib. verbis suis. Quia neq; Dauid, neq; cæterorum peccatis offensus est siue transuersus, quin magna Fide impleret, quod magna gratia promisit, & iustitia hæc in Fidẽ tẽdit, quia non propter opera, sed propter Fidem posibile est quempiam corã illo iustificari, dicente Scriptura: Si iniquitates obseruaueris Dñe, Dñe quis sustinebit? Idcirco sic scriptum est: Iustus ex Fide viuit. Quia propter solum Deũ, qui solus sanctus est, in omnib. operibus suis, quicunq; iustus est, viuit, non ex operibus, sed ex Fide habet hoc ipsum, q iustus ex Fide viuit. Nã si quis velit operum iustitiam rectè dijudicare, non foris in oculo, sed in secreto conscientiæ suæ, nunq; improbabit in semetipso dictũ à quodã, Quasi pannus mẽstruatæ vniuersæ iustitię nostrę. *Verbum Dei tam in Saul, quàm in Dauid veritatis palmam obtinuisse.*

Rom. 1. Iustitia fidei. *Iustitia operum.* *Rom. 4. Gene. 15. Psal. 142.* *Psal. 144.* *Psal. 129. Rom. 1.* *Esaie 64.* *1. Reg. 13.* *Act. 13.* *1. Reg. 10.* *Osee 12.* *1. Reg. 3.* *1. Reg. 16.*

CAPVT XXII.

IGitur, quia ex Fide in Fidem, idcirco firma est promissio ipsi Dauid, & ecce nunc viuit, nec vtcunq; viuit, verùm etiã permanet in abundantiori gratia Patriarcha, Rex, & Propheta. Patriarcha, quia promissio specialiter ad hunc post Abrahã facta est, vt esset pater beati seminis quod est Christus, q non erubescit vocari filius Dauid, cùm sit ipse Dñs Dauid, filius secundum carnẽ, Dñs secundum diuinitatẽ: Rex idem, & nó quomodocunq;, sed secundum electionẽ Dei, & quod amplius & magnificẽtius est, secundũ cor Dei. Quæsiuit sibi Dominꝰ, ait Samuel ad Saul, virum iuxta cor suũ, & præcepit ei Dñs, vt esset dux super populum suum, eo quòd nõ seruauerit quod præcepit Dñs. Cuius rei Paul. quoq; in Act. Apost. ita meminit: Et amoto Saul suscitauit illis Dauid Regẽ, cui & testimonium perhibens dixit, Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meũ, qui faciet oẽs volũtates meas. Iste sermo lõgè ab electione Saul distinguit electionem Dauid. Nã & illum elegisse dicitur Dñs, dicẽte Samuele ad oẽm populum, cũ ille in medio staret altior vniuerso populo ab humero & sursum: Certè videtis quem elegit Dñs, quoniam non est similis ei in omni populo. Ergo & illum elegit quidem Dñs, sed nõ secundum cor suum, imò secundum cor populi vanum & superbum, & secundum furorem suum. Ille namq; maximè vel in primis erat, super quo apud Osee taliter Israelẽ increpat. Vbi est Rex tuus? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis, & Iudices tui, de quibus dixisti, Da mihi Regẽ & Principem? Dabo tibi Regẽ in furore meo & auferam in indignatione mea. Illam quippe in tãto furore suo dedit, vt diceret ad Samuel, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, &c. Item in tãta indignatione illum abstulit, vt ille dęmoniacus fieret, sicut scriptũ est, Spiritus aũt Dñi recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Dño. Hæc nunc idcirco cõmemorauerim, ne vel in Saul verbum Domini à proposito cecidisse, palmam quę iustitię videatur amisisse, eligendo illũ, qui electione dignus non fuerit. Propheta idem Dauid, non qualiscunq;, sed tam proprius, tam familiaris verbo Dei, vt eiusdem verbi persona propria (futurę incarnatiõis, passionis, resurrectionis, & ascensionis suę) mysteria clariùs atque sonoriùs loqueretur per os Dauid, quã per os alicuius ex cæteris, cũ suauitate harmoniacæ dulcedinis. Nunquid vel ista gratia post lapsum caruit? Non vtiq;, nã docebo (inquit) iniquos vias tuas, subauditur, eadẽ qua priùs, pphetica gratia.

Quomodo appareat, in duobus illis verũ esse sapientia dictum: Melius est duo simul esse quàm vnum.

Osee 12. *1. Reg. 3.* *1. Reg. 16.*

CAPVT XXIII.

APparet nunc in istis, quàm veraciter sapientia dixerit: Melius est duos simul esse, quàm vnum, habent enim emolimentum societatis suæ, si vnus ceciderit, ab altero fulciatur. Væ soli, quia cùm ceciderit nõ habet subleuantem, & si dormierint duo soouebuntur mutuò. Vnus quomodo calefiet? & si quispiam præualuerit contra vnũ, duo resistunt ei. In istis, inquã, scilicet in Saul, & in Dauid apparet, quàm vera, quàm pulchra

Eccl. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint hæc. Quid enim est vnum vel solum esse, nisi sermonẽ Domini proiecisse? Et quid est duo simul esse, nisi sermonem Domini in itinere vitæ huius, siue in lectulo conscientiæ socium habere? Hoc multò melius est. Nam: Vę soli (inquit) quia cùm ecciderit nõ habet subleuantem. Vę ergo Sauli, qui quãdo cecidit solus fuit, non habens subleuantem, scilicet Domini sermonem. Proiecerat enim illum. Vndè & dictum est ad eum, Nõ reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel. Porrò Dauid sermonem Domini habuit socium in domo pectoris, in sinu Fidei. Duo igitur erant, videlicet ipse Dauid, & sermo Domini, vnus cecidit, & ab altero fulcitus est. Quid isto verius? Cecidit Dauid, & à sermone Domini, qui cadere nõ nouit, fulcitus est fortiter innitens illi, & dicens Deo, Miserere mei, vt iustificeris in sermonibus tuis. Subleuatus est, & dormierũt duo, & vsq; in finem vitæ ipsius Dauid fouebantur mutuò. Nam sermo Domini fouebat Dauid, tam nocturna, quàm diurna meditatione sui, quemadmodum ille dicit: Et meditatus sum nocte cum corde meo. Item tota die meditatio mea est. Hoc erat foueri Dauid. i. delectari. Nam memor fui (inquit) Dei, & delectatus sũ. Fouebatur. i. delectabatur ipse sermo, videlicet requiescẽdo in sua uisima humilitate Dauid, dicẽtis Deo, Memor verbi tui seruo tuo. Item, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: quasi suimet negligens tantummodò de verbo Dei, verbo repromissionis, quod apud se habebat solicitus erat, ne obliuioni traderetur, non ignorans, quia custodiente & glorificante Deo verbum hoc, ipse pariter custodiretur, & particeps existeret gloriæ, iuxta quod illic dictum est. Habẽt enim emolumentum societatis suæ. Præualerat quispiam contra vnum, sed duo restiterunt ei. Vnus namq; tunc erat Dauid, quando acciderat, vt surgeret de stratu suo post meridié, & visa vxore alterius incideret in concupiscentiam eius. Vnus erat, quia à solita meditatione verbi Dei animus eius secesserat, & ob hoc præualuit contra eum ille, qui per Nathan peregrinus dicitur, scilicet Diabolus à ciuitate & regno Dei alienus, sed restiterunt ei duo, de quibus iam dictum est, & alter fulcitus est ab altero, quia subleuatus est Dauid verbi Dei subsidio, vt persisteret in multiplici gratia. Propheta (vt iam dictum est) & Rex, & Patriarcha.

1. Reg. 15.
Psalm. 50.
Psalm. 76.
Psalm. 18.
Psal. 113.
Eccl. 4.
2. Reg. 11.

Salomonem habuisse quidem verbum Dei, sed non quieuisse cũ eo, vt foueretur, ideoq; cecidisse, nec subleuatum esse. CAPVT XXIIII.

AT ipse per quem taliter locuta fuerat sapientia, Salomon Rex filius eiusdẽ Dauid, multò grauius cecidit, multò namq; grauius est zelus idololatriæ, quàm adulterij facinus siue homicidij. Amauit mulieres alienigenas multas, & ita per illas depraua-

3. Reg. 11.

tũ est cor eius, vt Deos alienos sequeretur, & colebat Astarten Deam Sydoniorum, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloch Deum Ammonitarũ. Quid ergo dicemus? Nónne modo supradicto simul erant duo? Perspicuum est, & negari non potest, quin fuerit cum illo sermo Domini, quin de pectore & ore eius, tanquam de tẽplo suo esse manifestauerit dictis & factis. Quomodo ergo ita cecidit tanquã solus esset & subleuantem non haberet? Ad hæc inquã, Erant quidem duo, sed non erat illis quieta dormitio, vt dormirent pariter, & fouerentur mutuò. Quidã alius intererat, & interstrepebat sem per inquietus & infestus, scilicet amor præsentis seculi, qui lõgè dissentit à verbo Dei. Ille in angulo absconditus non patiebatur, vt illi duo benè essent simul, & quieta dormitione fouerentur simul. Illum talem scilicet seculi amorem, ibi familiarem fuisse, & in cordis eius mansione diu mansisse, illud satis innuit, quod iratus Dominus super auersione Salomonis taliter dixit. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactũ meum, &c. Dicendo namq; habuisti hoc apud te, satis indicat non repentinam tentationem superuenisse, sed morbo inueterato vitiosam eius intentionem fuisse. Quod etiam in eo satis animaduerti potest, quod cũ in initio magna dignatione apparens Dominus dixisset illi. Pete quod vis vt dem tibi, & tãta sibi oblata gratia, posset æternitatem gloriæ cęlestis vna petitiõe adipisci, quę summa beatitudo est. Ille temporali gloria delectatus, & apud homines volens haberi gloriosus, leue seu mediocre bonũ petiuit. Dabis (inquiens) seruo tuo cor docile, vt iudicare possit populum tuum, & discernere inter bonum & malum. Et quidem bonum erat quod petiuit, & meliùs quàm si petijsset dies multos, aut tale quid, quod bonũ quidem est, sed exile & infimum, & hoc magis placuit Domino, quòd si petiuit, quàm, si petisset quidpiã eiusmodi, dies multos, aut diuitias, aut animas inimicorum suorũ. Sed cur nõ dixit, sicut dixerat pater eius Dauid, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meę? videlicet quia cor eius non erat perfectum cũ Domino Deo suo, sicut Scriptura testatur, sicut cor Dauid patris sui.

3. Reg. 3.
Ibidem.
Psalm. 86.

Propter peccata filiorum Dauid, non auersum esse propositum Dei, quia iurauerat illi. CAPVT XXV.

NVm igitur vel in isto cecidit verbum Dei, & quod proposuerat Deus potuit auerti? Non vtiq; imò palmam iustitiæ præclariùs obtinet. Scriptura sic determinante, Veruntamen (inquit Dominus) in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui scindam illud, nec totum

3. Reg. 11.

Regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruũ meum, & Hierusalem quam elegi. Item ad Hieroboam: Nec auferam (inquit) de manu Salomonis omne Regnum, sed ducẽ ponam eum cunctis diebus vitæ tuæ, propter Dauid seruum meum, quem elegi. Auferam autem de manu filij eius Regnum, & dabo tibi decem tribus. Filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me in Hierusalẽ ciuitate quã elegi, vt esset nomen meum ibi. Cùm hęc dicit omnipotens Deus, vtique tenetur fortitudine verbi sui, memor promissionis suæ, vt sit verax & fidelis, iuxta memoratam superiùs causam, quam posuit ipse Dauid, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Remanet igitur verbo Dei palma veritatis in ipso quoq; casu Salomonis. Porrò, ipsi Dauid quanta est laus, & quanti præconium meriti, quòd fatetur Deus se propter eum seruare ciuitatem Hierusalem & tribum Iuda ad implendam promissionem veritatis, quæ est incarnatio eiusdem verbi Dei de semine Dauid? Sic namq; loquitur, tãquam homo quispiam grauiter offensus, qui cùm habeat causas irascendi, & sperata denegandi, tenetur tamen debitor vt det quamuis inuitus, quia promisit, quia iurauit. At ille non inuitus implere habebat, qd gratis promiserat, & promissum iuramento firmauerat. Quo ergo tẽdit, dum toties meminit Dauid in transgressionibus posterorum eius & populi, toties ad iracundiã Deũ prouocantis, dicendo, quòd propter Dauid parcat, & non penitus eos delere velit? Vide licet vt magis ac magis abundantia gratię eius innotescat, vbi est abundans iniquitas, & nulla ex operibus iustitia, sed de hoc iam latius suprà dictum est.

Ibidem.
Psalm. 50.

Cur iurare debuerit ac voluerit Deus, quem impossibile est mentiri, etiam in his quæ loquitur absq; interpositione iuramenti.

CAPVT XXVI.

CVr autem iurare debuerit, vel quã vtilitatis rationem in iuramento suo fore considerauit Deus, quẽ impossibile est mentiri, etiam in his quæcunq; loquitur absque interpositione iuraméti. Apost. ad Hebręos euidentiùs exprimit, Quoniam (inquit) neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum. Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramẽtum. In quo abundantiùs volens Deus ostẽdere pollicitationes hæredibus, immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurãdum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. Hoc tale est, ac si dicat: Deus ante omnia fidem ab omnibus exigit, & sinè Fide impossibile est placere illi. Porrò homines duri sunt, & tardi corde ad credendum. Maxima pars incredulorum est, qui omninò non credunt. Et de alijs quidem non adeò mirum, licet sit damnabile malum, de ipsis vtrunq;, qui promissionis hæredes esse debuerunt, quorum patribus promissio facta est, & firmata per iuramentum, magis tamen mirandum, quòd sint vel fuerint adeò increduli, vt maximè de illis scriptũ sit, Generatio praua & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cũ Deo spiritus eius. Porrò ipsos, qui quandoque crediturí erant, sciebat idem Deus difficiles fore ad credendum, sicut & fuerunt, vtpotè quorum optimis magna increpatione ab ipso Domino dictum est. O stulti & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Igitur quia omnis controuersiæ hominum finis, ad confirmationem est iuramentum, vt vel sic incredulitati ponerent finem, vt vel sic vigilarent homines ad audiendum, & sentirent fore immobile Dei consilium, interposuit iusiurandum. Proinde cùm dicit ipse: Sit autem sermo vester, est est, non non. Quod autem his abundantiùs est, à malo est, rectè subaudi-

Psalm. 77.
Luc. 24.
Matth. 5.

tur illius, cuius incredulitas siue diffidentia iurare compellit. Sic namque intelligendo quod dixit, à malo est, humiliter in ipso iuraméto Dei nostram culpamus tarditatem ad credendum, quod vtiq; malum est, quia cum impossibile sit mentiri Deum, etiam cùm non iurat, pauci comparatione incredulorũ crediderunt, in eo quòd per semetipsum iurat.

Hebr. 6.
Hebr. 11.

Quid ex causis maximè digni fuerint Abraham & Dauid, verbo promissionis cum iuramento repromittentis. CAPVT XXVII.

QVibus vel ad quos, iurauit in promissione seminis, quod est CHRISTVS? Duo sunt Patriarchæ magni, Abraham atq; Dauid, & magna quidem gratia iurauit. Et hoc ante omnia scire debem⁹, quia fecit hoc ex gratia sua magis, quàm ex ipsorum meritis. Veruntamen eadem eius gratia præueniente aliquomodo ad hãc dignitatem fuere præparati, vt dignaretur Deus iuramento sese obligare cum illis. De Abraham manifestiùs illud est, quia Fide obtulit Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semẽ, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Ob hanc rem iusta gratia Deus, quod dudum absq; iuramento promiserat, cum iuramento repromisit, in semine eius benedicendas fore omnes gentes, vtiq; semen Christus est. Porrò de Dauid quærendum, quam ob virtutem maximè Deus illũ dignum iudicauerit, vt iuraret illi, sicut testatur ipse, & iam suprà memoratum est. Et quidem non ita manifestè de illo Scriptura refert sicut Abrahã, quod dixerit illi Deus. Per memetipsum iurauí, quia fecisti rẽ hanc

Duo magni patriarchæ.

Gen. 22.
Hebr. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm. 131 vel illam, De fructu vētris tui ponam super sedem tuam. Sed ratio docet, non multò minoris esse meriti, peperciſſe inimico propter Deum, quàm non peperciſſe vnigenito filio propter Deum. Hoc fecit Dauid inimico ſuo infeſtiſsimo, quærenti animam ſuã, inimico Regi, cuius Regnum ſinè dubio ſe ſuſcepturum ſciebat, ibi pepercit vbi quærebat animam ſuam, quod eatenus fuerat inauditum, ſicut teſtatur & ipſe Saul, admirãs 1. Reg. 24. & dicens ad eum: Quis enim cùm inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in viã bonam? Ob hanc maximè cauſam iuratum illi eſſe arbitramur, quòd ſemen vel caro eius aſſumenda foret in filium Dei, Quia maximè cauſa iſta facit filios Dei, ſicut teſtatur ipſe Dominus, cùm dicit, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & Matth. 5. orate pro perſequentibus & calumniantibus, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt. Dilexit inimicum, benefecit illi, non ſolùm parcẽdo cùm occidere poſſet, verùm etiam plangendo, cùm ille occiſus fuiſſet, & ſicut iam dictum eſt, maximè pro cauſa huiuſmodi tali iuramento Dei dignus extitit.

FINIS LIBRI QVARTI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER QVINTVS.

Quomodo ſecundum caput Draconis, vitulus ſcilicet ſub Ieroboam denuò fuerit erectum.

CAPVT I.

INterea draco ille magnus, Serpẽs antiquus qui vocatur diabolus & Satanas, cernens, pficere promiſsiõis verbum, vtpote iam poſt Abraham, ſecundò in Dauid iuramento firmatum, magnum inuidiæ ſæuientis incendium verſabat, magno veneni ſui ſtimulatus ardore totus in ſemetipſo furebat. Sed quid ageret? Dudũ exarmatus capite, quod primum erexerat, ſcilicet Regno Aegypti, quando ſubmerſus eſt Pharao in mari Exod. 12. cum curribus & equitibus ſuis, caput aliud non habebat quod erigeret, id eſt, Regnum aliud, per cuius potentiam ſæuire poſſet ad excidium gentis, ex qua implendum erat iã dictum verbum promiſsionis, quinimò iam regnabat ipſum verbum in Dauid patre, quod futurum erat ſuę carnis, & idem pater eius ſceptrum tenẽs imperij, fortis atque bellicoſus, exercebatur prælijs, glorificabatur victorijs. Vndè & ſecuriùs citharizabat Pſaltes ille, Verbum Dei ſonis condecorans muſicis. Ardebat igitur inuidiæ veneno, quo & ipſius Dauid penè omnem domum conflagrauit, dum & ipſe pariter adulterij ſimul & homicidij crimen incidit, & de filijs eius vnus, Abſalon cruentus fratre interempto, in ipſum patrem arma arripuit, expellens eum de Regno, & animam eius quærens, vt regnaret pro illo. Quod ſi peractum fuiſſet, iam profectò Serpens illud caput haberet, per quod verbũ Dei impugnare, memoriamq; eius ſeſe abolere poſſe ſperaret. Non ita euenit, ſed Abſalon mortuo, & Dauid vitam cum pace compleuit, & ſuccedens ei filius ſenſatus, Salomon, cum pace regnauit, & domum pacis nomini Domini ædificauit. Tandem peccatum eiuſdem Salomonis, malignam eiuſdem Serpentis intẽtionem adiuuit, vt ſcinderetur Regnum Iſrael à domo Dauid, ſuſcepto Ieroboam filio Nabaioth, qui & continuò duos vitulos aureos fecit, & dixit. Ecce dij tui Iſrael, qui e- 3. Reg. 12. duxerunt te de terra Aegypti. Ibi ſe erexit ſecundum caput draconis, & in illo capite facies ſuit vituli cornuti, cœpitque cornupeta eſſe diabolus, agendo & compellendo per vim regiam, vt vitulorum ſimulachra pro deo colerentur.

Quamuis etiam Baal ſeruierint, & adorauerint, vitulum tamen caput idololatriæ fuiſſe.

CAPVT II.

QVantum putas contra verbum Domini vitulus ille, imò in vitulo diabolus, ipſe vibratis cornibus inſaniunt? Domine, 4. Reg. 19. inquit Helias, altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & ego derelictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Iam quidem Iſrael colebat etiã Baal, agente Iezabel. Et hoc addidit, inquit Scriptura, Achab in opere ſuo irritans Dominũ, quòd ſcilicet ſeruiuit Baal & adorauit illũ. Sed omnis idololatriæ caput in Iſrael erat cultus vitulorum. Nã & Baal & cætera portenta dæmoniorum ab alijs gentibus ſuſceperunt, vitulum autem vt colerent, Reges Iſrael à ſemetipſis excogitauerunt, & in illo ſcelere oẽs perſeuerauerunt. Vndè in Oſee, Oſee 8. cùm dixiſſet Dominus de Regibus & Principibus illis, Vſquequo non poterunt emũdari, continò cauſam iſtam ſubiunxit, Quia ex Iſrael ipſe eſt, artifex fecit illum, & nõ eſt Deus, ſubauditur vitulus, de quo præmiſerat, Proiectus eſt vitulus tuus Samaria. Et eſt ſenſus, Idcirco Reges & Principes Iſrael non poſſunt emundari ſiue reuocari à cultu vituli

vituli, quia non per ignorantiam in illo peccant, ſed per malitiam, & non ab exteris gentibus decepti cultum eius ſuſceperunt, ſed à ſemetipſo excogitauerunt. Vndè & cõgruè dictum eſt, Artifex ſcilicet Ieroboam, ſicut 3. Reg. 12. ſcriptum eſt. Dixitq; Ieroboã in corde ſuo. Nunc reuertetur Regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Hieruſalem, & excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos. Artifex ergo fecit illum, quia Ieroboam excogitato cõſilio fecit eũ. Igitur quãuis Baal, & multa alia idololatriæ monſtra fuerint in Iſrael, tamen vitulum illum idololatriæ caput rectè dixerim, quia videlicet cætera portenta Iſrael ab exteris gentibus accepit, & à cultu illorũ aliquoties cohiberi potuit. Nã & Baal Iehu deleuit de Iſrael, ſed vitulos à ſemetipſo Iſrael excogitauit, & neque Iehu, neque quiſquam Regum Iſrael à cultu illorum vnquam receſsit.

Hoc caput tametſi mite videretur, tamẽ æquè vt reliqua perniciosum fuiſſe populo Dei.

CAPVT III.

QVæ autem facies ex omnib. capitibus, ſiue faciebus Aduerſarij ſæpè dicti ita potuit manſueta videri, vt iſta facies vituli? Facies aliæ truces ſunt, ſcilicet facies draconis, facies Leonis, facies Vrſi, facies Pardi, facies beſtiæ terribilis & fortis, dentes ferreos habentis, comedentis atq; comminuẽtis, & reliqua pedibus conculcantis, per quæ ſigni ficari iã diximus Regna, quæ contra promiſſionis Verbum perſequutionẽ fecerunt, Regnum Aegyptiorum, Regnum Babylonio rum, Regnum Perſarum & Mœdorũ, Regnum Græcorum, Regnum Romanorum. Facies iſta vituli, facies eſt mitis, per quã (vt dictum eſt) denotatur Regnũ Iſrael, ex quo Ieroboam vitulos aureos fecit. Num ergo ſicut facies iſta, mitior eſt facieb. illis, ita Regnum Iſrael mitius q̃ illa Regna egit, minus nocuit? Imò quantò magis domeſticus erat, tantò maiora dãna fecit, tantò magis domũ ſubuertit. Quid. n. vel quãtum fuerat actũ, dum occiſis Prophetis dñi, & omni populo ſequente imperium Iezabel & Achab, ſolũ ſe derelictum putaret Helias, licet ſupereſſent ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata Baal? Et quidẽ Baal deleuit Iehu de Iſrael, vt iã dictum eſt, ſed cultus vituli & populum cum Regib. irreuocabiliter captum mente tenuit, & tantum effecit vt tranſlatus Iſrael de terra ſua, corpore quoq; captiuus fieret, captiuitate inſolubili prædicente Dño in Oſee, Quia non addam vltrà miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorũ, & domui Iuda miſerebor. i. decẽ tribubus ſub Aſſyrijs, in perpetua captiuitate permanentibus, tribũ Iuda de Babylonica captiuitate reuocabo, poſt ſeptuaginta annos. Cætera Regna Iſraelẽ in corpore percuſſerunt, Regnũ Iſrael in anima ſemetipſum occidit, occidẽdo Prophetas dñi propter vitulos, quos nullus ex Regibus Iſrael relinquere voluit. Habebat etiam cum regia vi quandam hypocriſim. In quo? In eo videlicet, quòd ore retinebat, & cõmemorabat beneficia Dei. Per hoc nequiſsimè peccans, quod illius beneficia mutis & inanimãtibus aſcribebat vitulorum ſimulachris dicendo, Ecce dij tui Iſrael, qui te eduxerunt 3. Reg. 12. de terra Aegypti. Et celebrabat diem ſolennẽ, in menſe octauo decimoquinto die menſis, in ſimilitudinem ſolennitatis, quæ celebrabatur in Iuda.

Vituli faciles mitis.

Quonam primum Verbi Dei bellum aduerſus hoc caput fuerit. CAPVT IIII.

QVantò ergo nequior erat hoſtis, tantò maius, tantoque promptius oportebat adeſſe præſidium Verbi Dei, Et ita factum eſt. Tunc enim plures atq; crebriores prę lij ſui tubas fecit audiri verbũ Domini. ſ. Prophetas quos miſit, addendo cum vocib. eorum virtutẽ in ſignis atq; prodigijs. Initium duelli, primaque congreſsio verbi Dñi & huius capitis. i. Regni Iſraelitici talis fuit. Aſcendente Ieroboã ſuper altare vt adoleret incenſum, & ecce vir Dei venit de Iuda in 3. Reg. 13. ſermone Dñi, & exclamauit contra altare, & ait: Altare altare, hęc dicit dñs, Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorũ. Et deinceps, Hoc erit ſignum quod loquutus eſt dominus: Ecce ſcindetur altare, & effundetur cinis qui in eo eſt. Extendente aũt Ieroboã manum ſuã de altari, & dicente, Apprehendite eũ, exaruit manus eius, nec valuit eã retrahere ad ſe, altare quoque ſciſsũ eſt & effuſus eſt cinis de altari iuxta ſignum quod pdixerat vir Dei in ſermone dñi. Poſt hunc adhuc viuebat Ahia Silonites, qui loquutus fuerat Ieroboã, quòd regnaturus eſſet ſuper Iſrael. Ille loquente in ſe dño. Egò (inquit) ad Ieroboã miſſus ſum, durus nuncius, qui mortui fuerint de Ieroboã in ciuitate, comedẽt eos canes, qui aũt mortui fuerint in agro, vorabũt eos aues cæli, quia dñs loquutus eſt, &c. Poſt illum fuit Iehu filius Anani, ad quẽ factus eſt ſermo cõtra Baaſa, qui percuſſerat Nadab filium eiuſdẽ Ieroboam, iuxta eandẽ ſententiam: Qui (inquit) 1. Reg. 16. mortuus fuerit de Baaſa in ciuitate, comedent eũ canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli. Poſt hunc verbi Dei vexillum erigens igneo curru triumphabat Helias, deinde Heliſęus, ſimulq; filij Prophetarum plurimi, ex quib. centũ viros pauit Abdias ſeruus dñi in ſpeluncis, cùm interficeret Iezabel Prophetas dñi. Deinde & hi quorũ extũc libri proprij, quorũ ſi tẽpora cõſideres ſecundũ geſta tituloſq; libris præfixos, planè perpẽdis, quia verbum domini nullus regũ tempore propoſitum neglexit, ſemperq; diaboli mendacium in idolis, veritas Dei redarguit in Prophetis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod Iehu primus pro testimonio Verbi Dei occubuerit. CAPVT V.

QVis primus in illo conflictu sanguinẽ suum fuderit,& pro testimonio verbi Dei occubuerit,minùs peruulgatum est à venerabilium doctorum scriptis, quàm cupit diligens quispiam spectator huiuscemodi prælij,cùm de nomine eius Scriptura non tacuerit. Hic enim dictus est Iehu filius Anani, cuius Scriptura ita meminit, vt iam dictũ est. Factus est autem sermo Domini contra Baasa,dicens: Porrò quòd exaltaui te de puluere,&c. Post quæ ita subiungitur, Cùm autem in manu Iehu filij Anari Prophetæ, verbum domini factum est contra Baasa,& cõtra domum eius,& contra omne malum,q̃ fecerat coram Domino, ad irritãdum eum in operibus manuum suarum, vtfieret sicut domus Ieroboam, Ob hanc causãm occidit eum,hoc est, Iehu filium Anani prophetam Splendidè illum Scriptura sacra nominauit, ita tertio loco replicãs occidit eum, hoc est, Iehu filium Anani Prophetam. Et sciendũ, quòd nullum ante hunc ab initio promissionis nominatim tradit scriptura, occisum fuisse propter verbum Domini. Optaret ergo diligens spectator certaminis verbi Domini, vt sicut post Abel Zacharias filius Barachiæ,quem occiderunt inter templum & altare: ita & iste peruulgatus esset proprio nomine, quia verè non parui est meriti, cuius à sanguine primùm accepit Draco ille magnus, quòd rufus mereretur esse & dici. Tenor propositi nostri notiorem nunc eum nobis reddidit, quia videlicet vbi sermo est vel opus de victoria verbi Dei, latère non debuit is, qui sanguinem fudisse primus legitur in prælio verbi Dei, dum contra hostẽ antiquum proficiscitur, missus vt fidelis legatus verbi Dei.

3. Reg. 16.

Iehu.

Matt. 24.

Quòd mysterio non careat, à Leone Prophetam in via occisum. CAP. VI.

IGitur quoniam hic primꝰ est illorũ, qui verbo Dei suũ in officio prophetali sanguinem impenderunt, perpẽde nunc quàm pulchrum, quàm congruum præcesit, ad gloriam eiusdem verbi pertinens mysterium. Ille vir Dei, qui venit de Iuda, in sermone Domini in Bethel, vt suprà dictum est, Ieroboam stante super altare, dixit: Altare altare, ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum. Ille, inquam, mandatum acceperat in sermone Domini præcipientis. Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti, sed fefellit eum Prophetes senex, qui habitabat in Bethel, vt comederet panem & biberet aquam in domo eius. Propter hoc inuenit eũ Leo in via, & occidit, & cadauer eius erat proiectum in itinere. Asinus autem, stabat iuxta illum, & Leo stabat iuxta cadauer. Forma hæc mystica est, & prædicti sancti prophetę filij Anani, & omnium Sanctorum & Prophetarum, qui occisi sunt, vel occiduntur, propter testimonium eiusdẽ verbi Dei. Quibus ipsum verbum incarnatum dicit. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & posthæc non habent amplius quid faciant. Illenamque Leo, qui occidit, & iuxta cadauer stetit, Diabolum & satellites eius impios homines signat, per quos cùm sanctorũ corpora occiderit, stat, nec potest ad nocendum progredi vltra, quia diabolus nec mãducare nouit corpora, cùm ipse sit spiritus, nec consequi potest animas extra corpus, quas in corpore persequitur. Si quid ergo peccati ex carnali commoratione serui Dei contraxerunt, & ob hoc inimicus aliquando permittitur occidere corpora eorum, illa contentus sit pœna, stetq̃, iuxta cadauera, id est, nihil amplius vel animabus, vel etiam corporibus, quin resurgant se posse nocere sciat. Nec enim efficere potest, vt saltẽ corpora moriendo pereant Deo, Quod pulchrè signatũ est per hoc, quod occisum non deuorauit, sed iuxta cadauer stetit Leo.

Lucæ 12.

Quid duodecim scissura pallij Ahiæ Silonitæ significarunt. CAP. VII.

POrrò verbum Dei sicut potestatem habet postquam occiderit, mittere in gehẽnam, sic potestatem habuit postquã Prophetæ mortui vel occisi fuerunt, eorum nihilominus implere prophetiam, id est, demetere posteriora regum impiorum, vtqui moreretu? ex eis in ciuitate, comederent eũ canes, & qui moreretur ex eis in regione, cõederent eum volucres cæli, sicut prędixerat iam dictus Propheta Iehu filius Anani de Baasa, sicut prædixerat Ahias Silonites de Ieroboam. Non leuiter attendendum, nec enim parum spectat ad gloriam verbi Dei, semper veri, semperq̃; vincentis, cui videlicet verbo vincere est, quicquid dixerit verum fieri, veritatemq̃; eius pulchrè cõmendat illa, quæ tunc fiebat multiplex Israeliticisciſio regni. Iam dictus Ahias Silonites, quale Ieroboam mox futuro Regi pręsagiũ regni dederat, apprehendens pallium suum nouum, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, & ait ad illum, Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit dominus Deus Israel: Ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Quid sibi hoc voluit, quòd non ita duas tantum ex vno pallio fecit scissuras, sicut duo tantũ ex vno populo fiebãt Regna? videlicet quia sic futurum erant, vt Regnum scissum à domo Dauid, quod dimittebatur eidem Ieroboam, scinderetur decies, & ita factum est. Prima namque sciſio facta fuit in ipso Ieroboam Secunda in Baasa, qui percussit Nadab filium eius, & regnauit pro eo. Tertia in Zambri, qui percussit filium Baasa, & regnauit pro eo. Quarta in Ambri, qui ad mortẽ persecutus est Zambri. Quinta in Thebin filio

3. Reg. 13.

3. Reg. 11.

Pallij scissura.

filio Gynet, quẽ percussit idem Ambri pater Achab. Sexta in Iehu filio Namsi, qui percussit Ioram filium Achab, & regnauit pro eo. Septima in Sellum, qui percussit Zachariam pronepotẽ Iehu. Octaua in Manaem, qui percussit Sellum, regnauitq̃; pro eo. Nona in Facee, filio Romeliæ, qui percussit Faceiam filium Manaem, regnauitq̃ue prõ eo. Decima in Osee, qui percussit Facee filium Romelię, regnauitq̃; pro eo. Vel certè quomodo Thebin, in quo quintam scisionem diximus non saltem vno die regnasse, sed tãtùm media pars populi eum secuta fuisse legitur, vt regem constitueret, nec prævaluit. Omisso illo, quinta sciſsio fuerat in Iehu, sexta in Sellum, septima in Manaem, octaua in Facee filio Romeliæ, nona in Osee, decima in Rege Assyriorum, qui Israelem scissum à Deo, scidit etiam à loco vel terra sua, transtulitq̃; in Assyrios. Igitur sic est, vt ipsum verbum dixit: Omne Regnum in seipsum diuisum, desolabitur, & domus supra domum cadet. Et sicut Scriptura veridica prædixit: Verbum autem Dõmini manet in ęternũ. Quia & cõplet verba Prophetarum suorum, postquã illi mortui vel occisi exaruerũt tanquã fœnum, & ipsos faciet resurgere fortes & excelsos super ligna cedrorũ.

Lucæ 11.

Isaiæ 40.

Deum iusto iudicio Regẽ Ieroboam super Israel constituisse, non vt peccare faceret, sed quia peccaturi erant. CAPVT VIII.

DIcit aliquis, Quomodo iustificabitur? quomodo palmam veritatis hoc verbum in eo quoq; obtinebit, quòd talem hominem Ieroboam Regem super Israel ordinauit? Sciebat aut nesciebat, quòd ille facturus esset Israel peccare? Si sciebat, cur illum ordinabat, & quo iure puniebat? Si nesciebat, quomodo vincit semper cum iustitia? Vel error aut inscitia ad victoriam nõ pertineat? Ad hæc, inquã, Non nesciebat verbum & sapientia, sed optimè sciebat, & tamen in iudicando integra illi est veritatis & iustitiæ palma. Iudicio hoc nanq; fecit, & iudicium eius non in hac re penitus latet. Quamuis iudicia eius sunt abyssus multa, quãuis sint in comprehensibilia, tamẽ quædã sunt quæ ex nonnulla parte possunt cognosci, illa videlicet, quorũ causas ore suo aperire dignatur.

Psal. 118.

De quibus Psalm. dicit: In labijs meis pronũciaui omnia iudicia oris tui. Qua tandem ex causa iudicatus est, vt talis daretur rex, qui peccare faceret Israel? illa videlicet, quia peccare volebat Israel. Ex quo putas voluntatem peccandi habuisse Israel? Ex eo, inquit Moyses, die, quo egressus es ex Aegypto, vsque ad locum istum, semper aduersus Dominum contendisti. Hæc & cætera cùm dicit, quibus vtique dictis de reatu vituli illos accusat, quẽ fecerũt in Horeb: manifestum est, semper illos ad eandem procliues fuisse idololatriã, præsertim cùm & in Propheta Deus ipse dicat, Nunquid hostias & sacrifi-

Deut. 9.

Amos 5.

ciũ obtulistis mihi in deserto L. X. annis domus Israel? & portastis tabernaculum Moloch idolo vestro, & imaginẽ idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quod fecistis vobis? Propter hoc Moysen & Aaron lapidare voluerunt: Propter hoc Samuelem, imò & in Samuele Dominum, sicut & ipse testatur, abiecerunt: propter hoc Dauid persecuti sunt, & de Regno eiecerunt. Propterea toties dixerunt, Non est nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Isai, quia peccandi voluntatem habebant, & sub sanctis principib. peccandi facultatem non habebant. Quòd ergo tandem Ieroboam dati sunt, sub quo vel cum quo vitulum sibi pro Deo statuerunt, sicut facere cœperant, quando ex Aegypto egressi sunt, iudicium extitit iudiciũ verum, quod in alio Propheta dicit, Particeps idolorum Ephraim dimitte eum. Et si quæras, cur dicat, Dimitte eũ, subinde causam reddens dicit: Nõ dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Dominum. Iusti igitur iudicij est, quòd dimisit eos secundum desideria cordis eorum, vt irent in adinuentionib. suis. Gratuitæ verò misericordiæ erat, quòd pro illis qui ignoranter errabant solicitus loquebatur in Prophetis, fiebatq̃; ad eos verbũ Domini armatũ signis & prodigijs, vt cognoscerent ex operib', quia Dominus ipse est Deus.

2. Paral. 11.

Osee 4.

Osee 5.

Heliam Prophetam, ne ignorantes simul cum impijs errarent, à Deo missum esse. CAPVT IX.

CVm signis nanque & prodigijs, & cum fortitudine zeli tunc sese exhibuit verbum Domini vehementiùs in Helia, de quo in laudibus patrum ita veraciter dictum est: Et surrexit Helias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius tanquã facula ardebat. Verbo Domini continuit cælum, & deiecit à se ignem terræ. Sic amplificatus est Helias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter gloriari tibi, vt hæc diceret, scilicet Heliam surrexisse quasi ignem, & verbum eius quasi faculam ardentem? In admiratione ille sapiens excitatus est, pro eo quòd de eodem Helia sic repentè scriptum est: Et dixit Helias Thesbites de habitatoribus Galãad ad Achab: Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Ita repentè illatus est Helias, vt quemadmodum dixit Apost. de Melchisedech, ita & de isto, si sese præbuisset occasio, dicere potuisset. Sinè patre, sinè matre, sinè genealogia, neq; initium dierum, neque finẽ vitæ habens. Sicut enim illius, ita & istius patrem & matrẽ & genealogiam & numerum annorum Scriptura tacuit, et finem vitę non habuit, quia receptus est (ait idem qui suprà) in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Quam receptionem eius si ritè perpendis, etiam illud apponere licet, quod adhuc dictum est de Melchisedech,

3. Reg. 16.

Eccl. 48.

Melchisedech.

Hebr. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Melchisedech Dei assimilatur filio.

chisedech, assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in æternum. Sacerdotem nanq; hunc fuisse cõstat, quia scriptũ est, vbi, quãdo, & quomodo holocaustum obtulerit, & (sicut iam dictum est) receptum est in turbine ignis, atq; ita assimilatus est Filio Dei, vero & æterno Sacerdoti, in cælum ascendisti. Plura de hoc dici poterant, veruntamẽ pro præsenti proposito hoc tantũ dixerim, quia dignè semetipso fecit verbũ & veritas Dei, quòd tali in tempore, quando Iezabel cum Achab, & cum vitulis Ieroboam accesserat Baal, taliter per hunc virtutem suam notam fecit, propter eos qui ignorabant, & errabãt, ne simul cum impijs in eandem deciderent perditionis foueam.

Quæ miracula fecerit Helias, et quòd spiritus Heliæ duplex in Helisæo, duplicato miraculorum numero, comprobetur. CAPVT XVIII.

VIgilanter hoc animaduertendum est, quia propter causam eiusmodi tam vltroneus ad operandas virtutes semetipsum
2. Reg. 17. ingesit ita incipiens: Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Et in Helisęo causa eadem consideranda est, dicente, Obsecro, vt fiat spiritus tu⁹ duplex in me. Hoc intendebant, vt operando mirabilia cõuincerent impios, quòd neq; vitulus neq; Baal
4. Reg. 2. est Deus, sed Dominus ipse est Deus. Et reuera ita factum est. Spiritus Heliæ. i. operatio virtutum, quæ in spiritu Domini data fuerat Heliæ, duplex in Helisæo facta est. Duplicia namq; numero miracula fecit Helisæus suprà quàm Helias. Etenim si ritè numeres, Helias octo, Helisæus sedecim mira-

Heliæ miracula.

cula operatus est. Primum Heliæ fuit, quòd verbo continuit cælum ne plueret. Secundum, quòd corui pauerunt eum. Tertium, quòd apud viduam, quæ pascebat eum, iuxta verbum eius, hydria farinę non defecit, & lecythus olei non est imminutus. Quartum, quòd mortuum eiusdem viduæ filiũ resuscitauit. Quintum, quòd eum offerentẽ holocaustum exaudiuit Dominus per ignẽ, videntẽ populo, & dicẽte: Dominus ipse est Deus. Sextum, quòd orãte illo, facta est pluuia grãdis. Septimum, quòd pallio suo percutiens, aquas diuisit, & transiuit cum Helisæo. Octauum, quòd currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrunq;, & ascendit Helias per turbinem in cælum. Protinus Helisæi primum, quòd pallio Helię percussit aquas,

Helisæi miracula.

& diuisæ sunt. Secundum, quòd aquas pessimas & terram sterilẽ sanauit. Tertium, qđ illudẽtes ei pueros vrsi lacerauerunt. Quartum, quòd congregatis tribus regibus, Israel, & Iuda, & Edom, cùm non esset aqua exercitui, fossas fieri iussit, & repleta est terra aquis. Quintũ, quòd mulieri viduæ ex modico oleo vasa non pauca impleuit. Sextum, quòd mulier, quæ illi ministrauerat, & non habebat filium, conceperit, & peperit in tẽpore & hora, quam ille prędixit. Septimum, quòd mortuum eundem puerum resuscitauit. Octauum, quòd in olla eremitica gustus amarissimos dulcorauit. Nonũ, quòd de viginti panib. ordeaceis comederunt iuxta verbum eius centum viri, & superfuit. Decimum, quòd Naaman principem militiæ regis Syriæ per lauacrum aquæ à lepra sua curauit. Vndecimum, quòd Iehu egressus ab eo, factus est leprosus quasi nix. Duodecimum, quòd eo mittente lignum, ferrũ quod elapsum fuerat, super aquam natauit. Tertiumdecimum, quòd missos contra eũ Syros, Dominus, orante illo, cæcitate percusit, donec introduceret eos in Samariam. Quartumdecimum, quòd soluta obsidione Samariæ, duo modij hordei statere vno fuerunt, & modius similæ statere vno secundũ sermonem eius in porta Samariæ. Quintum decimum, quòd dum ęgrotaret, prædagium fecit regi Israel, quòd tribus vicibus Syriã percussurus esset. Sextumdecimũ, quod cũ mortuus esset, proiectum est cadauer homi nis in sepulchrũ eius, & cũ tetigisset ossa Helisęi, reuixit homo, & stetit super pedes suos.

Quid & quando profecerint in populo, Helias & Helisæus Prophetæ. CAPVT XI.

ET quidem in omnib. istis non pœnituit populus, & non recesserunt à peccatis suis, id est, à vitulis, quos fecit Hieroboam vsque dum abiecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram. Veruntamen Baal deletus est de Samaria & de Hierusalẽ. 2. Par. 21.
Nam etiam in Hierusalem profluxerat sacrilegium Iezabel, quia videlicet Athalia filia Iezabel & Achab, vxor fuit Ioram, filij Iosaphat regis Iudæ, de qua sic scriptum est in Paralipomenõ. Athalia enim impijssima, & filij eius destruxerant domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant templo Domini, ornauerant phanum Baalim, De vtroque deletus est Baal, id est, de Israel, & de Iuda. De Israel per Heliam & Helisæũ, vt mirabilia præscriptà operati sunt. De Iuda verò per Heliam, illic quoque verbi Dei ministrum, sicut scriptum est, Allatę autem sunt ei, videlicet, Ioram filio Iosaphat literę 2. Par. 22.
ab Helia Propheta, in quibus scriptum erat. Hæc dicit Dominus Deus Israel, Deus Dauid patris tui, quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicare fecisti Iudam, & habitatores Hierusalem. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs, & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua, tu autem ægrotabis pessimo languore veteri, donec egrediãtur vitalia tua paulatim per singulos dies. Iuxta verbũ hoc factum est. Ille nanq; videlicet Ioram, filius Iosaphat, Rex Iuda, per duorum circulum annorum sic longa consumptus tabe, vt tegereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit, & vxore eius Athalia gladio in-

dio interfecta, ingressus est Ioiada Põtifex, & omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam, & altaria ac simulachra illius confregerunt. Mathan quoq; Sacerdotem Baal, interfecerunt ante aras. Porrò in Israel idẽ Helias, Prophetas Baal quadringentos & quinquaginta viros vna die interfecerat, & eos qui superfuerant omnes Prophetas, vniuersos seruos, & cunctos Sacerdotes Baal interfecit, & ædem eius destruxit, statuamq; combussit & comminuit Iehu, quem vice ei-
3. Reg. 11. iusdem Heliæ in Regem Helisæus vnxerat super Israel. Heliæ namque Dominus iusserat, vt vngeret eundem Iehu, & hoc ministerium Helisæus impleuit, super quo pręcepe rat Dominus Heliæ. Helisæum autem filiũ Saphat, qui est de Abel in aula, vnges Prophetam pro te. Itaq; Baal de Iuda & de Israel deletus est, per fortissimum zelum verbũ
Eccl. 48. Domini in ore Heliæ flammantis, qui videlicet Helias, sicut de illo veraciter dictum est, quasi ignis erat, & verbum ipsius quasi facula ardebat.

Quare zelus Domini propter Baal amplius, quàm propter vitulos aureos, in Helia exarserit. CAPVT XII.

QVi causas ritè perpendit, ampliùs venetur ignem faculæ tam vehementer ardentis zelum verbum Domini, tam fortiter de cultoribus Baal sęvlcisentis. Quænam causæ erant, vt propter vitulos, quos fecit Hieroboam, minùs, & propter Baal ampliùs zelaretur? videlicet, quia cultus vitulorum intra Israel continebatur. Cultus autem Baal de domo Iezabel & Achab, per iã dictam Athaliam vsque in Hierusalem, vsq; in domum Dauid profluxerat, vndè promissio. i. Verbi Domini incarnatio sperabatur adimplenda, iuramento ipsius firmata. Ibi

Promissionis expectatio periclitatur.

ampliùs Fides vel expectatio promissionis periclitabatur, per sacrilegium Baal. Nãvitulos Hieroboã nullus coluit Regum Iuda, & idcirco cultus eorum contra promissionem minùs pernicioſus erat, solummodò tribubus illis contentus, quarum ex nulla Christus nasciturus erat. Igitur vbi Baal superue nit, rectè, iustè, & laudabiliter exarsit in Propheta suo verbum Domini tanquam ignis, gladiumq; arripuit, & sanguinem impiorũ effudit. Gladium nanq; arripuerat ipse Baal ad interficiendum omne semen Dauid, vndè iuxta promissum, iã dicta incarnatio Domini futura erat. Sic enim scriptum est: Si-
4. Reg. 13. quidem Athalia videns mortuum esse filiũ suum, surrexit, & interfecit omne semen regium. Quòd dicit omne semen regium, omnes Reges. i. Dauidicæ stirpis masculos vult intelligi, vndè semẽ Abrahæ, quod est Christus, prædictum atq; præscriptum fuerat, iurante Domino, deberet nasci. Proinde considerandum, quòd non paruæ vel tolerandæ impietatis fuerit Baal sacrilegium, cuius cultu & animæ, tam in Iuda, quàm in Israel peribant, & antiquus Draco Diabolus tendebat auferre seminarium salutis nostrę, instigãdo Athaliam, cultricem eiusdem Baal, vt interficeret & interficiendo auferret sacram Dauidicæ generationis lineam.

Dominus in virga & verberib. visitasse peccata domus Dauid, misericordiam verò nõ dispersisse ab eo. CAPVT XIII.

COnsiderata tali ac tanta iustissimi zeli causa in fortissimo atque sanctissimo *Psalm. 50.*
declamatore verbi Domini Helia, rursus ad memoriam redijt illud eloquium rationabi
le, & pręclarũ Dauidicę orationis, Miserere *Psalm. 88.*
mei, vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cùm iudicaris. Sermonem ipsorum hic libet reminisci, in quibus Deum volebat iustificari, & vincere atque obtinere palmam veritatis. Quinam sunt sermones illi? Si autem (inquit) dereliquerint filij eius Legem meam, & in iudicijs meis nõ ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam nõ dispergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea, neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita, semel iuraui in sancto meo, si Dauid mẽtiar? In his sermonibus suis, tunc profecto deus verax magnificè iustificatus est, & splẽdidè vicit. Tunc. n. filij Dauid maximè Legem Dei dereliquerant, & in iudicijs eius nõ ambulabant. Iustitias eius prophanauerãt, & mandata eius non custodierant, quando supra memoratus Iorã filius Iosaphat, occisis omnib. fratrib. suis, ambulauit in vijs regum Iuda, sicut egerat domus Achab, cuius filiã Athaliã vxorẽ habebat, & seruiuit Baal. Eiusmodi iniquitates & peccata filiorũ Dauid, Dominus in virga & in verberib. visita uit, misericordiam aut suam ab eo, subaudi tur Dauid, non dispersit. In quo misericordiam suã ab eo non dispersit? In quo reserua tur? In eo nimirum, quod cùm Athalia vi- 2. Par. 22.
dens (vt iam dictum est) quòd mortuus esset Ochozias filius suus, surrexit, & interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram. Iosabeth verò filia Regis, tulit Ioas filiũ Ochoziæ, & furata est eum de medio filiorũ Regis cùm interficerentur, absconditque eum cũ nutrice sua in cubiculo lectorũ. Iosabeth aũt quæ absconderat eum, erat filia Regis Ioram, vxor Ioiadæ Põtificis, soror Ochozię, & idcirco Athalia non interfecit eã. Qualis virga, quanta verbera, vbi iuxta verbũ Domini, iuxta veritatẽ literarum, quas (vt suprà memoratum est) miserat Helias, ascen- 2. Par. 22.
derunt Philistijm & Arabes in terrã Iuda, & vastauerunt eam, diripuerunt que cunctam substantiã, quæ inuenta est in domo Regis, insuper & filios eius & vxores, & super hæc omnia percussus Ioram à Domino alui languore insanabili, longa tabe consumptus est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptus est,& filium eius Ochoziã, qui succes-
serat Iehu interfecit,ac deinceps malis om-
nibus sequior mulier omne semẽ regium oc-
cidit. Porrò,sub ipsa virga, inter ipsa verbe
ra,quanta custodiẽdæ ipsi Dauid misericor
diæ diligentia, vt Iosabeth vera filia Regis,
veraciter filia Dauid, & vxor digna Ioiadæ
Pontificis,infantulum vnius anni Ioas fura
retur de medio filiorum Regis cùm interfi-
cerentur? Noluit enim Dominus (ait Scri-
2. Para. 22 ptura) disperdere domum Dauid, propter
pactum quod inierũt cum eo, & quia pro-
miserat vt daret illi lucernam, & filijs eius
omni tempore. Lucerna illa quam promise
rat Dominus Dauid, Christus est, lux vera
(qui illuminat omnem hominem venientẽ
in hunc mundum) quam videlicet lucernã
non dedisset illi sicut iurauerat,si non de oc
cisione stirpis eius superfuisset, saltẽ ille mi-
nimus Ioas. Nèque enim masculus alius su-
perfuit,per quem series Dauidica in Christũ
finienda deduci posset.

Quantus zelus in Helia,quanta dignitatis fuerit.

CAPVT XIIII.

2. Reg. 19. QVantæ putas dignitatis est, tantę rei in-
tuitu fuisse zelatum,sicut ait ipse: Zelo
zelatus sum pro Domino Deo exercituum?
Currus ig- Non hominem interroges. Currus igneus
neus. cum equis igneis, quo ille per turbinem in
cælum ascendit,tibi respondet: Currus Do-
minorum, currus triumphantium vehicu-
lum est. Dominantis ergo animi dignitatẽ,
& amici Dei potentiam insignem in illo cur
ru intellige, qui verè dominatus est omni
seculo sublimior, & potens extitit in verbo
quo continuit,& rursus aperuit cælos, po-
tens vngendo Reges,ad potentiã,solius Re-
gis Dei dignatus venerari omnipotentiam.
Sedit ergo in curru dominando, æmulator
verbi Dei strenuus, & mundanæ vanitatis
contemptor victoriosus. Et vt magnitudi-
nem recognoscas æmulationis eius, currus
non qualiscunq;, sed currus igneus erat. E-
dici non potest,conijci tamen vtcunque po
test, quantò dolore cordis ardebat Helias,
videṡ quòd homines, qui quantum in ipsis
erat mundum indignum faciebant, illa quę
Christus est misericordia dudum repromis
sa,& iuramento firmata. Non quidem auer
ti poterat,quod bonus & omnipotens pro-
miserat,quia fidelis & verax iurauerat,sed
homines(vt iam dictum est) quantum in i-
psis erat,hoc agebant, vt pœniteret Deum
tantæ misericordiæ,quam promiserat, quã
iurauerat,inimici diuinæ gratiæ, hostes salu
tis humanæ,mali cunctis hominibus, pessi-
mi sibi. O igitur perfectum odium, & san-
ctum boni zeli incendium, cuius dignitatẽ
cæli testificati sunt, continendo ad eius im-
perium,& rursus dando terris pluuię bene-
ficium. Amplius autem mittendo currum
igneum cum equis igneis ad subleuandum
victorem emeritum,& potentem diuinita-
tis amicum. Ex eius glorificatione tam mã-
gna,tamque stupenda, exemplum accipiat,
ipemque concipiat quisque quòd mercede
non careat, si verbo Dei fidele obsequium
studeat impendere.

*Heliam translatum,ante diem magnum & terribi-
lem Domini mittendum,& in Ioanne Baptista com
pletum esse.* CAPVT XV.

Helias ven turus. DE isto plurimorum sententia doctorũ
est,quòd circa finẽ seculi, cùm Enoch
venturus sit, & quòd mortem quã non eua
sit(inquiunt)sed distulit,pro communi de-
bito persoluere habeat sub persecutiõe An-
tichristi. Porrò, Hieronymus virorum il-
Hieron. lustrium non minimus, aliter sentire vide-
Malach.4 tur in fine Malachiæ Prophetæ, vbi Domi-
nus dicit, Ecce mittam vobis Heliam Pro-
phetam,antequam veniet dies Domini ma-
nus & horribilis. Ait enim post aliqua, Hæc
de Helia diximus secuti doctores,quanquã
multi sint etiam nostrorum, qui credunt eũ
ad literam venturum,& restituturum om-
nia,ac mortis debitum persoluturum. Cęte
rùm, Dominus interrogatus ab Apostolis de
Matth.17. aduentu Heliæ, respondit, Helias iam ve-
nit,& non cognouerunt eum, sed fecerunt
in eum quæcunq; voluerunt. Ioannem vo-
lens in Helia intelligi, vndè subsecutus ad-
Matth.11. iunxit,Si vultis recipere,Ioãnes ipse est He-
lias qui venturus est. Cùm hæc dicit, profe-
ctò doctoribus alijs, qui non secundum lite
ram,sed secundũ Spiritum de aduentu He-
liæ sentiunt, sese consentire innuit,dicẽdo,
Quãquam multi sint etiam nostrorum qui
credunt eum ad literam venturum,ac mor-
tis debitum persoluturum. Satis tamen in-
dicat, quòd velit eum iam esse à mortis ne-
cessitate solutum,quod si ita est,reuera
magnum & magnificum est,multum laudabi-
le inter viros glorioſos, quòd in eo magnifi
centia sua Dominus operatus est. Nã si mor
Mortis ex- tem adhuc expectat,æstimare licet quòd mi
pectatio. nus beatitudinis assecutus sit,quã sancti alij,
qui depositа omni corruptione mortalita-
tis,grandi vtiq; debito,& graui sunt fœnere
liberati. Nam expectatio mortis sinè dubio
habet pœnam,atq; idcirco beatiores dicere
licet eos omnes, quibus & de morte timor
nullus,& de gloria resurrectionis certa spes
est. Magnificẽtiùs ergo cum illo actum est,
& cum beato Enoch,si mortem non distule
runt,sed euaserunt,si viuẽtes translati sunt,
& nullum habent de longa mortis solicitu-
dine vel expectatione tormentum.

*Verisimile esse,Enoch & Heliam translatos, à mo-
riendi necessitate liberatos esse.*

CAPVT XVI.

Duo cur venturi? ET quomodo duo sunt,legitimumq; est,
vt in ore dũorum vel trium testium stet
omne verbum. Rectè optaremus idcirco il
los fuisse translatos, & non esse morituros,
quatenus ex ipsis confirmaretur nobis il-
lud, quod habemus de omni humano ge-
nere ver-

nere verbum. Quod est illud verbum? Vi-
delicet quòd humano generi mortis, vel
mortalitatis causa sit peccatum, quodq; om
nipotentiæ Creatoris facilè fuisset,atque vo
luntarium hominem in Paradiso positum,
& omne genus humanum suo, vel sibi pla-
cito tempore,absque morte corporis trans-
ferre ad immortalitatis Regnum, vbi mors
necesse,nec vnquam accidere potest. Ma-
gnum vtique verbum, & difficile apud il-
los,qui tardi sunt ad credendum,in his ma-
ximè de quibus nullum acceperunt experi-
mentum. Quid igitur,si placuit omnipoten
ti Deo saltem duos homines ex massa corru
pta genitos transferre pro testimonio,vt ha
beat duos testes,quorum in ore stet hoc ver
bum,quòd scilicet nihilominùs omnes ho-
mines absque morte corporis transferre vo
luisset,atque potuisset, si non fuisset massa
corrupta per peccatum? Hoc vtique scire
Gen.5. nonnulla sapientia est, cuius intuitu dicere
Eccle. 44. potuerit vir sapiẽs in laude patrum, Enoch
Heb. 11. placuit Deo, & translatus est in Paradisum,
vt det Gentibus sapiẽtiam. Quod itidem de
Helia sciendũ, & dicendũ est,quia trãslatus
est,vt det gentibus sapientiã,quatenus gen-
tes eorum translationem audientes,eorum
exemplo excitentur ad ambulandum cum
Deo,ad obediendum Dei verbo,qui sicut il
los viuentes trãstulit,ita & omnes trãstuli-
set absque difficultate mortis, nisi quia per
peccatum mors in hunc mũdum introiuit.
Verùm quia sententia vtraq; à magnis at-
que Catholicis tradita est doctoribus, nos
hinc certum quid definire non ausi, propo-
situm prosequamur.

*Post Heliam & Heliseum idem verbum Dei,a-
lijs prophetis succedentibus non defecisse.*

4. Reg. 2. CAP. XVII.

TRanslato Helia quierat currus Israel
& auriga eius,mortuoque Heliseo,cui
itidem ægrotanti dixerat Rex Israel: Pater
mi,pater mi,currus Israel & auriga eius, ni-
hilominus cursum vel propositum tenuit
suum verbum Dei, verbum omnipotens
quadrigas alias & aurigas alios,ad suum mi
nisterium substituens: Protinus namq; ex-
currexerunt alij præcones verbi Domini, hi
quorum etiam proprij extant libri. Siquidẽ
tunc exurrexit in Israel Osee,in Iuda Esai-
Esai.1. as,ambo contemporales, sicut ex ipsorum
titulis librorum agnoscere promptum est,
qui ita se habent: Visio Esaiæ filij Amos,
quam vidit super Iudam & Hierusalem, in
diebus Oziæ,Ioathan, Achas, & Ezechiæ
Regum Iuda, Verbum Domini, quod fa-
ctum est ad Ozee filium Beeri,in diebus O-
ziæ,Ioathan, Achas,& Ezechiæ Regum Iu
da,& in diebus Hieroboam filij Ioas, Regis
Israel. Iste est Ioas nepos Iehu,cuius in die-
Osee.1. bus mortuus est Heliseus, & sicut præsens
titulus habet,in diebus Hieroboam filij e-
ius prophetauit Osee. Hæc idcirco dixe-
rim, vt palàm constet, verbum Domini,nul
lum de Regibus illis excusatum aut excu-
sabilem dimisisse, continuumq; effecit Pro
phetiæ redarguentis cursum, pluresq; Pro
phetæ Prophetis,quàm Reges Regibus suc Amos.7.
cesserunt. Nam in diebus eiusdem Hiero-
boam, Amos quoque prophetasse & titulus
indicat prophetiæ,& illud maximè,quod i-
bidem scriptum est, & misit Amasias Sacer
dos Bethel ad Hieroboam Regem Israel,
dicens: Rebellauit contra Amos in medio
domus Israel,non poterit terra sustinere v-
niuersos sermones eius, hæc enim dicit A-
mos,In gladio morietur Hieroboam, & Is-
rael captiuus migrabit de terra sua. Quid
pulchrius? quid sonorius hinc potest dici?
quod & Psalmista prædixit, & Apostolus
succinit: Tu (inquit) in principio Domine
terram fundasti,& opera manuum tuarum
sunt cæli. Ipsi peribunt,tu autem permanes
& omnes vt vestimentum veterascent, &
Psal.101. velut amictum mutabis eos, & mutabũtur,
Hebr.1. tũ autem idem ipse es,& anni tui non defi-
cient. Ad filium, quod est Dei verbum, di-
ctum hoc esse, Apostolus meminit. Terra
iuxta conditionem cœli, iuxta Fidei digni-
tatem fuerunt supradicti Helias & Helisæ-
us,sicut & Dauid & Abraham, cæteriq;e
Sancti,quorum in mentibus per Fidem De-
us sedit & habitauit,rectè dicuntur cæli. E-
iusmodi cæli perierunt, id est, pertransie-
runt,quia mortales erant,& mortui sunt,&
quandoque immutandi & renouandi sunt,
qui sic inueterauerunt. Tu autem ô Verbũ
Domini idem es, & illis deficientibus non
defecisti,nec deficies.

*Quid sit,quod per Osee dictum est: Non addam
vltra misereri domui Israel,sed obliuione obliuiscar
eorum,& domui Iuda miserebor.*

CAPVT XVIII. 4. Reg.10.

IN diebus illis (ait Scriptura) cœpit Do-
minus tædere super Israel, videlicet quia
incorrigibilis erat ille carnalis Israel, & in-
corrigibiles eius Reges,ita vt nullus eorum
recederet à peccatis Hieroboam,id est,à cul
tu vitulorum, quos fecit Hieroboam, qui
peccare fecit Israel. Quoniam cœpit Domi-
nus tædere super Israel,& percussit eos (ait
Azabel) in vniuersis finibus Israel. Hoc Ibidem.
fuit initium tædij. Porrò, plenum tædium
Domini postmodum fuit, quando cepit
Rex Assyriorum Samariam, & transtulit
Israel in Assyrios,posuitque eos in Ahila,&
in Abor,iuxta flumen Gozan in ciuitatib. Osee 1.
Mœdorum, Plenum (inquam) tædium fuit
Domini,non super Iudam, sed tantum su-
per Israel,id est,super decem tribus, iuxta,
quod ipse prædixerat in Propheta suprà me
morato. Quia non addam(inquit) vltra mi
sereri domui Israel, sed obliuione obliuis-
car eorum, & domui Iuda miserebor. Hoc
pertinet ad firmamentum veritatis Dei, vt
iustificeris Deus in sermonibus tuis, & vin

Universidad de Deusto
Biblioteca

cas cum iudicaris. Oportuit planè misereri domui Iuda, & domui Dauid oportuit (inquam) custodiri & defendi bonam radicē
4. Reg. 18. 4. Reg. 19. istius stirpis, vnde nasciturus erat Christus secundum veritatem promissionis, & iuramenti ad ipsum Dauid, & ita factum est. Octauo namque anno postquam translatus est Israel de terra sua, ascendit Sennacherib Rex Assyriorum ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas, & obsedit Hierusalem. Sed nó ingredietur (inquit Dominus) vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eum clypeus, nec circundabit eā munitio, protegamque vrbem hanc, & saluabo eam, propter me, & propter Dauid seruum meum. De Hierusalem quippe egredientur reliquiæ, & quod saluetur de monte Sion. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Nimirum obliuio, quaoblitus est decem tribuum, nihil nocitura erat proposito Dei, dummodo superesset tribus vel domus illa vnde oportebat Christum nasci.

Quod Verbum Dei nondum incarnatum, id est, Emanuel nondum natus liberarit terram à Rege Assyriorum. CAP. XIX.

NOnne sibimet prouidit? nónne propter semetipsum hoc operatū est verbum Dei? Vtique nobis & propter nos sibi prouidit, vt seruaret genus vndè virgo veniens, conciperet, & pareret ipsum, qui vocaretur Emanuel. nondum quidem vocabatur, sed futurum erat, vt vocaretur Emanuel. Attamē dictus Esa. inuocabat eū Emanuel, vt à prædictis Assyrijs Hierusalem liberaret. Cùm enim dixisset, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, postmodum hæc quoque locutus est: Adducet Dominus aquas fluminis fortes & multas, super Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius, & ascendet super omnes riuos eius, & fluet super omnes ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet, & erit extensio alarum eius, implens latitudiné terræ ô Emanuel. Quod dicit, terræ tuæ ô Emanuel, magna cordis exclamatio est, ad cōmune faciendum Dei verbum, quòd terra Iuda terra ipsius esset secundum propositū gratiæ. Quia præfinitum atque prænunciatum fuerat, quòd de terra Iuda, & de domo Dauid virgo ipsum cōciperet, & pareret, & vocaretur Emanuel. Et quia sic certissimū futurum erat, quia castra Assyriorum percussurus erat ille, videlicet, nondum secundum carnem natus Emanuel, protinus insultabundus dicit: Congregamini populi, & vincimini, & audite procul vniuersæ terræ, confortamini & vincimini, accingite vos, & vincimini, inite consilium, & dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Deus. Magna fiducia, magna & certa securitate taliter ob hoc dictum est, quippe cui incertum non erat, nihil esse, quod propositum Dei auertere posset. Contra cuius consilium, omne humanum consilium vanum est, inde tutus insultat, & iuxta qđ *Psal. 2.* scriptum est. Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Ridendo & subsannando prouocat, prouocando irridet & subsannat gentes frustra frementes, & populos inania meditantes, qui iam tunc assistebant, & conueniebant in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius Emanuel.

Idem verbum: antequam sciret puer vocare matrem, acceleratsse, spolia detraxisse, & prædari festinasse. CAP. XX.

SImul & illud animaduertendum est, quā pulchro & insigni ibidem vocabulo iubetur prædicari. Voca (inquit) nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari. Quare? quia antequam sciat vocare puer patrem suum, & matrem suam, auferetur (ait) *Esai. 8.* fortitudo Damasci, & spolia Samariæ corā Rege Assyriorum. Verè pulchrum congruumque vocabulum. Quid enim, nónne mira acceleratio, & miranda est festinatio, prius spolia detrahere, quàm patrem scire siue vocare? Priùs prędari, quàm ex matre nasci? Hoc fecit iste Emanuel, quia priusquam sciret vocare patrem, qui fuit ei Ioseph solo nomine priusquam nasceretur ex matre scilicet Maria virgine, sicut cætera beneficia genti suæ prouidit, ita & illud domui Iuda, de qua nasciturus erat, prębuit auxiliū, vt auferretur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum. Quomodo? *4. Reg. 16.* Ascendit enim (ait Scriptura) Rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenen, Rasin autē occidit. Deinde cepit Rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios, po- *Esai. 7.* suitq; eos in ciuitatibus Mœdorum. Quam ob causam fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ taliter abstulit Emanuel? videlicet eò, quòd inierit contra Iudam consilium malum Syria, & Ephraim, & filius Romeliæ, dicentis: Ascendamus ad Iudam & fusci temus eum, & euellamus eum ad nos, & ponamus Regem in medio eius, filium Tabeel. Ergo quòd & Israel translatus est in Assyrios, rectè asscribitur victoriæ Verbi dei, *1. Para. 13.* quia manifestè Scriptura testatur, hoc fecisse Emanuel, antequam sciret vocare patrē & matrem, id est, hoc fecisse Verbum Dei, priusquam assumeret carnē. Et meritò nec Israēli pepercit, quia videlicet ex quo scissus est Israel à Iuda, & à domo Dauid, plus cæteris gentibus eidem tribui Iuda inuidit, & contra illum sæpiùs pugnauit, Primus Hieroboam Rex Israel pugnabat contra Abia Regem Iuda, & ille stans super montem. Audi (inquit) Hieroboam, & omnis Israel. Nū ignoratis, quod Dominus Deus Israel dederit

dederit Regnum Dauid super Israel in æternum, ipsi & filijs eius, in pactū salutis? Et subinde, Nunc igitur vos dicitis, quòd resistere possitis Regno Domini, quod possidet per filios Dauid? Hæc idcirco commemorauerim, ne quis ignoret, vnde vehemētiorem contra Iudam inuidię flammam decem tribus habere potuerint, quia videlicet ex hoc loco, & similibus, liquidò constat, frequentem fuisse inter vtrosque altercationem huiusmodi, cum diceret tribus Iuda, solum Regnum Dauid, Regnum domini esse, Regnum autem decem tribuum, non legitimum Regnum, sed rebellionem esse cō tra Domini regnum.

Ductis in captiuitatem decem tribubus, finitum bellum Verbi Dei contra vitulos aureos.

CAPVT XXI.

TAndem finitum est duellum, longo tē pore protractum, inter Deum viuum, Dei verbum, & Deum Hieroboam, deum metallicum, vituli cornuti simulachrū. Ferè ducenti & sexaginta fluxerunt anni, ex *Osee. 8.* quo iam dictus Hieroboam, talem sibi deum fecit, vsq; ad annum nonum Osee, quo Rex Assyriorum Israēlem de terra sua trāstulit, non desistente verbo dei decertare sermonibus huiusmodi: Proiectus est vitulus tuus Samaria. Artifex fecit illum, & non est *Amos. 3.* Deus, quoniam in arenarum telis erit vitulus Samariæ. Et in alio Propheta: Audite, & contestamini in domo Iacob, quia in die, cū visitare cœpero præuaticationes Israel, super eum visitabo, & super altaria Bethel, & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram. Et quia nó fiebat, nec futurum erat, vt Israel, vel quispiam ex Regibus eius recederet à peccatis Hieroboam, id est, à vitulis eisdem, quos fecit Hieroboam, etiam hæc dicebat, domus Israel cecidit, non adijciet vt resurgat, virgo Israel proiecta es in terram, *Amos. 5.* non est, qui suscitat eam. Vnde manifestum *Osee 1.* est iudicium dicentis tunc quoque in Osee: Quia non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, & domui Iuda miserebor. De Regibus namque Israel nullus (vt iam dictum est) recessit à peccatis Hieroboam, cùm nullius eorū tempore cessaret Dei verbum reuocare eos ad pœnitentiam. De Regibus verò Iuda nonnulli iusti fuerunt, & ex eis, qui peccauerūt nonnulli pœnitentiam egerunt. Iustum ergo iudicium est, quod non addam (ait) vltra misereri domui Israel, & non iniusta misericordia, in eo, quod domui Iuda, inquit, miserebor.

Assyrios iustiores fuisse quàm Israel, ideoq; eis in captiuitatem traditum esse.

CAP. XXII.

Osee. 1. NEsciremus nos appendere iustitiam hanc, nisi verbum ipsum fecisset nobis experimentum, gentem quamlibet proniorem esse, magisque flexibilem ad pœnitentiam, atque idcirco iustiorem, & venia magis dignam, quàm Israelem. Vndè laudā da verè prouidentia Dei, qui antequam iudicium proferret super Israel, sententiamq; daret, quam prædixerat. Quia non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, misit verbum suum ad gentem, quæ tunc temporis erat asperior, atque fortior gentibus cæteris. Ac si diceret *Ezech. 3.* cuilibet ex Prophetis suis, Et si ad populos multos, & profundi sermonis & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, mitterem te, ipsi audirent te: domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me, Vni namque ex Prophetis hoc dixit, scilicet Ezechieli, sed antequam hoc illi diceres, per alium Prophetam, magno firmata est experimento veritas dicentis: Factum quippe fuerat verbum Domini ad Ionam, Surge (inquiens) & vade in ciuitatem mag- *Ionæ 1.* nam Niniuen, & prædica in ea, quia clamor malitiæ eius ascendit coram me. Factumq; est, & prædicante illo, crediderunt viri Niniuitæ in Dominum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt sacco, à maiore vsque ad minorem. Nunquid solus Ionas prædica *Ionæ 3.* uit, in Israel futuram captiuitatē? imò multum est, quod declamauit Osee, quod personuit Amos eodem tempore, vt de Helia & de Helisæo nunc taceā, quorum suprà memini, qui signa præclara atque magnalia multa fecerunt, & Israel non egit pœnitentiam, & nullus Regum Israel recessit à peccatis Ieroboam. Quis igitur reprehendere possit, vel audiat iudicium verbi Domini, quòd Israelem sibi incredulum, credentib. ac per hoc iustioribus Assyrijs tradidit? imò laudandum, quia rationabile est & perpulchrum, quòd illam potissimùm gentem per tale voluit experimentum demonstrare iustiorem, cui tradere decreuerat populū prę uaricatorem.

Quare domus Iuda seruata sit, Israele in captiuitatem ducto, cùm vtrobique iusti aliquot fuerint.

CAPVT XXIII.

HIc iam illud quis fortè obijcit, quod in Israel quoque, qui translatus est, nonnulli Deo placentes fuerint, & non potest negari. Nam (exempli gratia) Tobias *Thobiæ 1.* ex tribu & ciuitate Nephtali, illa captiuitate captus, & captiuus fuit sanctus, & vitæ laudabilis, sicut de eo scriptum est, Quia cum captus esset in diebus Salmanasar Regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viā veritatis non deseruit, quam adeò firmiter tenuit, vt dignus existeret nouo miraculo, mira nouitate angelicę visitationis. Cur ergo saltem huic & cæteris, quorum illa historia meminit, non addidit Dominus misere- *Dominare-* ri, vt absoluerentur iugo captiuitatis, sicut *mini Dauid* misertus Iudæ, & domui Dauid? Ad hęc in- *Iudæ & do* quam, domus Iuda, vel domus Dauid, non *mus Dauid* solùm hoc patrocinium apud misericordē *tu.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum habuit quòd illic aliqui inuenti sunt iusti, sed quod certò sciendum, & memoriter tenendum est, veritatem verbi Dei, vel promissionis, necessariò adimplendam natiuitate vel incarnatione Christi, de tribu Iuda, de semine Dauid. Causam istam Israei, in Assyrios ductus captiuus, non habuit, quia (sicut iam superiùs memoratum est) non de aliqua tribu Israel sed de tribu Iuda promissum erat, quòd Christus nasciturus esset. Causa ista, non meritum, iuuit tribum Iuda, veritas Dei necessariò implenda, non propria iustitia seruauit domũ Dauid. Proinde, non magis quærendum est de Thobia cæterisque iustis, qui iusti esse potuerunt in diebus illis, quòd non eos Dominus in terram suam reduxerit, quàm modò querimur de Iudæis, qui conuertuntur ad Fidem Christi, quòd non statim reducantur in terram, de qua ducti sunt captiui, fuerint tunc vbiuis decem tribus, de quibus Christus nõ erat nasciturus, sint nunc vbiuis dispersi Iudæi, quamuis ad Fidem conuersi, quoniam iam Christus est natus, sufficiebat Deo, & sufficit humano generi, quia tantum solicitus fuit & pręcauit, quod prænouit fidelis monitor Dauid, dicendo: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. *Psal.50.*

Quare in Lege scriptum sit, Loquutus est Dominus ad Moysen: in Prophetis autem, Factum est verbum Domini, &c.

CAPVT XXIIII.

RES ipsa nunc animum percellit, facitque clariùs audire & sentire dictionẽ huiuscemodi vsitatam in Prophetis, Factũ est verbum Domini. Nam possunt quidem paria, siue æquipollentia videri, Factum est verbum Domini ad me, &, Loquutus est, siue dixit Dominus ad me. Verùm non ita est, & vt palàm constet, non ita esse, primùm illud perpende, quod opinor valde delectabile esse prudenti animo, quia nusquã inuenis in Lege sic dictum aut scriptum: Factum est verbum Domini ad Moysen, siue ad Aaron, sed ita duntaxat, Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens, siue: dixit Dominus ad Moysen. In Prophetis huiuscemodi dictio frequens est: Factum est verbũ Domini, siue, factus est sermo Domini. Pulcherrima hæc consideratio est, multumque delectat intueri, quam ob causam istud cautum sit. Quam ergo ob causam putas? quia videlicet in his tantum decuit sic enũciare. Factum est verbum Domini, vbi quæ dicũtur cuncta irreuocabilia, cuncta sunt ineuitabilia, veluti iam facta sint. Porrò Lex conditionali sponsione data est. Exempli gratia, vt in initio dandæ vel datæ eiusdem Legis: Premisso namque, Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Aegyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, continuò subiungit conditionali modo locutionis, Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cũctis populis, & vos eritis mihi Regnum Sacerdotale, & gens sancta, Profectò non erant vocem Domini audituri, neque pactũ eius custodituri, & proinde nec in peculio vel Regno Dei permansuri, idcirco non decebat in tali re sic enunciari, Factum est verbum Domini, & deinde absque conditione sic proferri promissa, Vos eritis mihi in peculium, vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens sancta. Sic & de cæteris, maximeque de sacrificiorum cæremonijs, quoniam transitoria erant, & mutari habebant, non decebat sic edici, Factum est Verbum Domini ad Moysen. Sic esse, vt dicimus, cõsideranti confestim liquet, quia nusquam in Mose, sed in Prophetis duntaxat, siue ad Prophetas scriptum habes, factum est verbum Domini, & impossibile fuit, & est remanere infectum, quicquid sub tali enunciatione, absque conditionis interpositione est prædictum. Cùm igitur audimus, vel vbicunque legimus de aliquo Propheta, quia factum est ad eum verbum Domini, cum audimus quemlibet ex Prophetis dicente, Factus est ad me sermo Domini, sic accipiamus, tanquam fiduciale gaudium, tanquam triumphale tripudium, velut si de tenebris ad lucem, de seruitute ad libertatem, de captiuitate ad patriam, de morte ad vitam resiliant dicentes, Dicant resilientes, factum est, factum est. Et quid factum est? factum est id, quod futurum est, quia verbum eius audiuimus, verbum illius nos videntes vidimus, cuius dixisse fecisse est.

Conditionali lege data lex.

Exod. 19.

Omnes ad quos verbum Dei factum est, non omnes autem ad quos loquutus est, beatos & filios Dei fuisse. CAP. XXV.

NOnne, inquit Dominus, scriptum est *Psalm. 81.* in Lege vestra, Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. statimque subiunxit, Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, &c. Deos esse, filios excelsi esse, Sanctos & beatos esse omnes, ad quos sermo Dei factus est, & ipsũ incarnatum verbum hoc dicto testatur. Et si cunctam recenseas sanctarum seriem Scripturarum, nullum inuenies, nisi sanctum & iustum esse, Ad quem factum esse verbum Domini, prædicetur. Primus eorum Abraham, de quo sic scriptum est: Ecce (inquit) vernaculus meus, vel hæres meus erit, statimque sermo Domini factus est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem, in quo cælestẽ per Christũ intelligi debet hereditatẽ. Nã continuò, suspice (ait) cælum & numera stellas si potes, & dixit ei, Sic erit semen tuũ. Nouissimus verò Ioan. est, de quo Lucas ita refert: Anno xv. imperij Tyberij Cæsaris factum est verbum Dñi super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Omnes ab illo primo, vsque ad istum nouissimum, ad quos factum legimus verbum Domini, sancti, iusti, & magni Prophetę sunt. Porrò non omnes, ad quos locutus, vel dixit aliquid Deus, non omnes, inquam, sancti aut electi sunt. Nam & ad Cain locutus est, & dixit Dominus. Quare iratus es, & cur cõcidit facies tua? Ad Baalam quoq; locutus est, & aliqua dixit Deus, & ita etiam de illo scriptum est semel & iterum, quia Dominus posuit verbum in ore eius. Et de istis ambobus quis nesciat, quòd non pertineant ad sortem iustorum siue sanctorum, qui (vt iam dictum est) omnes dij & filij excelsi sunt? Vnde diligenter notandum, quia signanter dictum est, Dominus posuit verbum in ore eius, vt subintelligat prudens auditor, & non etiam in corde eius, quod esset vtique, factum esse ad eum verbum Domini, quia videlicet ad cor nũquam sinè amore cordis peruenit verbum Domini, nec deesse potest, quin dii sint & filij excelsi omnes, ad quos sic accedit verbum Domini. *Gen.4.* *Psal.81.* *Ioan.10.* *Gene.15.* *Luce 3.*

Non Moysen reliquis Prophetis comparatum, sed Legem promissionibus gratia collatam inferiorẽ esse, eò quod nusquam legatur, factum est verbum Domini ad Moysen.

CAP. XXVI.

FOrtè dicit aliquis: Num ergo Moyses Propheta Domini minor est, aut minùs dignitatis habet, quàm cæterorum aliquis, quoniam de illo Scriptura sic nusquam refert: Factum est verbum, vel, factus est ad Moysen sermo Domini? Nunquid ob hoc minùs habet, quàm cæteri, qui propter factum ad se sermonem Dei, dicuntur & sunt filij excelsi? Ad hæc inquam, Non vtique in hoc derogatur Moysi, de quo non ignoramus scriptum, quia loquebatur ad eum Dominus facie ad faciem, sicuti loqui solet homo ad amicũ suum. De quo itidẽ Scripturæ testimonium dicentis: Et non surrexit Propheta vltrà in Israel sicut Moyses, quẽ nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis. Magis autem diminui sentimus dignitatem Legis, quæ per Moysen data est, comparatione gratiæ, circa quam Prophetas versari manifestum est, comparatione testamenti, quod ait ad Abraham firmatum est, quadringentos & triginta annos antequam daretur Lex. Multò namque minor est Lex, & minùs dignitatis habet, adeò vt dicere non dubites, quòd nequaquam circa cæremonias Legis, cor Dei aut verbum Domini versari dignatum sit: & vndè hoc probari potest? Ex ipso verbo Domini, maximè dum in Hieremia dicit: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus. & ambulate in omni via quam mandaui vobis, vt benè sit vobis. Itaque dum legimus passim in Scriptura legis, Locutus est Dominus ad Moysen, & Aaron. & Deinde subsequitur tale quid. Hæc est religio, sic & sic offeretis, hoc vel illud in sacrificando obseruabitis. In Prophetis autem, vt in isto, Non sum locutus, & non præcepi de verbo holocausto matum & victimarum, & in Dauid, Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Dum inquam, hęc legimus, quoniam non potest solui Scriptura, siue Legalis, siue Prophetica, siue Psalmistica, necesse est diuersos esse loquẽdi modos ita differentes, sicut differunt voluntas & permissio. Nam secundum permissionem locutus est Dominus Legem cęrimoniarum siue sacrificiorum, videlicet considerando tunc temporis qualitatem hominum, qui vtique ab eiusmodi sacrificijs arceri non possent, & si non liceret eis domino carnes sacrificare, sinè dubio dæmonibus sacrificarent. At verò secundum voluntatem suam locutus est Deus ad Abraham, & secundum cor suum, testamentum ad eum confirmauit, secundum voluntatẽ & secundum cor suum locutus est in Prophetis. Pulchrè igitur discernis legens vel audiens factum ad illos esse verbum Domini, si quid sub hac enunciatione dictum vel scriptum est, scias non posse infectum manere, non posse veterascere, non posse mutari, non posse infirmari, faciliusque cælum & terram transire, quàm quicquam de verbo illo minui vel præterire. *Exod. 34.* *Deut. 34.* *Hiere.7.* *Psal.49.*

FINIS LIBRI QVINTI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER SEXTVS.

Quòd Reges & regna, antiqui Draconis capita dicantur. CAP. I.

DE Regibus & regnis quæ capita Draconis antiqui meruerunt dici, propter magnitudinem iniquitatis (omnes enim iniqui dicuntur, & sunt mẽbra diaboli, quia diaboli spiritu pleni) oderunt verbum Dei. Illa autem regna, siue illorum Reges regnorum, sic præeminebãt hominib. iniquis, quo modo in corpore caput præeminet mẽbris, & sic subseruierũt illis aduersus Deũ oẽs iniqui, quo mẽbra subseruiunt capiti. Væ ergo illis, quia quantũ peminuerunt in potentia, tantum prægrauentur in sententia, quantũ in gloria, tantum in pœna, ita vt de singulis eorum iustitia Dei dicat: Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Item & illud, quod ad primum, scilicet ad Pharaonem Regem Aegypti dictum est, ad vnumquodque illorũ capitum dictum esse, vel dici potuisse subintellige. Idcirco posui te, vt ostẽdam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meũ in omni terra. Nunc iam de prælijs verbi Dei, & tertij capitis sermonẽ ingrediamur.

Membra diaboli.

Exod. 9.

Regnum Assyriorum, & regnum Chaldæorum, coniunctim, tertium caput Draconis fuisse simile leoni. CAP. II.

POstquam Israel, id est, decẽ tribus, quæ tribui Iuda & domui Dauidicę de propinquo imminebat, hostis capitalis in Assyrios translatus est, nihil moratus Draco ille magnus, id est, Diabolus, regnum Assyriorum confestim induit, & hoc sibi caput accẽsisse arbitratus est, ad delendam tribum vel domum illam, apud quam testamenti Dei & promissionis Fides erat reposita, sed non prævaluit, non illo regno taliter velut capite vti potuit. quia (sicut iam superiùs memoratum est) venit Angelus domini nocte, & percussit castra Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abijt, & reuersus est Sennacherib Rex Assyriorũ, & mansit in Niniue, cumque adoraret in templo Nesrach Deũ suum. Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio. Completaq; est consolatio Domini Dei dicentis ad Ezechiam, Sed de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meũ. Idcirco regnum illud de numero capitum Draconis non extitit, quia promissionis locum non lacerauit, quamuis lacerare voluerit, sed quòd ab eodem climate postmodũ surrexit regnum Babylonis, tertium rectè computatur caput Draconis, in quo & facies est Leonis, vt legimus in visione Danielis, vel certè quoniam regnum Assyriorum propter magnitudinem superbæ potentiæ. vel potentis superbiæ, quia os suum dilatauit, & verum Deum Dominum blasphemauit, verè fuit hostis capitalis, computetur simul cum Regno Chaldæorum in vno capite Draconis. Siquidem in Propheta, vbi dictum est, Residuum eruçe comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo, per erucam vtrasque nationes Assyriorum atque Chaldæorum cum priscorum auctoritate Doctorum intelligimus. Quia venientes ab eodem climate, terram Iuda deuastauerunt, sic ut per locustam regnum Persarum & Mœdorũ, per bruchũ regnũ Macedonũ & Græcorũ, per rubiginẽ regnum Romanorum.

4. Reg. 19.

4. Reg. 20.

Isa. 38.

Quomodo Deus domum Dauid zelo prosequitus fuerit in bonum, Diabolus verò in malum. CAP. III.

CErtatum est itaque zelo vtrinque maximo, hinc zelo bono, illinc zelo malo. Zelus namque bonus est, zelus Domini exercituum. Zelus malus est, zelus Diaboli, Draconis antiqui, capitis inimicorum. Vterq; zelus partium istarum circa genus humanum, & tunc maximè circa tribum Iuda, & circa domum Dauid feruebat. Iste in bonum, ille in malum. Vtrunq; iam definire libet. Zelus bonus est, diligere homines, odisse autem vitia hominum. Zelus malus, odisse homines, diligere autem vitia hominum. Illius boni zeli feruorem magnum in obediendo vitia hominum illic habes, dum præmissos, similis Iosiæ, non fuit, qui reuerteretur ad Dominũ in omni corde suo, nẽq; post illum similis illi surrexit, statimq; subiunctum est, Veruntamen non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manasses. Dixitq;: Etiã Iudã auferã à facie mea, sicut abstuli Israel. Porrò in diligendo homines de eiusdem zeli boni feruore circa idem tempus per Prophetam dictum est. Si irritũ fieri potest pactũ meum cũ die, & pactum meum cũ nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnat in domo eius, Haud dubium, quin econtrà zelo malo Diabolus machinaretur, quatenus deficeret domus Dauid, nec esset ex eo filius qui regnaret in throno eius: & hoc actum esse putauerunt membra eius, scilicet omnes ini qui, quando ablatus est Iuda, sicut ablatus fuerat Israel de terra sua, cuius tamen captiuitas non similem finem habitura erat. Futurum quippe erat illud Propheticum in Osee dictum: Quia non addam vltrà misereri domui Israel, & domui Iuda miserebor Filium ex Dauid, qui regnet in throno eius, certum est esse Christum, de quo ad Mariam Angelus, Et dabit illi (inquit) dominus Deus sedem Dauid patris sui. Cæterùm, de regno temporali, & carnali filiorũ Dauid successione, neque dictum neque factum est. Et salua Dei veritate iam dudũ nullus taliter sedet in throno Dauid, cùm irritum factum non sit pactum Dei cum die, & pactum eius cum nocte, sitq; adhuc dies & nox in tempore suo.

Zelus.

4. Reg. 23.

Hier. 23.

Osee. 2.

Luca 1.

Draconem tertio hoc capite, aduersatum quidem verbo Dei intentione, cooperatum autem fuisse effectu.

CAPVT IIII.

IN initio certaminis iam nunc dicendum, quia valdè impares congressi sunt. Hinc Deus siue verbum Dei, inde Draco siue regnum iam dictum, caput Draconis tertiũ, quàm longè impares congressi sunt. Nimirum velut si congrediatur seruus contrà dominum, & in congrediendo iuratum illi præstet obsequium. Pulchrè hoc innuit ipse Dominus, cùm & ipsum diabolum & ministrum eius Regem Babylonis sibi asserit esse seruum. Dicit enim de ipso Diabolo ad beatum Iob: Nunquid feriet tibi pactum, & accipies eum seruum sempternum? Subaudiendum namque est, sicut ferijt me cum pactum, & sicut ego accepi eum seruũ sempiternum, simbaudiendum etiam est, non voluntate, sed effectu, quia voluntate quidem semper est aduersarius, effectu autẽ mihi, inqt, & electis meis semper in bonũ cooperatur. Exempli gratia, vt nunc mihi in te & tibi in me bene est cooperatus, vt & tu qui eras ignotus, & præsenti tempore & omnibus superuenturis seculis, in terra & in cælo notus habearis & inclytus. Et ego de te exemplum habeam patientiæ proponendum, & profuturum electis meis omnibus, quicunque in seculo tribulandi sunt varijs tribulationibus. Dicit itidem in Hieremia de ministro eius Rege Babylonis. Nunquidnitaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei. Item ecce ego mittam & assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum. Subaudiendum est eodem modo, quo & de diabolo, cuius ille typum gessit meum, non quidem intentione, sed tamen cooperatione, seruum quidem inuoluntate, sed nihilominùs effectu mihi seruiẽtem, meo proposito proficientem.

Iob. 40.

Hier. 27.

Hier. 25.

Quomodo impij sint serui Dei.

Quibus peccatis in domo Dauid, puniendus Draco ille seruierit.

CAPVT V.

QVis non audiuit, quomodo malus ille seruus, eo tempore verbo Dei, verbo Deo cooperatus sit? quis non audiuit? quis nescit vocem illam Dei, iuramentum illud verbi Dei? Semel, inqt, iurauí in sancto meo, si Dauid mentiar? Quid iurasti Deus? & in quo non mentiris Dauid? Ponam, ait, in seculum seculi semen eius, & semen eius in æternum manebit. Si autem dereliquerint filij eius Legem meam, & in iudicijs meis nõ ambulauerint, &c. vt suprà memoratũ est. Hanc veritatem Dei, hoc iuramentum minarum Domini vt adimpleretur, vt opere perficeretur, adiuuit ille malus seruus. Et vt iam ex parte factum fuerat, suprà memorauimus, quia fluxũ iniquitatis, quæ de domo Achab Regis Israel per vxorem eius Iezabel, vsque in domum Dauid profluxerat, visitauerat Dominus in virga & in verberib. pcusso Iorã genero Achab & Iezabel, & exterminata omni domo eius, præter vnum paruulum, Ioas scilicet, quẽ furata est Iosabeth amica eius, ne illum interficeret Athalia cum cæteris auiã crudelissima. At illæ reliquiæ domus Dauid taliter percussæ non doluerunt, disciplinam recipere renuerunt. Primus ipse Ioas tantillus reseruatus, non est recordatus misericordiæ, quam fecerat Ioiada Pontifex secum, sed interfecit filium eius Zachariam sacerdotem dicentem: Quare transgredimini præceptum domini. Similiter & cæteri (præter Ezechiam & Iosiam) peccauerũt. Amplius autem Manasses filius eiusdem Ezechiæ irritauit Dominum, & seduxit populum, vt facerent malum super gentes, quas contriuit Dominus à facie filiorum Israel. Oportebat igitur adhuc virgam eluari, & verba multiplicari, & sic visitari iniquitates & peccata filiorum Dauid, quia non modicè dereliquerant Legem Domini, non mediocriter prophanauerant iustitias Domini, imò plus quã decẽ tribus, quas per petuę captiuitati tradiderat idẽ Iudex Deus.

2. Reg. 11.

Ionas reseruatur.

Zacharias Ioiadæ filius.

Visitantur peccata.

Quod obsessa & expugnata Hierusalem, & populo translato, in fortitudine manus suæ Nobuchodonosor se fecisse sit gloriatus.

CAPVT VI.

QVomodo tandem in hoc negotio malus ille seruus Domini Deo seruiuit? venit, & Hierusalem obsedit, & cepit eam, & incendit Nabuzardam princeps militiæ domum Domini, & domum Regis, & omnes domus Hierusalem, & totum murũ per circuitũ Hierusalẽ destruxit, & trãslatus est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iuda de terra sua. Væ tali seruo, væ illi pro huiusmodi seruitio, virga furoris Domini, & baculus ipse erat, sicut de Assur dictum est, & de ipso quoque Rege Babylonis scriptum est, Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Ipse non sic arbitrabatur, & cor eius non ita æstimabat, scilicet quod eo sic agente visitaret Dominus in virga iniquitatis filiorum, & in verberibus peccata eorum, sed in fortitudine, inquit, manus meæ feci, & sapientia mea intellexi. Hoc tale erat, ac si glorietur securis contra eum, qui secat in ea: aut si exaltetur serra contra eum à quo trahitur, vel si eleuetur virga contra leuantem se: & exaltetur baculus, qui vtique lignum est. Nam quod gloriatus contra Dominum fuerit, & cor eius exaltatum & eleuatum nimis, illud satis indicat, quod in persona eius Diabolus arguitur, qui vtique propter superbiam & exaltationem inordinatam de cælo noscitur cecidisse. Rex super omnes filios superbiæ. Sumes, ait Dominus, parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.

Esa. 14.

Ibidem.

Nabuchodonosor typum Diaboli gessisse, & effectu quidem Deo seruisse, voluntate verò satellitem Diaboli fuisse.

CAPVT VII.

COngruè nimirum sicut illum hominem tanquam Diabolum, sic in Diabolum, tanquam in hominem illum vehementer inuehitur fortitudo Verbi Dei, quia filius superbiæ Regi suo Diabolo propria quadam similitudine valdè similia gessit. Diabolus namque genus humanum in primis parentibus de cælesti Hierusalem duxit captiuum, & Nabuchodonosor vnicum tunc temporis Dei populum captiuauit ab illa terrena Hierusalem, quæ illius supernæ ciuitatis magnam & notam gessit similitudinem. Nam in superna Hierusalem deus videtur, in ista terrena Hierusalem solum erat templum, in quo Deus adorabatur. Propterea sicut sola tunc illa ciuitas Dauid diuini cultum habuit religionem, ita commune cum superna ciuitate Dei possedit nomen, vt vocaretur Hierusalem, quod est interpretatum, visio pacis, licet terrena illa ciuitas non sicut nomen, ita rem quoque quæ signatur nomine, habuerit: alioquin iam non esset similitudo, sed idem: Itaque sicut Dauid Rex huius terrenæ Hierusalem Christum præfiguravit, Regem supernæ Hierusalem, sic Nabuchodonosor Rex illius Babylonis Diabolum signauit principem mundi, ac possessorem æternæ confusionis. Babylon illa & Hierusalem terrena imaginem siue similitudinem nobis demonstrant in semetipsis duarum partiũ vniuersæ creaturæ rationalis, quarum vna ciuitas Dei viuentis, altera dicitur & est ciuitas Diaboli. Altera ex hominibus bonis & Angelis bonis, altera constat ex hominibus malis & Angelis malis. Propterea cùm audimus Dauid, dicentem in spiritu. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus: veraciter illum de semetipso quoque hoc dicere sentimus, quia non quidem ad illius Babylonicæ capiuitatis tempora peruenit, imò longè præcesit, sed in illa erat captiuitate, sicut & omnes electi Dei, cuius similitudinem in ea, quam futuram prouidebat illi populo spiritualiter intellexit. Igitur effectu quidem (vt suprà dictum est) Nabuchodonosor extitit Domini seruus, sed voluntate satelles diaboli præcipuus.

Hierusalē.

Babylon.

Psal. 136.

Quòd Dominus, quamuis verberaret populum, promissionis suæ non fuerit oblitus, sed Prophetæ fidem seruauerit, & virgam contriuerit.

CAPVT VIII.

SVb virga illa, inter verbera illa, positis filijs Dauid, nõne custodiuit deus inuictæ veritatis, quod promisit, quod iurauit in Sancto suo Misericordiam autem meam, inquiens, non dispergam ab eo? Planè custodiuit. Et quamuis differret illam misericordiam suam, scilicet Christum suum, non permisit tamen eos desperare, vel suspicari, quòd adeò fuisset iratus propter iniquitates eorum & peccata, vt vellet prophanare testamentum suum, quæ processerant de labijs suis & facere irrita. Venit ad captiuos, processit cum captiuis verbum bonum, & sermo fidelis, & præcones suos, & Prophetas suos, victores, & victoriæ suę signiferos effecit, ita vt quemadmodum dixit ad Moysen, Ecce constitui te Deum Pharaonis, sic etiam diceret, & faceret quẽpiam ex illis Deum esse Regis Babylonis, Cecidit enim in faciem suam Nabuchodonosor Rex, & Danielem adorauit, & hostias & incensum præcepit afferri vt sacrificaretur ei. Hoc fecit verbum bonum, verbum Dei, ostendendo semetipsum Danieli, & socijs eius, per miras & magnificas visiones, quibus piorum confirmata est fides, captiuorum conualuit spes, desiderantium charitas confortata est, secũdum multitudinem dolorum in corde ipsorum consolationis Domini lætificauerant animas eorum. Ante captiuitatem illam, rarò inuenimus demonstratas Prophetis visiones imaginarias futuri, & vẽturi ad incarnationem, & de mundi principe Diabolo triumphaturi Verbi Dei. Sub ipsa verò captiuitate, non tantummodo legimus factum ad eos verbum Domini, verumetiam vidisse eos imagines reuerendas, visiones consolatorias Regis inuicti, victoris regnaturi, verbi

Psal. 88.

Exod. 7.

Dan. 1.

Verbi Dei, verbi incarnandi, Filij Dei, Filij hominis. In Ezechiel sermone difficilior, Daniel autem quantò planior, tantò ad legendum delectabilior, & ad intelligendum dulcior. Non præsentis est propositi, visiones illas perscrutari, sed hoc tantum considerare, quomodo vel quali ordine virgam illam, siue baculum illum confregerit Dominus, in quo visitauerat iniquitates siue peccata filiorum, qua ratione conceptis beatæ mulieris in vtero habentis, & clamantis, cõtriuerit illud tertium caput draconis, id est, Regem siue regnum Babylonis, conceptũ illum, id est, Fidem seminis Abrahæ, Fidem verbi incarnandi deuorare cupientis.

Quomodo & quo ordine verbum Dei Nabuchodonosor percusserit, & tandem vicerit.

CAPVT IX.

PRimò notandum, quia tribus vicibus percusit Regem ipsum Nabuchodonosor verbum Dei, & quia prima & secunda concussione non est submissus ab altitudine superbiæ suæ, tertia vice sic percusit eum, vt de solio suo decussus, & mente alienatus sorasque eiectus ab hominibus, cum feris habitaret, & cum feris pabulum haberet, fœnumque vt bos cõederet, rore cæli infunderetur, atque ita super eum septem tempora mutarentur. Posthæc Regnum eius regnum Babylonicum numerauit Deus, & compleuit, appensum est in statera, & inuentum est minùs habens. Diuisum est, & datũ est Mœdis & Persis. Interfectus nanque est Balthasar Rex Chaldæus & Darius Mœdus successit in regnum, cui hæc assscribenda est victoriæ pars, nisi Deo dei verbo, quod in vtero habens mulier, vnaquæque fidelis anima, vt erat Daniel, clamabat parturiens. & cruciabatur vt pareret? Verbum illud sacramentum illius verbi caput draconis contriuit, Regem illum quasi bouem dementauit, regnum illud iusto iudicio deiecit, manifestè hoc ipsæ voces Scripturæ testantur. Libet paulisper immorari, & singulas percusiones in caput superbiæ triumphaliter declamare, in laudem & gloriam victorioſi verbi Dei, cuius persona in ipsis rebus gestis vel significatis declaratur vocibus manifestis.

Ter Nabuchodonosor percussus.

Dani. 3.

Apoc. 12.

Multiu rationibus somnium Nabuchodonosoris obseruabile fuisse.

CAPVT X.

SOmnium vidit Nabuchodonosor, & cõterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo. In illo somnio ratio multiplex est, pertinens ad sapientiam verbi Dei, promissiones aduentus sui confirmare volentes, & cõsolari omnes qui expectabant eundem aduentum suum, maximeque illos, qui tunc temporis tenebantur captiui sub eodem Rege, qui somnium vidit. Primũ est, cõsiderare sacramentum ejusdem somnij. Deinde quod non ipse Daniel, vel alius quis sanctus Propheta domini, qui dignus esset vltione Dei, sed homo sine Deo Nabuchodonosor somnium vidit huiusmodi, homo iniustus & pessimus, sicut tres pueri missi ab eodem in caminum ignis ardentis, in oratione sua testantur. Et tradidisti nos (inquiunt) Domine Deus in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum, præuaricatorumque, & Regi iniusto & pessimo vltra omnem terram. Deinde & illud considerandum, quòd non ante aduentus est Daniel, qui somnium reuelaret, & interpretationem eius aperiret, donec egressa esset sententia, vt sapientes interficerentur, quia non poterant Regi iudicare somnium & coniecturam eius, nec ante reuelatum est ipsi Danieli, nisi priùs ingressus ipse rogaret Regem, vt tempus daret sibi ad indicendam solutionem. Tandem & illud in laudem domini, nostræ admirationi non debet abesse, quòd per hanc occasionem captiuos suos sic honorauit, vt Nabuchodonosor suis ipsorum captiuator caderet in faciem suam, & adoraret Danielem hominem mortalem, quamuis mirabilem mirabilis dei Prophetam.

Dani. 3.

Quid somnium Nabuchodonosor significarit.

CAPVT XI.

SAcramentum somnij iam non tantum modo legendo didicimus, verumetiam videndo agnouimus. Nos enim sumus in diebus nati & renati, quibus deus cæli suscitauit regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius populo alteri non tradetur, per quod comminui & consumi manifestum est Regnum aureum, quod tunc erat Babylonis, regnum Mœdorum & Persarum, quod successit argenteum, regnum æreum, quod deinde fuit Macedonum, regnum Romanorum, quod quondam erat ferreum, iam autem ex magna parte cœpit esse luteum. Videmus sic factum esse, & fieri, secundum quod ille vidit, quia de monte abscissus est lapis sinè manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs & argentum, & aurum. Et lapis, qui percussit, & adhuc vltimo iudicio percussurus est regna hæc, ita vt nullus locus inueniatur ei: factus est mons magnus, & implenit vniuersam terrã, quia palã factum est vniuersæ terræ, quòd Verbũ caro factum est, id est, homo factus de Virgine, absque manibus complectentium, Rex regũ est, & Dñs dominantium. Sacramentum istud tũc per Danielem & socios eius reuelatum, magnam & oportunã consolationem præbuit humilitati captiuorum, in sua captiuitate spem quã habebant de promissione dei suspirantium. Quantum enim putas, illos tũc habuisse mœstitiam, & cordis lassitudinem, quàm

Dani. 2. Somnium Nabuchodonosor.

Romanorũ imperium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm suspirioſam? cùm viderent tardare Regnum Dei, & interea regna mundi, caputque regnorum, regnũ Babylonis, quaſi ſub ſole matutino paratis reſidere in ſolijs, & ſubſilire in turribus & in equis? Oportunè ergo tale ſomnium, tantum continens myſterium, mœrentium fatigatione ſubuenit, vt ſcirent iam tunc in patientia ſua poſſidere animas ſuas, non alpiciendo præſentia, ſed proſpicienda futura, ſtatumq́, malorum inſtantium conſolando, per ſpem futurorum bonorum.

Quare Nabuchodonoſor, & non alius quiſpiam, hoc ſomnium viderit.

CAPVT XII.

Nabuchodonoſor ſomnium cur ſolus viderit.

QVòd non ipſe Daniel, aut alius quis Deo dignus, ſed Nabuchodonoſor tale tantumque ſomnium vidit, homo iniuſtus & peſsimus, rectè mirarenur propter indignitatem eius ſi non ipſo ſuiſſet conteritus ſomnio, & ſomnium eius fugiſſet ab eo. Nunc autem, Quoniam conteritus eſt ſpiritus eius, & ſomnium fugit ab eo, non miramur, ſcientes iuſtitiæ ordinem, quia ſicut reuera nulla participatio luci ad tenebras, nulla eſt conuentio Chriſti ad Belial, ſic nulla eſt pars animæ impiæ cum verbo Dei, nulla communio ſtulto & iniquo cum conſilio Dei. Eſt autem, & erat in illo tali ſomno verbum verum, & conſilium Dei profundum. Quomodo ergo anima ſtulti & impij, anima diſciſſa, & nulla ſaltem diuini nominis religione compoſita continere poſſet rem tanti ſacramenti, quam viderat? Non quiſquam illud obijciat, quòd Pharao ſomnium vidit, & memoria retinuit, & dicat, quæ ventura erant oſtendit Deus Pharaoni, quia videlicet nec ille Pharao tam impius erat, vt Nabuchodonoſor. Nec ſomnium eius præſagium futuræ famis vllo modo pertinuit ad ſomnium Nabuchodonoſor, quod præſagium fuit æterni regni Dei. Igitur quodam modo vidit quidem ſomnium, ſed mente (inquit) confuſus, ignoro quid viderim, non illum verbo ſiue conſilio Dei putemus admiſſum, imò à viſu, quo dignus non erat, ſciamus eum iuſta indignatione repulſum. Nam hoc ipſum quod dicit, & mente confuſus, ignoro quid viderim, & quod idem dictum eſt, ſomnium fugit ab eo, ſatis innuit, quòd taliter ſomniando, iram contra ſe prouocauerit, vt quomodo diceretur illi ſomnianti. Tu quomodo quicquam de huiuſmodi ſomniare præſumpſiſti? Etenim veraciter præſumptuoſa & ſuperba cogitatio cauſa fuit eiuſdem ſomnij, ſicut & ipſe teſtatur Daniel. Tu (inquiens) Rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo, quid eſſet futurum poſt hæc. Quaſi iam aliquid factum eſſet, in eo quod ipſe factus erat Rex, & quaſi regno ſuo magis vel melius aliquid fieri non poſſet, cogitabat, quid eſſet futurũ poſt hæc. Reſpõdit cogitationi

Dani. 2.

bus eius Deus, ita vt ille mer ebatur, ſcilicet vt ne quidẽ intelligeret, nec ferre poſſet, ſed tamen quippiam circa ſe actum eſſe reminiſceretur attonitus atque confuſus.

Crudelitatem Regis, beneuolentiam & attentionem Danielis Interpreti conciliaſſe.

CAPVT XIII.

ET ille quidem ad inueniendum & conſequendum, quod ſibi effugerat ſomnium, crudeliter auidus & auidè crudelis extitit, dum in furore & ira magna præcepit, vt perirent omnes ſapientes Babylonis, quia ſomnium non poterant indicare ſibi. Deus autem & Verbum eius illa crudelitate eius, eo neſciente, miſericorditer vtebatur, in quo? in eo videlicet, vt reuelaturus tam grande myſterium, priùs omnes attentos faceret. Myſteria namque verbi Dei, Margaritæ ſunt. Arioli verò & magi & malefici & Chaldæi ſimul cum Rege ſuo cuncti Babylonij porci erant, coram qualibus margaritæ eiuſmodi mittendæ nõ ſunt. Sed Daniel, aut alius quis de ſocijs vel concaptiuis eius, ſomnium illud vidiſſet, & interpretationẽ eius coram Babylonijs expoſuiſſet in conſolationem captiuorum quorum in futuro Dei Regno penderet ſpes, nónne nimis vltroneas ante porcos margaritas proiecíſſent? Et nimirum non ſolùm ilias conculcaſſent, verumetiam conuerſi in eos ſperare audẽtes, crudeliter dilacerasſent. Benè igitur vſa eſt Dei ſapientia curioſitate nimia Regis furioſi. Quia per inſtantem potentiam, per potentem eius inſtãtiam, & iram magnam, egreſſa ſententia ſapientes interficiuntur, dum interim quæritur Daniel & ſocij eius, vt pereant, dum inter inducias ab eo poſtulatas, cuncti ſapientes ſub gladio pendent morituri, niſi ſaltem ille referendo ſomnium, communi periculo ferat præſidium. Per hæc (inquã) cuncti à maiore vſque ad minimum cum Rege ipſo attenti fiunt ad audiendum parati ad ſuſcipiendum deſideratiſsimi, & valdè dociles ad intelligendum, beneuoli ad collaudandum. Ita demum indignum duxit verbum Dei, ſemetipſum in medio proferri. Quia profectò tempus & cauſa talem tanti ſacramenti margaritam non ſinerent conculcari.

Quærit Daniel cũ ſocijs.

Dani. 2.

Nabuchodonoſor Regem Verbum Dei ex ore Danielis ferre non potuiſſe, quin caderet in faciem.

CAPVT XIIII.

QVis tandem non miretur, quòd ille ſæuus vt leo, ſeu quaſi leæna Rex Nabuchodonoſor audita veritate ſomnij cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit? Nunquid hoc vera deuotione compunctus fecit? nunquid Deum verum in homine, ſeruo eius, diligendo honorauit, aut honorando dilexit? repugnat valdè quod ſequitur: Quia fecit auream ſtatuam miræ magnitudinis,

Daniel 3.

tudinis, & nolentes illam adorare tres pueros, Sydrach, Myſach, & Abdenago, mitti iuſſit in fornacem ignis ardentis. Et quis eſt (inquit) Deus qui eripiat vos de manu mea? Ergo illud potiùs ſentiendum eſt, quia ſicut vbi vidit ſomnium conterritus eſt ſpiritus eius, & mente eſt confuſus. Ita vbi audiuit, & audiendo ſenſit fortitudinem præſentis verbi Dei ex ore hominis, ad quem reuera factum fuerat verbum Domini, cuius in corde veraciter habitabat, cuius ex ore mirabiliter ſonabat verbum Domini ferre nõ potuit, ſedere aut ſtare non valuit, ſed cecidit & ſic adorauit, ſic confeſſus eſt, quomodo Dæmones ipſo incarnato & præſente cõtremuerunt & confeſsi ſunt. Deus itaque Regis captiuatoris ſui captiuus Daniel effectus eſt. At ille ſæuus captiuator, ſtultus adorator tandem expugnandus erat, donec fœnum comederet quaſi bos. Nec enim parua fuit ſuperbia dementis, vel dementia ſuperbi, de qua, vbi ſic conterritus eſt, & ſic cecidit in faciem ſuam adorans Danielem, vt diceret: Verè Deus veſter, Deus deorũ eſt, & Dominus regum. Vbi eundem Danielem in ſublime extulit, ſocioſque eius conſtituit ſuper opera Babylonis, confeſtim quid egerit, Scriptura taliter annectit.

Dani. 22.

Nabuchodonoſor adhuc tam ſuperbum fuiſſe, vt ſtatuam ſuam adorari iuberet.

CAPVT XV.

NAbuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta, & latitudine cubitorum ſex, & ſtatuit eam in campo puram prouincię Babylonis. Itaque Nabuchodonoſor Rex miſit ad congregandos Satrapas, Magiſtratus, & Iudices, Duces & Tyrannos, & Præfectos, omneſque Principes regionum, vt conuenirẽt ad dedicationem ſtatuæ, quã erexerat Nabuchodonoſor Rex. Ecce qualiter adiuuat impleri veritatem Dei, veramque interpretationem ſomnij ſui malus ſeruus Domini, ecce cauſam propter quam in ſomnio deſignatus fuerat per aureum caput ſtatuæ, dicente interprete. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, & tu Rex caput aureum es. Grande caput idololatriæ reuera factus eſt Nabuchodonoſor, talem ſtatuam faciendo, & multitudinem populorum ac principum ad dedicationẽ eius inuitando, clamante valenter præcone. Vobis dicitur populis, tribus & linguis, in hora qua audieritis ſonitũ tubæ, & fiſtulæ, & cytharæ, ſambucæ, pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream quam conſtituit Nabuchodonoſor Rex. Si quis autem non proſtratus adorauerit, eadẽ hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Nulla vſquã Scriptura meminit quemquã ante illum tantum habuiſſe fundandæ idololatriæ ſtudium, tam horribile, ne dicá preciosum conflaſſe, vel vidiſſe ſimulachrum, tam crudele pro cultu idoli propoſuiſſe edictum. Rectè ergo calix aureus Babylon dicitur per Prophetam inebrians omnem terram, rectè nihilominùs vniuerſitas impiorum idololatriæ ſtudentium ſcribitur vel demõſtratur. Habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominationum & immunditiæ fornicationis eius, & in fronte eius ſcriptũ myſterium, Babylon magna mater fornicationũ & abominationũ terræ. Calicem ſiue poculum Babylonis, dulcẽ intelligimus deceptionẽ eiuſmodi vel ſimilem illi, quam tunc propinabat re illius nomine & Rex Babylonis. Vbi ad alliciẽdos populos adhibuit ſonitum tubæ, fiſtulæ, & cytharæ, ſambucæ, Pſalterij, & ſymphoniæ omnis generis muſicorũ, vt feſtiua ſonorum ſuauitate inebriati oẽs populi & tribus & linguæ, caderent adorando ſtatuam auream hominis corruptibilis, quòd verè cadere eſt.

Dani. 3.

Dan. 2.

Dani. 3.

Quare Scriptura, calicem aureum Babylonicæ meretrici tribuerit.

CAPVT XVI.

CAuſam puto idoneam adparere, cur vel ipſe Nabuchodonoſor caput aureũ dictus ſit, vel in manu Babylonis eſſe aureus calix, quia videlicet capitalem inſaniã idololatriæ ſubleuauit ille faciendo ſtatuam auream tam magnam, tamque operoſam, tantis impenſis ſtultiſsimo labore, vſque ad ſtatum perducendo, cuius ſaluo aſpectu cum muſica (vt iam dictum eſt) dulcedine, ſic inebriari vel dementari poterant animæ mortalium cupidæ, ſicut quis inebriatur pleno calice. Iam nunc illud dicere res ipſa admonet, cur regnum Mœdorum atque Perſarum illi regno ſuccedens per argentum pectore, & brachijs ſtatuæ, quem Nabuchodonoſor ſomniauit, cur regnum Græcorum per æs ventris & fœmorum, cur regnum Romanorũ per tibias ferreas, & pedes partim ferreos, partim fictiles ſignaretum ſit, vel ſignificari debuerit. Iam quidẽ ante nos dictũ, vel vſitatum eſt regnũ Mœdorum atq; Perſarum, idcirco per argentũ ſignatum eſſe, quia tantò vilius extitit regno Babylonico, quãtò auro vilius æſtimatur argentũ, ꝙ ex hiſtorijs cõprobare haud difficile eſt. Regnum aũt Græcorum per æris metallũ idcirco ſignatum eſſe aiunt, quia æs & durum & valdè ſonorũ eſt, & Græci fortes, & maximè fuerunt eloquẽtes. Verũtamen licet ſenſus iſte verus & bonus ſit, noſtri ratio propoſiti, cauſas adhuc alias ſuggerit, quia videlicet delectabile eſt, proprias ꝙ poſſe reddere, vel inuenire cauſas, quibus regna illa lapidem illũ contra ſe prouocauerint, qui abſciſſus de monte ſinè manibus, ſtatuam percuſsit, & contriuit atque comminuit. Verbum namq; Dei, cuius victoriã celebrare præſentis eſt intentio opuſculi, & lapis erat tũc antequã caro fieret, & nũc eſt poſtquam caro factũ eſt, & per ipſum & cum ipſo

Apoca. 12.

Aureũ cãdictus ſit.

Nabuchodonoſor idololatriæ ſubleuauit.

Aurei cãdictus cur dictus.

Argentum Græcorum.

Mœdorum & Perſarũ regnum.

Metallum Græcorum.

Græci regnum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum ipso & in ipso singula Regna suis tem-
Dani. 3. poribus percussa atque contrita sunt, & in
Hest. 3. nouissimo ita comminuenda sunt, vt quasi in fauillam redigantur,& quasi fauillæ,quæ vento arrepta est,nullus locus eorum inueniatur.

Quas ob causas Regnum Babylonicum per aurum, & Regnum Persarum atque Mœdorum signatum sit per argentum.

CAPVT XVII.

LIbet igitur intueri, quia sicut Regnum Babylonicum siue Nabuchodonosor Rex, auro suo lapidem illum prouocauit, scilicet verbum Dei,Filium Dei, quem & confessum illum esse rectè miramur dicentem, Et species quarti similis Filio Dei, ita & Regni Mœdorum superbia videlicet superbissimus Aman,argento suo lapidē eundem contra se concitauit. Dixit enim Regi Assuero: Si tibi placet, decerne, vt pereat gens Iudæorum, & decem millia talentorū appendam arcarijs gazæ tuæ?Dixitque Rex ad eum, Argentum quod polliceris tuum sit,de populo age quod tibi placet. Nimirū non paruæ cōsiderationis est aut esse debet, argentum quod appensum siue oblatum fuit,ab Iudaicæ gentis vniuersal eexterminium,contra propositum Dei, contra verbum promissionis,quòd non esset vnde impleretur,si Diaboli voluntatem,qui insaniebat in Aman,consecutus fuisset effectus.Sanè quod dixit Daniel ad Nabuchodonosor. Tu es ergo caput aureum, & post hæc consurget regnum illud minus te,libenter sic accipimus vt subintelligamus ad nequitię,vel malitiæ opus.Quia videlicet Regnum illud cuntra verbum promissionis minùs egit, quàm regnum Babylonis.Quòd & si tantò præcellit regnum illud super Regnum Persarum & Mœdorum, quantò aurum super argento. Nunquid idipsum Regnum Persarum & Mœdorū tantò copiosius fuit regno Græcorum & regno Romanorum, quanto ære & ferro preciosius est argentū? Itaque propter quam causam Nabuchodonosor siue regnum eius per aurum,propter eandem regnum Mœdorum & Persarum rectè intelligitur per argentum. Quia videlicet hic auro, illic argento armatus nitebatur Diabolus præpedire, ne adimpleretur promissionis verbum.

Quam ob causam Regnum Græcorum per æs significatum fuerit.

CAPVT XVIII.

EAndem ob causam, per æris metallum in eadem statua, rectè accipimus signatum esse regnum Græcorum. Quid enim Regnum illud egit? quid fecit illic Draco Diabolus,& Diaboli satelles Antiochus?sar-
Mac. 7. taginibus suis & ollis æneis crudeliter vsus est.Septem namque fratribus cum matre apprehensis iussit sartagines & ollas æneas succendi,& singulis eorum cute capitis cum capillis abstracta, manuum ac pedum summitatibus præcisis, adhuc spirantes in sartagine torrere.Taliter impius ære suo contra Deum vsus est, agente per eum Diabolo, vt verbum promissionis & testamentum Dei de cordibus eorum aboleret,quibus data,vel ad quorū patres promissio facta est, Scripserat enim Antiochus omni regno suo agitāte Diabolo, vt esset omnis populus vnus.Erant autem Iudei,imò & omnis Syria sub regno eius.Quid igitur per hoc spiritus Diaboli intendebat,nisi vt trāscuntibus Iudęis in idem cum cæteris qui sub regno eius erant populis,periret promissio, cùm promissionis iam nusquam esset expectatio. Quod quia facere noluerunt quidam perpauci, inter cætera mala quæ illis intulit, hoc summum fuit, quòd septem fratribus iam dictis& matri eorum sartagines & ollas æneas succensas crudeliter admouit. Num parua hæc est causa,vt regnum illud per vētrem æneum & ænea statuæ fœmora intelli- 2. Mac. 6.
gi debeat. Præterea in fœmoribus æneis cū crudelitate intelligi turpitudinem,quia videlicet,dum illa agerentur, templum luxuria & comessationibus erat plenum,& scortantium cū meretricibus, sacratisq; ædibus mulieres vltrò se ingerebāt, intrò ferentes ea quæ non licebat.

Quare Regnum Romanorum per tibias ferreas,pedes partim ferreos,partim ficiles significatū fuerit.

CAPVT XIX.

DE regno Romanorum, cur per tibias ferreas,& pedes partim ferreos, partim fictiles significatum fuerit, causa manifesta redditur,dicendo: Quomodo ferrū comminuit,& edomat omnia, sic regnum Dan. 2.
quartum comminuet & cōteret omnia. Veruntamen quòd pedum quædam pars ferrea quædam fictilis visa est, quæstione adhuc indiget vt planiùs fiat, quamuis interpres idem ferè exponat,dicendo sic ibidem: Porrò,quia vidisti pedum & digitorum partem testeam, & partem ferream,regnum diuisum erit,quod de plantario ferri oriretur. Secundum quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, & digitos pedum ex parte ferreos,& ex parte fictiles, ex parte regnū erit solidum,& ex parte contritum, quòd autē vidisti ferrum mixtum testę & luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testę.Certum tempus,quo hæc euenisse cognoscantur, nullo modo aliter meliùs inuenire possumus,quàm sequendo literam Propheticam,quę continuò subiungitur. In diebus autem Regnorum illorum suscitauit Deus cæli Regnum,quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius populo alteri non tradetur. Tempus ergo quo Regnum æternum suscitauit Deus, secundum quod de monte abscissus est lapis sinè manibus,& comminuit testam, & ferrum, & æs,

& æs, & argentum, & aurum, tempus (inquam) quo sinè opere coniugali de virgine conceptus & natus est Deus & homo Iesus Christus. Respiciamus,qualiter tunc se habuerit Regnum Romanum,quod sinè dubio significatum est per ferrum.Nam quod dicit,In diebus autem Regnorum illorum, idem est ac si dicat:cùm Regna hæc sibi ordine successerint, suscitabit Deus cæli Regnum,quod in æternum non dissipabitur.

Quid mixtura ferri & testæ significet.

CAP. XX.

IGitur in pedibus statuæ per insociabilia signa rerum ferri & testæ, licet arbitrari, significatum fuisse id, quod acciderat Romanis,quando Christus natus est de Virgine. Quid enim acciderat? Hoc nimirum, q̄ per maximas ciuiles discordias Romana potentia in regnum & monarchiā deuenerat. Quis illas non audiuit discordias? quis ignorat illa ciuilia bella? Defatigatus est mundus,& adhuc defatigatur, scholasticis lectitantibus,historiographis denarrantib.pueris quoque retractantibus,Romanorum fere omnium, maximeq; Pompeij & C. Cæsaris discordias immites,discordias impacabiles. Itemque Antonij & Octauiani Augusti pugnas ciuiles,per quas & inter quas idem Octauianus Augustus Romanorum monarchę effectus est,in cuius diebus lapis in monte sinè manibus abscissus est, quo regnante Christus de Virgine natus est, cuius & successoris eius Tyberij Cæsaris temporibus ęternum regnum Dei, per passionem & resurrectionem eiusdem Iesu Christi suscitatum est.Per ferrum (inquam) & per testam in pedibus statuæ, discordias illas, & Danie. 2.
bella ciuilia libenter accipimus signata fuisse,& hoc esse,quod scriptum est:Quia vidisti pedum & digitorum partem testeam, & partem ferream, regnū diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, id est, ex nimia fortitudine, suboriente inuidia fiet, vt regnum diuidatur.Et hoc ipsum repetitur,dicendo:Quia autem vidisti ferrum mixtum testa ex luto,commiscebuntur quidē humano semine,sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ. Cùm magna admiratione hoc accipiendum est, quia non solummodo conciues, verumetiā consanguinei fuerint, ita vt Pompeius C. Cæsaris gener, & Octauiani Antonius sororius existeret,& tamen non magis potuerunt per concordiam cohærere sibi, quàm potest ferrum misceri testæ. Et tamdiu disserunt, donec pars infirmior victa decesset. Ibi pars partem vnius eiusdemq; Romanæ virtutis ita velociter & fortiter superauit,vt pars quæ victa est luteæ testæ, pars aūt quæ vicit ferro posit comparari. Vna acies patitur bellum,gerit altera, ait auctor insignis describens illa ciuilia bella. Item ad illū,qui superior erat, id est,ad C. Cæsarem iam dictum refert,Bellantē geminis tenuit te Gallia lustris,Pars quota terrarum? Facili si prælia pauca Gesseris euentu, tibi Roma subegerit orbem.& ita factum est. Summa horum,quæ dicta sunt, ista est. Per discrepantiam testæ & ferri, quarti, id est, Romani regni ciuiles discordias rectè posse intelligi. Nunc ad ordinem redeamus. Lucanus.

Quare exclamauerit Nabuchadonosor: Ecce ego video quatuor viros solutos,& speciem quarti similis filio Dei. CAPVT XXI.

CApitulum magnæ admirationis in aureo capite, quod erat Nabuchodonosor,contra statuam auream, quam erexerat Danie. 3.
Nabuchodonosor, istud est, qđ exclamat, Nónne(inquit) tres viros misimus in medium ignis compeditos?Et respondentibus optimatibus suis atq; dicentibus, Verè rex. Ecce ego video(inquit) viros quatuor solutos,&ambulantes in medio ignis,& nihil in eis corruptionis est,& species quarti similis est filio Dei. Hoc magnæ inclamationis dictum,totus orbis audiuit de ore hominis regis gentilis & impij.Et quis dignè sufficit admirari,vbinam viderat ille Filium Dei, vt similitudinem eius recognoscere posset in medio ignis?Dixit enim: Et species quarti similis filio Dei.Sic loqui solent,qui quamlibet speciem aliquando visam, alicubi consideratam,& mente retentam, memoria signatam,alio tempore,siue loco alio,in persona qualibet recognoscunt. Iste(inquiunt) similis est illi,quem vidi,istud est simile illi, quod ibi vel ibi consideraui. Quam similis est iuuenis iste cōsobrino meo? ait quidem, Thobia 7.
intuens iuniorem Tobiam. Viderat enim patrem,& in Filio similem, vt accidere assolet,animaduertebat speciem, Iste autem, vbi viderat Filium Dei, vt speciem eius,recognoscere posset in illo,qui descenderat cum Azaria & socijs eius in fornacem,vel in medium ignis?Nunquam viderat Filium Dei, sed nec vnquam legendo vel audiendo dicerat,quis,vel qualis esset Filius Dei.Nón ne ergo mente non sua locutus est? Nónne in magno excessu taliter effatus est? Verè in magno excessu,in magno stupore. Non leuis stupor extitit, quem quasi leuiter Scriptura enunciauit, dicendo,vbi suprà. Tunc Rex Nabuchodonosor obstupuit, & surrexit properè.

Quare appellatio Filij Dei,ab inimico & persecutore primum vsurpari debuerit.

CAP. XXII.

SPecioſa victoriæ pars,& insigne præconium Verbi Dei,Filij Dei,quòd illū manifesta confessione priùs confessus est inimicus,quàm amicus,persecutor quàm executor,& iniustus quàm iustus, Gentilis quàm Ioan. 1.
Iudæus.Quis enim saltem ex omnibus Prophetis tam apertè nomen istud expressit, Filium Dei? Habemus passim in Scripturis propheticis verbum Dei,& hoc Verbū Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Filius est, sed mundus eum nõ cognouit, ita vt nec apud Iudæos, quibus creditum est verbum Dei tutum esset prædicare hoc nomen, quod est Filius Dei. In mundo erat, & *Ibidem.* mundus per ipsum factus est, & mundus eũ non cognouit, nec solum eum non cognouit, verumetiam annũciationem de eo, nec saltem Iudæus ferre potuit, vndè & oportebat Prophetas claudere, ligare, & signare testimonia eius in Scripturis. Quia (sicut iam dictum est) non possent portare saltem cultores Dei, nec paterentur audire vllam esse Dei generationem, vllum esse filium Dei. Per hunc summum ex Principibus suis, quẽ Iudæus aut Gentilis arguere non posset, cuius opprimere os nõ auderet mundus, hoc nomen primitus audiuit Filium Dei. Atipse tantus prædicator fortè etiam tunc dormiuit & somniauit, quando nomen istud prædicauit. Non enim putemus, eum nunc tantummodo dormisse, quando illam, de qua iam suprà dictum est, magnam statuam somniauit, somniumque perdidit, ignorans quid viderit. Imò tota vita eius somnus fuit, quicquid boni de Deo pronunciauit, quicquid benedixit & laudauit, somnium fuit. Quia sicut illud de statua somnium perdidit, ita quicquid laudis Deo declamauit, to- *Daniel. 2.* tum de corde eius velociter euanuit. Denique qui post interpretationem somnij vel statuæ, quã viderat, Danielẽ adorauit. Verè (inquiens) Deus vester, Deus Deorum est, & Dominus regum: Ipse postmodum statuam dedicans auream, seruos eiusdem Dei misit in fornacem ignis. Et quis est (inquit) Deus, qui eripiat vos de manu mea? Item, qui dixit, Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago, &cæ. Ipse postmodum contra Dei decretum, quod viderat vel audierat, superbè respondens. Nõne (inquit) hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei, statim propter superbiã quasi bos effici meruit.

Confessionem & laudem Nabuchodonosoris, propter superbam, & tumidam vanitatem reprobam fuisse. CAP. XXIII.

IAm nunc, vt constet magis ac magis, meritò declamationes illas probari, perpende, quia non fuit speciosa laus in ore illius *Daniel. 3.* peccatoris, tota namque respersa est fermento tumidæ vanitatis. Quomodo enim laudauit, cùm scripsit Nabuchodonosor rex omnibus populis gentibus & linguis, quæ habitant in vniuersa terra, pax (inquit) vobis multiplicetur, signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius. Quantus in oculis suis habetur, dum dicit, Signa apud me fecit Deus excelsus? Et deinde, Placuit ergo mihi? Quid enim est, apud me fecit, & : quia placuit mihi, nisi ob gratiam mei fecit, & feliciter cõtigit illi Deo, quia placuit mihi? Verè sicut non dignatur Deus excelsus laudem, nisi ex humili spiritu, ita iustũ & dignum se fuit, vt reprobaret extollentiam sublimium oculorum illius, quia laudando laudabilem in ipsa laude mentiebatur. Non enim apud eum signa fecerat Deus excelsus, quia non erat amicus, sed fecerat contra eum, quoniã erat inimicus, Dei excelsi, & seruorum eius. Et quis vnquam iustorum Regum siue Patriarcharum, qui magnalia Dei viderunt, referens dixit, aut dicere debuit, Signa apud me fecit Deus? Nos quoque de Sanctis illis loquentes, nõ dicimus aut dicere debemus, Apud illum vel illos, sed per illum, & per illos, siue coram illis Deus mirabilia fecit, vtpote in terra Aegypti. Sicut igitur de Rege omnium filiorum superbiæ Deus excelsus *Iob. 41.* dicit, Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis, ita de isto superbiæ filio rectè dicas, quia non pepercit, aut parcere debuit illi Deus, id est, pro laude clamosa & magnificentia sublimi.

Quòd sicut tribus pueris in camino adfuit filius Dei, ita omnibus adfuturus sit, qui se confiteantur.

CAPVT XXIIII.

ILlud quoque non prætereundum, quòd etiam si non dixisset ille stupidus, Et species quarti similis est Filio Dei, nos qui nunc sumus, & in rebus temporaliter gestis, æterni tegni mysteria contemplari studemus, scienter & vero sensu dicere possemus, & nunc dicimus, quia species quarti similis fuit Filio Dei, id est, qui quartus apparuit in camino ignis, & seruos Dei excelsi mirabiliter custodiuit, signum fuit, & in semetipso signauit, quod facturus erat, iamque facere cœperat Filius Dei, verbum Dei. Quãdo enim defuit agonizantibus seruis suis propter verbum Dei? Hoc maximè futurum erat temporibus Euangelij sui, vt publicis edictis & proscriptionibus Fidem sanctæ Trinitatis impugnaret Rex magnæ Babylonis Diabolus. Et ita factum est paganis Romani imperij regibus Diabolo famulantibus. Nónne cum pijs martyribus Filius Dei, & in flammis, & in cæteris agonibus semper præsens fuit? Verbi gratia, Vbi martyr insignis Laurentius ignibus suppositus est pro Fide Filij Dei? nunquid qui assatus fuit, & super craticulam & super ignem spiritum emisit, idcirco dicas, quia fuit absens, & ab ignibus eius longè abstitit Filius Dei? imò præsentior illi fuit & gloriosus in eo triumphauit, quàmsi excusissent carbones, & ignitam craticulam eius quasi ventum roris flantem fecisset. Transiuit per ignem, & flamma illi non nocuit, & odor ignis in eo non fuit, quia Fides læsa non est, imò sicut aurum per ignem probata est. Sic animaduertimus in illa fornace Babylonica, speciẽ quarti similẽ Filio Dei, quia sicut per speciẽ q illic apparuit, custoditi fuerũt illi tres pueri, sic per inuisibilẽ præsentiã Filij Dei illæsa perman-

permansit in sanctis martyribus Fidem æternæ Trinitatis, & Romanum imperium sonoriùs atq; dulciùs, quàm ille Rex Babylonis, tandem confiteri meruit Christum Filium Dei.

Quare Deus, non vt tres pueros, ita & in templum defenderit, ne conflagraret.

CAPVT XXV.

Templũ à Deo neglectum. NOn poterat hic Deus excelsus templum suum, quod erat Hierosolymis, illæsum custodire à flammis incendij Babylonici, qui tres pueros taliter custodiuit in camino ignis, vt nihil potestatis haberet in corporibus eorum, & capilli capitis eorum non essent adusti, & saraballa eorum non essent immutata, & odor ignis non transiret per eos? Planè poterat, sed erudiendus erat mundus, vt sciret, quod Deus excelsus non pulchris lapidibus, aureisve parietibus templi manufacti delectatur, sed Fidei claritate & mundis cordibus, & ille est ei optabilis locus. Nam quia & tabernaculum Moyses cum auctoritate Dei, & templum Salomon tanto opere, auro & gemmis extruxit, atque perornauit, existimare poterãt hõies cupidi de Deo malè sentientes, q; esset eorũ similis & de religione iustitiæ nihil curãtes, putarẽt se satis honorare Deum muneribus aureis, suamq; cupiditatem corroborarent, quasi exemplo Dei. Hanc suspicionem dignè à se remouere curauit opere perficiendo illud, quod ad Salomonem dixit, cùm ille perfecisset ædificium domus Domini. Si autem, inquit, auersione auersi fueritis vos & filij *3. Reg. 19.* vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, auferam Israel de superficie terræ quam dedi eis, & templum quod sanctificaui nomini meo, proijciam à cõspectu *Act. 7.* meo. Salomon, inquit Stephanus protomartyr, ædificauit illi domum, sed excelsus non in manufactis habitat, sicut per Prophetam dicit, Cælum mihi sedes est, terra autẽ *Esaiæ 66.* scabellum pedum meorum. Quam domũ ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meę? Nónne manus mea fecit hæc omnia? Dignè igitur se fecit, quod templum vel aurum templi manufacti, pro tempore & re multum neglexit, nomen autem suum & promissionis Verbum, in quo vita est, glorificare & dilatare nunquam desijt.

Toties victum Nabuchodonosor, nunquam tamen fuisse ex animo humiliatum.

CAP. XXVI.

IAm semel & secũdò commonitus fuerat Nabuchodonosor rex, vt ab altitudine sua detumesceret, ac de semetipso mortalis homo humilia sentiret, & prior quidẽ admonitio terribilis, sequens autem terribilior atque sæuerior extitit. Nam in prima tãtummodo territus fuit, in secunda verò damnũ quoq; de suis accepit, quia viros illos fortissimos de exercitu suo, quiad eius imperium seruos Dei excelsi miserant in fornacem, interfecit flamma ignis. Iusta ergo super ipsũ post hæc peruenit sententia præeunte visione, cuius interpretatio sententiã ipsam prænunciabat, nihilominus perseuerante cordis eius indomabili superbia. Nam vt sciamus, quanta in corde eius arrogantia, quanta in oculis fuerit extollentia, signanter ita dictum est. Post finem mensium duodecim subauditur, ex quo de arbore succidenda somnum viderat, & interpretationem eius audierat, in aula Babylonis deambula- *Daniel. 4.* bat, respondit; que Rex, & ait, Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cui, vel cõtra quid respondisse dicitur, nisi contra id, quod audierat. Hæc est interpretatio altissimi, quæ peruenit super Dominum meum Regem. Eijcient te ab hominibus, & cum feris erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes? Claret itaq; maxima in loco illo culpa superbiæ, quia considerando magnitudinem Babyloniæ, roburque fortitudinis suæ, & amplitudinem (vt putabat) gloriæ, impossibile iudicauerat, quod audierat ex diuina auctoritate, faciliusq; posse infectum præterire verbum Domini, secundum interpretationem somnii, quam venire aliquid super se aduersi, tantum Regem magnæ Babylonis. Igitur vbi statim subiungitur, Cũ adhuc sermo esset in ore Regis, vox de cælo ruit, Tibi dicitur Rex Nabuchodonosor, Regnum tuum transijt à te, &cæ. manifestè *Ibidem.* prædicatur sicut iusta omnipotentia ita & omnipotentis iustitia, quia sanctus & iustus neminẽ pœnaliter humiliat, nisi illum, qui se pertinaciter exaltat.

Nabuchodonosor tanquam bouem fœnum comedisse. CAP. XXVII.

TAndem notandum, quòd idem Nabuchodonosor, sicut in culpa, ita & in pœna similis factus est captiuatori generis humani Diabolo. Nam de illo dixerat Dominus ad B. Iob: Ecce Behemoth, quem feci te *Iob 40.* cum, fœnum quasi bos comedet, Cùm ergo ex hominibus abiectus Nabuchodonosor, fœnum vt bos comedit, manifestè datur intelligi, quod in pœna sua similis Diabolo extitit, quia quod fecit ille spiritualiter, hoc fecit iste corporaliter, quod ille indesinenter, hoc iste septennio, quo videlicet numero vniuersitas significari solet. Ille namque fœnum comedit, id est, carnales *Esaiæ 40.* sibi incorporat homines. De qualibus scriptum est, Omnis caro fœnum est, & omnis gloria eius quasi flos agri. Verè fœnum est populus, exiccatum est fœnũ & cecidit flos. Solum eiusmodi fœnum cõedit quasi bos, quia præter viriditatem carnis nihil est in eis, quibus prævaluit ille Behemoth. Et *Ibidem.* quid amplius est in his, qui dentes illius offendunt, nisi illud, quod sequitur? Verbum

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem Domini manet in æternum. Igitur quàm iustum, tam pulchrum est iudicium in eo, quod ille dudum Rex præpotẽs, quasi bos comedit fœnum, tanquam diceret ei vox, quæ de cœlo ruit super eum, tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, tu verbum DOMINI, quod manet in æternum, exterminare voluisti, succendendo Hierusalẽ, & templum Domini, quod solũ erat in quo inuocabatur nomen Domini, sed neque tu, neq; Behemoth pater tuus, vel quicunque sunt ex parte eius, efficere poteritis, vt in vacuũ prætereat verbum promissionis quantumcunque affligatis, aut deuoretis fœnum, vel florem fœni, id est, carnales homines, vel carnalium hominum gloriam, quorum aliqui idcirco permittuntur vobis, cùm sint ex Abraham traducti, quia sunt quidem filij carnis, sed non filij promissionis, vndè nec merentur in semine computari.

Daniel. 4.

Fœnum.

Quo sensu verum fuerit, quod Nabuchodonosor dixit, Nónne hæc est Babylon, quam ædificaui.

CAPVT XXVIII.

PVtásne verum dixit Nabuchodonosor, gloriando, Nónne hæc est Babylon quã ego ædificaui? Babylonem namq; (vt Pompeius Trogus refert) Semiramis condidit, murumque vrbi cocto latere circundedit, arena, pice, & bitumine interstrataq; materia. Nunquid ergo verum dixit, tanto iunior Semiramide vxore Nini, in quo Regnũ Assyriorum cœpit? Veruntamen sacra præpollet auctoritas, quòd ante Semiramidem Babylon extitit, & causa quoq; nominis eius antiquissima, sacris est edita literis. Chus inquit, filius Cham, genuit Nemroth, ipse cœpit esse potens in terra. Fuit autem principium regni eius Babylon, de terra illa egressus est Assur & ędificauit Niniuen. Causa nominis, quod est Babylon, extitit illa, q̃ ibi Deus linguam confudit eorum, qui ædificabant, & cessauerunt ędificare ciuitatem. Nam idcirco vocatum est, inquit, nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ. Ergo vir gloriosus, de qualium quolibet illud sapientiæ dictum est, Nubes & ventus & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus & promissa non complens, vir inquam gloriosus, id est, vanus, vento vanitatis plenus atque distentus, quia fortasis Babylonem proprijs opibus atq; impensis auxerat, rem suam, siue opus suum non pari æstimans, aut æstimari volens, magno ore declamauit, responsum cordis alti & erectæ ceruicis. Nónne hęc est Babylon, quam ego ædificaui? ne diceret, quam ego prouexi siue ampliaui: & quid tum ô vir gloriose, si tu Babylonem à fundamentis ædificasses? nunquid vel sic verbum, quod audieras, scilicet interpretationem somnij, facere irritã potuisses? Iustè igitur quia tam iustus quàm omnipotens sermo Dei est, super te sententiæ vox ruit, etiam si aliquo modo consiliũ sancti Prophetæ secutus fueras, dicens, Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis.

Gene. 10.

Gen. 11.

Prou. 25.

Danie. 4.

Daniel. 4.

Danie. 4.

Nabuchodonosor non mentem tantùm, verùm & formam amisisse, cùm fœnum vt bos comederet.

CAP. XXIX.

TAndem de isto dicendum, quia solet quæri, Vtrùm mentem solam & non etiam formam amiserit. Et quidem ipso dicente, Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cęlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi. Sic maiores nostri asserunt, quia quando dicit, sensum sibi redditum, ostendit nõ formam se amisisse, sed mentem. Sed adhuc illud occurrit & repugnare videtur, quod idem postmodum repetens dicit: In ipso tẽpore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni, & figura mea reuersa est ad me, & optimates mei & magistratus mei requisierunt me. Et inter cætera cùm dicit ibidem. Et figura mea reuersa est ad me, profectò datur intelligi, quòd de figura siue status humani recti tudine nonnihil amiserit, & quòd etiam si manuum vel pedum effigies digitorumque discretio siue discreta numerositas permanfit, nihilominùs tamen quadrupes incesserit, præsertim cùm ita dictum vel expressũ sit, fœnum quasi bos comedes. Et fœnum vt bos comedit, qui videlicet bos quadrupes nullis vtitur manibus, quippe cui manus natura non creauit, sed pronus humi fœnum dente demetit, & os per terram trahendo comedit. Sed & illud quod dictum est in sententia. Cùm bestijs atq; feris erit habitatio tua, figuram eius demutatam fuisse (vt iam dictum est) nonnulla ex parte probat, præsertim quia dixit, Et figura mea reuersa est ad me. Et quia bestiæ siue feræ nõ facilè sociarentur illi sinè aliqua sui similitudine. Veruntamen quomodocunque figura eius se habuerit, Hoc in laudem omnipotentis verbi Dei admirandum est, quia regem tam potentem, tanta mutatione demutauit, quanta quempiam hominum fuisse demutatum, sacra nusquam Scriptura meminit, excepta vxore Loth, quæ respiciens, post se, versa est in statuam salis.

Ibidem.

Metamorphosis Nabuchodonosor.

Danie. 4.

Daniel. 4.

FINIS LIBRI SEXTI.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER SEPTIMVS.

Balthasar regem iam tum, cùm manus hominis in pariete scribens appareret, à verbo Dei victum fuisse. CAP. I.

POST effectum verbi Dei victoriosum, quo hominẽ Regem, hominem superbum, Regem elatum fortiter deiecit, potenter humiliauit, Ipsũ quoque regnum debellare superuenit, præmisso suimet vel præsentiæ suæ admirabili signo, Rege Balthasar celebrante conuiuium, iamq; temulento cum optimatibus suis, cum vxoribus & concubinis suis, dum in sacris vasis templi Domini biberent vinum, & laudarent deos suos argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos, in eadem hora apparuerũt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ, & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc regis facies commutata est, & cogitationes eius perturbabant eum, & cõpages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur: Scriptura illa signum fuit verbi Dei iamiam consurgẽtis, iamiam irruẽntis ad debellandam superbiam regni tyrannici, regni Assyriorum atque Chaldæorum, quod à temporibus Nini & coniugis eius Semiramidis per annos fermè mille trecentos iugo aspero presserat collo populorum. Rex illi fortissimi imperij paruula verbi eiusdem signa, pauculos apices iudicij eius, veros iudices, cum nondum intelligere aut quisquam legere posset ferre non potuit, videre nõ sustinuit, sed facie commutata, mẽte perturbata, libidinosi renes eius inter vxores sedentis soluebantur, genua libidinosi inter concubinas bibentis ad inuicem collidebantur, & ita palã factum est, quàm esset infirmus, qui videbatur fortis & imperiosus.

Balthasar conuiuium celebrat.

Danie. 5. Manus scribens in pariete.

Danielem non perturbatum, sed confidenter aspexisse, legisse, & interpretatum fuisse. CAP. II.

AT ille, ad quem & propter quem, vel propter cuius similes veniebat & decertabat Deus, Dei verbum, non expalluit, nõ perturbatus est, sed aduocatus ad legendum postulatus ad interpretandum, astitit familiariter, fidenter intuitus est, legit scienter, sapiẽter interpretatus est, Mane, Tetel, Phares. Mane, numerauit Deus Regnum tuum & compleuit illud. Tetel, appensum est in statera, & inuentum est minus habens. Phares, diuisum est Regnum tuum, & datũ est Mœdis & Persis. Quã breues vocalæ, quan tam longitudinem, quantam latitudinem, quantam altitudinem demonstrauerunt animæ hominis habentis dilectionem verbi Dei, cuius arcanum consilium sublime atq; profundum continebatur tribus vocibus illis, sex syllabis, quatuordecim literis illis. Per hoc, quod scriptum fuerat, mane, quod interpretatur numerus, vidit in latitudine cordis angustam diuturnitatem regni Assyrij siue Babylonij, quia non casu accidisse, sed iusto iudicio Dei, vt gentes tam multas iugo suo premere posset annis (vt iam dictũ est) mille trecentis. Legamus diligenter Scripturam hanc, & sequamur interpretationẽ diuinam, quia contra candelabrum scripta est. Hoc ipsum, quòd contra candelabrum scripta esse narratur, suggerat nobis, vt candelabro appropinquemus, quatenus clarè intuamur. Cãdelabrum nostrum Christus. Lumen nostrum verbum Dei est. Lucerna (inquit Psalmista) pẽdibus meis verbum tuum. & lu.se.me. Vt igitur breuis scripturæ breuem interpretationem copiosiùs consequamur, verbi Dei, quod in sanctis Scripturis habemus, documenta sequamur.

Psal. 118.

Quid sibi velit primum verbum, Mane, id est, numerauit. CAP. III.

MAne, inquit, numerauit Deus regnũ tuum, & compleuit illud. Quando vel quomodo numerauit Deus, quãdo vel quomodo compleuit Deus Regnum illud? Nimirum antequam conderetur Niniue, priusquam ædificaretur Babylon, antequã nasceretur Ninus, priusquam fieret Assur siue Nemroth filius Chus, cuius regni principium fuit Babylon, numerauit Deus regnum illud. Sicut omnia in numero & pondere & mensura posuit, sic & illud regnum numerauit. Quo ergo numerauit? Profectò sciuit causas gentium, propter quas permitteret super eas eleuari baculum impiorum, virgam siue iugum dominantium, scilicet regnum iam dictum, vt cederet populos in indignatione, subijceret in furore, gẽtes per sequeretur crudeliter. Causas inquam sciuit, & secundum causarum quantitatem numerauit atque mensus est tempora siue annos eiusdem regni, vt tantum vel tam diu persequeretur, subijceret, atq; cederet. Venerat baculus ille siue virga illa impiorum dominantium vsq; ad filios, quorum iniquitates & peccata visitari oportebat. Quia dereliquerant legem Domini, quia non ambula

Mane.

Danie. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerant in iudicijs nomini. Iam ergo tempus erat, iam euoluti fuerant anni, numero quẽ præfixerat, & oportebat fieri, quod per Psalmistam prædictum fuerat, Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Igitur compleui illud, inquit, id est, præfixus est transactus annorum siue dierum numerus, & ecce sicut alia Scriptura dicit: Computrescet iugum à facie olei, id est, cessabit potentia, quæ diu superbiuit, superueniente misericordia Dei.

Psal. 124.

Quid velit secundum verbum, Tetel, id est, appẽsum est. CAP. IIII.

Tetel. Danie. 5.

TEtel, appensum est in statera, & inuentum est minùs habens. Ordo rectus, ordo legitimus, vt postquam seruiuit ille malus seruus, de seruitio vel seruitij retributione iudicetur. Postquam completum est regnum, illud recipiat quod meretur. Iudiciũ namq; est inter Deum & Regna, siue Reges regnorum. Ipse qui ordinauit regna, iudicatilla. De qua quæstione putas sit iudiciũ? puta dicere Iudicem Deum, Ego vos excitaui, ego vobis potestatem dedi, vt peccantes mihi populos cæderetis, seruitium vestrum impleuistis, sed minus est in facto vestro, quàm in proposito meo. In meo namque proposito bona est intentio, sed hæc defuit in facto vestro. Ergo inuentum est, inquit Regnum tuum minùs habẽs, quia vos omnes Reges Assyriorum bonam quam ego habui non habuistis intentionem, sed tãtum expleuistis superbiam vestram & crudelitatem. Ego iratus sum, parum vos addidistis in malum. Multum itaque deest in põdere, quia deest totum, quod esset laudabile scilicet omnis intentio iustitiæ, voluntas corripiendi, intentio corrigendi, refrenandi vitia, sanciendi gentibus iura legitima. Sed & in hoc inuentum est longè minùs habens quòd regnum, siue Reges regni illius, non eum, qui dederat illis potentiam glorificauerunt Deum altissimum, aut gratias egerunt, imò veritatem commutauerunt in mendacium & aduersus Deum eleuati sunt & Deos suos illaudabiles laudauerunt. Eleuatum est, inquit Daniel, cor Nabuchodonosor, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam. Tu quoq; filius eius Balthasar nõ humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia quæ super eum venerunt, sed aduersus Dominum dominatorem cæli eleuatus es, & vasa domus eius allata sunt coram te, & tu & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis, deosq; vestros argenteos, & aureos, æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos, qui non vident, neq; audiunt, neque sentiunt, laudastis. Porrò Deum qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti. Igitur quia inuentum est tantò minus habens, iustum iudicium scribentis, iusta est sententia dicẽtis.

Zach. 1. *Zach. 1.* *Daniel. 5.*

Quid velit tertium verbum, Phares, id est, diuisum est. CAPVT V.

PHares, diuisum est Regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Eum in quo ante finitum est regnum illud diuturnum Assyriorum, Pompeius Trogus Sardanapalum memorat, virũ, muliere corruptiorem, eum autem, qui facta coniuratione, bellum Sardanapalo inferens mortuo successit, & ad Medos imperium transtulit, scribit Arbactum fuisse præfectum Medorũ. Miro modo Reges postremi, ille videlicet Sardanapalus, in quo finitum est regnũ Assyriorum, Et iste Balthasar, in quo diuisum est regnum Chaldæorum, sicut compares in superbia, ita consimiles fuere in contumelia. Ille namque vir (vt iam dictum est) muliere corruptior, inter scortorum greges purpuras colo nebat, & cum muliebri habitu, dum mollitia corporis & oculorum lasciuia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partiebatur: quam ob causam facta cõiuratione à suis ad mortem est adactus. Iste inter vxorum & concubinarum turbas nocturnum producens conuiuium, crapulatus & ebrius eadem nocte est interfectus. Iosephus quidem ita narrat. Nõ post multum tempus, & Balthasar captus est, & ipsa ciuitas. Hic autem (sicut scriptum est) eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus, & Darius Medis successit in regnũ. Dũ præmissa narratione de scriptura & interpretatione eius subiungit. Nõ post multum tempus captus est, videtur dicere, q̃ nõ interfectus sit eadẽ nocte. Quòd si historiæ contrariæ sunt (in multis namque discrepat multitudo scriptorũ secularium) huic sinè dubio magis est credendũ, qui præsens interfuit, qui Scripturã legit & interpretatus est, qui inde purpurã & torquem auream circa collũ accepit, qui tertius in regno princeps prædicatus est, & cũ tanto honore, cum tali principatu de regno ad regnũ, de Chaldæis victis translatus est ad victoriã Medorũ atque Persarũ. Fidelis interpres, notũ & insignem portans veritatis triumphũ. Diuisum est, inquit, regnũ tuũ, subauditur, contra te, quia facta coniuratione ab his, quibus imperare debueras, circundatus es obsidione moriturus hac nocte in crapula & ebrietate. Et datum est Medis & Persis, iuxta prædicationem eius, qui ante te laudans & magnificans viuentem in sempiternum, Vię, inquit, eius iustæ, & gradientes in superbia potest humiliare, dominaturq; in regno hominum, & cuicunq; voluerit, dat illud.

Phares. *Sardanapalus.* *Daniel. 5.* *Iosephus.* *Danie. 4.*

Quòd scriptum & dictum tunc est contra vnũ Regnum Babylonis, de omnibus regnis mundi debere intelligi. CAP. VI.

LAtiùs quàm adhuc dictũ sit, patet Scriptura hæc. Mane. Tetel. Phares. Similiter namq; de cæteris regnis sentiendum, de Regno Persarum & Medorum, de Regno Macedonum, siue Græcorũ, de regno Romanorum, videlicet quod singula eorum iam Deus dinumerasset, & singula suis temporibus completurus esset, quòd singula deberet appendere in statera, iudiciumq; dĩ uisionis dare, pro eo quòd ea minus habere inueniret. Verùm etiã adhuc parum est cõfiderare in partibus, quod de toto si prędicetur, plus habet admirationis, & commodi, terroris amplius. Regna illa partes sunt vel fuerunt, totum autem est omne seculum, vniuersitas creaturarum, earum duntaxat, quæ rationales sunt, scilicet Angelorum & hominum, de quibus Domini creatoris est & erit iudicium. Igitur ad summum recurrentes, proponamus mundũ, & mundi Principem diabolum, cuius typum gessit Assur, & in Mœdis atque Persis Aman superbissimus, in Græcis Antiochus, in Romanis Nero, malorum imperatorum imperator pessimus, & in nouissimis diebus reuelabitur nominatus Antichristus. In isto mundi principe, & in toto mundo contemplemur dinumerationem Dei, appensionem in statera Dei, diuisionem iudicij Dei, secundum scripturam hanc. Mane, Tetel, Phares.

Daniel. 5.

Assur Diaboli typus.

Quid significet, Mane, contra Principem huius mundi.

CAPVT VII.

MAne numerauit Deus regnum, quod dicis esse tuum, ô Princeps mundi, Rex tenebrarum, tyranne peccati & mortis, numerauit, inquam, dierum senario, & compleuit illud die septimo. Sex nanq; diebus omnia fecit, lucem, siue lucis & tenebrarum discretionem, firmamentum, aquas ab aquis diuidens, aridam, id est, terram, & aquarum congregationes, quas appellauit maria certis limitib. coercita, solem, lunam & stellas, volucres, & omnia natatilia, homines & iumenta, & cætera quæ mouentur in terra. Ista sex dierum opera die septimo cõpleuit, ipsumque diem septimum benedixit & sanctificauit. Tu in istis regnare contendis, tu ista Regnum tuum esse dicis, tu ista omnia tua, vel tibi tradita esse mentiris.

Dani. 5.

Sex diebus tota mundi machina cõpletur.

Quid significet Tetel, contra eundem Principem mundi.

CAPVT VIII.

TEtel, appensum est in statere, & inuentum est minùs habens, Statera vera, statera iusta, verbum Dei est, Verbum Deus, Dei sapientia, in qua regnum tuum appenditur, dum de te iudicium agitur, quod omnes audiuimus, dicente ipso, cuius in manu statera est, imò qui ipsa statera est. Nũc iudiciũ est mũdi, nũc Princeps huius mũdi eijcietur foras. Quomodo inuentũ est minꝰ habẽs? videlicet quia tu ad diem septimum, quo compleuit Deus omne opus suum, non peruenisti: tu ad Sabbatum, id est, requiem benedictionis & sanctificationis peruenire noluisti: idcirco veraciter iuxta sanctã & mystică Apoc. numerus tuus est sexcenti sexaginta sex. inter Angelos superbiendo laborasti, in decipiẽdo hominẽ circuire terram & perambulare cœpisti, in Antichristo fatigaberis, ita labor tuus augmenta capit, sicut isti in decuplum multiplicantur senarij, sex, sexaginta, sexcenti. Deus autem (vt iam dictum est) in septimo requieuit, Appensum igitur regnum tuum profectò inuentum & inueniendum est minùs habens, quia non peruenit ad Creatoris requiẽ, vacuum & vanum circa creaturam continuans laborem.

Dani. 5. *Ioan. 12.* *1. Pet. 5.*

Quid significet Phares, contra eundẽ, & quid Persæ & Mœdi, quibus diuisum id regnum eius datum sit.

CAPVT IX.

PHares, diuisum est regnum tuum, & datum est sanctis altissimi, quorum typũ tunc in excidio dũtaxat Babylonis gesserũt Persæ & Mœdi, præsertim cũ Cyrus Rex illorũ Prophetica voce Christus quoq; sit appellatus pũi. Hæc (inqt Esaias) dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehẽdi dexterã, vt subijciã ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam. Causam dictionis huiusmodi taliter præmisit. Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnẽ volutatẽ meam cõplebis: qui dico, Hierusalẽ ædificaberis, & templũ fundaberis. Futurum nanq; erat, vt Cyrus licentiã & facultatẽ daret reædificandi Hierusalẽ, & templũ Dñi. Diuisum, inquã, est regnum tuũ, indiuiso permanente regno Sanctorũ, sicut numerus senarius, q tuus numerus est, solubilis est & secabilis: numerus aũt septenarius, qui numerus est Dei, quia die septimo requieuit, insolubilis & insecabilis est. Ita regnũ tuũ solubile est, & sinè dubio solutum est, & tu ipse videntibus cunctis præcipitandus es, regnum autẽ Dei, & sanctorum eius manet in æternum. Præterit enim figura huius mundi, & tu de principatu mũdi, de potestate tenebrarum harum pertransibis, in tartarum rudentibus inferni detraheris, eorum quibus regnum tuum dandum est, quibus reseruatæ sunt illæ, quas in cælo perdidisti, mansiones. Hic vnus est Daniel purpura indutus, auream circa collum torquem de damnato Rege referens. Sicut authoritas verbi Dei purpurã & torquem auream tristi & damnato Rege extorsit, & huic sancto interpreti suo transposuit, sicut omne decus cæli, omne seruitium creaturæ, quod tibi arrogasti, à te extortum, dabitur sanctis Dei hominibus.

Esa. 45. *Esa. 44.*

Hãc manũ apparẽtẽ, signasse manũ Dei, de qua David: Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.

CAPVT X.

TAndem quomodo taliter apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, & quomodo manu dextera solet scribi recordemur. Imò Deum recordatum esse arbitremur, quod cecinerat Dauid, gratulãs, & gratias agens, quòd audire meruisset cum iuramento Domini verbum promissionis.

Psal. 88.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Firmetur manus tua,& exultetur dextera tua. Manum illam Domini, dexteram illam Domini, quam summo desiderio, clamore cordis maximo firmari optauerat & exaltari, signabat manus quæ apparuit visibilis. Fiebat iam in parte, quod faciendum erat in toto per manum Domini, per dexteram omnipotentis Dei, quę non est alia, siue aliud, nisi verbum Dei, Filius Dei. Quid enim fiebat in illam perticularem Babyloniam, nisi quod faciendum erat in vniuersitatem impiorum per promissam & iuratā verbi Dei gratiam? Et quid illud erat, nisi quod continuò sequitur. Iustitia (inquit) & iudicium præparatio sedis tuæ. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui scit iubilationem, Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & cæt. Iam (inquā) fiebat hoc in parte illa, quia videlicet manus Domini in suo proposito manens, firmiter exaltabatur. Iamq; aderant iustitia & iudicium, in præparatione sedis eius. Iustitia in eo, quòd populum suum ciuitate & templo orbatum captiuitate tradiderat. Iudicium in eo, quòd regnū captiuitatis eorum numeratum, & in statera appensum diuidebat, Mœdisque & Persis dabat. Hæc agendo sedes eius præparabatur, & misericordia & veritas præcedebāt faciem eius. Misericordia, vt citò captiuitas illa solueretur: Veritas, vt sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius non auferretur, donec vsque ad perfectum sedes illa præpararetur, donec promissio ad impleretur, donec Christus nasceretur. Beatus populus qui scit istam iubilationē. Beatus Daniel, qui illam legens Scripturam, in lumine vultus tui Domine ambulans, & certam edebat interpretationem, & fidam tenebat in pectore suo manus Domini consolationem.

Manus Domini.

Gen. 49.

De quatuor bestijs, quas Daniel viderat, & quare Deus antiquus dierum appelletur.

CAPVT XI.

NOn exigit huius nostri ratio propositi cunctis vel singulis immorari reuelationum sacramentis, ex quibus ille beatus consolatus iocundabatur in medio tribulationis, in afflictione captiuitatis. Vnum est, quod intactum mens prēterire non patitur, dulcissimum sacramentum pulcherrimæ visionis, quam viderat, priusquam decidisset bestialis ferocitas Babylonis, priusquam apparuissent digiti, siue manus hominis scribentis in superficie parietis causam siue sententiam mox venturi super illam iudicij Dei. Siquidem anno primo Balthasar Regis Babylonis, videbam (inquit) in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabāt in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se, &c. Delectat hic aliquantisper immorari, quia pulchrum est considerare ferocitatem tyrannicam Regnorum seculi in bestijs ferocissimis: & & econtrà dignitatem, mansuetudinem, & pietatem regni Dei, in habitu antiqui dierum, super thronum sedentis, & in percussu filij hominis venientis in nubib. cæli, & vsque ad antiquum dierum peruenientis, & in conspectu eius oblati, qui & dedit ei potestatem, & honorem. & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas (inquit Daniel) eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrūpetur. Primùm libet quærere, cur Deus, vel qua intentione sic nominetur antiquus dierum, quod nusquam inueniebamus ante hunc delectabilem generosæ Prophetiæ locum. Sensum quidem in omnibus Scripturis sanctis habemus, q̄ iste Deus Pater æterni verbi, neus sit antiquus, vtpotè Deus increatus, neque initium habens, neque finem habiturus. Quod & ipsum de verbo eius neo, fideliter sentimus. Veruntamen (vt iam dictū est) nomen hoc antiquus dierū, hic primitus inuenimus positum. Causam ergo nō ociosè quærimus.

Dani. 7.

Quatuor Regna, nō ex Deo regnasse CAP. XII.

REspice nunc facies bestiarū, de mari ascendentiū, quarū propter sæuitiam dicit sedisse iudiciu. Mæ (inquit bestiæ magnæ quatuor, quatuor regna consurgent de terra. Porrò ipse, cuius iudiciū est, dicit: Regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & nō cognoui. Verè nó in ipso regnauerūt, imò regna, quæ dicta sunt, non tam regna, q̄ quædam maxima & publica latrocinia fuerunt. Primū istorum, q̄ fuit regnum Assyriorū atq; Chaldæorū, quale habuit initiū, ante Ninum Regem Assyriorum, & si fuerunt Reges antiquiores, qui bella gererent, nequaquam tamen imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant, contentique victoria, imperio abstinebant. Ille primus omnium Veterem, & quasi habitum gentilib. morem, noua imperij cupiditate mutauit, & quæsitæ dominationis magnitudinem, continua possessione firmauit. Verè ergo regnauerunt (inquit) & non ex me: & quid attinet ad eos, in mundo regnare, regnante illo, qui solus regnare debet, mundi Creatore? Vt igitur cognoscamus, & abhorrescamus nimiam in genere humano præsumptionis in iuriam, cōuenienter hic antiquum dierum nominauit eum, cui regnando facta esse constat iniuriā. Ipse nanq; qui fecit, idem debuit disponere mundū, nec principari quisquam debuisset, nisi secundū eius arbitriū. Si inordinatio est & irreuerentia, corā cano capite nō consurgere, quantæ inordinationis, quātæ irreuerentiæ est, regnum tam cani capitis, tàm antiqui dierū, rapto nomine regio, lacerasse? Siquidem inter homines iuuenes ac senes, facilis est ætatum comparatio. Dierum autem illius antiqui, & dierum hominum, qui nomen eus regiū rapuerunt, nulla omninò est, aut esse potest comparatio?

Dani. 7.

Oseæ 8.

Regna.

Antiquus dierum.

Quis

Quis enim dicere aut cogitare potest, quantò diuturnitas siue antiquitas increati prolixior sit temporibus, annis, siue diebus hominum hesternorum, qui quasi heri creati fuēre vel nati? Quando illarum antiquissima bestiarum de mari ascendit, quando Regnum Assyriorum de terra consurrexerit, iam tunc iste antiquus dierum cum Abraham loquebatur, & tam antiquus erat, vt nunc est.

Summam rerum omnium & Regnum ad Deum pertinere, sed quatuor bestias quantum quæq; potuit, ad se rapuisse.

CAPVT XIII.

LOquebatur, & maturam, suoque cano capiti dignam tractabat sententiam, quòd nullialij rerum omnium summam Regnique sui contraderet monarchiam, nisi Filio suo, Verbo suo, vt per quem omnia facta sunt, regerentur omnia per ipsum. Hoc erat sapientis antiqui decretum, hoc erat immutabile antiquitatis infinitæ consilium. At illę bestiæ recteens, & nuper natę, quæ nascendo nihil intulerunt in hunc mūdum, contra decretum hoc salire, contra cō silium hoc resultare præsumpserunt, & tantū Senē non reueritę, quas vel quātulas potuerunt, regni eius, mundi huius diripuerunt partes, homines regnum super homines inuadentes, cùm ante oculos illius sapientis domini, non magis homo hominem natura posset præcedere, vel præcellere, quàm mus murem. Fuerunt quidem apud hominem illæ bestiæ grandes, prima quasi leæna, alia similis vrso, alia quasi pardus, & quarta multum terribilis. Veruntamen in consideratione maiestatis illius Antiqui, vix mures mererentur dici: vix erucæ, locustæ, brucho, & rubigini merentur assimilari, quia nullius sunt momenti. Bestias illas interficere, & corpora eorum dare perditioni, siue tradere ad comburendum igni multo facilius fuit, & est verbo Dei, quàm ipsis bestijs, stare contra erucam, vel saltum locustæ consequi, nisi quia peccata gentium merebantur, vt permittente Deo, laceraren tur à bestijs. Quis enim alius bestias illas tandem interfecit, nisi Verbum Dei? Omnipotens sermo tuus Domine, ait quidam sapiens, exiliens de cælo à regalibus sedibus durus debellator, in mediam exterminij terram prosiliuit gladius acutus, insimulatum imperium tuum portans, & stans in terra repleuit omnia morte, vsque ad cælum attingebat, stans in terra.

Solus Christus Rex est

Sap. 18.

Solius Verbi Dei verum esse imperium, humana omnia simulata. CAPVT XIIII.

SInè dubio qui in terra Aegypti tantam fecit plagam (cuius ille verbis istis meminit) ipse idem omnipotens sermo tuus Domine istis bestialibus regnis, & omnia quæ voluit, & hæc maximè fecit, vt Nabuchodonosor fieret quasi bos, vt Aman appenderetur in patibulo, vt Antiochus sinè manu contereretur, vt Nero, quia vixerat turpiter, moreretur turpiùs. De isto omnipotēte sermone Domini, nequaquam nunc prætereribit, quod inter cætera dictum est, insimulatum imperium tuum portans. Et quid est insimulatum imperium, nisi imperium non simulatum? Et quid est non simulatum imperium, nisi imperium verum? Quod cùm dicitur, vel intelligitur, nónne econtrà hominum imperia simulata esse perhibentur? Verè simulata & non vera, imperia bestiarum, imperia hominum bestialium, qui ad tempus occidendi vt bestiæ potestatem habuerunt, ad vitam autem nec sibi, nec alijs prodesse potuerunt. Iste omnipotens sermo insimulatum portat imperium, verum tenet regnum, cuius regnum & imperium sinè fine permanet in secula seculorum. Et iam quidem tale imperium portabat, sed nondum apparuerat, apparuit fastus illius hominis, & quod habebat in forma Dei insimulatū imperium, accepit in forma serui secundum pulcherrimum spectaculum tantæ illius visionis. Et ecce in nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & vsq; ad Antiquū dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnū, & omnes populi tribus & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna quæ nō auferetur, & Regnum eius quod non corrumpetur. Nunc ad ordinem reuertamur.

Hominum imperia simulata.

Dani. 7.

Regnum Mœdorum & Persarum quartum caput Draconis fuisse. CAPVT XV.

TErtio Draconis capite superato, quartum sese protinus erexit, dum eliso Regno Babylonico regnoq; Persarum & Mœdorū subleuato, protinus idē Diabolus cœpit vti contra propositū Dei contra verbū promissionis. Exterminari cupiens populum cuius de carne impleri oportebat, quod deus patrib. promisit, quod promissum iuramento firmauit. In isto capite facies erat vrsi, & tres dentium ordines in ore eius, quę intelligūtur tria regna vnius imperij, regnū Babyloniorum, regnū Mœdorū, & regnū Persarum, quæ in vnū redacta sunt regnum siue imperiū. Et quidem reges illius imperij proposito suo nō inclemētes fuere populo Dei, sed per eos qui sub regibus fuere principes, maximèq; per Aman, sicut historia libri Hester memorat, hoc agere voluit Diabolus, vt populus ille omninò exterminare tur. Hoc in antedicta visione Danielis in eo præsignatum est, quòd cùm dixisset, & ecce bestia alia similis vrso in parte stetit, & tres ordines erāt in ore eius, & in dentibus eius, protinus subiunxit, Et dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas.

Quartum Draconis regnum.

Dani. 7.

Satrapas Mœdorum & Persarum Danieli foueam, in quam ipsi inciderent, fodisse.

CAPVT XVI.

Sugge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVggestum nanque fuit Regibus, primũ Dario, vt perderet Danielem, deinde Assuero, qui & Artaxerxes dictus est, secundus huius nominis Rex, vt deleret vniuersam Iudæorum gentem, inuidentes Satrapę Danieli, quòd esset vnus ex tribus Principibus constitutis à Dario, vt Satrapæ illis redderet rationem, & quòd Daniel superaret omnes Principes & Satrapas, quia spiritus Dei amplior erat in eo, quodq; Rex cogitaret constituere eum super omne regnum, ad hoc perduxerunt Regem, communicato consilio cum principibus regni & magistratibus, senioribusque & Iudicibus, quatenus decretum imperatorium exiret & edictum, vt omnis qui petisset aliquam petitionem à quocunque Deo & homine vsq; ad dies triginta, nisi à Rege, mitteretur in lacum leonum. Certissimè autem futurum sciebant, vt Daniel sciens constitutam Legem, nihilominùs peteret à Deo suo, oraret & adoraret Deum suum, atque hoc modo incideret in iudicium illius magnæ, fortissimæ, &(vt putabant) prouidæ Legis atque inuitabilis decreti. Et ita factum est, veruntamen non inquantum volebant. Ingressus nanque Daniel domum suam fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat, videlicet tenax propositi sancti, secundum illam sententiam Dauidicam. Vespere & mane & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Nec verò illud ignorabat, quid esset, vel quàm verum esset. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Hoc illi nesciebant, sed scire habebant, quòd Deus Danielis ipse esset, qui Deus trium puerorum sociorum eius, Sidrach, Misach, & Abdenago, & quòd non minus posset pro Daniele leonibus imperare, quã potuit illis flammas igniũ mitigare.

Dani. 9.

Dani. 6.

Psal. 54.

De oratione Danielis cõtra Hierusalẽ, propter quã accusatus, & cùm Rex liberare non posset, in lacum leonum proiectus fuit. CAPVT XVII.

OStultam Diaboli inuidiam, ô inuidiã Draconis antiqui stultam, qui natum sibi quartum caput iniquitatis, scilicet potestatem Mœdici vel Persici regni, tam citò ad hanc partem leuabat, & intendebat, vt Daniel non inuocaret deum suum, aut obliuisceretur verbum Dei sui, quod mente gestabat. Nunquid mulier in vtero habens obliuisci potest doloris sui, & non clamare dum cruciatur & parturit? Sic nimirũ beata anima Prophetæ sanctissimi, quæ intra se conceptum gestabat verbum bonum beatæ promissionis, tacere non poterat. Et occupata in expectatione salutis, principum in perditionem currentium Leges non curabat, consilia non admittebat. Illuc vbi promissio iurata fuerat, animo intendebat in Hierusalẽ, mẽte prẽsens adorat, vnde corpore absens exulabat, vbi iuramentum accepit fidelis Dauid, vnde exire oportebat verbum vel effectum promissionis, quia de Siõ exiuit Lex, aiebat spiritus Propheticus, & verbum Domini de Hierusalem. Propterea fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusalem vir desideriorum genua flectebat, interdum lugens, & panem desiderabilem non comedens, multisque modis semet ipsum affligens, vt totis viribus adhibitis, validam vsque in cælum subleuaret orationem, indeque opportunam sibi attraheret consolationem. Exploratus est, accusatus in iudicium venit, tanquam præuaricator magnæ Legis, tanquam reus læsæ maiestatis. O verè beata anima, cùm te nec Rex ipse liberare posset, ponens cor vt te liberaret, & vsque ad occasum solis laborans, vt te erueret, tunc quidem tristitiam habebas, ibi dolores vt parturientis. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, ait ipsum verbum incarnatũ, cuius in obsequiũ tu tam vehementer doluisti, quod verbum benè consciũm est doloris eiusmodi in animabus sanctis, præsertim quia ipsum in eis est, & dolorum causa illis est.

Orationi quo exaudiatur necessarium.

1. Ioan. 15.

Danielem in martyrio Verbi Dei, tribus pueris non fuisse inferiorem. CAPVT XVIII.

ERgo, martyr Verbi Dei, nihil minùs à sanctis socijs tuis tribus pueris habuisti. Fortè (ô vir desideriorum) vbi vidisti. Ecce ego video viros quatuor solutos & ambulãtes in medio ignis, & nihil in eis corruptionis est, & species quarti similis est Filio Dei. Vbi (inquã) hæc audisti? Vbi tres socios triũphantes ad gloriã Dei de fornace ignis procedẽtes aspexisti, & propter hoc laudes & benedictiones Deo tuo declamatas audisti, fortè suspirasti, fortè ingemuisti, cp tuę felicitate tantũ deesset, vt passiones eorum, & gloriæ non meruisses cõsors vel particeps fieri. Nõ fuisti neglectus, nõ fuisti Filio Dei, cuius species illic recognita est, vilis aut contemptus. Nã ecce solus absq; socijs tuis, solus cũ Angelo eiusdem gratiæ saluus & incolumis inter ora leonũ nocte integra perseuerasti. Deus tuus misit Angelũ suum, & cõclusit ora leonũ, & nõ nocuerunt tibi, quia coram eo iustitia inuenta est in te, sed & corã hominib. delictum non fecisti. Habeto igitur & tu titulos triũphi, tuæ fidei vexillo inscriptos, socijs tuis non inferior. Habeto titulos tuis meritis exactos, regia voce declamatos. Pauescãt (inqt) & tremiscant oẽs in vniuerso imperio Deũ Danielis. Ipse est enim Deus viuus & æternus in secula, & regnũ eius nõ dissipabitur, & potestas eius vsque in ęternũ: ipse liberator & Saluator, faciens signa & mirabilia in cęlo & in terra, quia liberauit Danielem de lacu leonum.

Dani. 4.

Dani. 6.

Cõpleto captiuitatis annoru numero, nõ ꝓphetas tã tũ, verũetiã super ædificatiõe Hierusalẽ latos fuisse.

CAPVT

CAPVT XIX.

Daniel 9. INterea completus erat numerus annorũ, de quo factus est (inquit) sermo Domini ad Hier. Prophetam, vt cõplerentur desolationes Hierusalem septuaginta anni. Et posui faciẽ meam ad dnm Deum meũ rogare & deprecari ieiunijs, sacco, & cinere, & cæt.

Zach. 1. Tunc & Zacha. qui & in ordine XII. Prophetarum vndecimus est, respondisse narrat Angelũ Domini, & dixisse, pomine exercituũ vsquequo nõ misereberis Hierusalem, & vrbiũ Iuda, quib. iratus es, iste septuagesimus annus est, Et respondit (inquit) dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba cõsolatoria, Mirũ quomodo non solũ homines filij captiuitatis, verũ etiam Angeli sancti, ciues alterius seculi de reædificatione Hierusalẽ, q; iam instaret, oppido lætabantur, Danielẽ cõsolabãtur Angeli summi, inter Deum & Zach. discurrebant Angeli sancti gaudentes, & apparati veluti magni apparatus & magnæ festiuitatis cõministri. Et leuaui (inquit) oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum, & dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me, Vt metiar Hierusalẽ & Iudæam, quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius Angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eũ: Curre & loquere ad puerum istum, dicens: Absq; muro habitabitur Hierusalẽ præ multitudine

Zach. 2. hominũ & iumentorũ in medio eius. Quid sibi vult Angelorum tanta concursio, tam vehemens demandatio? In ædificatione terrenæ ciuitatis & templi, iam etiã opifices volunt videri, sesęq; certatim ingerũt Angeli. Nunquid hoc tam magnũ studium suũ ciuitati ædificandæ adhibent propter ciuitatem ipsam? Nõ vtiq; propter ciuitatẽ ipsam, sed propter spem quondã in sinu Dauid reposi

Ibidem. tam, & de illius ciuitatis gente, templiq; illius religione gratulãtur nõ excidisse verbũ Domini, non defecisse verbũ promissionis, mox reuersura virgine Israel in ciuitates suas, vbi Saluatorẽ dnm generare deberet.

Danieli non solùm reædificationẽ templi, verumetiã omnium regnorum futuros euentus, reuelata fuisse.

CAPVT XX.

NEc verò solũmodo reædificationẽ ciuitatis & templi, & inhabitationem multitudinis spaciosam, visiones diuinæ, & collocutiones Angelicę pollicebtãur, verũ etiam Gentiũ aduersantium labores & miserias in vindictam superuẽturas præloquebantur. Clama, inquit Angelus ad Zachariam, Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Hierusalẽ & Syon cælo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulẽtas. Quas dicit gentes opulentas, gentes intelligimus regnorum sæpe dictorum, quæ Iudæam obtrierunt. Et quã ob causam ira fcatur super illas gentes ira magna, statim in dicat, Quia iratus sum parũm, ipsi verò addiderunt in malum. Et est sensus, Ego intendi visitare in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, quæ parua ira est. Ipsi autem iram suam & odium suũ superaddiderunt, intendendo vt eos penitus deleret, cùm ego non gentis internitionem intenderem, sed correctionem. Porrò ad Danielem sic Angeli loquebantur, tales illi visiones ostẽdebãtur, vt futura regnorũ eorũdẽ secreta, quod valdè mirũ est, taliter illi plublicarentur, qualiter nulli Prophetarum publicata siue prænunciata vsquam apparet ex dictis seu scriptis eorum. Nam & regnorum status & Regum, hinc felices aliquando euentus, hinc infelices quorundam interitus, ita per Angelos didicit & cõscripsit, vt de futuris historiam texuisse non dubitetur, excepto quòd reges ipsos proprijs non expresit nominibus.

Psal. 88.

Domum Dei, quam Cyrus ædificandam decreuerat, à Dario vincente ita Verbo Dei, tandem ædificatam fuisse.

CAPVT XXI.

CVius tandem ille, nisi Domini sermo erat, de quo dictum est illi. Ab exitu sermonis vt ædificetur ciuitas? Qualis fuit ille exitus sermonis, aut vnde exiuit? Suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, & traduxit vocem in vniuerso regno suo, etiam per Scripturam, dicens, Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terrarum dedit mihi Deus Dominus cæli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Hierusalem, quę est in Iudæa, & cætera. Iste sermo Regis, sermo erat Domini, qui sicut eundem Cyrum apud Esaiam Christum suum appellare curauit, ita & sermonem suum in ore eius ponere voluit. Verùm postmodum eodem Cyro decedente, vicinæ gentes siue hostes Iudæ & Beniamin audientes, quia filij captiuitatis ædificarent ciuitatem, & templum Domino Deo Israel, scripserunt accusationem aduersus Artaxerxen dicentes, Notum sit Regi, quia Iudæi, qui ascenderũt à te ad nos, venerunt in Hierusalem ciuitatem rebellẽ & pessimã, quam ædificant extruentes muros eius, & parietes componentes. Sic inchoando, & accusando habitatores Iudæ & Hierusalem, hoc effecerũt, vt mitteret Rex & prohiberet ædificari ciuitatem. Tunc intermissum est opus domus Domini in Hierusalem, & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij Regis Persarũ. Prophetauerunt aũt Aggæus Propheta & Zacharias ad Iudæos, qui erant in Iudæa & Hierusalem. Et tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedech, & cœperunt ędificare templum Dei, & cũ eis Prophetę Dei, adiuuantes eos. Scisitatibus Aduersarijs, & dicentibus: Quis dedit vobis consilium, vt muros hos instauraretis, & domum

Christus.

1. Esdr. 4.

1. Esdr. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& domum hanc ædificaretis? Respondentes inter cætera dixerunt. Anno autem primo Cyri Regis Babylonis, Cyrus rex proposuit edictum, vt domus Dei ædificaretur. Miserũt itaq; epistolam ad regem Darium, iam dicti hostes Iudæorum, dicentes post cætera, Nunc ergo, si videtur Regi bonum, recenseat in Bibliotheca regis, quæ est in Babylone, vtrùm nam Cyro regeiussum fuerit, vt ædificaretur domus Dei in Hierusalem & voluntatem Regis super hac re mittat ad nos. Tunc Darius Rex præcepit & recensuerunt in Bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone, & inuentum est volumen vnum, talisq́ue scriptus erat in eo Commentarius. Anno primo Cyri regis, Cyrus Rex decreuit, vt domus Dei, quæ est in Hierusalem ædificaretur, &c. Quibus perlectis, Nunc ergo (inquit Darius) qui estis trans flumen, procul recedite ab illis, & dimittite fieri templum Dei à Duce Iudæorum, & à senioribus eorum, ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo. *Tempus, quod ab exitu sermonis, vsque ad completionem operis intercesserit, non modò coram Deo breue, verumetiam hominibus vtile fuisse.*

1. Esdr. 6.

CAPVT XXII.

TAlis fuit exitus sermonis, vtique hominibus vel seruis Dei prolixus & difficilis. Siquidem à Cyri regis imperio, cuius vt viuentis voluntas, ita & mortui scripta sermonis Domini famulata est authoritas, vsque ad Neemiam, & vicesimum annum regis Artaxerxis mãsit opus imperfectum, quo tempore regnum Persarum centum & quindecim anni fuerant euoluti, Captiuitatis autem Hierusalem centesimus octogesimus quintus annus erat. Veruntamen captiutatis eiusdem rectè prædicantur vel numerantur duntaxat anni septuaginta, quia videlicet tunc rectè soluta esse dicitur, non quando consummatum est opus, quòd intermissum fuerat, sed quando prima licentia data est, prædicante Cyro. Quis est in vobis de vniuerso populo Dei cæli, sit Deus illius cum ipso, Ascendat Hierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Dei Israel, ipse est Deus, qui est in Hierusalem. Quando hæc dixit, simul protulit vasa Domini, quæ tulit Nabuchodonosor de Hierusalẽ, & dedit his, quorum Deus suscitauit spiritum, vt ascenderent ad ædificãdum templũ Dñi. Tunc verè soluta est captiuitas populi, quia tunc ascendit, quicunque relictis Babyloniæ delitijs ascendere voluit. Porrò, quòd taliter exeunti sermoni ad reædificandam Hierusalem, & templum Domini, moras fecerunt Aduersarij. Apud ipsum sermonem Domini nullius est momenti, quippe cuius ante oculos mille anni, tanquam dies hesterna q̃ præterijt, & custodia in nocte, id est, vna de quatuor vigilijs noctis. Quantò magis paulò plus, quàm centum anni, quibus intermissum fuit opus domus Domini impedientibus Aduersarijs, parui, imò nullius ante oculos eius, potuerunt esse momenti. Igitur ipsi quidem sermoni vel proposito domini mora illa pro nihilo fuit, quippe quę pro nihilo habentur eorum (inquit) anni erunt, id est, in terra reputabuntur, subauditur ante oculos suos. Ipsis autem filijs captiuitatis, annos illos & moras intermissi operis nimis ægre ferentibus, & fideliter coram Domino ingemiscentibus auctum est meritũ fidei, creuit corona spei, multiplicata sunt præmia dilectionis, quia laborauerunt ipsi, vt nos in labores eorum introiremus, vnde & pijs eorum studijs grates agere debemus, quia quod seminauerunt in lachrymis, nos in gaudio metemus. *Vnde Cyro homini gentili tanta circa Deum cæli, & circa captiuum eius populum beneuolentia prouenerit.*

Psal. 89.

CAPVT XXIII.

VNde putas illi Cyro homini gentili tanta circa Deum cæli, & circa captiuum eius populum beneuolentia prouenit? Vnde hoc, nisi quia scriptum & veraciter dictum est, cor Regis in manu Dei? Reuera quod effecit de corde eius omnipotens sermo Dñi, idipsum potuisset efficere de corde cuiusquam alterius regis, non minùs de corde Nabuchodonosor, ne populum captiuum duceret, qui fecit de corde huius, ne populum captiuum retineret. Delectat nũc videre modũ ipsũ, quo beneuolentiam cordis captare dignata est manus Domini, lõgè antequam nasceretur hic Cyrus, antequam fierent patres patrum eius, memoriam eius in cõsilijs suis habere, & beneficia sua illi promittere dignatũ est ipsum q̃ fiebat ad Prophetas verbum Dñi. Scriptũ quippe fuerat in Esa. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudantur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, & portas æreas conteram, & ferreos vectes confringam, & dabo tibi thesauros abscõditos, & arcana secretorum, vt sciàs, quia ego Dominus, qui voco nomen tuũ Sanctus Israel. Nunquid Cyrus talẽ ac tantã de semetipso Prophetiã non audierat? Nunquid dubium esse potest de captiuis illis, quin istã Scripturam Domini, istas promissiones Dei sui ad notitiam eius perferre properauerint, cùm sperare possent vaticinium hoc magni sibi apud illum regem factum occasionem fore solatij? Accesit ipsa manus Domini, in qua est cor regis, & hoc effecit, vt tali verbo tantoq́; Dei promisso nõ ingratus existeret, sed diceret vocẽ transducens in vniuerso regno suo, vocẽ etiam per Scripturã. i. vocem scriptã. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, subauditur, qui mihi longè an-

Esa vlt.

1. Esdr. 1.

Esaiæ 45. longè antequã nascerer ea daturum se promisit, & meum quoque nomen vocauit, cõtinuò subiunxit. Et ipse præcepit mihi, vt ędificarem ei domum in Hierusalem, quę est in Iudæa, ac si diceret, Ob hanc causam dedit mihi omnia regna, vt populum eius, penes quem scripta est illa de me prophetia, liberum dimittam ad ædificandam domum in Hierusalem, quæ est in Iudæa. Siquidem Deus idem vbi dixit: Qui voco nomen tuũ, statim subiunxit, propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum. Igitur ob hoc mihi omnia regna dedit, vt in populo ipsius gratiam rependam illi, reddendo illum libertati.

Cyrum ita Regem factum, vt diuinam circa se prouidentiam agnoscere potuerit.

CAPVT XXIIII.

ET reuera sensatus homo iam dictam legens vel audiens Prophetiam, suamque recolens infantiam, animaduertere vel perpendere poterat, quòd non casu, sed per diuinam prouidentiam euenisset, vt ipse regnaret. Siquidem de hoc scribit Pompeius Trogus, quod natus infans de filia Astragis, per aui inuidiam datus est occidendus, somnium verentis, quo præmonstrato, Regnũ infantulo futurum arioli auspicabantur. Is verò cui necandus infans traditus est, veritus ne infantis necati vltionem mater eius quandoq; in ipsum exigeret, pastori regij pecoris puerum exponendum tradidit, fortè eodem tempore & ipsi pastori natus erat filius. Eius igitur vxor audita regij infantis expositione, puerum proferri sibiq́; ostẽdi summis rogat precibus, cuius precibus fatigatus pastor, reuersus in syluam, inuenit iuxta infantem caniculam paruulo vbera prębentem, & à feris alitibusque defendentem. Motus & ipse misericordia, qua motam etiam canem viderat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxiè prosequente. Quem vbi in manu mulier accepit, tantus vigor & dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit, vt pastorem vltrò rogaret, vt permitteret sibi puerum nutrire, permutata sorte paruulorũ, vt hic pro filio pastoris educaretur, ille pro nepote regis exponeretur. Puer deinde cum inter pastores esset, Cyri nomẽ accepit. Interiecto tempore cùm adoleuisset, per Harpagum aui amicum didicit, quomodo paruulũ illũ occidi auus iusserit, quo modo seruatus sit. Hortatur vt exercitum paret, & pronam ad regnum viam ingrediatur, Mœdorum translationẽ pollicetur, factumque est vt Cyrus Mœdorum & Persarum fieret Rex. Si vera est eiusmodi historia, nimirum sciẽter dicere poterat. Omnia Regna terrę dedit mihi Dominꝰ Deus cęli, præsertim præeũte prophetia eiusmodi, qua magnus & potens Rex ab eodem Domino Deo præsignatus & ex nomine vocatus est. *An libertas captiuis à Cyro donata Iudæis, eidem ad æternam salutem assequendam prouenire potuerit.*

Pompeius Trogus.

1. Esdr. 1.

CAPVT XXV.

PVtas ne talis gratiæ repensio sufficiens ad æternam salutem esse potuit eidem Cyro? Reponsionem gratiæ dicimus hãc esse, quia sciens siue animaduertẽs sibi regnũ eueniſſe illo disponente Deo, cuius templũ fuerat in Hierusalem, non omninò ingratus extitit, sed & ipse (inquit) Deus, qui est in Hierusalem, & edictum proposuit in vniuerso Regno suo, vt ascenderent filij captiuitatis, & templum & ciuitatem reædificãdi licentiam haberent. Hanc ergo quasi beneficij vicissitudinem putas illi sufficientem fuisse ad æternam salutem? Nequaquam sufficiẽtem. Nec enim animaduerti potest, qđ eandem, scilicet æternam salutem, sperauerit vel quæsierit, fuerit quidem alicuius momenti præ cæteris regibus, qui creatori per iustam dispositionem, regna illis danti omninò sunt vel fuerunt ingrati. Veruntamen non valdè magnũ est, grates agere pro præsentibus beneficijs, dum negligenter aut sinè cura caret æternis. Licet eum reputare cũ eiusmodi, de qualibus Psalmista dicit, Quia anima eius in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. Deniq; cùm dicit, Quia anima eius in vita ipsius benedicetur, subaudiendum est, & illa benedictione contentus erit, de futuro non curans, dũmodò in præsenti seculo dum viuit anima eius. i. sensualitas eius exaltetur siue prosperetur, quæ nimirum illa benedictio est, qua contentus fuit Esau. Non, inquã, valdè magnum est, tunc Deo confiteri, cùm in hac parte Deus benefecerit illi, nisi etiam confiteatur cùm aliquid aduersi contigerit. Veri cõfessores tunc instantiùs confitentur, quãdo aduersis fatigantur. Verbi gratia, vt Daniel & socij eius, qui tunc ad confitendum domino sese ampliùs extenderunt, quando captiuitatis aduersitatem subierunt. Tantum quippe studium sanctæ cõfessionis aggressi sunt, vt proponerent laudabilem & paucis imitabilẽ iugiter tenere ciborum ac potus parsimoniam, quatenus sobrietatis pulchritudo confessionem Deo magis redderet acceptabilem.

Gratiæ repensio.

Veri confessores.

Quæ vera confessio sit, & quid eidem Cyro de vera confessione defuerit.

Psalm. 48.

CAPVT XXVI.

SEd nec illud facilè concedendum est, quod illa gratulatio confitentis Deo, cũ Deus benefecerit ei, sit confessio, imò dicatur, vt est, adulatio. Quid. n. est confessio, de qua Psalmista loquitur: Cõfessio & pulchritudo in conspectu eius. Et de qua idem dicit: Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis, confitemini illi? Nimirum laus est integra, laus deuota, laus ordinata. Quo vel quali ordine, nisi vt homo in principio accuset seipsum. Deinde iustificet Deum? Iustus namque in principio accusator

Cõfessio vera et falsa.

Psalm. 94.

Psalm. 99.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est sui, qua accusatione præeunte dum Deũ iustificat, Verbi gratia, dicendo: Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in
Prouer.18. omnibus operibus suis. Nimirum confessio
Psalm.94. nem, id est, laudem perficit. Non longè ex-
Danie.9. empla petantur, Daniel ipse dierum illorũ exul siue captiuus eo modo confitetur. Obsecro, inquit, Domine Deus magne & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Peccauimus, iniquè fecimus, impiè egimus, & recessimus & declinauimus à mandatis tuis & iudicijs. Nobis confusio faciei, Regibus & Principibus nostris & patribus nostris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio, & cæt. Iste legitimus est ordo confessionis, quemque in principio accusare seipsum, deinde iustificare Deum, & ab ipso quærere remissionem peccatorum. At illi homines seculi, qualium hic vnus extitit, nunquid ad eiusmodi confessionem descendere dignati
Psalm.28. sunt? imò dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Omnes superbi & circa animæ causam prorsus indomiti, aut ipsi pro dijs haberi voluerunt, aut talibus serui Dijs, quorum non est dare consilium de cura animarum, de solicitudine gerenda pro peccato, quæ mors est animarum. Igitur talium fortuita laudatio, non tam salubris cõfessio, quàm sterilis dicenda est adulatio.

Maiorem laudando Dei occasionem esse, non modò in templi Hierosolymitani, verumetiam totius generis humani reparatione quàm conseruatione.

CAPVT XXVII.

PRoinde de ore illorum rapiat laudẽ laudator fidelis & diligens, dicatque magis scienter, quàm iste dixerit, ipse est Deus, q̃ est in Hierusalem. Cum pro multis, imò p̃ innumerabilibus quæ fecit mirabilibus, tũ & pro causa ista dicamus, Ipse est Deus qui est in Hierusalem, quia mirabile hoc egit, vt prædam quam leæna tulerat, vrsus domum reportaret, id est, vt captiuos, quos Nabuchodonosor Rex Babylonis de Hierusalẽ abduxerat, & vasa Domini, quæ asportauerat, phialas aureas & argenteas, cyphos aureos & argenteos. Et vasa alia, vasa aurea & argentea quinque millia quadraginta, vniuersa hæc redderet hic Persarum & Mœdorum Rex, & remitteret in Hierusalem. Nunquid minus gloriæ, minus virtutis Dei per hoc factum illuxit, quàm si custoditum fuisset cælitùs templum, vt non spoliaretur siue incenderetur à Babylonijs? imò plus habet honoris, & pius experimenti ad cognoscendam potentiam atq; prouidentiam verbi Dei. Sicut plus habet admirationis, mortuum restaurasse hominem, quàm custodisse ne perimeretur, ita plus habet miraculi taliter reparasse statum gẽtis & loci, quàm defendisse vt non destitueretur. Sic nimirum de vniuersa constat electione generis humani, de omnibus sanctis siue electis, præscitis atque prædestinatis ad conformitatem imaginis Filij Dei, quia maiore gloria Dei, glorioſiore triumpho verbi Dei nunc suscitantur à morte animæ & corporis, & redeunt in illam cælestem Hierusalem, ciuitatem Dei viuẽtis, quã si nunquã captiui inde fuissent adducti, si nunquam fuissent mortui, si nunquam mors introisset in hunc mundum inuidia Diaboli.

Quomodo id, quod de Cyro dictum est, Assimilaui te, & non cognouisti me, tm elligendum sit.

CAPVT XXVIII.

NVnquid hoc ipsum ignorauit aut præteriuit verbum Dei, quòd futura esset imperfecta laus (vt diximus) in ore vel opere Cyri? Deniquevbi tale de illo deprompsit oraculum. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, &c. Tandem ita concluſit, Assimulaui te, & nõ
Esaiæ 45. cognouisti me, ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus, accinxi te & non cognouisti me? Nunquid nulla aut parua exprobratio est, cùm dicit, Et non cognouisti me? Et quomodo non cognouit cùm dixerit, Ipse est DEVS qui est in Hierusalem? Verè non cognouit, quamuis ita confessus fuerit. Multum in illa confessione siue cognitione defuit, quia quod ibi loquitur, ipse qui accinxit eum Deus, ego Dominus & non est amplius, extra me non est Deus, surda aure præteriuit. Hoc ille audire vel intelligere noluit, imò perstitit in insipientia stultorum seruientium creaturę potiùs, quàm Creatori. Proinde rectè dicatur illi, Si rectè offeras, & non rectè diuidas, nónne malum est? Res enim quasdam Deo obtulit, siue reddidit, & hoc rectè fecit. Seipsum autẽ sibimet retinuit, quia cor suum cultui vel religioni eius non subdidit, cui res exteriores obtulit. Proinde non mirum, quòd cum cupiditate sua grassatus per mundum, miserabilem vitæ est consecutus exi- *Exitus Cyri.*
tum. Traduntnamque historiæ, quòd Tamiris Regina Scytharum, comprehensum insidijs vniuersum eius cum ipso Rege trucidauit exercitum, ducẽta millia Persarum, caputque Cyri amputauit, in vtrem humano sanguine repletum coniecit, cum hac exprobratione crudelitatis: Satia te, inquit, sanguine quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper extitisti.

Titulum Psalmi sexagesimi quarti ad huius captiuitatis solutionem pertinere.

CAPVT XXIX.

NOnnihil spectat ad rem præsentem reminisci, quia in titulo Psalmi sexagesimi quarti, Hieremiam & Aggæum Spiritus Propheticus composuit, quorum alter, scilicet Hieremias captiuitatem illam futuram prædixit, & præsens vidit. Alter verò, scilicet Aggæus, soluta captiuitate reuersioni in patriam

patriam interfuit. Titulus sic se habet, In finem Psalmus Dauid, canticum Hieremiæ & Aggæi de verbo peregrinationis, quando
Psalm.64. incipiebant proficisci. Sequitur Psalmus: Te decet hymnus Deus in Sió, & tibi reddetur votum in Hierusalé. Ad rem, inquam, præsentem spectat, eiusdem cantici siue tituli præeuntis reminisci, quia magnum resonat gaudium de triumpho verbi Dei, cuius propter veritatem implendam populus de captiuitate liber illuc ascendit, vbi oportebat ipsum verbũ incarnari, per quod omnia facta sunt, de tribu Iuda, de semine Dauid. Dulce quidem est allegoriam in eodẽ Psalmo, siue Psalmi titulo meditari, scilicet intelligere supernam Sion & cęlestem Hierusalem, atque hic vniuersalem generis humani peregrinationem, vnde omnes ascensuri supt electi, finito termino mundi. Verunta men & illud nonnihil habet dulcedinis, qd̃ historialiter tunc gestũ est, quòd populus ille liber de captiuitate redijt, cui reditui Propheta Aggæus interfuit. Etenim reditus ille non solùm typus, verumetiam valdè necessaria præparatio fuit decoris siue hymni, qui te decet DEVS in superna Sion, præparatio redditionis voti, quòd tibi redditur siue reddetur in æterna Hierusalem, quo omnis caro ad te veniet, propitiato te cunctis iniquitatibus nostris, per redẽptionem Iesu Christi filij tui, cuius ventura natiuitas hoc exigebat, vt solueretur illa captiuitas, vt rediret iuxta Prophetam virgo Israel in terrã suam, siue in ciuitates suas, eundem Dominum & Saluatorem suum genitura, magna & iusta Prophetis illius temporis gaudij siue lætitiæ causa, magna & pulchra triumphalis tripudij materia.

Iuxta Prophetiam Aggæi, nouissimi templi maiorẽ gloriam, quàm primi propter verbum incarnatum fuisse.

CAPVT XXX.

Aggæi 2. NVnquid non istud Aggæus, iam tunc prophetali oculo considerabat? Ait enim: Quis est in vobis derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Statimq; paucis interpositis confortans dicit, Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum. Magna enim erit gloria domus istius nouissimę plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Qualem putas gloriã tanto ore pronuntiat, nouissimam fore maiorem quàm primam? Nunquid seculare gloriam, scilicet auri & argenti copiam? Nunquid etiam si sic futurum erat vel fieri poterat, vt plus auri in domo nouissima rutilaret, quàm in prima Salomon impendisset? Nunquid dignaretur, vt hoc tanto opere p̃ gloria reputaret, & pro hoc tam vehementer Dominus exercituum declamaret? Ergo illam magis gloriam decet intelligi, quæ gloria vera est, scilicet præsentationem verbi incarnati Christi Filij Dei, qui in illa domo prima non fuit præsentandus. In nouissima autem erat præsentãdus, Symeone ex- *Luc.2.*
pectante, & in vlnas suas illum accipiente, cum isto cantico gratiæ. Nunc dimitte seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. An nõ hoc ipsum̃ idem Prophe- *Aggæi 2.*
ta ibidem interloquitur. Et veniet, inquit, desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum? Verè omni gloria domus primæ, maior futura erat gloria nouissimæ, quòd *Apoc.1.*
in ea secundum Legẽ primogenitorum præsentandus erat cum sacrificijs legalibus ille primogenitus in multis fratribus, iste desideratus cunctis gentibus.

Esdram, Nehemiã, Iosedech, et Zorobabel, tempore solutæ captiuitatis illustres fuisse.

CAPVT XXXI.

MEmorabilis ille reditus & ascensus spectabilis, si consideres currum illũ siue quadrigam Domini, qua residens, ad locum suum properabat verbum Domini, verbum necessariò implendę promissionis. Quadrigam illam Domini quatuor dicimus viros authores præcipuos, & quasi capita illius reuersionis, Esdram, & Nehemiam, Iesum sacerdotem magnum, & Zorobabel ducem. Idcirco dictum Zorobabel, quia infra annos captiuitatis in Babylonia natus est. Prophetas Aggæum & Zachariam, qui (vt superiùs memoratum est) cum eis erant, adiuuantes eos, velut aurigas ante quadrigam existimare delectat. Istis, imò istorum habitatori verbo Dei, sapiés omnis triumphum eius prosequens, gratias agit, qui feliciter ad hoc nati sunt, vt tali in tempore essent parati. Quomodo, inquit, amplificemus Zoro- *Eccle. 49.*
babel? Nam & ipse quasi signum in dextera Israel manu, & Iesum filium Iosedech, qui in diebus suis ędificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam? Et Nehemiam in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras? Quod dicit, in gloriam sempiternam, rectè sic intelligitur (sicut suprà dictum est) quia domus illa tam diu stare habebat, donec veniret Christus, vera & sempiterna gloria sanctorum, sicut Simeon proloquutus est. Lumen ad *Luc.2.*
reuelationem gẽtium, & gloriam plebis tuę Israel.

Esdram, propter renouatam nouis characteribus Legem, præcipuum fuisse.

CAPVT XXXII.

ESdram dicunt esse Malachiam, qui in ordine duodecim Prophetarum, duodecimus est. Iste quantus nobis esse debet? Non enim ignorare debemus, quia Legem ipse renouauit, Scripturas sanctas, quæ propriæ voces sunt verbi Dei, dispersas, vixque Ba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bylonico igni, superstites ipse congregauit ac reformauit. Quantum hoc est, aut esse debet omnibus seculis? Magnum sit & memorabile, quòd tam ipsius, quàm cæterorum labore ciuitas illa, templumque illud manufactum restitui vel reædificari potuit. Istud ædificiū insolubile, scilicet reformatio sanctæ Scripturæ, longioris memoriæ, maioris gloriæ, altioris est & erit semper excellentiæ. Literas quoque siue characteres veteribus commodiores atque faciliores iste reperit, & conscriptam Legem populo tradens, & tunc scriba velox meruit nuncupari, & nunc in perpetuum Scriba doctus est in regno Dei.

SEPTIMI LIBRI FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER OCTAVVS.

Somnium Mardochæi non fuisse vanum.

CAPVT I.



Somnium Mardochæi.

AGnum in cælo & in terra spectaculum, quod deinde post in dulgentiã regũ Persarum subsequutũ est. A sõno Mardochæi narrationẽ inchoare libet, quod & si in Hebrẽo nõ habetur, vt ait illustris vir Hieronymus, tamen in editione vulgata principium erat voluminis Hester, & ad rem nõ nihil attinet. Anno secundo regnante Artaxerxe maximo, vidit somnium Mardochẽus homo Iudæus, de tribu Beniamin, qui habitabat in vrbe Susis, illa ciuitas exordium siue caput Regni erat. Apparuerunt, inquit, voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & cõturbatio super terram, Et ecce duo dracones magni, paratiq; contra se in prælium, ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum, fuitque dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & ingens formido super terram. Conturbataque est gens iustorum timentium mala sua, & præparata ad mortem, clamaueruntq; ad Dominum. Et illis vociferantibus fons parvus creuit in fluuium maximũ, & in aquas plurimas redundauit. Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & adorauerunt inclytos. Porrò post finem libri eiusdem capitulum hoc ferebatur. Dixitq; Mardochẽus: A Deo facta sunt ista, recordatus sum somnij quod videram hæc eadem significantis, nec eorum quicquam irritum fuit, paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem solẽque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit, Hester est, quã Rex accepit vxorẽ, & voluit esse Reginã. Duo aũt dracones, ego sum & Amã, gentes quę cõuenerant, hi sunt qui delere conati sunt nomẽ Iudæorũ.

Heſt.1.

Heſt.12.

Mardochæum & Aman per duos dracones, sed diuersis rationibus significatos fuisse.

CAPVT II.

ABisto, inquam, tali somnio narrationem inchoare libet, eorum quæ continentur in eodem libro Hester, Idcirco vt excitatus animus persentiscat, malum fuisse illud (quod molitus est Aman) ex Diabolo dracone antiquo, thronum suum habente in pectore Aman: Nam ecce draco dictus est Aman. Duo (inquit) dracones, ego sum & Aman. Et Mardocheus quidem draco visus, sed ratione longè diuersa. Deniq; draco Aman propter causam veram, propter Diabolum, Serpentem antiquum veraciter habentem in pectore Aman, cuius videlicet draconis capita septem habentis, quartum caput fuisse iam dictum est, Regnum Persarũ & Medorum, maximè propter Aman, & propter gentes illius imperij, super quas cũ eleuatus esset Aman, delere voluit gentem, de qua nasciturus erat Christus, iuxta repromissionem quam acceperat Abraham. Porrò Mardochæus draco non reuera, sed inimicorum, scilicet eiusdem Aman, & cõplicum eius accusatione falsa dicẽtium, Quod genus eius, genus Iudaicum, genus esset hominũ seditiosum, & regno infidiosum. Nec mirum, quòd homo simplex & rectus, propter falsam opinionem per draconem malitiosum atq; tortuosum in somnio est designatus, cùm ipse simplicium Rex & rectorum Dominus Christus per Serpentem æneum fuerit præfiguratus, dicente Domino ad Moysen: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eũ, viuet. Nẽpe sicut ille serpens æneus fuit absque veneno, sic Christus cũ accusaretur magus, erat absque peccato. Similiter Mardocheus propter accusationem Aman per somnium visus est draco. Sed secundum rei veritatem homo erat cultor Dei, malitiam nõ habens draconis antiqui, qui sæuiebat in illo Aman superbissimo.

Dracones duo.

Num.21.

Sicut Aman Mardocheo crucẽ parauerat, & in ea suspẽsus fuerat, ita a principẽ huius mundi Diabolum Christo crucem paratam, & in ea victum fuisse.

CAPVT

CAPVT III.

ET quoniam de similitudine mẽtio iam incidit, qua sancti homines quibusdam modis meritis diuersis assimilari meruerũt Filio Dei, quemadmodum dicit: Et in manu seruorum meorum Prophetarum assimilatus sum, Libet continuo proloqui summã similitudinis, qua in manu huius quoq; Mardochæi dignatus est assimilari, sicut in somnio præscripto præsignatũ fuerat. Duo dracones inter se pugnauerunt. i. Mardochæus & Aman inuicẽ consurrexerunt. Parauit Aman patibulũ Mardochæo, & Mardochæo feliciter euadente, Aman in ipso, quod parauerat appẽsus est patibulo. Nimirum hic futurum erat, vt verbum incarnatũ Deus homo factus, Rex omnium seculorũ Iesus Christus aduersus mundi huius principem procederet, & cum illo congrederetur. Et hic factu est, vt per suos satellites Draco ille Diabolus crucem illi parari faceret, sed non ille in ipso patibulo transfixus est. Triumphãte Verbo, quod impassibilis Deus est, & resumpta carne in immortalitatẽ, quæ ad breue tempus passa est mortem, ipsum homicidam Deus viuens in suo ipsius machinamento strangulauit. Delens (inquit Apost.) quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. Nunc in rei gestæ ordinem ingrediamur.

Parauit Aman patibulũ cui appẽsus est.

Coloss.2.

Paruũ fontẽ, qui in magna creuerit flumina Hester Reginam fuisse.

CAPVT IIII.

PAruus fons creuit in fluuium maximũ, & in aquas plurimas redundauit, scilicet Hester captiua & paupercula, & vtroq; parente orbata, multarum Gentium Regina, multarum prouinciarũ domina effecta est in diem placiti Dei, in tempus opportunum (altissimo prouidẽte) bene reseruata. Quomodo vel quali misericordiæ via? Vir Iudæus, ait Scriptura, erat in Susis ciuitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semæi, filij Cis de stirpe Iemini, qui translatus fuerat de Hierusalem eo tempore quo Iechoniam Regem Iuda, Nabuchodonosor Rex Babylonis trãstulerat, qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine Hester vocabatur, & vtrunq; parentem amiserat, pulchra nimis ac decora facie. Mortuisq; patre eius ac matre, Mardochæus eam sibi adoptauit in filiam. Opus pium pietas operosa, pium habuit iudicem & inspectorem Deum, cui tali in facto in tam liberali gratia suauis vtiq; oblata erat eleemosyna. Reuera odoratus est Dominus odorem suauitatis, & reuera benedixit eis, & huic quæ adoptata fuerat, & illi qui adoptauerat. Benedixit (inquam) vtambo crescerent in salutem populi, in saluationem suæ gentis, cui pessimus exurgebat hostis, scilicet Aman, filius Amadati, qui erat de stirpe Agag. Non putemus illum tunc primũ esse cœpisse hostem Iudæorum, quando Mardochæus eũ adorare noluit, imò iamdudum fuerat hostis, antiquam crudeli in pectore gestans odij causam, veterem perflans ardenti ira inimicitiarum materiam. Agag quippe cuius de stirpe hic erat Amã, interfecerat Samuel, Regem Amalech, quam videlicet gentem peccatricem delere mandauerat Dominus Sauli Regi Israel. Pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quamobrem irato Domino, adducite, inquit Samuel, ad me Agag, regem Amalech, & oblatus est ei Agag pinguissimus, & in frusta concidit eum Samuel coram Domino.

Heſt.2.

1. Reg. 15.

Dei prouidentia factum, vt Mardochæus in captiuitate maneret, cùm qui vellent, libertatem in patriã redeundi recepissent.

CAPVT V.

NVm igitur casu, & non potiùs per Dei prouidentiam euenit, quòd istevir siue pater eius, seu pater patris eius in captiuitate remansit, & in Hierusalem non ascendit post edictum, quo data est licentia repatriandi? Haud dubium, quin spiritus idem, qui spiritum suscitauit ascendentium, sicut scriptum est: Et surrexerũt principes patrũ de Iuda & Beniamin, & Sacerdotes & Leuitæ, & omnis cuius Deus suscitauit spiritum, vt ascenderent ad ædificandum templũ Domini. Non dubium, inquam, quin idem spiritus, idem Deus animo huius immiserit, quatenus inibi remaneret, vt tali in tempore pararetur adoptatiua eius Hester, qui sanctos omnes præsciuit & prædestinauit, vocauit & iustificauit, atq; magnificauit, ipse Mardochæum magnæ in paruula nepte pietatis opificem præsciuit & præparauit. Præsciuit inquam, antequam in Babylonem captiuus cum Iechonia duceretur proauus eius Cis. Non ociosè hic commodum erat, quia non ipse Mardocheus, sed Cis proauus eius subaudiendum est, vbi præmisso: Erat vir Iudæus in Susis ciuitate, vocabulo Mardochæus, filij Iair, filij Semæi, filij Cis de stirpe Iemini, statim sequitur: Qui translatus fuerat de Hierusalem, eo tempore, quo Iechoniam regẽ Iuda, Nabuchodonosor Rex Babylonis transtulerat. Siquidem ab illa priore transmigratione in Babylonem, vsq; ad tertium annum Regis Assueri, quando conuiuium celebrauit, & offensus depulit Reginam Vasthi, & loco eius complacuit Hester, computantur anni fermè ducenti, nimirum antequam illuc transferretur proauus eius Cis, præsciuerat Deus futuram exaltationem Aman hostis Iudæorum, præsciuerat & prædestinauerat econtra Iudæũ

Heſt.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cũ nepte ſua paruula Mardochæũ, vt tali in tẽpore haberet verbum Dei præparatũ in illis humilibus, futuræ carnis ſuæ præſidium, ne excideretur arbor, quæ datura erat talẽ fructum, Chriſtum ſalutẽ omnium gentiũ.

Aman exaltatum, & adorari iuſſum, etiam Regnũ ambiſſe, & Mardochæo propter ſeruatum regem, inimicum factum fuiſſe.

CAPVT VI.

FActum eſt, quod futurum Deus præuiderat, ſcilicet Rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadati, qui erat de ſtirpe Agag, & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes quos habebat, cunctiq; ſerui regis, qui in foribus palatij verſabãtur, flectebant genu & adorabant Aman, ſic enim eis præceperat Imperator. Nimia & indiſcreta Regis liberalitas, dum ſe prouehere putat amicum fidelẽ, profectò contra ſemetipſum ſuſtollit inimicum crudelem. Inſuper & patris loco colimus eum, ait idem in epiſtolis, quas ad centum vigintiſeptẽ prouinciarũ principes & duces tranſmiſit. Stulta exaltatio, iubere hominem adorari, quod ſoli debetur Deo. Regibus tamen Perſarũ de more fiebat adoratio, quod ſuperbiæ regiæ Perſicum exemplum imitatus Alexander Magnus aliquãdiu quidem ſuſtulit, ſed tandem vbi inuidiam ſe ſuperaſſe exiſtimauit, non ſalutari, ſed adorari ſe iuſsit. Acerrim⁹ inter recuſantes Caliſthenes philoſophus extitit, quę res & illi & multis principibus Macedonum exitio fuit. Siquidem ſub ſpecie inſidiarum omnes interfecti ſunt, retentus tamen eſt à Macedonib. modus ſalutandi Regis, exoſa adoratione. Quid igitur de Perſico Regni faſtigio, præter nomen regium, defuit illi ſuperbiſsimo? quod quidem inſatiabilis eius auiditas ſceleratiſsimè ambiuit, ſicut animaduertere licet ex libri pœmio, in vulgata, vt ait fidelis interpres Hieronymus, æditione præſcripto. Morabatur Mardochæus in aula regis cũ Gabatha & Thara eunuchis Regis, qui ianitores erant palacij. Cumq; intellexiſſet cogitationes eorum, & didiciſſet, q̃ conarentur in Regem manus mittere, nuntiauit ſuper eo Regi, qui de vtroque habita quęſtione, confeſſos duci iuſsit ad mortem. Aman verò filius Amadati, Bugeus erat glo rioſiſsimus coram Rege, & voluit nocere Mardochæo & populo eius, pro duobus eunuchis, qui fuerant interfecti. Ambiebat ergo regium quoq; nomen, nõ contentus honore quamuis nimio, homo ingratus hominibus, inimicus Deo, qui propter hoc Mardochæo nocere voluit, quia Regis vitã prẽmuniendo ſeruauit. *Heſt.12.*

Aman Mardochæo inimicum, cùm videret ſibi non flectere genu, totius gentis Iudaicæ extirpandæ conſilium cepiſſe.

CAPVT VII.

VEruntamen maior & certior odij magnæq; iracundię cauſa extitit illa, quã Scripturę veritas hoc modo tradit. Solus Mardocheus non flectebat genu, neq; adorabat Aman, quod cùm audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quòd Mardocheus ſibi non flecteret genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valdè, & pro nihilo duxit, in vnum Mardocheum mittere manus ſuas. Audierat enim, quòd eſſet gentis Iudęę, magiſque voluit omnem Iudęorum, qui erant in Regno Aſſueri, perdere nationẽ. Hęc belli cauſa, hoc duelli fuit initiũ, hoc modo duo dracones illi pugnare contra ſe cœperunt. Draco ſcilicet Mardocheus apud homines, penes quos condemnabatur. Draco Aman vi delicet primo apud deum, & omnes ſanctos eius iudicatus, & deinde apud homines condemnatus. Nunquã tam crudeliter, tam furiosè ſuum quidem caput erexit Draco Diabolus aduerſus mulierem, de qua ſæpè diximus. Cętera namq; capita eius ſeſe erigẽtia, multoq; hiatu patentia, hoc intendebant, vt deuorarent filium eius. Caput iſtud quod hoc intẽdit, vt totum ipſum deuoraret mulieris corpus, manifeſtiùs dicendum. Cętera regna Diabolicę crudelitati famulantia, gẽtem illam vexando, Dei Legem, & omnem promiſsionis ſpem adimere contendebant, Regnum iſtud proſcribente Aman, delere voluit gentem ipſam. Itaq; mulier illam in toto habens atq; parturiens nunquam aliàs magis clamauit, nunquam vehemẽtiùs cruciata eſt, id eſt, gens illa nunquam tam publicum, tam vniuerſalem habuit luctum in omnibus prouincijs, oppidis, ac locis, ad quę crudele regis dogma peruenerat. Luctus & planctus ingens erat apud Iudęos, ieiuniũ, vlulatus, & fletus, ſacco & cinere multis proſtrato vtentibus. *Heſt.3.* *Apoc.12.*

Quam ob cauſam Mardochæus Aman non adorauerit.

CAPVT VIII.

PRimus ipſe Mardocheus ſcidit veſtimẽta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti, & in platea medię ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui, & in hoc vlulatu vſq; ad fores palatij gradiens. Veraciter de iſto quoq; dicas, quia ferrum pertranſiuit animam eius, & verè beatus eſt. Nam beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Iuſtitia namq; eſt, quod noluit adorare Aman, iuſtam intuens cauſam. Cuncta noſti (inquit) Domine, & ſcis, quia non pro ſuperbia, vel aliqua glorię cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſsimum. Libẽter enim pro ſalute Iſrael, etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem, ſed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem, excepto Deo meo. Iuſtus igitur in hoc factо comprobatur legi ſanctę, iuſtę & bonę obtemperãdo, cuius hoc præceptum eſt. Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies, ac proinde beatam habet memoriam, atque eximius eſt inter beatos, qui perſecutionem patiũtur vel *Rom.9.* *Heſt.23.* *Matth.4.*

vel paſsi ſunt propter iuſtitiam, taliſq; filius captiuorum dignè adeptus eſt poſſeſsionẽ, & coronam ciuicam in Regno cælorum.

Quam ob cauſam aliquot homines citra reprehenſionem adorari potuerint.

CAPVT IX.

SEd dicit aliquis: Si contra Legem eſt adorari quempiam hominum, quomodo Dauid ſanctus, & Sanctæ Legis aſſertor dilectiſsimus, ſeſe adorari paſſus eſt, & non reprehẽditur factum, quaſi contra Legem? Clamans namq; Achimaas, bonum victorię de Abſalon portans nuntium, dixit ad Regem: Salue Rex, & adorans Regem corã eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, &c. Itemq; ſcriptum eſt: Inclinauit ſe Bethſabee, & adorauit Regem: Et rurſum, Submiſſoq; Bethſabee in terram vultu, & adorauit Regẽ. Et ne adorationis geſtus minor videatur, vt dicas, longè eſſe minus vultum ſummittere vel pronum inclinare, quàm genu flectere, quod fiebat Amã. Ecce illud occurrit, quòd mulier Thecuitis, ſummiſſa à Ioab, cùm ingreſſa fuiſſet ad Regem, cecidit coram eo ſuper terrã, & adorauit. Quomodo ergo non reprehenditur factum quaſi contra Legẽ in Dauid, & Mardochæus hominem adorare pro ſacrilegio duxit? Ad hoc breuiter reſpondẽdum, quia longè aliud eſt, adorare hominem ſinè Deo, qualis erat Aman, aliud hominem Dei, qualis erat Dauid. Nam dum homo ſinè Deo, homo ſeruiens Diabolo adoratur, ſine dubio Diabolus in illo adoratur: & econtrà, dũ homo Dei, homo Deum honorans & adorans, adoratur vel ſuſcipitur, Deus in illo adoratur, Deus in illo ſuſcipitur. Sed & in hoc diſtãtia magna eſt, quod Amã ſuperbus hoc volebat, hoc exigebat, vt adoraretur. Dauid ſiue quiſpiã ſanctus, humilis Dei ſeruus, ſiue vicarius, adoratione nõ delectatur, neq; ſibi hoc exigit, vt adoretur. Etſi aliquando religio fieri hoc exigit, conſtat non fieri ad iniuriam, ſed ad honorẽ Dei, conſtat nõ fieri homini, quoniã fit pro nomine Domini. *2. Reg.8.* *3. Reg.1.*

Quare tam difficilis ad Regem aditus fuerit, vt qui non vocatus adiret, occideretur.

CAPVT X.

CVr autem tanta erat difficultas adeundi Regem? Nam quod magna difficultas fuerit, ex eo manifeſtum eſt, quòd Heſter Mardochæo demandans, ita reſpondit: Omnes ſerui Regis, & cunctę quę ſub ditione eius ſunt, norunt prouinciæ, quòd ſiue vir, ſiue mulier, non vocatus interius atriũ Regis intrauerit, abſq; vlla cunctatione ſtatim interficiatur, niſi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit pro ſigno clemẽtiæ, atq; ita poſsit viuere. Rurſumque vade, & congrega oẽs Iudæos, quos in Suſis repereris, & orate pro me, ne comedatis & non bibatis tribus diebus ac noctibus, & ego cum ancillulis meis ſimiliter ieiunabo, & tũc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, nõ vocata, tradenſq; me morti & periculo. Cur (inquã) tanta erat difficultas adeundi regẽ? Nimirum hoc venerat ex nimia ventoſitate miſeræ vanitatis, vt Rex magni imperij plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex vſu publicæ viſionis: maximè apud Perſas mos iſte lege ſancitus fuit, vt perſona regis occultaretur ſub ſpecie maieſtatis. Ea lege Diabolus per Aman abuti voluit, vt dũ ille accuſator tã familiaris Regi immineret, & ad excuſandũ nullia ditus pateret, ad exorandũ nullus acceſſus fieret, emuncta Regis ſentẽtia curreret irreuocabilis, atq; ita Draconi illi deuorare liceret, nõ ſolùm conceptum, verùm etiam totum corpus mulieris in vtero habentis. i. gentem vniuerſam delere, penes quam erat promiſſa, quemadmodum idem Mardocheus ad Deũ orans dicit: Et nunc tua volunt mutare promiſſa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atq; extinguere gloriam templi & altaris tui. *Heſt.4.* *Heſt.14.*

Aman ſtultè tempus perditionis Iudæorum per ſortes quæſiuiſſe, cũ an perdendi eſſent, nondũ cognouiſſet.

CAPVT XI.

COnſideremus altitudinẽ cordis ſuperbi in ipſa præparatione malignitatis, vt menſe primo, cuius vocabulum eſt Niſan, anno duodecimo Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnam, quæ Hebraicæ dicitur Phur coram Aman, quo die & quo menſe gens Iudæorũ deberet interfici, & exiuit menſis duodecimus, qui vocatur Adar. Nondũ ſciebat ſtultus, vtrùm deberet gens Iudæorum interfici, & ſorte iam quærebat, quo die, quo menſe deberet interfici: fortè putabat ſe eſſe tantum, & tantus erat in oculis ſuis, vt in manu ſua mors hominum, & vita credi deberet conſtituta, & idcirco voluntatem ſuam eſſe iudicans, de interfectione quærendũ cenſebat à ſortibus ſolummodo de interfectiõis tẽpore. At ille, cuius carnis originem ſecundum ſortes illas parabat prædicere, iamdudum dicebat per os Prophetæ. In manibus tuis ſortes meæ. Voces quippe illius triceſimi Pſalmi, voces ſunt verbi incarnati, cuius incarnationis fides & ſpes ſecũdum promiſſionẽ, ſic erat in corde illius gentis, ſicut infans in vtero mulieris. Quantæcunque vel qualeſcũq; ſortes eius fuerint vel ſint, quas commemorans Deo Patri dicit ipſe. In manibus tuis ſortes meæ, nullo modo debent excipi ſortes, quas miſit Aman, quin ad ſortes eiuſdem pertineant. Et reuera ſicut in alio Pſal. iam tunc dicebat. Et ſuper veſtem meã miſerunt ſortem, ita conſtanti veritate ipſi dicere conueniebat, & ſuper matrẽ meam, ſuper gentem, de qua naſciturus eram, miſerũt ſortem. Igitur ille perditus, & à ſua ſuperbia deceptus, vna ſortium conſultatione, de duab. rebus exiſtimauit ſibi reſponſum vel ſatisfactum eſſe, ſ. de interfectione, *Pſalm. 30.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& interfectionis tempore. Sed in manibus tuis (inquit) fortes meæ, quod ſic rectè intelligitur, ac ſi diceret: Iã de iſto maligno ſortitore Aman hoſtis & inimicus meus peſsimus miſit ſortes, vt interficeret. Tu autem in manibus habens poteſtatẽ vitæ & mortis, ſortes eaſdem cõmutaſti ad illius interfectionem, & meæ gentis ereptionem.

Aman per ſortes deceptũ ſpacium dediſſe Iudæis, ad impetrandum à Deo auxilium.

CAPVT XII.

Iob 40. REuera iam in iſto Diaboli membro factũ eſt, quod ſignificabatur in ipſo capite Diabolo, dicente Domino ad beatũ Iob: Nunquid pones circulum in naribus eius? nunquid illudis ei quaſi aui? Infatuatus nanque & illuſus eſt ab ipſis ſortibus, dum mittente eo ſortem primo menſe, quo die, quo menſe Iudæi deberent interfici, menſis duodecimus exuit, totum vtiq; annum ad dilationem ſors illa popoſcit. Deus exegit ſortem regens & habens (vt iam dictum eſt) in *Aman illuſus.* manibus ſuis. Primum in hoc infatuatus & illuſus eſt, quod nondum ſciens vtrum gens deberet interfici, & ſolum quærens tempus interfectionis, dum à ſortibus reſpondetur interfectionem ipſam, à primo menſe vſque ad duodecimum, id eſt, anno ferè integro debere differri, idem eſſe putat, ac ſi totum vel vtrunq; habeat in manibus ſuis, ſcilicet & interfectionem & die interfectionis. Deinde & in hoc illuſus eſt, quòd dum ſuſcepta mora tantæ dilationis interim pendet ſentẽtia mortis, oportunum facit vniuerſæ genti ſpacium, quòd ſufficere poſsit ad legationes mittendas in longinquum, id eſt, in altitudinem cæli, vnde auxiliares copiæ debeant cõduci, ſcilicet ieiunia, lachrymæ, & preces, quæ nimirum idoneæ legationes erant, & ſunt, ad inuitandum ſeu inuocandum de cælo auxilium Domini. Profectò & ſi propere erat (vt eſt Dominus inuocantibus eum in veritate) nihilominùs tamen erat neceſſarium tam longum, à ſortibus datum dilationis ſpacium, vt ſufficeret tempus currentibus epiſtolis, & recurrentib. ad principes & populos tot prouinciarum, vt nouis epiſtolis veteres Aman literæ inſidiatoris, & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis prouincijs perire præceperat, corrigi poſsẽt, priuſquam termino temporis concluderẽtur. Sanè clamores eorum, quibus vel quantis clamauerint in cælum omnem ætatem ſentire, & non obliuiſci vult ſacer Eccleſiæ chorus, dum per ſingulos annos ſtatutis diebus declamat ante Dominum in perſona illorũ: *Heſt. 4.* Euerte cor eius, ſcilicet Regis in odium repugnantium nobis, & in eos qui conſentiũt eis, nos autem libera in manu tua Deus noſter in æternum. Reuera qui perpendit quãtum ad negotium fuerit clamare in cælum, ne exterminetur gens vnica, de qua promiſſa ſperabatur ſalus mundi, dignũ exiſtimat clamorem illum, ſiue hæc dicta clamoris illius altiſonis vocib. efferri & immorari contemplationi anguſtiarum illius temporis, quando mulierem ſæpedictam in vtero habentem, iam tunc antequam pareret ſaluté noſtram pene abſorbuit.

Semper fuiſſe, qui diuinæ promiſsiõi de Chriſto memores, eam impleri deſiderauerint.

CAPVT XIII.

ANputas, neminem tunc in gente illa, vel de populo illo extitiſſe, quem curiſta tangeret vel qui ſciret Meſsiam venturum eſſe? Imò nulla ætas extitit, ex quo Deus ad Abraham locutus eſt, quę non haberet aliquos fidem & ſententiam promiſsionis illius habentes, & aduentum eius expectantes. Pauci admodum erant eiuſmodi, ſcilicet qui de aduentu vel regno Chriſti ſpiritualiter ſentirent. Oẽs autem audire oportebat Legem & Prophetas continentes atq; teſtificantes eius promiſsionem, quamuis, non ſpiritualiter intelligerent, id eſt, quamuis nõ tam cęleſte, quàm terrenum eius Regnum ſperarent. Nec dubium, quin & ſi in proſperitate negligentiores erant, in aduerſitate fierent attenti ad illam ſpem, ad illam expectationem, iamq; illum aduenire deſiderarent quem ſubuenire poſſe credebant, vtpote Regem magnum, regem potentem. Primus ipſe Moyſes, dũ mitteretur ad Pha- *Exod. 4.* raonẽ: Obſecro (inquit) Domine, mitte quẽ miſſurus es. Similiter de cęteris ætatibus, vel temporibus ſentiendum, quoties legimus: Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominũ propter illam vel illam tribulationem. Sciendũ nõ deſuiſſe clamoribus eorum memoriam ſæpedictę promiſsionis, qua de Lege & Prophetis audiebant, promiſſum eſſe Saluatorem. Simulq; notandum, quòd quemcunq; taliter clamantibus ſuſcitabat Saluatorem, aliquid per ipſum efficiebat Deus, in quo ſignificaret vel prefiguraret illum, qui expectabatur & deſiderabatur, Chriſtum vnicum & verum Saluatorẽ, ſicut de iſto quoq; Mardochęo iam dictum & adhuc dicẽdum eſt. Hęc idcirco nunc dixerim, vt dubium non ſit, quin ſaltem illa vexatio intellectum dederit auditui, vt recogitarent audito ſuę mortis ędicto confugere ad Deum, & clamare pro aduẽtu Chriſti, tale quid, quale illud *Pſal. 50.* eſt Dauid: Vt iuſtificeris in ſermonib. tuis, & vincas cùm iudicaris.

Heſter quatuor illis celeberrimis virtutibus prædităm fuiſſe.

CAPVT XIIII.

DElectat immorari, diutius contemplari factũ mulieris bonę, de qua rectè dicas: Mulieris bonę beatus vir. Numerus. n. annorum illius duplex, quia videlicet, & in præſenti & in futuro ſeculo memoriã bonã, memoriam æternam habet. Delectat (inquam) contemplari, quàm bona, & qualibus

libus bonis ornata fuerit, & qualiter opus ſalutis per man' eius, pceſſerit. Ecce in facto vel in ,pceſſu eius principales quatuor virtutes animaduertim', quas & diuinæ & humanæ ſcolæ cõcelebrant, quas philoſophi tã ſeculares, quàm Eccleſiaſtici celeberrimè prędicant, ea tamen differentia, vt iſti in ſpiritualibus & æternis, illi in ſecularibus & trãſitorijs fructibus expendant. ſ. prudentiam, temperãtiam, fortitudinem, & iuſtitiã. Virtutes (inquam) iſtas promptum eſt agnoſcere in iſta muliere bona, in facta mulieris huius bonæ & ſenſatæ gratia ſuperna coornatas. Primo iam loco temperantiam eius conſiderare libet: ſequẽti, iuſtitiam: tertio, prudentiam: quarto, fortitudinem.

Quomodo virtus temperantiæ in Heſter reluxerit.

CAPVT XV.

TEmperantiæ virtus in ea ſplendet, dũ *Heſt. 2.* in ſummo regni faſtigio, in magno Regis cubiculo caſta & humilis apparet. Sic enim de ea ſcriptum eſt: Cùm iam diadema Regni in capite eius poſitum Scriptura narraſſet, necdum que prodiderat Heſter patriã ſuam, & populum ſuum iuxta mandatum *Ibidem.* eius, videlicet Mardochæi. Quicquid enim ille præcipiebat, obſeruabat Heſter, & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat. Item, ipſa di- *Heſt. 14.* cit in oratione ſua: Tu ſcis Domine neceſsitatem meã, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meę, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & nõ portem in diebus ſilẽtij mei. Veraciter eximiũ temperantiæ documẽtum hic apparet, quia magnam humilitatis ſuauitatem ſermo iſte redolet. Item dicit, Tu Domine, qui habes *Ibidem.* omnium ſcientiam, noſti quòd oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircũciſorum & omnis alienigenæ. Et hic profectò magnum tẽperantię decus eſt, quia mulier facta in captiuitate regina, quòd animo caſta ſit, Deum teſtem habet.

Quomodo iuſtitia in ea deprehenſa ſit.

CAPVT XVI.

IVſtitiã in ea primum animaduertimus, *Confeſsio.* quòd cõfitetur, & dicit: Peccauimus Domine in conſpectu tuo, & idcirco tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum, coluimus enim Deos eorum. Iuſtus es Domine. Hic iuſtitia eſt. Nam iuſtus in principio accuſator eſt ſui. Deinde & amplius in eo iuſtitia eſt, quod (ſicut iam dictum eſt) De- *Prouer. 17.* um teſtem habet, quòd oderit gloriam iniquorum, & deteſtata ſit cubile incircunciſorum, & omnis alienigenæ. Siquidem tempore illo, & ex quo Deus ad Abrahã facta pro- *Gen. 3.* miſsione loquens, Circuncidetur (ait) in vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me & vos. Extunc (inquam) vſque ad aduentum Chriſti, iuſtitiæ principium erat circuncidi cũ fide Abrahæ credentis in promiſsione beati ſeminis. Vndè & Apoſt. di- *Rom. 4.* cit. Et ſignum accepit circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ Fidei. Nec prætereundum, quod valdè congruum fuerit illud ſignum ſiue ſignaculum iuſtitiæ Fidei, in ea (qua ſemen naſcitur) parte corporis, quia videlicet promiſsio cui Abrahã credidit, ſeminis promiſsio fuit, ſeminis vnius, quod eſt Chriſtus. Itaq; circuncidi, teſtimonium erat Fidei, teſtimonium credendi in Chriſtum vẽturum, ſine cuius Fide nullus poteſt iuſtificari. Iuſtitiæ igitur palmam obtinet, iuſtitiæ quæ ex Deo eſt, dum deteſtatur cubile incircunciſorum, ſciens quia pręter Fidem ſeminis Abrahæ (cuius Fidei circunciſio ſignum erat) rex ille quamuis ſibi miſericors, Deo iniuſtus exiſtebat.

Et hoc iuſtitiæ fuiſſe, quod incircunciſo propter neceſsitatem coniungi ſuſtinuerit.

CAPVT XVII.

PVtas ne minus iuſtitiæ nunc obtinet tolerando id quod oderat cubile incircunciſi, quàm ſi refugiſſet, ne vllo modo cõiungeretur illi? nequaquam, nam tu Domine *Heſt. 14.* (inquit) ſcis neceſsitatẽ meã. Et vera ſentẽtia eſt, neceſsitas parit coronam, verè neceſsitas eius neceſsitas fuit pariẽs coronam. Et quis nouit (inquit Mardochæus) vtrũ idcirco ad regnum veneris, vt in tali tẽpore patereris. *Heſt. 4.* Nequaquam tanti debuit illi eſſe cuſtodia corporis ſui, vt præponeret eam communi ſaluti ſuæ gentis, imò ſaluti totius mundi, cui videlicet ſaluti omniũ mirabiliter cooperata eſt illa coniunctio captiuæ Heſter & Regis Aſſueri. Nam per illam occaſionem liberati ſunt Iudæi, qui fieri debebant patres ſalutis, patres carnis Chriſti. Et ſi illa nondũ hoc totum ſciebat, quando primum ad cubile incircunciſi fuit adducta, tamen ſic futurum erat. Et quis accuſet Moyſen de iniuſtitia dicentem ad eum: Aut dimitte eis hanc *Exod. 33.* noxam, aut ſi nõ facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti? Quis item accuſet Apoſt. de *Rom. 9.* iniuſtitia dicentẽ. Optabam ipſe ego anathema eſſe à Chriſto pro fratrib. meis, qui ſunt cognati mei ſecũdum carnem? Sic profectò nec Heſter accuſari de iniuſtitia poteſt, etiã ſi optaſſet coniungi incircunciſo regi pro ſalute vel conſolatione ſuæ gentis, etiam ſi nõ eueniret periculum tã magnum quod poſt illam coniunctionem euenit, ſola captiuitatis neceſsitas illam excuſare poſſet.

Quomodo prudentia in eius conſilijs ſpectata ſit.

CAPVT XVIII.

IAm prudentiæ virtus in ea ſpectabilis ad laudẽ dei prędicanda eſt. Fecit enim tam prudenter, vt dictante ſpiritu ſapientię feciſſe non dubites, & ſicut de beato Ioſeph dictum eſt. Eloquium Domini inflãmauit *Pſal. 104.* eum. Ita de iſta quoq; veraciter dicas. Eloquium Domini inflammauit eam, dicẽti ad eam regi. Quid vis Heſter Regina, quæ eſt

petitio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hest.5. petitio tua? etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, dabitur tibi. Ita respõdit, Si Regi placet, obsecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui. Non statim dixit petitionem suam, non cõfestim aperuit voluntatem suam, sed ad cõuiuium vtrumq; inuitauit, amicum & inimicum, Regem & Aman. Prudenter prouidebat illic aperire inimicitias, vndè effugere non posset hostis homicida. Sed nec in primo conuiuio rem aperuit, dimisitq́ue hostem morti destinatum vnius diei mala securitate perfrui, & de magnitudine diuitiarum gloriari, iactantem atq; dicentem, Regina quoque Hester nullum alium vocauit cum Rege ad conuiuium, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum. Illum vtiq; malè securum, Regem autẽ magis beneuolum, magisq; fecit attẽtum. Si (inquit) inueni gratiam in conspectu Regis, & si Regi placet, vt det mihi quod postulo, & meam impleam petitionem, veniat Rex & Aman ad cõuiuium quod paraui eis, & cras Regi aperiam voluntatem meam. Ferã immanem, vrsum ferocem, vt tradat ad supplicium, allicit ad edulium, ne priùs audiat famam, quàm subeat pœnam, ne priùs videat foueam, quàm incidat in eam: prudens & sciens commodius esse, feram comprehensam intus opprimi, quàm exterritam & per saltus fugientem cum canibus dubio euentu insequi.

Quòd prudenter coram Rege petitionem suam exposuerit. CAPVT XIX.

Porrò ipse modus locutionis, vbi tandẽ Regi voluntatem suam aperuit, vbi petitionem suam & preces suas locuta est, ille (inquam) modus locutionis qualis extitit,
Hest.7. dicenti Regi iam tertia vice, Quæ est petitio tua, etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis, Ita respõdit, Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex: si tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro, Traditi enim sumus, ego & populus meus, vt cõteramur, & iugulemur, & pereamus, atque vtinam in seruos & famulas venderemur, esset tolerabile malum, & gemens tacerem. Nunc autẽ hostis noster est, cuius crudelitas redundat in Regem. Laudabilis in tali elocutione prudentia est, prudentia sana cuius doctrix est sancta & matura humilitas. Nunquid Reginã se esse sciebat, quæ tali modo Regi supplicabat? nunquid amari sese sentiebat, quæ cum tanto timore obsecrabat? Profectò mirari Rex ipse poterat, qui si peteret illa dimidiam Regni sui partem dare paratus erat, mirari (inquam) quòd Regina sua, dilecta sua, digna imperio præ cunctis mulieribus existimata, sibiq; præ omnib. fœminis cõplacita, pro anima sua. i. pro vita sua supplicabat, tanquam captiua, tanquam proscripta, velut si ab ipso Rege fuisset condẽnata. Hęc propter intimandam eius prudentiam dicta sint, quę tãta est vt magnitudinem eius nullus verbis dignè valeat consequi.

Eius prudentiam verius diuinam prouidentiam fuisse. CAPVT XX.

Nvnquid verò satis est dixisse prudentiam? Imò magis diuinam prouidentiam. Consideremus quę inter dilationes euenerunt, dum differt Regi aperire voluntatem suam: & liquidò constabit quia prouidentia diuina rexit Reginæ prudentiam. Quando ad primum cum Rege venit Amã Hest.5. conuiuium, nondũ sibimet destinatum parauerat supplicium. Siquidem Deo iudice sic fuerat præordinatũ, vt ipsemet pararet patibulum, machinatũ alteri, debitum sibi. Hoc autem (sicut iam dictum est) nondum parauerat. Diuina igitur factum prouidentia nõ dubitamus, quod voluntatem suam primo aperire conuiuio differens, Veniat (inquit) Rex & Aman ad cõuiuium quod paraui eis, & cras aperiam Regi voluntatem meam. Egressus est illo die Aman lætus & alacer. Iube (inquit vxor eius) parari excelsam trabẽ habẽtem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic mane Regi, vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum Rege lætus ad conuiuium. Noctem illã Rex duxit insom- Hest.6.
nem, & inter legendum vel audiendum historias & annales priorum temporum venit occasio, vt illum quem parabat Aman appẽdere super patibulum, ipsemet regijs vestibus indutum imponeret super equum regium, præcedens & clamans ante illũ: Hoc Hest.6.
honore condignus est, quemcunq; Rex voluerit honorare. Multum itaq; per dilationes illas aucta est Regis beneuolẽtia, & hoc diuinitùs prouisum est, quoniam Regem auditurum petitionem Hester, beneuolum quoque Mardochæo fieri oportebat, quod mirabiliter effecit nocte illa meritorum eius relicta memoria.

Aman in conuiuio quasi hamo captum fuisse. CAPVT XXI.

Amplius autem illud, quod adhuc dicere libet, prudentię Hester pariter & diuinæ prouidentiæ laus est. Deniq; de Diabolo dictum est ad beatum Iob. In oculis eius Iob 40.
quasi hamo capiet eũ. Itẽ, an extrahere poteris Leuiathan hamo? profectò per escam capitur quod hamo extrahitur: esca ostẽditur, ferrum subtegitur. Quod secundũ hãc similitudinẽ Diabolus, persequẽdo Christi humanitatẽ, ab eiusdẽ diuinitate fuerit cõprehensus, notũ & vsitatũ habemus, nimirũ illius. s. Diaboli seruus & satelles erat Aman præcipuus, & in illo habitans ipse Diabolus rẽ tãti sceleris machinabatur. Nónne igitur mirabile est, & cogitatu delectabile, quòd in conuiuio captus est, dicente Regina, Hostis Hest.6.
& inimicus noster pessimus iste est Aman. Deniq; quasi hamo captus est in oculis suis, cõprehensus est, qui cõuiuãdo super mensã inuenit

inuenit pœnam. Manifestè & miro modo gessit Diaboli figuram, ecõtrà Christi Mardochæus typum gessit. Sicut enim Aman in crucem fixus est, quam Mardochæo parauerat, & Mardochæus super equum regium ascendit, quem honorem sibi Aman à Rege parari putauerat. Ita Diabolus in cruce damnatus & triumphauit, quam Christo parari fecit, & Christus viuens sedet ad dexteram Patris, cuius similitudinem Diabolus sibi arrogare præsumpsit. Proinde gratanter dixerim, quia verbum Dei, verbum Deus, verbum nondum incarnatum, Deus nõdum homo factus, victoriam suam non solùm ibi præsignauit, verumetiam ibi iam vicit, ibi iam prudentia eius percussit superbum, & ibi iam obstetricante manu eius egressus est coluber tortuosus.

Quanta fuerit in ea boni zeli fortitudo. CAPVT XXII.

Qvod per tres iam dictas virtutes, temperantiam, iustitiam, atque prudentiã strenuè, imò diuinitus fuerat prouisum, per fortitudinẽ confestim haud segniter est consummatum. Fortitudo in pectore humilis fœminæ tantæ extitit, quæ & in omnẽ gentem ipsius redundauit, vt suspenso Aman in
Hest.9. patibulo, cùm Regis ira requieuisset, zelus Reginę non requiesceret, sed si Regi placet, inquit, detur potestas Iudæis, vt sicut hodie fecerunt, sic & cras faciãt in Susis, & decem filij Aman suspendantur in patibulis. Dixerat autẽ ei Rex, In vrbe Susis interfecere Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman. Quantum putas eos exercere eadem in vniuersis prouincijs? Quanta fortitudo zeli, dicentis sicut fecerunt hodie, sic & cras faciant in Susis, & suspendentes in patibulis iam interfectos decem filios Aman. Si non fuisset propter Deum vel propter iustitiam, videretur crudelitas: nunc autem considerata causa, vindictam eiusmodi nõ solùm excusat, verumetiam iustificat quòd non fuerit furor crudelitatis, sed feruor fortitudinis: nõ motus sæuitiæ, sed motus iustitię, nõ iræ excessus, sed vitæ prospectus. Causam iam considerauimus, iam considerandum proposuimus, quia de gente illa sperabatur mundi salus, nasciturus expectabatur Christus. Proinde dignũ se faciebat Spiritus sanctus, inspirando humilibus & teneris mentibus, vt pro tempore & re iustitia dura, duritia iusta vterentur, defendendo bonæ oliuæ radicem, bonæ radicis oliuam, vt staret & permaneret, donec daret fructum suum, donec effunderet oleum, verum generando Christum. Quod vbi factum est, recon-
Matth.26. de, ait Petro, gladium in vaginam, quia videlicet, cur vteretur gladio Petrus, causam iam non habebat necessariam. Cùm igitur legimus, quia pro animabus suis stetere Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis, in tantum, vt septuagintaquinque millia occisorum impleuerũt, & nullus de substantijs eorum quicquam contingeret, iam dictam præ oculis habentes causam, dignũ festiuitate factum arbitremur, quod videlicet festum scripto edixit Mardochæus, sanciuit Hester, vt omni studio dies interfectionis illi solẽnis in posterũ seruaretur, & reuertẽte sẽper anno solẽni honore celebraretur.

Quoties verbum Dei aliquod ex capitibus Draconis vicerit, persona in qua vicerit, victoriæ signa contulisse. CAPVT XXIII.

Hic iam notandum de verbo Dei, quia de singulis capitibus Draconis dũ vincit regalia victoriæ signa, personis illis per quas vincit, imponit. Ioseph & Moyses, per quos vicit caput primum, caput Aegyptiũ, in curribus triumphauerunt dominique ac principes facti sunt, illi dicente Rege: Ecce *Caput primum.*
constitui te super omnem terram Aegypti, *Gen.41.*
annulum regium, stolamque byssinam, & torquem accipiens auream, sedensq; super currum regium. Moyses autem Aegypto domita, mersoq; Pharaone, decantans victoriæ canticum, totiusq; populi obtinens principatum. Helias, per quem iudicatum atq; concisum fuit caput secundum, sicut loco suo narratum est, postquam deiecit Reges ad perniciem, & confregit potentiam ipso- *Secundum*
rum, postquam vnxit Reges ad potentiam, & Prophetas fecit successores post se, receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Daniel & socij eius, per quos humiliatum fuit caput tertium, Principes facti sunt, præcipuè Daniel, quẽ Rex Nabucho- *Tertium.*
donosor, cadens in faciem suam adorauit, & in sublime extulit, quem deinde Balthasar purpura vestiuit, & torquem aureã collo circundedit. Mardochæus & Hester, per quos caput quartum, appenso Aman in pa- *Quartum.*
tibulo, & filijs eius, vt iã dictum est, septuaginta quinq; millib. strangulatum atq; concisum est, qualibet victoriæ titul' fuere glorificati. Hester Regina regium in capite suo gestauit diadema. Mardochæus de palatio, & de conspectu Regis egrediens, fulgebat vestib. regijs, hiacinthinis videlicet & æri- *Quintum.*
nis, coronã auream portãs in capite, & amictus pallio serico atq; purpureo. Qui caput put quintum, caput nequissimum repercusserunt. Machabæi fratres post bella ingẽtia, crebrasq; victorias, purpura & stola sancta, fibulaque aurea regio more perornati sunt, & posteri eorum Regnum & Sacerdotium non parua gloria recuperatum obtinuerũt. Porrò qui caput sextum vicit, septimumq; *Sextum.*
vincet, quando Antichristum spiritu oris *Septimum.*
sui interficiet Christus Iesus, nõ qualiscunq; propugnator verbi Dei, sed ipsum verbum Dei, verbũ Deus, homo factus, coronã aut purpuram in hoc mundo non nisi irrisorię *Cruce &*
accepit, coronã spineam, chlamydemq; coccõ *tumelia*
cineam, & in dextera manu arundinem *vincit Chri*
pro sceptro impositam. Veruntamen, quæ *stus.*

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro irrisione in hoc mundo data sunt ei, sic in seria conuertit, vt nunc appareat Angelis & hominibus sanctis in gloria & honore patris, habens purpuram resurrectionis, coronam gloriæ, & æterni sceptrum imperij. De tribus vltimis capitibus mentio nunc tantũ facta sit, vt simul de cunctis capitibus vnum in præsenti loco spectaculũ habeatur, quod ad laudẽ spectat verbi Dei. Quia qui pro illo laborauerunt, & Regnum eius expectauerunt, singulis suis temporib. insignia victoriæ regalia, præsenti quoq; seculo spectabilia post labores & angustias sustulerũt. Nũc ad ordinem reuertamur.

Quid mysterij contineat, quòd Aman in patibulo quod Mardochæo parauerat suspensus fuerit.

CAPVT XXIIII.

INgẽs spectaculum & tunc erat oculis intuentium, & nunc est mentibus memorantium, quòd homo potẽs & superbus eatenus adorari solitus ante portas vrbis in patibulo quod Mardochæo præparauerat, suspensus est, & omnis cognatio eius: non nobis, ait Rex, sed Deo, ei reddente quod meruit. Hoc ipsum valdè miratur & Iosephus, qui tamen totum mirari nescìuit, quia sacramentum Christi, cuius in typum illud gestum est, ignorauit. Vndè, inquit, mihi contingit mirari nomen Dei, & sapientiam, iustitiamque eius agnoscere, non solùm quòd maleuolentiam Aman puniuit, sed & quod excogitata in alium tormenta, in eum conuertit, & cæteros hoc sentire permisit, quoniam qui in alium molestus fuerit, hæc in se primum parata cognoscit. Totum (vt iam dictum est) mirari nescìuit. Nos autem sciamus, & miremur in laudem verbi Dei, quia futuri triumphi sui, quo redimendus erat mundus omnis, pulcherrimam similitudinem præmisit illic. Nam sicut iam suprà dictum est, in ligno crucis non verbum Dei, verbum Deus interijt, sed Diabolus, cuius similitudinem gessit Aman, iudicium damnationis accepit, & hoc extra portam ciuitatis, ne vel à mysterio vacet, quod ante portas huius vrbis, id est, Susis, ait idem Rex, & Aman, & omnis cognatio eius pendet in patibulis. Hoc exinde non plus habet miraculi, quod non per hominem Prophetam suũ, siue cognitorem sui nominis, sed per hominem gentilem Deus rem tanti effecit sacramenti, tam profundam plenam mysterij.

Diabolus nõ Dei verbum in cruce interijt.

Quid mysterij contineat, quod domus Aman data sit Hester Reginæ.

CAPVT XXV.

SEd & illud ad mysticam similitudinem nonnihil attinet, quòd suspenso Aman in patibulo, die illo, ait Scriptura, dedit Rex Assuerus Hester Reginæ domũ Aman aduersarij Iudæorum. Vtique dando Hester dedit Mardochæo. Nam subinde sic scriptũ est: Hester autem constituit Mardochæum super domum suã. Quantum ergo pulchritudinis in hoc facto est, si illud recolas, qd in Euangelio Veritas ait, significans Diabolum de domo sua fore eijciẽdum: Cùm (inquit) fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Sic futurum erat, & sic factum est, quia Diabolus tanquã fortis armatus in genere humano potestatẽ habens, per peccatum sic obtinebat mundum, tanquam domum suam, siue atrium suum, sed verbum incarnatum fortiore manu superueniens vicit illum, & atrium illius fecit suum. Pulchrè igitur cum Hester Mardochæus euadens patibulum, vjuus suspensi Aman domum possedit: quia sic futurum erat, vt Christus verbum Dei, cuius origo carnis per Hester & Mardochæum defensa est, in cruce damnato Principe mortis, ipse cum Ecclesia sua principatum teneret, præsentis quoque seculi publica religione socialis secularis imperij & Ecclesiastici Sacerdotij festiuitate.

Hest. 8.

Matth. 12. Luc. 11.

Somnium Mardochæi, in quo paruum fontem, in fluuium magnum, deinde in solem conuerti videt, in Hester Regina completum fuisse.

CAPVT XXVI.

QVis tandem non videat effectum somnij verum, sicut dictũ est: Paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit? Hester est, quam Rex accepit vxorem, & voluit esse Reginã. Sed fortè dicis, quòd omnis ciuitas exultauit, & lętata est, quòd Iudæis noua lux oriri visa est, & honor, gaudium, & tripudium, quòd omnes populos, vrbes atque prouincias, quocunque Regis iussa veniebant, mira exultatio, epulæ, atq; conuiuia, & festus dies, quòd inquam post tristitiæ noctem tantam habuerunt lætitiæ lucem parum est, vt iam completum illic arbitremur, quod paruus fons crescens in fluuium, conuerti visus est in solem. Concedẽdum est, quia nullum gaudium transitoriũ pro quantacunque sui magnitudine meretur nuncupari sol, aut comparari soli, cuius videlicet solis lux siue forma non mutatur vt luna, sed plena perseuerat. Igitur neque Iacob in somnio Ioseph, neque Hester in somnio Mardochæi propter suam personã soli assimilata est, sed propter Christum solem iustitiæ vnum & solum, tam ille, quàm hæc per solem signatus est. Ille quia iã Christum habebat in promissione, hæc idcirco, quia Christi genus vndè nasceretur, reseruauit adiuuante sui corporis gratiosa pulchritudine, fideique & castæ mentis merito præeunte. Finis & causa finalis eorum quę tunc facta sunt, Christus est, & idcirco veraciter dicis, quia paruus fons in solem conuersus est.

Paruus fons.

Transitorium gaudium parari non potest.

Captiui-

Captiuitatem populi propter verbum Dei, multò quàm Gentium imperiosam libertatem, gloriosiorem fuisse. CAPVT XXVII.

Regimen captiui populi Dei.

COmparetur nunc illa populi Dei captiuitas cum libertate Gentium, sub quibus, vel inter quas populus ille captiuus erat. Quidnam gloriosius, quid felicius extat, Gentiũ ne, quæ sinè Deo erãt imperiosa libertas? an populi spem habẽtis in verbo promissionis captiuitas? At verò vt certum respondeas iudicium, respice conscriptam ex historijs & annalibus felicitatem, imò infelicitatem gentium & regum super eos dominantium. Quomodo regnabant? quomodo imperabant? In sanguinib. regnabant, in mortib imperabãt, falsè viuẽtes, & verè morientes, gloriam sitientes, & calamitatem bibentes. Nunquid enim illa, quæ diximus capita Draconis interea, dum contra mulierẽ in vtero habentem stabant & hiabant, saltẽ sibimet parcebant, & inuicem mordendo semetipsa laniare cessabant? imò suis morsibus semetipsa multò magis cruentabant. Nam contra mulierem quidem vno malignitatis spiritu malè concordantia, rictum semper faciebant, dentesq; collidebant, sed contra semetipsa miro modo diuisa inuicẽ oderant, & super inuicem saliebant, terramque suo sanguine quasi copioso imbre compluebant reges regum, amici amicorum, cognati cognatorum, filij patrum, patres filiorum, nec maternis vberibus filij parcentes, sanguinem voraces hauriebant, irritati interdum solũmodo fauoribus dissonis propter regnandi cupiditatẽ beluinam. Mater nonnunquam dum alteri filio plus fauere putatur, ab altero filio iugulatur, & à filio pater obtruncatur. Millia centena, & plus quã millia centena dietim bello cæsa, nimirum Diabolo pro ludo habentur. Non est præsentis propositi, horribiles & Diabolicas recitare gentilium bellorum tragœdias, qui vult, vel cui vacat, sunt historiæ multiplices legat illas. Nostra hic intentio est, perhibere quod verum est, captiuo Dei populo, gentes vel reges gentium captiuantes illum, etiam secundum præsens seculum fuisse miserabiliores, quoniam istis respicientibus ad promissionis verbum, omnia non solùm in futuro, verùm etiam interdum in præsenti seculo cooperabãtur in bonum, illis autem cum verbo Dei nihil habentibus, omnia cooperabantur in malum.

Superato per verbum Dei Persarum & Mædorum regno, Macedonum quod in Daniele per hircũ caprarum significatur successisse. CAP. XXVIII.

TAndem fieri oportebat, quod in verbo Domini dispositum fuerat, sicut Daniel præuiderat, vt videlicet hircus caprarũ veniens super faciem totius orbis terræ, & efferatus in arietem percuteret eum, & cornua eius comminueret, ita vt arietem de manibus eius nemo liberare posset. Hircus caprarum regnum fuit Macedonum, & cornu insigne, quod habebat inter oculos suos, magnus Alexander extitit. Porro Aries regnum erat Persarum & Mœdorum, Darius Arsami filius regnabat Rex quartusdecimus, in quo completum est, quod significabatur præmonstrante prophetico spiritu. Cumque misisset (ait) in terram arietem, hircus conculcauit eum, & nemo quibat liberare eum, videlicet arietem, de manibus eius. De hoc mirabile & miserabile illud propter præmemoratam regum vel regnorum gentium infelicem felicitatem non prætermittere libuit, quia grande spectaculũ factus est, & experimentum magnum, quàm sit instabilis status seculi, quàm infida fiducia mundi. Tribus prælijs ab Alexandro victus, à cognatis suis aureis compedibus & catenis, in gratiam victoris vincitur, & clauso vehiculo exportatus, multisq; vulneribus confossus adhuc spirans ab Alexandri militib. inuenitur, & perlatus ad Alexandrum, feliciùs te (inquit) hostem, quàm cognatos pro pinquosq; meos fortitus sum: matri quippe & liberis meis à te hoste data vita, mihi à cognatis erepta, quibus & vitam dedi & regna. Hæc propter incertam & ludicram mudanæ felicitatis aleam cõmemorata sint, quia regna mũdi semper fallacia fuerunt & sunt. Verùm autem est verbum, quoniam Domini est regnũ, & ipse dominabitur gentiũ.

Alexander Magnus.

Darius.

Dani. 8.

Quas ob causas Regnum Macedonum in priore visione per pardum, in posteriore per hircum fuerit signatum. CAPVT XXIX.

NVncillud quoq; animaduertere libet (quoniam ad intentionem præsentis operis nonnihil attinet) quod regnum Macedonum in anteriore visione per pardum, in sequente signatur per hircum. Nunquid enim sinè causa tam diuersa vnius eiusdemque regni figura est præmonstrata? Nequaquam, sed ob res diuersas visionum species varia est. Spiritus sanctus, spiritus propheticus sicut præsciuit res venturas, ita rerum venturarum sciuit congruè præeuntes accommodare figuras. Futurum quippe erat vt regnum Macedonum & ferinam pardi ferocitatem, & effœminatam hirci habens libidinem, sua vibraret cornua contra altissimum, suam obfirmaret sæuitiam contra verum & verè firmum sæpè dictæ promissionis verbum. Ex sacris recitandum est historijs, & postmodum recitabitur, quàm ferũ, & quàm fuerit libidinosum, ferocitate crudeli & crudelitate feroci, sanctos altissimi conterendo, libidine insana, insania libidinosa populum, & templum Dei contaminãdo, ferocissimum atque crudelissimum secundum pardi sæuitiam, libidinosum, & effœminatum, secundum hirci semper in libidinem proni petulantiam, æstutum atq; versutum secundum pardi varietatem, fluxum atque incontinens secundum immoderatũ

Hester. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanguinis hircini calorem. Vitijs istis tam diuersis ferocitate atq; libidine regnum illud Macedonum siue Græcorum contra verbum promissionis laborauit, quod postmodum suo loco plenè dicendum erit, & idcirco præcedente visione per pardum, & subsequente per hircum illud prænostrari dignum fuit.

Quas ob causas Regnum Persarum et Medorum, in priori visione per vrsum, in posteriore per arietem fuerit significatum.

CAP. XXX.

NIhilominus & de regno Persarum atq; Medorum quæsitu dignum est, cur in visione anteriori per similitudinem vrsi, & in subsequenti per formã arietis sit signatum. Ad quod congruè responderi potest, quia caulæ diuersæ, imò contrariæ regni illius fuere, erga Dei populum, & circa repositum in populo illo sæpedictum promissionis verbum. Causas illas tam longè diuersas dicere non dubitauerim, quàm diuersæ naturæ sunt horum animantium vrsi & arietis, quorum alterum rapto & cruore viuit, alterum innocuum neque sanguinem sitit, neq; rapto viuit. Promptum est hoc discerni, si respicias regnum illud secundũ Aman, quàm crudele fuerit secũdum reges, quàm clementer illi populo sese impenderit. Amã quippe moribus veraciter vrsus, truci furore immani rabie Iudæorum genus vniuersum ore aperto hians deuorare voluit. Reges autem, maximè Assuerus, more arietis lanis suis. i. opibus multis, quibus regnum illud abundauit, eundem populum fouit & ditauit, nullumq; dentem malignitatis inflixit, sicut aries dente neminem petit, imò vitam gentis illius multum lætificauit gratia reginæ Hester & Mardochæi. Sed fortè dicat quis, ipsam personam regis Assueri per vrsum illa visione oportere intelligi, quia scriptum est. Et sic dicebant ei, videlicet vrso, Surge, comede carnes plurimas. Et hoc signat illud dictum Assuero regi, Si tibi placet, decerne de populo, vt pereat. Ad hæc, inquam, non solum Regis personam, sed totum regni corpus signauit vrsus, nec soli regi dictũ est, decerne vt populus pereat, sed toti regno mandatum est per omnes prouincias, ad omnes satrapas, & iudices prouincia rum, vt occiderent atque delerent omnem Iudæorum populum. Igitur secundum Aman quidem, & secundum omnes, qui Iudæis nocere voluerunt, vrsus ferocissimus. Secundum regem & omnes illos, qui malignitatis illius spiritum non habuerunt, qua si aries fuit regnum illud.

Daniel. 7.
Hester. 3.

Quare hircus vnum tantùm, aries autem duo cornua habere visus sit.

CAP. XXXI.

SI & illud quæras, cur idem hircus visus est vnum tantummodo habens cornu inter oculos suos, aries autem cornua duo, facilis patet responsio, quia corpora quidẽ animantium singula regna signant, reges autem eorundem regnorum intelligũtur per cornua. Constat autem quia regni Macedonum rex vnus Alexander extitit, & victo Dario, sicut iam dictum est, solus suo tempore regnum tenuit. Regnum autem Persarum & Medorum non rex vnus extulerat capita Babylonica, sed duo Babyloniæ victores, & duo fuere reges eodem tempore vnius imperij consortes, videlicet Cyrus & Darius Medus auunculus eius Astiagis filius. Benè igitur hirci quidem vnum, arietis autem duo cornua visa sunt, quia videlicet Rex vnus regnum Macedonum: duo autẽ reges Persarum & Medorum roborauerũt imperium. Cyrus tempore vel ætate iunior quàm Darius, victorijs & potentia plus creuit, nec non & opibus & Dario maior est effectus. Hoc pulchrè visio memorata innuit, dum præmisso. Et ecce aries vnus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, subiungitur, & nunc excellius altero atque succrescens, Hoc est, Cyrus Dario valentior, & victorijs magis quàm ille proficiens.

Daniel. 8.

Magnam victoriam Verbi Dei partum in hoc esse quòd sicut regna mutanda prædixerit, ita & mutauerit. CAPVT XXXII.

AD summum, nónne in ipsis regnorũ mutationibus pulchrè pars elucet eiusdem victoriæ verbi Dei, quam laudare suscepimus? Siquidem verum dicere, & falli non posse, id sinè dubio vincere est, Et huiusmodi victoria maximè ad verbum Dei pertinet. Dicebat autem Deus hæc, antequã fierent, & de futuris fiebat verbum Domini ad homines, ita vt dũ fierent, sinè dubio cõstare posset hominibus, quòd non casu euenirent, sed ordinate prouidentia Dei rationabiliter procederent, & per iustum iudicium dispositа contingerent. Vndè quidam ipsorum Prophetarum cùm præmisisset, dicens: Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit? continuò subiunxit: Quia nõ faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit Dominus secretum suum ad seruos suos Prophetas. Exempli gratia, vt de regnis istis mutandis, & contra se inuicem pugnaturis non fecit Dominus quicquam, nisi priùs reuelaret secretum suum. Primùm sub imaginibus bestiarum, leænæ, vrsi, pardi, & quartæ terribilis, quæ sinè nomine describitur, & deinde sub similitudinibus arietis & hirci, quas nouissimè sermo commemorauit. Cùm igitur priùs in verbo Domini Prophetis reuelatur secretum, & tunc demum sicut reuelata vel prædicta sunt, ita omnia fiunt, simul & verbum Dei palmam obtinet veritatis, & opinio confutatur illorum, qui putant hunc mundum causaliter agi, nec regi prouidentia Dei. Contra quos ait per Hieremiam Prophetam ipsum verbum Domini, Quis est iste, qui dixit, vt fieret

Amos. 3.

ret Domino non iubente, ex ore altissimi non egredientur nec bona nec mala? Rectè nimirum indignatur contra eiusmodi, quia nihil fit, nisi Domino iubẽte. Nihil sinè causa sub sole. Non agitur mundus absque Dei prouidentia, sed ex ore eius egredientur bona & mala. Mala, dum mundus propter sua merita iusto iudicio affligitur: Bona, dũ pro sperite aliqua consolationem inuenit & lętificatur. Meritò nescitur, qui aliter sentit. Iustè reprobatur, qui cõtraria sapit, dicitur-que de illo. Quis est iste? quod idem est ac si dicat Deus, Nescio quis sit iste, nolo scire quis sit iste, discedat à me, non noui istum, nolo nosse istum.

FINIS LIBRI OCTAVI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER NONVS.

Præfatio ad Cunonem, qua conqueritur, se frigidum atq; negligentem, orationibus iuuari postulat.

CAP. I.



QVinti capitis contra Verbum vel propositum Dei prælia meditanti animo, iamdudum causa subest, cur illius reminiscatur dicti in Iob: Ab Aquilone aurum veniet, & ad Deũ formidolosa laudatio. Tibi, Cuno amantissime pater, causa hęc intimanda est, ex quo laudationem Domini, quam loquebatur os meum, cœpisti amplecti quasi aurum, fateor, sensi magis quàm eatenus senseram, me esse ad Aquilonem, id est, non habere me sicut oportuisset feruidam diuini amoris virtutem, viuidam & ardentem de propria salute solicitudinẽ. Fateor tibi me inuenisse experimentum, etiam illius dicti, Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Nunc maximè dum singula Draconis capita prosequor, & singulorum culpas sceleraq; sanguinea describere gestio, videtur mihi, quòd contra me versus in iram, suum excogitet furorem, & de me quasi accusatore suo desideratã quẽrat vltionem, Ita tentationum niuibus & grandine curarum me operit, & negligentię gelu constringit, vt cùm scripta mea in ore tuo libenter legas, & sic amplectaris velut aurum laudationis, etiam veraciter dicere poteris, Aurum hoc ab aquilone venit. Restat igitur, & mihi expedit, vt laudatio hæc mihi formidolosa sit, id est, hoc ipsum formidem, quòd scripto laudationem Domini, præsumptioni & vanæ gloriæ reputetur, non mercedi, quia studium, quod erat Sanctorum, non sanctus impudenter arripui. Tuis & omnium te diligentium orationibus opto iuuari, ne remaneam in terra Aquilonis, vndè aurum venit, sed cum ipso auro in regionem proficisci merear Austri clarissimi, sole meridiano fulgentis.

Iob 37.

Responsio iucunda Cunoni facta, qui rogarat, vt præfationem secundi libri Machabæorum explicatam huic operi insereret.

CAP. II.

DE isto capite quinto, & de his, qui percusserunt illud, scilicet Machabæis fratribus, occasio veniens sese obtulit, vt diceres ad me, Scribe mihi librum de victoria Verbi Dei, sicut in prologo commemorauí, quem huic operi tecum loquendo præscripsi. Nunc adhuc insistis, rogitans, imò per vim dilectionis imperitans, vt prologũ secundi libri Machabæorum longum, & vt dicis tu, mihiq; videtur, penè difficilem, aliquatenus studium adhibendo explicé, quasi ego cunctam possim, aut debitor sim tuã exactionem persoluere. Dicis etiam ludibũdus, quòd iamdudum hoc ipsum somniaueris, & somniãdo mihi supplicaueris pariter ac iusseris, quatenus hanc partem, scilicet elucidationem prologi, huic inserem & aptarem conuenienter operi, & quòd primũ recusasse fortiter, & deinde spopondisse obtemperanter visus fuerim. Et ego tibi audeo dicere, solicitus tamen ne cuiuspiam risoris oculus hoc videat, & nõ beneuolè hoc accipiat, quia videbar mihi quondam luctã cum Diabolo diutinam habere, tandemque dicere illi despicienti me: Cùm placuerit altissimo, ponat sedem suam in me, & loquetur iudicia super te. Si non vanum fuit, qd̃ videbatur, & si nunc re adimpletur, dum singula Draconis capita studioso sermone per cutimus, adiuuabit ipsum verbum, vt tuum quoq; somnium me obtemperante prosperetur.

Quintum caput Draconis fuisse regnum Græcorum. CAP. III.

QVid primùm de isto capite dicendum est, iam continuò gestiebat animus aggredi, Corniculum illud vnum de multis cornibus Hirci, per quem regnum Græcorum signabatur, vt iam prælibatum est in fine libri præcedentis, quòd videlicet corniculum magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & robur datum est illi contra iuge sacrifici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

crificium propter peccata, & delecit locum sanctificationis, videlicet Antiochus, qui appellatus Epiphanes, id est, nobilis, sub quo
Apoca. 12. septem Machabæi fratres paruuli cum matre passi sunt. Iam in rem istam properus sermo tendebat, quæ nimirum pars magna est prælij, quo prœliatus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas contra sæpedictum beatæ mulieris conceptum, id est, contra susceptum in fide antiquæ Ecclesiæ ex tempore Abrahæ verbum promissionis, sed mentem adhuc sup
Daniel. 10. erius tenet illa vox ad Danielem Angeli dicentis, Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & noli metuere, quia ex die primo quo posuisti cor tuũ ad affligendum te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. Et ecce Michaël vnus de principibus primus venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum. Et rursum ait, Nunquid scis quare venerim ad te, & nunc reuertar vt prælier aduersus principem Persarum? Cùm enim egrederer apparuit princeps Græcorum veniens, & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester. Vox, inquam, eiusmodi mentẽ audientem, tanquam tuba vehemens, ad se conuertit, & miraculo suo commonefacit, non præterire nos, quòd non solùm homines, verumetiam angelicæ fortitudines motæ fuerint, & principes fuerint in prælio, q̃ declamare suscepimus, scribentes hoc opus de victoria Verbi Dei.

Principes Persarum & Græcorum malos Angelos debere intelligi, resistentes principibus bonis, id est Angelis. CAP. IIII.

PRincipes istos Persarum & Græcorum, quales sint, vnus de doctoribus eximijs B. Hieronymus breuiter innuit. Isti sunt
1. Cor. 2. (inquit) principes, de quibus & Paulus Apostolus loquitur, Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus Principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Profectò & huiusmodi auctoritas deesset, prudens tamen auditor, principes malos, Angelos malos intelligere non dubitaret, contra quos bonis principibus præliandum erat, qui contradicunt precibus Sanctorum ho-
Iohan. 15. minum, & legationi Sanctorum Angelorũ. Siquidem mundi princeps Diabolus à Domino dictus est, & mundus (ait Apostolica veritas) in maligno positus est. Cùm de toto constet, de partibus quis dubitet? Si totius mundi princeps Diabolus, nonne consequenter partium mundi, scilicet Persarum atq; Græcorum principes, malæ potestates, maiori principi Diabolo subministrantes rectè intelliguntur? Non enim Persę & Græci Dei cultores erant, sed potiùs creaturæ quàm Creatori seruiebant, non Deum, sed pro Deo Dæmonia colebant: Persæ solem, quem & Appollinem dicebant, Græci sub nomine vel obtentu sapientiæ suæ Mineruam, aliæq; Gentes alia Dæmonum portenta, Gens vnaquæq; suum præ cæteris singulariter, omnis autem vniuersali sub nomine Iouis principem Dæmonum, principem mũdi Diabolum colebant. Et eiusmodi principibus, tam malis spiritibus, coram simulachris suis sese prosternebant, vtiq; quorum Dij fuerunt, multò magis principes rectè dicti sunt eorum.

Principem populi Dei Michaelẽ esse, bonos principes omnes inter se consentire, malos verò neque cũ bonis, neque inter se conuenire.

CAPVT V.

POrrò Danielis & totius populi Deum verum colentis, Princeps erat Michael, *Daniel 10.* Princeps sanctus, Angelus bonus, Archangelus magnus. Nam idem Angelus dicit, Et nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester. Et rursum ait, In tempore autem illo cõsurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui. *Daniel. 12.* Sub tam diuersis, imò cõtrarijs principibus positi homines & Reges Gentium, in diuersum atq; contrariũ tendebant: & principes eorũ mali, principes malorũ, bonis principibus bonorũ & Deum colentium sine dubio *Daniel. 10.* resistebant. Quoniã hic loquitur vnus de bonis principib. Princeps regni Persarũ restitit mihi viginti & vno dieb. Et boni quidẽ principes semper sibi consentiunt: mali aũt & semper bonis, quoad possunt resistunt, & sibimet semper dissentiunt, & semper inter eos iurgia sunt, quia superbi sunt: similiter, qui sub ipsis sunt homines mali, semper à bonis dissentiunt, & nihilominùs contrà semetipsos diuisi sunt, regnũ aduersus regnũ, ciuitas cõtra ciuitatẽ, domus contra domũ, vir in virum: & quamuis aliqui sint interdum consanguinitate iuncti, attamen nulla fides regni socijs, omnisq; potestas impatiens consortis erit.

Quale prælium sit inter bonos & malos Principes. CAP. VI.

VNdè autem principibus malis contra principes bonos vis vlla præliãdi? Vndè virtus resistendi? Vndè facultas contradicendi? Ex causis, ex hominũ siue populorũ peccatis. Prœliantur quippe in cãpo iustitiæ, conflictu iudicij. Mali pugnant accusando, boni pugnãt defendendo, Iudice Deo. Inquantũ magna & vera accusatio, intantum tarda & inualida est defensio. Exẽpli gratia, Magna & vera fuit accusatoris accusatio, cõtra decẽ tribus Israel, q̃ appellabantur Samaria, diuisę à domo Dauid, & à tribu Iuda magna (inq̃) accusatio principis Assyriorũ, quicunq; fuerit ille angel⁹ malus, q⁹ nunquã recessisset à peccatis Hieroboã, qui peccare fecit Israel, & incorrigibiles fuerũt toties audi

Principib. malis aduersus bonos, vnde vis prælian di.

to per

to per Prophetas verbo Dñi, factis apud se per Heliã & Heliseũ, tot signis, tot ꝓdigijs. Et magna quidẽ, sed non tã magna erat accusatio Principis Persarum contra Iudęos, qui captiui tenebantur sub rege Persarum, quia peccauit quidem & tribus Iuda in Hierusalem, sicut decem tribus in Samaria, Sed non tam pertinaciter. Nam aliqui ex Regibus Iuda pœnitentiam egerunt, vt Manasses: alii qui etiam iusti fuerunt, & populum correxerunt, vt Ezechias & Iosias. De regibus autem decem tribuum nullus (vt iam dictũ est) recessit à peccatis Hieroboam. Magna igitur accusatio Principis Assyriorum, & tã magna, vt nullus eos defendere potuerit, quin iustè tenendi, essent perpetua captiuitate captiui. Accusatio autem Principis Persarum magna quidem, sed non tam magna fuit, vt deberet esse sub Rege Persarum insolubilis Iudæorum captiuitas: quia nõ fuerat eorum, vel regum ipsorum insolubilis culpa, id est, sinè regum aliquorum & populi publica vel communi pœnitentia. Proinde restitit quidem mihi, inquit, Princeps regni Persarum, subauditur, sed non vsquequaque resistere mihi poterit, quia videlicet causa nostra, moduſq; peccati & principi nostro Michaëli, qui solus adiutor meus est in omnibus his, locum facit iustè defendi, quòd non debeatis perpetua captiuitate teneri, quia non in perpetuum à Domino recessistis, imò pœnitentia satisfactionẽ nonnunquam obtulistis, & nunc offertis.

Quomodo princeps Persarum restiterit XXI. diebus. CAPVT VI.

QVæ porro est ratio numeri huius, Princeps Persarũ restitit mihi viginti & vno diebus? Videlicet, quia tot diebus expectatum & desideratum fuerat à Daniele responsum diuinum, tanto desiderio, vt propter idem dici meruerit vir desideriorum.
Daniel. 10. Tot (inquam) diebus expectatum fuerat responsum. Nam in diebus illis ego Daniel (inquit) lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum sed neq; vnguento vnctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. Triũ hebdomadarũ dies, viginti sunt & vnus. Itaque tanquam de mora Daniel conqueretur, & tarditatis argueret Angelũ, vltroneam præfert excusationem, cur non venerit à prima die luctus & ieiunij. Ex die pri-
Daniel. 10. mo (inquit) quo posuisti cor tuũ ad affligẽdum te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, subauditur, pro tua persona, quia coram Deo iustitia inuenta est in te, non tamen die primo veni propter sermones tuos & ista causa fuit tarditatis, quia Princeps regni Persarum restitit mihi, videlicet contradicens, & asserens iniustam esse captiuitatis solutionem, & sic illo resistente, teq; in oratione & afflictione perseuerante, transierunt viginti & vnus dies: & nunc veni tandem docere, quæ ventura sunt secundum iudicia Dei misericordiam & veritatem: sic incipiens multa & admirabilia, tanquam historiã recitans, de futuris denunciat Danieli, quo-
Daniel. 12. rum hic finis est. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Quomodo, nobis orantibus, mali spiritus prælientur cum bonis. CAPVT VII.

TErribile atque lamentabile hinc nobis datur documentũ, vt sciamus causam esse apud Dei iudicium, quoties in aliqua tribulatione, seu publica, seu priuata non citò exaudimur clamantes ad Dominum. Scire namq; debemus, sanctos Angelos inter Deum & Dei seruos administratores esse, nosq; in conspectu eorũ psallere & orare, semperq; illos paratos esse ad offerendas Deo orationes Ecclesiæ, Scire etiam debemus, Angelos econtrà malos venire & contradicere illis, atq; resistere, & cùm sint iniusti, nostræ contra nos declamare causas iniustitiæ, quòd videlicet exaudiri non debeamus, eo quòd neq; plena Fide oremus, neq; propositas nobis exauditionis conditiones obseruemus, quæ sunt eiusmodi: Solue col-
Esaiæ. 58. ligationes impietatis: Solue fasciculos deprimentes: Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne opus diſrũpe: Frange esurienti panẽ tuũ, & egenos vagosq; induc in domũ tuã: Cùm videris nudũ, operi eũ & carnẽ tuã ne despexeris: Tunc inuocabis, & Dñs exaudiet, clamabis, & dicet, Ecce adsum. Cũ igitur inuocamus, & Dñs nõ exaudit: dũ clamamus & nõ dicit, Ecce assum, scire debemus, sanctis Angelis inuocationes atq; clamores nostros Deo offerentib. resistere & contradicere malos, habentes in manib. accusationem, iacula quæ sunt peccata nostra, nõ redempta iã dictis misericordiæ operibus, quę Dñs in conditione posuit, si iustè exaudiri desideramus. Sed iam cœpta prosequamur.

Quomodo sit intelligendum, quod dictum est: Ecce Michael vnus de principibus primus venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum. CAP. IX.

ECce (inquit) Michaël vnus de principibus primus venit in adiutorium meum & ego remansi ibi iuxta regem Persarum. *Danie. 10.* Ac deinceps: Et nunc reuertar, vt prælier aduersus Principem Persarum. Cùm enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Notanda est hæc litera, quia remansi dicit, non iuxta Principem Persarum, sed iuxta Regem Persarum. Rex namq; Persarum homo erat Darius vel Cyrus, cũ quo vel iuxta quem, q⁹ meliùs dicitur, bonum Angelum remanere oportebat, quia captiuorum causa hoc exigebat. Princeps autem Persarũ Angelus malus erat, iuxta quẽ non remanere, sed aduersus quẽ præliari bonũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelum decebat. Quid commodi, quid boni fructus inde prouenerit, ex eo, quod iuxta regem Persarum bonus iste Angelus remansit, & aduersus Principé Persarum, pliatus est, nõ opus est quærere, quia notum & iã superiùs tractatũ est, qualiter rex Persarum instinctu Dei Iudæorum captiuitatẽ soluit, & de reædificando magni Dei templo decretum edixit, & Deinde qualiter alius Rex Persarum Assuerus retentus fuit, ne pessimum Aman Agagitæ hostis Iudæorum consilium perficeret, imò malitiæ eius machinationes in caput eius retorqueret. Vndè hæc tã feliciter euenerũt, nisi quia bonus iste Angelus remansit iuxta Regem Persarum, videlicet administrans cõsilium bonum? Spiritus enim (inquit Apostol.) administratorij sunt, & quia præliatus est aduersus sibi resistentẽ angelum malum, Principem Persarum, offerendo Deo orationes & defendendo causam captiuorum. Magna sunt hæc & digna, vt pro illorũ effectus sancti Principes cælorum, præliarẽtur, si memoriter teneas, quòd iam sæpè diximus, quia reseruatio gentis illius, præparatio erat aduentus Christi Iesu, vt esset, vndè illo nascente verbũ promissionis impleretur. Vndè gaudere & lætari habebant, nõ solùm iste præliator Angelus, & Michael adiutor eius, sed & omnes Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutas, Cherubim, atq; Seraphim, cum omnib. hominibus bonæ voluntatis.

Quomodo sit intelligendum, quod ait: Cùm enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens.

CAP. X.

SEd ecce aliud malum, Cùm. n. inquit, egrederer, apparuit Princeps Græcorum
Daniel. 10. veniens, subauditur, ad obtinendum vel acquirendum Macedonib. imperium, sub quo videlicet imperio, filij populi tui multa passuri sunt. Iam tunc apparebat, iã tunc veniebat regnum Græcorum, agitante populos Græciæ isto, quem dicit Principé Græcorũ. Nec mirum, si iã videbat Angelus bonus in conspectu Dei stans, & ab ipso egrediens, & ad ipsum regrediens, non (inquã) mirum, si iam videbat venire incipientem eiusmodi principem, quia videlicet iam tunc magna Græci facere incipiebant. Promptum est volenti ex historijs recolere, quanta postmodum Græci, Maximeq; Athenienses & fecerunt & passi sunt. qui præcipui vel primi Græcorum in rebus bellicis extiterũt, quip pe quorum opera, inquit Pompeius Trogus, effectu maiora quàm dicto fuere, quæ non modò vltra spem gerendi, verumetiã vltra gesti fidem peracta sunt. Sub ijsdem temporibus quando Danieli visiones istæ reuelabãtur, ipsum narium à Cyro tertiũ regẽ Persarũ, cuius tẽpore hæc Danieli angelus in visione locutus est, Athenienses vicerũt. Cognito namq; Darius, quòd Athenienses hostib. contra se auxilium tulissent, omnem impetum belli in eos conuertit. Cuius aduentu audito, Athenienses auxilium à Lacedæmonijs petiuerunt, & magna cum alacritate animorum hostib. obuiam venerunt. Pugnatũ est tanta virtute, vt hinc viros inde pecudes putares: ducenta millia Persæ eo prælio siue naufragio amisere. Claret itaq;, quomodo dictum sit, Cùm enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens, quia iam tunc *Ibid.* Persæ à Græcis vinci incipiebant, & deinde Dario decedente, cùm filius eius Xerxes habens millia septingenta Græciam intrasset, vt non immeritò proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Græciamq; omnẽ vix capere eius exercitum potuisse, duobus prælijs terrestrib. & tertio nauali prælio, in quo decies centum millium numero naues habuisse dicuntur, victi sunt: & introitus regis eorum in Græciam quàm terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. Mirum dictu, & veteres recensentibus historias perspicuum est, quã crudeliter mali illi Principes, Angeli truces per eadem tempora luserunt in sanguine humano, nunc Græcis Græcos, tunc itidem Græcis cædentibus & occidentibus Persas impacabili furore, ita vt non ignores cur dictum sit: Mundum in maligno positum fuisse vel esse, cuius videlicet maligni *Principes.* Diaboli principes suffraganei erant, illi iam dicti, qui quoniam principabantur illis, nõ poterat pax esse impijs.

Quomodo regnum Græcorum originem cœperit.

CAPVT XI.

DIxisse nos arbitramur de principe Græcorum, qualiter venire cœperit, iam dicendum est, qualiter peruenerit, qualiter *Græcorum regni origo* regnum Græcorum siue Macedonum (qui profectò Græci sunt,) auctum imperium cum cæteris Gentibus Iudæam quoque tenuerit, & per quem illa facta sint, quæ facienda superior visio demonstrauit in cornu modico, quod subortũ est ex quatuor cornibus hirci suprà memorati. Post annos imperij Persici plus minus ducentos viginti, Alexander Macedo decedente Philippo in regnum successit, eodem (vt putabatur) Philippo genitus, virtute & diuitijs patre maior. Porrò, si verum memorant, qui de illo scripserunt, veraciter illum adduxit in regnum, & cùm peruenit iam dictus ille malus Princeps Græcorum, permittente Deo, cuius permissio semper iusta est, licet malignorum Principum voluntas siue intentio semper sit iniusta. Ferunt namque gestorum eius scriptores, Nectanebum quendam maleficum per maleficia transfiguratum, in cornuti Iouis Dæmonium, quem dicunt Hammonem, Olympiadis vxoris Philippi inisse concubitum, atq; exinde Alexandrum hunc fuisse generatum. Ferunt & hoc alij, quia qua nocte eum mater Olympias cõcepit, visa est per quietem cũ ingenti Serpente volutari. Vtraque hæc dicta scriptorum satis sibi consentiunt, nisi quòd ab altero plus, & ab altero minus est dictum, & vtrosque libẽter audimus, quòd hoc vel illud dicere, est testificari, quòd illic non defuerit malignorum cooperatio spirituum, vbi conceptus est talis vir, talis futurus prædo terrarum, & (vt ait quidam insignis author) non vtile mundo editus exemplum tot gentes esse sub vno posse viro.

Regem Alexandrum se Hammonis filium videri voluisse, idq; per Hircum caprarum, qui terram nõ tangebat, Danieli significatum fuisse.

CAPVT XII.

PRopter felicitatem prædæ suæ, qua prædatus est mundum, & propter inuictam fortitudinem celeritatemque victoriarum præsignatus est per cornu insigne, q̃ habebat (inqt Daniel) Hircus inter oculos suos. Puer namque acerrimus literarum studijs eruditus fuisse dicitur, & deinde per quinquennium creuisse sub Aristotele omnium philosophorum nobilissimo doctore, adeptus imperium, Regem se terrarum omniũ ac mundi appellari iussit. Tantæ superbiæ fuit, vt de se plus, quàm de homine iuberet censeri, & idipsum maternũ suæ conceptionis opprobrium, quod iam ante nullis auditum fuerat, vertit in gloriam sibi. Denique, vt aiunt ijdem scriptores, Philippus vltimo propè vitæ suæ tempore filium suum non esse palã prædicauerat, qua ex causa Olympiadem velut stupri compertam, repudiauerat. Siquidem ipsa Olympias Philippo confessa fuerat, se Alexandrum, non ex eo, sed à Serpente (vt iam dictum est) ingentis magnitudinis concepisse, quod non aliud, nisi adulterium Nectanebi per maleficia transfigurati, seque Hammonem esse, dicentis. Igitur Alexandri, cùm ad Iouem Hammonem pergeret, responsa petiturus de euentu futurorum, & origine sua, cupiens originem Diuinitatis acquirere, simul & matrẽ infamia liberare, per præmissos subordinat, quid ab antistite templi sibi responderi vellet. Ingredientem templum statim antistes sicut fuerat subordinatum, salutat vt Hammonis filiũ, ille lætus quasi Dei adoptione hoc se patre censeri iubet. Rogat deinde, an omnes interfectores parentis sui sit vltus, (Fuerat nanque Philippus in spectaculis à quodam nobili iuuene, nemine suspecto ob truncatus) respondetur, patrem eius nec interfici posse, nec mori, regis Philippi penè peractam vltionem, Comitibusque eius hoc fuit responsum, vt Alexandrum pro deo, non pro rege colerent. Ob tantam cordis eius superbiam reor sic visum, & sic dictum, quia Hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram. Vt sit sensus, quia generationem suam non terrenam, sed Diuinam censeri voluit. Nam & moriens ad postremum in templo Hammonis, vtpotè patris sui Dei, corpus suum condi iussit.

Aristoteles omniũ philosophorũ doctissimus

Philippi interfector. Pausanias

Quomodo Alexander Hierosolymam venerit, & principem, Sacerdotum vestibus sacris indutum veneratus sit.

CAPVT XIII.

NEcdum causam commemorat, vt Hircus ille, scilicet regnum Græcorum, Iudam & Hierusalem, templumque nuper de ruina & igne Chaldæorum resuscitatum deuastaret neq; cornu illud insigne ad hoc fuerat deputatum, vt faceret quod faciendum erat per aliud cornu eiusdem Hirci, *Veneratio principũ, Sacerdotum.* iuxta visionis suprà memoratæ mysterium. Sciendum quippe, quia non nisi ob causas manifestas, non nisi ob scelera grãdia contigit, vt vel Nabuchadonosor locum illum priùs, vel Antiochus desertum redderet posteriùs. Causas, præcedentis, id est, Babylonicæ tempestatis suo suo loco diximus, causas sequentis postmodum dicemus. Igitur intendebat quidem diabolus contra deum, contra promissionis Dei verbum vibrare illud Hirci cornu magnum, sed permissus non est, imò manifesta Dei virtute locus ille defensus est. Cũ enim idem Alexander Hierosolymã adueniret, Phœnices (ait Iosephus) & Chaldæi secũ reputabant, q̃ quicquid potuisset furor imperialis in ciuitatẽ, & ipse cõmitteret, & ipsos committere permitteret, & principẽ Sacerdotum summis afficeret cõtumelijs. Atidẽ Princeps Sacerdotum, nomine Iaddi, Diuina visione prænonitus fuerat, vt cõfideret, sertisq; ciuitatẽ ornaret, portasq; protinus aperiret. Et alij quidẽ cũ veste alba, ipse autẽ & reliqui Sacerdotes, cũ legitimis stolis occurrerent, spe rantes, nihil sæuũ pati Deo prouidẽte. Hoc facto, venit è diuerso quã putabãt iam dicti Phœnices, & Chaldæi. Nam Alexander videns multitudinẽ vestibus albis indutã, antistites verò cũ bisinis stolis, & Principẽ Sacerdotum cũ tunica hyacinthina, & aurea stola, super caput habentẽ cydarim & lami nam aureã, in qua scriptum erat Dei nomẽ, adijt solus, & nomen adorauit, & Principem Sacerdotũ primus veneratus est. Super hoc Syriæ regib. & reliquis stupentibus, corruptãq; regis mentem putantibus, cũ vnus ex omnibus interrogasset eum, dicens: Cur, eũ omnibus adorantibus, ipse adorasset Principem Sacerdotum gentis Iudææ. Non hunc (inquit ille) adorauí, sed Deum, cuius Principatu Sacerdotij functus est, nã per somniũ in huiusmodi eũ habitu conspexi. Præclara victoriæ pars, victoriæ nominis vel verbi dei, taliter ob adimplendã veritatẽ promissionis, illam gentem reseruantis atque defendentis, vt regnorum capita sibi humilia ret, dũ & Babylonis caput Nabuchodonosor Prophetam eius procidens adorat, & Macedonum diadema magnus Alexander in Sacerdotis ornatu nomẽ Dei nihilomin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

adorat,& eorum medius tempore potentissimus Persarum Mœdorumq; Rex mysteriorum victoriosæ passionis eius, sicut suo loco dictum est,appenso Aman in patibulo, licet ignorans, concelebrat.

Quomodo illud cornu fractum sit, id est, quomodo Alexander magnus vita decesserit.

CAPVT XIIII.

Dani.8. QVomodo illud tandem cornu fractũ est? Hircus enim caprarum (ait Scriptura) factus est magnus nimis, cumque creuisset, fractum est cornu magnum. Quomodo fractum est? quomodo mortuus est, qui æstimabatur,& æstimari volebat immortalis, magnus Alexander? Venerat Babyloniam, & ibi per insidias veneni accepit poculum, cuius veneni tanta vis fuisse dicitur, vt non ære, non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri nisi in vngula equi potuerit. Accepto poculo, media potione repentè velut telo cõfixus, ingemuit, elatusq; è conuiuio semianimis, ita amarè cruciatus est, vt ferrũ in remedia poscret. tactumque hominum velut vulnera indolescret. Sexta die discessit Alexander, mensem vnum & annos tres & triginta natus, cuius temporis tam breuissimi nunc idcirco meminerimus, vt recogites, qualis vel quanta esse possit causa huius iuuenculi in iudicio antiqui dierum super thronum sedentis,& iudicantis de bestijs illis, quarum tertia bestia fuit hic Pardus, id est, per Pardum signatus, fœuus atq; superbus. Quale enim est, cum contemplatione illius antiqui, videre iuuenem temporis tantilli rapientem regnum, quod idem antiquus disponere debuit, seque appellari iubentem terrarum omnium regem ac totius mundi. Nimirum tale est, imò longè ridiculosius est, quàm si locusta subsiliat,& pro breui saltu gigantem se haberi velit, tã magnum vt cælum contingat. Iamdudum de isto & de cæteris irreuerentibus, & in republica eiusdem antiqui dierum rapinam regnorum facientibus dictum fuerat. Perijt memoria eorum cum sonitu, & Dominus in æternum permanet, qui & permanens dicit: Consilium meũ stabit, & voluntas mea fiet, subauditur, vt ille solus vincat, solus regnet atque imperet, qui antiquus à me præelectus est, quia verum & maternum est antiquitatis meæ iudicium, vt solus ille Rex sit omniũ, per quẽ solum omnia facta sunt.

Aqua Stygis tollitur Alexand.

Domini est regnum.

Fracto cornu, alia quatuor succreuisse, ideoq; Draconem, cùm septem tantùm capita habeat, decem tamen diademata gestare.

CAPVT XV.

FRacto cornu Hirci magno, orta sunt (inquit) cornua quatuor super illud per quatuor ventos cæli. Id est, mortuo Alexandro magno, diuisum est regnum eius in partes quatuor, & laceratum est etiam in externos, exceptis his quatuor regnis, Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, & Aegypti. In Aegypto enim primus regnauit Ptolemæus Lagi filius, id est, ad meridiem. In Macedonia Philippus, qui & Arideus frater Alexandri, id est, ad occidentem. In Syria & Babylone Seleucus, qui & Nicanor, id est, ad orientem. In Asia & Ponto Antigonus, id est, ad septentrionem. Hoc secundum plagas totius orbis. Cæterùm quæ in Iudæa est, ad aquilonem Syriam, & ad meridiem Aegyptum habet. Hic iam illud occasio suggerit, quòd in Apocalypsi Draco siue bestia hæc, cuius contra verbum Dei prælia præsentis operis intentio recensenda susscepit, capita quidem septem, & in capitibus suis septem diademata, decem verò scribitur habere cornua. Nam ecce (inquit) Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decẽ, & in capitibus suis septem diademata. Cur ita sit, præsens locus vigilanter obseruatus innuit, quia videlicet dum in vno ex septem regnis, quæ sunt septem capita Draconis pro vno rege Alexandro decedente, quatuor succedunt, & imponunt sibi omnes diademata, crescit numerus regum, & decem fiunt reges septem regnorũ, per quę (vt iam sæpe dictum est) hoc agere instituit Draco Diabolus, vt irritum fieret promissionis Dei verbum. Nam & si in quatuor partes diuisum est regnum Macedonicum, pro vno tamen imperio computatum vsq; ad Romanorum imperium. & vna tantum pars, scilicet Syriæ regnum per Antiochum Epiphanem Draconis eius maliciam, id est, fœuam contra testamentum Dei, crudeliter exercuit persecutionem.

Apoc.12.

Antiochum per cornu paruulum, quod de vno ex quatuor exierit, significatum fuisse.

CAPVT XVI.

PRimus (vt iam dictum est) post mortem Alexandri, Syriæ regnauit Seleucus, cognomento Nicanor, secundus Antiochus, qui appellatus est Soter, tertius & ipse Antiochus, qui vocabatur Theos, id est, Deus, quartus Seleucus, qui cognominatus est Callinicus, quintus Seleucus, cognomento Ceraunos, id est, fulmen, sextus Antiochus, frater Seleuci, qui appellatus est magnus, septimus Seleucus filius Antiochi magni, octauus Antiochus, qui appellatus est Epiphanes, id est, illustris, frater Seleuci. Iste est radix peccatrix, de quo primus liber Machabæorum sic incipit, Et exijt ex eis radix peccatrix Antiochus illustris filius Antiochi Regis, qui fuerat Romæ obses, & regnauit in anno centesimo & septimo regni Grę corum. Iste est quem ita prophetica visio designat: De vno autem ex quatuor cornibus egressum est cornu vnum modicum, id est, de Seleuco, qui cognominatus est Nicanor (vt iam dictum est) exijt Rex iste Antiochus octauus ab illo, Rex virtute modicus, arrogantia magnus. Et factum est cornu illud magnum cõtra meridiem, & contra

Malach.1.

Dani.8.

contra orientem, & contra fortitudinem, & magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas, & vsque ad principem fortitudinis magnificatus est, & tulit ab eo iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius, sicut in Machabæorum libris narratur. Hanc malorum partem declamare, nostri propositi est, nam cætera regni illius mala, quæ cõtra semetipsos, Alexandri Principes & Duces seu Comites mox facti reges gesserunt, ad præsens non pertinet negotiũ, quia videlicet contra Dei testamentum manus suas, vel arma sua non extulerunt, sed suum inuicem sanguinem male prodigi biberunt. Sunt historiæ, quas quicunque legit, planè animaduertere potest, Alexandrũ non degenerasse à Serpente, imò Dæmonio de quo sub nomine Hammonis fuisse conceptum se, ipse gloriatus est, cuius videlicet Alexandri superbiam, celeré cadens in mortem, cædium plurimarum seminarium fuit, suosque domesticos contra semetipsos diuisit odijs vipereis, discordijs serpentinis.

Onyæ primùm sanguine quintum hoc Draconis caput maduisse, & rursum factum fuisse.

CAPVT XVII.

PRincipium sanguinis, quo caput istud Draconis, caput quintum maduit, & rursum cœpit fieri, cædes Onyæ Pontificis extitit pij, & mala odio habentis, propter cuius pietatem, cùm Leges adhuc optimè custodirentur, & sancta ciuitas in omni pace habitaretur, fiebat, vt ipsi Reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent, ita vt Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Vita excesserat Seleucus, regnumq; susceperat Antiochus, qui Epiphanes, id est, nobilis appellabatur. Rege illo falso nobili, & verè ignobili regnãte, Menelaus, qui Onyas dictus fuerat, sed Græcorum æmulatus gloriam, inter cætera gentilis ritus insignia, Græcum quoque nomen assumpserat, vt vocaretur Menelaus, id est, robur populi. Aurea quædam vasa templo furatus, alia donauerat, alia vendiderat, ob quam rem cũ argueretur ab Onya, egit vt ab Andronico, cui partem vasorum dederat, Onyas interficeretur, & ita factum est. Occisus itaque est propter iustitiam, primus in acie Sactorum martyrũ Machabæorum, de quibus Deo donante nunc erit dicendum. Vir in vita sua, & post mortem suam venerabile habens testimonium, quòd fuerit vir bonus & benignus, visu verecundus, modestus moribus, & eloquio decorus, atque à puero in virtutibus exercitatus. Primus in hunc persecutionem egit frater ipsius Iason, qui patrio nomine dictus fuerat Iesus, sed sicut de Menelao iã dictum est, Græcas patriæ Legi præferens glorias, Græcum in primis vocabulum assumpserat, vt vocaretur Iason. Iste ambiens summum Sacerdotium pecunijs oblatis, impius facilè obtinuit apud Regem impium, post hoc vitam quoque, vt iam dictum est, amisit Onyas propter iustitiam.

Quibus peccatis populus meruerit, vt Deus per Antiochum eos afflugeret.

CAPVT XVIII.

DIcẽdum iam in primis, qualia propter peccata permissum ac iustum fuit ante Deum, vt potestatem haberet caput illud nequissimũ aduersus testamentũ Dei, talẽ, tam magnam vt penè periclitata fuerit spes promissionis, quam (vt sæpe dictum est) in mente tunc habebat Ecclesia, secundum similitudinem mulieris in vtero habentis. Malum ipsorum primum ab ipsis processit, ita vt exigeret iustitia fieri, quod faciẽdum esse dixerat in Dauid Deus, in sermonibus suis iustus, & vincens cùm iudicatur. Visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Acto nanq; vt occideretur Onyas Pontifex pius, propter quem (vt iam dictum est) Leges optimè custodiebantur, prædicti Iason & Menelaus, & multi ab ipsis persuasi, accesserunt ad Antiochum, & ad notitiam eius perduxerunt, quod vellent patrias relinquere Leges & conuersationem, & mores obseruare Græcorum. Rogauerunt ergo eum, vt permitteret eis ædificare gymnasium Hierosolymis. Est autem gymnasium nudorum exercituum, quo iuuenes nudi luctantes se exercebant. Gymnos græcè, nudus latinè. Cumque concessisset Antiochus, Circumcisionem suam (inquit Iosephus) velauerunt, vt non apparerent Græcis esse dissimiles. Quod ille dicit, & velauerunt circumcisionem suam, hoc est quod ait Scriptura libri Machabæorum, Et fecerunt sibi præputia. Circumcisis nanque impossibile erat sibi facere præputia, nisi velando Circumcisionem, ne appareret, quòd non haberent præputia. Hoc faciendo recesserunt, inquit, à testamento sancto, subauditur, quod pepigit Deus cum Abraham, in quo est promissio seminis, quod est Christus, cuius videlicet promissionis fidem in eo negauerunt, quod circumcisionem signaculum fidei velando præputia sibi fecerũt, & ita veraciter à testamento sancto recesserunt.

Psal.88.

1.Mach.1. Gymnasiũ.

Quibus successibus populi flagitia aucta fuerint.

CAPVT XIX.

INitium dolorum fuit hoc, quod nimirum accersierunt sibimet vltrò. Hoc initium statim sequutus est profectus, & successit incrementũ. Etenim ausus est sub ipsa arce Sion gymnasium constituere, ausus est etiam optimos quosq; Epheborũ in lupanaribus ponere. Erat autem (inquit Scriptura) hoc non initium, sed incremẽtum quoddã,

& pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& profectus gentilis & alienigenæ conuersationis,& propter impij & non Sacerdotis Iasonis,nefarium & inauditum scelus,ita vt Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent,sed contempto templo,& sacrificijs neglectis, festinarẽt participes fieri palestræ & præbitionis eius iniustæ, & in exercitijs disci,& patrios quidem honores nihili habentes,Græcas glorias optimas arbitrabantur. Vbi tales erãt Sacerdotes, qualęs putas erat populus? Vbi ocioso Onya Pontifice pio,suffectus Iason impius,& non Sacerdos optimos Epheborum luminaribus ponebat,putas qualis erat iuuentus tam egregij
Deut. 28. Pontificis alumna? Iam vtiq; locus & tempus erat, vt veniret super eos sententia maledictionum illa,quæ in libro Deuteronomij quatenus fierent in exemplum subuersionis Sodomæ & Gomorræ, Adaniæ & Seboim,quas subuertit dominus in ira sua,& in furore suo. Nisi teneret Dominum Deũ iuramentum suum,q̃ iurauerat ad Abrahã
Gen 19. & ad dauid pro semine quod erat Christus,
Esa.1. nasciturus ex illis,Esaia quoque testante,cũ dicit,Niti Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus. Hæc idcirco dicta sunt, vt appareat aliquatenus æquitas iusti iudicij Dei,quia nisi sola gratia reseruare voluisset gentem illam,propter adimplendam veritatem promissionis,nõ tantum scelestis manibus impij Antiochi,verum etiã tali pœnæ iustũ fuisset illos subijci, quasi Sodoma,vel Gomorra succubuit. Nã etiam grauius erat peccatum istorum scriptam Legem habentium, quàm Sodomorum Legem huiusmodi non habentium.

Quid sit quòd Dominus per Zachariam dixit, Quia ego iratus sui parum,ipsi verò addiderunt in malũ.

CAPVT XX.

ECce autem illud occurrit, quod in Zacharia Propheta Dominus exercituum præmittens,Zelatus sum Hierusalẽ & Sion
Zach.1. zelo magno,& ira magna irascor super gentes opulentas,continuò causam istam subiũgit,Quia ego iratus sum parum,ipsi verò addiderunt in malum. Et est sensus, ego zelo
Psal.88. bono ductus, visitaui in virga iniquitates eorum,& in verberibus peccata eorum,potestatem dando gentibus, vt eos affligerent parum. Ipsi autem quibus permisi potestatem,permisso abutentes excesserunt modũ. Nunc ergo discretè attendendum, & attentè discernendum est, quid iustus Deus fieri voluerit illi populo iratus parum, & quid gentes,vt tunc tẽporis erãt Græci,plus faciẽdo addiderunt in malum. Quod vt commodius fiat, dicendum in primis in quo sit ira Dei parua, iuxta quam dicit: Quia ego iratus sum parum, & in quo ira eius magna, iuxta quã loquitur, Et ira magna ego irascor super gentes opulentas. Simulq; & illud considerabitur, quia paruam iram suam zelum vocat,dicẽdo, Zelatus sum Hierusalem,& Sion zelo magno. Et econtrà magnã ipsius misericordiã, & paruam eiusdẽ opportunũ erit distinguere misericordiã,quia sicut magnæ iræ magna est opposita miseri- *Psal. 50.*
cordia,quã Dauid postulat,dicens: Miserere mei Deus secundum magnã misericordiã tuam,ita & paruæ iræ oppositã constat esse paruam misericordiam,quam in Osee qua- *Osee 6.*
lis sit audiuimus, Deo dicente: Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina,& quasi ros manè pertransiens.

Quid sit, Deum irasci parum.

CAPVT XXI.

IRa Dei parua,iuxta quam dicit, Quia ego iratus sum parum,subauditur Hieru- *Ira Dei parua.*
salem & Sion. Ira parua,virga disciplinæ est, scilicet temporalis afflictio siue vexatio,valens ad hoc,vt intellectum det auditui, ne fortè Hierusalẽ siue Sion,scilicet electa quæ libet anima temporalibus bonis inebriata consopiatur,& auditus eius intellectũ verbi Dei non habeat, in quo est vita æterna. Talis ira zelus rectè vocatur, dicente ipso: *Zach. 1.*
Zelatus sum Hierusalẽ & Sió zelo magno, *Osee 2.*
veluti cũ vir diligens dilectã suam fortiter æmulatur euntem post amatores suos. Ecce,inquiẽs,ego sepiã viam tuã spinis, & sepiã eam maceria,& semitas suas inueniet,& sequetur amatores suos, & nõ apprehendet eos,& quęret eos,& non inueniet, & dicet. vadã & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tũc magis q̃ nunc. Porrò ira dei magna est,q̃ non zelatur,quẽadmodũ in Hieremia dicit ipse. Cũ zelus meus recesserat à te,& execrantem animam non requirit,neq; sepit viã eius spinis,vt aduersis offensa reuertatur ad creatorẽ suũ. Iuxta quod in Psal. dictum est, Secundum multitudinẽ iræ suæ nõ quæret. Huic iræ magnæ, *Ira Dei magna.*
magna est opposita misericordia. De qua cũ dixisset ad Dauid in iuramento suo. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorũ,subauditur filiorũ Dauid) *Psal.9.*
cõtinuò subiunxit: Misericordiã aũt meam *Psal.88.*
non dispergã ab eo. Quænã est illa misericordia,nisi promissio tunc adimplẽda, nunc autem impleta? Nam & alibi deus(inquit)susceptor meus,deus meus misericordia mea, deus meus,inquã,scilicet Christus qui est su- *Misericordia quid.*
per omnia benedictus Deus in secula,quem profectò in sua persona.i. de semetipso proloquens Dauid,susceptorẽ suum potuit dicere,quia futurũ erat, & factũ est, vt Deus suus,verbum dei. verbum deus susciperet ipsum Dauid,susciperet carnẽ nostrã hominem verum de semine ipsius dauid. Hæc mi sericordia tam magna, fructus est illius be- *Gen. 27.*
nedictionis,qua pater Isaac iuniorẽ filiũ suũ Iacob benedicens. Seruiant,inquit,tibi populi,& adorẽt te trib. Esto dominus fratrũ tuorũ,& incuruẽtur ante te filij matris tuę.

Qui ma-

Qui maledixerit tibi,sit ille maledictus,qui autem benedixerit tibi, benedictionibus re
Gen.25. pleatur. Eò nanq; illa benedictio tendebat, vt Deus noster misericordia nostra,Deus & homo Christus de stirpe Iacob nasceretur, quoniam responsum fuerat Rebeccæ. Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ex ventre tuo diuidentur. Et idcirco fieri non poterat,vt ex ambobus nasceretur, vtpotè diuisis Iacob & Esau. Illa benedictio(quã sortitus est eiulans Esau dicente patre, In pinguedine terræ,& in rore cæli desuper erit benedictio tua) misericordia parua est, paruæ iræ dei,de qua iam dictum est, opposita.

Quid Antiochus addiderit in malum.

CAPVT XXII.

IAm ad id quod proposuimus redeundũ est scilicet,ad discernendum, quid iustus Deus fieri voluerit illi populo iratus parũ. Et quid illa radix peccatrix, Antiochus ille illustris,plus faciendo addiderit in malum. Vnam tantommodò & paruam misericordiam(sicut iam dictum est) sortitus fuerat Esau,scilicet,vt in pinguedine terræ & rore cæli desuper,id est, bonis terrenis, & temporalibus diuitijs abundaret. Vtranque autem, videlicet & paruam & magnam misericordiã Iacob in benedictione acceperat, quatenus eidem & de rore cæli & de pinguedine terræ daret abundantiam frumenti vini & olei,quæ parua misericordia est. Et semini eius,id est, Christo, seruirent populi, & adorarent eum tribus, quæ magna misericordia est. Paruam illam misericordiam, paruã ira Deus abstulit, quoties populum illum propter peccata gentibus deuastandum tradidit, sicut scriptum est. Et tradidit eos in manus Gẽtium,& dominati sunt eorum,qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum,& humiliati sunt sub manibus eorum. Ipsi verò addiderunt in malũ, quoties hoc nisi sunt, vt misericordiam magnam, misericordiam æternam auferrent eis, non vt ipsi possiderent,sed ne fieret vlli homini,nẽue esset apud vllum hominem Fides dei, aut verbum promissionis,agitante illo Diabolo dracone antiquo. Vt(exempli gratia) Nabuchodonosor regem Babylonis agitauit,quatenus tres pueros mitteret in caminum ignis, quia statuam noluerunt adorare,quã ipse fecit. Sed de illo & de cæteris iam dictum est, ad ea quæ impius gessit Antiochus sermo deuenit.

Quæ Antiochus Hierosolymis fecerit, ad paruum Dei iram pertinere.

CAPVT XXIII.

POstquam paratum est regnum in conspectu Antiochi,& cœpit regnare in terra Aegypti, vt regnaret super duo regna. Postquam comprehendit ciuitates munitas in terra Aegypti, & accepit spolia terræ Aegypti,conuertit & ascendit ad Israel, & ascendit ad Hierosolymam in multitudine graui,& intrauit in sanctificationẽ cũ superbia,& accepit altare aureũ, & candelabrum luminis,& vniuersa vasa & ornamenta,quę in facie tẽpli erant & cõminuit omnia, &c. vsq; ad id q̃ dictum est: Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius, & sublimitas eius cõuersa est in luctũ. Hæc omnia secundum hunc modũ, cuncta secundũ hoc genus malorũ direptio atq; cõminutio vasorum sanctorum,direptio thesaurorũ,& cædes hominũ,plãctus magnus in Israel, & in omni loco eorũ gemitus principũ & seniorũ,infirmatio iuuenũ & virginũ, lamentũ maritorum,& luctus matronarũ,plaga magna ciuitatis & perditio populi multi(nam
1. Mach.1. & ciuitatẽ succendit Antiochus igni,domos quoq; & muros in circuitu destruxit) Hæc inquã,omnia petinent ad iram paruã, iuxta q̃ ait ipse dñs,quia ego iratus sum parum. Parua nanq; hæc fuerunt,quia circa corpus omnia versata sunt, bona tẽporalia,bona caduca,& quandoq; defutura citiùs sustulerunt. De causa vel cupiditate eius,qua intrauit in Aegyptũ bellũ inferẽs nepotibus suis, id est,fororis suæ filijs, Ptolemæo Philometori & fratri eius Ptolemæo Phiscon ex Ptolemæo Epiphane genitus,& qualiter imperio Romanorũ circunscriptus ac deterritus inde recesserit,recitare præsentis nõ est negotij,præsertim qa propositi sui viã tenens animus digniora prospicit, & ad ipsa tendit.

Quòd Iudæos ad ritum gentilem coegerit, additamentum fuisse in malum. CAPVT XXIIII.

SEquuntur ea quæ rectè dicas additamentum eorum,quẽadmodum ait, Ipsi verò addiderunt in malũ. Et scripsit Rex Antiochus omni regno suo,vt esset omnis populus vnus,& misit libros per manus nunciorũ in Hierusalẽ,& in oẽs ciuitates Iudæ,vt sequerentur Leges Gentiũ terræ, & prohiberent holocausta & sacrificia & placationes fieri in tẽplo Dei,& prohiberent celebrare Sabbatũ & dies solennes. Et iusit ædificare aras & tẽpla & idola,& immolari carnes suillas, & pecora cõmunia, & relinquere filios suos incircũcisos. & quicunq; nõ fecissent secundum verbũ Regis Antiochi; morerẽtur. Et ædificauit abominandũ idolũ desolationis super altare Dei, & per vniuersas ciuitates Iudæ in circuitu ædificauerunt aras, & antè ianuas domorũ,& in plateis incẽdebant thura,& sacrificabant,& libros Legis Dei cõbusserunt scindentes eos,& apud quemcunque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicunque obseruabant Legẽ Domini, secundum edictum regis trucidabant eum. Quis dubitet,quis discernere non queat,totum hoc additum esse super iram domini & Patris,seruos aut filios suos nõ perdere, sed corripere volentis? Ego enim,inquit iratus sum parũ, scilicet visitando in virga iniquitates eorũ,& in verberibus peccata eorum.

Ipsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ipsi verò addiderunt in malum, videlicet ad hoc tendente Diabolo agitatore illorũ, vt misericordiam meam auferrent ab eis,& irritum facerent verbum promissionis,tollendo Legem, auferendo testamentum & libros testamenti, & ipsam quoque gentem, vt dum non super esset gens, vnde salus futura sperabatur,consequenter nec ipsa salus mundi Christus nasceretur.

Diabolum propter eiusmodi additamenta, dictum esse Leuiathan

CAPVT XXV.

PErpende nunc quàm rectè & quanta pro re,Draco iste magnus Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, vocetur etiam Leuiathan,quod interpretatur,additamentum eorum. Quorum enim eorum,nisi septem capitum sæpe dictorum? Ex quo Dominus generi humano parum iratus dixit ad Adam. Maledicta terra in opere tuo,in laboribus comedes panẽ tuum cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabis tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo,donec reuertaris in terram,de qua sumptus es, quia puluis es,& in puluerẽ reuerteris:& emisit eum de Paradiso voluptatis. Ex quo, inquam,suis quoque electis taliter parum iratus,mortales eos esse, & breui tempore viuere,& in laboribus breuem vitam ducere voluit, semper Diabolus institit, vt magna quoq; ira adderetur illis, id est, vt morte animæ permanerent mortui. Amplius autem postquam ad Abraham factum est verbum promissionis, quò præmissa est benedictio,quæ vtique est destructio peccati & mortis,idem Diabolus insanire cœpit,& contra promissionem eandem quatenus nõ fieret quod promissum fuerat, illa capita sua, de quibus nobis nunc sermo est,furiosius erexit,quæ nimirum quantum in ipsis fuit,maximè illi populo, quoties neus iratus est parũ,addiderunt in malum, vt videlicet ablata illis libertate vitæ præsentis,auferrent etiam Deum. Hoc est additamentũ eorum,propter quod ipse qui addidit, siue qui addere voluit, dictus est Leuiathan. Quod vocabulum non alium quempiam, sed ipsum constat posuisse Deum primum in Iob,cùm dicit ad eum. Nunquid extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis os eius?&c. Deinde in Esaia: In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi,& forti, super Leuiathan Serpentem vectem,& super Leuiathan Serpentem tortuosum,& occidet eum qui in mari est.

Leuiathan quid interpretetur. Gen. 3.

Leuiathan Iob 40. Esa. 27.

Dei ira Dei magna,quæ sit.

CAPVT XXVI.

QVid illa visitatione iustius? quid illo gladio durius? Gladius nanque durus & grandis & fortis,magna est ira Dei,quam iste Leuiathan generi humano, & illi præcipuæ genti,quæ verbum promissionis acceperat,superaddere voluit, vt auferretur illi misericordia,& non fieret quod promissum fuerat. Vnde animaduertere promptũ est, valdè iustum esse, vt & ipse Serpens antiquus & omnia capita eius, omnes omninò impij,qui dicuntur & sunt membra diaboli vel corpus, gladium durum, gladium grãdem,& fortem,id est,magnam Dei subeãt iram,quoniam hanc ipsi superaddere voluerunt electis Dei,paruam (vt iam dictũ est) sustinentibus iram. Perpulchrum simulque terrificum est illic perspicere sensum huius modi,vbi dicit spiritus in Apocalypsi Ioannis. Væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos,habens iram magnam. Subaudire namque decet ad comparationem siue relationem minoris iræ, de qua iam dictum est magnam esse, vel dici illam,quam habet Diabolus iram. Siquidem & ratio docet,& Aristotelici quoque volunt, paruum & magnum non absolutè, sed relatione vocabula quantitatis esse. Vt(vt verbi gratia) cùm dicitur, mus magnus, & mons paruus,respectu aliorũ dici intelligitur, quis paruus mons respectu montis maioris,& magnus mus sinè dubio respectu minoris muris enũciatur. Cùm igitur dicit, Væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens irã magnam. Terræ & maris nominibus,omnes impios significans,pulchrè subintelligitur parua ira,quæ finem accepit,& quam omnes electi pertransierunt talia passi, qualia possunt intelligi per illud Dei dictum, Quia ego iratus sum parum. Diabolus nanque magnam habet iram super se positam, scilicet irreuocabilem damnationis æternæ sententiam, & illam importat terræ & mari,id est, omnibus impijs. Qui cũ Deus fuisset,suis iratus parum,ipsi addiderunt in malum,vt auferrent illis misericordiæ spem, vt inferrent illis obliuionem Dei. Væ illis quia Diabolus,qui habet iram magnam cõmunicat eis, vt habeant ipsi quod addiderunt,siue addere voluerunt electis Dei.

Gladius durus,magna ira Dei.

Ibidem

Zach.1.

Paruam Dei iram placari posse, magnam non posse.

CAPVT XXVII.

QVomodo tandem remota est illa ira Dei,qua tunc temporis iratus fuerat parum hostijs & muneribus? Hoc denique distat inter iram Dei paruam, & iram Dei magnam,quòd ira Dei magna non expiatur victimis & muneribus vsque in æternum. Sicut & ad beatum Iob de iam dicto Leuiathan, id est, Diabolo habente iram magnam Dominus dicit. Nõ parcam ei verbis potentibus,& ad deprecandam compositis. Parua autem ira Dei placari potest hostijs & muneribus,& sub Lege, & in gratia dispositis,maximè autem his,quæ supra Legem vel præceptum quisque spontanea deuotione supererogauerit. Exempli gratia, tradendo corpus suum pro testaméto Dei.

Ira Dei magna & parua.

Quibus

Quibus ergo victimis, quibus muneribus illa ira,qua nunc Deus parum iratus fuerat, placata siue remota est? Nõ holocaustis arietum,& taurorũ,neq; in millibus agnorum pinguium,sed sicut in fornacẽ Babylonicã tres pueri missi,in animo contrito & spiritu humilitatis susceptí sunt,ita septẽ fratres cũ matre sua passi meruere susciпi sacrificium beneplacitum, per q; loco & omni populo iram Domini placare dignum fuit. Vndè & statim post passiones illorũ subiũctum est.

2.Mach.8. Quia Iudas Machabæus,& qui cũ illo erant, conuocantes cognatos,& eos, qui permanserant in Iudaismo,assumentes & inuocantes Dominũ, vt misereretur templo & ciuitati, & vocẽ sanguinis ad se clamantis audiret, memoraretur quoq; iniquissimas mortes innocentium paruulorum, & armis vti cœperunt,Deo nimirum confortante, & effectum tribuente. Ira enim Domini(inquit Scriptura)in misericordiam conuersa est.

Mulierem in vtero habentem,denuò parturisse & clamasse. CAP. XXVIII.

QVis nõ audiuit clamores illius temporis,clamores mulieris in vtero habẽtis & parturiendo clamantis? Sæpè dictũ est,& sepe dicendũ est,nec fastidio esse debet,quia summa præsentis opusculi in mysteriũ respicit signi magni & mirabilis,scilicet Draconis rufi septẽ capita habentis, & ante mulierẽ,quæ erat paritura,stantis, vt cũ pareret filiũ eius deuoraret. Clamabat mulier in vtero habens & parturiés,clamabat Ecclesia temporis illius fidẽ & spẽ in verbo promissionis habens, & cruciabatur vt pareret. i. desiderabat, & desiderando fatigabatur, vt promissiones suas de semine Abrahæ Deus adimpleret. Quis,inquã,clamores tẽporis illius nõ audiuit? Væ mihi, Mathatias inquit, vt quid natus sum videre contritionẽ populi mei,& contritionẽ ciuitatis sanctæ & sedere illic,cũ datur in manib inimicorũ. Templum eius sicut homo ignobilis, vasa glorię eius captiua abducta sunt. Item & ieiunauerunt,& induerunt se cilicijs,& cineré sparserunt in capite suo,& destituerunt vestimẽta sua,& suscitauernnt Nazaræos,qui impleuerant dies,& exclamauerunt voce magna in cælũ dicentes, Quid faciemus istis,& quo eos ducemus?& sancta tua cõculcata sunt, & contaminata sunt. Et sacerdotes tui facti sunt in luctu & humilitate, & ecce nationes conuenerunt aduersum nos, vt nos disperdant. Tu scis,q̃ cogitãt in nos. Cõuenerant enim exercitus multorũ milliũ, vt venirent in terrã Iuda,& disperderent eã. Ipsi autem cùm pauci essent, & nunc clamemus dixerunt in cælũ,& miserebitur nostri Deus, & conteret istos ante faciẽ nostrã hodie. Plena

1.Mach.2.

2.Mach.3

2.Mach.4. est historia dierũ illorũ, rerumq; gestarũ series clamorib. huiuscemodi, qui verè secũdum mysteriũ præscriptũ clamores erãt mulierisin vtero habentis,& parturientis, & in parturiendo magnum cruciatum habentis.

Septem fratres Machabæos, & matrem eorum, præcipuè cùm parerentur,clamasse. CAP. XXIX.

QVòd si singularum desiderium gemitusq; animarũ,quæ in illius magnę mulieris persona vnũ sunt,magnus clamor extitit ad Deũ. Quid de illa censes, quid putas de matre septẽ filiorũ,q̃ supra modũ mirabilis,& bonorũ memoria digna,pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspexit? Deniq; bono quidẽ animo ferebat propter spem,quã in Dño habebat, singulosq; illorũ hortabatur. Nõ ego,inquiens, vobis in vtero meo spiritũ & animã donaui, neq; singulorum mẽbra cõpegi,sed mundi Creator,qui formauit hominis natiuitatẽ, quiq; omniũ inuenit originẽ,& spem vobis iterũ cum misericordia reddet & vitã. Bono quidem,inquã,animo propter spem futuræ resurrectionis natorum supplicia mortesq; ferebat,sed nihilominùs natura materno affectu dolebat,magnoq; ad Deum dolore clamabat. Et singuli quidẽ natorum in suo dolore,suaq; pœna clamabant. Mater aũt,quæ & nouissima post filios cõsũpta est,in mortibus omnium,in dolorib. singulorũ abundantiùs doluit,& altiùs clamauit, nec minori singulos mẽtis cruciatu peperit Deo, quã cruciata est,dũ singulos pareret mundo. Itaq; saltẽ in vna matre illa perpende de vniuersa dierũ illorum Ecclesia, quã congruũ, quàm diuini horroris plenum fuerit, vel sit mysterium, Draconẽ tot capitũ stetisse ante mulierẽ in vtero habentem. f. venturum Christum Fide expectantẽ, vt filiumeius deuoraret, vt fidẽ promissionis de corde eius auferret. Quintum regnũ illius Draconis, regnum illud erat nequiter erectũ, regnante Antiocho ad infestationẽ mulieris, quod nimirum in illa matre septem filiorum pænè visibiliter apparuit. Ante istorum quidem,scilicet matris & septẽ filiorum passiones, multus sanguis ab Antiocho fusus fuerat, quæ ad Deum clamabat, sicut postmodum dictum est, vt vocem sanguinis ad se clamantis audiret. Sed istorum sanguis vocem grandiorem habuit,& ad supernos auditus perueniens,iræ finem imposuit.

Quòd carne porcina vesci noluerint,passionis eorum causam fuisse,& quòd mundis omnia munda. Ciborum vsus.

CAP. XXX.

NOli attendere quasi paruam passionis eorum causam,dum Legis hoc tantũ, quia contigit eos cum matre apprehẽsos cõpelli à Rege,comedere cõtra ius carnes porcinas flagris & tauris cruciatos. Illæ namq; carnes non solùm porcinæ, verùm etiã im-2.Mach.6. molatitiæ erant. i. Dæmonibus immolatę erant. Sicut enim in præcedentib. habes, Altare etiã plenum erat illicitis, quæ Legib. prohibebantur. Ducebantur enim cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia. Et cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebã-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur hedera coronati Libero circuire. Et in primo Machabæorũ libro manifestiùs dictum est, quia iussit Antiochus immolari carnes suillas & pecora communia. Cùm ergo audis carnes porcinas subintellige etiam immolatitias. Duplex certaminis causa, quia videlicet carnes porcinas Lex inter immunda reputauerat, & his vesci prohibuerat. Et quæ immolant gentes (ait Apost.) Dæmonijs immolant, & nõ Deo. Porro de causa vna, scilicet de eo, quod litera Legis hæc inter immunda reputat, spiritus viuificans p Euangelij gratiã nos liberat, dicente Apost. Omne quod in macello venit, manducate. Si quis aũt dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare. Item ad Timotheum, Quia omnis Creatura Dei bona, & nihil reijciendum, q̃ cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Itẽ ad Titum, Omnia munda mundis, coinquinatis aũt & infidelibus nihil mundum. In Actibus quoq; Apost. Visum est (inquiunt) Spiritu S. & nobis, nihil vltra oneris vobis Gentib. imponere, quã hęc necessaria, vt abstineatis vos ab imolatis simulachrorũ, & suffocato, & fornicatione, & ea q̃ vobis fieri nõ vultis, alijs ne faciatis.

1. Cor. 10.
Ibid.
1. Tim. 1
Titum 1.
Act. 15.

Qua ratione Deus in veteri Lege, inter munda & immunda discreuit. CAP. XXXI.

Differimina ciborũ.

NOn est hoc ex leuitate siue mutabilitate, sed ex iudicio & ratione, quòd vnus idemq; Deus, & Legem dedit de mundis & immundis, & in Euangelio, siue per Euangelij ministros dicit, omnia esse munda mundis. Vtiliter huius rei consideratio procedit, si ritè perpendas, & quid de ꝑceptis suis ipse dicat in Prophetis, & quid tunc euenerat, quando eiusmodi præcepta dedit. In Ezechiele dicit, Eieci eos de terra Aegypti, & eduxi in desertum, & dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostẽdi eis, quæ faciat homo, & viuat in eis. His dictis confestim culpans eos, q̃ præcepta sua reprobassent, & post idola fuissent oculi eorum. Ergo, inquit, & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent, & polluí eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vuluam. Ecce quanta differentia præceptorum, alia præcepta & iudicia bona quæ faciat, & viuat in eis: alia non bona, in quibus non viuent, ait, vt alia ab alijs, vt bona clarè discernamus à non bonis. Recurramus ad tempora, vel ad ordinem ipsorum, quomodo & quibus causis intercurrentibus tam differentia præcepta dederit. Venerat ad montem Oreb, & locutus est per Moysen, præcepta vtiq; bona. Non habebis (inquiens) Deos alienos corã me, &c. vsq; ad id: Non inibis cum Gentib. fœdus, nec cum Dijs eorum. Interea dum cũ Moyse loqueretur, fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atq; hostias immolauerunt. Eatenus Moyses populo non velata facie bona & vitalia Dei præcepta dederat. Deinde sub introeunte reatu vituli, faciem eius velari oportuit, quando loquebatur ad populum, & quæ præcepta dedit, extunc præcepta bona non sunt, in quibus nõ viuunt, vt sunt hæc de mundis & immundis animalib. de lepra corporum, de lepra vestimentorum, & de lepra domorum, & cætera eiusmodi, qualium vtiq; litera occidit, spiritus autem viuificat nunc reuelata facie Moysi. Hęc idcirco nunc dicta sunt, vt constet rationabiliter in doctrina apostolica superfluas duci disputationes propter ciborum differentias, quia videlicet manifestè (sicut iam dictum est) præcepta huiusmodi non bona fuisse Deus ipse asserit, quorum causa vt darentur, præcedens præuaricatio fuit, &c.

Ezech. 20.
Exod. 32.
Exod.. 20.
Exod. 22.

Septem fratres Machabæos præcipuè venerabiles esse, quòd resurrectionem mortuorum apertè confessi sunt. CAP. XXXII.

DE pijs martyribus sermo habitus ita claudatur, vt venerabiliores nobis illos in Euãgelio Christi cæteris arbitremur. Quàm ob causam? quia videlicet in passionibus suis, vbi pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & grauissimis supplicijs subdiderunt, beatę resurrectionis Fidem & Spem sonora voce cõfessi & testificati sunt. Tu quidem scelestissime (ait vnus ex illis) in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis Legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Alius linguã vt præcideretur postulatus, & manus constanter proferẽs & extendẽs, è cælo (inquit) ista possideo, sed propter Dei Leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me eam recepturum spero. Deinde sequens, cùm vexaretur, iamq; esset propinquus ad mortem potiùs (inquit) est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo iterum ab ipso resuscitandos. Tibi enim resurrectio ad vitã non erit. Mater quoq; ipsorum martyr & plus quàm martyr, quæ per euntes septem filios sub vnius diei tempore cõspiciens, bono animo ferebat propter spem, quã in Domino habebat, adhortãs illos. Mundi Creator, inquit inter cætera, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; inuenit omnium originem, & spem vobis iterum cum misericordia reddet & vitam. Et inclinata ad illum, qui residuus erat filiorum, nouissimum, inter cætera, dignus (inquit) fratribus tuis effectus suscipe mortem, vt in illa miseratione te cum fratribus tuis recipiam. Nobis igitur quorum Fidei summa resurrectio mortuorum est per Iesum Christum, non absre inter omnes Sanctos veteris testamenti isti venerandi sunt, qui in suis pretiosis mortibus, tam pium atq; clarum sanctæ Resurrectionis testimonium cecinerunt.

2. Mach. 7

FINIS NONI LIBRI.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER DECIMVS.

Sanctos per Fidem viciſſe regna. CAP. I.

Sancti per fidem vicerunt regna. Hebr. 11.

SAncti (inquit Apostolus) per Fidem vicerũt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Obturauerunt ora leonũ, extinxerũt impetum ignis, effugauerunt aciẽ gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. In sancto victorum eiusmodi cõcilio, in fortium talium exercitu inclyto libenter aspicimus bellatores Machabæos, Iudam & fratres eius ac socios, quorum bellica virtus, quorum labores & certamina gloriosa Christum Saluatorem nobis quodammodo pepererunt, quia gentem suam, de quà Christus nasciturus erat, & natus est, cùm eam gentes delere vellent, magnanimiter defenderunt, & illud iam dictum Draconis caput quintum in Rege Antiocho, eiusque ducibus viriliter percusserunt Verbo Dei, Verbo Deo cooperante laboribus ipsorum vt ille impius Rex (sicut de illo ad Danielẽ fuerat prædictum) sinè manu contereretur. Isti sunt paruulum illud auxilium, quod iã præuisum atque promissum fuerat, dicendo, Cumq̃ue corruerint, subaudituri de populo plurimi, subleuabuntur auxilio paruulo. Nam si respicias multitudinẽ Aduersariorum, si recogites millia castrorum hostilium, quid vel quantum erat Matathias de vico vel monte Modyn, cum quinq; filijs & aliquot cognatis, & illis, qui permanserant in Iudaismo popularibus suis. Reuera secundum numerum suum, paruulũ fuere auxilium, sed secundum Fidem suam & Dei misericordiam, maximum sibi & omni seculo pepererunt adiutorium.

Sanctos egentes, angustiatos, afflictos, in solitudinibus errasse in montibus. CAP. II.

QVi vnctionem habet ex Deo, quæ videlicet vnctio docet nos de omnibus, ait Ioannes Apost. ipse congemiscere didicit, & cõgemiscit illis. Quia mala multa sunt experti egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. Vna die vsq; ad mille animas hominum in deserto interfecti sunt in die Sabbathorum, eò quòd verebantur propter religionem & obseruantiã manu sibimet auxilium ferre. Moriamur dixerunt, in simplicitate nostra, & testes erunt super nos cælum & terra, quòd iniustè perditis nos. Sed quid sequitur, Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris, citiùs disperdent nos à terra, & cogitauerunt die illa, dicentes: Omnis homo quicũq; venerit ad nos in die Sabbathorum pugnabimus aduersum eum, & nõ moriemur omnes sicut mortui sunt fratres nostri in occultis. Et hactenus (inquit Iosephus) permanet nobis consuetudo pugnandi, etiam si tali die bella consurgant. Igitur qui (vt iam dictum est) vnctionem habet ex Deo, & quem vnctio eius docet de omnibus, ipse scit, ipse intelligit, ipse in statera rationis appendit. Multum in istis experimentum posse ostendit dictum Apostoli, dicentis, Egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus & in speluncis, & in cauernis terræ. Et ista perpendens grates profundas agit afflictæ illorum Fidei. Quia veraciter in doloribus pepererunt nobis, parturierunt animæ illorum omni seculo æternæ fructum salutis, natiuitatem Iesu Christi veri & ęterni Saluatoris. Non dicimus, neque dicere possumus vel asserere, quòd omnes illi cuiuscunq; sexus vel ætatis tali tempestate trucidati, scientiã habuerint, vel habere potuerint, tantæ spei, tantæ expectationis in promissione, quæ dicta est ad Abraham beati seminis venturi Iesu Christi, sed hoc admiramur in laude verbi Dei, in firmamento propositi Dei, quod multis etiam nescientibus amorem præcordialiter infudit conseruandi generis sui, atque defendendi, de quo nasci oportebat salutem generis humani, Christum Dei filiũ secundum promissionis veritatem, promissionem veritatis. Quia Deus verax est. Et clamabat ad eum humilitas peccatorũ per os Dauid, Vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cùm iudicaris.

1. Mach. 2.
Gal. 3.
Psal. 50.

Quanta fuerit lætitia templi emundati & renouati. CAPVT III.

QVid de lætitia magna dicam, quæ facta est in populo de emundatione ac renouatione templi, quod contaminatum stetterat per tres annos? Nam lętitia quàm magna fuerit eorum in hymnis & confessionibus benedicentium Dominum, Iosephus quoque testatur. Ab illo (inquiẽs) tempore per octo dies hanc renouationis templi festiuitatem celebramus, vocantes eam lumina, eò quòd præter spem hoc nobis splendidũ lumen colendæ religionis apparuit. Quis ni

Universidad de Deusto
Biblioteca

si Deus mentibus eorum tantũ nominis sui infudit amorem, vt recuperationem loci, in quo nomen eius inuocaretur, tanta lætitia concelebrarent, tamq; luminosam ducerẽt, & per singulos annos octo diebus, quod eatenus non fiebat, celebrandam decernerẽt? Siquidem Salomon octo quidem diebus dedicationem celebrauit, & in die octauo dimisit populum. Sed non est scriptum, quòd totidem, id est, octo diebus constituerit per singulos annos dedicationis eiusdem celebrari festiuitatem. Igitur & hoc in laude magna Deo est ascribendum, cuius in manu sunt corda filiorum hominum, quia promissionis suæ memor, vt eã adimpleret, mittendo in plenitudinem temporis filium suũ verbum suum, egit infundendo desideriũ, egit impendendo auxilium, quatenus gens ipsa de qua promissionem adimpleri oportebat, semetipsam defenderet, & locum.

Quàm seduld flagitauerit Cuno, vt proœmium ij. Machabæorum, interpretaretur, idq; se iam factu rum CAP. IIII.

NVnc ad illud, quod efflagitasti, & instanter exigis (Cuno amicorum murenulas aureas facientium sponse, & dilectę regis æterni valdè familiaris) sermo præsens sese intendit, scilicet ad elucidandum quoad possibile erit, & Deus donabit Scripturã, quæ secundum Machabæorum librũ quasi Prologus vel proœmium præcedit Vno eodemq; tractatu diligens animus vtrunq; efficere gestit, scilicet & magnitudinem digni tatemq; eius, cuius iam breuiter memini, declamare lætitiæ pro renouatione templi, & Scripturam aliquatenus elucidare iam dicti proœmij. Deniq; maximè circa illam renouationis templi lætitiam Scriptura illa versatur, talem habens intentionem, vt omnia omninò vbicunq; sit Iudæus, vbicunq; sit confessor verus, qui & nomine & re sit confessor, quod sua interpretatione signat hoc nomen, q. est Iudæus, de illa tẽpli reparatione gratuletur, corde magno, & animo volẽte, adaperto corde in Lege Dei, & in præceptis eius. Et reuera si causam, quam præ manibus habemus, attendat Iudæus, si magnũ Dei negotium, qd propter implendas promissiones suas Deus habebat cum hominibus, consideret, Dei cõfessor verus causam habet, cur gratuletur, cur templũ illud Machabæorum laboribus reparatum fuisse lætetur. suasq; voces admisceat illorum vocibus Deum benedicendo in hymnis & confessionibus Quod hodie quoque sanctã Ecclesiam Christi per totum orbem facerenõ ignoramus, vbicunque inuocatur nomen Domini, vbicunq; dedicatum est, vel dedicatur altare, vel templum nomini Domini, illic istorum & memorabilium Machabæorum tumul redolet memoria & floret, & voces animarum illorum salutem nobis æternam parturientium chorus Ecclesię consonat celebriter, celebrat consonanter. Igitur ad magnificandam rem tam gratiosam, tam gloriosam, secundum illud proœmium procedendum est Et si minus quàm petis vel optas elucidando illud factum fuerit, meæ non negligentiæ, sed impossibilitati rectè deputabis.

Iudæus, id est cõfessor.

Onyam cum multis Iudæis ad Aegyptum profectum fuisse, ibiq; templum ædificasse.

CAPVT V.

IN primis dicendũ, cur Iudæi, vel ex quo tunc essent per Aegyptum, ad quos sic incipit, Fratribus qui sunt per Aegyptum Iudæis salutem dicunt Fratres, qui sunt Hierosolymis Iudæi, & qui in regione Iudæa, & pacem bonam. Anno centesimo quadragesimo nono regni Græcorum, Rex Antiochus Menelaum interfecerat fratrẽ Onyæ minorem, cui pater eiusdem Antiochi summum Sacerdotium contulerat. Tres quippe fuerant filij Simonis Pontificis, videlicet Onyas, qui patri in Pontificatu successit, quemq; Andronicus interfecit, & Iesus & alter Onyas, quorum Iesus Iasonem, Onyas verò Menelaum se appellari fecit, ambo Græcis nominibus delectari, ritumq; Gentilem se imitari velle professi. De Onya filius paruulus relictus fuerat, dictus & ipse Onyas. Cumq; Onyas (vt iam dictum est) ab Andronico interfectus fuisset, fratri eius iam dicto Iasoni Antiochus Epiphanes põtificatum tradiderat, sed rursus sibi sublatũ honorem Menelao contulerat. Mortuo Antiocho cùm succesisset sibi filius Aequiuocus, interfecit eundem Menelaum, suggerẽte Lysia, causam hunc esse omniũ malorũ. Filius autem Pontificis Onyæ, de quo prædiximus, qui defuncto patre adhuc puerulus fuerat derelictus, Videns (inquit Iosephus) quod patruum suum Menelaum rex interfecisset, & Principatum sacerdotij Alchimo dedisset, non existente de genere Sacerdotum, flexus à Lysia, vt transponeret honorem ab ea familia ad aliam domum, fugit ad Ptolemæum regem Aegypti, & honorem meruit ab ipso, & vxore eius Cleopatra, locumq; petijt in regione Heliopolitana, vbi simile Hierosolymorum ædificaret templum. Templum illud permansit vsq; ad imperiũ Vespasiani annis ducentis quinquaginta. Ipsa autem vrbs, quæ vocabatur Onyæ, postea dimicantibus aduersum Romanos Iudæis, ad solum vsque deleta est, & neque vrbis, neq; templi restat vestigium. Sub occasione igitur Onyæ Pontificis infinita examina Iudæorum ad Aegyptum cõfugerunt. Asserebat enim Onyas, se Esaiæ implere vaticiniũ scribentis, Erit altare Domino in medio terræ Aegypti, & titulus domini iuxta terminum eius. Sed & antea non parua Iudæorum multitudo in Aegyptum descenderat. Siquidem Ptolemęus filius Lagi multos captiuos à montanis Iudææ, vel à vicinis

vicinis locis Hierosolymorum trahens, ad Aegyptum commigrauit, quos videlicet Iudæos Ptolomæus Philadelphus, qui iam dicto Ptolomæo Lagi filio successit, famulantes in Aegypto è seruitutis vinculo resoluit vsque ad centum viginti millia, sicut Iosephus commemorat.

Quoties & quibus temporibus Iudæi Hierosolymis scripserint fratribus in Aegypto.

CAP. VI.

ERant itaque Iudæi per Aegyptum, & ad illos Iudæi, qui erant Hierosolymis, & qui in regione Iudæa scripserunt anno sexcentesimo nono. Postquam Menelao (vt iam dictum est) interfecto, & Alchimo pontificatum adepto, iunior Onyas cum infinita multitudine Iudæorum confugit in Aegyptum. Siquidem anno centesimo quadragesimo nono regni Græcorum constat Antiochum Eupatorem interfecisse Menelaũ. Anno autem centesimo octagesimo octauo, populus qui est Hierosolymis ait, Hæc scriptura his, qui in Aegypto sunt Iudæis salutem & sanitatem. Veruntamen & illud attendere causa poscit, quia coniuncta vel cõtinua narratione legimus: Regnante Demetrio anno centesimo & sexagesimo nono, nos Iudæi scripsimus vobis in tribulatione, & impetu, qui superuenit nobis in istis annis. Ex quo recesit Iason à sancta terra & regno, portas succẽderunt, & effuderunt sanguinem innocentem, & orauimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes. Et nunc frequentate dies Scenopegiæ mensis Casleu. Anno centesimo & octogesimo octauo populis qui est Hierosolymis & in Iudæa, senatusq; & Iudas, Aristobulo magistro Ptolomæi regis, qui est de genere Christorum Sacerdotium, & his, qui in Aegypto sunt Iudæis, salutem & sanitatem. De magnis periculis à Deo liberati magnificè gratias agimus ipsi, vtpote qui aduersus talem regem dimicauimus, & cætera. Manifestè præsens textus literæ demonstrat, quia fratribus qui erant per Aegyptum, non tantùm semel, sed bis scripserunt fratres Iudęi, qui erant Hierosolymis & in Iudæa, & inter vtrunque scriptum, tempus interfuit fermè decem & octo annorum. Simul & hoc sciendum, quia regnante Demetrio, annus centesimus & sexagesimusnonus, quo primũ scripserunt, quartus idemq; vltimus fuit annus principatus Ionathę fratris Iudę. Annus autem cẽtesimus octogesimusoctauus, quando secundò scripserunt, annus fuit vndecimus post mortem Simonis fratris eiusdem Ionathæ siue Iudæ, quem videlicet Simonem interfecit per insidias generipsius Ptolemæus filius Abobi. His ita se habentibus claret, quis ille Antiochus fuerit, de cuius interitu gratulantur, narrantes qualiter in Perside ceciderit, q. videlicet is fuerit Antiochus filius Demetrij, qui & persecutus est Trionem impium, & vicit, sed & Iudæos in multis afflixit, & Simone adhuc viuente & post Simonem filio eius Hircano principatum habente.

2. Mach. 1.

Materiam intentionem, & vtilitatem Prologi, secundo Machabæorum se prosequuturum.

CAP. VII.

HIC iam vt aliquatenus ad deuotissimam exactionem tuam assurgere possim, qua cupis & petis, vt literæ seriem, quæ subobscura videtur, tibi elucidet sermo intentus atque studiosus in verbo Dei, descendere libet ad illud, quod quondam audiuimus inter scholares paruuli, vbi lectionem suscipientes, materiam, intentionem, atq; vtilitatẽ proponere magistri solent auditoribus suis. Materiam quippe, intentionem, atque vtilitatem huius Proœmij operæpreciũ est distinctis expedire capitulis, vt tali ordine aliquatenus eluceſcat, quid in ista litera dicat Spiritus ille, qui in omni Scriptura diuinitus inspirata præsens est, & loquitur Ecclesijs. Existimo, quod materię intentio, atque vtilitas scripturæ huius, quamlibet breuis, tales sint, vt à sapientibus dignè debeãt audiri, à sapientibus, qui non sunt sapientes in oculis suis, imò qui vt sapientes fiant, stulti dignantur fieri. i. discipuli esse priusquam fiant magistri. Hæc igitur tria, quæ proposuimus, dicturi simul atq; audituri, primum materiam quærimus vel proponimus, circa quam maximè versatur Scriptura secundi huius Machabæorum libri.

Quæ fuerit materia, siue argumentum eius Prologi.

CAPVT VIII.

INspice, quia tota Scriptura libri huius circa Dei Legem, & maximè circa templum Domini versatur, quod tunc in toto orbe terrarum nomini Domini dedicatum, solũ & vnicum habebatur. Principium narrationis est de Heliodoro, & ærarij custodia, qua liter omninò impossibile fuerit eos decipi, qui crediderant loco & templo, quod per vniuersum mundum pro sui veneratione & sanctitate venerabatur. Finis autem in templo est, vbi Nicanor, qui extendens manum ad templum iurauit: Nisi mihi vinctum Iudam tradideritis, istud Dei phanum in planiciem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri consecrabo. Atque his dictis abijt, pugnãq; cõmisit Nicanor, in qua dux ipse primus in bello cecidit, omnesque communi consilio decreuerunt, nullo modo diem istam absq; celebritate præterire. Habere autem celebritatem tertiadecima die mensis Adar, quod dicitur voce Syria, pridie Mardochæi die. Porrò media libri eiusdem hoc habent, quia qua die templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purgationem fieri, vicesima & quinta mensis, qui fuit Casleu, & cum læ

2. Mac. 14.

Adar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

titia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quòd ante modicũ temporis diem solennem tabernaculorum in montibus & speluncis more bestiarum egerant, propter quod Thyrsos & ramos virides præferebant ei, qui prosperauit mundare locum suum. & decreuerunt communi præcepto & decreto vniuersæ genti Iudæorum, omnibus annis agere dies istos. Isti sunt dies scenopegiæ, de quibus fratres siue Iudæi, & qui in regione Iudea, scripserũt semel & iterum (sicut iam dictũ est) Iudæis qui erant per Aegyptum, dicentes: Et nunc frequentate dies scenopegiæ, dicentes (inquam) secunda vice. Facturi itaque vicesima & quinta mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus vobis indicare, vt vos quoq; agatis diem scenopegiæ, atque subiungentes, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo & altari, obtulit sacrificiũ. De diebus istis post modum repetentes dicemus. Nunc illud prius dicere visum est, quod Scriptura libri materiam habet templum illud, & Sancta, quę erant Hierosolymis, pro quibus pugnauerunt Machabæi. Vndè non mirum, quòd non vltrà scripturæ vel libri huius textus processit, quàm ad illam rem gestã de interitu impij Nicanoris, qui templũ illud extensa manu rursus contaminare iurauerat & consecrare Libero patri, quia videlicet post interitum eius, quamuis multa Iudæ & fratrum eius prælia fuerint, non tamẽ circa templum tale quid contigit, qualia & in principio, & in medio, & in fine continentur huius libri.

Scenopegia.

Quæ fuerit intentio eiusdem Prologi.

CAP. IX.

DE intentione iam dicendum est. Intentio Scripturæ huius est, templum illud quod erat Hierosolymis sanctum ac legitimum asserere, ac Domino placitum. Et illũ fuisse locum orationis solum, quem Deus elegit, in quo illi oporteret sacrificari. Causa postulabat tunc scribere illis, qui per Aegyptum erant Iudæis cum intẽtione huiusmodi, Siquidem Onyas (vt suprà iam dictũ est) fugiẽs in Aegyptum ad Ptolemæum Philometorem, volensq; memoriam & gloriam æternam sui relinquere, petiuit à Ptolemæo rege & regina Cleopatra licentiam, quatenus templum ædificaret in Aegypto simile Hierosolymorum, & hoc impetrato atque peracto, Leuitas atque Sacerdotes de genere suo constitueret, confidens in Prophetia Esaiæ, qui ante ducentos annos prędixerat, quòd altare Domini deberet esse in terra Aegypti. De illo templo contingebat seditiones excitari inter Iudæos, qui erant in regione Iudæa, & eos qui per Aegyptum, & ante Onyam, & cum Onya discesserant, alij captiui (sicut iam suprà dictum est) abducti, alij spontè opulentia locorum & Ptolemæi munificentia inuitati. Samaritæ quoq; temporibus Alexandri Macedonis, templũ super Garizim montem construxerant, auctoribus Sanaballat satrapa & genero eius Manasse fratre Iaddi Pontificis Hierosolymitani, sicut Iosephus plenius scribit. Contingebat ergo, propter templa seditiones excitari, ita vt coram Regibus quoq; certarent, dicentibus Iudęis de regione Iudæa, secundum Legem Moysi templum se construxisse in Hierosolymis, Samaritis in Garizim. Porrò, hi qui per Aegyptum erant, suum defendebant, vel præferre contendebant templum quasi testimonio Propheticæ authoritatis, nimirum malè intellectam verbi veritate, longeq; facti à sensu vel sententia tantæ Prophetiæ. Causa igitur (sicut iam dictũ est) postulabat, vt scriberent Iudæis, qui erant per Aegyptum, de his quæ circa templum in Hierosolymis manifesta Dei virtute facta sunt, hanc habentes intentionem, quatenus constaret templum illud sicut antiquum, ita & solum esse legitimum. Templa autẽ cætera siue in Garizim, siue in Aegypto per preuaricationem esse constructa testante Danielis visione Prophetica, qua dictum est: Filij quoq; prævaricatorum populi tui extollentur, vt impleant visionem, & corruant. Onyam quippe & qui cum eo fuerunt, significat, quos idcirco filios prævaricatorum dicit, quia Legem Domini reliquerunt, volentes in alio loco, præterquã iussum erat, deo victimas immolare. Extollẽtur (ait) in superbiã & visionẽ, hoc est, propheticam veritatẽ se implere iactabunt.

Dan. 11.

Solum templum Hierosolymitanum legitimum fuisse, propter promissiones Dei illic adimplendas.

CAP. X.

IN huiusmodi contentionibus vtile fuit superare Iudæos, qui erant in regione Iudæa, & permanere sanctum illud templum, quod erat in Hierosolymis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones de aduentu Christi Filij Dei, testificatas ex Lege & Prophetis, vt est illud, Quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem. Causa ista Causa finalis, & vtilitas magna semper debet esse in oculis in conspectu cordis nostri, & tunc quæstione non indigebit. Quid profuerit, vel quid vtilitatis plus habuerit, tunc temporis adorare Deum in Hierosolymis, quàm in mõte Garizim. In monte Sion, quàm in Heliopoli. In Iudæa, quàm in Aegypto, In templo posterorum Dauid fidelis, quàm in templo Onyæ prævaricatoris, nondũ erat, vt diceretur. Venit hora, quando neq; in monte Garizim, neq; in Hierosolymis adorabitis Patrẽ, sed in spiritu & veritate. Quia nondum venerat salus, quę ex Iudęis est, & tam diu stare oportebat templũ illud, donec salus ista veniret, donec ad illud templum suum Christus à suis

Esaiæ 2.

Ioan. 4.

suis parentibus deferretur, cum oblationibus hostiarum, quas præcepit Lex. Iuxta illud Malachię Prophetę: Et statim veniet ad tẽplum sanctum suũ Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.

Malach. 3.

Quæ ratione salutationis loco scriptum sit: Adaperiat cor vestrum in Lege sua.

CAPVT XI.

HIs animaduersis simul appendere potes, qualis ista salutatio sit: Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod ad Abraham, Isaac, & Iocob locutus est seruorum suorum fideliũ, & det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis voluntatem eius in corde magno, & animo voleti. Adaperiat cor vestrum in Lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & recõcilietur vobis, nec vos deserat in tẽpore malo. Et nunc hic sumus orantes pro vobis. Quomodo debuit fraterna charitas, ita salutauit, & imprecata est fratribus suis Iudæis, quorũ vtique cor non fuerat adapertum in Lege & in prẽceptis domini, dicens, Et nunc hic sumus orantes pro vobis. Si enim cor adapertum habuissent in Lege & in præceptis Domini, ne quaquam fecissent, quod erat contra Legẽ & contra præceptum Domini, vt ædificarent templum, & altare in terra Aegypti, clauso corde & auribus malè adapertis ad illam Esaiæ Prophetiam. Et erit altare Domini in medio terræ Aegypti. Hoc nanque faciendo prævaricatores se cõstituerant Legis & præceptorum Domini, secundo suprà memoratam Prophetiã Danielis, qua dictũ fuerat. Filij quoque prævaricatorũ populi tui extollẽtur, vt impleant visionem, & corruant. Idcirco dicunt, Et reconcilietur vobis, & nunc hic sumus orantes pro vobis, subaudiendum est, quia prævaricatores vel filij prævaricatorum estis, faciendo vel habendo templum in terra Aegypti, quale Dominus per Esaiam non mandauit, nec in cor eius ascendit. Super hac re reconcilietur, aiunt, vobis.

Dani. 13.

Quænam fuerit illa tribulatio & impetus, qui venerat super Iudæos.

CAPVT XII.

TAliter præmisso exordio, quo manifestè beneuolentia quærebatur fratrum qui erant per Aegyptum, quatenus beneuoli, attenti, & dociles fierent ad audiendum, sequitur narratio. Regnante Demetrio anno centesimo & sexagesimo nono, Nos Iudæi scripsimus vobis in tribulatione & impetu, qui superuenit nobis in istis annis: Iã ante dictũ est, quia ille annus centesimus sexagesimꝰ nonus regni Grẽcorũ, quo se scripsisse referunt fratres Iudęi de Iudea, fratribus Iudæis, qui erant per Aegyptum, quartus idemq́ue vltimus erat annus principatus Ionathæ fratris Iudæ, quando iam renouatum erat templum, atque emundatum à contaminatione, qua illud contaminauerunt gentes, atque defensum ab impio Nicanore, qui rursus illud contaminare voluerat, iurans atque dicens, Quia nisi mihi vinctum Iudam tradideritis, istud Dei phanum in planiciem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri consecrabo. Illo blasphemo Nicanore perempto & Deo cæli collaudato, qui locum suum incontaminatum conseruauit, habitoque cõmuni consilio atque decreto, vt nullo modo dies illa absque annua celebritate pertranseat. Nos (inquiunt Iudæi) scripsimus vobis, qui & ipsi debetis esse Iudæi, non solùm gente, sed fide Abrahæ, atq; fidelis Dauid, ad quos repromissio facta, & confirmata est in loco quem Deus elegit, hoc est Hierosolymis. Scripsimus (inquam) vobis in tribulatione & impetu quæ superuenit nobis in istis annis. Quæ fuit illa tribulatio, vel quis fuit ille impetus? Ex quo recessit Iason à sancta terra & regno, portas succenderũt, & effuderunt sanguinem innocentem, sicut iam longè superiùs diximus. Hoc fuit initiũ dolorum, quòd Iason, qui & Iesus dictus fuerat patrio nomine, frater Onyæ Pontificis, quem Andronicus rogatu Menelai interfecit. Iason, inquam, impius, & non Sacerdos, sed ab impio rege fratri contra fas superpositus à sancta terra recessit. Quomodo recessit? Primùm mente volẽs, deinde etiam corpore inuitus ac profugus. Cùm enim illi rex ambienti, & pecunias promittenti annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit, ita incipiens, nimirum tota mente à terra sancta & regno recessit. Deinde cùm in malis proficiens, multas ciuium strages dedisset, finem insidiarum suarum confusionem cœpit, & profugus abijt in Amanitem regionem. Ad vltimũ in exitiũ omnibus odiosus, vt refuga Legum: & execrabilis, vt patriæ & ciuiũ hostis, in Aegyptũ extrusus, atq; inde Lacedæmona profectus, tandem abiectus est insepultus. Ex quo, inquiũt, talis ille recessit, portas succenderunt, & effuderunt sanguinẽ innocentẽ. Ante recessum autem vel apostasiã eius sancta ciuitas in omni pace habitabatur, & ipsi Reges & principes locũ summo honore dignũ dicebant, & templum maximis muneribus illustrabant.

2. Mac. 5.

2. Mac. 4.

Quare Iudæam, terram sanctam appellarunt.

CAPVT XIII.

MEmoriter tenendum illud, quod iam suprà diximus, totam Libri vel Scripturæ huius seriem spectare atque intendere ad Hierosolymæ ciuitatis venerationem, templique, quod erat in ea, dignitatẽ & honorem singularem. Simulq; causa sciẽda, quam itidem suprà diximus, quia mouebant eos tẽpla, contra Legẽ facta, vbi esse nõ debebant, ad illius templi similitudinem.

2. Mac. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Templum illud sanctum, sacrificia illo in templo celebrata, sancta esse & legitima, ciuitatem Hierusalē sanctā esse, vbique Scriptura libri huius tota intentione declamat, vt dignum est, videlicet ad destruendam tēplorum adulterorum fiduciam, quorum alterum in monte Garizim, alterum in Aegypto fuerat ædificatum. Hac re animaduersa, non miraberis, cùm sanctam terram dicant, hoc modo, ex quo recessit Iason à sancta terra. Deinde cùm subiungunt, Et orauimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium, similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes. Cun
2. Mac. 1. cta hæc dicta sic rectè accipimus, tanquam firmissimas defensiones priuilegij legitimi, pro templo iam dicto quod erat Hierosolymis. Quòd ipsorum, qui templo illi deseruiebant, fuerit, vel esse debuerit sacrificia offerre, panes proponere, & hæc faciendo exaudire illic, non in templo montis Garizim, non in templo Heliopoleos, quæ templa erant æmulationis.

Quomodo intelligendum sit, Frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu.

CAPVT XIIII.

Scenopegia

AMplius autem huc spectat id quod sequitur. Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. Scenopegia festiuitas tabernaculorum erat, & hæc celebrabatur ab illo popolo mense septimo, qui illis

Casleu quid.

Theseri, apud nos October dicitur. Cōsideradum ergo, quomodo dicant, Frequentate dies scenopegiæ, subiungētes mensis Casleu, qui apud illos est mensis nonus, videlicet ab Aprili, apud Romanos autem Decēber dicitur, eò quòd à Martio sit decimus. Aliam sinè dubio scenopegiam illis inducūt præter illam, quam ex quo Lex data est, celebrare consueuerant, vt videlicet dum ipsi in mense Casleu Encænia faciunt in Hierosolymis, id est, solennia dedicationis vel purificationis templi. Celebrent etiam illi per Aegyptum purificationem eandem, nō sicut Encænia, quæ ad templum vtique illorū non pertinent, sed sicut scenopegiam. Ponamus iam huius rei de Scriptura ipsa documentum. Qua die autem (inquit) templum
2. Mac. 10. ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationē fieri vicesimo & quinto mensis Casleu. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, re

Encænia quo acta.

cordantes, quòd ante modicum temporis diem solennem tabernaculorum in montibus & speluncis more bestiarum egerant. Propter quod Thyrsos & ramos virides & palmas præferebant ei, qui prosperauit mūdare locum suum. Et decreuerunt communi præcepto & decreto vniuersæ genti Iudæorū, omnibus annis agere dies istos. Manifestè dicit, quia diebus octo egerūt in modum tabernaculorum, causamque reddit, cur non in modum priscæ dedicationis, quā fecit Salomon, sed in modū egerint tabernaculorum, quæ festiuitas agebatur (vt iam dictum est) mense septimo propter aliam rationem. Quæ illa causa est? Recordantes, ait, quòd ante temporis diem solennem tabernaculorum in montibus & speluncis more bestiarum egerint. Claret igitur quid 2. Mac. 2. dicant, Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. Idem enim est, ac si dicant: In modum scenopegiæ, id est, festiuitates tabernaculorum, quæ ex causa antiqua mense septimo celebrabantur, celebrate mense nono istam quoque festiuitatem purificationis templi, quæ inde purificatio dicitur, quia contaminatum fuerat templū ab alienigenis. Machabæus autem & qui cum illo erant, Domino se protegente, templum quidem & ciuitatem recepit, aras 2. Mac. 11. autem quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus est, & purgato templo, aliud altare fecerunt, & obtulerunt sacrificia, & incensum, & lucernas, & panes propositionis posuerunt.

Quòd semel & iterum eisdem de causis scripserint, & quòd admonitio secunda austerior quàm prima sit.

CAPVT XV.

SEcundum commune præceptum & decretum, quòd decreuerat vniuersæ genti Iudæorum omnibus annis agere dies istos, scripserunt fratribus Iudæis, qui erant per Aegyptum semel & iterum, Scilicet primum annum centesimo sexagesimo nono, deinde anno centesimo octogesimo octauo, per hoc qd semel & iterū scripserūt annis decem & nouem inter vtrasque vices interiectis, illud datur intelligi, quòd ad primam vicem non obtemperauerint, vtpotè qui templum aliud habentes, quod (vt suprà dictum est) secundum Esaiæ vaticinium, se construxisse iactabant, templum illud quod erat Hierosolymis, non ad se pertinere volebant, atque idcirco festiuitatem dedicationis, vel purificationis illius suscipere detrectabant. Proinde notādum, quòd prima admonitione sequens aliquantulum acrior sit. Nam prima vice salutatio tam dulcis est, vt animaduerti potest, per id quod dicunt, Fratribus Iudæis Fratres Iudæi, benefaciat vobis DEVS, & memineritt testamenti sui, & cætera. In secunda verò fraterni nominis deest dulcedo, Dicituréque populus qui est Hierosolymis & in Iudæa, adiecto quasi cum supercilio, senatusque & Iudas Aristobulo magistro Ptolemæi Regis, qui est de genere Christorum Sacerdotū, & his qui in Aegypto sunt Iudæis. Nomen quippe senatus Iudicialis intentionis est signum. Porrò quis ille Iudas fuerit, nō facilè ex historijs potest agnosci, nisi fortè ille sit Iudas Essæus genere, qui sub illis temporib. extitit, q (vt ait Iosephus) nunquam in his quæ prædixit mentitus est.

Similiter

Similiter quis iste Aristobol' magister Ptolemæi fuerit, non facile reperitur ex historijs, nisi quòd cùm dicunt, qui est de genere Christorum Sacerdotum, quempiam significant fuisse de posteris vel cognatis Onyæ suprà memorati, qui cùm esset filius Simonis Pontificis, quasi authoritate Pontificali cum patrocinio Prophetici præconij nimirum malè intellecti, templum ædificauerat in terra Aegypti. Aristobolus iste aliquis erat ex illius Onyæ cognatis vel posteris, eratque magister Ptolemæi regis Philometoris. Nec mirum, hominem Iudæum dici magistrum regis Aegyptij, quia videlicet à diebus Ptolemæi Philadelphi, qui Legem per septuaginta interpretes sibi fecit interpretari, magistros Iudæos habere consueuerant reges Aegypti.

Eadem ratione sanctam ciuitatem qua terram sanctam esse appellatam.

CAPVT XVI.

DE magnis, inquiunt, periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipsi, vtpotè qui aduersus talem Regem dimicauimus. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnauerunt contra sanctam ciui-

Sancta ciuitas.

tatem. Vide quomodo secundum intentionem (quam diximus) procedant dicta venerabilia, sanctam terram, sanctam ciuitatem pronunciantia, qui videlicet pulchri sermonis ornatus ab huiusmodi principio vsque ad finem ferè per omne libri corpus seruatur, sinè dubio contra æmulationes illorum qui alibi contra Legem volebant habere tēplum vel Sancta sanctorum, libenter accipimus fuisse sanctam terram, sanctam ciuitatem, sanctum locum. Nimirum propter eū, qui non aliunde, sed inde venturus erat Sanctum sanctorum. Iam superiùs diximus, quis ille fuerit Rex Antiochus, nec rursus dicere piget, qui a ipse fuit, de quo circa finē primi Machabæorum libri narratio cœpta, sed non consummata est, quomodo contra Simonem & contra Ioannem Hircanum multa mala gesserit, qui (vt Iosephus narrat) eundem Hircanū in ciuitate inclusum septem aciebus circundederit, eosque vehementer afflixerit. Qualiter iste interierit hic Scripturæ locus manifestiùs exprimit. Quia cùm in Perside esset Dux ipse, & cum ipso immensus exercitus cecidit in templo Naneæ, concilio deceptus Sacerdotis Naneæ. Per omnia, inquiunt, benedictus Deus qui tradidit impios. Ista quoque gratulatio de impiorum interitu ad commendationē spectat loci sancti, & eius cuius in Aegypto similitudinem fecerant templi Dei, quòd verè solum illud sanctum deberet haberi, in quo totius apparuerit manifesta quædam Dei virtus, vindictas exigens de his, quicunque inhonorassent illud: & quamuis propter peccata inhabitantium interdum acciderit circa locum despectio, non tamen impunè abirent quicunque despectui locum habuissent.

Eadem ratione ignem de cælo datum, cōmemorari.

CAPVT XVII.

NArratio de igne, qui datus est, inquiūt, quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia, satis manifesta est, meliusque placet, si lectoris memoriæ non desit causa vel intentio, quam diximus, scilicet hæc omnia tendere ad defendedum priuilegium, ad testificandam dignitatem singularem Sanctæ ciuitatis, & templi, cuius ad similitudinem factum fuerat, quòd fieri nō debuerat templū in terra Aegypti. Ignis nāque qui taliter datus est, magnum & memorabile illi templo legitimæ sanctitatis testimoniū est. Et quidē narratio (sicut iam diximus) manifesta est, veruntamen propter simpliciores de ipso igne altaris aliquid dicendum est.

Qualis ille ignis altaris fuerit. CAP. XVIII.

IGnis, inquit, dominus ad Moysen, in al- Leuit. 6.
tari semper ardebit, quem nutriet Sacer- Ignis altar.
dos, subijciens manè ligna per singulos dies. Et impositio holocausto desuper, adolebit pin. adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Vnde autem iste ignis tam diligenter nutriendus, non alterius, sed Sacerdotis cura & diligentia ne deficeret custodiendus fuerat datus siue acceptus? ab ipso Domino nimirum magno & euidenti miraculo. Vncto namque tabernaculo, ritu quoq; Sacerdotij atque sacrificiorum iuxta præceptum dñi ordinato. Ho
die (inquit Moyses) Dominus apparebit vo- Leuit. 9.
bis. Itē, Facite & apparebit vobis gloria eius. Subinde sequitur, Ingressus aūt Moyses & Aaron tabernacula testimonij, & deinceps egressi benedixerūt populo, apparuitq; gloria dñi omni multitudini, & ecce ignis egressus à dño deuorauit holocaustū & adipes, q erant super altare. Hoc cū vidissent turbæ, laudauerunt nominū ruentes in facies suas. Dignus igitur ignis quē Sacerdos nutriret, quiq; de altari deficere nunquam deberet, & dignus locus, dignū templum, sanctumq; altare, quod tanti priuilegij manus haberet, quale vtiq; in illo templo æmulo Aegypti, nec fuit nec esse debuit. Illud obseruari potuit, vt nunquā deficeret ignis in altari vsq; ad tēpora Babylonicę captiuitatis, quia videlicet quantæcūque tēpestates eatenus exurrexerint, non tantæ fuerunt, vt necessariò extingueretur ille ignis. Nec enim ante Nabuchodonosor regē Babylonis vlla vsquā Scriptura memorat, tale quippiam euenisse, vt ignis ille nutriri vel custodiri non potuerit. Vbi aūt & templū destructū, & ciuitas igne Chaldaico cōbusta fuit, quomodo vel in quo Sacerdos curare posset, ne deficeret ignis in altari? Fecerunt igitur quod potuerunt, fidē & spem habentes ad Deum, secundum literæ huius sensum manifestum.

Cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Mac. 1. Cùm in Persidem ducerentur patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus. Quid illorum fidei contemplatione pulchrius? ignem morientem qui nutriri non poterat, qui vbi nutriretur, non habebat, illi resuscitandum commiserunt, in quo est species resurrectionis mortuorum. Nec eos fefellit spes. Quomodo?

Eadem ratione miraculum ignis, & Nehemiæ orationem commemorari.

CAPVT XIX.

CVm præterissent multi anni & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis: nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignẽ, Ibidem. & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, &c. Manifesta narratio, manifestum diuinæ prouisionis indicium, multumque pertinens ad causam sæpedictam, & semper memoria tenendã, quam & pulchrè hæc litera recitauit, dicendo sic: Et idem ignis qui datus est, quando Nehemias ædificato templo & altari, obtulit sacrificia. Neque enim Nehemias templum & altare ædificauit. Iam quippe illud ædificauerat Dux Zorobabel & Sacerdos Iesus filius Iosedech antequam mitteretur Nehemias à Rege Persidis, sed muros ciuitatis iste reædificauit. Cùm igitur ita dicunt quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia, subauditur pro muro rũ peracta reædificatione, proculdubio hæc interpositio ędificato templo & altari, commendatio est templi sæpedicti, quod solum illud sanctum atq; legitimum fuerit, cuius in altari & ante Babylonicam captiuitatem ignis iste perpetuus extitit, & post captiuitatem tanto miraculo recupe atus est, quod verè inter cæteras authoritates testimoniorum, quibus templum illud fuisse constat illustratum, magnum atque præclarum fuit. Quale enim fuit, ligna & sacrificia super imposita, itemque lapides magnos aqua perfundi, magnumque de contrario elemento 2. Mac. 1. ignem accendi? Ad eandem spectat intentio Deut. 17. nem quod dicunt, & Nehemiæ erat oratio hunc habens modum, Domine Deus omnium Creator, &c. Inter quæ est illud notãdum, Et congrega dispersionem nostram & constitue populũ tuum in loco sancto tuo, Deut. 12. sicut dixit Moyses. Quomodo enim dixit Moyses? Cùm, inquit, fuerit constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum equitatus numero subleuatus, præsertim cũ dominus præceperit vobis, vt nequaquam per eandem viam reuertamini. Nec illi in Aegyptum fuerant reuersi. Item dixit Moyses, Non facietis in Domino Deo vestro, sed ad locum quem elegerit Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in illo loco holocausta & victimas vestras. Locus vtique, quem elegerit, Dominus erat Hierusalem, sicut Scriptura narrat, Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Hierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus, & ait Angelo percutienti. Sufficit nunc, contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi. Venit autem Gad & Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, constitue Domino altare in area Areuna Iebusæi. At illi in Aegypto immolabant. Vide igitur, quàm subtiliter, quàm moderatè conueniant illos, & arguant vt Legis præuaricatores, ex illa oratione Nehemiæ dictum ita recensentes. Constitue populum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. Nimirum locum Dei sanctum Hierosolymis esse volentes, contra cuius electionem locus in Agypto præsumptus sanctus vtiq; esse nõ posset. diem illum siue sacrificium illud appellauit Nehemias 2. Reg. 24. Nepthar, quod interpretatur purificatio, quæ alia vel alterius rationis erat, quàm purificatio mensis Casleu, de qua suprà diximus. quam appellabant purificationem templi. Istam verò diem ignis, qui videlicet dies cuius mensis, quoties fuerit, non oportuit illis annunciari, quia sciebant, & olim celebrauerant.

Eadem ratione tabernaculi & arcæ commemorationem, atque excusationem factam.

CAPVT XX.

NArrationibus tam veris, locum electũ, templum sanctum atque legitimum decantantes non potuisse illos habere in terra Aegypti, sed haberi in Hierosolymis nõnihil sibi deesse sentiebãt, quia videlicet tabernaculũ & arcã & altare incensi, quod fecit Moyses, nõ habebant. Profectò æmulis ipsorũ. s. Iudæis habentibus suum in Aegypto templũ, hoc videbatur, quod gloria magna trãllata fuisset à Hierosolymis, tanquã ratio nulla esset vel esse posset alia sufficiens ad cõmendandã vel præferendam dignitatẽ templi Hierosolymitani, quoniã non haberent illa insignia, tabernaculũ, & arcã, & altare incensi. Super isto quasi gloriæ detrimẽto cõsolantur semetipsos, sic inferendo. Inuenitur aũt in descriptionib. Hieremiæ Prophetæ, quòd iussit accipere igné eos qui trãsmigrabant, vt significatum est. Erat autẽ in ipsa Scriptura, quomodo tabernaculum, & arcã iussit Propheta diuino respõso ad se facto comitari secum, vsquequo exijt in montem, in quo Moyses ascẽdit, & vidit hæreditatem Dei, & veniens Hier. inuenit ibi locũ speluncæ, & tabernaculũ & arcã & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit, & dixit, quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus cõgregationẽ populi, & propitius fiat, & dominus ostendit hæc, & apparebit 2. Mac. 2. maiestas

maiestas Domini, & nubes erit, sicut & manifestabatur Moysi, & sicut cum Salomon petijt, vt locus sanctificaretur magno Deo. Manifestabat hæc, & vt sapientiam habẽs, obtulit sacrificium dedicationis & consummationis templi, sicut & Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de cælo, & cõsumpsit holocaustum.

Quomodo, quæ de tabernaculo & arca dicta sunt, intelligi debeant.

CAPVT XXI.

COnsolatio hæc oportuna tunc extitit, magnã pro Dei legitimo templo, quod erat Hierosolymis, superexaltans coronã spei, ne vel propter hoc, quod non habebat tabernaculum & arcam & altare incensi, videretur Aegyptio templo non posse præferri. Veruntamen quoniam in descriptionib. Hieremiæ Prophetæ (quas nunc habemus) dixerunt hæc inueniri. Si dignitatẽ vel maiestatem consideres Spiritus sancti, qui loquebatur in Prophetis, quorum de notissimis & præcipuis Hieremias vnus extitit. Magna quidem in litera sonat gloria illius templi manufacti, sed multò maiorem in Spiritu Prophetiæ præsentis homo quicunque spiritualis. Deniq; homo animalis Iudæus, cuius circuncisio non in spiritu, sed in sola carne consistit, hoc putat Hieremiam dixisse, quod Iudæorum, qui in omnes gentes captiui ducti sunt, congregatio debeat fieri, nescio quo tempore, templumque illud cũ ciuitate restitui, cum tali nube apparente, qualis erat vbi Moyses Legem accepit, & qualis vbi Salomon ædificatum templum magno Deo dedicauit. Nos autẽ post illud tempus, quo hæc scripta sunt, post victoriosa prælia Machabæorum, nullam scimus populi Dei congregationem, præter illam, quam idem spiritus, quem loquebatur in Prophetis, nobis in Euangelista Ioanne depromit. Quia Iesus moriturus erat pro gente, Ioan. 12. & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Tunc vtique apparuit gloria Dei, gloria filij Dei cum resurrectione mortuorum effulgentis: & extunc est nubes, sicut manifestabatur Moysi, vt Legem accepit, & sicut fuit nubes, vbi Salomon templum Domini ædificauit. Nubes, inquam, extunc est similiter, scilicet lætitas Iudæorum, cuius in prodigium factæ sunt illæ nubes, vsque ad illud tempus ignotum erit (ait Hieremias) vbi sit tabernaculum & arca & altare incensi, id est, non cognoscetur à populis vel gentibus, quorum vel qualium exemplaria cælestium illa fuerunt.

Qualicunque sensu Hieremias illa scripserit, Iudæos suo proposito adaptasse.

CAPVT XXII.

DIcit aliquis, putasne ipsi qui scripserũt, vel etiam illi quibus scripserunt hunc prologum, ita vt tu nunc dicis, & sicut nũc Ecclesia Christi intelligit, Prophetica Hieremię dicta intellexerunt? Ad hæc, inquã, putasne Iudæi, qui de regione Iudæa scripserunt, aut Iudæi per Aegyptum, quibus scripserunt Prophetæ fuerunt, aut Propheticum intellectum habuerunt? Si Prophetę fuerunt, aut intelligentiam Prophetici spiritus habuerunt, nimirum ea quæ sub velamine legalis, aut Propheticæ literæ latebãt, intellexerunt. Quid voluerit constructio vel ritus tabernaculi, quid significauerit altare incensi, quid arca, quid propitiatoriũ, quid duo Cherubim, quid prorsus vel quale fuerit illud, quod intendens Dominus ad Moysen: Inspice (ait) & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstraui. Sed non erat Prophetæ in diebus illis ferè, ex quo reædificatum est templum post captiuitatem Babylonicam. Et nouissimus duodecim Prophetarum Malachias, quem ipsum Esdram fuisse dicunt Hebræi, prophetauit. Hinc in primo libro Machabæorum scriptum est: Et facta est tribulatio ma- 1. Mac. 10. gna in Israel, qualis non fuit, ex die qua nõ est Propheta visus in Israel. Igitur quomodocunque intellexerint illud, quod inueniri dixerunt in descriptionibus Hieremiæ Prophetæ, vel ipsum Hieremiam dixisse de populi congregatione, de maiestatis Domini apparitione, vel futura nube secundum similitudinem nubis, quæ in monte Sinai manifestata est Moysi, quę vel Salomoni in dedicatione templi. Nos in præsenti Scriptura scribentium teneamus intentionem, quia facta hæc vel dicta Hieremiæ fratrib. qui erant per Aegyptum, habentibus templum non legitimum, scripserunt ad suimet competentem consolationem, quod videlicet loci vel templi dignitas, non idcirco minor videri deberet, quod eo tempore tabernaculum & arcam & altare incensi non haberent.

Eadem ratione, qua superiora, orationem Moysi, & ignem de cælo datum.

CAPVT XXIII.

QVOD tandem subiungitur, Sicut & Moyses, orabat ad Dominum, & descendit ignis ne cælo, & consumpsit holocaustum. Dixit Moyses: Eò quòd non sit mandatũ, quod erat pro peccato, & consumptum est, ad idem respicit, scilicet ad testimonium sanctitatis vel sanctificationis, quod templum illud iure sanctum habendum fuerit, in quo cõstabat peccata cõsumi igne, qui diuinitus datus est, sicut & quãdo Moyses orabat. Neque enim minus miraculi fuit in eo, quòd de aqua super sacrificium asperſa magnus accensus est ignis, quã in eo quòd Moyse orante, à Domino egressus est ignis, & holocaustum consumpsit. Cæleſti authoritate defensum esse volũt, nihil minus sanctitatis vel dignitatis, illi tẽplo, quã Moysi ascribendũ fuisse tabernaculo. Quod aiunt, dicit

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicit Moyses, Eò quòd non sit mandatum, quod erat pro peccato, & consumptum est, idem est ac si dicat: Sacrificium quod erat pro peccato, cur nõ comedebatur, sed cõburebatur, videlicet quia nõ erat mandatum, cũ esset pro peccato, quia sicut immundum est peccatũ, ita q; erat pro peccato sacrificiũ, non pertinebat ad esum sicut hostiæ pacificorum, congruumq; erat totum illud cremari, sicut habemus peccatũ nostrũ sancti spiritus igni cõburi. Et hoc dictum à Moyse non ociosè, secundũ sepe dictã intentionẽ suam, memorant, videlicet, vt cõstet templum factũ esse in quo peccatũ consumitur, teste igne dato diuinitus. & sacrificium pro peccato. Finis tandẽ nobis iam sit huiuscemodi tractatus in litera procemij, q̃ mihi explanandũ imposuisti, quod si vtiliter vtcũq; factũ est, tu quoq; gratiã benedictionis recipere debes ab omnibus, quib. hoc vtile visum fuerit, quia monitor atq; exactor fuisti.

Quàm multi hostes verbi Dei velociter sicut vmbra transierint. CAPVT XXIIII.

INterea saluus atq; intemeratus permanebat thesaurus patris Abrahæ, thesaurus Dauid fidelis, scilicet verbũ promissionis, q̃ sub iuramẽto Deus verax super illos thesaurisauit. Stabat emẽ locus & gens vnde oportebat illud adimpleri. Generatio preteribat, & generatio aduenìebat: ipse aũt cui veraciter dicitur, Tu autẽ idẽ ipse es, & anni tui non deficient, in proposito suo permanebat. Anno illo, quo (vt iam dictũ est) fratres *Psal. 102.* qui erant Hierosolymis, & in regione Iudæa scripserunt fratrib. qui erat per Aegyptum. Anno, inquã, CLXXXVIII. Ioannes cognomento Hircanus locum & gentẽ regebat, & ille annus principatus eius XI. erat, vbi tunc erant, qui locum & gentem illam tantis odijs persequentes exterminare voluerant? Velociter sicut vmbra transierant, alius post alium diuersis cladibus morientes, quorũ interitus velocitatem si consideres, rectè dicas, quia in generatione vna nomen eorum deletũ est. Vna quippe generatio Machabæorum vix exacta fuerat principatum agente suiq; principatus annum habente vndecimum Hircano, cuius per patrẽ Simonem, patruosq; Iudam atq; Ionatham, locũ & gentem Deus reseruauerat, & tam multi Reges aduersariorum successim decesserant infra annorũ paulò plus, quã quadraginta spacium. Deniq; post radicẽ peccatricem, scilicet Antiochum Epiphanẽ, qui sinè manu contritus est, filius eius Antiochus Eupator decessit, post Eupatorem patruelis eius Demetrius filius Seleuci, post Demetrium Alexander filius Antiochi, post Alexandrũ Demetrius filius Demetrij: deinde Tryphon tyrannus regni, qui Ionatha & Antiocho adolescente filio Alexandri dolo interfectis, diadema sibi imposuit, deinde Antiochus filius Demetrij, qui in templo Naneæ cecidit. Septem fuerant, iamq; non erant, nimirum citò deleti in vna (vt iam dictum est) generatione Machabæorum, & benedicebatur deus, atq; laudabatur secun- *psal. 36.* dum Psalmistã dicentẽ, Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quẽadmodum fumus deficient.

Quare Deus populo cæteras regna subijcere noluerit. CAPVT XXV.

NOn poterat hic Deus terribilis, qui tã citò abstulit spiritum principũ, & auxilio tam paruulo subleuauit Gẽtem & locum, non poterat hoc facere verbũ Dei verbum deus vt gens sua, locus suus, regnis omnibus imperaret? quomodo regnũ Græcorum paulò antè ab Alexandro Macedone dominabatur? Non poterat istud efficere, vt regnorum mundi caput Hierosolymis haberetur, seu Machabæis vincentibus, seu anterius regnante Dauid, quem electione sua, secundum cor suum Regem posuerat Deus? Poterat planè, si voluisset de huiusmodi curare, plus quã exigebat propositum ipsius. At verò propositũ eius nõ erat, vt beati viri suæ benedictionis hæredes in ista valle lachrymarũ, in isto loco, qui positus est eis ad flendum & esuriendum, & ad sanctæ paupertatis studium, iam subsilirent in equis & curribus, & in Gentibus more Regum gentium potestatẽ haberent, aut dominarentur. Sed quid erat in ꝓpositio eius? nimirum sanctos eius & electos oẽs in hoc mundo peregrinos esse vel exules, & expectare regnum eius, cuius Rex vel imperator ipse Deus & dominus est. Benè igitur secundum hoc propositũ suum contẽtus fuit deus, tantillum suis præbere auxilium, quatenus inter gentes gens vnica, & locus vnicus conseruaretur, donec ex ea Dei veritas, id est, verbum promissionis adimpleretur. Vltra cautelam hanc vel prouidentiã, Gentem exulem, filios peregrinorum Abrahæ, Isaac, & Iacob, cur exaltaret, causam non habuit Rex humilium deus, Gentibus siue nationibus gentium, Reges aũt regum imperatores habentibus, satis fuit illi genti loco illi prouidere Reges aut Principes, vt fuit dauid, vt fuerunt isti Machabæi, qualium præ lijs aut victorijs non quæreretur, vt vlla fieret pressura mũdi, sed vt defenderetur Gẽs vnde esset ventura salus mundi. Regnum autem & imperium gentis illius super omnes gentes, quando vel quo tempore consurgeret, prouidebat, sedẽs in throno ille apud Danielem Antiquus dierum, qui venturo de illa Gente Filio hominis iam porrigebat regnum & potestatem, vt omnes populi, tribus, & linguæ seruiant illi in æternum.

Machabæos societatem cum Romanis inire non debuisse, & quare tam cita morte sublati fuerint. CAPVT XXVI.

SVbobscurum quiddam fratribus victoriosis in medio suæ claritatis accidit, Iudæ, Ionathæ, atque Simoni, quòd videlicet victorijs clarificati, vltro miserunt societatem & amicitiam statuere cum Romanis potentibus & famosis, quãuis super hac re non culpet eos Scriptura, res gestas continens ipsorum, nihilominùs tamen animaduertere promptum est, non fuisse tutum coram Deo, neq; Lege concessum Iudæis, vt expeterent amicitias gentium, veruntamen sicut fuerunt in vita sua, ita & post mortem glorioſi sunt, quia si quid puleris, aut puluere vanitatis taliter admiserunt, omninò deletum est, cita subsequente morte singulorũ. Deniq; Iudas primus miserat Romam, constituere cum illis amicitiam & societatem. *1 Mach. 7.* & interea Demetrius rex post casum Nicanoris & exercitus eius, apposuit Bachidem & Alchimum rursus mittere in Iudæam, & in illo prælio cecidit ille potens, qui saluum faciebat populum Israel. Deinde Ionathas Romam miserat, statuere & renouare cum illis amicitiam, & postmodũ à Triphone dolis circunuentus atq; occisus est. Similiter Simon miserat, cum illis renouare amicitiam nec multum post à genero suo Ptolomæo per insidias interfectus est. Tales euentus, singulorum fines obscurare videtur, quòd

videlicet in eo sibi cæleste diminuerint auxilium, dum quærunt ab hominibus seculi quasi pacis & securitatis firmamentũ. Porrò diligens animus causam aliã libentiùs arbitratur, scilicet q̃ idcirco taliter in breui decesserint, quia sicut de Sanctis dicit Apostolus. *Hebr. 11.* Quibus dignus nõ erat mundus. Ita & talibus ac tantis Ducibus, vt diu permanerent, tunc temporis dignus nõ erat ille populus, vtpote iam quasi senex atq; delirus penè totus, præter paucos iustos, nimirum refrigescens à diuinæ religionis cultu. Inde post Hircanum, Simonis filium, ducem habere meruit Hircani filium Aristobulum, matris & fratris interfectorem, deinde fratrẽ eiusdem Aristobuli Alexandrum & ipsum parricidam. multæq; plebis Iudæorum homicidam, deinde filios eiusdẽ Alexandri Hircanum & Aristobulum, qui principatũ dira contentione lacerauerũt, multò post Herodem genere alienũ, crudelitate præcipuũ, totiusque homicidij domestici atq; publici signiferum, mortisq; satellitem, sempiternę perditioni destinatum. Beata igitur sors illo- *Eccl. 44.* rum qualemcũq; habuerint mortis euentũ. Nam corpora eorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum.

DECIMI LIBRI FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER VNDECIMVS.

Verbum Domini per Esaiam: si non (vt putaui) ita erit, quomodo sit intelligendum. CAP. I.

SCriptũ est enim in Esaia: Iurauit dominus dicens, Si non (vt putaui) ita erit, & quomodo mente tractaui, sic eueniet, ac deinceps. Dominus enim exercituũ decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis auertet eam? Quid (quæso) putauit, & quid mente tractauit Dñs? quid decreuit, & ad quid manus eius est extenta? Nũquid hoc solùm putauit, & hoc solùm mente tractauit aut decreuit, vt contereret Assyrium illum carneum in terra sua, & in montibus suis conculcaret eum? Imò hoc cõsiliũ (inquit) quod cogitauit super omnem terram, & hæc est manus extenta super omnes gentes, quarũ vtiq; Diabolus princeps erat, qui per Assyrium designatus est. Super illũ Draconem antiquum hoc putauit, & hoc mente tractauit de electis suis Dominus, vt auferretur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolleretur, & vt omnia capita eius, septem capita eius, de quibus vel cõtra quæ præsens opusculũ contexitur, quorum sextum (quod fuit Romanũ imperiũ) iam nunc aggredimur, inuicem morderẽt, & ab inuicem consumerentur, tandemq; simul tota cum capitibus suis bestia nequam, ad comburendum igni traderetur.

Esa. 14.

Quomodo Deus aliquid putare propriè dicatur. CAP. II.

QVomodo illud, antequã esset, putauit Dominus esse? Itáne vt Prophetæ solebant putare vel somniare? Exempli gratia vt Ioseph, qui ad fratres suos, Audite (inqt) *Gen. 1.* somnium meum quod vidi, putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosq; manipulos circunstantes adorare manipulũ meũ. Profectò longè meliùs putauit Dominus, multò, imò incomparabiliter differunt, putans homo, & putans Deus, multũ (inquã) differunt, & procul distant hominis somniũ & Dei verbũ: prophetica cuiusq; gratia, & ipsa summæ sapientiæ substantia. Homo putans vel somnians, interdum & persæpe nescit, quid imagines somniorum suorũ significauerint, vt Pharao, qui cũ diceret, putabã me stare super ripam fluminis, & septem bo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ues de amne consurgere, &c. Profectò ne-
Gen. 42. sciebat quid per illa significaretur, sed nec
erat, qui interpretaretur. Quomodo aũt pu-
tauit Dominus? nimirum sicut dicit Euan-
Ioan. 1. gelista. Quia quod factum est in ipso, vita e-
rat de omnibus antequam fierent, ita cer-
tus erat, quòd fieri deberent, sicut certus est
nunc postquam omnia facta sunt. Idcirco
iurare potuit, dicens, Si non, vt putaui, ita e-
Putaui in Deo quid signifi. rit. Quare ergo dixit, putaui, si certus fuit?
Videlicet, quia nondum erãt in re, licet cer-
ta essent in prædestinatione, idcirco putaui
non impropriè dixit, cùm posset dicere,
præsciui, licet minus significet putare, quàm
præscire. Sed quid mirum in diuinis sermo
nibus aliquando minùs dici, & plus signifi-
Tapinosis. cari, qui modus locutionis apud Gramma-
ticos dicitur Tapinosis, id est, humilitas di-
ctionis, non assequente verbo quantitatem
rei. Omnes modi vel tropi siue schemata,
omnes omninò ornatus locutionis, de qui-
bus quasi auctores gloriati sunt seculares
magistri, sparsim in diuinis inueniũtur Scri
pturis, & prius erat, quàm hi, qui horum pu
tantur adinuentores, fuissent nati. Quòd si
quis hominum, vel Prophetarum, vt fuit
Daniel, in somnis putando aliquid mirabi-
liter, nonnunquam potuit delectari, sic pro
pè in imaginibus tanquam in veris rebus,
quantum putas delectabatur Deus, dum ad
huc illo suo modo putaret, antequam quic-
quã faceret, anteq̃ terra fieret, vel aliud om
niũ, q̃ facta sunt? Idcirco ipsa Sapiẽtia, Ante
Prou. 8. tequã faceret, antequam illa vel illa fierent,
ego eram cùm eo cuncta componens, & de-
lectabar per singulos dies, ludens coram eo
omni tempore, ludens in orbe terrarum, &
deliciæ meæ esse cùm filijs hominum.

Inter omnia, quæ Deus putauit, præcipuum fuisse Filium, quem Draco deuorare volebat, ad se & thro num suum rapiendum. CAP III.

INter omnia quæcunq; putauit, quæcun-
que mente tractauit, vel decreuit, Deus,
maximum atq; pulcherrimum fuit in præ-
destinatione, & nunc est in re id, quod habe
mus in manibus, quod scilicet sub Romano
imperio impletum est, quod promiserat pa
tribus, quod ad Abraham, & Isaac iurauer
rat Deus, id est, quod de Virgine natus &
passus, resurrexit & in cœlum ascendit, & ad
dexteram Dei patris sedet Christus Dei fili
lius secundum sæpedictam reuelationem,
vbi Draco stetit ante mulierẽ quæ erat pari
tura, vt cùm perperisset filiũ eius deuoraret.
Et peperit filium masculum (ait Scriptura)
Apoc. 12. recturus erit oẽs gẽtes in virga ferrea, & qui
Psal. 2. raptus est filius eius ad Deum & thronũ eius.
O ludum sapientiæ deliciosum, præscire at-
que prædestinare certum aliquem numerũ
Angelorum, & hominum, & in libro vitæ
nomina conscribere singulorum. Putare,
quòd de multitudine creaturarum vel spiri
tuum creandorum haberet emergere quis-
piam, qui conaretur cassare propositum tã
bonum, vndè & meritò Draco magnus, ser
pens antiquus Diabolus, & Satanas, & econ
trà mente tractare, qualiter illi foret illudẽ-
dum per ipsum verbũ, quod erat apud De-
um, cum quo habebat consilium suum anti
quum, & super Draconẽ illum decernere,
quod nullus infirmare posset æterni iudicij
decretum. Ibi iam eiusdem sapientiæ delicię
cum filijs hominum, & cum Angelis quidẽ,
sed maximè cum filijs hominum, quia nus-
quam Angelos, sed semẽ Abrahæ, id est, hu-
manam naturam apprehendere habebat, vt
Hebr. 1. nunc factum est. Vndè & apostolica cõgau-
det Fides, dum dicit: Nusquam enim Ange-
los apprehendit, sed semen Abrahę apprehẽ
dit. Inde nunc nobis in laudem, victricis ve
ritatis Dei, sermo cœptus peragendus est.

Inuocat sapientiam, interim ad aperies quid sit, No li Regibus dare vinum, sed his qui amaro sunt corde.

CAPVT. IIII.

INuocata adsit eadem sapientia, quoniam
susceptæ materiæ nunc instat pulcherri-
ma pars. Inuocata adsit, & inter eos me cõ-
putet, quibus vel qualibus vinum ad biben
dum dandum esse iudicat. Noli (inquit) re-
gibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, Vinum.
quia nullum secretum est, vbi regnat ebrie-
tas, ne fortè bibant, & obliuiscantur iudi-
ciorum, & mutent causam filiorum paupe-
ris, da siceram mœrentibus, & vinum his,
qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscã-
tur egestatis suæ, & doloris non recorden-
tur amplius. Quale namq; est vinum, quod
si detur ad bibendum regibus, facit eos ob-
liuiscí iudiciorum, & mutare causam filiorũ
pauperis. Si autem detur mœrentibus, facit
eos obliuiscí egestatis suæ, & doloris non re
cordari amplius. Profectò quomodo para-
bola est, mystícè iuxta parabolarum Leges
intelligenda est, Vinum ergo istud, sermo sa
pientiæ vel sermo scientiæ est, quod si detur
Regibus, id est, superbis, apud quos vtique
regnat ebrietas, id est, quos scientia inflat,
obliuiscuntur iudiciorum, & mutant cau-
sam filiorũ pauperis, id est, malè examinant
sensum Scripturarum, dum per contentio-
nem sua defendunt, & nulli cædere volunt,
& ab alijs bene dicta, qui sunt filij pauperis,
id est, humiles secundum Christum, amato
res veritatis, vanæ gloriæ deputant & præ-
sumptioni. O ergo Lamuel, quod interpre Lamuel.
tatur, in quo Dei. O Christe, in quo habitat
omnis plenitudo Diuinia corporaliter, no-
li talibus scientiæ tuæ dare vinum, sed da
mœrentibus, id est, humilibus, & his, qui
pro eo, quòd paupertatis & peccatorum hu
milem conscientiam habent, amaro sunt a-
nimo. Cùm enim talibus datur vinum hoc,
lætificat cor eorum, & quadam obliuione
bona obliuiscuntur egestatis suæ, confor- 1. Cor. 3.
tati ab Apostolo dicente: Quia quæ stulta
sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapi-
entes,

entes & ignobilia mundi, & cõtemptibilia
elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea quæ
sunt destrueret. Et nobis ergo si dederis vi-
num, nos quoq; confortati totius egestatis
nostræ obliti, nec vltra memores doloris
vel tristitiæ seculi, sapientes, fortes, & no-
biles reges terræ, & principes qui astiterunt
aduersus Dominum, & aduersum Christũ
eius, putantes se infirmare posse decretum
Dei, posse auertere extentam manum Do-
mini, stultos infirmos fuisse, atque ignobi-
les, declamabimus in laudem victoriæ ver-
bi Dei, prosequentes currum triumphalem
tanti victoris.

Sextum caput Draconis, cui simile fuerit dici nõ posse. CAPVT V.

DE singulis capitibus Draconis, quales
qualiumve ferarũ similes habuerint
facies, demonstrari potuit, cùm sanctæ Scri-
pturæ testimonijs. At verò de isto capite se-
xto valdè rufo, qualis vel cui bestiæ similis
in eo facies fuerit, demõstrari non potest,
quia Scriptura non dixit, vbi Daniel visio-
Danie. 7. nem quatuor bestiarũ vidit, de futuris hoc
tantùm ait: Bestia terribilis atque mirabilis
& fortis nimis, dentes ferreos habẽs magnos
comedens atque comminuens, & reliqua pe
dibus suis conculcans, dissimilis erat cæteris
bestijs, quas videram antea. Dixit quòd cæ-
teris bestijs, quas viderat antea, ista erat dis-
similis, scilicet leænæ, vrso atq; pardo, & nõ
dixit similem fuisse alicui bestiarum, quæ
præter illas multæ sunt. Terribilem eius for
titudinẽ terribiliter expresit, dicendo: Den
tes ferreos habens magnos, per quos nimi-
rum intelligimus Romanæ potentiæ Con-
sules, siue Imperatores bellicosos atque for
tissimos, & exercitus in prælijs seuera distri
ctione, districta seueritate ordinatos. Vt in-
terim nunc taceam de Gentibus cæteris.
Gentem Iudæam bestia ista comedit atque
comminuit, & reliqua pedibus suis concul-
cauit, quia locum destruxit, & gentem per-
cussit in ore gladij, & eos qui reliqui fuerũt,
in captiuitatem vendidit atq; dispersit. Nõ
proinde Romanum imperium vnum fuis-
se cognoscimus, ex capitibus Draconis rufi,
quia iustam fecit, quamuis nesciens, vindi-
ctam sanguinis Christi, sed quia potestas ei-
usdem imperij Christum occidit, & marty
res Christi, proinde magnum caput extitit
inter omnes impios, qui tunc viuebant, &
erant vtique corpus vel membra Diaboli.

Quòd Hebræi putant de sexto capite dictum: Ex terminauit eam aper de syl ua, &c. ineptum esse.

CAP. VI.

HEbræi, quod in Daniele tacitum est,
in Psalmo dictum putant: Extermina
Psal. 79. uit eam aper de silua, & singularis ferus de-
pastus est eam. Quartam illam terribilẽ be-
stiam similitudinem apri vel singularis fe-
ri fuisse autumant. Huic opinioni illud re-
pugnans esse videtur, quòd illi bestiæ terri-
bili cornua asscribuntur. Habebat (inquit)
cornua decem. Considerabam, & ecce cor-
nu aliud paruum ortum est de medio eo-
rum, &c. Hoc (inquam) repugnare videtur. Danie. 7.
Deniq; aper cornua non habet. Itaq; bestiã
illam existimare vel dicere fuisse aprum, sic
arbitramur fuisse incongruum, sicut Del-
phinum siluis appingere, fluctibus aprum.
Simul & hoc animuertendũ, quia ad regna Horatius.
Persarum & Medorum, quæ in eadem vi-
sione significata sunt per vrsum, & pardum
in alia visione, quæ ostensa est de futuris re-
gibus eorundem regnorum, qui videlicet re
ges per cornua significari debuerunt, per a-
liorum facies animalium demõstrata sunt,
scilicet arietis & hirci, quibus cornua natu-
ræ dono constat attribui. igitur quod scri-
ptura tacuit de nomine quartæ bestiæ, no-
bis quoque tacitum sit, vt quicquid ferocí-
us in bestijs cogitauerimus, hoc Romano-
rum formidolosum imperiũ intelligamus.

Quomodo bestia quarta de mari ascenderit, & sextum caput Draconis in ordine constituerit.

CAP. VII.

BEstia hæc terribilis de mari quomodo
venit? Quomodo de mari ascẽdit? quo-
modo ante mulierem, quæ erat paritura in
illa septem capitum Draconis cruenta serie
caput istud constitit? nimirum per magnas
atq; inerrabiles discordias, per bella ciuilia,
bella plus quàm ciuilia. Discordiæ spiritus,
quem hęc bestia spirauit, mundum vexauit, Mundus in maligno.
gentes afflixit, ciuitates & regna cædib. cru-
entauit, terras ferè omnes Europã & Aphri
cam atque Asiam suo, Gentiumq; ferè om-
nium sanguine compleuit. Sunt historiæ, le-
gant qui volunt tragœdias generis humani,
labores mundi, verè (vt ait Ioannes) in ma-
ligno positi. Quod satis ab eiusmodi effectis
claruit, & clarum est legenti atq; intelligen-
ti. Nos ad illam insaniæ partem summã ten-
dimus, qua aduersus sæpe dictam & sæpè di
cendam mulierem in vtero habentem sese
erexit, dentesque suos ferreos præparauit
caput istud, vt cùm peperisset, deuoraret fi-
lium eius.

Herodem patre Idumæo, matre verò Arabica na-tum, à Senatu Romano, regem Iudææ decretũ fuisse.

CAPVT VIII.

IMperante Augusto Cæsare, centesima &
octogesima quarta Olympiade, consuli-
bus Caio Demetrio, & Caio Asiano, Hero-
des à Romano senatu gratia Cæsaris Augu
sti, & fauore Marci Antonij Rex Iudææ de-
cernitur, non erat genere Iudæus, imò pa-
tre Idumęus, & matre Arabica progenitus.
Nicolaus tamen Damascenus (vt meminit
Iosephus) ait, patrem huius Herodis Anti- Herodes.
patrem, genere nobilissimum Iudęum fuis-
se, ex illis, qui ad Iudęam de Babylone re-
uersi sunt. Hęc aũt, inquit, id est, refert ad
gratiam Herodis filij eius, quem regem Iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dærorum contigit fieri, cùm non esset regij, sed nec Iudaici generis. Nam Antipater genere Idumæus extitit, quique multas possidens pecunias, totius Iudææ potestatem, & tuitionem à Cæsare accepit, amicus Hircano regi & Sacerdotũ principi. Sed cùm tardum & segnem Hircanum vidisset, priorẽ filium suum Phaselum, Ducem in Hierosolymis, secundum verò Herodem Galilęę tutorem ordinauit, qui postmodum (vtiam dictum est) ad regnum peruenit. Prædixerat de illo q uidam in concilio vir iustus nomine Samæus, præsente Herode, cùm pro crimine fuisset vocatus, staretq; purpura circundatus armisq; stipatus. Vos (inquit) vel Legem accuso, qui tantam ei licentiam dedistis. Scitote quod is, quem nunc propter Hircanum vultis absoluere, quandoq; nos & ipsum regem torquebit. Nihil autem hęc dicendo mentitus est. Nam Herodes cũ regnum cœpisset, omnes in concilio tunc inuentos cum ipso Hircano occidit.

Discordias inter Senatum & populum Iudaicũ, Herodi regnum peperisse. CAP. IX.

DIscordia summa, discordia cruenta, tã Romani Senatus, quàm Iudaicæ gentis Regnum illi peperit. Deniq; cùm Caius Cæsar, & magnus Pompeius totius orbis viribus confligunt, & in Iudæa fratres Hircanus & Aristobulus de principatu atrociter contendunt, Antipater potens, & (vt iam dictum est) multas pecunias possidens, dum in Iudęa fauet Hircano iustiori quidem, sed segniori, & in Romana republica multis obsequijs, pluribus impensis, mercatur gratiã Cæsaris iam victoris, victumq; Pompeium vsque in Aegyptum persequẽtis, magnam sibimet Iudææ potestatem promeruit, & apud victricem Romanorum partem Herodi filio viam ad regnum obtinendum magnis meritis aperuit. Sciendum quoq;, quòd per illam Hircani atque Aristobuli discordiam, templum in Hierosolymis semel, & iterum magna cum calamitate violatũ fuit. Primò namq; Pompeius Aristobulum victum habens, ciuitatem aggressus, contra socios Aristobuli, & per seditionem in ciuitate receptus, templum irrupit commota atq; cadente maxima turre, per quam aperta parte templi hostes irruperunt, & omnia Iudęorum cede completa sunt. Quidam enim occidebantur à Romanis, alij verò semetipsos occidebant, & ita ceciderũt viginti duo millia Iudæorum. Romanorum verò perpauci defuncti sunt. Nec verò parua in templo commissa sunt, dum ea, quæ priori tempore inuisibilia vel inaccessibilia erant, adisset Pompeius, & cùm eo non pauci vidissent, quæ non liceret nisi Sacerdotibus intueri. Deinde cùm (vt iam dictum est) Herodes Regnum cœpisset, & Antigonus Aristobuli filius ciuitatem teneret, idem ciuitas passa est, & in templo multi perempti sunt, Herodi annitẽtibus Romanis. Et hęc passũ Hierosolymorum ciuitati contigit (ait Iosephus) Marco Agrippa & Callidio consulibus, centesima & octogesima quinta Olympiade, tertio mense in celebratione ieiuniorum, tanquam reuersa calamitate, quæ sub Pompeio Iudæis illata est. Nam extunc eodem die captiuitatis viginti & septem anni fuisse noscuntur, cum adhuc obsideretur ciuitas ab Herode & Sosyo Legato, persuasit Samæus supradictus populo, vt Herodẽ acciperet, dicens propter peccata eum non posse deuitari.

Neque sceptrum, neq; ducem de Iuda auferendum, donec veniret Christus.

CAP. X.

CVm igitur alienus Herodes per tantas tamque cruentas, quas commemorare libuit, discordias, regnum cepisset, tempus erat, vt promissionis suæ verbum verax Deus adimpleret. Sic enim fuerat prædictũ, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus est. Qui mittendus erat ipse est, qui venit Christus, in quo semine tuo (ait Deus ad Abraham) benedicentur omnes gentes, sicut ibidem à Iacob subiunctum est. Et ipse erit expectatio Gentium. Ecce autem veraciter ablatum erat sceptrum de Iuda, & de fœmoribus eius, quando Herodes alienigena regno fuit intrusus, qui & occidit omnes qui regij generis videbantur esse, & ipsum Hircanum, cuius lenitate & mansuetudine fuerat prouectus. Vt igitur iustificaretur Deus in sermonibus suis, iam illud semen, quod Abrahæ promissum fuerat, & cum iuramento repromissum, quod itidem Dauid iuratum fuerat, venire oportebat, nec longius differri, quoniam sceptrum de Iuda sic ablatum erat, & dux de fœmoribus eius ita deserat, vt contra legem Iudęorum Rex imò Tyrannus, sederet in regno, homo alienigena, ꝑdo, aduena, extraneus, homicida.

Præter Zachariam, Elisabeth, Simeonem, & Annam prophetissam, multos fuisse, qui aduentũ Christi expectarint. CAPVT XI.

QValis putas tunc mens, habitis iustis animabus, erat? Quos autem illius temporis iustos esse dixerim, nisi illos, qui fidẽ & spem siue expectationem habebant promissionis ad Abraham, promissionis ad Dauid, iuramenti ad Abraham, iuramenti ad Dauid, qui videlicet Dauid fidelis, Deũ fortiter tenens, miserere mei, dixit, vt iustificeris in sermonib. tuis, & vincas cũ iudicaris? *Psalm. 50.* Taliũ vnus vel notissimus de tẽpore illo Symeon nobis extitit, qui hac fide declamando & requirendo veritatem Dei, veritatem promissionis, in qua Deus maior homine, sponte hominib. iurauit, responsum accipere meruit non visurũ se mortem, nisi prius videret Christum Dñi. Nunquid illo tempore solus promissionis eiusdẽ Symeon expectator extitit? Erãt vtiq; & Zacharias & Elisabeth ambo iusti, erat & Anna prophetissa, erant & Ioseph & Maria. Dicam adhuc, Nunquid quia solos istos notos nobis Euangelium fecit, nullus prẽter istos erat, qui expectaret fidem & Victoriam Dei, vt in sermonibus suis iustificaretur, & vinceret cùm iudicaretur? Vtique, quamuis Herodianæ malitiæ nubes horrida cælum obscuraret, non paucæ in cælo erant stellę, luminis eiusdem claritate fulgentes, eiusdem Fidei pulchritudine lucentes, & promissionis effectũ suspirantes, clamabant animæ multæ, quatenus in sermonib. suis verax & fidelis Deus appareret. Existimo, quòd mulier illa in vtero habens, (vt sæpè dictum est) nullo vnquam tempore magis parturiendo clamauerit, nunquam magis vt pareret, cruciata fuerit. Noli autem viuentes in corpore fideles illius temporis homines solos debere intelligi corpus illius, quam dicimus mulieris in vtero habentis, imò vniuersa dierum vel seculorum Ecclesia, quando erit ab origine mundi progenita omnis multitudo animarum fidelium, tam in carne degentiũ quàm depositorum carnis onere, apud inferos beatam spem expectantium, huiusmodi desiderij clamores emittebat, & hæc vniuersitas propter vnam eandemque expectationem, vna mulier in vtero habens existebat.

Luc. 2.

Neque demonstrando, neque narrando, Christũ pro dignitate indicari posse.

CAPVT XII.

QVid iam dicendum, nisi quia mulier illa peperit Filium Masculum? Hoc autem dicẽdo quomodo cupit animus immorari, & esse in contẽplatione quasi magnæ, imò veraciter magnæ festiuitatis, & triumphalis gaudij, pro eo quòd Deus, qui promiserat hoc semen benedictionis, verax apparuit, & quo se impendet? Quam in partem sermo noster sese aptabit, in demonstrationem, aut in narrationem? Si in demonstrationem se verterit, si partum illum, si filium vel masculum illum demonstrare voluerit, hoc tale est hodie, ac si meridiano tempore, cœlo sereno, sole clarissimo, fulgente in ascẽsu sui summo, digitum qui intendat oculos habenti & videnti, dicatq; illi. Vide, ecce sol. *Esa. 11.* Scriptum est enim: In sole posuit tabernaculum suum. Si aũt vertat se in narrationẽ, veremur esse superflui, quoniam noui nihil dicturi sumus, quoniam nõ apud ignotos hæc dicta vel scripta deponimus, nõ ad ignaros, vel cum ignaris ista conferimus. Vertat igitur se tota intentio sermonis ad iocunditatem, & aliquantulam cum iocunditate nitatur habere dignitatem, quatenus & ipse sermo plena fide, pleno fundatur ore, cum gratia humilitatis necessariæ, vt quisquis illa legere dignabitur, delectetur, atque iocundetur propter laudem talis filij, propter honorem tanti Masculi, & propter gloriam Dei Patris, & honorem Spiritus sancti, de quo illa beata mulier concepit hũc & peperit. Ista sermonis iocunditas risum habeat illum, quẽ nomine suo Isaac significauit, beatę senectũtis & emeritæ fidei filius, qui typus filij vel masculi huius extitit, quẽ decrepita mater, scilicet antiqua ecclesia, pariens per vterum Mariæ virginis, veraciter dicere potest, sempérq; dicit ac dicet. Risum mihi fecit Deus, quia talis Filius verè matri suæ risus est æternus. Dignitatem de prophetica Sancti Spiritus facultate mutuabimur, de propheticę gratiæ plenitudine sumemus, vbi vates eximius Esaias loquitur contra superbiam Assur.

Quòd per Esaiam dictum est: Egredietur virga de radice Iesse, quomodo sit intelligendum.

CAP. XIII.

ET excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur, & subuertentur cõ *Esaiæ. 11.* dẽsa saltus ferro, & libanus cũ excelsis cadet. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet & requiescet super eũ spiritus domini, spiritus sapiẽtię & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus sciẽtiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Ecce qualis oppositio. Perspice condensa saltus, & libanum cum excelsis, in de virgam cum flore suo. Quantum est virga vna florifera, comparatione saltuum condensorum, & montis Libani cum excelsis suis, quæ robore magno vel alta sunt, vtputa ligna cedrorum. Attamen quantum valent condensa saltus, & Libanus cum excelsis comparatione virgæ huius, & ascendentis de illa floris? Siquidem condensa saltus, ferro subuertuntur, & Libanus cum excelsis cadet. Hæc autem virga & flos eius totũ susceptit, totum portat supernæ maiestatis pondus, & non cadit, & non subuertitur. Dicamus manifestiùs, quamuis sub istam Metaphoram quales translatæ sint res, non ignoret mundus, non taceat vniuersus, qui in mundo est Ecclesiæ chorus. Perspice hinc Gentium, quas per condẽsas saltus intelligimus Tyrannos, ac duces, imperatores, & cõsules. Inde Iudaicæ gentis, quam per Libanum placet Reges, & Tetrarchas, atq; summos Sacerdotum principes, & inter istas altitudines siue magnitudines subortam humilem de domo Dauid Mariam virginem, Christum parturientem, Deum & hominẽ & magnam victoriæ verbi Dei concipis admirationem, quod in hunc mundum ingrediens non quæsiuit de altis vel sublimibus parentem habere quempiam, solùm se sibi sufficere sciens absque opere humano contra illius Assur, id est, Diaboli superbiam, ad obtinẽdum sibi regnum, ad possidendũ Dauid patris sui solium, imò Dei patris æternum imperium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tunc excelsa Libani cecidisse, cum Herodes alienigena regnaret: templumque subuersum de nouo edificaret. CAP. XIIII.

VT taceam de Gentium saltu, cuius cõdensa ferro tũc temporis Romani imperij passim subuertebãtur, & subuersa fuerant, ita vt totus iam sub illo imperio fileret mundus, quando flos iste de virga vel radice Iesse ascendit excelsa Libani, siue ipse Libanus. Quomodo ceciderunt circa huius floris ascensum? Summum Libani, verticem ipsum intellige templum, quia scriptum est in Zacharia Propheta. Aperi Libane portas tuas, vt comedat ignis cedros tuos. Ipsas autem cedros vel excelsa Libani principes gentis, quorum gloriæ caput erat templum ipsum, quo augustius in mundo nullum fuit. *Zach. 11.* Quomodo Libanus iste cum excelsis suis tunc cecidit, vel cadere cœpit? nimirum magni & irrecuperabilis casus eius initiũ illud dicere nõ dubitauerim, quod Herodes, quo regnante, ceciderat magnum excelsum regiæ dignitatis, ablatum quippe fuerat sceptrum de Iuda, & Dux de fœmoribus eius. Herodes, inquam, homicida multipliciter, imò & parricida, tyrannus, non rex, templũ vetus, quod reuersi de Babylonia filij transmigrationis ædificauerunt, & victores Machabæi purificauerũt, post sexcentos annos deposuit, & aliud condidit. Vndè illi huiusce operis præsumptio? Nunquid illud opus stare debuit, aut placere Deo potuit? Si Dauid fidelis de tribu Iuda rex inuentus & electus secundum cor Dei, domum Domino ædificare non debuit, dicente illi Domino. *1. Para. 26.* Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd vir bellator, & multum sanguinem fundens, quomodo iste non qualiscunque sanguinis effusor, verumetiam filiorum atq; vxorum occisor, & domesticorum siue amicorum furialis interemptor, domum debuit ædificare Domino? Non igitur mirũ, qd ab impio factum de rapinis atq; spolijs regionum ad tam miserabile tamq; horribile peruenit excidium, quo post Christi passionem constat illud per Romanos irrecuperabiliter esse exterminatum. Hoc interim dictum sit, quod tunc Libanus cadere cœpit, quando Herodes templum vetus deposuit, & aliud condidit, maius quidem, & duplo maius, quàm fecerãt filij transmigrationis, sed hoc fecit, gloriam quærens suã, non Dei.

Herodem, renouando templum, se Dauidi & Salomoni impudenter comparari voluisse.

CAPVT. XV.

BEnè, inquit, nostis, qd istud, maximo Deo templo nostri patres ædificauerũt, cùm de Babylonia remeassent, & quia desunt ei ad magnitudinem in altum cubiti sexaginta, instar illius, quod Salomon cõstruxerat. Nemo negligentiam pietatis patrũ nostrorum accusat. Non culpa illorum factũ est breuius templum, sed Cyrus & Darius huiusmodi mensurã ædificationis fieri præceperunt, nostri patres & parentum nostrorum dixit, quia videlicet Iudaici cùm non esset generis se volebat haberi, Subsequutus, & hoc ait. Nunc autem quoniam nutu Dei principatui meo pax larga concessa est, & diuitiarum possessio, & multitudo reddituum, & quod maximum est, amicitia fauorq; Romanorum, qui omnium rerũ Domini existunt, cur non studemus relictũ necessitatis seruitutis tempore opus corrigere & integrum Deo præbere pro beneficijs eius meo regno collatis. Hæc dicens properauit, templumq; in vno anno & mensibus quinq; peractum est. Nónne homo ille, imò bestia sic loquens, & sic properanter faciens Dauid fideli, & pacifico Salomoni regibus legittimis, de tribu Iuda regibus sese conferre, aut etiam præferre contendit? *1. Par. 16.* At ille videlicet fidelis Dauid nulli quicquam rapuit nec de rapinis domum nomini Domini ędificare instituit, sed ecce (inquit) ego in paupertatula mea præparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argẽti mille millia, æris verò & ferri non est põdus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna & lapides præparaui ad vniuersa impendia. Hæc dicens, etiam dedit Salomoni filio suo descriptionem templi, & cuiusque operis. Et hæc, inquit, oĩa venerunt scripta *1. Par. 28.* manu Domini ad me, vt intelligerẽ vniuersa opera exemplaris. Quod illum dicentem cum legimus vel audimus, nunquid non eũ quoque, cum esset Propheta eiusmodi ostẽsionem vidisse arbitremur, vt diceretur ei, quomodo dictum est, & Moysi de tabernaculo faciendo. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte mõstraui, Salomon quoque aurum & argentum non ex rapinis, sed ex Dei dono habuit. Nunquid talibus ac tantis Herodes nebulo sese conferre debuit?

Quòd populus super illius hominis opere nequaquam lætari, neq; tanto peccatori debuisset adulari.

CAP. XVI.

SVper illius hominis opere populus omnis lætitia efferri, tantoq; peccatori non debuit adulari, sed imprudens, lætitia completus est, & primum quidem pro celeritate Deo gratias agebat, deinde de alacritate Regis, quam in dedicatione habuit laudibus extollebat. Meritò igitur risus eorum in fletũ, & gaudium verti debuit in mœrorem. Veruntamen sciendum quia licet Herodes mutauerit parietes, & spectandos pro sua gloria magnos congesserit lapides, quos admirari poterant Discipuli quoq; Christi, dicentes, Magister, aspice quales lapides & quales structuræ, non tamen deposuit vel mutatum fuerat altare. Quod si euenisset, multò amplius mirari possis homicidæ, imò parricidæ tantum licuisse, vt religionis caput, id est, altare ipse poneret, cui Christus, vel *Mar. 13.* in quo

vel in quo Dei Filius homo factus, Deo Patri protinus cum bestijs legalibus præsentari deberet. Hæc breuiter de templo sint, vt iam videat prudens laudator iudiciorum Dei, quia præter causas alias, propter quas templũ illud manere non debuit, ista quoq; causa nocere potuit, vt non quomodocunque, sed nimis malè imò cum fragore, quẽ totus orbis audiuit, caderet, quod ille fabricauit, hominum hostis, inimicus Dei. Nunc ad susceptum sermo redeat Propheticæ veritatis capitulum.

Quare Deus Herodem in regiam & sacerdotalem stirpem it a sæuire permiserit, vt ne quidem filiis parceret. CAPVT XVII.

ET Libanus, inquit, cũ excelsis cadet. Iá diximus, quia grande illius Libani excelsum ceciderat, in eo videlicet quòd sceptrũ de Iuda, & de fœmoribus eius defecerat. Funestus Herodes regiam stirpem ferro extirpabat, & extirpare non cessabat. Vndecũque regium quippiam subintellexerat, quacunque ex domo vel etiam sua, imò maximè sua, ex domo vel genitura regia quempiam æstimationis olfecerat, quandam denique coniugem regiæ stirpis habuerat, præter complures alias, Mariamnem Pontificis Hircani filiam, de qua & filios Alexandrũ atq; Aristobolũ susceperat, omninò vndecunq; siue deforis siue deintus regale quippiam sperare posse præsenserat, sæuiebat immanis belua, simulque Pontifices, & suos filios regales trucidabat, videlicet ne seipsum nimis cupidè regnantem vlla posset inquietare persona per vllam seiusmodi suspicionem. Iá dubiũ quippe regia cũ acerdotali familia permixta fuerat, & idcirco in vtranque pariter ferebatur truculentus homicida nulli sexui parcens, non ab vxoribus proprijs, non à filijs occasione suborta ferrum differens, quoniam quidem eius filii matre no sanguine regiam cõtingebant progeniẽ. Vnde ergo vinceres Deus promissor fidelis, vnde iustificareris adimplendo quod promisisti & iurasti Dauid, cuius spiritus clamare non desinebat in auribus tuis. Miserere mei, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris? nimirum sciebas, & disposueras iustificari & vincere ex loco humili, vnde impurus Herodes, imò Diabolus, cui seruiebat Herodes, nihil posset suspicari, quod valeret procedere ad celsitudinẽ throni. Hoc est quod coutinuò per Prophetam subiunxisti. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & cætera. *Esa. 11.*

Virgam, virginem Mariam, Christum verò florem esse, & cur de radice Iesse, non de radice Dauid dictum sit. CAPVT XVIII.

VBicunq; Christiana vel Catholica Fides ipsa suis auribus audiuit, & ipsa videt suis interioribus oculis, quod virga ista, virga gracilis & pulchra, virga humilis quidẽ, sed recta, est beata virgo Maria. Et flos qui de virga ista ascendit, fructus ventris eius, est Christus Dei Filius, & virginis filius est, in quo qui promisit Dei fidelis & verax inuentus est, qui iurauit Deus iustus, & Deus sanctus comprobatus est. Quærendũ verò hic est, cur placuerit spiritui sancto dicere: Egredietur virga de radice Iesse, magis quã dicere de radice Dauid siue Abrahæ, quibus promisit, quib. Deus iurauit. Ad hæc, inquam, si dixisset de radice Dauid, victricem quidem pronunciaret veritatẽ promissionis, sed ipsa dictio minus contineret sacramenti. Nunc autem plus habet mysterij, quia cum præconio veritatis tendentis in semen Dauid, simul nos mittit in secretum paternæ domus eius in rationem temporis vel diei, quo missus est Propheta Samuel ad vngendum regem, quẽ proiecto Saule prouiderat sibi Dominus in filijs Iesse, qui & Isai. Quomodo enim dictum, quomodo factum est? Vitulum, inquit Dominus, de armento tolles in manu tua, & dices, ad immolandum Deo veni. Timebat enim Samuel. Audiet, inquit, Saul & interficiet me. Et impleuit cornu oleo iuxta præceptum Domini, & iuit, ad immolandum, ait, Domino veni. Sanctificamini & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium. Cumque ingressi essent, vidit Heliab, & ait: Num corã Domino est Christus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem, ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor, Vocauit Isai Aminadab, & adduxit Semmam, similiterque & alios filios suos, qui fuere septem numero, & nõ elegit Dominus ex istis. Ait Samuel ad Isai, Nunquid completus est numerus filiorum? Adhuc, inquit Isai, paruulus reliquus est, & pascit oues. Iubente ergo Samuele, misit & adduxit eum. Qui cùm veniret rufus & pulcher aspectu, decoraq; facie. Surge, ait Dñs, & vnge eũ, ipse est enim. *1. Reg. 16.* *Respectus personæ.*

Quid sacramenti fuerit in rebus gestis radicis Iesse, hoc est Dauid, quod ad Christum pertineret.

CAPVT XIX.

QVid nam sacramenti latet in illis rebus gestis, nisi q audiuimus & subintellexim us in istis verbis Propheticis: Excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur, & subuertentur condensa saltus ferro, & Libanus cum excelsis cadet. Et egredietur virga de radice Isse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. Deniq; cũ iste sit sensus, Superbi & diuites relinquẽtur, & de puella humili siue paupercula, promissio veritatis implebitur, simul per hoc dictũ q est de radice Iesse, vetus experimentum mentib. nostris *Esa. 1.* *Esa. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

adducitur,quod accidit Ieſſe,reprobatis maioribus filijs eius, & aſſumpto humili vel paruulo Dauid qui erat minimus. Idem ergo eſt,ac ſi dicat,Quid miramini,quia dixi, excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur,& humilitas exaltabitur? Similiter factum eſt in diebus Ieſſe. Vultuoſus erat Heliab,& alta erat ſtatura eius,ſed abiecit illum,ait Dominus. Itemque ad reliquos magnos filios eius ſecundum illorum ſimilitudinem multi erunt, quando Prophetia hæc implebitur,excelſi ſtatura & ſublimes in gloria,tã de regali,quã de ſacerdotali proſapia,potentes viribus,& valentes armatos producere exercitus. Sed num de illis elegit Dominus,nec ad implendum promiſſionis ſuæ verbum opus habebat ſublimitate hominũ,altitudine aulicorum in curribus,& in equis exultantium,qui in multiplici fauore hominum, in multiuago plauſu populariũ,& non in Domino confidunt: & tunc minimus filiorũ Ieſſe,paruulus Dauid complacuit & poſtmodum humilis ancilla Domini præcunctis hominibus emiſſa in ſpiritu humilitatis altiſsimo complacebit, vt ex ipſa compleatur promiſsio naſcẽte Chriſto, ac ſi de virga gracili ſpectabilis aſcẽdat flos. Præterea ſicut illic prætenta immolationis feſtiuitas, & adductus de armento vitulus occurrentibus Samueli ſenioribus ciuitatis, & admirantibus aduẽtum eius,cauſam ſubtexit, ne audiret Saul. Ita & hic deſponſatio Virginis ſiue conſueta nuptiarum ſolennitas, & Ioſeph maritus puellæ nominatus, Diabolum fefellit,& cunctos ſatellites eius, vt erant Herodes & complices eius, vt neſcirent ſacramentum, cuius ſciendi nondũ erat tempus.

Laudabile Dei conſilium eſſe, quod in humilitate Diabolũ atque Herodẽ fefellerit,& ars artẽ luſerit.

CAPVT XX.

2. Aeneidos. APud Maronem iocatur quiſpiã gloriabundus & dicit: Nil refert armis contingat palma,doliſue:profectò ſententia hęc, ad huius palmæ ſiue victoriæ rationem nõ valet. Multum quippe refert, multò melius & valdè vtiliùs eſt,Deum vel Dei verbũ ſic viciſſe,vel ad procedendum procedere, vt in totò prælij congreſſu ars artem falleret: quã ſi de nobilibus atque potentibus,carne aſſumpta,materialib. armis eorũ cõtra homines impios dimicaret, quomodo inuiſibilis,& nõdum homo factus, per Machabæos aliosq; fortes atq; fideles viros dimicauit, & armis paucorum ſæpe multa millia peremit. Hoc itidem facere poterat, vt incarnatus de aliqua ſiue Hircani tunc temporis Pontificis, ſiue alicuius cæterorum filia, bellica ſibi ob defenſionem veritatis adhiberet inſtrumenta meliori prouentu,quàm vel Machabæus vel ipſe Dauid vnquam pugnauerat. Vt (verbi gratia) perſequeretur vnus mille, & duo fugarent decem millia. Multò melius,inquã,eſt,quòd ars artem fefellit, quàm ſi res acta fuiſſet armis eiuſmodi. Non,inquit,in exercitu,nec in robore,ſed in ſpiritu meo,dicit Dominus exercituum. Deut. 32. Hoc erat verbum domini ad Zorobabel apud Zachariam Prophetam. Vbi ſeptem oculos ſuper lapidem vnum, & ſeptem lucernas ſuper vnum cãdelabrũ vidit,quæ non erant aliud,quã ſeptẽ ſpiritus domini requieſcẽtes ſuper hũc florẽ vnum. Zach. 4. *Quàm vtile nobis fuerit, Chriſtum è paupere virgine matre naſci.*

CAPVT XXI.

NVlla poteſt verbis lingua cõſeq, imò nec cuiuſquam cogitatu comprehendere mens hominis, quanta nobis commoda prouenerunt ex eo,quod humilitas Diuinitatis,humilitas verbi Dei,non diuitem, ſed pauperem virginẽ matrem ſibi elegit, quòd ancillam ſuam reſpexit,tantò apud ſe coram diuitibus vel ſuperbis humilem,quã tò conſtat excelſis Libani cedris minorem eſſe virgam quamlibet, de radice vetuſta egredientem. Si enim parentes Chriſtus diuites elegiſſet,quis hodie pauperibus in Eccleſia Chriſti locus eſſet? Nunc autem & potentes Deus non abijcit, cùm & ipſe ſit potens, & ſæpius in hoc modo pauperes elegit, cognoſcendo illos in benedictionibus ſuis, id eſt, præclara illis dona tribuendo ſpiritus ſui,qualia nimirum diuitibus habentibus conſolationem ſuam rarius concedit. Vide te(inquit Apoſtolus) vocationem veſtram fratres,quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes,non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit DEVS, vt confundat fortia: & ignobilia mũdi,& contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret,vt non glorietur omnis caro in cõſpectu eius. Ergo pauperibus & infirmis ſæpius cæleſtia vocationis ſuæ dona largitur Deus abundantiùs. Et iſta conſideratio pulcherrimam nobis effecit conſiderationem patris optimi,qui notum & verum habet teſtimonium, quòd ſpiritu omnium iuſtorũ plenus fuerit. Qui minus indiget,inquit,agat deo gratias,& nõ murmuret. Qui verò plus indiget,tribuatur ei, & humilietur pro infirmitate,nõ extollatur pro miſericordia. Nimirũ cũ hęc dicit,hanc ſentimus eſſe imitationẽ Dei,qui ſpiritualia ſua dare abũdantiùs conſueuit plus indigentibus,ſcilicet pauperibus,infirmis,ignobilibus,vt ſecundum multitudinem dolorum in corde ipſorum, conſolationibus huiuſmodi lætificentur animæ ipſorum. 1. Cor. 3. Ibidem.

Laudat incarnationem Verbi, ex Pſalmo Dauidis, Eructauit cor meum verbũ bonum. CAP. XXII.

QVa voce,quibus,vel quantis laudibus, flores huius de virga eiuſmodi aſcendentis pulchritudinem prædicabimus, vnde verba ſumemus? Nos penè muti, penè infantes

infantes ad tantæ dignitatẽ rei, vbi pulchritudo cum fortitudine, fortitudo cum pulchritudine floret ac viget, cuius ipſe Spiritus ſanctus laudator eſt. Quid eloquemur ita vt ſecundum noſtræ mentis intentionẽ ipſum audire delectetur. Sumamus aliquid non de noſtro quod nuſquã eſt, ſed de plenitudine ipſius qui omnes Sanctos implet,de theſauro boni cordis, theſauro iucunditatis & exultationis,quem ſuper Prophetam huius verbi ſui,ſuper Prophetam Patriarcham,& regem theſaurizauit,dicentem in perſona ipſius Dei Patris: Eructauit cor meum verbum bonum,dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis,ſtatim ipſe Propheta ex ſua perſona ſuccinit. Pſal. 44. Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis,propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potẽtiſsimè. Specie tua & pulchritudine tua,intende proſperè procede & regna,& cæt. Putet ſe anima paupercula,nũc ad fontẽ ſermonis veniſſe, vnde haurire poſsit,quod loquatur ad gratiam floris huius ſpecioſi & pulchri pro bona intentione, Magis delectandi quã docendi intentione,ô tu quicunque hæc legis vel audis,me exiſtimato immorari, quia dulce eſt,pulchrum & pium etiam, nota replicare atque ſi equentare de forma ſpecioſi,de ſpecie & pulchritudine formoſi atque potentiſsimi gladio ſuo ſuper fœmur ſuum accincti,proſperè procedentis atque regnantis, quem in veritate, in manſuetudine & iuſtitia mirabiliter dextera ſua deducit, cadentibus ſub ipſo populis in corde ſuo, quia crucifixi ſunt ſagittis ſuis acutis, ſagittis dictorũ eius ſalutiferis,vt doleant quòd olim fuerũt inimici regis,eumq; adorent cadentes, cadant in facies ſuas eum adorantes. Apoſtrophe ad lectorẽ.

Quomodo verbum Dauidis intelligendum ſit, Lingua mea calamus ſcribæ.

CAPVT XXIII.

PAriter aſſumptis vtriuſque teſtimonijs, & illo Eſaiano,& iſto Dauidico, primũ contemplari libet hoc dictum Dei Patris: Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis Linguam Dei Patris Spiritum ſanctum promptum eſt intelligi,quia ſicut lingua carnis adminiſtrat verba hominis, ita Spiritus ſanctus animæ credulæ ſuggerit verba Dei. Vnde & quando ſuper Apoſtolos Chriſti deſcendit, quos nimirum eatenus homines ſine literis & idiotas, & deinceps peritos & eloquentes facere veniebat, in linguis igneis apparuit,Confeſtim cur ita apparere voluerit, ſequens effectus indicauit. Facti ſunt namque charitate & zelo bono fortes ac ſerui Dei, quod ſignificauerat ignis. Facti ſunt eloquentes varijs linguis,& ſcripturarum periti,quod linguarum deſperatio præſignauit. Cùm igitur dicit in iſto quidem, Lingua mea calamus ſcribæ,velociter ſcribentis. Per illum autem,Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini,ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis,& repleuit eum ſpiritus timoris Domini. Manifeſtum eſt de Chriſto,quòd verè Deus ſit, & quòd veracitur habitet in ipſo plenitudo Diuinitatis corporaliter, quamuis in hoc tempore cùm Fides Chriſtiana ſit firma, & hæc aſſertione non indigeat cũ fide neceſſaria, delectabile & vtile eſt etiam competentem habere ſcientiam. Natura humana de virgineæ carnis ſubſtantia ſic eſt aſſumpta,velut membranula mũda & benè accurata,ſcriptorioque operi accommoda, & ipſa lingua Patris,id eſt, Spiritus ſanctus,velociter percurrit,velociter tanquam calamus ſcribæ totam perſcripſit, totam verbi ſubſtantiam repleuit, nihilque reſidui fuit, ſed totum quod erat in corde Patris,illi animæ inſcripſit,totam q; ſapientiam,totumque intellectum,totumque conſilium,totumque fortitudinem Dei, totam ſcientiam,totamque pietatem Dei,& totum timorem Domini, vt nihil eſſet, quod non ſciret,nihil quod non poſſet,nihil in deo Patre quod non haberet humana pueri huius natura, vnde & Deus eſt. Pſal. 44. Eſa. 11. Lingua Dei.

Quomodo intelligendum, Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.

CAPVT XXIIII.

HOc intelligimus eſſe, quod ait ipſa perſona Patris, eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Res magna, dictum autem non valdè magnum rei comparatione. Quid enim hoc dictum, eructauit? quid magnificum eſt? Inter nos, dico, eructat quiſque noſtrum, dum ſatur eſt,ſed eſuriens quiſpiam ructu alterius ſaturatus non eſt. Dicit aliquis opus ſuum,ſed qui audit,nõ ſtatim cõſequitur auditi operis effectum, vt faciat ſimiliter, quicquid ab illo factũ eſt. At ille qui hęc loquitur, Eructauit cor meum verbum bonũ. qui ait, dico ego opera mea Regi: Bonũ illud verbũ, ipſã boni verbi ſubſtantiã tota plenitudine edidit in vterum virginis: & Regi, id eſt, homini, quẽ formabat de vtero eiuſdẽ virginis, opera ſua ſic indidit vt ſit & ipſe opifex ſiue artifex nõ diſsimilis, magna hæc & mira prædicantur per hæc duo verba exigua, Eructauit cor meum verbum bonũ, dico ego. Solent Grammatici vocare Tropum, quẽ dicunt Tapinoſin, qui modus locutionis humilitas eſt magnæ rei, velut ſi mare intendens dicat gurgitem: ſi vaſtum montem dicat tumulum vel collem. Equidem non aſſim in maieſtate tantæ rei declamare nænias iſtas, veruntamẽ nuſquã reperiri exiſtimo loquutionẽ, in qua voces rebus quæ ſignificantur tãto impares ſint, vt ſunt in loquutione præſenti. Vt quid igitur taliter dictũ eſt: imò quomodo diceretur taliter q̃ dictũ eſt, vbi Verbum bonum eructauit quid ſit. Eſa. 11. Tapinoſis. Verba rem nõ aſſequũtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, vbi enim verba inuenirentur ad rem sufficientia, quæ intelligitur? Sit quidem in verbis defectus, sed eundum defectum ipsam vocum minoritatem si ritè perpendis, studiosa mens ædificat. In quo? in eo videlicet, vt animaduertat opus quidem grande, sed Deo non difficile. Quis enim homo plenus edulio fatigatur eructando? Sic nimirum Deus Pater bono plenus verbo non laborauit, humanæ naturæ illud inferendo.

Quare Deus incarnari, & non potius per Angelum genus humanum saluare voluerit.

CAPVT XXV.

HOc opus bonum fecit Deus, summè potens, summè bonus, hoc est, quod patribus promisit, quod iurauit ad Abrahã, iurauit ad Dauid. Tanquam summè bonus, spõtè promisit, spõtè iurauit, tanquam summè potens adimpleuit. Denique sicut summę bonitatis est, quod hoc facere voluit, ita summę potentię est, quòd hoc facere potuit. Diligenter animaduertendum, solét enim nonnulli dicere. Vt quid Deus, Dei verbũ, venit per semetipsum, & homo factus est, ad saluandum genus humanum, cùm hoc idem fieri potuisset per alium? Cur non potiùs misit aliquem legatum? cur non misit Angelum siue archangelum? Ad hæc, inquam, videlicet quia nulli alij, nulli nisi soli naturæ Diuinitatis hoc fuit vnquam possibile, assumere quod non erat, & manere quod erat. Et vnde illi hoc possibile, videlicet quia natura vel substantia Diuinitatis tantò subtilior est, anima rationali, vt eam penetrare possit. Fideliter hoc inter cætera Patres Catholici sumpserunt & scripserunt pro argumento veritatis contra Hęreticos, quòd spiritus sanctus æquè vt Pater & Filius Deus sit, quoniam & ipsæ humanæ animæ est capabilis, & capax eiusdem anima rationalis. Nisi enim Deus esset, neque humano, neque Angelico spiritui capabilis esset. Proinde non tandũ quamuis dicatur quis plenus Dæmonio, non sic implet hominem ille spiritus, vt penetret animam eius, sed cauernas corporis irrepere potuit, quo ebrietas siue febris animamque deprehensam in suis sedibus exagitat atque affligit. Solus Deus vnus Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, cũ vult, & prout vult rationali animę vel spiritui sese infundit, & in eo mansionem facit. Fruſtra igitur dicit, vel quærit quis, cur non Legatum vel Angelum miserit, sed per semetipsum, ad saluandum genus humanũ venerit Deus, verbum Dei, quia videlicet naturam induere humanam non potuit, nisi sola natura Dei, vnde sicut bonum, quia voluit, ita omnipotentem prædicamus, quia potuit.

Quæstio. *Dilutio.* *Esa. 11.*

Christum salua Matris virginitate, natum esse.

CAPVT XXVI.

QVid de salua Matris virginitate dicemus ad laudem ipsius? Contra naturã, Iudæus, inquit, virgo parere non potuit. Nos autem credimus, propter quod & loquimur, quia talem filium supra naturam virgo parere potuit. Non dicimus contra naturam, quæ nõ est naturæ iniuria, sed dicimus supra naturam, quia naturæ est gloria. Quæ ratio est dicere, quod nõ potuerit quicquam supra naturam, qui fecit naturã? Per verbum omnia facta sunt, si omnia, profectò & natura fœminea. Ergo ne fortior esse natura, quã is (per quem facta est natura) nimirum rectè sapit homo rationalis, vt dicat, quia qui omnia fecit, & ipsam naturam, consequẽter omnia vincit, & ipsam naturam. Quòd si Iudæo vel Manichæo magnitudo miraculi ad incredulitatem proueht, quid rogo magis mirum, id quod assumptus vel formatus est homo de terra animata & sensibili, an quòd homo plasmatus est de terra inanimata & insensibili? Deniq; terram animatã, & sensibilẽ Mariam dixerim, quoniam de terra & ipsa & nos sumus facti. Porrò terra de qua primus homo plasmatus est, inanimata sinè dubio fuit, & insensibilis. Nõne ergo plasmatio primi Adã, plasmatione secundi mirabilior fuit? Si quidem materia viuens, & sensibilis, id est, fœmina, quãuis virgo vicinior est huic operi, quàm fuit illa materia neque viuens, & sensibilis. Igitur illa quidem plasmatio mirabilior, sed ista venerabilior.

Quid sit speciosus forma præ filijs hominum, & gladius super fœmur accinctus. CAP. XXVII.

ECce speciosus forma, ecce potẽtissimus gladio suo super fœmur accinctus. Agnoscẽdus est, cuius victoriam prędicamus, cuius triũphalẽ currũ laudãdo subsequi optamus, olim verbũ, nunc & caro, olim Deus, nunc & homo speciosus, inqt, forma. Quid est forma? Diuinitatẽ. Diuinitas nãq; forma est, forma namq; formatũ, forma carẽs materia. Diuina substantia, sicut ante nos dictũ est, sinè materia forma est, atque ideo vnum est, id qꝺ est, reliqua nõ sunt id quod sunt. Vnumquodq; enim habet esse suũ, ex his ex quib. est, vt cũ homo terrenus cõstet ex anima & corpore, corpus & anima est, non vel corpus vel anima in partem, igitur nõ est id quod est. Quod verò nõ est ex hoc atq; hoc, sed tantũ est hoc, illud verè est id quod est, & est pulcherrimũ fortissimũq;, quia nullo nititur. Igitur speciosus forma. i. speciosus secundum diuinitatem. Istãm eius speciositatem, qua speciosus est præ filijs hominũ, qꝰ vtiq; Dei natura nõ sunt, soli amatores eius vidẽt, soli videbunt regẽ in decore suo, videbunt oculi eius, qui diligũt eũ. Et ego, inqt, manifestabo ei meipsũ. Quid porrò est gladius, quo accinctus est iste speciosus, iste potentissimus? nimirũ vnum idẽque Verbum Dei, Verbũ Deus, forma est speciosi, gladius est potẽtissimi. Nã viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.

Ioan. 14.

Igitur

Hebr. 4.

IGitur (vt iam dictum est) ecce speciosus, ecce potentissimus, speciosus, vt flos, potentissimus vt Gigas, cuius à summo cælo egressus & occursus eius vsq; ad summum eius. Talis in hunc mundum ingreditur visibilis factus, visibiliter pugnaturus, qui priùs inuisibilis, inuisibiliter præliabatur, pugnaturus noua belli specie, scilicet nõ exercitu, neque in robore, sed in spiritu suo Dæmonia potens eijcere. Hunc florẽ speciosum, hunc regẽ potentissimũ alibi sancta Scriptura prędicat, agnũ habentẽ, inquit, cornua septẽ & oculos septẽ scilicet septẽ spiritus, qui super florẽ requiescunt, sed de Agno, qui & vincens Leo, postmodũ suo loco erit dicendũ.

Psal. 18.

Sicut septiformis Spiritus super florem requieuerit, ita septemplici Laude Psalmus hic Regem Christum canit. CAPVT XXVIII.

NVnc delectat breuiter intueri, vtrùm sicut Spiritus isti oẽs super florem requiescunt, ita secundum singulos eorũ proprium quid in Psalmo, siue in Cantico prælibato dicatur, ad regẽ speciosum, regẽ potẽtissimũ. Dico ergo opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. Dicta hæc esse secundũ spiritum sapiẽtiæ & intellectus, nõ indiget assertiõe nstra, quia manifestè vbi Filio regi Patre Deus sua dicit opera, ibi sapiẽtia, & ibi lingua eius operatur, vt scribę calam⁹, ibi intellect⁹. Diffusa est gratia in labijs tuis, ꝓpterea benedixit te Deꝰ in æternũ. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, &c. Et deducet te mirabiliter dextera tua. Hæc intelligimus decantari secundũ spiritũ consilij & fortitudinis. Cõsilij nanq; fuit, qꝰ videns Deus non posse nos ex nostris operib. iustificari, & oẽs sub peccato esse conclusos, diffudit gratiã. i. peccatorum remissionẽ gratuitã in labijs huius speciosi, & propterea hunc benedixit in æternum, fecitque nasci sanctum, & ab omni peccato mũdum, vt efficaciter in labiis eius ista gratia diffunderetur, diceretque peccatrici, quæ erat vna & vniuersa Ecclesia. Dimissa sunt ei peccata multa, non quia operata est multum, sed quia dilexit multum. Accingi gladio super fœmur, prosperè procedere & regnare, & sua dextera deduci mirabiliter, sinè dubio fortitudinis opus siue effectus est, Sagittæ tuæ acutæ, quid est, nisi tibi in doctrina siue prędicatione semper Scripturarum paratæ sunt sententiæ? quibus cõfixa corda illorum, qui fuerant inimici credunt, & acquiescunt veritati, & cadunt adorando te, facti amici. Ergo pertinere hæc ad spiritum scientiæ, non dubium est. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ prę cõsortibus tuis. Oleũ istud ꝓfectò spiritus pietatis est. Eleos Græcè, misericordia latinè. Nihilominùs & concupiscit rex decorem tuum, ad eundem spectat pietatis spiritum. Nam Regis huius concupiscentia non aliud est, nisi pietas. Hoc est oleum, quo vnctus est speciosus iste Rex, vt in multitudine misericordiæ benedictus aduenire t, cõcupiscentiã habens animarum perditarum, per blandimenta misericordiæ conuocare illas ad suũ salutis æternæ triclinium. Spiritus timoris Dñi in eo nõ est, vt timeat, sed vt timeatur, & vt circa ipsum religiosa sanctitas, sãcta & timorata sit religiositas. Huc pertinet illud: Vultum tuũ deprecabuntur omnes diuites plebis. Adducentur Regi virgines, afferentur in lætitia & exultatione, adducẽtur in tẽplum Regis, & populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.

Luce 7.

Quare non dictum sit, manebit, sed requiescet super eum spiritus Domini.

CAPVT XXIX.

VNum est adhuc eiusdem capituli verbum, in quo tenemur, ne iam processum regis prosequamur, ne iam partum beatæ mulieris qualiter deuorare voluerit Draco ille narremus. Quod est illud verbum? & requiescet (ait) super eum spiritus Domini. Non dixit, & manebit, sed requiescet dicere maluit, nec dubium est, quin aliquid plus significet quàm si dixisset, manebit. Attendamus quia sermo Propheticus est. Cui (inquit Petrus Apostolus) benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caligino- 2. Pet. 1.
so loco, donec dies eluescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Ecce locus quidam occurrit caliginosus quidem, sed ista lucernæ huius, id est, Prophetici sermonis flammula, clarum illum nobis facit, & tanquam lucifer diem intelligentiæ adducit. In deserto loquente Domino ad Moysen, Sacerdotio fungente Aaron. Chore Dathan & Abiron, alijque proceres Synagogæ steterunt aduersus Moysen & Aaron, stetit omnis globus eorum contra Dominum. Vnde & propter execrabilis superbiæ malum, non consueta hominum morte interierunt, sed nouam rem fecit Dominus, vt aperiens terra os suum deglutiret eos, descenderuntq; viuentes in infernum, quia blasphemarunt Dominum. Præterea, ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Deinde loquere (ait Dominus) ad filios Israel, & accipe eb eis virgas singulas per cognationes suas à cunctis principib. tribuũ virgas duodecim, & vniuscuiusq; nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autẽ Aaron erit in tribu Leui, quẽ ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorũ Israel, &c. Factum illud in Lege, quod germinauit virga Aaron, & turgentibus gemmis eruperunt flores, & cum folijs fructus, atque ita cessauit superbia de Sacerdotio cõflictantium. Illud, inquam, factum in Lege, confert cum isto vaticinio Prophetæ, quia dum inuehitur contra superbiam Assur, excelsi (inquit) statura succendentur, & sublimes humiliabuntur & subuertentur

Verbũ Dei. *Num. 6.* *Num. 17.* *Esa. 10.*

condenia

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõdensa saltus ferro, & Libanus cũ excelsis cadet, & subaudire licet: sicut succisi vel humiliati sunt, sicut subuersi sunt, & ceciderũt Chore, Dathan, Abiron, & cõplices eorum, statimq; subiungit: Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet, & requiescet super eũ spiritꝰ Dñi. Nimirũ & hic subaudiri decet: sicut ascendit flos de virga Aaroń, & sicut requieuit. i. ab ira sua cessauit, & placatus est spiritus domini, quẽ exacerbauerant murmuratores & superbi. *Esa. 11.*

Præter Christum neminem fuisse super quem requieuisse spiritus Domini dici posset. CAP. XXX.

IGitur secundum illam similitudinẽ intelligendũ est q̃ ait: Et requiescet super eum spiritus domini. Nam ibi quidẽ aliquãta fuit similitudo. Hic aũt res est multò amplior. Ibi virga insensibilis flores & folia supra naturæ vsum producens, atq; nuces. i. quærelas paucorum rebellium cessare fecit. Hic virga sensibilis virga, id est, virgo siue vteres virginalis, florẽ, scilicet iam dictum speciosum regem pariens, superbiam Diaboli percussit, superbiæ culpã de toto genere humano correxit, & irã Dei, quæ proinde superuenerat, auertit, placatumq; Deum nobis reddidit. Itaq; super hunc florem requiescet, ait, spiritus domini. i. propter Christum mitigabis omnẽ irã tuam Domine, & auertes ab ira indignationis tuæ. Nunquam enim te inquietabit flos iste: mitis quippe est & humilis corde. Et Moyses quidem mitis erat super oẽs homines qui morabantur in terra, sed nõ vt hic, non ita semper, non ita impassibiliter. Vexatus enim & exacerbatus distinxit in labijs suis, distinxit, & Domi nũ non glorificauit. Ad quas contradictiones loquendo, non sicut mitis, & aliter, quã voluisset audire spiritus Dñi, quia locutus est verba incredulitatis. Propterea Domi- *Num. 12.*

nus ad Moysen & Aaron, nõ introducetis, ait, populos istos in terram, pro qua iuraui patribus eorum. Iste nũquam distinxit in labijs suis, imò cùm malè tractaretur, non aperuit os suum, & sicut ouis, sicut Agnus coram tondente se obmutuit. Dignus ergo qui populum introduceret in veram repromissionis terram. *Num. 20.* *Esa. 53.*

Sicut virga Aaron, ita & virga Iesse, superbi certaminis finem fecit. CAPVT XXXI.

MVltùm est quod de Scripturis admota clarificat lucerna verbi huius Prophetici. Et requiescet super eum spiritus domini, sed in eiusmodi diutius immorari. præsentis non est propositi. Veruntamen vt proposita similitudo decentiùs explicetur, hoc solum adhuc dicere libet, quia sicut contigit superbis illis cõtra quos in deserto (vt iam dictum est) virga floruit, vt noua & insolita perditione perirent, ita contigit excelsis & sublimibus illis, quorum temporibus egressa est virga de radice Isse, & flos de radice eius ascendit, vt dissimili casu caderẽt, & interitu suo dissimiles cæteris hominib. quicunq; bello interierunt, existerent. Testatur hoc Iosephus, qui miserabile illorum describens excidiũ, dicit de illis: Singulatim quidem iniquitates eorũ narrare non potero. Vt aũtẽ breuiter dicam, neq; aliam ciuitatem vnquã talia perpessam esse puto, neq; vllam nationem post hominum memoriã malitiæ ferociorem fuisse. Et alibi: Denique omnium post condita secula res aduersas, si cũ Iudæorũ calamitatibus conferantur, superatũ iri non ambigo, & horũ author nullus externus est. Erant quippe isti maximè de parte Assur, id est, Diaboli, contra cuius altitudinem virga ista ascendit, cum suo flore, id est, virgo humilis cum filio suo miti & humili.

VNDECIMI LIBRI FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER DVODECIMVS.

Beatam virginẽ Mariam mulieris in vtero habentis, parturientis, et vt pariat clamantis, nõ minimã partem fuisse. CAPVT I.

DIctum iam, & adhuc dicendum est, quia Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cũ peperisset, filiũ eius deuoraret. Hic iam nomen mulieris duplicẽ sensum habet. Antequam esset beata virgo Maria. Ante (inquã) & longè priùs erat mulier, quã q̃ in sacramento sentimus. i. Ecclesia, & vtique prægnans mulier mente grauida, gerẽs verbũ promissionis, sicut iã sæpe dictũ est. At verò propria & vsitata significatione secundũ sexum Maria mulier extitit, quãuis virgo, dicente Apost. Misit deus filiũ suum factu ex muliere, factum sub Lege. Mulier hęc siue hoc humani generis indiuiduũ, mulieris illius pars est, quã dicimus Ecclesiam, id est, credẽtium collectionem vniuersam. Vbi ergo mulier ista, id est, virgo Maria peperit, totam Ecclesiam peperisse quis nescit? Propterea dicimus vniuersi, Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. *Galat. 4.* *Ecclesia.* *Esa. 9.*

Draconem etiam Mariæ filium deuorare voluisse.

CAPVT

CAP. II.

QVid porrò fuisset deuorari filiũ eius? Nimirum ita mori, vel occidi, vt periret nomen eius. At illud sextum caput Draconis, illa bestia terribilis, non sicut dentib. magnis, dentibus suis ferreis, ea quæ circa corpus sunt bonorum siue malorum comedere siue comminuere atque conculcare potuit. ita etiam in causa ista, suimet agitatori Diabolo satis facere præualuit Herodes, cuius præcedenti libello mentio facta est, qualiter quæsierit puerum ad perdendum eum quis nescit, & quis non audiuit? Planè impius ille Romani satelles imperij, nec impietatis crimine vacuus est Augustus ipse, qui ad suggestionem eiusdem Herodis tam pronus extitit, vt concederet illi quoquo pacto regem perdere quem natum audierat, tanquam regna hominum Rex ille tollere haberet, quod ita non erat. Crudelitati stultæ, crudeli eius stultitiæ mulier sæpè dicta de incolumitate filij sui secura, iam dudum exprobrauit, & exprobrare nõ cessat. Non (inquiens) diripit mortalia, qui regna dat cęlestia. Crudelitas Herodis Romana potestate facti regis tam citò in Romanum imperium redundauit. Nec enim tot pueros impunè occidere potuisset, nisi Romanæ potentiæ licentiam, vel cõsensum Augusti Cæsaris habuisset. Sicut cum voluit inde permissum accepit proprios trucidandi, ita prætento metu ne fideret sibimet vel Augusto de mutatione regni, siue imperij, concessionem adeptus est tot pueros occidẽdi, quotquot in Bethleem & in omnibus finibus eius per duos annos fuerant nati. Futurum quidem erat, vt per manus Romanorũ rex iste occideretur, sed nondum erat illius rei tempus, nec sic faciendum erat, vt deuorare tur filius masculus, id est, non ita mori habebat, vt periret nomen eius.

Quare Diabolus Christum Herodi prodere non potuerit. CAP. III.

SIC Herodes egit, & sic peragere voluit, vt verè vnus vel præcipuus Diaboli filius, de qualibus ait filius vel masculus iste: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Quæ vel qualia desideria? quæritis (ait) me interficere. Hoc est desiderium patris vestri. Propter hoc desiderium ille homicida erat ab initio, quia videlicet veritatem, id est, meipsum odit ab initio, quod odium nunc in me, factũ mortalem hominem, desiderat complere homicidio. Hoc erat desiderium illius, qd Herodes volebat tam citò facere desideriũ patris sui, desiderium diaboli. Dicit aliquis. Si pater eius Diabolus hoc iamdudum desiderabat, cur non statim puerum prodebat? Cur cum à Magis illudi permittebat? Nunquid nesciebat? Nunquid spiritus ille non contectus carne percipere non poterat, natum esse hunc regem, nisi venissent homines de longè, & fecissent Herodi, omnique Hierosolymæ turbationem siue metum dicendo: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorũ? Ad hæc (inquam) planè sciebat, sed non sinebat eũ loqui puer ipse, qui natus erat. Hoc aliundè facilè potest probari. Exibant (inquit Euangelista) Dæmonia à multis clamantia & dicentia, Quia tu es filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Et rectè non sinebat ea loqui, quia pro fectò pro malo loquebantur, scilicet, vt inuidiam facerẽt illi. Igitur & tunc natum illum esse, Diabolus sciebat, & filium suum Herodem hoc scire desiderabat, sed natus infans eum loqui non sinebat. Nam nisi prohiberetur eodem modo quo alibi dicit Scio, quis sit Sanctus Dei, scilicet, per energuminum, dicere potuisset illi dolenti, quod esset illusus à Magis, scio vbi sit Sanctus Dei, siue scio vbi sit Rex ille quem quæris. *Ioan. 8.*

Christum à Diabolo, non vt cognosceretur, sed vt corrumperetur tentatum fuisse.

CAP. IIII.

SEd dicit aliquis. Si illum sciebat Diabolus, ad quid instabat experimentum quærens, & dicẽs: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant? Quemcunq; res ista mouet, scire debet, quia fecit vt tentator vel vt corruptor. Nã ille est, qui semper hac intẽtione tentat vt corrumpat, planè non quærebat vt cognosceret quasi incognitum, sed vt corrumperet cognitum. Quid autem est corrũpere, nisi similem vel conformem facere? Horrendum quidem auditu hoc est, sed ad huc in deterius, processit, dicendo ad vltimum. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. An non dicit & Apostolus, de illo, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Non expauescat pius ac fidelis animus perpendere, quãtus sit præsumptor Diabolus, quia videlicet cognoscendus est ex hominibus, qui iudicandus est ab hominibus. An nescitis (inquit idem Apostolus) quia & Angelos iudicabimus. Cùm igitur dicit ille, vtpotè tentator, id est, corruptor. Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Perpende, quia sibi conformare, sibi similem facere deum intendebat ille Satan. Quomodo per hoc tibi conformem faceret dicentẽ, vt lapides illi panes fierent? videlicet, quia & qui mendaciter dicit de ipso, quod nõ est, & qui iactantur & pro vana gloria monstrat de seipso, quod non est, similes sibi sunt, testante ipso domino, qui reuersis septuaginta duobus, & cùm gaudio dicentibus. Domine etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo, quod vtiq; verũ erat, statim tam fortiter quàm suauiter tetigit eos, dicens. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentẽ. quo videlicet dicto breuiter innuit, quòd multi ex ipsis secundũ Satanæ similitudinẽ *Matt. 4.* *Luc. 4.* *Matt. 4.* *2. Thes. 2.* *1. Cor. 6.* *Matt. 4.* *Luc. 10.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter vanitatem casuri vel retro abituri essent. Multi enim Discipulorum eius (ait Ioannes) abierunt retro, & iam cum illo nó ambulant. Porrò, Diabolus mendaciter de semetipso, & in cælo dixit, & in terra nunc vsque contendit dicere, quod non est, scilicet quòd sit Deus. Dominus autem filius Dei erat, & est, sed vt hoc illi miraculis demonstraret, nulla esset causa, nisi iactantia seu vana gloria. Nunquid enim illum Diabolus adoraret, vt saluus fieret, si apud illú se Filium Dei esse taliter comprobaret? Igitur miranda Diaboli præsumptio, qui non contentus dixisse olim, ero similis altissimo similem sibi altissimum nisus est facere tentando. De hoc quod in deterius proficiens præcipitium suasit, & deinde sibi quoque illum substernere tentando, suadendo, vt se adoraret, miretur qui potest & animaduertat, quia verè magnum Diaboli iudiciú est.

Qua de causa Christus non solum Dæmonijs, verum etiam Apostolis, ne se proderent, prohibuerit.

CAPVT V.

NVnc ad id redeo, quod cœperam, scilicet quia increpans Dæmonia, non sinebat ea loqui, qd' sciebant, videlicet ipsum esse Christum. Nunquid verò tantummodo Dæmonia super hac re prohibebat vel increpabat, & loqui non sinebat? Imò & amicos homines super eadem re prohibebat. Exempli gratia, Cùm interrogasset Discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis. Itemq;, Vos autem quem me esse dicitis? Et ad hęc respondens Simon Petrus dixisset ei: Tu es Christus Filius Dei viui. Illum quidem beatificauit, dicens: Beatus es Simon Bar Iona, Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis, &c. Sed tunc præcepit Discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Christus. Quare videlicet quia futurum erat, vt postquam regium hoc nomen de ipso publicè prædicaretur, nulla mora interficeretur, inimicis Iudæis gaudentibus, vtpote grandi ratione armatis, forti occasione suffultis, qd' essent amici Cæsaris, interficiédo illum, qui se dicendo regem Christum, contradiceret Cæsari, quem si non interfecissent, non essent amici Cæsaris. At ipse nolebat locum dare vel occasionem facere homicidis illis, priusquam omnia condidisset instrumenta benedictionis, quæ peruenire debebant ad nos gentes, iuxta verbum promissionis ad Abraham. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Et idcirco morti, vel ministris mortis præcipiebat, vt expectarent. Exempli gratia, vt tetrarchæ Herodi. Accesserunt ad eum die quadam pharisæorum quidam, dicentes. Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis. Ite, dicite vulpi illi. Ecce eijcio Dæmonja, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die cõsumor. Quod erat dicere. Hoc anno & sequenti regnum Dei prædico, & anno tertio per-passionem mortis summa gloria, summo honore coronabor. Neque enim in potestate vulpis est, quando deuoret leonem. non in potestate fraudulenti homuncionis est, quando interimat vitæ & mortis dominatorem. Igitur tanquam sapiens amicis seorsum indicabat, inimicis autem vsque ad tempus absondebat, quòd ipse esset Christus, tanquam sapiens, imò & ipsa sapientia, quæ dicit, Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles, ne forte insultet tibi cùm audierit, & exprobrare nõ cesset. Ité, mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

Matt. 4.

Gen. 22.

Luc. 19.

Ecclc. 20. Prou. 3.

2. Tim. 2.

Quare Iudæi, an ipse Christus esset, quæsierint. & quare ipse ante passionem semper obscurè responderit.

CAP. VI.

SI totam percurras Euangelij seriem, nusquam reperies, quòd se in publico Christum nominauerit, nusquam inuenis, quod ante statutum passionis suæ tempus, regem se esse dixerit, aut dici permiserit. Veruntamen quia veritati testimonium perhibere debebat. Nam ad hoc natus erat, & ad hoc in mundum venerat, ita de hoc nomine tacebat, quod est Christus siue vnctus. Vt multò maius de semetipso testificaretur, quàm concipere potuissent de nomine illo aduersarij eius. Exempli gratia. Aliquando circundederunt eum Iudæi, & dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam? Non dixit, Ecce palàm dico vobis, Christus ego sum, videlicet, ne malę illorum intentioni cõcurreret, vtpote qui malitiosè interrogabant, vt aut Christum se esse negaret, quod fieri non poterat. Nam ille, inquit Apostolus, Fidelis permanet, negare seipsum non potest: aut si profiteretur se Christum esse, profectò tũc optatum contra illum haberent magnæ accusationis capitulum, quòd se Regem diceret aduersus Romanum imperium. Nam si Christum, vtique & Regem se esse fateretur. Quid contra hoc egit ipsa sapientia? Nimirum & illorum cauillationem prudenter illusit, & plus quàm interrogatus esset, de semetipso fideliter prædicauit. Cœpit pastor loqui de ouibus suis, quæ videlicet nomina Romanæ legiones non multum timerent, aut curarent in armis suis. Loquor (inquit) vobis, & non creditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt. Ecce quanta in verbis humilitas, de quibus Romana tunc temporis altitudo non nisi ridebat, sed vide in tanta humilitate verborum, quanta sit maiestas rerum. Et ego cognosco eas (inquit) & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Quam profectò dare non est nisi Dei. Sic incipiens & nomen quod malitiosè quærebatur, subtegés, sic tandé est elocutus, Ego & pater vnum sumus. Hoc nimirú plus est, quã illud, vnde apud

Ioan. 10.

Ioan. 10.

Ioan. 9.

pud Romanos accusari potuisset, si manifesto nomine Christum se esse respondisset.

Christum, vbi tempus affuit, non solum non prohibuisse, verum etiam se regem prædicari voluisse.

CAP. VII.

VBi tempus affuit, quod poposcerat opus, vel ordo nostræ salutis, tunc præeunte tuba magni miraculi, videlicet resuscitatione Lazari mortui iam quatriduani, iamq; fœtẽtis, nomen istud admisit, nomen regium cum laudibus publicè susceptit, videlicet occurrentibus turbis cum ramis palmarum, quæ sunt insignia victoris, clamantib. ac dicentibus: Osanna benedictus qui venit Rex in nomine Domini, benedictum q̃ venit regnum patris nostri Dauid, osanna in excelsis. siue secundum Lucam: Pax in cęlo & gloria in excelsis. Quo nimirum dicto pueri consõnabat Angelis, qui qua nocte natum illum secreta reuelatione pastoribus annunciauerunt, dicentes: Quia natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid, repente laudauerunt Deum, & dixerunt, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc eatenus publicæ laudi deerat, q̃ Christus vel regem se in publico non prædicabat aut prędicari permittebat, sed pueri supplebant, pueri laudem perfecerunt, equidẽ iniussi, sed diuinitùs inspirati, rationabiliter permissi, opportunè admissi. Vndè cum indignarentur Principes Sacerdotum, & scribæ, dicerẽtq; ad eũ. Audis qd isti dicunt? Ipse valdè subtiliter respondit, dicens, Vtiq; nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Idem enim est, ac si diceret: Vos mihi hactenus importuni fuistis, vt si ego sum Christus, palàm dicã vobis, ego verò pro tempore & re de laude mea nomen istud distuli. Ecce nunc isti, qui vestræ scientiæ comparatione infantes sunt, lactantes sunt, regium mihi nomen ac clamando laudem perfecerunt; Prophetiã impleuerunt Quia quod propter vos amicos meos ego tacebam, ipsi prædicauerunt. Dicentibus autem quibusdam ex illis: Magister, increpa Discipulos tuos. Dico vobis (ait) quia si hi tacuerint, lapides clamabunt, subauditur, quòd ego sum Rex, quòd ego sum Christus, dum pro eo quod dicitis, Nolumus hunc regnare super nos, non remanebit lapis super lapidem, qui non destruatur.

Ioan. 11.

Marc. 11.

Luc. 19

Luc. 2.

Matt. 23.

Luc. 19.

Christum asello insidentem; Regnorum huius mundi contemptum præ se tulisse.

CAPVT VIII.

ET quidem illi, audito à turbis acclamãtibus Regis nomine, ipso non prohibẽte, gaudebant sibi occasionem, quam optauerant oblatam esse, vt Romanæ potestati possent istud seditiosis vocibus impingere. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. & si hunc dimittis, non es amicus Cęsaris. Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. At ille sapiens & prouidus, verè quidem Rex, sed non sicut Cæsares, accusationes illorum in ipsa turbarum acclamatione valde infirmabat, Cæsariq́ue & cunctis regibus seculi satisfaciebat, quòd nullius eorum regnum cuperet, vel ambiret, nullosq; omninò seculi honores, quales erant Romanorum fastus, magni penderet, nec arma ferrea, vel signa bellica vnquam attrectare intenderet. Sedebat enim non super phaleratum & spumantem, equum, sed super exiguum ignobilemq́ue asellum. Circa illum non gladij, non secures, sed rami palmarum, & oliuarum frondes. Ramum oliuæ constabat gentilibus quoque signum pacis esse. Quid ergo turbis siue in pueris spiritus Christi Regis agebat, nisi regem, quasi de inuasione regni vel imperij Romani mendaciter accusatum, vel accusandum, factis meliùs quàm verbis excusare properabat.

Luc. 2.

Christi regnum non de hoc mundo esse, satis probatum esse, copiosius tamen probari potuisse.

CAP. IX.

EXcusauit se verbis quoq; Rex mitis & humilis corde, dum etiam Pilato, vbi vẽtilabatur accusatio de regio nomine, quasi crimine magno. Regnum meum (ait) non est de hoc mundo. Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarẽt, vt non traderer Iudæis, Nunc autem regnũ meum non est hinc. Poterat eisdem gratiæ labijs dicere: Si de hoc mundo fuisset regnũ meum, non asellus, super quem sedi nudius tertius, sed equus mihi vel currus fuisset adhibitus, & qui me regem acclamauerunt, nõ ramos oliuarum, sed militarium prætulissent apparatum armorum. Et si minùs illi sufficerent, rogassem patrem meum, & exhibuisset mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum. Poterat quidem & illud dicere, Quando paui de quinq; panibus quinq; millia hominum, & illi propter hoc rapere me, & super se regem facere voluerunt, non fugissem eos, nisi quia verum est, quod regnum meum non est de hoc mundo. Hæc (inquam) & cętera huiusmodi multa innocentiæ suæ argumenta, qui nihil Cæsari volebat nocere, Pilato respondens demonstrare poterat, nisi quòd ille auditum non habebat, & ipse per sapientem quendam fuerat præloctutus. Ne effundas sermonem, vbi non est auditus. Nobis hæc scienda reseruauit, & nostrum est inclamare aduersarijs eius, etiam defunctis, quia non diripit mortalia, qui regna dat cęlestia, & quia volentes eos falli, sua malicia fefellit, & mẽtita est iniquitas sibi, dicendo. Inuenimus eum prohibentem tributa dari Cæsari. Nõ enim talem Regem se fecit, neque ita contradixit Cæsari. Imò, reddite (inquit) quæ

Ioan. 18.

Luc. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matt. 22. sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

Diabolum insidiando vitæ Christi deceptum, Dei consilium non impedisse, sed promouisse.

CAP. X.

QVid multa? mori illum oportebat, & Draco (ępè dictus in hoc stabat, in hoc inhabitabat, vt ille moreretur, quod putabant esse deuorationem eius. Putabat (inquam) quòd per mortem posset eum deuorare, id est, consilium vel propositum Dei adnihilare, vt scilicet non fieret, quod prædictum fuerat, Et ipse erit expectatio gentium, & in ipso benedicentur omnes gentes quod iamdudum timens, dicente illo Iudæis. Quæritis me & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire. Loquebatur per os illorum ad semetipsos dicentium, Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Verum cecinit Psalmista, Draco iste quem formasti ad illudendum ei, & ipse dominus ad beatum Iob de illo dicit, Nunquid illudes ei quasi aui? Item, Ecce spes eius frustrabitur eum. Verè illusus est, & frustrata est eum spes eius, quia nequaquam moriendo Christus deuorandus erat, aut deuoratus est, imò per mortem eius effectum est, nec nisi per mortem illam fieri oportebat, vt iret in dispersionem gentium, & doceret gentes. Consideremus sacramenta, per quæ in ipso secundum promissiones benedicendæ erant, & benedicentur omnes gentes, & in Draconem istum ad laudem Dei, qui eum ad illudendum formauit, mirari poterimus magnitudinem illusionis, quia dum auersari cupit, famulatur proposito Dei, dum deuorare se putat talé beatæ mulieris filium, valdè proficuum cõfilio eius præstat obsequium.

Ioan. 8. Psal. 103. Iob. 40.

Per mortem Christi sacramenta Baptismatis, Eucharistiæ, et Spiritus sancti dona, nos consecutos esse.

CAPVT XI.

Sacramenta. QVæ ergo & quot sunt præcipua nostrę salutis Sacramenta? Sacrum Baptisma, sancta Corporis eius & Sanguinis eucharistia, geminum Spiritus sancti datum, videlicet alterum in remissionem peccatorum, alterum in diuersarum siue multiplicium diuisiones gratiarum. Hæc tria Sacramenta salutis nostræ necessaria sunt instrumenta. at verò hæc, non nisi per mortem & resurrectionem eius condenda erant, vel condita sunt. Primò, de Baptismi sacramento credimus, & scimus, quia de morte eius manauit, cùm putaretur esse deuoratus, id est, cũ iam esset mortuus. Ad Iesum enim, inquit, Euangelista, cùm venissent, vt viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Sanguine illo redempti, aqua illa sumus abluti, tam Iudæi quàm gentes. Et primò Iudæi, deinde gentes, imò primò mortui, deinde viui. Mortui namque quicunq; fuerant fideles ab origine mundi, quique apud inferos expectabant beatam spem, primi huius salutis fructum perceperunt, & qui velut ecclesti communicauerunt altari, id est, visioni diuinitatis, nondũ soluto pariete inimicitiarũ. Eramus enim, aiunt, & nos aliquando natura filij iræ, sicut & cæteri, & quasi pannus mestruatæ omnes iustitiæ nostræ. Tunc illo flumine abluti, & emundati intrauerunt in sanctuarium Dei, in regnum Dei, quod totum sanctum est. Et quia tunc præteritorum omnium seculorum tota simul Ecclesia baptizata est, positum est sacramentum hoc, quasi ad eiusdẽ Ecclesiæ fores, vt quicunque vult Ecclesiæ deinceps incorporari, baptizetur in sua persona, quia simul & vniuersaliter in morte Christi baptizata est Ecclesia. Sumpta namque aqua, & dicto verbo crucis cùm inuocatione Spiritus sancti, præsens adest sacramentum mortis Christi. Vndè Apostolus, Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, &c Diutina sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra consuetudinem Græcorum decertatio fuit, volentium debere in die Epiphaniæ solenne baptismi celebrare sacramẽtum, pro eo, quòd illa die constat ipsum Dominum à Ioanne aquis Iordanicis fuisse baptizatum. Romana Ecclesia, magnusq; Leo scribens econtra demonstrat rationabiliter, Ioannis baptismanon ad eandem pertinuisse virtutem, qnõ erat in remissionem peccatorum, sed in pœnitentiam. Baptismum Christi à morte ipsius assumptisse initium, (vbi sicut iam dictum est) latus eius patefactum est lancea, & exiuit sanguis & aqua, & proinde hoc sacramentum in morte & resurrectione eius esse celebrandum.

Ephe. 2. Esaiæ 64. Ioan. 3. Rom. 2.

In quem vsum sacramentum Eucharistiæ nobis relictum sit. CAP. XII.

DE sacramento Corporis & Sanguinis Domini certum est, nec assertione nostra indiget, quin passionis vel mortis eius propria quidem & singularis commemoratio sit, & quòd à passione vel morte eius initium sumpserit, vel sumere debuerit. Conditum autem est hoc sacramentum quantũ potuit morti vicinius, scilicet cum iam esset ad mortem venditus, & qua nocte tradebatur. Nobis, qui viuimus, & qui residui sumus, reseruatum est, & missum est sacramẽtum istud, in quo sub specie panis & vini latet vtilitas mortis & resurrectionis eius. Nã illis, qui mortui fuerant, fidelibus, miro modo in illa specie, qua pependit in cruce, factus, vel datus est cibus. Ita vt anima eius ad animas illorum in infernum, & corpus eius ad corpora illorum descenderet, effetque tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ, in eodem ventre terræ, quo recepta vel assumpta fuerant corpora illorum. De

Ioan. 9.

De tanto hoc mysterio nunc diutius tractare non est propositum, veruntamen ne omninò relictum sit intactum, dicere quippiã libet de causa, propter quam nobis sit necessarium. Causa hæc erat, quia primi homines Deo increduli, Diabolo nimis malè credituli fuerunt. Quia cùm non viderent nisi pomũ quantumlibet suaue, redolens aut visu pulchrum, crediderũt in illo esse diuinitatis effectum, crediderunt diabolo, dicenti. Nequaquam ita erit, vt Deus dixit, Si comederitis, morte moriemini. sed erit quod dico ego, si comederitis eritis sicut Dij. Contra cibum illum, qui cibus fuit mortis, dictante ratione, namq; iustitiæ dari oportebat cibũ alium, qui esset cibus vitę, & simili ordine, vt scilicet inesse illi mens crederet, quod oculus non videret, crederet esse cibum & põtum veraciter communicandæ diuinitatis, esse effectiuum carnem & sanguinem Christi, quod sentire non possunt sensus carnis & sanguinis. Per hanc Fidem sibi Deus ab homine satisfactum esse iudicat, dum non minùs sibi credit, quã Diabolo crediderat.

Gen. 3.

Spiritum sanctum primùm in remissionem peccatorum, deinde in diuisiones gratiarum, super nos effundi. CAP. XIII.

DAtum Spiritus sancti, primùm in remissionem peccatorum nos omnes credentes accipere, vel accepisse per mortem, vel sanguinem eius, quis nescit? Idcirco qua die resurrexit à mortuis, cum esset sero, die illa stans in medio discipulorum, insufflauit & dixit eis, Accipite Spiritum sanctũ Statimq; subiunxit, Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis. Porro secundum eiusdem Spiritus sancti datum in diuisiones gratiarum, quarũ Apostolus meminit, scribens ad Corinthios: Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientię, &c. die quinquagesimo acceperunt, & eiusmodi dona sunt, de quibus scriptum est, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quorum potiorà sunt hæc, quod ipse posuit quosdam quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores & Doctores. Istæ sunt consolationes Paracleti, propter quas abire volens, dicebat illis, Sed quia hęc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum, sed ego veritatem dico vobis Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Quòd dicit, si abiero, rectè quidem intelligitur, ac si dicat, Si in cælum ascendero, si meam corporalẽ præsentiam vobis abstulero. Veruntamen, quia non de ascensu eius tristari, imò gaudio magno gaudere habebant, sicut Lucas meminit, dicens. Et ipsi adorantes, reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio magnò. De passione verò tristes fuerunt. Nam quia hęc locutus sum vobis, ait, tristitia impleuit cor

Ioan. 20. 1. Cor. 11. Ephe. 4. Ioan. 16. Luc. vlt.

vestrũ. Nihilominùs rectè intelligitur illud abire de passione vel morte sua dixisse. Nã & Euangelista ita vult, dicens. Ante diem festum paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem. nõ enim tunc primùm ex hoc mundo trãsiuit, imò iam tunc quando mortuus resurgens, cùm hominibus conuersari, laboresq; mundanos pati desijt.

Ioan. 13.

Hæc sacramenta neque Diabolum, neque impios homines cognouisse.

CAP. XIIII.

HAEC tria fieri oportebat: & propter hæc mors eius gentibus erat necessaria, quia istæ sunt benedictiones, quibus in isto semine, quod est Christus, erant benedicendæ omnes gentes. Hoc ille Draco magnus nesciebat, qui filium vel masculum illum per mortem deuorare se posse sperabat. Nesciebat, inquam, ille, nesciebant hi, quibus præsidebat ille, de quibus vel qualibus sapientia dixit. Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit eos malitia ipsorum, & nescierunt sacramenta Dei. Et Apostolus ait, Si enim cognouissent (subauditur, sapientiam, quæ ex deo est, quam & loquimur inter perfectos) nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Omninò verum est, quia si cognouisset Leuiathã, siue cetus magnus, qui in mari est, hamũ sub carne latuisse ferreum, nunquam carnem ipsam momordisset, qua tegebatur ferrum. Sciebat quidem ipsum esse Christum filiũ Dei, & ob salutẽ venisse generis humani, sed nesciebat secretum à seculis absconditum sapientiæ Dei consilium, quod de morte vnius renasci deberet vita omnium. Suum ipse sciebat consilium, sed seculis omnibus sic erat absconditum, adeoq; inopinabile mentibus hominum, vt ipsi Apostoli, cum secretè loquerentur ad eos de his, nihil horum intelligerent, sicut sacra plerisque locis Euangelia perhibent, quia videlicet necdum erat tempus illis hæc intelligendi, priusquam glorificaretur ipse gloria resurrectionis.

Sapien. 2. 1. Cor. 2. Luc. 18.

Draconem septies per impios homines contra Christum insurrexisse, & septimo comprehensum fuisse.

CAPVT. XV.

QVis porrò intelligit? quis intimo affectu sentit, qualis fuerit in mente habitus filij huius masculi, ex quo sæpedicta mulier eum peperit, toties hiante illo Dracone vt eum posset deuorare, id est, hominibus impijs carnem eius occidentibus, nomen eius delere? Nam si ritè numeres, septies ore patulo hiauit, septem rictus immanes aperuit, & in cæteris frustratus, septimo tandẽ rictu carnem comprehendit, sed malo suo, quia (sicut iam dictum est) ferrum in carne permolestum sentit. Primus namque Draconis huius hiatus fuit, vbi secundum Matthæum mox nati pueri animam (sicut iam superius

Matt. 29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

superiùs dictum est) funestus Herodes, quę
Luc. 4. fuit, & propter eum infantes occidit. Secun
dus fuit, vbi secundum Lucam, cùm veniſ
set Nazareth, vbi erat nutritus, & doceret in
Synagoga, surrexerunt & eiecerunt illum
extra ciuitatem, & duxerunt vsq; ad super
cilium montis, supra quem ciuitas illorum
erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipſe au
tem transiens per medium illorũ ibat. Ter
tius fuit, vbi, secundum Ioannem, fugit à fa
Ioan. 6. cie Iudæorum irridentium, cùm diceret, Ni
ſi manducaueritis carnem filij hominis, &
biberitis eius sanguinem, non habebitis vi
tam æternam. Nam reuera hæc dicendo, fu
git & abscondit se ab illis, secundum titulũ
triceſimitertij Psalmi, qui inscribitur sic,
Psalmus Dauid cùm commutauit vultum
suum, coram Abimelech, & dimisit eum, &
abijt, & timpanizabat ad ostia portæ ciuita
tis, & defluebant saliuæ in barbam, & fere
batur in manibus suis. Abimelech ipse est,
Abimelech Achis. qui suprà dicitur Achis. Interpretatur autẽ
Abimelech, patris mei regnũ. Achis verò,
quomodo est. Significat ergo Iudæos, quos
rectè Christus priùs appellauerat Patris sui
regnum, quod signat Abimelech. Nunc
autem Achis, ex quo dixerunt, quomodo
esse potest? In quo coram istis commutauit
vultum suum? In eo videlicet, quod veteris
sacrificij ritum conuertit in nouum. In eo
quoq; saliuæ defluxerunt illi in barbam, q
cùm diceret, Nisi manducaueritis carnem fi
lij hominis, & biberitis eius, &c. infantilia vi
debatur eis verba proferre. Infantium est
enim saliuam emittere. Tunc quoq; timpa
nizabat ad portam ciuitatis, quando inuitis
& audire nolentib. mysterium prædicabat
suæ passionis, futurum esse sciens, quòd cre
dendo aperirent aliqui. Ferebatur etiam in
manibus suis, videlicet cũ tenens in manib.
Matt. 26. suis panem & vinũ. Accipite (inquit) & cõ
edite, hoc est Corpus meum. Hic est sanguis
meus noui testamenti, &c. Attamen secun
dum Hebraicam veritatẽ nunc legimus, &
collabebãtur in manibus eorũ. Quarta fuit
persecutio, quando miserunt Principes &
Ioan. 7. Phariſęi ministros, vt apprehẽderent eum,
qui reuersi cum diceretur eis, Quare nõ ad
duxistis eum? responderunt: Nunquã sic lo
cutus est homo, sicut hic homo loquitur.
At illi in intentione perſistentes adduxerut
mulierem in adulterio deprehensam, ten
tantes, vt possent accusare eum. Quinta per
secutio fuit, vbi cũ dixisset. Amen amen di
Ioan. 8. co vobis, antequam Abrahã fieret ego sum,
Ioan. 10. tulerunt lapides vt iacerent in eũ. Sexta, vbi
Ioan. 11. cum dixisset: Ego & Pater vnũ sumus, sustu
lerunt lapides vt lapidarẽt eũ. Septima, quæ
vltima, vbi colligerunt aduersus eum con
cilium, nec destiterunt donec crucifigerent
eum.

Quare dictum sit, Sustinui qui simul contristare tur, vt non fuit. CAP. XVI.

QVis, inquam, in tam diutina colluctatione mortis, spiritum eius mitem, & humilẽ intelligit? Beatus (inquit Psalmista) qui intelligit super egenum & pauperẽ, quẽ Psal. 108. iuxta Psalmi alterius versiculum, perseque batur in Iuda, persequebatur in Iudaico po pulo Draco ille, hominem inopem & men dicum, & compunctum corde mortificare. Nos penè indociles, aut nimium tardi ad dis cendum ab ipso dicente. Discite à me, quia Matt. 11. mitis sum & humilis corde. Super eum pau perem, super eum mitem, & humilem, pro nobis dolentem, pro nobis vulneratum, lon gè minus intelligimus, quàm oportet intel ligere. Ecce, inquit Propheta, quomodo Esai. 57. moritur iustus, & nemo percipit corde. Ipſe quoque in Psalmo dicit. Et sustinui, qui si mul contristaretur, & nõ fuit. Sed nunquid vel beata Maria, cùm staret iuxta crucem e ius, videns quomodo moreretur, non per cepit corde, & non simul cõtristata est, imò multum percepit corde, multum contristа ta est, & sicut prædixerat Simeon, Gladius pertransiuit animam eius. Discipulus quo que dilectus, non sinè perceptione cordis, non sinè tristitia vidit quando moreretur. Cæteri quoque Discipuli, quamuis relicto eo omnes fugerint, nonnihil fuere simul contristati, imò tristitia cor eorum imple uit. Ergo non secundum rationis iudicium, sed secundum doloris vim, qui interdum rationem non admittit, dictum est, & nemo percipit corde, & qui contristaretur nõ fuit. Et competenter sic dictum esse animaduer tis, vbi ad tantam insultantium atque irri dentium multitudinem, qui condoluerunt, præ paucitate nullius fuere quantitatis aut numeri. Verùm, quia alibi dicit. Circunspe xi, & non erat auxiliator. quæsiui, & non Esai. 63. fuit, qui adiuuaret, & saluauit mihi brachiũ meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi, & non est conquestio similis, sed de monstratio verisimæ rei, quia nullus omni nò etiam si voluisset, quis potuit eum ad iuuare, siue auxiliari in prælio, siue congres su eiusmodi, vbi veniebat princeps mundi, peccator antiquus, & præpositus mortis. Nec enim quisquam, qui de illo dicere pos set, & in me non habet quicquam. Non erat præter eum quisquam, in quo cum innocen tiæ humanæ esset, etiam diuinæ brachium & indignatio, id est, zelus vel fortitudo natu ræ.

In Christo duas voluntates, diuinam & huma nam fuisse, quarum altera mortem voluerit, altera expauerit.

CAPVT XVII.

QVid ergo, nunquid auxiliatorem cir cunspiciẽdo, ita vel tali intentione quę rebat, vt non moreretur, qui ad hoc ipsum venerat, vt moreretur? Vtiq; sicut erat Deus & homo, sic & duas voluntates, alteram Diuinitatis, alterã humanitatis habebat, sub ipso

ipso passionis articulo. Humanitas quippe
guſtum mortis naturaliter pauebat & refu
giebat, & naturali corporis amore anima te
Matth. 26 nebatur, & in carne manere volebat. Porrò
diuinitas rationabili iudicio aliud intende
bat, scilicet quod ad salutem generis huma
ni necessarium erat, & eius naturæ volun
tatem suæ voluntati humanitas præferebat,
Luca 22. dum in oratione sua præmisso, mi Pater, si
possibile est, transeat à me calix iste, contin
uò subiunxit. Veruntamen non sicut ego
volo, sed sicut tu. Siue ita, Veruntamen nõ
mea voluntas, sed tua fiat. Itaq; quidẽ secun
dum diuinitatis rationem circumspiciebat
quærens auxiliantem, sed secundum natu
ralem sensum carnis volebat hoc ipsum &
quod sancti homines mallent, dicentes cum
Apostolo, Eo quod nolumus expoliari, sed
superuestiri, & absorbeatur id quod morta
2. Cor. 5. le est à vita. Nunquid verò solummodò
circumspexit, & circumspiciens adiuuantẽ
quæsiuit, imò & voce magna clamauit. Eli,
Eli, lamasabathani, Hoc est, Deus meus,
Deus meus, vt quid dereliquisti me? Hoc ni
mirum ita rectè intelligitur, ac si diceret: O
habitans in me omnis plenitudo diuinitatis
corporaliter, cur te intus contines, cur me
Matth. 27 moriente tiles? paulò antè, vbi venerũt qui
me comprehenderent, vnam breuiter emi
sisti vocem, dicendo, Quem quæritis, ego
sum, statimque abierunt retrorsum, & ce
ciderunut in terram. Nuper quoque multi
tudinem ingentem radiando ex istis oculis,
qui nunc in morte caligãt terruisti, & quod
infinitus facere non potuisset exercitus, cũ
vno flagello facto de resticulis, de templo
Ioan. 12. eiecisti, memorando illis hoc propheticũ:
Domus mea domus orationis vocabitur,
vos autem fecistis illam speluncam latro
num. Vt quid tam potens, tam fortis diui
Matth. 21. nitatis verbi, me tuam carnem dereliquisti,
intus te continens tanquam gladius, qui de
vagina sua nolit egredi.

Quare dictum sit, Apud ipsum est sapientia & for titudo.

CAPVT XVIII.

HIc iam oportunè occurrit, quia scriptũ
Iob. 12. est, Apud ipsum est sapientia & forti
tudo. Item, apud ipsum est fortitudo & sa
pientia. Dicamus ergo & illud. quia ipse est
Agnus, ipse est Leo, & omnia tempus habẽt,
sic & horum, scilicet Agni & Leonis signi
ficata, sua debuerunt habere tẽpora. Tem
pus fuit, quo vt sapiens patientiam teneret
Agni: tempus fuit, vt fortis emitteret rugi
tum leonis, dum se intus adhuc fortitudo
Luca 22. contineret, non fuit omninò derelictus, nã
sapientia quasi derelictum consolata est.
Quid enim circa se ageretur, nõ ignorabat:
propterea non solùm Discipulos suos repri
mebat percutientes & dicentes, Domine,
Ecce gladij duo hic: verumetiam occurre
bat aduersarijs & dimittebat se comprehen
di. Neque dedignatur Dominus Angelo
rum ab Angelo confortari in agonia factus,
& sudando guttas emittens sanguinis in ter
ram decurrentis, & permittebat faciem suã
à colaphizantibus velari, nec reijciebat ca
lamum sibi ab illudentibus, quasi pro sce
ptro in manu datum, neque chlamydẽ coc
cineam sibi circundatam, neque coronam
spineam suo capiti impositam, neque Ro
manos milites auersabatur sibi genua flec
tentes, & cum fellito risu se Regem Iudæo
rum salutantes siue adorantes. Cuncta nan
que hæc ludicra crudelia, vertenda sibi esse
sciebat in seria, iocunda, atque dulcia.

Quare Christus gladium in vaginam recondi iusserit.

CAPVT XIX.

NON possumus fastidiũ legentium vi
tantes, horum cæterorum que omniũ
& ipsius crucis, quam proposita sibi salute
(vt ait Apostolus) sustinuit confusione con
tempta, præsenti loco compingere, sicut à
Sanctis patribus expositæ sunt rationes ad
comprobandum, quòd in omnibus his
magna sit laus sapientiæ, quæ apud ipsum
est. Vnum est, quod licet iam loco alio bre
uiter cõmemoratum sit, hic præterire non
libet, quam rationem habeat. Quod Petro
eximenti gladium suum, & percutienti, Cõ
uerte (ait) gladium tuum in locum suum,
siue quod dicentibus, Domine, ecce gladij
duo hic, Satis est, inquit. Et iuxta alium Eu
angelistam: Sinite vsque huc. Multum e- Matth. 27.
nim ad nostri tenorem propositi pertinet Luca 22.
scire vel dicere, quem sensum habeat, quod
tali in tempore, tanta in re, duos solummo
do gladios demõstrãtibus, satis est, inquit.
Denique hoc non idem est, ac si diceret. Hi
duo gladij sufficiunt nobis, vtamur illis: re
pugnant valdè quod vnũ ex illis eductum,
in vaginam recondi iussit, & finite vsque
huc, dixit. Profectò hæc duo dicta, Con
uerte gladium tuum in locum suum, & fini
te vsque huc, secundum intentionem dicen
tis æquipollentia esse sentimus, & proinde
nunc sufficere arbitramur, si causæ reddan
tur, cur vel quid respiciens, dignè dicere de
buerit, satis est, & quid intendens aut volẽs
dixerit, Sinite vsque huc. Quid ergo erat,
duos gladios ad defensionẽ sui demonstran
tibus dicere, satis est, nisi ac si diceret, anteq̃
ego venirem qui promissus fueram, gladio
opus erat ad defendendam gentẽ, de qua so
la me nasci oportebat, ne gente illa delata,
sicut Diabolus volebat, nõ fieret salus quæ
nũc ex Iudæis est, quia verbum promissio
nis impletũ est. Satis est, satis laborauerũt, &
gladijs vsi sunt materialibus, qui ante vos
extiterũt. Sinite iam, id est, cõuertite gladiũ
in vaginam, vsque huc, subauditur, gladius
huiusmodi necessarius erat, vt militaret re
gno dei, donec veniret. iã quia venit, iã quia
verbum dei intra vos est, gladij cõmutandi
sunt. Ex hoc iã ciuibus vel militib. regni dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

gladius sit verbum Dei, quia de huiusmodi gladio dicebam vobis nunc, qui nō habet, vendat tunicam suam & emat gladium, id est, exuat se impedimentis & facultatibus seculi. vt vacare possit ad verbum Dei discē dum siue docendum.

Quid dictum sit, Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

CAPVT XX.

Cant. 3. QVid multis morer? Egredimini dicit Spiritus sanctus, Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Videte hunc regem sapientiæ, regem fortem, & experimento discite, quàm vera sit sententia, quā suprà memorauimus de illo. Quomodo apud ipsum est sapientia & fortitudo. Conamur sapientiam prædicare in eo patiente & moriente, & deinde de fortitudine aliquid dicere, sed sermo deficit, res autem diligentiùs contemplanti animo magis ac magis supercrescit & effulgescit. Videte hunc regem coronatum, videte in manu eius sceptrum, videte vestem purpuream, videte salutantes, videte Romanos adorantes. Nolite hoc solum videre in corona eius, quòd spinea sit, Videte in spinis illis

Psalm. 81. illum, cuius præparatoriæ spinæ sunt, corona gloriæ & honoris, sicut Psalmista cecinit. Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum. Videte nō solùm calamum pro sceptro datum, sed videte rem veram, cuius illud est præsagium, scilicet summum cæli & terræ imperium, quia cum calamo illo propter calamum il-

Matth. vl. lum die ipsa data est illi omnis potestas in cælo & in terra. Videte non solùm purpuram illam manufactam irrisoriè circūpositam, sed in purpura illa meditamini purpuream Ecclesiā sanguine illius emundatam, sanguinem suum pro illo fusuram. Et in illis Romanæ potestatis militibus cum risu genua flectentibus, cum risu vel ioco adorantibus. Videte quid portēdatur, & illius tacentis cogitatus sonet in cordis vestri auribus, velut si dicat. Viuo ego, quia mihi incuruabitur Romani imperij genu, & confitebitur lingua Hebraica, lingua Græca, lingua Latina, me Regem esse Iudæorum, imò

Ioan. 18. & Regem regum, & Dominum dominantium, nec erit irritum, quamuis cum ironia, quamuis cum hostili irrisione scripseritis, Iesus Nazarenus rex Iudæorum, id est, Saluator sanctus, Rex omnium Deo confitentium. Talem videtes Regem Salomonem, scitote illum fuisse diem desponsationis illius, & diem lætitiæ cordis eius. Despōsationis quidem eius, qua sibi Ecclesiam per suū sanguinem desponsauit. Despōsationis multum differentis à desponsationibus carnis, siue huius seculi, quomodo illę à voluptate incipiunt, & in dolore desinunt. Ista autem desponsatio incipit à dolore, vt diceret, Matth. 27. Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me, & perficitur in æterna voluptate, & Ioan. 19. lætitia cordis eius, qua post dolorem inundantem dixit, Consummatum est.

Quid sanguineus sudor portenderit.

CAPVT XXI.

QVid porrò videbitis in agone eius, in sudore eius, qui eo prolixiùs orante, factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram? Quid in tanto miraculo videbitis? Non enim tantum miraculi, quòd de vulneribus eius sanguis effluxit, quia solutum est, naturale est, vulnerata carne sanguinem fluere. Hoc insolitum est, supra naturam est, integra carne, sana cute, sanguinem pro sudore de toto corpore in terram decurrere. Miraculum rei magis attentos facere vos debet, vt videatis, quidnam sit. Quid ergo est, nisi vehemens Iudaicæ perfidiæ accusatio, nisi terribilis damnatio populi parricidæ? Accessistis (inquit Apo- Hebr. 12. stolus) ad mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel. Quid fecisti? ait DOMINVS ad Cain. Vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, vagus & profugus eris super terram. Quod illi Cain pro illo Abel dixit, non diceret idem Deus Iudæis pro filio suo, videns eius sanguinem agonizantis, & in agonia prolixè orantis? sanguinem melius clamantem, melius loquentem, quàm Abel? sicut Apostolus dicit. Verè igitur tantum miraculum sudoris non ociosum fuit, quia contra infelices & impios homicidas Iudæos in præsagium iudicij terribilis & vindictæ horribilis in terram decucurrit.

Quare dictum sit, cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.

CAPVT XXII.

IN omnibus his suum sapientia, quæ apud ipsum est, manifestè gessit officium, latente, & non tamen ociosa, & se continente intus fortitudine, quæ similiter apud ipsum est, sicut prædictum fuerat in Abacuc. Cornua in manibus eius, ibi ab- Abacuc 3. scondita est fortitudo eius. Cornua quæ erant in manibus eius, brachia crucis intelligimus, quibus confixerant manus eius. Quomodo ibi erat abscondita fortitutdo eius? videlicet vbi nulla putabatur esse fortitudo eius. Denique hominis fortitudo maximè pollet in brachiis, & in manibus eius, at ille confixus in cruce pendebat manibus. Videbatur ergo, quòd nulla esset fortitudo eius, sed nonnulla erat, imò magna erat, iamque absconditè operabatur.

Iam

Iam Draconis eum deuorare se putantis,

Matth. 7. dentes inuisibiles inuisibiliter confringebā tur, & gutturis eius baratrum, quasi hamo ferreo strangulabatur. Operationis huiusce modi signa quædam visibilia statim claruerunt, & nos Deū auribus nostris audiuimus. Nam illo emittente spiritum, ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumētis, non quidem ante, sed post resurrectionē eius venerunt in ciuitatem sanctam, & apparuerunt multis. Verba deficiunt, cùm de fortitudine verbi loqui cupimus. De fortitudine verbi, quod erat & est illo spiritu siue anima, quā moriēs emisit Christus Iesus. Cur aūt verba deficiunt, nisi quia non sentimus, non sentire meremur, quàm validum, quomodo validum sit illud verbum? Imò & si aliqui Sanctorum, verbi illius in præcordijs suis sensere attactum, quibus verbis enarrare potuerunt? Hoc igitur nunc tā tùm dictum sit, quia tunc pro re verbum validum, verbum Deus intremuit in spiritu vel anima egrediente de corpore Iesu, & infernus intremuit veniente spiritu illo Iesu, veniente cum verbo sibi vnito anima Iesu, cuius videlicet verbi fortitudinem sustinere non potest, nisi qui eius habet amorē. Nam hinc est, quod Psalmista dicit. Sicut cęra fluxit à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Quare dictum sit, Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. CAPVT XXIII.

Gen. 49. FVlciat super hac re sermonem nostrū, sermonē inualidū, Propheticū Patriarchæ Iacob præconiū. Catulus Leonis Iuda, inqt, ad prędam fili mi ascēdisti, requiescēs accubuisti vt Leo, & quasi lœna. Quis susci tabit eū? Iuda, quod interpretatur cōfessio. Christus Iesus est confessionis nostræ princeps, ortus de tribu Iuda. Iste est catulus leonis, id est, filius Dei fortissimi. Agnus fuerat eatenus, & sicut ouis ad occisionem ductus, sed vbi consummatum est, quicquid secundū similitudinē Agni aut ouis eū pati oportebat, statim infremuit idem catulus leonis.

Luce 23. Nam ad prædam fili mi ascendisti, ad prædandum infernum inualuisti. Primùm expolium, quod iste deprædator mortis inferno abstulit, latro ille fuit, qui cū ad ipsas iam appropinquaret fauces inferni, vna bre ui confessione retentus ab illo audiuit. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso, quantam protinus ad prædam sic incipiē

Zach. 9. do ascendit. Quis præter illum potuisset educere de inferno tot electorum millia, iuxta illud Zachariæ Prophetæ. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua Desiderabilis prædo reddens vitæ, quos abstulit mor ti. reddens cælo, quos eripuit inferno. hoc non in incerto sciens futurū, Ego, inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Cū dicit omnia, subintelligimus Ioan. 12. electa, siue omnem potestatem in cælo & in terra. Nā propter passionem mortis, gloria & honore coronatus, propter patibulū crucis, iudex viuorum & mortuorum est constitutus, & omnia subiecta sunt sub pedibus eius. Et qui adhuc rebellant inimici eius, finè dubio sentient actu, quod iam potestate sunt sub pedibus eius. Vnde Apostolus, cū posuisset hoc psalmi testimonium, futurum ait, de quo loquimur. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.

Quid dictum sit, Requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Lęna: & quàm necessarium fuerit, vt mortuus nō careret sepultura. CAP. XXIIII.

Gen. 49. REquiescens (inquit) accubuisti vt Leo, & quasi lœna. Consummato negotio, mox (vt dicto consummatum est) spiritum emisisti, requieuisti à laboribus tuis, requieuisti cum præda, quam cepisti ex Inferis. Latronem quoque piè confessum habens tecum in delicijs paradisi. Ibi iam spiritu requiescente, caro quoq; in sepulchro requieuit. Num parua, aut paruipēdenda est pars requietionis, requies sepulchri, ista requies corporis sepulti? Non vtique parua, sed magna, multumque omni humano generi proficua. Oportebat namque per triduanam defuncti hominis sepulturam placari diuinitatis Trinitatem, eatenus humano generi offensam, & per sepulturam vnius iusti, corporum quoque resurrectionem nobis omnibus comparari. Causam istam ritè perpendenti, valdè placere debet consilium verbi domini, verbi quod taliter in Lege præcucurrit per os Moysi. Quando (inquit) peccauerit homo, quod morte plectendum est, Deut. 21. & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, nō permanebit cadauer ei? in ligno, sed eadem die sepelietur. quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno, & nequaquam cōtaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. Quænam est intentio Legis, imò Spiritus sancti, tale per Legem decretum decernentis? nisi vt dum ex Legis præcepto sepeliuntur omnes, quicunque fuissent in patibulo appensi, quantumcunque re, quantumuis morte digni, consequenter istū quoque, cuius sepultura mundo erat necessaria, non liceret insepultum relinqui. Alioquin cur de lapidatis, siue alia quacunq; vi propter scelera sua peręptis omninò taceret, & solis in patibulo appensis sepulturæ beneficia decerneret. simul considera, quā sapienter hanc ipsam, ne impij viderent, intentionem abscondit, dicendo: Quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid enim? Nunquid terra, quam hic intelligunt impij magis inſepulto, quàm ſepulto, & in ventrem ſuum recepto corpore aliquo poteſt contaminari? Ergò Ioſeph iuſto dictum exiſtima. Sepelies eum, quod & fecit, & nequaquam, contaminabis terram tuam, ſcilicet carnem Chriſti, carnem Deiferam, in poſſeſsionem reſurrectionis, & vitæ tibi datam. Non contaminabis (inquã) id eſt, non relinques inſepultam, ne contaminetur, aut indignè habeatur aliquo acceſſu indignatum eiuſmodi, qualibet in ſepultura corpora ſolét attrectari. Et illi quidé inſipiétes, & maligni neſcientes ſacramenta Dei, ſe peliri illum quod morientibus etiam Sanctis optabile erat, æquanimiter tulerunt, cõtenti feciſſe illum, quaſi maledictum, Lege dicente, Quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, ſed iuſtificatur ſapientia à filijs ſuis, quia benè conſulta Lex ſapientiæ ſatisfecit, quod non propter pœnam, ſed propter culpam quemadmodum ſub maledicto conſtituit. Non enim hæc ſolam pœnam in cauſam poſuit, culpã præmiſit. Præmiſſo namque quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, tunc demum ſubiunxit, & adiudicatus morti, appenſus fuerit in patibulo. Sed & illud non leuiter attendendum, quod taliter dixit, Quia maledictus à deo eſt, qui pendet in ligno, quamuis Apoſtolus Græcis ſcribens, & pro neceſsitate temporis tranſlationem ſeptuaginta Interpretum, quæ apud illos iamdudum accepta fuerat, ſequens dixerit, Maledictus omnis, qui pendet in ligno.

Galat. 3.

Quare dictum ſit, Maledictus à Deo, qui pendet in ligno.

CAPVT XXV.

SAtis liquet, quia tranſlationis vtriuſq; nõ nulla diſtantia eſt, ſed quanta ex tribus literæ diuerſitatibus conijci poteſt. Nam in Græco omnis additur, quod in Hebraico non habetur ecõtrà, in Hebraico habemus à Deo, & ſubſtantiuum verbum eſt, quæ in Græco non habentur. Itaque quid de maledicto ſenſerint impij, volentes in illo deſtruere laudem, quam ex ore infantium & lactantium audierant prædicatam verſiculo Pſalmi centeſimi decimi ſeptimi. Oſanna, benedictus qui venit in nomine domini. Nos quidem ſcimus, quia ſic ſenſerunt, quomodo ſentire voluerunt, quos excæcauit malitia eorum, ſed nihilominùs in laudem ſuſcipiamus quod dictum eſt, Quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, vt ſit ſenſus: Omnis quidé qui peccauit, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti, pendet in ligno, maledictus eſt, ſubaudiatur à peccato ſuo. Hic autẽ vnus iuſtus, qui adiudicatus quidem morti fuit, & in ligno pependit, ſed quod morte plectẽdum eſſet, non peccauit, imò nullum vnquam peccatum fecit, nõ à peccato ſuo maledictus, ſed à Deo ſatis eſt afflictus tanquã maledictus, id eſt, tanquam peccator, & non quidem verè peccator, ſed verè peccata portans omnium. Quia (inquit Eſaias) poſuit in eo iniquitates omnium noſtrũ. Ad ſummum hoc dixerim, non facilè in ſanctis Scripturis poſſe reperiri, quòd ſignanter quiſquam maledictus à Deo eſſe dicatur, præter hunc locũ, vbi ſic dictum eſt, maledictus à Deo, qui pẽdet in ligno. Quòd ſi illud objicit quis, quod ad Cain Deus idem dicat. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, ſiue ad ipſum Serpentem, Quia feciſti hoc, maledictus eris inter omnia animantia & beſtias terræ. Sciẽdum quia nuſquam additum eſt à me, cauteque diſcernendũ, quid aliud ſit maledicere, atque aliud maledictum demonſtrare. Solum namq; peccatum maledictio eſt, quod vtique à deo non eſt, igitur qui maledictus à Deo eſt, iuxta hunc ſenſum vnus eſt, in quem (vt iam dictum eſt) poſuit Deus omnium noſtrũ iniquitates, quæ veraciter ſunt maledictiones, commutatione facta, cõmutatione gratioſa, vt noſtras portans vel ſuſcipiens ſuper ſe maledictiones, ſuam benedictionẽ daret, quòd verè à Deo eſt.

Pſal. 117. Ioan. 12.

Deut. 21. Maledictus qui pendet in ligno.

Quid dictum ſit, mulier cùm parit, triſtitiam habet, & quòd Chriſtus in ſepulchro ſabbatizauerit.

CAPVT XXVI.

INterea deuoratus eſſe putabatur, Filius maſculus, & ſuper hoc triſtitiam habebat ſæpe dicta Mulier, quæ illum pepererat, & contriſtabatur penè incõſolabiliter in paucis illis, qui adhuc in carne viuebant, quiq; illius beatæ Mulieris pars magna, quamuis pauci numero, exiſtebant. Quapropter ipſe prædixerat illis triſtitiam ipſorum bono ſine conſummandam, ſecundum ſimilitudinem hanc: Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit horà eius. Cùm autem pepererit puerũ, iam nõ meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Nam ad quid hoc dixerit, confeſtim expoſuit, Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Deuoratus (inquam) eſſe putabatur, & illis triſtitiam habentibus, homicidæ illi membra vtique Draconis ſæpedicti gaudebant, & fortaſsis ſicut alibi de eiuſmodi ſcriptum eſt. Gaudentes munera mittebant inuicem, quoniam iſte Prophetarum maximus cruciauit eos, nam grauis erat illis etiam ad videndum. Nunc autem mortuus & ſepultus ſic iacebat, vt etiam lapide ſignato, lapide valde magno ſuper eũ poſito, puteus ſepulchri eius eſſet clauſus & obſtructus ne reſurgeret, ne vel illuc anima introire ad corpus, aut etiam ſi reuixiſſet, poſſet inde prorepere corpus, adhibitis etiam cuſtodibus propter Diſcipulos eius. At ille habitans in cælis, irridebat eos, & ſubſannabat eos, ſed interim ſabbatizabat, id eſt,

Ioan. 16.

id eſt, requieſcebat vt leo, & quaſi leæna, ſecurus de præda ſua, quia mortuos eripuerat, & mortem captiuam tenebat. Vt leo (inquit) & quaſi leæna, nimirum, quia deus & homo in vna eademque perſona, ſecundum diuinam naturam leo, de quo & alibi ſcriptum eſt: Leo rugiet, quis non timebit? Dominus deus locutus eſt, quis non prophetabit? Porrò ſecundum naturam humanam paulò antè ouis, dum duceretur ad immolandum, nunc autem ex quo dixit: Conſummatum eſt, iam leæna erat, leæna fera quæ catulos ſuos, id eſt, omnes electos, quos æternæ vitæ ſuo ſanguine pepererat, in cubili ſuo, componebat, in paradiſo ſuo lactabat anima fortis & libera, ſtatim poſt ſabbatum ad carnem ſuam reditura, eamque catulis ſuis reportatura, cuius de viſione nimirum catulis illis copioſior manare habebat, & nunc manat vitalis lactis alimonia. Pulchrũ erat interim, illud ſabbatum in illud reſpiciens, de quo in creatura mundi ſcriptum fuerat, & requieuit deus die ſeptimo ab omni opere ſuo quod patrarat. Qui tunc ſex diebus creaturam mundi perfecit, & ſeptimo requieuit, Ipſe eſt qui prima Sabbati, quam dominicam diem dicimus, ciuitatem ingreſſus, & ſexto die tandem mortuus ob regenerandam creaturam humanam, ſeptima die in ſepulchro ſecundum carnem requieſcebat, in paradiſo requieſcente anima.

Amos 3.

Gen. 2.

Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cithara, de Chriſti reſurrectione dictum eſſe.

CAPVT XXVII.

VEnit hora, de qua dixerat ipſe quodã loco Iudæis: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis. Venit (inquam) illa hora cum præconio verbi ex ore Patris ita perſonantis in Dauid. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara. Quod erat illud Pſalterium, vel quæ cithara? Vnum idemq; corpus in ſepulchro quieſcens erat pſalterium, erat cithara. Erat cithara quam diſtentis charitatis fidibus perſonantem, dulceſq; prædicationis ſonos modulantem Iudæi cõfregerant. At illa fractura citharæ illi cauſa fiebat augmenti, cauſa ſucceſſus optimi, vt ſurgeret pſalterium decachordum, id eſt, pſalterium dulciſonum, nunquam frangendum, ſemper confeſsionis in populis, & pſalmi in gentibus vocem daturum, cuius chordas manus nulla vlterius rumpere poſſet, cuius ligni compages deinceps nulla vis frãgere præualeret. Iuxta quod ait Apoſtolus: Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam nõ moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Hęc eſt gloria Dei Patris, quia videlicet in hoc opere ſuo, per magnam gloriatur abundantiam charitatis. Exurge igitur (inquit) ô gloria mea, exurge pſalterium & cithara. Hanc Patris vocem, hanc verbi intentionem nunquid nõ audiebat, nunquid nõ ſentiebat anima illa, ſic eidẽ verbo velut ſpõſa ſpõſo interminabili oſculo coniuncta, irremiſsibili complexu connexa? Planè audiebat, plenariè ſentiebat. Quippe quæ verbi eiuſdem omnia pluſquam matronali iure nouerat, omnia capiebat. Reſpondebat itaque cũ gaudio, Exurgam diluculo. Quid eiuſmodi reſponſione iucundius? Quid ita reſpondentis corde paratius? Nõ ergo cauſa nos lateat, cur principium eiuſdem pſalmi taliter in perſona eius intonuerat. Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum. O cor quàm delectabiliter paratum, quàm libenter arrectũ ad ſuſcipiendum diuinitatis imperium, dulce imperium dicentis, Exurge. Deniq; hoc eſt paratum habere cor, ita reſpondere, exurgam diluculo. Nunquid verò ad hoc ſolùm erat, vel fuerat paratum eius cor? Nimirum & ad obediẽdum, vt moreretur, fuerat paratum cor. Omninò fuerat paratum cor, corpus ſuum dare percutientibus, & genas ſuas vellentibus, faciem ſuam non auertere ab increpãtibus & conſpuentibus, & omnia ſuſtinere vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ego autem (inquit) non contradico, retrorſum non abij. Decebat itaq; eſſe paratum cor illud ad reſpondendum, exurgam diluculo, quod fuerat paratum ad obediendum Patri ſuo non parcenti ei propter nos. Non ergo (inquam) cauſa nos lateat, cur ita intonuerat pſalmi principium, paratum cor meum, & cur non contentus ſemel dixiſſe, dixerit & ſemel & iterum, Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum.

Ioan. 12.

Pſal. 107.

Vir obediens loquitur victorias, de Chriſto dictum eſſe.

CAPVT XXVIII.

IGitur vir iſte, nunquid eſt ille de quo Sapientia dicit: Vir obediens loquitur victorias? Denique & ſi ſunt vel fuerunt viri multi obedientiæ filij, iſte vnus vir, vnus & ſingularis, cui non fuit, nec eſt, nec erit alius ſimilis, aut obediẽs in re ſimili vel pari. Hic ſolus in eo vir obediens eſt, quòd nullum omninò habens peccatum, humiliauit ſeipſum per voluntatem patris propter peccata aliorum, & vſque ad mortem ſe humiliauit, mortem autem crucis. Proinde decet eũ iam obedientem virum loqui victorias, & ecce loquitur eas locutione inceſſabili, locutione ſempiterna. Cuiuſmodi eſt locutio illa, profectò valdè clara, valdè ſonora, quia ipſa eſt demonſtratio plagarum ſuarũ, quas in ipſa ſuſcepit obedientia. Quinque plagæ eius quaſi quinque linguæ ſunt: plagarum ſuarum cicatrices idcirco in corpore ſuo retinuit & reſeruauit, vt victorias ſuas ſemper loquatur illis quaſi linguis. Cui loquitur? Reuera primùm Deo Patri, deinde Angelis & hominibus, ſanctis omnibus, electis omnibus. Videt Pater Deus, & pulchris victoriarum teſtimonijs delectatur. Vident Angeli, & ad laudem & gloriã excitantur. Vident homines redempti, & gratiarum actiones irremiſsibiliter extenduntur.

Philip. 3.

Rom. 6.

Quinque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinquè vulnera Christi esse signacula iustitiæ.

CAPVT XXIX.

Gen. 22. DIcimus cum Apostolo, & dicentis Apostoli sensum intelligimus, quia Pater Abraham accepit, & posteris suis tradidit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ Fidei. Crediderat enim, vt fidelis Deo dicenti: In semine tuo benedicentur omnes gentes, cùm non haberet Filium, iamq; esset senex ipse, & vxor eius anus & sterilis. Magnæ rei testimonium, magnum illa circuncisio erat Fidei signaculum, & magnæ iustitiæ palmam ipsi, & posteris eius declamabat ante Deum, suæ promissionis commonefaciens eum, ne vnquam offensus, vndelibet subterfugeret dare semen, in quo benedicerétur omnes gentes, dum signaculum illius promissi commonitorium videret, fidelemque ac veracem ipsum esse diceret. Esa. 57. Ecce autē plura hic signacula, signacula iustitiæ ac Fidei, scilicet plagæ quinque, quas pro conditione salutis humanæ, iste vir obediēs suscepit, vir iustus & fidelis. Pro conditione (inquam) salutis humanæ, quia profectò talem conditionem propositam sibi Propheta non nesciebat ipse. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semē longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Nōne igitur nobis posteris eius iure palmam iustificationis & salutis siue saluationis iusta Diuinitas concedit, cùm videat non vnū tantum signaculū, aut signaculi iustitiæ vulnus, vt fuit vulnus circūcisionis, sed quinq; vulnera iusti, vapulantis quicquid quinque sensibus suis nostra caro deliquit. Nam signacula hæc iustitiæ vel Fidei nos in Baptismo suauiter susc epimus, quæ ipse pœnaliter susc epit, & sicut cum vnius signaculi, id est circuncisionis testimonio expectabatur, ad redimendos homines venturus, ita nunc à nobis cū quinque plagarum, id est, crucis frontibus nostris impressæ signaculo, expectatur, ad iudicandum viuos & mortuos rediturus.

DVODECIMI LIBRI FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE VICTORIA VERBI DEI, LIBER DECIMVSTERTIVS.

Quomodo raptus sit Filius mulieris ad Deū & thronum eius.

CAPVT I.

Draco quo modo illusus est. ICce quomodo illūsus est Draco iste, q per tot annos, per tot generatiōes stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, Filiū eius deuoraret Illusus est quia quem paritura erat, mulier peperit, & raptus est filius eius ad deum & ad thronū eius. Quomodo raptus est? Quis eū rapuit? Raptus est solutis doloribus Inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Rapuit eum Deus, suscitans eum Deus, dei verbum rapuit eum ad Patrem deum. Vnde rapuit? De clausтris Inferni, de sub grandi lapide sepulchri. Subtus lapidem misit Deus manum suam, intulit deus verbum suum, & rapuit corpus illud, corpus rediuiuum, tam facilè de clauso, quā facilè potuisset rapere de non clauso vel patente sepulchro. O stulti & cæci, qui dicebant se cognoscere Deum, & posuerunt lapidem contra Deum. Si enim cognouissent Dominum deum, nunquam vnum lapidem nutui dei resistere posse speraſſent. Et (aiebat ille) Pater meus, qui glorificat me, quē dicitis, quia Deus noster est, & non cognouistis eum. Sed redeamus ad rem. Ioan. 8.

Quid sit raptum esse ad Deum & ad thronum eius, & quid sit illud: Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum.

CAPVT II.

RAptus est (inquit) ad Dominum & ad thronum eius. Duo dicta sunt & dici debuerunt, quia ad Deum raptus est, & ad thronum eius raptus est. Nam & resurrexit, & in cælum ascendit, Resurgendo ad deum raptus est. Ascendendo in cælum ad thronū eius raptus est. Denique resurgendo factus est carne, vt erat Diuinitate immortalis, atque impassibilis, & cōfirmata est eidem carni habitans in ipsa plenitudo Diuinitatis tali firmamēto, vt meminit Apostolus, quia resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà nō dominabitur. Proinde iā non solùm secundum verbi Diuinitatem, verum etiam secundum semetipsam assumpta humanitas prædicatur Deus, sicut ex eodem quoque Apostolo comprobatur, ita scribente Laodicensibus, Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominē, sed per Iesum Christum. Quid enim, si non per hominem, sed per Iesum Christum? nōne consequitur, quòd Iesum Christum, quo tempore Rom. 6.

tempore vocauit eum vel fecit Apostolum, dicat cœpisse iam non esse hominem, sed esse Deum? Non tamen aiunt Patres orthodoxi hæc dicendo, hominis demit naturam, sed confitetur superabundantem humanæ naturæ diuinam gloriam. Nam ex quo resurrexit Iesus Christus, verè quidem est, vt erat homo natura, sed Deus est gloria. Porrò quòd astantibus Discipulis, assumptus ab eis ascēdit in cælū, & sedet à dextris Dei, quid est, nisi raptū esse Filiū ad thronū Dei?

Raptо illo ad Deum, & ad thronum eius, nondū penitus impletam esse promissionem, In semine tuo benedicentur omnes gentes. CAP. III.

IGitur iuxta fidelem atq; humilem confitentis & pœnitentis Dauid orationem, Iustificatus es Deus in omnibus sermonibus tuis, & vincis cùm iudicaris, quia sicut iurasti illi, veritatem fecisti, & non frustratus es eum, quoniam raptum est semen eius ad te, & ad thronum tuum. Porrò quod iurasti ad Abraham, nondum vsq; ad consummationem perfeceras, promissionis namque, imò repromissionis ad illum sermo hic erat. Per memetipsum iuraui, quia fecisti rē hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Equidem cuncta hæc præter vnum adimpleta erant. Iesu Christo semine Abrahæ susc epto in cælum ad Dei thronum, quia reuera in sanctis patriarchis ac prophetis multiplicatum fuerat semen Abrahæ, sicut stellæ cœli. Nā ipsi sunt stellæ, quas idem æternus sol Christus eleuatus in cælum secum tulit, & possidebat illud semen portas inimicorum suorum, scilicet malignorum spirituum, quem admodū dicit: Et fui mortuus, & ecce sum viuus, & habeo claues mortis & inferni. Veruntamen pars magna restabat, pars nobis optabilis & necessaria, quæ nobis gentibus tali enunciatione semel & iterum reposita est: Et benedicentur in semine tuo omnes gentes. Ad hanc partem perficiendam, Apostoli duodecim electi fuerant, atque reseruati, ipso dicente: Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt adimpleretur sermo (inquit Euangelista) quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Vbinā hoc dixerat? In ipsa cœna, paulò ante ipsam horam, qua cum comprehenderetur, relicto eo, Discipuli omnes fugerunt. Quos dedisti mihi (ait) custodiui, & nemo ex his periit, nisi filius perditionis: statimq; subiunxit: Vt Scriptura impleatur. Quod quamuis ita rectè possit intelligi, idcirco vel, ille vnus perijt, vt Scriptura impleatur, quæ non tacuit de perditione eius. Attamen secundum præsentem intentionē magis placet sic intelligi, ac si dxerit: Idcirco istos custodiui, neq; quispiam perijt ex eis, & sunt omnes incolumes, non solùm secundum animam, verùm etiam secundum corpus, vt sint per quos Scriptura impleatur, per quorum ministerium benedictio cunctis gentibus in semine Abrahæ promissa impendatur. Quibus ex sacramentis & vndè sumptis eiusdem benedictionis opus peragendum esset, & nunc vsque peragatur, iam superiùs dictum est. Nunc restat dicere, quàm inuito & reluctante Dracone sæpedicto, in hac quoque operis vel propositi sui parte vicerit verbi incarnati omnipotens Diuinitas, diuina omni potentia, Deos gentium in Spiritu sancto eijciens, qui omnes erant & sunt Dæmonia. Gen. 22. Ioan. 18. Apo. 1. Gen. 22. Ioan. 17.

Quomodo mulier in solitudinem fugerit.

CAPVT IIII.

ET mulier fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ipsi pascāt illam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium magnum in cælo, Michaël & omnes Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius, &c. Mulier postquam filius eius masculus raptus est ad Deum & ad thronum eius, fugit in solitudinem, id est, postquam Christus ascendit in cælū, mater eius, id est, pars illa gentis eius, ex qua ipse est secundum carnem, scilicet Apostolica, siue Apostolicę perfectionis Ecclesia, de Iudæis collecta cuncta, sicut apostolici testantur actus, reliquit seculi negotia, ita vt nihil suum quisquam esse diceret, sed erāt illis omnia communia. Hoc namq; est fugere in solitudinem, omnem præter victum & vestitum relinquere carnis curam vel seculi sollicitudinem. Qui eiusmodi erant & sunt, opus habebant vel habent pasci de communi eleemosyna diebus mille ducentis sexaginta, Euangelij causa, siue ipsius Domini exemplo, qui tot diebus Euangelium prædicans cum discipulis suis, vixit de Euangelio. Tali initio cœptum est prælium hoc, de quo dicit: Factum est prælium magnum in cœlo. Apostoli namque & quotquot erant Apostolicæ participes gratiæ, pleni gratia & fortitudine, pleni fide & spiritu sapientię, contra Draconē quasi in cælo superbientē, magnum sumpsere prælium, euntes in mundum vniuersum, & omni creaturę prędicantes Euangelium. Hoc nimirū erat, fieri præliū in cęlo. i. in illis, qui ad hoc prędordinati vel prędestinati fuerant, vt cęlū vel sedes fierent Deo Creatori suo. Nā cùm in illis vel super illos regnaret draco diabolus, diuinos ab illis honores exigens tanquā Deus, cū ab illis in templis vel simulachris coleretur, stultē putabat se esse in cælo, similéq; esse altissimo. Et hoc agebatur, vt ipse depulsus ab aris, protractus ex delubris, primumq; de hominū mentib. errore deceptis locum daret Deo, sicut olim factum est, quando propter superbiā de superiori

Universidad de Deusto
Biblioteca

periori atque inuisibili proiectus est cælo.

Quomodo Michael & Angeli eius pugnauerunt contra Draconem. CAP. V.

CVIusmodi prælium illud fuit, quales, vel quomodo acies contra inuicem steterunt, qualibus armis dimicauerunt, attendamus grande magni huius prælij miraculum: Michael (inquit) & Angeli eius prælia- *Apo. 12.*
bantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius. Quibus armis instructi prælia bantur isti? pugnabant illi? Nimirum isti, scilicet, Michael & Angeli eius, armis virtutum cęlestium: illi autem legibus regum, decretis imperatorum, furore Gentilium, sæuis manibus carnificum. Talibus instrumẽtis Draco pugnabat & Angeli eius. Isti autẽ, Michael & angeli eius, vt sunt administratorij spiritus, administrabant Euangelij prędicatoribus omnimodam operationem virtutum, vt in nomine Christi Dæmonia eijcerent, serpentes tollerent, super ægros manus imponerent & benè haberent, mortuos quoq; suscitarent, cætera quoq; signa facerent, quæcunq; necessaria vel idonea viderentur ad sermonis confirmationem. His itaq; præliantibus Draco pugnans & angeli eius, non valuerunt, neq; locus inuentus est eorum amplius in cælo. Nullum quippe ex eis retinere potuerunt, qui ad vitam præordinati fuerant. Quamuis corpora illorum occiderent, persuasi ab illis Reges & pontifices, reges imperij, põtifices mortuorũ mortui, quamuis pro Dæmonijs, ne dicam suis dijs æmulantes, pœnis innumerabilibus corpora disperderent, animas Christi lædere non potuerunt, Draconem ve & Angelos eius iuuare, quin de isto quoq; cęlo victi ruerent, id est, cultum quasi diuinæ religionis amitterent. Inde est vox illa, vox laudis magna, quam audiuimus in cælo, id est, in Ecclesia. Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ *Apoc. 12.*
Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorũ, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerũt illũ propter sanguinẽ agni, & propter verbũ testimonij sui, & nõ dilexerunt animas suas vsq; ad mortẽ.

Quomodo Draco proiectus in terram, miserit aquam de ore suo. CAP. VI.

ET postquam vidit Draco, quod proiectus est in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. Ac deinceps: Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Quando, vel quomodo vidit Draco proiectum se esse in terram? Nimirũ quando Romani Imperatores, relicto veteris idololatriæ cultu profano, regno Dei nostri & potestati Christi eius se subdiderũt, *Apoc. 12.*
cæteriq; Reges terrarum & principes cum subditis sibi populis Christiani effecti sunt, tunc vidit Draco, tunc sensit Diabolus, proiectum se esse in terram, id est, non habere se vires ad defendendam sibi vanam affectatæ diuinitatis gloriam. Mutauit ergo persecutionis modum, & aliter persequi cœpit, quàm eatenus persecutus fuerat mulierem quæ peperit filium masculum, id est, Ecclesiam, quæ iuxta promissiones sæpedictas de carne sua protulit & hominem Christum, quamuis enim quodam respectu altera sit Ecclesia gentis vnius Israëliticæ ante Christi aduentum, & altera de gentib. post Christi aduentum, vna tamen & vnica est secundum fidem eandem Ecclesia præcedentium atq; subsequentium Iudæorum atq; gentiũ. Quomodo persecutus est eam? Misit aquã de ore suo tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Hoc idem est, ac si manifestiùs dicat, quia dogmata adinuenit Hæretica, per quorum tergiuersationes corrũpere tur fides Ecclesiastica. Ita esse, vt dicitur, nõ dubitat, quisquis ecclesiasticas aut nouit aut legit historias. Arrij hęresiarcha notissimus quid nisi os Serpentis extitit, quo tempore ad fidem Christi confugerat filius Helenæ Constantinus. Per illud os suum misit Serpens Aquam tanquam flumen, id est, pessimæ hæreseos dogma, tanquam sermonẽ viuum & efficacem, & de viuo Scripturarum fonte profluentẽ. Non ille primus aut solus tali modo serpentis, sed omniũ per quos Serpens ille abundantiã iniquitatis suæ profudit, teterrimus atq; nocentissimus extitit. *Apoc. 12.*

Quomodo aqua eiusmodi primùm occultè irrepens, deinde per incrementa vires capiens, per quatuor partes orbis sese extenderit.

CAP. VII.

HOc malum huius tã peruersi dogmatis monstrum, primo occultè irrepsit, deinde per incrementa vires capiens, per quatuor partes orbis, orientem, occidentẽ, septentrionem, atque meridiem sese extendit, Asiam, Europam, atque Aphricam penè repleuit, & contra Fidem Catholicã gladijs quoque Regum & Imperatorum sese armauit, multumq; sanguinem piorum beſtialiter effudit. Hoc Scriptura innuere videtur, dum in ista causa Diaboli patrem mẽdacij primò serpentem, deinde vt eatenus fecerat, appellat Draconem. Sic enim ait: Et misit Serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, & deinde aperuit (inquit) terra os suum, & absorbuit flumẽ, & iratus est Draco in mulierem. Primò namque Hæretica perfidia, vt hæc Arriana, dogmatizans minorem Patre Filium, minorem esse filio Spiritum sanctum, clanculò apud Alexandriam suborta, per Discipulos vel complices Arrij, lubricis flexibus & Sophisticis anfractibus sese commouit, deinde in publico ad auditum populi prolato capite sibilauit, & resistente nequitiæ illius Alexandro Præsule, ad vicinas ciuitates, ciuitatumque Præsules aquam doctrinæ nequam de ore suo profudit. Non verè flumẽ, sed *Apoc. 12.* *Arriana hæresis.*

sed tanquam flumen, id est, eloquentiã quidem siue loquacitatem copiosè redundantem habens, sed fontem veritatis nesciens, Scripturarum vocibus abutendo. Ac per hoc simplicibus, fluminis, id est, sanæ doctrinæ quandam similitudinem demonstrando. Tandem (vt iam dictum est) mendacij pater Diabolus regum atque reginarum, imperatorum atq; imperatricum fauorem adeptus, insanire cœpit linguis, inde principum roboratus gladijs, atque ita suam aquã quam velut Serpens de ore suo misit tanquã Draco, id est, maior factus fortius commouit, vt mulierem faceret trahi à flumine, id est, vt Ecclesiam cõpelleret sibi consentire.

Quomodo adiuuit terra mulierem, & absorbuerit flumen. CAP. VIII.

Concilium Nicenũ fidem roborauit.

SEd adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, qd̃ misit Draco de ore suo. Hoc (vt dicitur) ita factum est. Tunc enim illud famosissimum in Nicea Concilium feruor principis Constantini excitauit, publicis afinis atq; mulis & currentibus equis Episcopos & qui cum eis erant, ad Synodum venire præcipiens. Consilium illud, quod Catholicam roborauit fidem, rectè terram intelligas, quę adiuuit mulierem, quia videlicet de omni terra conuenerunt, & quodammodo omnis terra suum mutauit locum, mittendo de cũctis partibus suis personas idoneas in locũ constitutum. De cunctis Ecclesijs qua totã Europam, Lybeamq; repleuerant, & Asiã, simul erant ministrorum Dei congesta cacumina, vnaq; orationis domus tanquam à Deo delata intrinsecus ferebat omnes in idem, Syrios simul & Cilicos, Phœnices & Arabes atque Palęstinos, Aegyptios & Thebeos, Lybees, necnon & qui ex Mesopotamia oriuntur, Persa quoque venit, nec Scythia defuit, Pontus & Asia, Phrysia & Pamphilia viros probatissimos præbuerũt. Aderant Thraces & Macedones, & vt breuiter dicam, ex omni natione quæ sub cælo est, collecti aderant viri religiosi, Episcoporum multitudo erat trecenti decem & octo, sequentibus eos presbyteris & diaconibus, & acolytis, quorum numerus non poterat comprehendi. Quid ergo nisi terra (vt iam dictum est) os suum aperuit, & flumen Draconis absorbuit, quando tot viri de omni terra conuocati, sapientia, sermone, alijsque virtutibus ornati, ore consono in defensione veritatis aperto, impium dogma destruxerunt, concorditerq; vniuersi fidem & gloriam, quę hactenus in Ecclesia permanet, dictauerunt, & subscriptionib. roborauerũt.

Septimum caput Draconis plagã gladij occisum in mortem. CAPVT IX.

IGitur de sex capitibus draconis illud cõstat, quia iamdudum in cũctis illis victus est, & Deus iustus in sermonibus suis, victorque in iudicijs palmam veritatis obtinuit, quia sicut promisit, sicut iurauit, semẽ Dauid in æternum manet: sicut promisit, sicut iurauit, in semine Abrahæ benedicentur omnes gentes: & ille neque per Paganos *Pagam,*
neque per Hæreticos siue Iudæos benedi- *qui sunt ex*
ctionem omnium gentium prohibere po- *tra ciuitatẽ*
tuit aut potest. Sed quis Diaboli pertinaciã, *Dei, id est,*
quis ardentis eius inuidiæ sufficiat mirari *Ecclesiam*
vesaniam? Et iratus est (inquit Scriptura) Draco in mulierem, & adiecit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu. Et stetit super arenam maris, ait idem qui superiora viderat, Et vidi de mari bestiam a- *Apoc. 12.*
scendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ. Et bestia quam vidi similis erat Pardo, & pedes eius sicut Vrsi, & os eius sicut os Leonis. Et dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam. Et vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius sanata est. Bestia hęc septem capitum, ipse Draco est, cuius de sex capitibus contra verbum Dei bellando superatis, hactenus sermo habitus est, septimum caput hic mira locutionis grauitate designatur, cũ dicitur: Et vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius sanata est, & admirata est vniuersa terra post bestiam.

Quomodo plaga mortis eius sanata sit.

CAPVT X.

CAput istud sinè dubio Antichristus erit, in quo excandescet illa Draconis ira nouissima, de qua dictũ est: Et iratus est *Antichristus quid.*
Draco in mulierem, & adiecit facere prælium cum reliquis de semine eius. Quid porrò est, quòd caput istud quasi occisum in morte dicitur: & sanata est plaga mortis eius? Itemque postmodum Scriptura dicit, quia habet plagam gladij & vixit. Vbi nam accepit plagam gladij, & quomodo sanata est plaga eius, aut vixit? Nimirum cum alia possint conuenienter dici, deficientibus tamen certis sacrę Scripturę testimonijs, magis iste sensus placet, quia dudum in cælo dãnationis æternæ sententiam accepit. Et hæc est in capite isto plaga gladij & mortis. Ille namque homo peccati, filius perditionis, non simpliciter homo, verumetiam Diabolus erit, & aduentus eius operatio Satanæ, operatio erit erroris. Diabolus, inquam, siue Satanas, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Quando iste propter superbiam de cælo cecidit, procul dubio plagam gladij, plagã mortis accepit, Sicut apud *Apoc. 12.* *Apo. 13.*
Ezechielem dicitur in eum sub nomine Af- *Ezech. 31.*
sur siue Pharaonis. Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam, in medio incircuncisorum dormies, cũ his, qui interfecti

Universidad de Deusto
Biblioteca

terfecti sunt gladio. Quomodo autem sana ta est plaga mortis eius? Quomodo & plagã habet tanti gladij & vixit. Falsò nimirum sanata est plaga eius, & falsò vixit. Plagæ eius curatio, culpę est defensio, & in plaga gladij viuere, hoc illi in ipsa pœna superbire. Hoc quippe in isto dicto est admiratio & presumptoris execratio, quod cum percussus sit & factus Diabolus, extollitur & ostendit se tanquam sit Deus. Cũ enim Diabolus vult se ostendere Deum, quid nisi mortuus contendit se esse viuum? Exemplum miraculi huius sumere licet de quolibet imitatore eius. Cùm enim quis pro culpa sua iusto iudicio de Ecclesia pellitur, & tunc in superbiã elatus & defendens opera sua, iudices quoque criminatur, quòd illi iniusti, ipse autem sit iustus. Nimirum plaga eius infeliciter sanata est, & mendaciter viuit, quia Dei iudicio iniustus, suo autem iustus est.

Caput illud esse Antichristum, cui Draco dederit vires suas, & potestatem magnam.

CAPVT XI.

VErba non sufficiunt ad rem consequẽdam, maximè vbi audimus, quia dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam. Quid enim hoc sibi vult? Quo tẽdit etiam in isto Diabolus? Num per hoc altissimo similem se fore arbitratur? Altissimus namque antiquus dierum, vbi (sicut a- Danie. 7.
pud Danielem legimus) thronis positis sedit, & ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad ipsum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum. Num peruersus imitator dando illi bestię siue homini peccati virtutem suam & potestatem magnam, dicit adhuc, similis ero altissimo, id est, sicut fecit Deus, quod suum erat in Christo, faciam & ego, quod meum est in Antichristo. Ecce quis animaduertens non admiretur, qualem vsque in finem siue consummationem de genere humano processerit, hinc bonum propositum Dei, inde malum oppositum aduersantis Diaboli. De vna eademque massa vnus exurrexit, qui Deus & homo est, & alius, qui Diabolus & homo erit, venturus est. In isto bonitas prædicatur Dei, in illo peruersitas agnoscitur Diaboli. Isto namque nihil melius, illo nihil deterius. Iste enim Deus super omnia benedictus, ille Diabolus infrà omnia maledictus. In isto sibi Deus complacuit, & in æternum complacebit: in illo sibi Diabolus cõplacens, postquam eleuatus fuerit in sublime, stultus apparebit. Iste de cælo descendit & de humilibus ascendit sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti, Ille de cælo cecidit, & de cunctis superbiæ filijs ascendet tanquam bestia de mari.

Quid sit illud Apostoli, Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur suo tempore. Et de sacramento mulieris bestiæ insidentis.

CAPVT XII.

NOn sua voluntate moratur Diabolus aut venire tardat Antichristus, sed contra suum velle detinetur, cum sit in omne malum pronus ac festinus. Et nunc quid detineat scitis, ait Apostolus: Quid est illud? 2. The. 2.
Videlicet quia nondum venit tempus eius? Quia tempora non in istius, siue cuiuslibet alterius, sed in sua solius potestate posuit Deus. Hoc oportet subintelligere. Sequitur enim, Vt reueleturin suo tẽpore. Quod idem est, ac si dicat: quia superna potestas impatientem moræ, iamque volentem reuelari detinet, vt non reueletur nisi in suo tempore. Nã vt scias, quàm inuitus detineatur, quàm properè vellet reuelari. Iam (inquit) mysterium operatur iniquitatis, subauditur quantum potest, videlicet maximè per fæuitiam Neronis, qui quamuis fuerit malignus, minùs tamen in illo Diabolus potuit quàm in isto poterit, in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. & quantum differtur vel quod signum temporis eius? Tantum, ait, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Cùm Apostolus hęc scriberet Thessalonicensibus, quis tenebat, & quid tenebat? Nimirum Romanus Rex siue Cæsar orbis imperium tenebat, non dicit de vnius Antichri-
persona hominis, Verbi gratia, Neronis, sed sti non vde cunctis regib. Romani imperij, qui quãna persona
uis plures numero, vnus tamen sunt imperio. Hic sensus non solum ratione, verũ etiam constat auctoritate. Nam post aliqua ijdem Ioanni angelus dicit: Quare miraris? Apo. 17.
Ego dicam tibi sacramentum mulieris & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem. Septem capita, septẽ montes sunt, super quos mulier sedit, & reges septem sunt. Quinq; ceciderunt, & vnus est, & alius nondum venit, & cùm venerit, oportet eum breue tempus manere. Bestia namque septem capitum, & hic vbi mulier, id est, cupiditas sedet super bestiam, & illic vbi bestia de mari ascendebat, vniuersitas est impiorum. Sicut iam superiùs siue hactenus in Dracone septem capitum longo tractatu est demonstratum: septẽ capita septem regna, per quæ hæc bestia siue Draco vim suam exigit contra promissionis verbum. Cùm igitur dicit septem capita, & septem Reges sunt, quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit. Septem reges, cunctos, eorundem regnorum reges intelligi oportet, siue pro ipsis septem regnis scriptũ esse, septẽ sunt reges, quorũ quinque ceciderunt, ait, scilicet Aegyptius, Israeliticus, Babylonicus, Persicus, Macedonicus. Et vnus est, qui & sextus, videlicet Romanus, & alius nondum venit, ipse erit Antichristus.

Quare Apostolus tam obscurè dixerit: Tantum qui tenet, teneat, donec è medio fiat.

CAP.

CAPVT XIII.

ITaque & sapientibus satis dictum, tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & insipientibus data occasio non est, quam nanciscí potuissent, si ita manifestiùs dixisset, Roma quæ nunc tenet, siue Romanum imperium, quod nunc tenet, sub se Gentes teneat, donec de medio fiat, siue donec discessio fiat. Superbia namque hominum Romam volebat esse vrbem æternam, & æternum Romanorum imperium, ac proinde nusquam ferè religiosus quis impatientius audiret blasphemiam in DEVM, quàm Romani Principes siue milites finem Romani imperij per Christi prædicari Euangelium. Satis nimiumque offenderunt eos Euangelij prædicatores, etiam nemini dantes vllam offensionem, quantò magis si iam publicè discessionem illam futuram prædicarent? Hæc pro difficultate Apostolicæ locutionis breuiter dicta sint: porrò quamdiu qui tenet, nunc tenere debeat, vel quàm multos post annos de medio fieri, vel discessio venire debeat, maximè propter eandẽ cautelam scribere non debuit, fortasis nec ipsi reuelatum fuit, quãdo vel hoc fieri, vel quot post annos ille iniquus debeat reuelari, sicut nec Danieli, cui dicenti ad virum, qui indutus erat lineis: Vsquequo finis horum mirabi- Dani. 12.
lium? Itemque: Domine mi, quid erit post hæc? non fuit responsum quod quærebat, sed hoc audiuit: Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones vsque ad tempus præfinitum. Ad discipulos quoque de tem-
poribus quærentes, loquitur saluator ipse: Matth. 24
Non est vestrum nosse tempora vel momẽta, quę Pater posuit in sua potestate.

Quantam iram Draco excitaturus sit per Antichristum, & quòd Dominus Iesus interfecturus sit ipsum spiritu oris sui.

CAPVT XIIII.

IRam Draconis, quam exercebit per illũ hominem peccati, per illum filium perditionis, iratus in mulierem sæpedictam, & adijciens bellum facere cum reliquis de se-
Matth. 24
mine eius, frustra laborat quis sufficientib. declamare verbis. Maior enim res erit sermone, imò & cogitatu hominis, præsertim cũ ipse Dñs ore proprio prædixerit. Erit em̃, inquiens, tunc tribulatio magna, qualis nõ fuit ab initio mundi vsq; modò, neq; fiet, & si breuitati fuissent dies illi, non fuisset salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. Proinde quoniam sermo
Victoria Verbi Dei.
quoque prolixior habitus iam ad finem tendit, & solicitudo deesse non debet loquenti aut scribenti, ne fortè nimietatem fastidiũ generet legenti, siue audiẽti, veniẽdũ est ad id, in quo est cõsummatio denarrati certaminis, consummatio victoriæ Verbi DEI. Quid est illud? profectò destructio illius iniqui, & iudiciaria sedes siue sessio Filij hominis Iesu Christi, quemadmodum ipse post prænunciationem illius magnæ tribulationis breuiter innuit: Et tunc, inquiens, videbunt Filium hominis venientem in nubi- Ibidem.
bus cum potestate magna & maiestate, cum virtute multa & gloria. Qualis ergo erit destructio illius iniqui? Dominus Iesus, inquit Apostolus, interficiet eum spiritu oris sui, quoque modo per Prophetam fuerat prædictum: Et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et quidem multos interfeciſſe legitur Dominus, sed de nulla persona nunc occurrit memoriæ sic esse dictum, quòd interfecerit spiritu oris sui, sinè spiritu labiorum suorum, prẽter illum impium, 2. The. 2.
iniquum. Num ergo propter singularem Esa. 11.
illius magnitudinem, nimiamque fortitudinem Spiritus sanctus, qui est spiritus Domini Iesu, mittendus erit contra eum, necaliter ille iniquus poterit interfici, nisi per semetipsum irruat super eum spiritus Domini. At iste spiritus Sanctus, spiritus Domini Iesu, non ad mortificandum solet eniti, nõ nisi ad viuificandũ consueuit immitti. Nec enim in ipso mors est, cùm ipse potiùs vita sit. Aliter igitur intelligendum est hic de spiritu oris, siue labiorum Domini Iesu, & hoc fiet commodiùs, si illud quoque Propheticum in præsens adducatur vox dicentis: Clama & dixi, quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, & flos cecidit, quia Esa. 40.
Spiritus Dei insufflauit in eo. Omnis homo viuens: & quid, rogo, tibi est facilius quàm sufflare: quid infirmius, rogo, coram te, quã illud quod sufflando potes deijcere? Igitur per tuimet exemplum animaduertere prõptum est, quàm verè fortis sit Dominus Iesus, cuius nomen Verbum Dei, Verbũ Deus, & quàm verè vniuersa vanitas erit etiam ille homo viuens, totius generis humani Tyrannus maximus, Tyrannus Diabolicus, quia quàm facile tibi est sufflando dissipare filium telarum araneæ, tam facile, imò facilius erit & illum iniquũ interficere, multis coniecturis, quæ hinc solent fieri. Per hunc sensum arbitror quempiam posse liberari.

Interfecto Antichristo, consummatam esse victoriam Verbi Dei.

CAPVT XVI.

INterfecto Antichristo, paucis, id est, quadraginta quinque diebus (vt ex Da- Destructio
nielis visione, conijcitur) interiectis, veniet mortis.
in maiestate sua Dominus, & nouissima o- 1. Thes. 4.
mnium inimica destruetur mors. Quomodo destruetur? Ipse Dominus (ait Apost) in iussu & in voce Archãgeli, & in tuba Dei descẽdet de cęlo, & mortui q in Christo sũt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, q relinquimur, simul rapiemur cũ illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Domino erimus. Illa destructio mortis, consummatio erit victoriæ verbi Dei, consummatio propositi Dei, cum hoc dicto verbi Dei triumphantis: Venite benedicti
Matth. 25 Patris mei, possidete paratum vobis regnũ à constitutione mundi. Quod dicit à cõstitutione mundi, hoc est, ab eo tempore vel die, quo constituebatur mundus in creatione generis humani, quando creatis duobus primis: Crescite, ait, & multiplicabimini, & replete terram. Cùm enim duo tantũ essent, dicendo illis, crescite & multiplicabimini, il
Gen. 1. lam attendebat multiplicitatem, quæ stabit à dextris, & tunc parabat illis regnum præfinitum habens numerum quantus deberet percipere regnum Dei. Nam qui super numerum illum multiplicati sunt, quique stabant à sinistris, non pertinent ad benedictionem creatoris, neque fuissent nati, nisi interc essisset causa peccati, quo peracto, multipli
Gen. 3. cabo, inquit ad mulierem, ærumnas tuas, & conceptus tuos. Erit igitur oportuna cõmoratio constitutionis mundi, & benedictionis, qua omnes suos electos benedixit, dicendo: Crescite & multiplicabimini, magnaque & ineffabilis erit materia laudis, & Angelis, & hominibus sanctis in eodem dicto triumphatoris: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à cõstitutione mũdi. Tunc verè in Domino laudabitur omnis anima, & tunc audientes mansueti, lætabuntur, & lætantes admirabuntur, quòd illa benedictio prima inter tot maledictionũ spinas, de quibus vel contra quas præsenti opusculo tractauimus, perire aut exiaviri non potuit, videntes nullũ deesse ex omnibus electis Dei per curam atque prouidentiam eius, qui illos præsciuit, atque prædestinauit, vocauit atque iustificauit, & magnificauit per gratiam eiusdem Filij sui, per incarnationem, passionem, & resurrectionem eiusdem verbi sui, cuius imagines conformes prædestinati sunt fieri.

Quid sit, quòd ad beatum Iob dictum est: Ecce spes eius frustrabitur eum.

CAPVT XVI.

Iob 40. Behemoth. TVnc verum apparebit dictum illud ad beatum Iob de Dracone illo toties nominato: Ecce spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur, simulque omnes impij præcipitabuntur cum eo, dicente triumphatore & iudice his qui erũt à sinistris eius: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Quomodo illos præcipitabit? Nimirũ
Matth. 25 quod de vno homine peccati filio perditionis Antichristo Apostolus dixit: Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui, hoc &
2. Thes. 2. de Diabolo & Angelis eius, & de cunctis impijs hominibus, & si verbis vel syllabis eiusdem non dixit, vult nihilominus & oportet intelligi, quia præcipitabit eos spiritu oris sui, id est, tam facile, vt tu sufflando exiguum quid puluveris, aut fumi in auram dispergis. Nam sicut iam suprà dictum est, pro facilitate omnipotentis, qui non laborat agendo quid, & Apostolus dixit, quòd Esa. 40. illum iniquum Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & Propheta dixerat, spiritu labiorum suorũ interficiet impium. Quòd si authoritas quęritur de cunctorum impiorum damnatione, quòd præcipitandi sint eadem facilitate. Ecce & alius Propheta dixit, quòd iam suprà commemoratum est: Omnis caro fœnũ, exiccatum est fœnum, & cecidit flos, qui spiritus Dei sufflauit in Iob 4. eo. Et in Iob scriptum est: Quin potiùs vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo perisse, & spiritu iræ eius esse consumptos.

Quid sit spiritu oris Domini aliquid fieri.

CAPVT XVII.

EAdem quidem facilitate omnia bona quoque fecit, & facit omnipotens verbum, & ipsam faciet resurrectionem mortuorum, sed in huiusmodi dictionem flandi, vel exufflandi sanctus Scripturæ spiritus proferre non consueuit. Contra superbiam solet taliter edicere, vt illic: Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare. Quòd si quis obijciat, & illud scriptum esse: Flauit spiritus eius, & fluent aquæ. Citò respõdetur, nõ esse hoc dictum de spiritu iræ, sed de spiritu gratiæ. Et quamuis facile sit Deo peccatoris cor compungere, non tam propter facilitatem eiusmodi dictum esse: Flauit spiritus Exod. 15. eius, quàm propter insinuandam diuini ignis dulcedinem, quòd cum frigidum cor Psal. 147. aspirando tetigerit, ita temperat & emollit, sicut glaciem calidus auster soluit. Præmiserat enim: ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Statimque subiunxit: Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flauit spiritus eius, & fluent aquæ.

Quàm facilè omnia possit Verbum Dei, exemplis probat.

CAPVT XVIII.

QVid tanquam de facilitate quisquam dubitet, plura loquimur? Iudicandus sufficientia dedit argumenta, quàm facilè Verbo Dei omnia facilia. facturus sit quæ dicta sunt, veniens Iudex in maiestate sua. Primùm de facilitate resurrectionis mortuorum, hoc argumentum est: Lazarus in sepulchro quatriduanus erat, & vnam tantum vocem emisit: Lazare (inquit) veni foras, & statim prodijt Ioan. 11. qui fuerat mortuus. Quando vel quali habitu prodijt? Ligatus pedes & manus instítis, & facies eius sudario ligata erat. Oportunè Euangelista hoc præscripsit, & ad hanc intẽtionem nostrã nõnihil facit, quia videlicet cõsequitur in illius vocantis voce vim facillimam extitisse, quæ illũ pariter & viuificauit, & de monumento expulit, quia cùm esset ligatus pedes & manus institis, neque pedibus neque manibus prorepere potuit.

Quòd

Quòd si de remissione quoq; peccatorum, quæ prima resurrectio est, quæritur experimentum, quam facilis factu sit idem verbo, Filio Dei, Filio hominis Iesu Christo tam in præsenti, quã in futuro seculo. Ecce apparet in sorore eiusdem Lazari Maria Magdalene, quã itidem adhuc mortalis, adhuc iudicandus mortuam in anima, iamque fœtentem infamia, de sepulchro malæ conscie tiæ produxit: nullam saltem vocem mittens, quali Lazarum de monumento vocauit, imò & corpore absens illi. Nisi enim de sepulchro quæ fuerat mortua prodijsset, ante præsentiam eius illo miro modo non venisset. Et de illa vbi dixit ei: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Continuò dixit Eu-
Luc. 7. angelista, quòd Dæmonia septem exissent de ea. Quomodo ergo pro facilitate operandæ salutis, & agendi iudicij mentionem fecimus, cum suffragio sanctæ Scripturæ de verbo exufflationis, nõne & hoc rectè dixerim, quia septem illa Dæmonia exufflando, id est, quàm facillimè de illa, eiecit, cùm adhuc esset iudicandus homo passibilis & mortalis. Propter eandem facilitatem delendi peccata totius Ecclesiæ, cuius illa typum gesit arbitrari licet, quia resurgens ex mortuis, & stans in medio Discipulorum insufflauit, dicens continuò: Accipite Spiri-
Ioan. 20. tum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittũtur eis. Neque enim non sinè insufflatione Spiritum sanctum dare poterat, sed opus erat omnipotentiæ suæ, verbum Deus studiosè illo quoq; modo significabat, semper & vbique intendens adimplere, & verũ comprobare quicquid in Scripturis sanctis de ipso prædictum fuerat. Nõne & hoc in persona eius apud Esaiam prædictum fuerat? Seruus meus es tu Israel, ne obliuiscaris mei, deleui vt nubes iniquitates tuas, & qua si nebulã peccata tua. Quomodo enim nubes aut nebula deletur, nisi facillimè trãscurrente serenioris auræ flatu? Nõnne igitur Esa. 44. ociosè insufflauit dando Spiritum sanctum Discipulis in potestatem remittendi peccata, nec inaniter Discipuli vel ministri eius baptizando insufflant, sicut habet consuetudo Ecclesiastica, sed operiosum præbent illi ministerium, quatenus per hunc illorum actum quod prædixit, nunc quoque vnicuique renascenti dicat: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & nebulam peccata tua.

Quanta facilitate sinistros cum Diabolo & Angelis eius præcipitaturus sit.

CAPVT XIX.

PORrò, de præcipitatione qua sinistros, id est, impios præcipitabit, cum Diabolo & Angelis eius, de quo (vt iam dictũ est) Iob 40. ait Dominus ad beatum Iob: Et videntib. cunctis præcipitabitur, quod factu tam facilis ei sit, vt significat verbum insufflationis. Item, illud pro vero argumento est, quòd adhuc passibilis & mortalis, continuoque passurus & moriturus, cohortem præsidis armatam, Pontificumque & Phariseorum ministros solo intuitu deiecit. Vt enim dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Sed fortè dicat quis, quia pauci erant. In resurrectione autem mortuorum, quando iudicabit seculum, infinitæ multitudines erunt. Num ergo tam facilè cunctos tunc præcipitabit, quàm facilè paucos illos deiecit? Huiusmodi suggestio si quem tangit, rectè arguitur nimiæ vanitatis. Est autem vtrunque rationi simile, si Dominus saltem manu iecta, cohortem illam deiecisset, vel tale quid faciendo, quale fuit illud, quod vnus homo Sampson in mandibula asini percussit, ac deiecit mille viros armatos ac fortes. Nũc autem vbi deiecit eos, tantummodo dicendo: Ego sum, ratio consentit, totum mundum tantum valere contra illum, quantum cohortem illam, siue hominem vnum. Quod si de Diabolo quoq; & Angelis eius quæritur, quale dederit experimentum adhuc mortalis & iudicandus, quòd eos eadẽ qua & homines facilitate sit in infernum præcipitaturus. Ecce illa legio pro argumẽto satis est, quæ vnum possidens hominem, rogabat eundem Dominum ne ab ipso torqueretur, neue imperaret illis, vt in abyssũ irent. Eadem nimirum facilitate super cunctas legiones Dæmonum, super Diabolum & super Angelos eius peraget iudicium, nec saltem rogare vacabit eis, ne mittantur in abyssum, siue in infernum, quia constrictos velociter præcipitabit eos omnipotens verbum.

Quid sit quod dictum est apud Esaiam: Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septemp̃liciter, sicut lux septem dierum.

CAPVT XX.

QVID post hæc erit, nisi sempiterna festiuitas triumphi, & nunquam habitura finem lætitia Dei, lætantis in operibus *Festiuitas triumphi verbi Dei sempiterna* suis? Qualis autem erit lætitia siue festiuitas illius triumphi? Qualis triũphator, deus verbum, Deus & homo Iesus Christus in maiestate sua sedebit? qualis circa illũ procerum eius, militum eius emeritorum consessus erit? quali splendore tota triumphalis eius curia splendebit? quis nobis habitum illum nunc saltem ad modicum annunciare possit, nisi seipsum reuelans per Prophetas verbũ Domini? Ecce quidam de reuelationibus eius Propheticis ad præsens occurrit, cõsonans cunctis præconijs illius æternæ beatitudinis, beatæ æternitatis, quæ succedit illi iudicio magno & terribili, perpetua semper mansura Regi illo DEO & homini, cunctisque Angelis & hominibus per ipsum cõsociatis apud Esaiam premisso: Esa. 30. Quia Deus iudicij Dominus, beati oẽs qui expectant eum, post pauca sic dictum est:

Et erit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligabit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit. Quid, rogo, eſt vulnus populi Domini, & quid percuſſura vel plaga eius, niſi vulnus mortis animæ, id eſt, peccati, & percuſſura vel plaga corporeæ mortis, qua de corpore anima recedit, & illius mortis vulnus? Et huius mortis plagam ſiue percuſſuram, tũc Dominus ad perfectum ſanabit, quando dicet: Venite benedicti Patris mei, poſsidete *Matth. 15.* paratum vobis regnum à conſtitutione mũdi. Tunc erit lux lunæ ſicut lux ſolis: Luna Eccleſia, ſol ipſe Chriſtus eſt. Nunc in præſenti ſeculo, non eſt lux lunæ ſicut lux ſolis, id eſt, non eſt claritas Eccleſiæ, ſicut claritas Chriſti, quia videlicet ſol Chriſtus, ſemper *Chriſtus Sol, Eccleſia luna.* & indeficienter ſuo lumine fulget. Luna autem Eccleſia non proprium, ſed à ſole Chriſto lumen habens mutuatum, nunc incrementis gaudet, nunc defectum ſuſtinet: tũc autem ſemper fulgebit, quia Chriſtum in manifeſta viſione ſemper habebit, hoc erit eſſe lucem lunæ ſicut eſt lux ſolis. Scimus enim (inquit Ioannes) quia cùm apparuerit, *Ioan. 3.* ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum *Eſa. 30.* ſicuti eſt: Quanta autem erit lux ſolis? Nam ne parua videatur eſſe promiſsio lunæ, in eo quod dixit: Lux eius erit ſicut lux ſolis. Sciẽdum eſt quanta futura ſit lux ſolis, dixit ergo: Et lux ſolis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum? Qualis vel quanta eſt lux ſeptem dierum? Omnia (inquit Euangeliſta) per ipſum facta ſunt: omnia (inquam) bona valdè, quæ ſeptimo die completa ſunt. Tanta tunc erit lux ſolis, quia tunc manifeſtè patebit quale ſit verbum, per quod deus omnia ſex diebus fecit, & in ſeptimo die requieuit.

Finiunt hic tredecim libri de victoria verbi Dei, per reuerendum patrem dominum Rupertum Abbatem Tuitienſem (qui ſub Henrico quinto, Anno Domini, M. C. XXIIII. floruit) compoſiti.

RVPERTI
ABBATIS MONASTERII TVITIENSIS, E REGIONE COLONIÆ AGRIPPINAE, ORDINIS SANCTI BENEDICTI,
viri & vitæ ſanctimonia, & ſacrarum literarum peritia præclari, de Diuinis Officijs

LIBRI DVODECIM.



COLONIAE AGRIPPINAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Anno M. D. LXXXI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INSIGNIORVM SEN=
TENTIARVM ELEGANTIORVMQVE DIC=
TORVM COMPENDIOSVS INDEX, CVIVS PRI=

MVS NVMERVS PAGINAS, A PRIMAM PAGINAE columnam, B alteram, numerus verò secundus columnæ versum demonstrabit.

Abigail ad Dauid orando præueniens, typũ gessit ecclesiæ in sacrificio altaris 51.b 25
Abraham primus, Ioseph nouissimus in lineæ Christi 37.b.18
Abraham absq; baptismo Christi cœlum ingredi non potuit 94.b.23
accidentia in Deum non cadunt 161.b.15
Adam incidit in latrones, descendens de Hierusalem in Hiericho 94.b.36
Adam genuit filios & filias ad imaginem suam. 95.a.47
Adæ filij iuste damnati & exules 95.b.20
aduetus domini quat. cõplectens dominicas 25.a.41
aduentus dominica prima primum Christi aduentũ celebrat 26.a.8
aduentus Christi secũdus, sicut fur in nocte 104.b.19
aduentus ille tremefaciet terrenos, sicut angelus milites circa sepulchrum 105.a.1.9
Aegypti rex diaboli typum gessit 34.b.43
Aetas prima ecclesiæ in Adam, qui reparationis suæ oraculum accepit 45.a.29
Aetas Christi in mysterium trinitatis est annorum 33. 103.b.40
Anastasiæ sanctæ & nobilis matronæ Rom. passio 39.a.40
agon & passio Domini pendentis in cruce, spirat in missa 18.a.22
agnus Dei in missa, memoria est accensionis dominicæ 19.a.30
agnus Christus diabolum vicit, non lex aut decẽ præcepta decalogi 66.b.21
allegoria de seruo Abrahæ quærente sponsam filio domini sui 96.b.28
allegoria de exploratoribus terræ, botrum portantibus 114.a.31
allegoria de osculo inter spõsum & sponsam 145.a.25
alleluia est quoddam gaudij stillicidium de supernæ Hierusalem diuitijs 10.a.7
alleluia significat æternum angelorum & electorum conuiuium 10.a 11
alleluia cur tempore paschali magis frequen. 10.a.24
alleluia post graduale canitur, quia iubilew quidam est consolationis futuræ 10.a.29
alleluia non omnis laus Dei dicitur, sed Christus, deinde etiam ecclesia 44.a.21
alba, vestis longa & stricta, longè aliud quàm tunicæ pelliceæ primorum parentum significat 5.b.30
albæ affixa sursum lingua, cœlestem Christi doctrinã significat ibidem
altare sacrificij missæ, sacrariũ est propiciatiõis 4.b.2
altare signum visibile fidei 22.a.39
altare præminet in templo, sicut Christus in corpore ecclesiæ 78.a.12
altaria cur vino & aqua lauantur tempore passionis domini 78.b.30
aman affectans adorari, diaboli typum gessit 53.b.9.& 69.a.12
amictus caput sacerdotis obnubens, carnem Christi significat 6.b.31
amor diuinus in seipso substantia est, in hominibus accidentale donum 163.a.39
angeli in scala Iacob descendentes & ascendentes quid significant 36.b.24
angeli etiam habent causam vt gratulentur super incarnatione verbi 136.b.21
angeli an in aduentu iudicis trement an nõ 139.a.11
angeli dicuntur sancti prædicatores verbi Dei, & hi trement ibidem
animalis vita in corpore domini consecrato non adest, nec prodest 16.b.30
animalia in circuitu sedis Dei sunt catholici doctores 171.b.33
animæ sanctorum in cœlo iam nunc consolantur 50.b.17
anima fidelis non solum per verbum, sed & per spiritum sanctum concipit & impragnatur 145.a.30
anima tanquam sponsi, quomodo alicitur in amorem Dei 147.a.10
anima arreptitij hominis non substantialiter recipit in se dæmonem 148.b.29
anima iusti, & angelus bonus tria habent in se, quæ sunt effigies trinitatis diuinæ 166.a.11
antiphona ad introitum missæ, antiquorum patrum expectationem significat 8.a.17
annulum duas ob causas portat Episcopus 7.a.7
apostolorum metus & silentium à paschа vsque ad pentecost. 5.a.25
apostoli sunt cœli enarrantes gloriam Dei 39.b.8
apostoli post ablatum sponsum semper in fletu & ieiunio erant 48.b.23
apostolorum fuga & silentium significatur silentio campanarum & horarum regularium 79.a.13
apostoli quomodo dicuntur filij excussorum 9.a.22
apostoli octauo die paschæ fuerunt iterum simul, non quidem in Hierusalem, sed in Galilea in monte Nazareth 108.a.20
apostoli exploratores fidi & veraces 115.a.8
apostoli quoq; ianuis clausis exierũt carcere 117.b.21

Universidad de Deusto
Biblioteca

apostoli quomodo dicti sunt os lampadis 124.a.29
apostoli viderunt Christum post resurrectionem eius die octauo in Nazareth in domo Mariæ 125.b.21
apostoli post passionē Christi separati & electi erant 128.a.28
apostoli baptizati sunt in morte Christi, confirmati vero spiritu sancto de cœlo 141.b.7
apostoli verè diuersis linguis & scripserunt & locuti sunt 152.a.22
apostoli longè aliter quàm Babylonij turrim ædificauerunt 152.b.25
aqua, populus Christianus, frumento Christus in azymis denotatur 22.a.35
aqua ex latere Christi profluxa, prima fuit origo baptismatis 78.b.37.& 84.b.29
aqua illa cur sanguini sociari debuit 85.a.18
aquæ amaræ per lignum crucis potabiles factæ sunt 87.a.21
aqua baptismi, fluuius dei, letificās ciuitatē 106.a.16
aqua benedicta cur diebus dominicis super populum aspergitur 106.b.28
aqua de templo egrediens à latere dextro, quomodo intelligitur ibidem
arca testamenti & ecclesiam & corpus Christi designat 125.a.24
archiepiscoporum origo et patriarcharum differentia 7.a.41
archiepiscopus Remen. in Francia cur primatum obtinuit 7.b.34
arrius fatuè contumeliosus deo, negans ei generare sibi simile, quod deus creaturis cōcessit 164.b.44
arrius animalis homo, defluxionem ex carnali generatione fingens ibidem
ars humana potest sine defluxione sui communicari, quanto magis ars & sapientia dei sine paternæ substantiæ defluxione nata est ibid.
arūdo in manu domini quid mysticè designat 84.a.16
asina seu pullus asinæ genus humanum significat. 26.a.1
auditores verbi & non factores cui assimulantur. 133.b.48
augst. à Gregorio missus, primus Angelorum Archiepiscopus Cantuariensis 7.b.57
augustinus de miraculo quod Petroniæ contigit 115.b.43
august. de 7. gradibus cognitionis dei per 7. spiritus domini 117.b.6
aurum & argentum in templis quomodo gratum deo est 22.b.16
azyma tam ex euangelio, quàm ex legali autoritate probata sunt 21.b.8
azyma non sunt abolenda, quia optimam habent significationem ibidem

B

BAlsami & oleæ prærogatiua 72.a.40
baptismus solennis in die paschæ, non Epiphaniæ fieri debet 41.a.7
baptismus Iohannis longe minoris virtutis fuit quàm Christi ibidem
baptismus septiformi spiritu præfiguratus in 7. lotionibus Naaman 54.b.8
baptizandorum præparatio ad baptismum per 15. dies ieiunij 57.a.50
baptismo passionis baptizatus est Christus 84.b.31
baptismi sacramentum in mari rubro præfiguratum. 85.a.46
baptismus lucrosam facit commutationem duplicis mortis nostræ 92.a.30
baptismus liberat à morte animæ, non corporis. ibid.
baptismus noster riuus est, fons in cruce è latere Christi profluens, totam ecclesiam simul tunc baptizauit 93.a.56
baptizati passione Christi sunt omnes apostoli aliq3 tum credentes 94.a.9
baptizati stant super mare vitreum 100.a.38
baptizatis cur dantur calceamenta & vestis candida 101.a.33
baptizati spiritu sancto, & accipere spiritum paracletum idem sunt 130.b.1
baptismus solennis in die pentecostes ad exemplum sancti Petri 142.b.28
baptismi effectus à spiritu sancto est ibidem
baptismus Christi etiam à puero celebratus reiterari non debet 144.a.57
baptismus Iohannis non fuit in spiritu sancto sicut baptismus Christi 144.b.2
baptismus extra ecclesiam baptismus quidem est, sed sine gratia 156.a.44
benedicam domino in missa quomodo differt ab Ite missa est 19.b.17
benedictus pater monachorum, spiritu omnium iustorum plenus 113.b.17
berengerus Abbas sancti Laurentij Laeodien. sub quo monachus erat Rupertus 115.b.20
bethania domus obedientiæ, gentium populum significat 52.a.31
bethania à Hierusalem solùm quindecim stadijs distat 62.a.16
bethleem typus ecclesiæ in qua natus est homo Christus 39.a.34
botrus, quem duo in vecte portabant, Christum significat 114.b.47

C

CAecus secùs viam clamans ad Iesum, genus humanum repræsentabat 47.a.28
Cæcus à natiuitate itidem genus humanum significat 57.a.47
Cærei flammantes gaudium in ortu saluatoris significant 8.a.23
Cærei ad locum euangelij simul cum thuribulo cur portantur 10.b.20
Carei paschalis benedictio à Zozimo papa instituta 90.a.30
Cæreus ille Christi typum gerit ibidem
cærei laudes propter Christum fiunt ibidem
cæremoniarum institutio in obsequium & mysteria Christi ibidem
Cæremoniarum causas nosse expedit ibidem
Cæremoniarum operarij nō sine fructu sunt, etiam si causas ignorent ibidem
Calicem Christo dedit pater amore, non ira, gratia, non vindicta 6.a.11
Calumnia in euangelistas tanquam contrarios ad iniucem 105.b.17
Campanæ nunc populum conuocant, sicut olim tubæ 43.a.54
Campanæ prædicatores designant 4.b.15
Campanarum classicum trinum in diebus festis 4.b.12
Campanæ cur non sonant tempore passionis domini 77.b.30
Candelæ accensæ quæ portantur in festo purificationis, quid significant 42.b.8
candelæ multæ in matutinis trium dierum cur extinguuntur 76.b.53
Canonis sacri mysteria nullis verbis sufficienter explicari possunt 15.b.50
Cantus Tetradi garrulitate concinnus, sicut à laude matutina 109.b.15
Cappæ superinduta futuram corporum immortalitatem significant 24.a.15
Carnalium tumultus in ecclesia 173.a.33
caro Christi, sicut granum frumēti, crescit in altari, fructificat in membris, ac mundum vniuersum impleuit 17.b.55
Casulā, vestis integra & vndique clausa, ecclesiam significat 6.a.42
Charitas est oculus cordis, quo qui caret cæcus est 47.b.1
Charitas facit homines venire ad dei similitudinem 170.b.22
Charitas fratrum bonum maximum 179.b.43
Chrismate vnguendum primus Moyses instituit 71.b.44.
Chrismate nunc omnes Christiani, olim reges tantū & Pontifices vngebantur ibidem
Chrismate consignare episcopis proprium 72 a.9.
Chrismate inungere baptizatos non in fronte, sed in vertice, presbyteris concessit Beatus Syluester 72.a.15
Chrismate non signantur frontes in die cœnæ domini 72.b.23
Christus in missa præsentialiter exhibetur non in vmbra, sed in veritate, non in figura, sed in re 4.b.34
Christi vita continua pro nobis & perpes oratio fuit 19.b.20
christus abiturus hinc in sacrarium cæli, sacrificij ritum instituit 15.b.54
Christus cur vltra scripturam aliam nobis sui memoriam reliquit 17.a.35
Christus vt homo, nos reconciliat, vt deus, absoluit 19.b.13
Christus feria prima, id est, dominica die natus est 35.b.43
Christus cur nocte natus est ibidem
Christus repromissus est ad Abraham homo, ad Dauid, rex, ad Ioseph, deus 37.b.40
Christus cur die dominica nasci, sed feria sexta concipi ac pati voluit 38.a.29
Christus dicitur primogenitus varia ratione 38.a.35
Christus rex, cui humanitas est corona gloriæ, diadema pietatis 39.a.16
Christi nomen est accelera, spolia detrahe 40.a.3
Christus per baptismum non quærebat renasci, sicut nos 41.a.43
Christus à baptismo per annum sine discipulis fuit 41.b.36
Christus in baptismo nos sanans præfiguratus est per angelum piscinæ 52.b.19
Christus vt rex & sacerdos tuba clangorem dedit 62.a.6
christi passio magno est exemplo iustis, ne moueantur, dum prosperantur mali 68.a.17
christus venit tinctus vestibus de Bosra 69.b.53
christus propter nos factus pauper, pro nobis orauit 70.a.43
christus non gratis redemit gratis venditos 70.b.55
christus in vltima cœna primum sui sacerdotij officio functus est 71.a.53
Christus in die cœnæ immutauit vultum suum, id est, sacrificandi ritum 74.a.22
christus quomodo nobis in cœna ministrat 74.b.53
christus est altare de terra, quod tempore passionis nudatum est 78.a.10
christus cum gustasset, noluit bibere propter mysterium 83.b.34
christus bis immolatus est, primo suis manibus in cœna, deinde ab inimicis in cruce 87.b.24
christus in cruce hyssopo aspersit, & lauit omnes retro fideles eo tempore credentes, & emisit vinctos de lacu 93.b.50
christus sol verus animas in limbo, velut specularia illuminauit 104.a.25
christus matri suæ ante omnes apparuit resurgens 110.a.4
christus cur non statim post resurrectionem ascendit 114.a.2
christus mysticè piscis est assus, hic quidem igne passionis, in cœlo autem igne amoris in conuiuio beatorum 122.a.9
christus est pastor bonus substantialiter, non ex accidentali dono 129.a.11
christus per mortem abijt rogaturus patrem vt det paracletum 130.b.55
christus in terris rogauit patrem pro nobis, in cœlo non rogat sed dat 132.a.7
christus quomodo in cœlis interpellat pro nobis ibidē
christus & spiritus sanctus non locuti sunt à semetipsis

Universidad de Deusto
Biblioteca

metipsis 132.b.51
christo mox ab initio conceptus sui data est omnis potestas 135.a.42
christus quomodo petijt clarificari claritate quam habuit ab initio 135.b.57
christus vinculum societatis inter creatorem & creaturam 136.b.7
christus secundum humanitatem sedet à dexteris patris 139.b.7
christus ascendit super cœlum cæli ad orientem. ibid.
christus duo, id est, duas naturas habet, sed non duos, id est, duas personas 166.b.21
christus sicut sedens in equo, non duæ personæ sunt 167.a.12
christi filij dei, maxima dignatio, qua pro inimicis suis mortuus est 170.b.5
christus humilitatem & charitatem nos docet præcipuè ibidem
christus boni regis officium gessit, dum prior ipse adimpleuit mandata ibidem
christus restituit nos in antiquum statum, salua iustitia 171.b.3
christiani diæ passionis domini cur gaudere non debent 80.b.4
christianorum triplex vnctio, prima in baptismo, secunda in confirmatione, tertia in die iudicij 141 a.48.
cineres cur super capita spargimus 48.b.42
circuncisio non aperuit ianuam regni calorum, sicut baptismus 93.b.18
circuncisio spiritualis baptizatis necessaria 127.b.4
coccinea chlamys designat geminam dilectionem dei & proximi 83.b.57
codices euangelici cur auro argento, & gemmis ornantur 23.b.29
cognitio dei est per amorem, qui est spiritus sanctus 145.a.55
cognitio patris & filij per spiritum sanctum, vera est consolatio ibidem
collectæ secundum orationes Christi dicuntur 8.b.33
columnæ ignis, quam cereus præ se fert, mysteria 90.b.24
communicantes vnum sunt corpus ecclesiæ, sicut ex multis granis vnus panis 15.a.45
confidendum non est in hominum, sed in solius dei testimonio 53.b.26
consecratio panis & vini in corpus & sanguinem Christi 15.a.6
consecrationis verba sunt vox verbi incarnati, vox æterni principij 16.a.36
consecratio olei pro infirmis aliter fit, quàm chrismatis 73.a.11
consilium trinitatis magnum & profundum in creatione hominis 154.b.15
consolatio ecclesiæ super absente patre 26.b.50
consolatio supernæ Hierusalem, in dominica letare 51.a.23
conuiuium diuinæ cognitionis in scripturis, quinque panibus præfiguratum 50.b.49
corpus Christi vnum idemque in cœlo & in altari. 15.a.31
corpus vnum christi, vnumq; sacrificium in omnibus missis ibidem
corporale altaris, cur lineum potius quàm sericum esse debet 23.a.52
corrigiam calceamẽti Christi soluere, nullus sanctorũ potuit 31.b.37
credere in christum plus est, quàm credere christo aut christum 147.b.48
crescens discipulus Pauli, Moguntiæ & Coloniæ primus christum prædicauit 7.b.47
crucis signum in locum veteris laminæ aureæ successit 7.a.20
crucis sanctæ pulchra præconia 7.a.22.83.b.8 87.a.27
cruce frontes signare, Episcopis proprium 7.a.46
crucis signacula super sacrificium altaris non vanè fiunt 18.b.43
cruces duæ, quæ pinguntur ad latus calicis, quid significant ibidem
crucis pulchra mysteria 83.b.12
crucem portantibus in parasceue cur respondetur latinè & Græcè, non autem Hebraicè 86.a.20
crura christi non fracta sed integra quid significant 84.b.10
curiosa quæstio, vbi & quomodo sit in cœlo corpus christi 129.b.

D

Danielis exaltatio per humilem orationem 177.b.50
Dauid coram Achis spumans, velut insaniens, christi typum Missam instituentis gerebat 4.b.36.& 74.b.23
dauid in typum christi, sacerdotis agebat officium 74.b.20
dauid primus regum præcipuus prophetarum christum præfigurabat 48.a.10
dauid in persecutione Saul gessit typum christi in multis 135.a.51
dauid in peccato suo grande præfigurauit mysterium 160.a.13
decedentes in pace quamlibet virtuosi venturum iudicem timere debent 138.b.40
deposuit potentes de sede, scilicet scribas & pharisæos. Et exaltauit humiles, scilicet apostolos 29.b.14
descensus in ægyptum, figura est lapsus Adæ 34.b.47
deo cuncta creata ad nutum obediunt 117.b.14
deus ex beneficijs suis glorificandus 146.b.25
deus solus immutabilis & sine materia 136.a.17
diabolus auctiorem damnationem habet ex lapsu hominis 34.b.52
diabolus per ora impiorum magicæ arti ascripsit, quæ in baptismo geruntur 96.a.29
diaboli inuidia homini plus profuit per Christum quàm nocuit 137.b.44
diaconus & subdiaconus cur non procedunt simul, sed vnus post alium. 8.a.29
diacano euangelium lecturo cur datur benedictio. 10.b.11
diaconi stolæ atque Dalmatica quid significant. ibidem
diaconus euangelium lecturus, cur ab austro vadit versus aquilonem 40.a.32
dies cœnæ domini, missam in lætitia, horas in tristitia peragit 73.a.20
die cœnæ domini cur omnes ianuæ ecclesiæ patent. 74.a.35
dies resurrectionis dominicæ duplici munere solennitas est inenarrabilis, inæstimabilis ac infinitæ dignitatis 81.b.39
dies, in quo eximus de terra Aegypti, Christus est. 123.b.55
dies rogationum à Sancto Mamerto institui 134.a.46
dij plures esse non possunt 161.b.13
dominicæ diei præconia 30.b.6
dominica die & mundus creatus est, & Christus natus 35.b.48
dominica die propter gaudium resurrectionis non ieiunatur 48.b.4
dominica palmarum duas habet processiones 67.a.1
dona & munera quomodo differunt 15.a.37
duo ministri altaris, duo denotant testamenta, legem & euangelium 8.a.30
duo cherubin respicientes in propiciatorium, duo testamenta sunt 35.b.3
duæ missæ in nocte natalis Christi, propter duas eius natiuitates 37.a.37
duæ meretrices de puero contendentes, synagoga & ecclesia 56.a.35
duæ tabulæ legis, priores Iudæorum lapideæ corda, posteriores gentium in Christum credentium integritatem significabant 58.a.51
duo testes sunt pater & filius, sed non duo dij 61.a.9
duo animalia, lex & prophetæ, per Moysen & Heliam significata 60.a.1
duo cæci à Christo sanati, duos populos gentes & Iudæos significant 158.a.51
duplex in bonis prælatis spiritus, vt sint nunc zelo feruidi, nunc mites, nunc in virga, nunc in mansuetudine veniant 134.a.33

E

Ecclesia concinit suo Dauid in missa 5.a.36
Ecclesia quicquid canit, Christo præcentore didicit ibidem
ecclesia offert verbum dei, filium dei, nouum & verum immolans sacrificium 12.b.49
ecclesia est illa mulier magna amicta sole &c. ibid.
ecclesia est vnum corpus Christi, maiorem habens plenitudinem gratiæ quàm habent singuli 13.b.12
ecclesia & Christus vnum corpus, sicut vir & mulier vna caro sunt. 17.b.44
ecclesia in exteriori ornatu re inuisibiles imitatur 23.a.40
ecclesia regina est, quæ amicta varietatibus astitit regi 23.b.28
ecclesiæ rectores maiori egent consolatione quàm alij 28.b.11
ecclesia ex iudeis dicitur filia Sion & filia Hierusalem 39.a.40
ecclesiæ ætates ab Adam vsq; ad Christum 45.a.39
ecclesia comparatur muleri parturienti 81.b.5
ecclesia de gentibus per Mariam Magdalenam foris stantem significata 22.b.49
ecclesia de gentibus etiam per Eunuchum Aetiopem præfigurata 123.b.4
ecclesia sicut luna, semper indiget lumine solis, id est, gratia spiritus sancti 148.a.21
ego & pater vnum sumus, hoc dicto Arrius & Sabelconuincitur 64.b.83
eleemosynarum odor, præfiguratus in vnguento Mariæ Magdalenæ 66.a.15
emitte spiritum tuum & creabuntur &c. 145.b.48
epiphaniæ celebritas tres habet causas 40.b.41
epistola, vox legis est, apostolicas quoque literas complectens 9.a.27
epistola supererogatio est proferens duos denarios, scilicet legem & prophetas ibidem
epistola sedendo, euangelium stando auditur 9.b.2
error est negare corpus & sanguinem Christi in sacrificio altaris 12.a.53
error Heluidij contra perpetuam virginitatem Mariæ 38.b.13
Esaias nobilis propheta, magnus & verus euangelista 32.a.1
Esdras iustitiæ priuilegium in verbis habet & factis 181.b.6
euangelij maiestas legem & prophetas literas q; apostolicas præcellit a.50
euangelium cur in sublimiori loco legi solet 10.b.30
euangelium cur summa reuerentia audiendum est. 11.a.4
euangelium est omnium, quæ in missa dicuntur, principale 11.b.7
euangelistæ in resurrectione Christi cur tacent de eius matre 118.a.8
euangelium secundum Marcum cur in die paschæ legitur 111.b.49
eucharistiam sine fide sumens, Christum laniat & occidit 16.b.19
eucharistiam propter duas causas instituit dominus post cœnam 163.a.4
exequiæ mortis domini in nocturnis vigilijs triumdierum 76.b.4
extendens mortis calum sicut pellem 146.a.16

F

Universidad de Deusto
Biblioteca

Facere mansionem apud pios, patri quoque & filio, sicut spiritui sancto ascribitur 154.a.7
Faciamus hominem ad imagimem & similitudinem nostram 168.b.17.& 167.a.56
fenestra in latere Arcæ quid designat 125.a.18
feria quarta & sexta ac sabbatum cur magis quàm alij dies ieiunio destinantur 28.b.42
fides sine operibus mortua 127.b.20
fides sola non sufficit nobis ad salutem 128.b.20
fides apostolorum ante aduentum spiritus sancti erat infirma 155.a.39
fides apostolica est ianua ad ouile Christi 156.b.5
figuræ morales non abolentur, sicut figuræ promissionum 23.a.28
filij prodigi ornamenta in sacerdotibus quæ à Christo accepit 7.a.44
filij quomodo portant iniquitatem patrum 95.b.27
filius dei cum humana natura ascendens ad patrem, non facit quaternarium 167.a.18
fimbriæ, stolæ & manipuli bonorum operum perseuerantiam significant 9.b.26
flumen aquæ viuæ quid est 149.a.3
forma verborum in baptismo, maximæ virtutis est 144.a.8
frater iunior in parabola, populus gentilis, senior populus Iudaicus 101.b.13

G

Galilæa dicitur etiam locus in templo vbi suprema statio processionis terminatur 67.a.27
galilæa transmigrationem denotat 108.a.2
galilæa & prima & vltima Christi prædicationem habuit 109.a.19
genua cur non flectimus tempore Paschali 113.b.32
gregorius antiphonarium centonizauit & canonem auxit 20.a.16
gregorius stationū vrbis ordinator 28.b.19.26.a.57
gregorij scripta digito Dei dictante concepta sunt 28.b.35
gregorius diuinorum officiorum ordinator 43.b.39
gregorij deuotio erga S. Andream 114.b.5
gregorij atauus, Fœlix quartus Pontifex Romanus ibidem
gregorius ex monacho factus Pontifex Romanus 113.b.9
gloria in excelsis deo, hymnus angelorum, à Thelesphoro missa additus 20.a.30
gloria patri cur tacetur tempore passionis domini 62.b.13
graduale, pœnitentiæ lamentum, cantus asper & grauis 10.b.35
graduale infra pentecosten cur non canitur ibidem
graduale à gradibus humilitatis dicitur in conualle plorationis ibidem
graduale propter baptizatos prima hebdomada paschæ cantatur 112.a.16
graci de Azymis Romanæ ecclesiæ nimis pertinaciter resistunt 20.b.48
græcia hæresibus fermentata ibidem
græcorum inepta ratio pro fermentato, tumidus Maria vterus 21.a.13
gratia spiritus sancti non datur in Eucharistia nisi lotis 75.b.24

H

Hæreditas in testamento Christi est paracletus in remissionem peccatorum 73.a.26
hæreticos erroris stercora fœtore pascunt 14.a.56
hæretici instar Achis, semper dicunt, Quomodo est. 16.a.7 (115.a.44
hæretici, vulpeculæ, vineam domini demolientes.
hæretici dicentes corpus Christi resurgentis phantasticum ibidem
hæreticorum per miracula confutatio 117.a.44
hæretici loquuntur à semetipsis, ideo loquuntur bella & scandala 133.b.3
hæretici suā, catholici dei gloriā quærunt 156.b.46
hæretici lupi rapaces 174.a.12
hebdomadæ passionis domini breuis decursus 14.b.25
Helias Christi, Helizæus apostolorum typum gessit. 134.a.13
Helizæus bene petijt, ideo duplex factus est in eo spiritus ibidem
Hester temperantiæ speculum 181.a.46
hieremias & dictis & factis pas. Christi præfiguauit 62.b.38
hieroboam, typus hæreticorum 180.b.44
hierusalem cœlestis, in qua plenitudo est gratiæ torrens voluptatis & caminus ignis plenus & indefi-ciens 141.b.22
hodie genuite. In æternitate enim semper hodie, id est, præsens est 38.a.49
hominem cur deus permisit per serpentem decipi 81.a.34.& 34.b.39
homo feria sexta conditus est & redemptus 80.a.11
homo ad imaginē & similitudinē dei creatus 97.b.29
homo ad loquendum tardus esse debet, ne scilicet loquatur à semetipso 132.b.41
homo cum omni creatura participans dicitur minor mundus 136.b.26.& 140.b.26
homo Christus in communionem trinitatis sine personarum augmento admissus 137.a.15
homo Christus quomodo habet omnia cum trinitate sibi communia 137.b.19
homo post lapsum per Christum maior factus est, quàm antea fuit ibidem
homo in solis naturalibus miser & egenus 135.a.4
homines nimis ingrati, traduntur in reprobum sensum 146.b.40
hominis est præparare animum, domini autem, gubernare linguam 147.b.14
homo non potuisset melius condi quam conditus est. 168.a.25
horæ canonicæ non omittuntur nisi à vacuis & ingratis 1.a.3
horæ canonicæ pro beneficijs Dei vectigales sunt gratiarum actiones ibidem
horæ canonicæ initiū & finē in deū referunt 2.b.27
horæ canonicæ cur per triduum passionis carent initio & fine ibidem
hostia altaris plenitudinem diuinitatis & gratiæ continet 13.a.54
humaniformij, hæretici deo humana membra tribuentes 139.b.7
humaniformiorum ridiculum figmentum 165.a.31
humana natura in Christo exaltata & immutata maximè 139.b.47
humana natura in Christo ante passionem vt aqua, post, vt crystallus ibidem
hymnus angelorum, gloria in excelsis, propter pacem à Christo factam 8.b.22
hymnus trium puerorum cur sabbatis quatuor temporum cantatur 30.b.43

I

Iacob, seruiens pro Lia & Rachel, Christum præfigurabat 6.a.14
Ieiunij quadragesimale, decima totius anni 48.b.7
ieiunium primitiuæ ecclesiæ multò prolixius fuit quā nunc est ibidem
ieiunium æstatis in hebdomada pentecostes 157.a.20
ieiunium non contristat solennitatem spiritus sancti ibidem
Iesus filius Naue Christi typum & nomine & opere gessit 99.b.35
ignis, per triduum ex lapide aut crystallo quid significat 77.a.4
ignis quem venit Christus mittere in terram, spiritus sanctus est 150.b.41
ignis multiplex effectus & commoditas ibidem
ignis inuisibilis quomodo differt à visibili 151.b.5
imago dei semper mansit in homine, sed non similitudo 97.b.16
imber matutinus & seretinus, doctrina est euang. 158.a.21
incarnationis mysterium diabolo fuit occultatum. 135.b.30
incensum altaris significat corpus Christi in igne spiritus sancti repletum 8.b.3
incensum, quod imponitur cereo paschali quid significat 91.a.55
insignia passionis Christi, omnia in scripturis prædicta 62.a.51
inspiratione diaboli appetiuerunt Adam & Eua esse sicut dij 170.a.27
institutio nostra ex figuralib. veterū historijs 114.b.3
intentio Christi sacramentum corporis & sanguinis sui instituentis 17.a.5
intētio euangelistæ in texēda linea Christi 37.a.40
Iob demonstrat, scientiam esse causam effectuam luctus pœnitentiæ 121.a.52
Iohannis euangelium de passione domini legitur in die parasceues propter duas causas 82.b.51
Ionas putatur filius Sareptanæ fuisse, quem suscitauit Helias 60.b.10
Ionas Christi typum gessit quando fluctibus maris se tradidit 64.a.28
Iosaphat regis historia, cur in vigilia natiuitatis legitur 32.b.14
Ioseph cur permissus est venundari in Aegyptum 34.b.29
Ioseph nutricius Christi, supremus scalæ gradus, cui innixus est dominus 36.a.37
Ioseph venundatus à fratribus suis, typum Christi gessit 54.a.1
irriguum superius, amoris inferius, timoris est fletus 119.a.41
iudæi cur dicuntur Assyrij. i. seipsos dirigentes 33.a.1
iudæi per Israel, gentes per Ioseph significantur. ibid.
iudæi in fine seculi in Christū credituri sunt 40.a.51
iudæorum sanctificatio ante Pascha 61.a.51
iudæi salices sunt illæ, ad quas suspensa sunt organa cantionum 63.a.4
iudæi coniuncti filijs Edom contra Christum. ibidem
iudæi dum timerent pruinam, irruit super eos mx 65.b.30
iudæi promissiones & ritus suos ad terrena conuertebant 106.b.1 (126.a.31
iudæi ira & vixæ filij gentibus inuident salutem.
iudæi per Thomā incredulū præfigurati sunt 128.b.41
iudæi desertum dicuntur, quia deserentes deum, deserti sunt 129.a.56
iudæi recusant venire ad nuptias 179.a.4
iudith fortitudinis specimen 11.a.31
iustitia dei summa, qua propter Adæ culpam omnibus claudebatur regnum cœlorum 96.a.8
iustus in principio est accusator sui 135.a.2
Kyrie eleison omnes vniuersalis ecclesiæ preces significat 8.b.7

L

Lapis Iacob erectus in titulum, figura Christi lapis angularis 37.a.19
Lateranensis ecclesia in nomine saluatoris & honore Iohannis Baptistæ à Constantino Imp. constructa 48.a.42.& 127.a.43
Lateranen. ecclesia cur ad Lateranas dicta est ibid.
Latus Christi in cruce apertum præfiguratum latere Adæ dormientis 85.b.2
Latro in cruce, de latere Christi profluente aqua baptizatus est, sicut omnis, quæ tunc super terram vel subtus terram erat, ecclesia 94.a.46
Laurentij mors preciosa sicut sanguis Abel, clamauit in cœlum 45.a.7
Laurentius piscis magnus & assus 122.b.15
Lazarus pauper, gentilis populi typū gessit 172.a.10
Lazarus amicus Christi mortuus, qualem peccatorem præfigurabat 60.a.34
Lazarus prima die nouæ lunæ ante passionem Christi suscitatus 61.b.43
lectionibus præmittenda oratio, atque petenda benedictio 3.a.43
lectionibus cur subditur, Tu autem domine, & deo gratias 3.b.1
lectionem epistolæ semper sequitur graduale, exceptis paucis diebus 70.b.50
lectiones matutinales noui testamenti à pascha vsq; ad pentecosten 141.b.50
lectio libri Regum post pentecosten 180.b.27
legati victoris Christi, sacerdotes sunt in baptizando 92.a.7

Universidad de Deusto
Biblioteca

leo primus addidit in Canone, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam &c. 20.a.44
lex quomodo se habet ad Euangelium & quomodo praecedit 9.a.17 (40
lex victoriæ, quando fortis armatus debellatur 91.b.
lex sicut puer medici 177.a.8
libri Salomonis præsignant doctores ecclesiæ in pace 180.b.51
liber Iob contra tentationes legitur 181.a.6
liber Machabæorum, virtutum contra vitia pugnas refert 181.b.22
libri prophetarum deinde vsque ad aduentum domini leguntur ibidem
lignum scientæ boni & mali quid est 35.a.25.& 107.a.39
ligneus malleolus in tabula sonans, Christum in cruce significat 78.a.3
linea Christi in Matthæo secundum descensum, in Luca secundum ascensum 36.b.54
linea Christi, velut linea piscatoris 38.a.8
linguarũ diuersitas apostolis necessaria fuit 152.b.15
loqui à semetipso, & non loqui à semetipso, quomodo differunt 133.a.3
lucas, vitulus designatus, sanguinem Christi sudorem solus describit 69.b.12
luctus duplex, vnus mortuorum, aliter pœnitentiæ 120.b.6

M

MAcedonius hæreticus, æterni delicti reus. 128.b.7
Magi, gentium primitiæ 41.b.6
mala deus præsciuit, sed non prædestinauit 35.a.6 & 80.b.34
mandatum in cœna domini duplex, lotionis pedum, & refectionis pauperum 75.b.55
manipulus dignos pœnitẽtiæ fructus significat 9.b.22
manna typus verbi Dei, ros, spiritus sancti 32.b.11 & 33.a.41
manna cur sabbato non computruit, sicut alijs diebus 33.b.2
mansio spiritus sancti per substantiam, non est stabilis in mortalibus sicut mansio per fidem 154.a.11
manus sacerdotis oleo sancto pro clauis passionis Christi signatæ 15.a.10
marcus cur assimilatur leoni 111.b.12
mare vitreum in circuitu sedis Dei, baptismi figura est 171.b.17 (29.a.21
maria templum domini, sacrarium spiritus sancti.
maria thalamus sanctitatis, triclinium diuini consilij 31.b.12
maria porta cœli maxima 33.a.23.36.b.2
maria dicitur Hierusalem, dicitur etiam mons myrrhæ & thuris 110.a.44
maria regina angelorum, mater fidei nostræ ibidem
maria speculum humilitatis 118.b.35
martyrij baptismus maioris gratiæ est, quàm baptismus aquæ 98.a.22
materia sacrificij duplex substantia est, diuina scilicet & terrena 16.a.29
matutinarum ratio & mysterium 1.b.25
matutinæ in triduo passionis cur non dicantur in silentio sicut horæ 79.b.6
mediæ noctis vigiliæ multa habent 2.a.43
mel de petra oleumque de saxo durissimo, quid est. 99.b.50
ministri altaris cur in aduentu non vtuntur consuetis vestibus 26.b.16
miracula duo, in testimonium Christi clauso prodeuntis sepulchro 117.a.13
miracula non contra naturam, sed supra naturam 117.a.51
misericordia & veritas obuiauerunt sibi 96.a.10
missa ablata refrigesceret mox memoria Christi & vniuersa charitas, mutila fieret fides, spes claudicans 17.b.7
missæ decor cum tempore per Romanum pontificem variè adauctus est 19.b.42
missa dicitur, quia ad placandum Deum valens & idonea mittitur legatio 22.b.8
monachi cur festis diebus stant in albis 23.b.42
monachorum mos antiquus in mandato pauperum. 76.a.21
mors & sepultura Christi, hora nona cum planctu recolitur 82.a.40
mors animæ ex vindicta, mors corporis ex misericordia est 92.b.30
mors corporis potius optanda quam fugienda 93.a.5
mortem corporis intulit homini pater misericordiarum in bonum eius 169.a.15
moysis intercessio profuit Iudæis vsq; ad occisionem Christi 56.b.15
moysi exemplo rectores ecclesiarum debent se opponere pro peccatis subditorum 176.b.18
mos antiquus circa baptizandos 56.b.42
mos ille rationabiliter mutatus ibidem
mulier Sareptana gentium populum præfigurabat. 53.a.37
mulier samaritana, ecclesiam de gentibus præsignauit 55.b.22
mulieres per noctem ambulabant è Bethania ad sepulchrum 105.a.38
multitudinis credentium cor vnum & anima vna 137.a.6
muscæ morientes hæretici 14.a.54
mysterium incarnationis verbi Dei nullus sanctorum comprehendit 31.b.37
mysterium in tribus muneribus magorum 37.b.50 37.b.51.& 14.b.16
mysterium reditus Christi ex Aegypto in Iudæam 40.b.10
mysterium refectionis quinque milium de quinque panibus 50.b.51 (56.b.35
mysterium in Moyse virga bis petram percutiente
mysterium scrutiniorum in quarta feria post Lætare 57.a.23 (59.b.47
mysterium in resuscitatione pueri per Helisæum.
mysterium agni paschalis, qui victus est Pharao. 66.a.42

mysterium

mysterium in duabus ampullis ad altare deportatis 73.a.47
mysterium lotionis pedum, ne sordidi peccatis eamus ad altare 76.a.23
mysteria scripturarum per passionem Christi nobis reuelata 86.b.31
mysterium paschæ in plenilunio 89.b.158.6.b.3
mysterium cærei paschalis accensi 91.a.17
mysterium vocationis discipulorum in Galilæam post resurrectionem domini 107.b.31
mysterium in statione processionis dominicalis 109.b.19
mysterium veteris historia de Esau & Iacob 155.b.50
mysterium historiæ Dauid, Ioab, & Vriæ 160.a.14

N

NAtatoria Syloe, lauacrum spiritus sancti. scilicet missi 58.a.22
nemo intrat cœlum, nisi baptizatus 94.b.21
nemo præter Christum pro prima culpa Adæ satisfacere potuit 69.a.15
nemo filiorum Adæ sine peccato excepto Christo. ibidem
neumæ plures ad vnam syllabam in iubilo alleluia. 10.a.49
niger habitus monachorum, salubris tristitiæ, humilisq; conscientiæ lignum 23.b.54
noctis paschalis mira præconia 89.a.12
Noë inebriatus typum Christi gessit 78.b.19
Noë in arca Christum præfigurauit & nomine & facto 124.b.41
noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem 123.a.28
nomen sanctæ trinitatis quando cœpit innotescere mundo 159.a.50
nomen trinitatis à Christo primum post resurrectionem expressum 160.b.36
nomen Dei viui signatum in frontibus nostris. ibidem
nomen trinitatis sciunt etiam hæretici & carnales, sed non significatum ibidem
nouem leprosi hæreticos mystice designant 177.a 41.
nouum pascha in azymis synceritatis & veritatis. 111.a.11
numerus lectionum in nocturnis non idem apud omnes 2.b.52
nuptias ne quis visitet absque veste nuptiali 169.a. 29

O

OBLATIO altaris publicæ salutis est legatio 15.b.3
oblatio benedicta ascripta, rata cur dicitur. ibid.
Octaua, scilicet resurrectionis dominicæ solennitas solennitatum est 102.b.48
octauæ sanctorum cur celebrantur 117.a.27
octaua beatitudo eadem quæ prima ibidem
octaua paschalis cur celebratur ibidem
octaua chorda in musicis eadem est quæ prima 107.b.13
octo animæ in arca quid præfigurabant 125.a.13
odium diaboli contra filium Dei ab initio 170.a.3
offerenda significat salubrem parturientis mulieris cruciatum 13.a.7
offerre debemus primo nosipsos, & spiritualiter arietes bonos & hircos 18.b.2
officium cuiusque pontificis in die cœnæ domini 73.b.24
officium paschale transitum ad patriam & gaudia supernæ Hierusalem insinuat 111.a.15
omnia quæ habet pater, mea sunt 133.a.41
omnia mea tua sunt, & tua mea sunt 137.b.11
omnis substantia creata subiacet accidentibus, quia non est id quod est 161.b.51
operatio dei duplex, alia per filium, alia per spiritum sanctum 148.a.12.& 106.b.23
opera trinitatis circa hominem personis appropriata 167.a.44
operis profectus ex diligentia, quæ in diuinis est spiritussanctus 168.b.2
opera trinitatis in reparatione hominis personis appropriata 169.a.29
orationes nostræ cur concluduntur ita: per dominum nostrum Iesum Christum 8.b.55
oratio dominica in missa dicenda, à Gregorio primo est instituta 19.a.5
orationes pro omni statu ecclesiæ cur fiunt in die parasceues 85.b.39
orando pro Iudæis cur non flectimus genua 86.a.7
ordinationes sacræ in die dominica, aut vespere sabbatifieri debent 30.a.7
ordinationes à ieiunij ieiunantibus conferri debent ibidem
ordo consecrationis episcopalis pius ac venerabilis. 73.b.29
organum pretiosum humanitatis Christi à Iudæis confractum 65.a.9
organa scripturarum Iudæis suspensa, nobis dulciter canunt ibidem
osculo Iudæ infamatum est collegium apostolorum. 102.b.37
ossa Christi cur frangi non debuerunt sicut ossa latronum 85.a.23.& 84.b.11

P

PAllium Archiepiscoporum humilitatis & sapientiæ torques est 7.b.3
Pallij largitio, est missio episcopi à sede apostolica ad Metropolim ibidem
pallia in templi parietibus appensa significant gloriam ecclesiæ in regno Christi 23.b.13
panis & vinum in corpus & sanguinem Christi transferuntur 13.a.13
panis non Mariam imprægnatam, sed ecclesiam significat 22.a.50

panis

Universidad de Deusto
Biblioteca

panis consecratus non significat, sed est corpus domini ibidem
panis viui, qui Christus est, vtilitas longè maior quàm mannæ 34.b.4
panis subcinericius, panis est pœnitentiæ 53.a.49
panis verus quomodo ad nos venit per portas cœli. 122.b.4
parabola de rege cum decem millibus occurrente regi qui habet viginti millia 138.b.27
parabola de diuite stulto, dicente destruam horrea mea 177.b.35
paralyticus mystice homo dissolutus absque operibus bonis 178.b.19
paralyticum offerentes domino, prælati sunt ibidem
parasceue quid sit 80.a.15
parasceue sabbatum requiei ibidem
parasceue latinè cœna pura ibidem
paschalis solennitatis tres præcipuæ causæ 89.a.1
paschale gaudium etiam ex præcedenti ieiunio ampliatur 90.a.13
passio domini variè commemoratur in missa sub actione 18.b.50
passionis dominicæ breuis & pulchra commemoratio 78.b.28.78.a.22
passio Christi cur non celebratur cum gaudio, sicut passiones martyrum 80.a.52
pastores animarum quomodo vigilare & annuntiare debent 39.a.1
pater meus vsq; modo operatur 59.b.13
pater in angelis & hominibus alia per filium, alia per spiritum sanctum operatur 144.b.41
pater in diuinis subst antialiter est vita 163.b.20
pater in diuinis non sterilis est in se, qui omnia fœcundat 164.b.21
pater generando filium, nihil de substantia sua diminuit 165.a.13
paulus dux verbi præcipuus & seminator verborum 46.a.32
paulus magnus & mirabilis catechizator orbis terrarum 59.a.39
paulus ministrorum primus atque fidissimus 101.b.40
pauperibus rectè datur, sed ob id non minus exornandus est cultus dei 22.b.44
pauperes præfigurantur in pedibus domini, vnguento Mariæ vnctis 66.a.14
paulo maximè aperuit deus scripturas 121.a.17
paulus luxit non lugentes, & per scientiam lugere docuit ibidem
pax domini in missa, nuncium resurrectionis Christi est 19.a.31
pacis osculum in missa significat reconciliationem nostram per mortem Christi ibidem
peccatori occulto oleum misericordiæ, publico pœnitentiæ cauterium adhibetur 55.a.4
pedum pontificis ornatus quid mystice designat 6.b.49
pedum lotio exemplum humilitatis 74.b.8
pedes quotidiè lauare oportet ibidem
pentecostes, id est, quinquaginta dierum vera computatio 149.b.23
pentecostes solennitas duas habet causas 150.a.46
peregrinantium in hac vita non plenum est gaudium 102.a.44
permissio diuina irreprehensibilis 34.a.36
petentes à deo vt exaudiantur, similes esse debent apostolis 133.b.38
petrus & Paulus Romam Christo subiugarũt 26.b.5
petrus rectorum ecclesiæ est præcipuus 28.b.8
petrus post Christum primus & princeps ordinationes sacras celebrauit 30.b.19
petrus primus vidit & confessus est salutare dei nostri 80.a.21
petrus in magno corpore cæci illuminati princeps 47.b.42
petrus mitibus, sicut Maria humilibus ponitur exemplum 120.a.1
petrus traxit rete piscium ad terram, quia ei commissa est ecclesia 122.a.24
petri pietas, Pauli scientia alijs communicata 137.a.56
pharisæorum arrogantia humiliata, & vindicta dei 53.a.53
pharisæorum traditiones dolosæ, per auaritiam excogitatæ 55.a.16
pharisæi in sanctificationibus primi, quia clerici Iudæorum 62.a.29
piscis assus super prunas positus mystice Christus est 122.a.9
plaudere manibus mystice quid est 138.a.10
pœnitentia priuata laboriosa est, non sic secura de venia sicut baptismus 52.b.44
pœnitentium in die cœnæ domini reconciliatio 73.b.54
portæ mortis, vitia: portæ iustitiæ, virtutes 32.b.42
præcepta cur homini à deo data sunt 35.a.11
præcepta primum Noë data sunt, in pueritia mundi 46.a.24
præcepta cur deus minora antiquis, maiora nobis dedit 117.a.11
prædestinatio & præscientia dei quomodo differunt 35.a.3.80.b.33
prædicatores campanis in plerisque assimilantur 4.a.15
prædicare euangelium omni creaturæ, id est, omni homini 140.b.31
prædicatores verbi dei excellentiùs afflantur quàm alij 149.a.33
præfatio missæ & sacer hymnus ter sanctus, quid significant 14.b.11
prælati vecligalis seruitij in lotione pedum subditorum 75.a.45
prælati vitiosè viuentibus, tanquam bestijs dominari debent 76.b.6
prima sabbati sanctior est quàm sabbatum 106.a.7
prima sabbati maiorem designat requiem quàm sabbatum ibidem
primus dies paschæ refert spiritum timoris Dei 118.a.50
primus gradus ascendendi ad Deum est humilitas. 118.b.9
processio dominicalis resurrectionem Christi repræsentat 67.a.10
processio cum crucibus & vexillis quid designat. 107.a.41
processio in die ascensionis domini quid designat 140.a.48
processio dominicalis ante tertiam fit, reliquæ verò post 140.b.46
procedit aliter filius in diuinis, aliter spiritus sanctus 148.a.45
prosapia eorum, ad quos sermo Dei factus est in linea Christi 37.a.31
psalmos in missa instituit Cælestinus Papa, è quibus sumuntur introitus, gradualia, offertoria & cõmuniones 20.a.7
psalmus 112. Laudate pueri dominum, ad gentes baptizatas dicitur 112.b.13

Q

Quacunque die ingemuerit peccator, saluus erit, quomodo intelligitur 52.b.41
quadragesima dies dominicos in ieiunio non computat 48.b.7
quales inueniri debemus in secundo Christi aduentu 105.a.1.& 105.b.28
quarta ætas mundi sub regibus & prophetis 48.a.4
quarta feria caput ecclesiæ Christus venditus est, ideo luctuosa est 69.a.32
quarta die sol corpor. creatus est, sol iustitiæ venditus 70.b.48
quatuor virtutes, secundum quatuor dimensiones crucis 83.b.13
qui stat, videat ne cadat 174.b.5
qui se humiliat, exaltabitur 178.b.33
quinque vulnera Christi, quinq; foramina petræ viuentis 18.a.23

R

Raab & Ruth, mulieres alienigenæ in linea Christi 36.b.12
ramusculi, quibus lauantur altaria, significant flagella quibus cæsus est dominus 79.a.2
rasura verticis cur nullo ornamento tegitur 24.a.36
rasura designat nos filios esse veri Heliseæ, decaluati propter nos in monte Caluariæ 24.b.5
rasura verticis cur corona vocatur ibidem
redemptio hominis diabolo erat abscondita 140.a.15
relatiuis nominibus magis exprimitur diuinæ naturæ arcanum, quam substantialibus 161.a.33
relatiua non in omnibus conuertuntur ibidem
relatiuis nominibus maximè glorificatur Deus. ibidem
relatiua in deo non sunt accidentia nec ex tempore aduenerunt 163.a.49
responsoria debitè aptanda lectionibus 3.b.32
resurrectio Christi cur per mulieres nuntiari debuit 91.a.34
resurrectio corporum cum immutatione & immortalitate 92.b.2
reus corporis & sanguinis domini qui dicitur 16.b.19
rogationes Mamerti centum annis antiquiores sunt latania Gregorij 134.b.17
rogo te, habe me excusatum, humilitas in voce, superbia in actione 172.a.55
romanæ sedis episcopus propter excellentiam principis apostolorum dicitur apostolicus 7.b.15
romanorum pontificum diuersa & multa additamenta in missa 20.a.1
romanæ ecclesiæ synceritas in fide 20.b.57
romana ecclesia excelsum fidei tribunal ibidem
romana ecclesia super Petram ædificata, contra omnes hæreses murus perstat inexpugnabilis 22.a.57
romana ecclesia mille clypeos omnemq; armaturam fortium habet 22.b.2
roma caput asinæ, super quam sedit Christus 26.b.6
romanus pontifex quando maximè fungitur vice Christi & S. Petri 30.b.20
romanæ ecclesiæ fides verè apostolica 36.a.2
roma spiritualiter Babylon dicta est 64.b.14
romanæ ecclesiæ miranda diligentia in ordinatione diuinorum officiorum 110.b.15.& 109.b.51

S

Sabbatum quatuor temporum cur sex habet lectiones 29.b.56
Sabbatum ante palmas vacat propter eleemosynas Papæ 66.a.3
Sabbati sancti præconia 88.a.55.& 88.b.4
Sabbato sancto cur lectionibus non præfigitur titulus 100.b.25
Sabbato sancto redditur gaudium, canitur hymnus angelicus 101.b.6
Sabbato sancto cur in missa solennia quædam desunt ibidem
Sabbato sancto redditur nobis alleluia 102.a.12
Sabbatum Iudæorum memoria creationis mundi, prima sabbati reparationis est 106.a.53
Sabbatismus iure in octauam translatus est 106.b.16
Sabellius confusor personarum in diuinis 165.b.26
Sabelliani cur patripassiani sunt dicti ibidem
Sacerdotales vestes neq; in vetere neq; in nouo testamento carent ratione 5.b.2
Sacerdos sedens prope altare, Christi victoriam de tentatore significat 10.a.57

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacerdotum & ministrorum Christi officium quale. 52.b.52
Sacerdotes qui propter decimas & oblationes præcipue ministrant, reprobi sunt 55.a.46
Sacerdotij veteris deserendi, nouiq; instituendi signū fuit mysticum, quod Iesus abscondit se & exiuit de templo 63.a.26
Sacerdotes ad deum legatione funguntur pro populo 73.b.23
Sacerdos in altari personam vicemque Christi gerit 74.b.46
Sacerdos & Leuita prætereuntes vulneratum quid designant 177.a.6
Sacramenta maiora sequuntur in missa post euangelium 12.a.6
Sacrificium altaris ipse Christus, hostia vociferationis dicitur 12.b.5
Sacrificium illud verum dei verbum, verum Dei filium continet ibidem
Sacrificium noui testamenti longe melius & sanctius quàm veteris testamenti ibidem
Sacrificium per legem præfiguratum, per euangelium ad altare peruenit 13.b.30
Sacrificium altaris non animalem sed spiritualem in se vitam habet 16.b.53
Sacrificium nostrum acceptum sicut munera Abel sacrificium Abrahæ 18.a.40
Sacrificij noui ritum per primos Apostolos accepit Romana ecclesia 19.b.55
Sacrificium verum in vltima cœna Christus tradit 73 b.13
Sacrificium missæ cur in die parasceues nō celebratur 76.b.13.& 80.a.39
Sacrificium vespertinum & matutinum in die paschæ 91.b.14
Samaritanus vulneratum à latronibus curans, Christus est 176.b.33
Sanguis Christi quomodo clamat de terra 88.a.35
Sapientia Dei patris fons vitæ, lumen de lumine 61. b.10
Sapientia Dei accidens quidem est homini, sed in seipsa vera substantia est 163.a.8
Sapientia dei naturaliter est filius dei ibidem
Sapientia deo patri coæterna, sicut & amor 163.b.23
Sapientia ludens coram deo omni tempore, quali ludit ludo 164.a.25
Sandalia pontificis significant dominicæ incarnationis calceamentum 6.b.28
Sandaliorum corrigia significant copulam carnis cum diuinitate in Christo ibidem
Scœnopegia Iudæorū. i. festa tabernaculorū 146.a.45
Scœnopegiorum mystica & vera celebratio 146.b.3
Scientia multiplex in ecclesia Christi 157.a.57
Scriptura sacra dicitur mystice firmamentū 98.b.18
Scripturarum scientia est causa effectiua luctus pœnitentiarum 120.b.5
Scrutinia circa baptizandos 57.a.30
Scrutinia olim septem fiebant 57.b.14
Secunda dies tum creationis rerū, tum passionis dominimor est quā reliqui dies hebdomadæ 68.a.55
Sedere à dextris dei, quid est 139.b.5
Sedes apostolica temporibus Ruperti in ecclesia Lateranensi 127.a.49
Septuagesima non à 70. diebus, sed à 7. dominicis ita vocatur 43.a.51
Septem ætates mundi 43.b.12
Septuaginta septem generationes Luc. 3. ab Adam vsque ad Christum 45.a.39
Septima ætas ecclesiæ in æterna beatitudine 50.b.16
Septem dominicæ, præcedentes dominicam passionis sunt velut pompa funeris 62.a.48
Septem mulieres apprehēdentes virum vnum, id est, septem dona spiritussancti apprehendentia Christum 99.b.4
Septem duntaxat vocū discrimina in musicis 117.a.5
Septem spiritus dei tanquam septem gradus ad cognitionem dei ibidem
Septem officia pentecostes secundum septem dona spiritussancti 143.b.20.& 158.b.48
Sermo diuinus frumentum est; litera, palea; spiritus, medulla 156.a.23
Sibilus auræ tenuis quid est 124.a.23 (13.b.42
Silentium missæ post offerendam mysterio non caret.
Sordida vestimenta Christi quid sunt 85.b.1
Spinea corona nostrorū portatio est peccat. 84.a.39
Spiritussanctus datur in confirmatione, tanquam tutor pupillis 72.a.31
Spiritussanctus ante passionem Christi nusquam dictus est paracletus 73.a.34
Spiritussanctus datur nobis per Christum, sicut ignis per lapidem 77.b.5
Spiritus dei ferebatur super aquas 98.a.2
Spiritus sancti præconia 101.a.5
Spiritu pietatis beati sunt mites 119.b.19
Spiritus scientiæ facit hominem lugere & seipsum & alios peccatores 120.b.2.6 (121.b.12
Spiritus fortitudinis dat esuriem sitimque iustitiæ.
Spiritus consilij misericordes facit 123.a.50
Spiritus intellectus oculum purgat cordis, vt Deum videat 124.b.4
Spiritus sapientiæ pacificos facit 126.a.38
Spiritussanctus datur vt paracletus, quando datur in remissionem peccatorum 131.a.27
Spiritussanctus est donū optimum atq; perfectum, sine quo & angeli & homines miseri sunt 132.a.39
Spiritussanctus dupliciter donatur nobis ibidem
Spiritussanctus de meo accipiet, cur non ait mea accipiet 133.a.42
Spiritussanctus nobis necessarius multipliciter tanquā tutor hæreditatis nostræ 142.a.30
Spiritussanctus est benedictio, qua benedicuntur omnes gentes in semine Abrahæ 143.a.44.
Spiritussanctus non est deus recens 143.b.30
Spiritussancti potentia & gratia in ecclesia primitiua ibidem
Spiritussancti diuitiarū æternarum cumulus 147.b.4
Spiritussanctus vere Deus est, quia animæ humanæ capabilis est 148.b.5
Spiritus sancti illapsus quomodo sit 149.a.47
Spiritus sanctus cur cum sono repente aduenit in apostolos 150.b.17
Spiritus sanctus est ignis, quem Christus venit mittere in terram ibidem
Spiritus sanctus amor est, ideo & ignis dicitur 151.a.33 163.b.19
Spiritus sanctus, cur in linguarum specie apparuit apostolis 151.b.20
Spiritus sanctus est lingua & calamus scribæ velociter scribentis ibidem
Spiritus sanctus quanta dulcedine repleuit Apostolos 153.a.46
Spiritus sanctus manet in hominibus duobus modis, vno per substantiam, altero per fidem 154.a.10
Spiritus sanctus aliter in Christo, quam in iustis alijs manet 154.a.47
Spiritus sanctus repleuit orbem terrarum 154.b.22
Spiritus sanctus quomodo scientiā habet in nobis 155.a.7
Spiritus sanctus non datur extra ecclesiam catholicam 156.a.48
Statio in medio ecclesiæ in die paschæ 109.b.1
Statio prima processionis ad oratorium sanctæ Mariæ 109.b.48
Statio Romæ ad S. Mariam in die paschæ 110.a.38
Stola collo circumposita, Christi obedientiam significat 6.a.3
Subdiacono cur non datur benedictio, sicut diacono lecturo 10.b.11
Subdiaconus cur librum ante euangelium lectum clausum portat 12.a.36
Substantia dei simplex est, non formata, sed fo. 163.a.18
Superliminare templi in passione fractum dicitur in euangelio Hebræorum 86.b.37
Suscitatio mortuorum duplex 59.b.23
Symbolū fidei alacriter à catholicis cantandum 12.a.14
Synagoga per filiam archisynagogi in euangelio defunctata 157.b.55

TEmpla & altaria recte ornantur rebus preciosis 22.b.12
Templi virtutes præsides dixerunt, Transeamus ex his sedibus 63.a.34
templum Iudæorum post passionem Christi destrui expediebat ibidem
templi, quod Christus est, duo sunt latera, dextrum diuinitas, sinistrum humanitas 107.a.19
tētatio quadruplex, à qua suos liberat dominus 120.b.51
tentatio iusti & proficientis 179.b.1
ternarij numeri excellentia præsertim apud Christianos 103.b.4
terra tremet & quiescet, id est, impij terrebuntur & nocere desinent 112.a.7
terra fluens lacte & melle cœlestis patria 124.a.4
terror in aduentu iudicis in die nouissimo 139.a.11
testimonia trinitatis in veteri testamento præcipuè in Genesi 164.b.51
thamar de Iuda concipiens, ecclesia de gentibus est mystice 130.a.7
tobiæ typus prudentia 181.a.27
tractus cantus tristitiæ, Alleluia iubilus lætitia 45.b.8
tractus lugentium, Graduale pœnitentium lamentum est 70.b.9
traditiones hominum præferebant pharisæi traditionibus dei. 55.a.27
transitus per mare rubrum, figura baptismi 99.a.9
transitus patrum ex limbo in paradisum ibidem
tres pueri in fornace, martyrum victorias præfigurauerunt 66.b.12
tres lectiones in nocturnis vigilijs tempore pas. 113.a.52
triduum Christi in sepulchro, tribus temporibus mundi datum est 103.b.54
trinitatis commemoratio in principio Geneseos 98.b.5
trinitatis opera personis appropriata quidem, sed indiuisa sunt 106.b.41
trinitatis sacramenta, tum in vita, tum in morte Christi 103.b.15
trium personarum appropriata nomina pater, vita, filius, sapientia, spiritus sanctus, amor 151.a.49
trinitas vnus deus, & solus, solus quidem, sed non solitarius 161.a.27
trinitas longe supra dialectico intellectum est 163.b.42
trinitatis effigies in creatura rationali 165.b.54
trinitatis fides in antiquis patribus 167.b.25
tunica vestis episcopi, non presbyteri, rationem sublimium significat 6.b.8
tunica inconsutilis innuit, ne scriptura hæresibus scindatur ibidem

VBi corpus, illuc congregantur aquilæ 138.a.33
Vela cur ante altaria dependent in quadragesima 48.a.22
Velata facies Christi à Iudæis, ne videāt eam 84.a.46
velox cursus victoriæ Christi 103.b.53
venditi fuimus miserabili venditione, redempti gratis à Christo 70.b.56
veris incūditas post hyemis tristitiā in paschate 89.b.38
verni temporis prærogatiua 98.b.37
vesperarum magna & multa mysteria 1.b.38
vesperæ & matutinæ habent octo partes, reliqua solum septem. 2.a.2
vesperæ & matutinæ ordine hymnorum à cæteris differunt ibidem
vidit Deus, quod esset bonum: Hoc dictum in operibus sex dierum vbique reperitur, excepto opere secundæ diei 168.a.57
vidua mortuum plangens filium, ecclesia est & ordo prælatorum 178.a.26
vigiliæ nocturnæ cur in tres nocturnos dispertiuntur. 2.b.40
virgineus partus Mariæ p cereolos designatur. 42.b.27
vita animalis quinq; sensibus fungitur, sed hæc in sacrificio non est 16.b.32
vita diuina omnibus subtilior & simplicior est, ideo nullius capax 163.b.42
vita diuina rationabili creaturæ capabilis est ibidem
vnguentum est spiritus sanctus, caput Christus, barba apostoli, vestimentum ecclesia 6.a.34
vnguentum Mariæ Magdalenæ mysticum 14.a.46
vnicornes singularis superbiæ dicuntur Iudæi 67.b.36
vrias, id est, lux mea dei, superbum populum Iudæorum præsignauit 160.a.32
vtilitas summa Eucharistiæ, quod per eam possumus in cœlum ascendere 17.b.24

FINIS INDICIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD VENERABILEM ECCLESIAE RATISPONENSIS EPISCOPVM CVNONEM, EPISTOLA RVPERTI

Abbatis, pro libro de diuinis Officijs.

PRimitias frugum terræ, quam dominus dedit mihi, nunc offero secundum præceptum sanctæ ac mysticæ legis, dum præsens opusculum, quod de diuinis scripseram officijs, diu expetitum mitto tibi, Cuno pater mi, hactenus Abbas cœnobij Segebergensis, nunc autem, adaucta super te domini gratia, pontifex Ecclesię Ratisponensis. Primitiæ nanque sunt illæ cunctorum operum, quæ mihi à domino prouenisse gauisus es', & libenter legisti, non dubitans ea commendare, & testificari, quòd veraciter sint fruges terræ, quam dominus dedit, id est, veri sensus sanctæ scripturæ, quam spiritus sanctus condidit. Multa eorundem operum tuo nomine attitulaui, nõnulla nomine domini Colonien sis Archiepiscopi Frederici. Hoc autem quod primum erat, & alia pauca sine splendore cuiusquam tituli dimiseram, vt ipse nosti. Itaque primitias quidem frugum obtuleram, & dimiseram eas in conspectu domini Dei, & adorato Domino, epulabar in scripturis, iuxta quod ibidem protinus lex sancta dicit. Et adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sed primitias istas sub nullius obtulerã præsentia sacerdotis, cùm lex hoc modo fieri decreuerit. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesq; ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius, accedesq; ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sim terram, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret eam nobis: suscipiensq; sacerdos cartallũ de manu eius, ponet ante altare Domini Dei tui. Cur non secundum ritum hunc mysticum ad sacerdotem accesserim, dicam. Nondum alicui notus Pontifici, & sacerdos qui erat in diebus illis non curaret, neq; admitteret me ad professionem huiusmodi, neq; crederet saltem, quod mihi exiguo forte diuisum fuisset quicquam de terra ista intra tribus Israël, in funiculo distributionis. Ego aũt sciebam, quòd neq; Moyses neq; sacerdotes, sed solus Iesus sorte diuisisset terram trans Iordanem tribus Israël, & proinde de sacerdotum patrocinio non multum curans, tenebam cartallum, & primitias frugum huiusmodi congerebam, & ponebam ante altare domini Dei, habebã enim intentionem hanc, & desiderium hoc, vt placeret oblatio mea in conspectu Domini. Audiebam interea tale quippiam, quod me recordare faceret illius ex historia veteri, quòd cum locutus fuisset Domi

Deut. 20

Primitiæ cunctorum operum Ruperti sunt hi xii libri. 2. Par. 1.

Deut. 26

Ritum offerendi primitias.

Num. 34. Psal. 77.

Iosue 15.

Calumnia à dextra.

Vide in auctorem. Exod. 25. nus ad Moysen dicens, Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas, & illi certatim offerrent, venerũt artifices & dixerũt Moysi: Plus offert populus quàm necessarium est, oblata sufficiunt & superabũdant. Simile huic audiebam, quia dicebatur aduersum me: Iste scribit quod necessarium nõ est. Sancti scripserunt, sanctorum scripta sufficiunt & superabundãt, non sufficimus legere quæ sancti scripserunt, nedum hęc quæ isti ignoti sine authoritate de corde suo scribunt. Hæc & alia multò grauiora surda aure prætericns, vt totus eram possessus ab ea, quæ me tacere non sinebat, dilectione verbi Dei, & primitias istas & alia nonnulla in cartallo meo cõgessi, donec venires tu amicus & patronus fidelis, per quẽ ego innotescerem sacerdoti Domini ecclesiæ Agrippinensi. Ecce autem tu sacerdos gratuita vocatione domini, tu pontifex factus ex spontanea electione cleri & populi, ad quem cum primitijs, imo & cum cunctis frugibus huiusmodi fiducialiter accedam & dicam: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sim terrã, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret eam nobis. Scio enim quòd professionem istam libenter accipias, vt dicam, quia Dominus Iesus, qui populo suo traducto per aquas Iordanis, forte diuisit terram in funiculo distributionis, id est, qui credẽtibus & iustificatis gratia ipsius per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti diuisiones gratiarum distribuit, meã quoq; parui tatem in eadẽ distributione cognouit secundum funiculũ hunc, quẽ exprimens Euangelista: Tunc (inquit) aperuit illis sensum, vt intelligerẽt scripturas. Parum dixi, quòd libenter accipias professionẽ huiusmodi, imo & hoc veraciter dicere possum, quia nimis, & plus quàm vellem insistens, etiã me adiurasti, vt nõ contentus dixisse tibi, scriberẽ quoque, qualiter in hãc terræ optimæ partem ingressus sim, cui adiuramẽto cur obedire necdum ausus sim, Deus scit, & tu mihi cõscius, ex parte nosti. Suscipies ergo ô sacerdos domini cartallũ de manu mea, & pones ante altare domini, maiori cum auctoritate quàm hactenus feceris, & ego loquar in conspectu domini, quoties vel tu, vel aliquis exemplo tuo, scripta nostra relegere dignatus fuerit, tanquã fruges terræ, quam dominus dedit, cui dominus benedixit. Sunt autem præsentiũ primitiarum libelli XII. & deinde cæterorũ, quæcunq; obtuli, numerũ subscribere curaui. Commentariolum in Iob librorum X. abbreuiatum ex abundãtia sensuum atq; dictorum B. Gregorij. Tractatus in Euangelium Iohãnis librorum XIIII. Opus de operibus sanctæ & indiuiduæ Trinitatis librorum XLII. Opus in Apocalypsin Iohannis librorum XII. Opus in XII. minores prophetas librorum XXX. Opusculum de victoria verbi Dei (quod penè tuum proprium est) librorum * XII. Et opus de gloria & honore filij hominis secundũ Euangeliũ Matthæi, in quod tu more tuo me impulisti. Et opus ex libris Regum, de glorioso rege Dauid, in quod

Cunonis dignitas.

Deut. 26.

Tit. 3.

1. Corin. 12.

Luc. 24.

Alibi fatetur ipse auctor ex diuina reuelatõe se in scripturis versatum esse.

Catalogus operum Ruperti.

* XIII.

quod me dominus mẽus Colonienſis Archipræsul vehemẽter impulit, quorum in altero vsq; ad octauum, in altero vsq; ad vndecimum librũ processi, in quibus nũc teneor, quæ cùm, vita comite, perfecero, dimittã & ista per manum tuam in conspectu domini, & adorato domino epulabor in omnibus bonis, quæ dederit mihi. Opusculum quoq; in Cantis canticorũ VII. libellis explicui, quod tu tanto libentius legisti, quanto fidelius ac deuotius beatam virginẽ Mariam, dilecti filij Dei genitricem diligis, cuius honori idem opus totum dedicare studui. Hæc commemorans plurimùm cõgratulor tibi, quòd aliquem iam fructum perceperis magnę dilectionis, qua verbum Dei te semper dilexisse & dilige re optime noui. Hoc verbum flamma tua est, lux tua est, & hoc habens in corde & in ore tuo, lucerna tu es, quam Deus, qui accendit, nõ solum absconditam esse noluit, verumetiam maiore quàm eras in domo maius super candelabrũ, quàm steterat, poni ac lucere voluit. Nec dubito, quin omnis simplex oculus te videns, congaudeat propter lucem verbi, quę ex ore tuo radiat, credo tantò abundantius, quantò plures in domo sunt, in qua lucem huiusmodi ministrare debes. Ego præcipuè exultare debeo in lumine tuo. Nec verò ad horã exultare volo, aut debeo in hoc lumine tuo, sed in exultationem sempiternam tendo, quò & te tendere scio. In hoc est enim vera exultatio, nõ quia ditior, aut glorioſior factus es in hoc seculo, sed quia diuitiarum præsentium & huius gloriæ cumulus atq; perfectio manet in cœlo, dum diuitiæ prẽsentes manũ implent ad faciendam eleemosynã, cupiẽti thesaurizare in cœlo. Et gloria præsens, quoniam secũdum Deum est, materia fit amplioris dilectionis, & gratiarum actionis, quia misericordiã hanc socia roborat veritatis spes, iuxta illud: Misericordia & veritas præcedent faciem tuã Domine. Misericordia te hic exaltauit. Veritas illic te beatum faciet, scientem nunc, & perfectius sciturum tunc sanctorum iubilationem, de quibus ita dictum est: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.

Compleuisse aũt postea in Matthæum sane libros xij. in Dauid xv.

cõmendatio Cunonis

Matth. 5.

Iohan. 4.

Matth. 6.

Psal. 88.

Ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS PER ANNI CIRCVLVM, PROLOGVS.

EA quæ per anni circulum, ordine cõstituto in diuinis aguntur officijs, & attentum auditorem, & eruditum, vt benè exponantur, expetunt venerabilium scripturarum didascalũ atq; symmysten. Altissimarum namq; signa sunt rerum, & maxima quæq; continent cœlestium sacramenta secretorum: quorum ad maiestatem contemplandam, non nisi eruditus & religiosus quispiá aspirare idoneus est. Siquidem ab his viris ordinata hæc, atq; in obsequiũ Domini nostri Iesu Christi, qui est caput Ecclesię, instituta sunt: qui sacramenta incarnationis, natiuitatis, passionis, resurrectionis, & ascensionis eius, & sublimiter intellexerunt, & prædicare voce, literis atq; huiusmodi signis fideliter & sapienter curauerũt. Videlicet imitati sunt hoc pacto benedictos filios Noe, Sem & Iaphet, qui nuditatem patris ridente maledicto Cham, assumpto pallio post dorsum suum, reuerenti diligentia contexerunt. Nam quid aliud Noę de vinea sua, quam plantauit, ipse inebriatus dormiensq; & in tabernaculo suo nudatus, nisi Dominum Iesum Christum præfigurauit, qui à vinea sua, quam de Aegypto transtulit & plantauit, inebriatus aceto pœnarum, sopitus somno mortis, id est, habitu inuentus vt homo, palàm quòd passibilis mortalisq; esset, apparuit? Sed exeat & foris nunciet, eumq; infirmitatis arguat Cham, quod interpretatur calidus, scilicet omnis hęreticus calens ad rixam, cõtentiosus & impatiẽs. Nam inclytus Sem, & dilatatus Iaphet, videlicet Catholici atq; Apostolici Patres, honesto sacramentorũ pallio, propter nos assumptam ornant & venerantur infirmitatem, & hoc post dorsum suum, quia sanè infirma illa transierunt, nec ea præsentes ipsi viderunt. Hæc verò sacramenta celebrare, & causas eorum nõ intelligere, quasi lingua loqui est, & interpretationem nescire. Qui autem lingua loquitur, inquit Apostolus, oret vt interpretetur. Hoc inter spiritualia charismatum dona, quibus Ecclesiam suam Spiritus sanctus exornat, magis æmulari nos hortatur, vt prophetemus, id est, vt ea, quæ spiritu oramus aut psallimus, mentis quoque intelligentia capiamus. Sed non omninò, quemadmodum si orem lingua, spiritus quidem meus orat, mens autem sine fructu est, ita de his quoque sentiendum est. Nam qui mysteria vel signa Ecclesiæ fideliter & piè frequentãt, quamuis causas eorum scire non potuerint, non tamen sine fructu sunt. Ideo quippe hæc instituta sunt, vt miro modo secręta Dei, quæ à paucis possunt intelligi,

Ephes. 2.

Genes. 9.

Psal. 59. Iohan. 19.

Philip. 2.

1. Corin. 14.

telligi, penè ab omnibus possint agi. Nunquid quia in operando soli vident oculi, cætera membra, quæ non vident & tamen operantur, sine fructu sunt? Sed vnumquodq; membrum suam dignitatem habet. Prę-eminent autem oculi, qui cætera ducunt & dirigunt. Igitur sacramẽtorum omnium opificem inuoco Spiritum sanctum, vt qua per sanctos Patres hæc ordinauit, eadem mihi secundum sensum & authoritatem scripturarum, aperire dignetur gratia. Visum est autem hoc opusculũ sic ordinari, vt primum ea, quæ penè quotidiana sunt, deinde quæ certis temporibus & causis variantur, digeram ipso adiuuante Christo, cuius pio sanguine vniuersa terra purpurata est, cuius victorijs cœlum floret, cuius mysterijs tempora insignita sunt, cuius memoria dies & horæ ornatæ sunt. Illud à bonis omnibus huiusce studij meritum vel dignitas impetrare debebit, vt quamuis vetus cum suauitate vinũ bibere assueti sint, nostra tamen musta despuenda non iudicent. Neq; enim authoritati veterum quicquam detrahimus, Ammalarij scilicet & aliorũ, si qui fortè scripserunt de huiusmodi, sed licuit, semperq; licebit cuique dicere salua fide, quod senserit. Primùm quidem quotidianũ nostræ seruitutis pensum, videlicet septem diei horæ, quas Canonicas, id est, regulares dicimus, vnde causas institutionis acceperint, iam dicendum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER PRIMVS.

De horis Canonicis. Cap. I.

SEptem Canonicas horas diei non licet à quoquam, qui in conſpectu Dei vacuus & ingratus apparere nolit, negligenter prætériri. Hæ ſi quidem creatori noſtro deferũt laudes, & pro certis ac magnis eius beneficijs quaſi vectigales ſunt gratiarum actiones. Sol namque verus & dies æternus Chriſtus, duo decim habens horas ſpirituales, & ſempiternè ſecum ſtantes, has ſeptem horas temporaliter currentes, clariſsimis miſericordiæ ſuæ radijs illuſtrauit atque dedicauit. Singularum rationes de theſauro ſcripturarum proferemus. *Iohan.1.*

De Prima. Cap. II.

PRima hora creatori noſtro laudes referre debemus, ante omnem curam corporis, qua ſcilicet hora Dominus noſter iã conſputus & illuſus, atque alapis cæſus, & adhuc obprobrijs ſaturandus, Pilato propter nos ligatus aſtitit: itemq; rediuiuus ſtãs in littore, cùm in captura piſcium, à quibus retia rupta non ſunt, ſignificaſſet eccleſiam, qualis futura eſt in reſurrectione mortuorum, mellitũ cum ſeptem diſcipulis celebrauit cõuiuium. Quia ergo primùm quærendum eſt regnum Dei, & cætera adijcientur nobis: & in lege iubet Dominus omne ſibi primitiuum offerri, primã offeramus horam diei noſtro redemptori, & quæramus regnum eius, qui paſſus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. *Matth. 27. Iohan. 21. Matth. 6. Exod. 13. 23. Rom. 4.*

De Tertia. Cap. III.

HOra tertia duplici ratione ſplendet inſignis. Nanque hac hora Dominus Ieſus ſpinis coronatus, & linguis Iudæorum crucifixus eſt. Iuxta illud: Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus: videlicet quia Pilato iudicante illum dimitti, firmauerunt ſibi ſermonem nequam, pertinaciter clamando, crucifige, crucifige. Et Spiritus ſanctus, qui in remiſsionem peccatorum non fuerat datus, antequam Ieſus eſſet glorificatus, ſuper naſcentem Eccleſiam in igneis linguis effuſus eſt, & eſt impletum diſcipulis promiſſum Domini dicentis: Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. *Matth. 27. Marc. 15. Pſal. 56. Pſal. 93. Iohan. 19. 7. Actor. 21.*

De Sexta. Cap. IIII.

HOra ſexta Chriſtus Dominus propter nos in cruce exaltatus eſt, vt ad ſe omnia traheret, & extincto modico lumine Iudæorum, de quo ipſa lux vera dixerat: Adhuc modicum lumen in vobis eſt, currite dũ lumen vitæ habetis, vt non tenebræ vos cõprehendant. Corporalibus quoq; ſuper terrã irruentibus tenebris, lumen verum tranſiuit ad illuminationem gentium. *Iohan. 12. Ibidem.*

De Nona. Cap. V.

NOna quoque hora, iure in laudem Dei clamamus, quando clamans Dominus Ieſus voce magna emiſit ſpiritũ, latrone admiſſo in paradiſum, & venia quamuis ſerò, ve raciter pœnitentibus & confitentibus dedicata, & reſciſſo velo legis & prophetarũ, cœpimus reuelata facie contemplari gloriã Domini. Tunc etiam latere eius perforato formandæ eccleſiæ profluxerunt * elemẽta, ſanguis, quo redimimur, aqua, qua abluimur. *Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Iohan. 19. 2. Cor. 3. * aliæ ſatis*

De Matutina & Veſpertina Synaxi. Cap. VI.

VEſpertinæ atque Matutinæ laudis ſacrificium, magnis eſt nobis ſacramentis dedicatum. Omitto quod in vmbra veteris inſtrumẽti, mane & veſpere iugiter offereba tur holocauſtum, de quo dicit lex: Sacrificium eſt Domino in odorem ſuauitatis oblatione perpetua in generationes veſtras. Ad Euangelicam enim propero gratiam. Inde harum ſplendida clareſcit horarum dignitas. Veſpere Dominus panem & vinum aſſumens, & veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentans, ſuis portatus in manibus teſtamentum ſcribit ſuis hęredibus: humilitatem ſcilicet & charitatem, lauando pedes diſcipulorum, maximè commendans, iterumq; recũbens, lõgi ſolennitate ſermonis, amicis & fi liolis iam moriturus vltimũ vale dixit. Item in veſpera ſepelitur, in veſpera nihilò minus apparens viuus in habitu peregrini, cognoſcitur in fractione panis, & hoſpitalia diſcipu lorum corda iniecto ſuæ charitatis igne ſuccendit. In matutino Petrum, qui ter negauerat, galli cantus redarguit. Dominus reſpicit, & negator pœnitens ad lachrymas confugit. Item diluculo ſanctis mulieribus reſurrectione Domini à dealbatis angelis annunciata, triſtitia fidelium iam incipit conuerti in gaudium. Quęritur viuens cũ mortuis, & viuũ ſe oſten- *Exod. 20. Matth. 29. Luc. 22. Hebr. 9. Iohan 13. Matth. 27. Luc. 24. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

oſtendit, tãgi quoq; dignatur & adorari. Notandum, quod cùm cæterarum ſeptenæ ſint partes horarum, id eſt, verſus, Deus in adiutoriũ meum intende, cũ Gloria Patri, Hymnus, Pſalmi, Lectio, Reſponſoriũ vel verſus, ſupplicatio Letaniæ, & oratio cõpletiua. His horis octauum additur cãticum de Euangelio, quia ſcilicet canuntur pro octaua: ſpectãt enim in beatitudinẽ reſurrectionis, qua maximè inſignitæ ſunt, iuxta ſenſum illius Euãgelici capituli, Veſpere ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati. *Matt. Glr. Marc. Glr. Luc. Glr. Iohan. 20.*

De Completorio. Cap. VII.

HOra completorij nobis illud commemorat de paſsiõe domini, quòd iam egreſſo Iuda, pauere cœpit & tædere, factuſq; in Agonia, prolixius orauit, & ſanguineas guttas proſtrato corpore ſudauit, torcular tunc ſolus calcans, & in futuro ſanguinem martyrum pro poſſe fundẽdum prẽſignans: itemq; illud de reſurrectione eius, quòd prius quàm fecerat pacem inter deum & homines, legatus fidelis rediens euangelizauit nobis, ſtans in medio diſcipulorum ſuorum, & dicens eis: Pax vobis. *Matth. 28. Matth. 14. Luc. 22. Eſa. 63. Ephe. 2. Iohan 20.*

De Vigilijs nocturnis. Cap. VIII.

VIgilias nocturnas, de quibus & Prophe ta, media, inquit, nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Item euangelicæ nobis gratiæ claritas magnificẽtius inſtituit. Nam dominus noſter media nocte de virgine natus, itidem, vt Samſon quondam obſeſſus ab Allophylis, media nocte, confractis portis inferi, ſurrexit à mortuis. Media nihilominus nocte venturus aſſeritur in ſimilitudinẽ Aegyptij temporis, quando paſcha celebratum eſt, & exterminator venit, & dominus ſuper tabernacula tranſijt, & in typum noſtrarum frontium ſanguine agni poſtes conſecrati ſunt. Vnde reor (inquit beatus Hieronymus) traditionem Apoſtolicam permãſiſſe, vt die vigiliarum paſchæ ante noctis medium dimittere non liceat populos expectãtes aduentum Chriſti, & poſtquàm aduenerit illud tempus, ſecuritate præſumpta feſtum cunctos agere diem. *Pſal. 118. Luc. 2. Iudic. 16. Matth. Glr. Matt. 25. Exod. 12. Apoc. 7.*

Cur veſperæ vel matutini, ordine à cæteris differunt horis. Cap. IX.

CVm autem, exceptis nocturnis vigilijs, hæ ſeptem ſint horæ diei, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completorium: Matutini & veſperæ à cæteris horis & numero pſalmorum & ordine hymnorum, non immeritò differunt. Nam ex veteri quoque teſtamento, antiquam (vt dictum eſt) authoritatem trahunt. Nec enim nihil momenti habere debuit in his antiquitas illa matutini & veſpertini ſacrificij, & vt ſupra repetam, immolatio paſchalis agni, quæ fiebat in veſpera, & illud quod fiebat in vigilia matutina, quia reſpexit dominus ſupra caſtra Aegyptiorum, & interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebãturq; in profundum. Itemq; illud quod in mũdi creatione, alijs horis tacitis commemorantur veſpere & mane, in ſenaria diuinorum operum diſtinctione. Iure ergo hymnum, qui eſt Euangelicę lęticiæ, exemplo domini, qui hymno dicto exiuit in montem oliuarum, his duntaxat horis pſalmi vetuſtæ authoritatis antecedũt, & quia ex Euãgelio maxima ſacramenta cõmemorant, & ob hoc Euangelicis decorati ſunt canticis, hymnos eiſdem pene coniunctos habent. Completorium quoq;, quia apud quoſdam cantico de Euangelio habet, cum eodem cantico poſt pſalmos hymnum, habet cõtiguum Nec mirum, cùm in pſalmorum quoq; titulis, nunc pſalmus cantici, nunc canticum pſalmi inuenias, & ipſa commutatio ratione non careat. Omnium in commune horarum dignitatẽ reuerendam & hoc indicat, quòd earum initium, & finem pariter referimus ad Deum. Nam initio Deum in adiutoriũ inuocamus, in fine Deo gratias referimus. *Exod. 27. Deuter. 16. Exod. 14. Matth. 26. Mar. 14. Pſal. 29. Pſal. 65.*

De Ordine horarum in feſtiuitatibus. Cap. X

QVoties de tempore gratiæ, materiam laudis ſumptam habemus, verbi gratia, diebus dominicis & ſanctorum natalitijs, genua in ipſis horis non flectimus, ſtando proferentes libertatem, & gratiam, quæ colli noſtri, qui eramus curui, iugum ferreum cõfregit, vt incederemus recti. Tunc & vigilias in tribus diſpartimur nocturnis, vt non ſolum verbo, ſed etiã facto tres vigilias prædicemus, de quibus ait dominus: Beati ſerui illi, quos cũ venerit dominus, inuenerit vigilãtes: & ſi venerit in ſecũda vigilia, & ſi in tertia vigilia, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Tunc legendi atq; canẽdi officia, quæ ad ædificandam eccleſiam inſtituta ſunt, numeroſius concrepant, vt nos præparemus ad aperiendum domino, quacunq; hora pulſaue rit, ad modum duarũ veteris teſtamenti tubarũ, quæ ad mouendũ caſtra crebrius atq; cõciſius clangere iuſſæ ſunt. Ipſa autẽ lectionũ pluralitas non eadem in omni ordine eſt. Nã clerici nouem, monachi duodecim legunt. Illis nouenaius eſt tetragonus, id eſt, æquis vndique quadrus lateribus, hoc innuit, quòd verbum & opus prędicatorum æqualia ſemper eſſe debent, his verò duodenarius inæ- *Galat. 4. Epheſ. 2. Hierem. 28 Eſai. 45. Luc. 12. Apoc. 3. Num. 10.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

qualibus cõstans lateribus. Nam ter quatuor vel quater tria, duodecim faciũt. Hoc in finu at, vt in vno magis extendantur, & exẽplo Iacob, cũ domino luctantes claudicent, scilicet minus operantes, vt amplius meditari queãt hi, qui fidẽ Trinitatis mundo quadrifido prędicãt. Nam in vtroq; ordine pluralitas lectionum, pluralitatem significat prędicatorũ, qui ex tempore gratiæ plures in mundum missi sunt. Sic enim profunda nocte gallus rariores atq; productiores cantus edere solet, vicina verò die crebriores atq; citatiores: sic ante incarnationẽ dominicã pauci & rari, post verò multi & crebri præcones vitæ missi sunt. Paucitatẽ anteriorum, in tribus priuatarũ noctiũ lectionibus, multitudinẽ posteriorum, in natalibus Domini vel sanctorũ noui testaméti significamus. Adeo aũt causa hæc vim rationis obtinuit, vt Romanus ordo (qui diuinarum rerum causas secundum Apostolicã fidem laudabiliter executus est) in ipsa nocte paschali nõ plus, quàm tres lectiões habere decreuerit. Illa nanque nocte prædicatores sancti, scilicet Apostoli, & numero pauci, & metu Iudæorum muti, & de morte Domini mœsti, videri fugiebãt, audiri metuebant. Nã in ipso crepusculo, referentib. sanctis mulieribus, q̃ resurrexisset Dñs, & quòd visus esset ab eis, nõ crediderũt, & visa sunt corã eis quasi deliramenta verba hæc. Nec solum illa nocte, sed exinde quoq; vsq; Pẽtecosten, causam eandẽ in paucitate lectionum cõsiderat: quãdo prędicatores sancti & numero plures, & feruore S. Spiritus facundi sunt. Non tamen minus rationi appropinquant, qui maiestatẽ solennitatis attẽdentes, integrũ & solennem lectionũ obseruant numerum: quia & si Apostoli muti fuerũt, angelorũ alloquia, & ipsius Dñi frequens visitatio, valde celebris & sequenda prædicatio est.

Genes. 32.

Luc. 24.

Matth. 28. Ioan. 20. 21.

Cur lectiones oratione præuenimus. Cap. XI.

PRædictas lectiones ideo oratione præuenimus, quia rogare debemus Dominum messis, vt mittat operarios in messem, & vt aperiat cor nostrum in lege sua & in præceptis suis, ne semen verbi Dei, quod audituri simus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut duritia petræ frustrata radice supplantet.

Matth. 9. 2. Mach. 1. Matth. 13. Luc. 8.

De Iube Domine. Cap. XII.

LEcturus verò, benedictionem petẽs, hoc significat, quòd nemo nisi missus aut permissus, officium prædicandi vsurpare debeat. Quomodo enim prædicabũt, inquit Apostolus, nisi mittantur?

Rom. 10.

De Tu autem Domine. Cap. XIII.

QVodq́ue in fine dicit: Tu autem Domine miserere nostri, hoc innuit, ne ipsum quidem bonum officium prædicandi sine alicuius vel leuis culpæ puluere posse peragi. Nam (vt ait beatus Augustinus) verbum prędicationis securius auditur quàm dicitur. Prædicator quippe cùm benedicere se sentit, difficile nimis est, vt non quantulumcunque spiritu elationis tangatur. Et quia quasi per terram ambulat, & pedes eius aliquo puluere sordidantur, idcirco misericordia Dei indiget, vt in hac parte lauetur, etiamsi mũdus sit totus.

Matth. 14.

De Deo gratias. Cap. XIIII.

QVòd vero Deo gratias succinit chorus, non ad vltimam precem lectoris, sed ad totam lectionem respicit. Gratias nanque agimus Deo, quòd doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur, ne fame audiendi verbum Dei pereamus. Nã & ad lectiones, quarum in fine, tu autem Domine, non dicitur, scilicet ad capitula horarum regulariũ, quia verbum Dei est, in quo viuit omnis homo, Deo gratias succlamamus.

Esa. 38. Luc. 14. Deut. 8. Matth. 4.

De Responsorijs Cap. XV.

REsponsoria, quæ post lectiones canimus, nobis innuunt, sanctis monitis Dei factis nos respondere debere, ne simus similes pueris sedentibus in foro, ludentibus ac dicentibus: Cantauimus vobis, & non saltastis, lamentauimus vobis, & nõ ploraſtis. Dicuntur enim à respondendo. Tristia nanque tristibus, & læta lætis debemus succinere lectionibus. Siquidem neque moris est, neque decoris, vt cùm lector tristia dixerit, verbi gratia, quæ sunt pœnitentiæ, siue lamentum aliquod dominicæ passionis, chorus in respõsorio saltet de gaudio regni, & gloria resurrectionis. Sed dum lector, velut Iohãnes nõ manducans neque bibens, prædicat pœnitentiam, nos itidem in responsorio ploramus: dum ille, velut filius hominis manducans & bibens, cantat nobis de gaudio regni, succinentes eidem, aptè saltamus. Quodq́ue vno præcinente, tam in his, quàm in cæteris eiusmodi, chorus concorditer sequitur, illud astruit, quod Apostolus obsecrat, vt idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata.

Matth. 11.

1. Cor. 1.

De Campanis. Cap. XVI.

SOnora esse instrumenta in Ecclesia, quibus ad laudem Dei populus excitetur, diuinæ authoritatis & antiquæ consuetudinis est. Nam olim tubæ, aut campanæ, diuersa quidem specie, sed eadem habentur ratione. Legimus in Leuitico tubas ex iussu Domini factas, quarum vsus esset in Iubilæo, tantæ

Leuit. 23. 25

Num. 10. Iosue 7. 1. Paral. 15.

tantę virtutis, vt ad crepitum earũ corrueret Hiericho. Et Paralipomenon inter cantores, nabilis arcana cantantes, & inter Leuitas pro octaua canentes, cõcinente & subsiliente Dauid, septem tubarum clangorem personante corã arca fœderis Domini. At nunc ad confitendũ domino, & ad annunciandũ mane misericordiam eius, & veritatẽ eius per noctem & ænea signa personant, & ad omnem horã diuini officij, tanquam in exordio præclaræ orationis, has partes tenent, vt attentos docilesq́; ac benefolos diuinæ laudis auditores efficiat. Hæc igitur ecclesiæ signa, atq; illæ legales tubæ, vnum atq; idem significant, scilicet sanctos Ecclesiæ prædicatores, qui ad Sion montem & ciuitatem sanctã, cœlestem Hierusalem, & multorũ milium angelorum frequentiam, & ad futurũ Dei iudicium populum inuitãt & præparant, magnitudinem rei, magnitudine dicendi, qua possunt, exprimere cõtendunt: vt repositas intrinsecus aures cordis percellere, sensumq́; surdi auditoris ad audiendum flectere & vincere contendant. Quamuis ad potiora festinet oratio, prætereundum non est, quomodo prædicator perfectus, huiusce signi quadam similitudine formetur. Duritiam metalli, fortitudine mentis, plectrumq́; ferreũ, quo sonus elicitur, constantia sermonis imitetur. Ecce dedi, ait dominus, faciem tuam valentiorem faciebus eorũ, & frontem tuã duriorem frontibus eorum, & vt adamantem & silicem faciem tuam. Fugiens quoq; terrenã habitationem, & dicens: nostra autem conuersatio in cœlis est, sursum cor suspendat, pẽdensq́; de turri fortitudinis, quæ stat contra faciem inimici, speculatorem se meminerit positum esse domui Israel. Gestet autem lignũ crucis in capite, id est, in principali suo, quod est mens, funemq́; exinde colligatum, id est, vinculum charitatis, vsque ad infirmos fratres, quasi vsque ad terrã porrigat, quo communi tus, personare, & os suum dilatare nunquàm desistat, dicens: Charitas enim Christi vrget nos. Ita custos super muros Hierusalem constitutus, nõ taceat, sed quodcunq; viderit vel audierit, annunciet, iuxta illud: Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, & tota die & tota nocte, instãs oportunè, importunè, his qui dormiũt in lectis eburneis, & lasciuiunt in stratis suis, nõ taceat laudare nomen domini, ne vsq; ad matutinũ, id est, vsq; ad tremendum Dei iudiciũ malè pacato consepulti somno pereant. Ad postremum illud notandũ, quòd quemadmodum ex tempore gratiæ plures prædicatores missi, crebrius theologicis cõcrepant symbolis, habentes donationes secundum gratiã, quæ data est eis, differentes: ita signa prędicta quãtitate & sono differentia, quoties aliqua donationis Euangelicę festiua commemoratio fit, tumultuosius tinniunt, & pertonant crebrius, & productius reboant, vt dormientes in nocte & ebrios (qui enim dormiũt, nocte dormiunt, & qui enim ebrij sunt, nocte ebrij sunt) ad laudem Dei quasi violenter excitẽt, & si non euincunt sic, vt eos exurgere cogãt ad orandum, ne intrent in tentationẽ, saltem securè dormire non permittant. Trinũ itaque solennis diei clasicum, id est, matutinũ, vespertinum, & quod ad missæ pulsatur initium, sic imitetur Euangelicus prædicatorũ chorus, vt semper prædicet lamẽtationes prę sentis vitæ, carmen futuræ, væ gehennæ.

Psal. 91.

Rom. 13. 1. Thess. 5.

De ministerio altaris. Cap. XVII.

IAm nunc ad thesaurum summi sacramenti, scilicet ad missæ sacretarium accedere, quotidiani cursus ordo situs exposcit. Quòd si mihi peruiũ fecerit thesaurari⁹ salutis atq; ordinator charitatis, si aperuerit clauis Dauid qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, gratulari & cantare licebit animæ meæ, quòd eam rex in cellam vinariã introduxerit. Hoc enim sacrariũ propitiationis est: hoc illud propitiatorium, in quod versis vultibus duo Cherubin, id est, duo testamenta mutuò se aspiciunt. Nam quod in veteri testamento promissum, præsignatum & à lõgè salutatum, in nouo autem datum, reuelatũ & palàm est factum, hîc præsentaliter exhibetur, non in vmbra sed in veritate, non in figura sed in re. Hic illud agitur, in quo noster Dauid insanire videbatur regi Achis, quã do tympanizabat pendens in cruce, & impingebat ad ostia ciuitatis, id est, ad cõclusa corda non credentia sibi: quando ferebatur in manibus suis tenens panem & vinum, & dicẽs, hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus nouum testamentum: quando defluebant saliuæ in barbã, id est, videbatur loqui infantilia, dicens, nisi manducaueritis carnem meã & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Fugit quippe ab illo populo suo, quem nunc vocat Achis, id est, quomodo est? eò quod dixerit, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Vocabat autem eum priùs Abimelech, id est, patris mei regnum, & accepto regno super verũ Iudam, verumq́; Israel, nunc mysticum sensum Paralipomenon, indutus stola byssina, vestitus Ephod lineo, præcentor inclytus, choros ducit sacrificans, & subsilit coram arca fœderis domini. O regem, ô sacrorum principem. Quid sibi vult tantum, tam

Apocal. 3. Can. 2.

Exod. 25.

Heb. 9. 10.

1. Reg. 21.

Matth. 26. Luca 22.

1. Reg. 21. Iohan. 6. 1. Paral. 15.

1. Paral. 16.

Ezech. 3.

Philip. 3. Psal. 60. Ezech. 3.

2. Corint. 5.

Esa. 62.

2. Tim. 4.

Amos 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam clari capitis tripudiũ, dũ tendit arcę Dei tabernaculũ, & indutus Ephod offert holocaustũ, & in nomine Domini benedicit populũ: ad quę cùm esset de tribu Iuda, nõ pertinebat sacerdotiũ? Sed repulit Dominus tabernaculũ Sylo, & occisis sacerdotibus Sylo, elegit tribũ Iuda, elegit Dauid seruũ suũ. Ecce prægestit rex de tribu Iuda confidenter agere in his, quæ deberi sciebat filio suo dño suo, in quę hæc dicebat: Iurauit Dominus & nõ pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech. Ecce imperat sacerdotibus, mandat Leuitis, vt sanctificentur, cantores constituit, eligit qui cantent arcana, qui canant pro octaua, qui clangant tubis, qui personent buccinis, qui concrepent lyris, cymbalis, nablis, organis. In his omnibus ad filium respicit. Ascendens enim in altum captiũam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Sciendum nanq;, arcã domini (quæ interdum pro quouis rectore ecclesiæ accipi consueuit) multò magis cõuenienter designare humanitatem saluatoris Christi, quæ in latere fenestram habet, id est, vulnus lanceæ, quo fluxerunt aqua & sanguis: intus continens mãna, id est, vnitum sibi verbum Dei: & tabulas testamenti, quia in ipso sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ absconditi, & virga sacerdotalis & regię potestatis. Arcã ergo Dei noster Dauid, mortis imperio, quasi regno Saul destructo, deducit in Hierusalem, & collocat in tabernaculo cœli, quod ipse tetendit. Quod respiciens ecclesia diebus proximis sanctæ resurrectionis, exemplo prioris populi se excitat ad concinendum suo Dauid, dum hoc responsorium cantat: Decantabat populus in Israel alleluia. Canit ergo vniuersa multitudo Iacob legitimè, & ipse Dauid cum cãtoribus citharã percutit in domo domini. Quicquid n. Israel canit, hoc magistro, hoc præcentore, citharas cordium digito Dei percutiente, didicit. Ab hoc concitatus iubilus cordis in voces corporeas chorię; concentum, nunc grauiter, nunc acutè aut excellenter erumpit, & magni corporis ecclesiæ per omnes gentes diffusę, quia vna fide resonat, cãtus pariter, & in simul vbique & vndiq; multiplex & vnus ab ipso suauiter auditur. Igitur ordinem altaris, ordinẽ magnæ & interminatæ rationis iam libet attingere, & eorum quæ præcesserunt in capite, scilicet Christo, sacrorum principe sacerdotibus, qui sunt membra corporis, imitationem, ipso aperiente, vel ex parte cognoscere. Et primum de sacerdotalibus vestibus dicendum.

Psal. 77. Matth. 22.

Psal. 109. 1. Paral. 15.

Psal. 67. Ephes. 4.

Ioan. 19. Hebr. 9. Coloss. 2. 2. Reg. 6. 1. Paral. 15.

De Habitu Sacerdotis. Cap. XVIII.

IN habitu sacerdotali nihil esse, quod vacet à ratione, apud veteres quoque constitit, sicut beatus Hieronymus scribens ad Fabiolam testis est. Apud nos ergo quantò sacerdotium Christi veteri sacerdotio dignius est, tantò in habitu sacerdotali, causas habere probatur digniores. Illi enim sacras vestes secundum colorem, materiã, positionemq; cuiusq; ad quatuor elementa mundi, ad duo hemisphæria cœli, partesq; Zodiaci, ipsumq; cœlum referentes, ad vltimũ in auri lamina, quæ in fronte pontificis erat, inscriptum habens ineffabile Dei nomẽ: hoc significari võlétes, quòd omnia quæ subter sunt, Dei arbitrio gubernentur, iustum esse commemorabant, vt pontifex * creatoris non solum pro Israel, sed & pro vniuerso mundo rogaret: licet nostri & beatus Hieronymus, iuxta morẽ suum, in his quoq; spiritualis intelligentię vela pandere soleãt. Quoniam ergo nec vetera ratiõe caruerint, nos exẽplaria cœlestium supergressi, ipsa potius in vero sacerdotio cœlestia contemplemur.

Exod. 28. * creatore

De Amictu. Cap. XIX.

SAcerdos in officio altaris, capitis sui, scilicet Christi, cuius membrum est, personam gerit. Quidam amictu caput suum obnubit, donec super os casulæ illum reuoluat, & velut caput aut coronam illi coaptet. Illud est quod in Apocalypsi legimus, angelum fortem descẽdisse de cœlo, amictum nube, & in Esaia: Ecce dominus ascendit super nubem candidam. Veniens enim ad saluationem mundi, Dei filius, angelus magni cõsilij, nube amictus est: dum diuinitatẽ suam, quæ est caput & principium, in nostra carne abscõdit. Hoc ergo carnis latibulum prima vestis sacerdotis, id est, amictus significat.

Apoc. 10. Psal. 103. Esa. 19.

De Alba. Cap. XX.

ALba lineum vestimentum & strictum, quæ (vt Hieronymus ait) Hebraicè dicitur Ephobad, & est ab antiquo sacerdotalis ac Leuitici generis, longissimè distans à tunicis pelliceis, quæ de mortuis animalibus fiunt, quibus post peccatum vestitus est Adã: vtpote nihil mortis habens, sed tota candida, nouã vitã sacerdotij eius designat, quã docuit, & in baptismo dedit, vt de baptismo surgẽtes, cingamus lũbos in veritate, & tota pristinorũ peccatorum turpitudo celetur. Vnde & Dauid: Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Lingua eiusdẽ vestimenti sursum affixa, cœlestẽ eius doctrinã insinuat. Vnde Ioannes, qui de cœlo venit, inquit, super omnes est, cuius testimonium qui accipit, signauit, quia Deus verax est.

Genes. 3. Apoc. 1. 5. Luc. 12. Ephes. 6. Psal. 31.

Ioan. 3.

De

De Stola. Cap. XXI.

STola, quæ super amictum collo sacerdotis incumbit, obedientiam significat filij Dei, & seruitutem, quam Dominus omnium propter seculorum salutem obijt. Nam, quod cum magna reuerẽtia cogitandum est, obedienter passus & mortuus est filius Dei. causam quippe mortalitatis, scilicet peccatũ, nec origine contraxit, nec actu admisit, & idcirco morti nil debuit. Sed dedit illi calicem pater, non iudex: amore, non ira: voluntate, non necessitate: gratia, non vindicta. Et sicut Iacob liber & ingenuus, præcepto patris Isaac, & matris consilio Rebeccæ parens, seruiuit Laban, vt Rachel & Lyam in coniugium duceret: sic filius Dei præcepto patris, & cõsilio Spiritus sancti obediens, seruiuit mũdo, subiectis humeris eius peccata portando, vt synagogam de Iudæis & Ecclesiam de gẽtibus assumeret. Cùm ergo sacerdos stolam accipit, meminisse debet & scire, quia grande iugum, licet suaue: grande, licet leue, super se tollit.

Galat. 4. Philip. 2. Gen. 28. 29. Matth. 11.

De Casula. Cap. XXII.

CAsula magni sacerdotis nostri, Christi vestimentum, significat illud vestimentum veri Aaron, cuius in oram descendit vnguentum, quod est in capite. Primum descendens in barbam ipsius Aaron. Quod est illud vestimentum? Sancta Ecclesia catholica. Nam barba Aaron, quod interpretatur mõs fortitudinis, barba (inquam) Aaron, id est, Christi Apostoli sunt, atque Apostolici viri, fortes & perfecti. Vnguentum autem regale & sacerdotale, Spiritus sanctus est, cuius tota plenitudo est in capite, scilicet Christo, atque inde primùm in Apostolos quasi in barbam, deinde in totam Ecclesiam, & vsque in extrema membra Ecclesię, quasi in oram vestimenti descendit. Casula ergo, vestimentum Christi, quod est Ecclesia, significat. Est autem integra & vndiq; clausa, vt vnitatẽ vel integritatem verę fidei demonstret. Huic autem superducitur, & ori eius aptè circumponitur amictus, quo ante caput sacerdotis tegebatur. Quem, nubem humanitatis eius, in qua latuit diuinitas, significare, iam diximus: quia videlicet, caput, corona & decus ecclesiæ suæ humanitas Christi est: caput autẽ humanitatis Deus. In eo verò quòd casula, cũ sit vna & tota integra, aptatione manuum, quæ extensionem manuum crucifixi domini aptè depingit, in anteriorem & posteriorem partem quodammodo diuiditur, antiquæ Ecclesiæ, quæ passionẽ domini præcessit, & nouæ quæ subsequitur, signum est.

Psal. 132. Coloss. 2. Sup. ca. 19. Ephes. 1. 1. Corinth. 11.

De Tunica. Cap. XXIII.

QVæ hactenus dicta sunt, presbyteris & Episcopis sunt communia: quæ verò sequuntur, Episcoporum propria. Tunicam quam subter casulam habet pontifex, in veteri sacerdotio coloris erat hyacinthini, tintinnabulis, & malis punicis in inferiori parte pendentibus, vt totus vocalis incederet pontifex, ne moreretur. Significat autem (vt Hieronymus ait) rationem sublimium, quæ non patet omnibus, sed maioribus & perfectis. Hanc habuerunt Moyses & Aaron & Prophetæ, omnesque quibus dicitur: in monte excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Præcipuè verò hanc habuit tunicam Euangelicæ textrix doctrinæ, sapientia Dei, Christus dominus, & dedit illam Apostolis suis. Omnia enim quæcunq; audiui à patre meo, inquit, nota feci vobis, sed non nisi Spiritu sancto superueniente, induere vel portare potuerunt Hãc quoq; signauit illa tunica domini, quam scindere milites noluerunt, eò quòd esset inconsutilis, desuper cõtexta per totum: damnum fore maximum significantes his, qui Christianæ fidei scripturam hæresibus scindere conarentur.

Exod. 28. Esa. 40. Ioan. 15. Ioan. 19.

De Sandaliis. Cap. XXIIII.

SAndalia pontificis illud significant dominicæ incarnationis calceamentum, de quo ipse in Psalmo: in Idumæam, inquit, extendam calceamentum meum, id est, gentibus notam faciam incarnationem meã. Vtenim sacerdotio fungeretur pro nobis filius Dei, nostra carne quasi calceatus in hũc mundum venit. Sandalia ergo pontificis, incarnationem (vt dictum est) significant filij Dei. Et pulchrè quod in amictu capitis idem in calceamento pedum signatur, nã & in carne diuinitas latuit, & per carnẽ eius notitia vniuersum mundũ percurrit. Per lingulas, quibus ipsa pedibus sandalia constringuntur, id ipsum accipimus, quod Iohannes Baptista per corrigiam calceamẽti signasse probatur, cũ de sponso Christo loquens, cuius, inquit, non sum dignus corrigiam calceamenti eius soluere. Copulam ergo illam ineffabilẽ, charitatem inæstimabilem, vincula sancti Spiritus insolubilia, quibus diuinitas verbi nostræ carni se coniunxit, per sandaliorũ corrigias designari accipimus. Præterea dũtam sacrum, tamq; mysticum pontifex pedis sui spectat ornatum, meminisse debet & scire, se quoq; pedem esse speciosum, iuxta illud: Quàm pulchri supra montem pedes annuntiantis & prædicantis pacem, &c.

Psal. 59. Marc. 1. Luc. 3. Esa. 52.

De Anulo. Cap. XXV.

ANulus digiti, donum significat Spiritus sancti, quo diues & ornatus ad Ecclesiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

cleſiam ſuam deſcẽdit filius Dei, quodq; credentibus in ſe permultas & differentes donationes ſecundùm beneplacitum ſuum diſtribuit, alij dans ſermonem ſapientiæ, alij ſermonẽ ſcientiæ, &c. Harum diuiſiones gratiarum inuiſibiles imitatur viſibiliter, vtpote Chriſti vicarius, catholicus pontifex, per ſacrorum diuiſiones ordinum, ponẽs quoſdam in Eccleſia ſacerdotes, alios diaconos, & cæteros ſacri altaris officiales. Latius autem ſignificatio prædicti extenditur anuli, quia dum omni Eccleſiæ ſanam doctrinam, & fidem integram prædicat, velut oppignoratã anulo ſponſam Chriſto ſubarrat. Non ergo ab re in eius digito gemmatus fulget anulus, per cuius miniſteriũ Chriſtus Dominus tam fulgida diſtribuit dona ſancti Spiritus.

Rom. 12. 1. Corint. 12.

Quòd ſigno crucis aurea lamina ceſſit.

Cap. XXVI.

Exod. 28.

SIgno crucis Chriſti aurea lamina veterũ pontificũ ceſſit, quod olim erat in fronte micans octauum decus pontificum: Inſcripta nunc eſt penè eadem ineffabilis maieſtas nominis. Illic enim erat ineffabile nomẽ Dei, hic eſt inæſtimabile myſterium crucis.

Crux nanq; ineſtimabile ſignum eſt, admirabilis virtus eſt. Crux ſpes Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum, cęcorum dux, claudorum baculus, deſtructio ſuperborũ, conſolatio pauperum, ſuſtentatio inopum, ſpes, deſperatorum. Crux regum magnificentia, ſacerdotum gloria. Crux igitur aureà lamina ſacratius ornamentum. Nec ſtatim occurrat, decus hoc ideo non eſſe pontificis, quia cum illo toti quoq; commune eſt plebi. Nã illa dignitas habet in hoc aliquid, quod nec inferioris ordinis ſacerdotibus commune ſit. Sic enim in fronte ſua chriſticolarum ſignifer hoc vexillũ baiulat, vt in ſubiectæ plebis frontibus ſoli ſibi ſacro chriſmate pingere liceat. Sicut Apoſtolorum erat, baptizatis imponere manus, vt acciperent Spiritũ ſanctum: ſic & hoc ad diem valens, propriũ eſt Epiſcoporum. Ecce quale quantumq; ornamentum accepit in ſuis ſacerdotibus filius ille prodigus, cui reuertẽti de longinqua regionẽ, vbi porcos pauerat, benignus pater occurrens vitulum ſaginatum fecit occidi. Applaudit ſibi tota familia patris in gloria pœnitentis filij, frater autẽ eius maior ille agrarius foris ſtans inuidia torquetur, & fraternæ ſalutis conuiuio participari noluit.

Luc. 15.

De pallio Archiepiſcopi. Cap. XXVII.

ESt tamen octauum Archiepiſcopis indumentum pro aurea lamina, quod dicitur pallium, ab Apoſtolica ſede datum: quod à collo circa pectus dependens, ſitu ſuo illam (quæ valde condecet Epiſcoporum patrem, & eorum concilij principem) patenter deſignat humilitatis vel ſapientię torquem. Quã hoc illorum priuilegium habeat rationem, non videtur prætereũdum. Poſtquàm duodecim Apoſtoli per vniuerſum mudum diſperſi, ſingulis ciuitatibus præſiderent, tã ipſi quàm ſucceſſores eorum, miſere per contiguas ſuis ſedibus prouincias prædicãtores, quos & Epiſcopos ordinauerũt, vt vbi recepti fuiſſent, omnia Chriſtianitatis ſacramenta, velut ipſi Apoſtoli peragerẽt, vt per vrbes comprouinciales Epiſcopos ordinarent. Et aliorum quidem Apoſtolorũ ſucceſſores Patriarchę ſunt dicti. Petri autem ſucceſſor pro excellẽtia principis Apoſtolorum, apoſtolicus nominatur. Qui autem ab eis per prouincias miſsi ſunt, tam ipſi quàm ſucceſſores eorum, Archiepiſcopi vocantur, & qui ab his per vrbes comprouinciales ordinati ſunt, & qui illis ſuccedunt, vſq; hodie ſimpliciter Epiſcopi nominantur. Initiũ ergo fidei habentes ab Apoſtolica ſede, regulam hanc metropolitanæ obſeruant Eccleſiæ, vt neminẽ habeant pontificem, niſi ab eadẽ ſede miſſum, à qua primus illis prædicator fidei miſſus eſt. Illa autẽ miſsio, ſupradicti pallij largitio eſt, quod (vt dictum eſt) à collo dependens, humilitatem Domini ſignificat, dicentis: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Inter cæteros verò Galliarum Archipræſules, meritò Remẽſis authoritate præeminet, quia videlicet antiqua metropolis cùm eſſet, acceſſit & hoc, quod eius pontifex beatus Remigius (quod magnum eſt) ab ipſo Deo miſſus, & antequàm naſceretur, magnificè promiſſus, gẽtem Francorũ ſimul cum rege primus perduxit ad fidẽ Catholicã. Quam eius miſſionem †Ormiſda pontifex Romanus, à beato Petro quinquageſimus tertius, vt debuit, approbans, eidẽ Remenſi pontifici vices ſuas delegauit per omne regnũ Ludouici, & Remenſis Eccleſiæ primatum adaugẽs, ſumma authoritate confirmauit. Treuirẽſi autem Eccleſiæ Maternus à beato Petro Apoſtolo miſſus, hæreditatem pallij ſuis ſucceſſoribus dereliquit. Moguntinæ Creſcens, Apoſtoli Pauli diſcipulus, prædicauit. Traiecti ſanctus Vuillibrordus, à Sergio Papa miſſus.

Iohan. 21.

Sed primatum Colonia metropolis obtinuit, ea maximè cauſa, quia Creſcens prædictus Coloniæ quoque Apoſtolicã verbi Dei viſitationem primus intulit. Cantuariæ verò, nobili Anglorũ metropoli, Auguſtinus à beato Gregorio miſſus eſt põtifex primus, qui toti Anglorum genti, vt Chriſtum cognoſceret, ſtrenua prædicationis adminiſtratione

tione ſubuenit. Et de veſtibus quidem ſacris, quantum ad præſens attinet, pro poſſe ſatis dictum.

De Ante introitum. Cap. XXVIII.

SAcerdote tandem ad ſanctũ altare ingreſſuro, debet tam ipſe ſacerdos, quàm & tota præſens Eccleſia, dilatare animam ſuam, & amplo fidei ſinu tenere memoriam incarnationis, paſsionis, reſurrectionis & aſcẽſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & memoriã omnium ſanctorum, qui tum ab initio mundi votis expectauerunt, geſtis præfigurauerũt, dictisq; aut ſcriptis prophetauerunt, & in eorum cõtemplatione in voces erumpere, præcinendo antiphonam, quæ dicitur ad introitum. Nam ſicut introitus ſacerdotis ingreſsũ filij Dei in hunc mũdum, ſic antiphona, quæ dicitur ad introitum, voces & expectationẽ præferunt patriarcharum & prophetarũ. Ingreditur ergo antiphona prædicta, non minus quàm ſemel decantata cũ eiuſmodi pompa, quæ ſignificatæ rei aptiſsimè congruit. Procedunt flammantes cereoli, videlicet in ſignum gaudij, quod in ortu ſaluatoris omni mundo effulſit, de quo angelus ad paſtores: Annuntio vobis gaudium magnum, &c. Præcedunt ſacerdotẽ miniſtri duo, non pariter, neque à latere incedentes, ſed ante ſubdiaconos. Signant enim hi duo vetus & nouũ teſtamentũ, id eſt, legem & Euangeliũ, quorũ lex tẽpore prior, Euangeliũ verò dignitate maius eſt. Hæc nanq; ſalutis miniſteria ſaluator inuexit, qui Euangeliũ quidẽ attulit, legẽ verò non ſoluere, ſed adimplere venit. Iſti ſunt duo pedes angeli, qui (vt ſupra dictũ eſt) deſcendit de cœlo amictus nube, & poſuit pedẽ ſuum dextrum ſupra mare, ſiniſtrum ſuper terram. Legalis enim moralitas, Iohanne Baptiſta vel ipſo Domino docente, tranquillius audita eſt, contra Euangelicam verò dignitatem, id eſt, manifeſtam fidei doctrinam, verbi gratia, cũ diceret, ego & pater vnũ ſumus, & antequam Abraham fieret ego ſum, veluti mirabiles elationes maris fluxa & ſalſa corda tumuerunt. Subdiaconus quoq; prefert textum Euangeliſj, quia profectò lex teſtimonia continet Chriſti, ſicut ipſe dicit Iudæis: Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit: Portat verò clauſum, quia videlicet antequam agnus occiſus aperuiſſet ſignacula ſeptem, clauſum erat in libro legis ſacramentum eius paſsionis.

Luc. 2. Matth. 5. Apoc. 10. Luc 5. Matt. 12. 23 Pſal. 92. Iohan. 5. Apocal. 5. Apocal. 8.

De Incenſo. Cap XXIX.

INgreſſus ergo Sacerdos, vbi ſancto altari aſsiſtit, thuribulum ei qui incenſum adoleat, datur in manu. Nam prædictus angelus, ſicut in alia periocha Apocalypſeos legimus, ſtetit iuxta aram, habens thuribulũ aureum in manu ſua, dũ in conſpectu Eccleſię ſe oſtẽdit Dei filius, habens immaculatum corpus, quod & impleuit igne, quia corporaliter in ipſo ſeptiformis Spiritus ſancti gratia requieuit. Interim chorus concinit Kyrie eleyſon, quod ſignificat omnes vniuerſales Eccleſiæ preces, quæ ſunt incenſa vera, de quibus ibidem dicitur: Data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.

Coloſſ. 2. Apocal. 8.

De Gloria in excelſis. Cap. XXX.

MOx ſequitur hymnus, Gloria in excelſis, quem ab ore angelorum Eccleſia ſancta rapuit. Hic hymnus & angelorum eſt & hominum. Primùm autem angelorũ cõgratulantium, quod nato Domino accenſa iam eſſet lucerna clariſsima, cũ qua ſine dubio perditã drachmam inuentura eſſet æterna ſapientia. Inde eſt, quòd iam præoccupantes dicũt, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quia pacem nemo omnium, qui ſunt in cœlo, vel qui ſubtus terram, poterat facere inter Deum & homines, hic factor omnium Deus, propter homines homo factus, iã iam facturus eſſet in carne ſua, ſoluto pariete inimicitiarum.

Luc. 2. 15. Apocal. 5. Epheſ. 2.

De Collecta. Cap. XXXI.

QVæ poſt hæc ſequuntur orationes, à ſacerdote ſalutatione præmiſſa, per quã attenti fiant auditores, ſecundum orationes dicuntur ipſius Domini, cuius tota vita continua pro nobis & perpes oratio fuit, quæ & deſignatur in Apocalypſi per fumum aromatũ, qui aſcẽdit in cõſpectu Dei de manu angeli. Homo nanq; verus, paſsioni propter nos deſtinatus (cuius illa vox eſt: Holocauſtum pro peccato non poſtulaſti, tũc dixi: Ecce venio) ſemper vnitũ ſibi pro nobis orabat verbum Domini, patremque & ſpiritũ ſanctum, & (vt ait Apoſtolus) in dieb. carnis ſuæ preces ſupplicationesq; ad Dominũ, qui ſaluum illum poſſet facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Quàm eius orationem benè pſalmus ſeptimus innuit, cuius titulus inſcribitur, Pſalmus ipſe Dauid, quẽ cantauit Domino pro verbis Cuſi, id eſt, Aethyopis, ſcilicet malitioſi populi, qui iam cũ Herode vel poſt Herodẽ illũ perſecuti ſunt, & maximè phariſæorum, qui vt mali agricolæ vineæ domini, dixerunt: Hic eſt hæres, venite occidamus eũ, & noſtra erit hæreditas. Quod autem in fine orationis ſubiungitur: Per Dominũ noſtrum, eo reſpectu fit, quòd dominus noſter Ieſus Chriſtus mediator eſt

Apocal. 8. Pſal. 37. Hebr. 5. Luc. 13. Matt. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei & hominũ,& impossibile est æterna Dei beneficia per aliam viam decurrere ad nos, quàm per ipsum. Per ipsum ergo petimus & impetramus, sicut sæpe per mediantem crystalli lapidem subiectam escam, à longinquo sole cœlestem mutuamus ignem. Huc vsque missæ initium quod dicitur Introitus, commemorans nobis introitũ saluatoris in hunc mundum, id est, à natiuitate eius vsque ad Iohannis prædicationem: quando baptizatus ipse & orans, quadraginta dierum ieiunium celebrauit.

De Epistola. Cap. XXXII.

EPistola personam gerens legis & prophetarum, præcursionis debitum agit officium ante sanctum Christi Euangelium. Lex enim per manum Moysi infantem Dei populum, velut pædagogus, custodiendum suscipiens, futurum Christi aduentum expectare docuit, & per os digitumque Iohânis, iam præsentem Christum eidem alumno suo iam adulto, vt eum sequeretur, indicauit. Præcessit nanque lex Euangelium, sicut virga Spiritum mansuetudinis, sicut timor charitatem, sicut initium perfectionem, sicut dominãtis præceptum præcedit amantis consiliũ. Epistola verò vox legis est, suam in Iohanne imperfectionem profitentis, & ad perfectionẽ Euangelicam suos auditores transmittentis. Quamuis autẽ sæpe de Apostolicis sumatur literis, tamen in eo gradu est, ac si semper de lege sit & prophetis. Semper enim moralitatem vitamque actiuam magis, quàm contemplatiuæ sublimitatem, quæ in Euangelio radiat, Apostolica quoq; lectio instruit & dispẽsat. Epistola verò Græcè, latinè dicitur supermissio, vel supererogatio. Quod nomẽ benè congruit literis Apostolicis, quia videlicet Euangelio Christi supererogatæ sunt. Siquidẽ ordo Apostolicus, stabularius ille est, cui noster Samaritanus, id est, custos, dñs noster Iesus Christus, hominẽ illum, quẽ latronibus despoliatum, vulneratum, & semiuiuũ relictũ inuenerat, commisit. Proferens duos denarios, id est, legem & prophetas, & dicens ei, Curam illius habe, & quodcunq; supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi. Benè ergo literæ, quas Apostoli Euangelio Christi supererogauerũt, Epistolæ appellatę sunt. Differunt autem penè pariter vt lex aut prophetæ, à maiestate sancti Euãgelij, quia videlicet pariter de moribus tractant. Et euangelij sacramenta illi ventura denuntiãt, hi iam præterita commemorant. Igitur (vt suprà dictum est) morale legis officium agit Epistola, tantum distans ab eo, quod in officio missæ præcedit sancto Euangelio: quantũ seruus à Domino, præco à iudice, legatus ab eo, qui misit illum. Quapropter cùm legitur, nõ iniuria sedemus: cũ autem sanctum Euangelium audimus, demissis reuerẽter aspectibus, sicut Domino nostro assistimus. In eo, quod sanctum præuenit Euangelium, Baptistę Iohannis imitatur officium, qui præuaricatores legis corrigens, & mores eorum Euangelicæ fidei suscipiendæ præparans, implebat quod de illo dixerat Angelus: Ipse præibit ante Dominũ in spiritu & virtute Heliæ, parare Domino plebem perfectam.

Matth.3. Iohan.1. *Luc.10.* *Luc.3.* *Matth.3.* *Luc.1.*

De Manipulo. Cap. XXXIII.

MAnipulus, quẽ in brachio sinistro gestat subdiaconus, dextro vacãte, vt expeditum sit ad administrandum: illud nobis innuit, quòd si timentes securim iudicij æterni (quæ iam ad radices arborum posita est, vt omnis arbor, quæ nõ facit fructum bonum, excidatur, & in ignem mittatur) prædictam pœnitentiam susceperimus, & dignos pœnitentiæ fructus fecerimus, manipulos iustitiæ reportabimus, iuxta illud: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Fimbriæ verò manipuli, vel stolæ, vel cuiuslibet sacræ vestis perseuerantiam significant eorundem bonorum operum, vel completionem morũ, quia fimbria est vlterior pars vestis. His fimbrijs gloriosa in psalmo circumamicta est filia regis, sicut talari tunica filius accrescens, & decorus erat inter fratres suos Ioseph.

Matth.3. Psal.138. Psal.44. Genes.37.

De Graduali. Cap. XXXIIII.

GRaduale ad pœnitentiæ respicit lamentum, cantus asper & grauis adeo, vt illud excellentibus efferre vocibus nec vsus nec decus sit. Significat enim non iã requiem remuneratorum, sed laborem operantium. Propter quod diebus post Pentecosten de officio tollitur, quia videlicet dies illi futurum in regno Dei felicem sanctæ Ecclesiæ statum significant: quando iam area Christi ventilabro (quod est in manu eius) purgata erit, nullumque ex residuis granis iam timebit, quòd ab horreo dominico debeat in ignem palearum inextinguibilem proijci. Attamen in prima paschæ hebdomada cantari consueuit, cuius consuetudinis causa suo melius loco reddetur. Dicitur autem graduale à gradibus humilitatis: vtpote illi conueniens, qui necdum ascendit de virtute in virtutem, sed in conualle plorationis positus, iam tamẽ ascensiones in corde suo disposuit. Quarum ratio cùm in multis inueniatur locis, in mysticis maximè quindecim graduum canticis distincta est. Eiusmodi ascensoris initium & imperfectionem cantor innuens, ad gradum sæpius consistit, & inferior eo stare consueuit, qui subsequens alleluia concinit.

Matth.3. Luc.3. Psal.83.

De Alleluia. Cap. XXXV.

ALleluia Latinæ linguæ peregrinum nomen est, cuius mysterium, velut quod dam gaudij stillicidium, de diuitijs supernæ Hierusalem, primum in mentem patriarcharum & prophetarum, pòst in Apostolorum ora plenius per Spiritum sanctum delapsum est. Significat enim æternũ angelorum, & beatarum animarũ conuiuium, quod est semper laudare Dominũ, & præsentis semperq; videndi vultus Dei, nouũ sine fine cantare miraculum. Ad hoc vitæ præsentis inopia nullatenus aspirare meretur, scire autem vbi sit & prægustare illud gaudio spei, sitire & esurire quod gustaueris, hæc illa, quæ dicitur, sanctorum in hac vita perfectio est. Quapropter interpretatum hoc Hebraicum nomen remã sit, vt peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum nihilominus signaret, potius quàm exprimeret vocabulum. Quoniam igitur futuræ beatitudinis, quasi propriũ est vocabulũ, iure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus, eiusdẽ beatitudinis spẽ nobis propinauit & promissum. Vt aũt alijs quoq; temporib. ad missam caneretur, olim Romanæ Ecclesię consuetudo nõ erat, sed à beato Gregorio institutum, imo restitutum est. Namq; à tempore Damasi Papę, cũ prius fuisset eadem consuetudo, defecerat. Denique cùm de hoc & de alijs nonnullis quosdã murmurare sentiret, tanquam cõstanter Ecclesiæ consuetudines sequeretur, non dedignatus est rationẽ reddere, dicens: Nos in nullo horum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nã vt alleluia hic diceretur, de Hierosolymorũ Ecclesia, ex beati Hieronymi traditione, tẽpore beatæ memoriæ Damasi papę traditur tractũ. Et ideo in hac magis sede alleluia consuetudinem amputauimus, quæ hic à Græcis fuerat tradita. Canitur ergo alleluia post graduale, canticum lætitiæ, post luctum, pœnitentiæ: & summopere nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quæ repositа est illis, qui nunc lugent, iubilamus magis quàm canimus, vnamq; breuem digni sermonis syllabam in plures neumas, vel neumarũ distinctiones protrahimus, vt iucundo audiũ tu mens attonitã repleatur, & rapiatur illuc, vbi sancti exultabunt in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Rom.8. Philip.3. *Psal.149.*

De Euangelio. Cap. XXXVI.

HActenus seorsum sedebat sacerdos, malarum victor cogitationum, dominique victoriam sedendo significans, cui victo tentatore, sedenti & imperanti ministrabant angeli, sicut scriptum est: Reliquit eũ tentator, & accesserunt angeli & ministrabant ei. Surgit tandem ad altare accedens, ita vt opportunè veniat nobis in mentẽ dominus Iesus, præparata sibi per Iohannem via ad corda hominum, de deserto rediens, vt doceat ipse, & discipulos suos eligens, mittat ad prædicandum. Mittit nanque sacerdos diaconũ ad legendum sanctum Euangelium, petitam dãdo benedictionẽ, quod subdiacono prius Epistolam lecturo non fecerat. Legem enim & prophetas inuisibilis inuisibiliter misit. Apostolos autem & Euangelistas, quorum diaconus personam gerit, visibilis factus, & sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam osculans osculo oris sui, visibiliter misit & docuit. Accipit diaconus textum sancti Euangelij, quod baiulans ad lectricium, efficitur pes Christi. Præcedunt ceroferarij cum thuribulo, per quæ significantur gaudium & bona opinio. Gaudiũ enim semper est in bono nũtio. Bonę quoq; opinionis se esse nouerunt, qui hoc bonũ portãt nuntiũ, qui & cõfidenter dicunt, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Quapropter incensum bonæ opinionis signum, locum ipsum aspergit in quo legendum est Euangelium. Qui locus si sit dies festiuus, quãdo solet cõuenire populus, eminentior est, vt ex ipso statu cõmoneatur diaconus, quòd is, qui sursum ad Dominum desidem inuitat populũ, stare debeat in mõte virtutum, iuxta illud: Supra mõtem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euãgelizas Hierusalem. Quam eius fortitudinem & stola prędicat, quę super humerũ posita, inde vsq; ad succinctionẽ lumborum deducitur, quòd fortitudinem ad vocem exaltandam tunc habeat, si fortis sit ad operandum, & succinctus cõtra pugnas libidinum. Euãgelica nanq; prędicatio, quę est fons horum, puteus aquarum viuentium, nõ fluit impetu aliunde, nisi de Libano, id est, de corde casto, & de ore candido, quia sordes vitiorum, dùm cõscientiam coartant, os quoque angustant, ne aquæ viuæ cum impetu fluant. Quòd Dalmaticam nõ nisi festis dieb. induit, hoc significat, quòd rationem sublimiũ sacramentorum, non nisi postquàm glorificatus est Dominus Iesus, & Spiritus sanctus aduenit, discipuli portare potuerunt. Nam tunicã eiusmodi, ex authoritate beati Hieronymi, rationem significare sublimium, suprà diximus. Est autem clausa circa collum, vt pectus sit opertũ: quia (sicut ait Apostolus) Euangelium in his qui pereunt, est opertũ. Præ-

Matth.4. 2.Corin.2. Esa.40. Cant.4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cedit subdiaconus diaconum, portans quem Euangelio substernat puluillum, quia videlicet ad omne, quod loquitur Euangeliũ, lex
2.Corin.4. competens suggerit testimonium. Summa verò reuerentia debetur ad audiendum Euangelium, quod maximè est verbum Dei: quam diaconus prima voce, quam emittit, satis venerabiliter exigit, dicendo: Dominus vobiscum. Cuius enim melius quàm Domini præsentia, reuerentes & religiosi auditores petitum debent præstare silentium? Attenti ergo & beneuoli sunt ilicò, & eò cordibus conuersi & vultibus, respondent: Et cum spiritu tuo. Statim dociles quoque reddit, dicendo: Sequentia sancti Euangelij. Hoc autem dicimus, nõ quòd maiestas Euangelij dignata sit vnquam regulis oratorum subijci, sed quia quod in hominibus facere nititur studium eloquentiæ, hoc in Ecclesia sua melius perficit summa natura sapientiæ. Nam, vt ait beatus Augustinus, eloquentia sapientiæ comes est, & quocunque domina hæc progreditur, illa vt eius ancilla subsequitur. Respondemus, gloria tibi Domine, glorificantes Dominum, quod misit nobis verbum salutis, iuxta illud quod in A-
Actor.11. ctibus Apostolorum legimus: Et glorificarunt Dominum, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.

Item de Euangelio.
Cap.XXXVII.

SAnctum Euangelium principale est omnium, quæ dicuntur ad missæ officium. Sicut enim caput præminet corpori, & illi cętera membra subseruiunt, sic Euangelium toti officio præminet, & omnia quæ ibi leguntur, vel canuntur, intellectuali ratione illi consentiunt. Exempli gratia: Dominica prima aduentus Domini hoc Euangelium le
Matth.21. gitur: Cùm appropinquasset Dominus Iesus Hierosolymã, &c. Vt intelligamus, quomodo huic Euangelicæ lectioni cętera membra consonent officij, quæramus primò, in quo eadem lectio cógruat tempori. Ad hoc breui argumentatione hoc modo respõdendum est. Idcirco aduenit Dei filius, vt genus humanum à diabolo peccatorum vinculis colligatum miseratus absolueret, & in cœlestem Hierusalem, vnde homo captiuus abductus fuerat vias suas docendo, placidus assessor cordium reduceret. Hoc autem proculdubio mysticus Euangelij eiusdem continet intellectus.

FINIS LIBRI PRIMI.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER SECVNDVS.

De Symbolo, Credo in vnum Deum.
Cap. I.

LEcto Euangelio, maiore quæ sequuntur egent intentione: quia videlicet maiora continent salutis nostræ sacramenta. Sicut enim post passionem Domini maiora, quàm ante, charismatum dona gratia largiẽte effusa sunt: sic post Euangelij lectionem maiora sacramenta ordinata sunt. Tunc ergo, si sit dies dominica, vel aliquà condigna festiuitate decorata, cantatur symbolum, quod est, Credo in vnum Deum: Maximè enim dominicæ resurrectionis, vel pentecostes sacramentum respicit hoc fidei tripudium: quando noua soboles Ecclesiæ vitalis fontis ingressura lauacrum, reddebat eius, quam catechizata didicerat,
*adde, fidei. *symbolum. Hoc igitur concentu benè & consonè chorus catholicus doctrinæ respon det Euangelicæ, & ne dicat ei puer electus, cœlestis cantilenæ doctor, iucundus musi-
Matth.11. cus: Cantauimus vobis, & non saltastis, cantando & alacri mente saltãdo ostendit, quàm benè suauem cãtilenæ eius modum retinuerit. Interim subdiaconus apertum circumfert Euangelij librum, omnibus religioso oculo salutandum, quem ad introitum portauerat clausum, quia post prædicationẽ Christi cœpit lex credentibus, quam antea gestabat clausam, apertam ostendere fidem Euangelicam.

De Offerenda. Cap. II.

POst symbolum cantatur offerenda. Offerenda cantus est Ecclesiæ, nomen hoc habens ab offerendo tractum, eò quod tunc canitur, quando omnipotenti creatori nostro incorruptum laudis offerimus vel præ-
Psal.94. paramus sacrificium. Hic magis ac magis aperiendum fidei ostiũ, & animæ triclinia ponẽda sunt, vt ingrediatur veritatis opus, quo
Sup.lib.1. cap.7. panis & vinũ in verũ corpus & sanguinẽ Domini transferũtur: ne efficiamur sicut Achis
1.Reg.21. ille, de quo suprà dictum est. Multi namque fidei oculos non habentes, & in sancto sacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cùm diceretur eis, corpus & sanguis Domini est, murmurauerunt dicentes, quomodo est? Latuit enim eos, quas voces suas septem tonitrua locuta sint, cùm clamasset angelus ille fortis voce magna, quemadmodũ Apoc.10. cùm leo rugit, & quòd illæ voces quicquam attineant ad mysterium sacrificij iuxta Psalmistam dicentem: Circuibo & immolabo in Psal.26. tabernaculo eius hostiã vociferationis. Nos autem credimus propter quod & loquimur, 2.Cor.4. quia quicquid angelus ille clamauit magno clamore Euangelij æterni, quicquid post cla-Apoc.14. morem eius, Ecclesiæ suę locutus est Spiritus sanctus, donorum suorum septiformi tonitru, verum Dei verbum, verũ Dei filium, sancta Ecclesia catholica offert creatori suo, credens corde, & ore confitens, pariterq; mani-Rom.10. bus panem & vinũ, sicut sibi tradidit ipse sal Matth.26. uator, offerens. Nam pro quota suorum par-Luc.22. te beneficiorũ gratias ageret Ecclesia creatori, saluatori, & illuminatori suo, si nihil aliud ei, quàm panem & vinũ offerret? Solum deniq; terrenum corpus huiusmodi fructibus alitur & sustentatur? Etiam antequàm creuisset Ecclesia, tempusq; nuptiarum attigis-Apoc.12. set, antequã coniuncta viro suo filium ex eo susceperisset, quem in acceptabile sacrificium offerre posset, non erat sacrificium eius adeo vacuum, vt nihil præter id quod videbatur, in se contineret. Habebat nanq; causas inuisibiles, propter quas inuisibiles hostias offer ret, videlicet opera Dei memoria digna, verbi gratia, manum quam extendit Dominus super primogenita Aegypti, transiens super Exod.12. tabernacula Israel signata sanguine agni, trãsiens & saluans, protegens & liberans, transitumq; Israel per mare rubrum, & submersionem Pharaonis & exercitus eius & curruũ, cęteraq; Dei magnalia. Hæc aũt omnia vmbræ futurorum erant, quæ in figura cõtingẽbant illis. Igitur & ipsa sacrificia, quæ pro-Coloss.1. 1.Cor.10. pter has fiebãt causas, sancta quidem, sed sanctiorum vmbræ: bona quidem, sed meliorũ erant figuræ. Quales causæ, tales & causarum memorię. Nõ ergo solũ panem & vinũ, quæ corporaliter videntur, sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur, verbum Dei, filium Dei offert sancta Ecclesia, nouũ & verum immolans sacrificium, quia iam concipit, corde credendo ad iustitiã, iamq; parit, ore confitendo Rom.10. ad salutem. Ipsa enim est mulier illa magna, quæ in Apocalypsi visa est amicta sole, scili-Apoc.12. cet Christo, quem induit in baptismo, lunam habens sub pedib. videlicet omnia mutabilia calcans. Luna enim mutabilis est, atq; Eccles.27.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideo mutabilem mundum designat, & in capite suo gestans coronam stellarum duodecim, id est, chorum duodecim Apostolorũ, qui in eius initio prefulserunt, & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat. Huius in vtero habentis, clamantis & parturientis salubrem cruciatum, Offerendæ, de qua loquimur, grauis & grandisonus imitatur cantus: quę neumis distenta frequẽtibus, & suis fœcunda versibus, quantumuis longa iubilatione non valet satis exprimere
℣. 30. quod significat. Ne ergo dicas in corde tuo, quis ascendit in cœlum, hoc est Christum inde deducere: vt is qui in se resurgens ex mor
Rom. 10. 6. tuis iam non moritur, adhuc per sacri altaris
Deut. 6. hostiam in suo mysterio pro nobis iterum immoletur. Propè est enim verbum in ore
Rom. 10. tuo & in corde tuo, hoc est, verbum fidei quod prædicamus, inquit Apostolus. Quoniam ergo propè est in ore tuo, & in corde tuo verbum Dei, verbum crucis, Christus Dominus, si huius verbi flumen super panẽ & vinum effuderis, & ordine (qui ab ipso statutus est) veritatem huius verbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum & vinũ, in corpus & sanguinem suum transferendo suscipit, eadem virtute, eadem potentia vel gratia, qua nostram de Maria virgine carnẽ susciperepotuit, quomodo voluit. Nec duo corpora dicuntur aut sunt, hoc quod de altari, & illud quod acceptum est de vtero virginis, quia videlicet vnum idemque verbum, vnus idemque Deus, sursum est in carne, hic in pane: Alioquin & ille panis, quem heri sacrificauimus, & ille quem hodie vel cras sacrificabimus, plura sunt corpora, nec rectè dicimus offerri ab Ecclesia corpus domini, meliusq; dicerem' corpora, quia quotidie penè tot offeruntur panes, quot habẽtur in Ecclesia sacerdotes, sed hoc prohibet causa, cõuincit ratio, religio respuit. Vnitas enim verbi vnitatem efficit sacrificij. Similiter enim vnũ verbũ, & olim carnem de Maria virgine sumpsit, & nunc de altari salutarem hostiam accipit, igitur vnũ corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto altari oblatum, quotidie nobis ipsam innouat passionem Domini. Cùm autem Ecclesia quoq; corpus sit Christi, propter eiusdẽ verbi vel spiritus vnitatem, nam eundem spiritum Christi idemque in se manens habet verbum Dei quod vniuit sese carni de carne Mariæ virginis, sciendum est, quod non tantum de verbo Dei, sacræ hostiæ accedit, quantam habet gratiam eiusdem verbi vnus quilibet sacerdos, qui ad sacrificandum assistit. Vnusquisque enim suam diuisiuam habet gratiam vel donationem verbi aut Spiritus sancti. In sacram autem hostiam tanta se plenitudo diuinitatis infundit, quanta in Mariæ virginis vterum descendit, quanta in corpus Ecclesiæ per gratiarum diuisiones sese distribuit. Nam quomodo deiser panis ille non de vno, sed de multis conficitur granis, & vinum illud sacrosanctum non de vno, sed de multis confluxit acinis: Sic nimirùm non tantum habet verbi Dei, quãta est gratia vnius hominis, sed quanta est plenitudo totius
Ephes. 1. corporis Christi, quod est Ecclesia, quæ de multis hominibus consistit, quæque per vnum quemlibet Catholicę fidei hominem vniuersa ad sanctum altare in loco vel tempore quolibet assistit. Sed iam cœptum ordinem prosequamur, & qualiter hęc fiant, non sicut suprà dict⁹ Achis, qui semper dicit quomodo est, sed sicut verus Abimelech, id est, 1. Reg. 21.
patris mei regnum, cui verè dicitur: Regnũ Luc. 17.
Dei intra vos est, quantum possumus, admota fide speculemur.

Item de oblatione. Cap. III.

CVm concentu memorato, susceptа sacra panis & vini oblatio, sic ad sanctum altare peruenit, vt subdiaconus ad diaconũ, diaconus ad manus præferat sacerdotis: Vel quod apud diligentiores fit, in ipso componat altari. Lex enim, quam per subdiaconum significari iam diximus, sacrificium nostræ Psal. 109. Hebr. 7.
salutis tantum præfigurauit in Melchizedech, sed per Euangelicam traditionem ad altare, hoc est, ad solennem ritum Ecclesiæ peruenit.

De silentio post Offerendam. Cap. IIII.

POst hæc iam sacerdos silentij solitudinem expetit, instante memoria Dominicæ passionis, conuersus ad altare concentu chori finito, & omni Ecclesia conticescente. Hoc autem significat illud, quòd Dominus noster iam non palàm ambulabat apud Iudęos, cùm cogitarent eum interficere, sed abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem, Iohan. 1.
quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum Iohan. 12.
discipulis suis. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi consilium, dicentes: Quid facimus? videtis quia nihil proficimus, Ec- Iohan. 11.
ce mundus totus post illum abijt. Et prophetauit vnus ex illis, nomine Caiphas, Pontifex anni illius, quòd expedit, vt vnus homo moriatur pro gente, & ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Hoc ipsum autem à mysterio non vacat. Nõ enim timore passionis se abscondit, qui ad hoc venit, vt pateretur, sed hoc prætendebat foris, quod intus agebatur in illorum cordibus.

Nam

Nam verè abiturus erat in regionem gentiũ pedibus euangelizantium, quæ erant iuxta
Matth. 23. desertum illorum, quibus iam tunc dicebat: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, non in ipsum desertum, quod erat illi incredulitas Iudæorum. Sacerdos ergo in silentio stans, & silenter super oblata dicens
Iohan. 11. orationem, sanctum præparat sacrificium, quia Dominus noster, etiam cùm se absconderet, nec palàm apud Iudæos ambularet, salutare nobis passionis suæ meditabatur sacramentum. Quia verò proximo iam pas-
Iohan. 12. cha, cùm multi ascendissent in Hierosolymam, vt sanctificarent seipsos ante Pascha, & requirerent eum, dicẽtes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem pontifices & pharisęi mandatũ, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eũ. Venit Dominus Iesus Bethaniã ante sex dies Paschæ, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit, & fecerunt cœnam ibi, & Martha ministrabat, quia tunc iterũ ambulabat palã, ita vt Lazarus esset vnus ex discumbentibus cum eo. Leuat iterum sacerdos vocem suam dicendo: Per omnia secula seculorum. Dicturusq; rem attentione dignam, præmittit salutationem, optans nos quoque tales esse, cum quibus manere Dominus, & apud quos conuiuiũ facere dignetur. In mẽte enim tunc habere debet Ecclesia mulierem illã formosam, quæ attulit ad conuiuium illud alabastrum vnguenti nardi pistici pretiosi, & effudit super caput ipsius recũbentis: & audire, quod dicere incipit sacerdos, Sursum corda, habemus ad Dominum, vt & ipsa, sicut verè mulier vnguentaria, sursum ad ipsam diuinitatem filij Dei leuet cor suum, & illud caput equale Deo patri fide contingens, vnguento perungat Catholicę confessionis, quam sacerdos subsequendo canit. Gratias enim agere debemus omnipotenti Deo nostro per Christum Dominũ nostrum, credendo & cõfitendo, quòd per ipsum maiestatem eius laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, &c. Nimirũ hoc est, diuinitatis eius arcanum contingere principiũ, & odoriferũ super caput eius effundere pietatis vnguẽtum. Hoc vnguentum ex medulla pigmenti cõfectum est Euangelici, scilicet ex eo, quòd Iohannes ait de verbo, quod in principio erat Deus apud Deũ. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. Huius nunc odore domus Ecclesiæ repleta est, sed muscæ
Eccles. 20. morientes perdiderunt eius suauitatem, videlicet omnes hæretici sordibus obuoluti, quos erroris stercora fœtore pascunt, & verba veritatis bono odore interficiunt. Igitur sacerdos post interiectum (vt dictũ est) silentium, quasi post Domini latibulũ, vocem leuãs, ipsum palàm venientem in Bethaniam, palàm cõiuuantem, & vnguento delibutum quodãmodo repræsentat. Et illã sacræ confessionis vnctionẽ sic determinat mulier illa magna, quæ est sancta Ecclesia, vt cum angelis & pueris, qui in crastinum obuiauerunt Domino canẽtes, ramosq; Palmarum subleuantes, decantet hunc deuoti pectoris hym- Matth. 21.
num: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus De- Esa. 6.
us Sabaoth, &c. Vbi enim dicitur, Osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, prædictum piæ confessionis vnguentum dimittit, vt non solum caput, sed & pedes vngat Domini, passionem mortalis hominis fideliter respiciens, ad quam cum prædictis turbæ multæ laudibus benedictus aduenit.

De Secreta. Cap. V.

POst lætam populi acclamationem sequitur historia secreti mœroris, & profundi causa silentij. Secreta nanque memoria dominicæ passionis est, quàm diu choro silentium indicit, quæ per hebdomadam ante Paschalem ordine hoc cucurrit. Eadẽ die, qua laudes acclamarę sunt ipsi filio Dauid, decima luna, quãdo inferebatur in domos Iudęo- Exod. 12.
rũ typicus ille Paschalis agnus, ingressus est hic agnus Dei ciuitatẽ Hierusalẽ, & à nequissimis lanistis obsessus, multis insidijs quærebatur ad mortẽ, traditus à Deo patre, qui pro Roman. 8.
prio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis om- Ephes. 5.
nibus tradidit illum, traditus nihilominus à semetipso, quia dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Secunda feria & tertia nihil proficiunt, dum eum contingere non audent populi metu, qui circa illum multus adque audiendum illum totus erat. Quarta fe- Luc. 21.
ria Iudas, vnus ex duodecim, à diabolo suplãtatus, vendidit illum Phariseis & tradere Matth. 16.
spopondit, vt caperent eum sine turbis. Fe- Marc. 14.
ria quinta iam agone propinquo, testamentum suum scribit hæredibus suis, cõsignans Luc. 22.
eis thesaurum corporis & sanguinis sui. Eadem nocte capitur, ligatur, & illuditur. Fe- Marc. 15.
ria sexta crucifigitur, primo linguis Iudæorum, pòst manibus gentilium, tandem hora Matth. 27.
nona facto terræmotu tradidit spiritũ. Sabbato quieuit in sepulchro. Prima sabbati re- Luc. 24.
surgens à mortuis, pacem discipulis, pacem
omni mundo annunciauit. Horum omniũ Matth. 28.
forma faciesq; vera, ita secreto repręsentatur
in Canone, eorumq; procursu, & verè viuo Iohan. 20.
flumine super panem & vinum confluente, tam veram diuinitatem veramq; humanitatem Christi in cœlo sedentis & regnãtis exci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pimus: quam veram ſubſtantiam ignis à ſole ſuppoſita cryſtalli ſphæra exigua, fere quoti die mutuare poſſumus. Hoc ſolæ operantur manus Chriſti, tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, eius, qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Manus, inquam, Chriſti hoc operantur per manus ſacerdotis, quæ manibus ſuis confortatæ ſunt, maximè: quia vt hoc operari cum ipſo & per ipſum & in ipſo poſſint, oleo ſancto pro clauis paſsionis eius ſignatæ ſunt. Igitur ſingula eorum quæ ſupra digeſta ſunt, quibus in locis commemorentur in Canone, laborioſum non eſt inueſtigare, præſertim cùm quædam ex ipſis per ſe ſatis euidenter appareant.

Cant. 5. Iohan. 15.

Te igitur. Cap. VI.

AB initio Canonis, quod eſt: Te igitur clementiſsime pater, vſq; ad eum locũ, qui pridie quàm pateretur, quatuor dierum rationes adnotantur, quorum in primo verus agnus, à Deo patre vel à ſeipſo (vt dictũ eſt) traditus, illatus eſt in domos Iſrael, veniens in ciuitatem Hieruſalem. Quę illatio vel traditio trinâ crucis figura ſignatur, dicẽdo, vti accepta habeas hæc dona, hæc munera, hęc ſancta ſacrificia illibata. In quarto autẽ à Iuda traditus & venditus eſt: quę vẽditio vel traditio item tribus crucibus inſignitur, dicẽdo, benedictam, aſſcriptam, ratam. Illic Eccleſia, quæ prius præ nimia paupertate nõ habens hoſtiam, quã offerret, dicebat: Quid retribuã Domino pro omnibus quę retribuit mihi, gratias agit ſanctę Trinitati, quòd meruit calicem ſalutaris accipere, & nomen eius inuocare. Hęc dona, inquit, hęc munera. Eadem ſacrificia dona ſunt, munera ſunt. Dona quia nobis ab ipſo data. Munera, quia à nobis illi oblata: Donum enim eſt, quod à ſuperiore datur. Munus quod ab inferiore. Illic inquam, iam in prima actione commemoratio omnium fit, quorũ idem ſacrificium, quique illi vera ſimilitudine conueniunt, in eo quòd cùm ſint multi, ſic per vnam fidem vnumq; ſpiritum, in vnũ corpus Eccleſiæ ſunt coniuncti, quomodo panis ille de multis cõfectus eſt granis, & vinum illud de multis cõfluxit acinis. Hi autem ſunt, non ſolum Apoſtoli & martyres, ſed & omnes fideles, illorũ meritis ſperantes, hoc ſibi proficere ad ſalutẽ, quib. iam proficit ad honorẽ. Igitur * quo modo & ſcriptũ eſt, alienigena non veſcetur ex eis, quoniã ſancta ſunt: ſolũ illum aſſumimus ad eſum huius agni, qui noſtrę coniunctus eſt domui, ſcilicet omnem domeſticum fidei à principe vſq; ad plebeium, ab Apoſtolo vſque ad publicanum.

Rom 8. Epheſ. 5.

** quoniam Exod. 12.*

Leuit. 22. Galat. 6.

Hanc igitur oblationem. Cap. VII.

IN orationis tomo ſequenti, ſic ſacram oblationem, quomodo diligentem publicæ ſalutis legationem, benedictam, aſſcriptam, ratam rationabilemq; fore depoſcimus. Legatio nanq; eſt regis eius, qui cũ decem millibus non valens occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe, mittens rogat ea quæ pacis ſunt. Nam quia de ſolis factis iuſtificari non valemus coram illo, qui non ſolum de factis, ſed & de cogitationibus rationem exacturus, quaſi cum duplici venit exercitu: præſentis ſacrificij legationem mittentes, rogamus ea quæ pacis ſunt. Magnæ autem laudis eſt, ſic legationẽ hanc peragere, vt ab illo, cui mittitur, mereatur benedici eloquium Eccleſiæ, ſicũt benedixit Dauid ſapiẽti Abigail, dicẽs: Benedictus Dominꝰ Deus Iſrael, & benedictũ eloquium tuũ, & benedicta tu quę prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer de manu mea. Abigail nãq; (quod interpretatur patris mei exultatio) ſcilicet ſãcta Eccleſia, quondã vxor Nabal, id eſt, ſtulti, videlicet diaboli, legatiõe præſentis ſacrificij, præuenit verũ Dauid, id eſt, manu fortem vel deſiderabilẽ Chriſtum, perferentem perſecutiones Saul, id eſt, in paſsione mortis agonizantem, rogatq́ue pacem, ne ſe vlciſcatur manu ſua propter ſtultum Nabal, ita vt ipſa quoque cum illo ęterna damnatione pereat. Quę quoniam abſque conſilio vel conſcientia ſtulti illius feſtinat, & præmiſſa munera oratione ſubſequitur, & adorans loquitur ſapienter quæ pacis ſunt, oblationem perficit benedictam, dum benedicitur eloquium eius: & aſſcriptam, dum nulla obliuione deletur: & ratam, dum data remiſsio peccatorũ, nulla vlterius ſententiæ mutatione conuellitur.

Luc. 14. Rom. 8.

Qui pridie quàm pateretur, vſque, in mei memoriam facite. Cap. VIII.

MIraculum tantæ nouitatis integreſcit, & quicquid dicere conamur, collatus cum re ſermo, vix vllius apparet eſſe mõẽti. Nam maximè, cùm ad ſummi ſacramenti verticem, cùm ad ipſam peruentum eſt ſancti ſacrificij mentem, diſparet ſermo, lingua deficit, & incircunciſa labia mentem nihilominus incircunciſam in ſuis cœptis, temeritatis, impudentiæ, coarguũt. Quis enim nouit ordinem cœli, aut ponet rationes eius in terra? Ordo nanq; cœli præſenti ex capitulo nobis effulſit, cuius claritatem ferre nõ valuit ſæpe nominatus & nominãdus Achis. Abiturus hinc in ſacrarium cœli pontifex ſummus per viam paſsionis, ſacrificat modo mirabili ſecundum ordinem ſuum, ſecundũ cœleſtis ſacrificij ritum, accipiens panem in ſanctas

Iob. 38.

1. Reg. 21.

ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & dicens: Hoc eſt corpꝰ meũ, accipiẽs præclarũ calicem vini, & dicens: Hic eſt calix ſanguinis mei. Quid ergo? ſilebimus, & ſilentio noſtro videbimur cõſentientes eſſe his, quorũ polluta labia nõ tetigit Seraphim rubenti calculo, quẽ attulit de altari, & dicũt ſemper: Quomodo eſt? quomodo eſt? Imo clamemus. Et ne deſit quid clamemus, pulſemus & oſtium amici, qui tres panes cõmodare cõſueuit, id eſt, fidem, ſpẽ, charitatẽ, quę in hoc maximè negocio neceſſaria ſunt. Patitur. n. nos, non cõtradicẽtes, ſed noſſe cupiẽtes. Igitur ne omninò neſciamus, quomodo eſt, libet nunc intueri in ordine tã admirabilis ſacrificij tria, quę in opere cuiuslibet autoris egregij requirere cõſueuimus, id eſt, materiã, intentionem, cauſamq́; finalem ſiue vtilitatẽ. Quæ cùm ſingula nobis, fidei manu pulſantibus, gratiæ clauicula ſecretarius veritatis aperuit, & ſi nondũ facie ad faciem, ſaltem per ſpeculũ & in ęnigmate, videbimus, quomodo eſt.

Matth. 26. Eſa. 6. Luc. 11. 1. Corin. 13.

Materia. Cap. IX.

MAteria vel ſubſtantia ſacrificij, quod erat tunc, & nunc eſt in manibus pontificis noſtri, non ſimpla eſt, ſicut nec pontifex ipſe ſolius diuinæ vel ſolius humanæ ſubſtantiæ eſt. Eſt enim tam in Pontifice, quàm in ſacrificio diuina ſubſtãtia, eſt & terrena. Terrena in vtroque eſt, id quod corporaliter vel localiter videri poteſt: diuina, in vtroque, verbum inuiſibile eſt, quod in principio erat Deus apud Deum. Nam cùm diceret idem magnus Pontifex panẽ & vinum tenens, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, vox erat verbi incarnati, vox æterni principij, verbũ antiqui cõſilij. Verbũ quod humanã acceperat naturã, id eſt, in carne manens, panis & vini accipiebat ſubſtãtiam. Vita media, panem cũ ſua carne, vinũ cum ſuo iungebat ſanguine. Quemadmodum in corporeis ſenſib. menti & corpulento aeri media lingua interuenit, & vtrunq; coniungens vnum ſermonem efficit, quo in aures dimiſſo, id quod audibile eſt, cito abſumitur & tranſit: ſenſus autem ſermonis & in dicente & in eo, qui audit, integer permanet & inconſumptus. Sic verbũ patris, carni & ſãguini, quẽ de vtero virginis aſſumpſerat, & pani ac vino, quod de altari aſsũpſit, mediũ interueniens, vnum ſacrificium efficit, quod cùm in ora fideliũ ſacerdos diſtribuit, panis & vinũ abſumitur & tranſit. Partus autem virginis cum vnito ſibi verbo patris, & in cœlo & in hominib. integer permanet & inconſumptus. Sed in illum, in quo fides non eſt, pręter viſibiles ſpecies panis & vini, nihil de ſacrificio perue nit. Quẽ admodũ aſinus ad lyrã, cùm irrationales aures arrigit, ſonum quidẽ audit, ſed modum cantilenæ non percipit. Tales comparantur Iudæis, vel patrib. eorum, de quib. Dominus: Patres, inquit, veſtri manducauerunt manna & mortui ſunt. Qui autem cum fide accipiunt, illis cõparantur, de quibus Apoſtolus: Patres noſtri, inquit, omnes eandẽ eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualẽ biberunt. Nã alij per incredulitatem patres ſunt Iudæorũ & hęreticorum, alij per fidem patres Apoſtolorum atq; credentium. Panis ergo inuiſibilis, qui de cœlo deſcendit, vita eſt. Panis viſibilis, qui de terra creuit, vnus tamẽ panis eſt, quomodo qui de cœlo deſcendit, & qui cõceptus & natus eſt de vtero virginis, Chriſtus vnus eſt. Quapropter qui viſibilẽ panem ſacrificij comedit, & inuiſibilẽ à corde ſuo nõ credendo repellit, Chriſtum occidit, quia vitam à viuificato ſeiungit, & dentib. ſuis mortuũ laniat corpus ſacrificij, atq; per hoc reus eſt corporis & ſanguinis Domini. Sed dicit aduerſarius. Viuens & ſenſibilis in corpore ſuo mobilisq́ue eſt Deus & homo Chriſtus. Corpus autem ſacrificij vitã non habet, ſenſum non habet, mobile non eſt. Hoc aſſumpto concludit ſic. Corpus igitur Domini nõ eſt, Chriſtus non eſt. Ad hæc, inquam, obſecro te, quam in corpore Domini vitã requiris? Eſt enim vita animalis, eſt & vita ſpiritualis. Animalis vita quinq; ſenſibus fungitur, viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu. Hęc vita animalis eſt, carnalis eſt, caro eſt: Dominus autẽ dicit, quia caro non prodeſt quicquam. Si enim Iudæi carnem, quam crucifixerunt, concidere & deuorare ſicut carnem agni maluiſſent, aut potuiſſent integrã viuamq́; abſorbere, ſicut cetus maris viuentẽ abſorbuit Ionam, nihil illis profuiſſet, imo maiori ſacrilegio conſcientias ſuas polluiſſent. Animalis igitur vita, quia caro eſt, ſi in corpore Domini adeſſet, nihil nobis prodeſſet, ac propter hoc illam requirere ſuperfluum eſt. Nam quid cœleſtis homo per ſacrificium cœleſte hoc adminiſtraret, quod nobis non deerat? Non enim prudentię eius eſt, curioſitatẽ noſtram non neceſſarijs paſcere miraculis. Quæ rebat hoc curioſus Herodes, quando erat ex multo tẽpore cupiens Ieſum videre, quia ſperabat ſignum aliquod ab eo fieri. Quod quia nõ fecit, ſpreuit illum, & remiſit indutum veſte alba. Solam ergo vitam ſpiritualem in ſacrificio nobis adminiſtrare ſapientiã eius decebat. Et noſtræ neceſsitati expediebat, quæ eſt ſanctificatio & benedictio, miſericordia & veritas, triſtitia & pax. Hæc autẽ eius vita ſpiri-

Iohan. 6. 1. Corin. 10. 1. Corint. 11. Ionæ 2. Luc. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpiritualis ſic eſt in corpore ſacrificij, abſque vita eius animali, quomodo lux ſolis abſque calore eius in corpore lunæ nobis repræſentatur. Igitur his pariter ex rebus ſacrificium nobis cõſtruit pontifex ſummus, quibus totus homo vegetatur, id eſt, ex verbo Dei, in quo viuit homo, & ex terræ fructibus, quib. ſolum viuit corpus, his duntaxat qui omniũ primi ſunt Panis enim eorum, quæ ad eſum, vinum eorum, quæ ad potum pertinent, primum eſt. *Deut. 8.*

Intentio. Cap. X.

INtentionem tanti operis, puriſsimum oculum tam lucidi corporis dũ quærimus, noſter quoq; ſimplex oculus, & lucidũ debet eſſe noſtrũ corpus, id eſt, vt ducamur diſcendi voto, nõ contradicendi propoſito. Vbi ergo inueniemus admirabilẽ huius pulchritudinis oculum, ſcilicet quò tendat tãtum tã pulchri operis ſacramentum? In capite ipſo in eodẽ, quod ſonuit nobis, verbo veritatis. Ait enim: Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis. Qui habet aures audiendi, ſic accipit hoc dictum, ſicut lachrymabilẽ morientis pro filijs patris affectum, ſicut germanæ pietatis eloquium, ſicut præacutũ vulnificę charitatis ſpiculum. Quia venerat eius hora, vt trãſiret ex hoc mundo ad patrẽ, quia verum erat quod dicebat diſcipulis, quò ego vado, vos non poteſtis venire. Et Petro dicẽti: domine, quò vadis? quò ego vado, inquit, non potes me ſequi: quia inquam non poterat eum tunc ſequi, hæreditatem illis competentem ſcribens, viſibilem ſui memoriam cõmendabat. Non enim ſcripturarum ſolam commonitionem ad hoc ſufficere iudicabat. Obliuioſum nanq; & ex magna parte indocilem, ęgrotum ſcilicet genus humanum curãdum ſuſceperat. Ecce videmus eius, quę in ſacris ſcripturis eſt, medicinalis diſciplinę difficultatem. Quota enim pars noſtri capit illã, quæ in ſancto Euãgelio fragrat tam optimis vnguentis, antidotum illud quod in principio erat verbum, Deus apud Deũ, per quod omnia facta ſunt, quodque caro factum eſt? Nam illud quidẽm ruminare, medela eſt probatiſsima, & dulcis faucibus amantis animæ, ſed tantus cibus valde paucorum eſt. Prꝛeterea meditatio hæc ſolius mentis pabulum eſt, ſolius animæ ſanctificatio eſt. At ille vtrunq; noſtrum corpus & animam ſibi aſtringere ardebat, vtrunque infirmũ, imo vtrunq; mortuũ, immortalitatis medicamẽto ſanare properabat. Magna igitur charitatis arte pigmenta ſua Dei ſapientia compoſuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renouata quotidie ſuæ ſalutis cõmemoratione, percelleret, & infantilium edentulã plebem animarum, quę verbi antiqui & æterni principij ſolidum non poterat terere & ruminare cibum, dulciſsimo hoc liquamine cõfecto, verbi eiuſdem diuinitatẽ, in panis & vini ſacramento ſorbilare conſuefaceret. Auferà cœtu Eccleſię quotidianas Saluatoris noſtri huiuſmodi exequias, & vide quàm meritò dicat ipſe Saluator, quæ vtilitas in ſanguine meo? Refrigeſcente enim ea, quæ hoc modo nunc vbique calet, eius memoria, refrigeſcet vniuerſa charitas, muta erit fides, claudicabit ſpes, conticeſcet magnus ille clamor ſanguinis iuſti Abel, qui per traditum tãti ſacrificij ritum quotidie reparat vocem, quotidie laxat os bibẽtis, & vociferãtis terræ, ſcilicet Eccleſiæ, maledictum coarguens Cain, & maturam indignè fuſi ſanguinis vindictam reposcens. Calente ergo memoria tam celebri, charitas Chriſti concaleſcit, perſtat ſuper fundamentum ſuum ædificium fidei, ſpes quotidiana peccatorum remiſsione reuiuiſcit.

Matth. 26. *Iohan. 13.* *Ibidem.* *Pſal. 29.* *Geneſ. 4.* *Matth. 24.*

Vtilitas. Cap. XI.

VTilitas hæc eſt in virtute huius ſacrãmenti, quod eius ope fit poſsibile his, qui in terra ſunt, in cœlum aſcendere. Aliter nanque illud poſsibile non eſt. ait enim Saluator: Nemo aſcẽdit in cœlum, niſi filius hominis qui eſt in cœlo. Vni & ſoli, qui deſcendit de cœlo, filio hominis, quia vna perſona eſt cum filio Dei, cum verbo patris, quod de cœlo deſcendit, & de corde patris, in vterum venit virginis, vni, inquam, & ſoli filio Dei filioque hominis tanquàm ſuo capiti cuncta membra corporis annectũtur, omnes qui in fide huius ſacramenti, in plenitudine huius charitatis ſunt recepti, & ſic vnũ corpus, vna perſona, vnus Chriſtus, caput cũ ſuis mẽbris in cœlũ aſcendit, dicitq; gratulabundus glorioſam Deo aſsignans Eccleſiam: Hoc nunc os ex oſsibus meis & caro de carne mea. Et oſtendens ſe atq; illã in perſonæ conueniſſe vnitatem, & erunt, inquit, duo in carne vna. Magnum hoc ſacramentum eſt. Caro Chriſti, quę ante paſsionem ſolius erat caro verbi Dei, per paſsionem ita creuit, adeo dilatata eſt, ita mundum vniuerſum impleuit, vt omnes electos, qui fuerunt ab initio mundi, vel futuri ſunt, vſque ad vltimum electum in fine ſeculi, noua cõſperſione huius ſacramẽti, in vnam Eccleſiam faciat Deum & homines ęternaliter copulari. Caro illa vnum erat granum frumẽti, quod antequàm cadens in terram mortuum fuiſſet, nunc poſtquàm mortuum eſt, creſcit in altari, fructificat in manibus & corporibus noſtris, & aſcendente magno & diuite domino meſsis, terrã fructiferam,

Iohan. 1. *Iohan. 5.* *Coloſſ. 2.* *Epheſ. 5.* *Geneſ. 2.* *Epheſ. 5.* *1. Corint. 5.* *Iohan. 15.*

ram, in qua creuit, ſecũ vehit in horrea cœli.

Vnde & memores Domine: vſque, & calicem ſalutis perpetuæ. Cap. XII.

QVoniam ergo tanta eſt commendatę vtilitas memoriæ, tria ſibi beata Eccleſia deinceps eiuſdem memoriæ proponit inſignia, ſcilicet tam beatam paſsionem, nec non & ab inferis reſurrectionem, ſed & in cœlos glorioſam aſcenſionem. Quorum primum Eccleſiæ vulnerat charitatem, alterum confortat fidem, tertium lætificat ſpem. Vbi enim dicens, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctã, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ, quinarium crucis ſignaculum panis & vini imprimit ſubſtantiæ, Chriſto ſedenti ad dextram patris veraciter (vt dictum eſt) concorporatæ, eruditum contemplatorem rerum, ad illam B. paſsionẽ mittit. Nã ab hinc vſq; dum corporale deſuper auferat, pẽdentis in cruce ſpiratagon, & paſsio Domini. Hæc ergo ſunt illa viuentis petræ foramina, in quibus formoſa eſt & immaculata colũba, ſcilicet Eccleſia: in quibus tunc certius nidificat, cũ intra verba prędicta, vel quinq; crucis ſignacula quinque dilecti ſui plagas, videlicet duas manuũ totidemq; pedum, & vnam lateris, fida tenet & contemplatur memoria.

Pſal. 65.

Sicuti accepta habere dignatus es munera Abel, & reliqua. Cap. XIII.

SIcut ſimilitudinis eſt, nó quãtitatis. Multò enim acceptius hoc ſacrificiũ eſt Deo, quã quod obtulit Abel, quod obtulit Abraham, quod obtulit Melchizedech. Valet nãque amplius res quàm vmbra: veritas, quàm figura. Ipſam ergo ſimilitudinem deſideremus magis quàm acceptionis quantitatem. Similes offerendo ſumus Abel, ſi rectè offerentes, nihilominus rectè diuidimus, quod quia Cain non fecit, peccauit. Sua nanq; cui debebat, Deo rectè obtulit: ſed ſeipsũ ſibi retinens, & cor ſuum Deo auferens, malè diuiſit. Abel verò intus in corde ſuo ſacrificium iuſtitiæ obtulit, quia nõ ſeipſum ſibi retinuit, ſed Deo ſubdidit, ac propter hoc ad exteriora eius munera Dominus placidè reſpexit. Similiter Abraham, egregia fide totũ ſe prius offerebat, & propter hoc cũ offerret ſua, placidas offerebat hoſtias. Quod vt ſciremus & imitaremur nos, patrios ab illo Deus affectus exegit, & *immolari ſibi iuſsit, ſtatimq; promptum eius animum inuenit, imo nobis oſtendit. Melchizedech quoq; niſi ſeipſum prius obtuliſſet, & in ſublime altare Dei cor ſuum depoſuiſſet, non potuiſſet prævidere cauſas, quarum intuitu panis & vini ſacrificium ſine exemplo primus obtulit. Itaque & nos, ſi aſsiſtentes ad offerendũ rectè (vt dictum eſt) diuidimus, id eſt, prius noſipſos offerentes, arietinam ſpiritus proteruiam, taurinamq; feritatem, hyrcinamq; libidinem iugulantes, mortificamus, iuxta illud quod in pſalmo canimus H, olocauſta medullata offerã tibi cum incẽſo arietum, offerã tibi boues cũ hyrcis: rectè diuiſimus, & iccirco, ſicut munera Abel, ſicut ſacrificiũ Abrahæ, ſicut Melchizedec immaculatam hoſtiam, noſtra ſacrificia Dominus accepta habere dignatur. Et iuxta conſequentem orationem, iubet hæc per manus ſancti angeli ſui perferri in ſublime altare ſuum, & in conſpectu diuinæ maieſtatis ſuæ inlocaliter atq; inuiſibiliter. Vbiq; enim eſt maieſtas inlocalis & inuiſibilis, vbique ſublime altare eius, quod eſt Eccleſiæ Catholicæ fides.

Geneſ. 4. *Geneſ. 22.* **Adde filium.* *Geneſ. 14.*

Nobis quoque peccatoribus. Cap. XIIII.

MOris eſt pleriſq; Eccleſijs, cùm ad id ventũ eſt: Nobis quoq; peccatoribus famulis tuis, paululum expreſſa voce ſilentium rũpere. Nanque in illo dominicæ paſsionis articulo ſubuenire nobis debet in mentem latronis confeſsio, ſimulque reſpõſio Domini de tribunali crucis, illum paradiſo adiudicantis.

Luc. 23.

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. Cap. XV.

TAndẽ cum tribus illis crucibus, quibus edicit ſacerdos, per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas, benedicis, paſsio Domini conſummatur, & illud nobis commemoratur, quod clamans voce magna emiſit ſpiritum. Quapropter ſtatim corporale aufertur, quia velũ tẽpli ſciſſum eſt, imo quia quæ de illo ſcripta erant, hactenus clauſa & operta fuerant, & erat verbum abſconditum ab eis, quicquid ipſe de paſsione ſua prædixerat, nunc autem vbi conſummatum, etiã reuelatũ eſt. Quodque diſcooperto calice trinum de hoſtia ſuper calice pingitur crucis ſignaculum, dicendo, per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, confeſsionem exprimit cum voce Cẽturionis, qui viſo terræmotu, & his quæ fiebant, clamauit voce magna: Verè filius Dei erat iſte. Duæ verò cruces, quæ pinguntur in latere calicis, dicẽdo, omnis honor & gloria, ſacramẽta nobis ſanguinis & aquæ repræſentant, quę patefacto latere Domini lancea militis, in redemptionem ſalutis noſtræ profluxerunt. Tunc accedit diaconus, & exaltatum parumper ſacrificium de altari reuerẽter, tam ipſe quàm ſacerdos iterum deponit, quia venit Ioſeph ab Arimathęa cũ Centurione, & Nicodemus quoquẽ

Matth. 27. *Luc. 23.* *Matth. 27.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque & impetratũ à Pilato corpus Iesu de ponentes sepelierunt. Sepelierunt, inquam, quod nobis in eo significatur, quòd calix iterum corporali cooperitur. Ibi competenter B. Gregorius dominicam orationem dici constituit, incongruum esse astruens, vt cùm super Eucharistiam oratio diceretur, quam scholasticus composuit, ipsa oratio nõ dicere tur, quam per se ipse dominus noster dictauit. Quod cùm à Græcis accepisse videretur, in hoc tamen differre voluit, vt cũ apud Græcos ab omni populo dicatur, apud nos à solo sacerdote cantetur. Tunc ergo quia Iesus (vt dictum est) clamans voce magna tradidit spiritum, Centurio clamauit dicẽs: Verè filius Dei erat iste, & mulieres lamentabãtur flentes Dominum, leuat sacerdos vocem, dicendo: Per omnia secula seculorum, & dominicam orationem. Similiter chorus respondendo, imitantes paucos fideles, qui contrito & confracto corde lugebant Dominum, veluti quondã occisum Abel inuidi furore fratris maligno, pauci parentes impatienti dolore & inconsueto cordis dolore lamẽtati sunt. Post hoc iterum breue silentium fit, sabbatum respiciens, quo Dominus in sepulchro quieuit.

Pax Domini sit semper vobiscum.
Cap. XVI.

TVnc rursus eleuatio vocis bonum significat nuntium dominicæ resurrectionis, dicente Sacerdote: Pax Domini sit semper vobiscum. Quod nobis illud commendat, quia Dominus noster stans in medio discipulorum suorum, dixit eis: Pax vobis. Interim tenens corpus Domini, quia cognitus est in fractione panis, tripartita fractura suã sanctę trinitati assignat hostiã, particulam q; vnam, quæ personam insinuat filij, sacro sanguini demissam immergit.

Ioban. 20. *Luc. 24.*

Agnus Dei qui tollis. Cap. XVII.

STatim ad gloriam ascentionis memoria gaudentis Ecclesiæ transcurrit, dicendo: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui sedes ad dexteram Dei patris, miserere nobis. Ad dandam enim pœnitentiam, & remissionem peccatorum Deus illum suscitauit, & principem & saluatorẽ exaltauit.

Hebr. 13. *Actor. 5.*

De Communione. Cap. XVIII.

TVnc religiosa cõsuetudine legãtum nobis à sacerdote damus & accipimus inuicem pacis osculum, gaudentes atque hoc cõmemorantes, quia reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, nosq; colligari debere signantes osculo pacis, quod est vinculũ perfectionis. Cantus, quem communionem dicimus, quem post cibum salutarem canimus, gratiarum actio est, iuxta illud: Edent pauperes & saturabũtur, & laudabunt Dominũ, qui requirunt eum.

Roman. 5. *Epheſ. 4.* *Coloſ. 3.* *Pſal. 21.*

De Collecta. Cap. XIX.

COllectæ, quæ dicuntur ad cõplendum, orationes sedentis in cœlo capitis nostri Iesu Christi signant, qui mortuus est, inquit Apostolus, imo qui & resurrexit, qui est in dextra Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Interpellat enim pro nobis Põtifex summus, quia nos per id, quòd nostri est similis, reconciliat, & per id, quòd patri est æqualis, absoluit.

Rom. 8.

De Benedicamus Domino. Cap. XX.

VLtimam particulam diaconus adijcit, id est, Benedicamus Domino, & hoc dicto populum excitat ad agendas Deo gratias pro acceptis beneficijs, quia profectò redemptore ad dextram patris sedente & interpellante pro nobis, perseuerant eius Apostoli, dicentes nobis, semper gratias agite, sine intermissione orate. Si autem solennitas aliqua sit, in illud tempus respiciens, quo nostræ salutis missio celebrata est, & diaconus Dalmatica indutus, perfectionẽ designat futuræ beatitudinis, tũc dicit: Ite missa est. Hęc enim populi solennis dimissio est, reuerenda modulantis enuntiatione nitens rei dignitatem exprimere, & quasi extrema manu in abeuntis populi cordibus memoriam eius stabilire. Hoc autem sacrosanctum altaris mysterium iccirco Missa dicitur, quia ad placationem, & solutionem inimicitiarum, quę erant inter Deum & homines, sola valens & idonea missio est.

Epheſ. 5. *1. Theſſ. 5.* *Epheſ. 5.*

Quomodo vel à quibus Missæ officium ordinatum sit. Cap. XXI.

OLim non tanto exterioris apparatu decoris missarũ solennia celebrabantur, nec ab vnoquolibet hæc omnis religioſi obsequij gloria consummata & perpolita est. Pontifices quippe sacri, splendida Romanæ sedis luminaria, sicut diuersis temporibus affulserunt, ita paulatim studij sui claritate, venustatem huius salutaris officij perfecerunt. Et sicut traditum à Domino per Moysen sacrificij veteris ordinẽ, præcipuè Dauid & Salomon, sacerdotum & Leuitarum ministerio cantorum multiplici numero, psalmorum diuinorũ tripudio, templi vel altaris illustri gloria, sacrorumq; multitudine vasorum, splendidius amplificauerunt: Sic traditum à Domino mirabilẽ noui sacrificij ritũ, per primos Apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fideli cura cõseruauit, diligẽti apparatu exornauit.

5. Reg. 7. *1. Paral. 23.*

nauit Quæ ergo quique eorum contulerint, iam dicemus, magis secundum ordinem illorum, quę ordinata sunt, quàm eorum, qui ordinauerunt.

INSTITVTIO COELESTINI PAPAE.

COelestinus, Papa quadragesimus primus constituerat, vt Psalmi Dauid centũ quinquaginta ante sacrificium canerẽtur antiphonatim ex omnibus, quod ante nõ fiebat, sed tantùm Epistola & Euangelium recitabantur. Ex hoc instituto excerpti de Psalmis introitus, gradualia, offertoria, communiones cum modulatione ad Missam in Ecclesia Romana cantari cœperunt.

GREGORII.

Gregorius, LXI. Antiphonariũ regulariter centonizauit & compilauit, Kyrie eleison à clero ad Missas cantari præcepit, quod apud Græcos ab omni populo cantabatur. Alleluia extra Pentecosten ad Missas dici fecit. In Canone tria verba hostiæ superaddit, diesq; nostros in tua pace disponas, ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Orationem quoq; dominicam post Canonem super hostiam censuit recitari.

SYMMACHI.

Symmachus, XLIX. constituit omni die dominico, vel natalitijs martyrũ, Gloria in excelsis ad Missas cantari: quem hymnũ Thelesphorus Papa, à beato Petro VII. nocte tantum natalis Domini ad Missas, à se in ipsa nocte constitutas, cãtari instituit, & in eo, ad angelorum verba, quæ sequuntur, adiecit.

GELASII.

Gelasius, XLVII. tractus & hymnos compo suit, & sacramentorum præfationes cauto & elimato sermone dictauit.

INNOCENTII.

Innocentius, XXXVIII. pacis osculum ante communionem dari decreuit.

LEONIS.

Leo, XLIII. qui in homilijs declamãdis multum valuit, addidit in Canone sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

DAMASI.

Damasus, XXXV. Credo in vnum Deũ cantari instituit, ex decreto sanctæ vniuersalis Synodi, à CL. Episcopis Constantinopoli celebratæ.

ALEXANDRI.

Alexander, VI. ad consecrationem Eucharistiæ instituit, quod sicut de latere crucifixi Domini effluxit sanguis & aqua, ita aqua vino misceatur in ipsa cõsecratione: nec vinũ sine aqua, nec aquam sine vino debere offerri, decernens.

Ioban. 19.

SIXTI.

Sixtus, VII. hymnum, Sanctus, Sanctus, Sanctus cantari instituit.

SERGII.

Sergius, LXXX. vltimũ hoc instituit, vt inter communicandum, agnus Dei à clero cantetur. Sic studiosa diuinæ legis Ecclesia Romana paulatim protulit de thesauro suo noua pietatis monumenta, & quoddam velut ex auro lapidibusq; pretiosis religiosi officij sancto sacrificio fabrefecit diadema. Non quidem sanctius hinc est, quã erat prius * ad sola verbi Domini solamq; dominicam orationem cõsecrabatur, sed maximè decuit, vt fides, quæ adhuc erat illo tempore rudis, & (vt ait quidam, tam doctus quàm fidelis) agresti turbida cultu, nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos. Vbi ornari potuit, maximè in hac parte, tanquam in capite suo, deauraretur, & earum rerum, quæ superiùs dictæ sunt, veneranda similitudine fulgeret.

** Adde quã do.*

De Azymo. Cap. XXII.

CVr sancta Romana Ecclesia nunquam in sacrificio fermentum admiserit, non otiosè quæritur, nec inutiliter scitur, maximè quia cõsuetudini huic tota hactenus Græcia refragatur. Nam de fermentato Græci immolant, & nescio qua authoritate suffragante (quæ proculdubio de authenticis nunquam profecta est scripturis) tam legalem, quàm Euangelicã Romanæ Ecclesiæ cõsuetudinem nimis pertinaciter abhorrẽt. Veris persæpe rationib. superati sunt, sed Constantinopolitanę sedis arrogantia multarum hęresium genitrix, cedere dedignata est. Leo, IX. huius nominis papa, à B. Petro CXLVIII. per epistolam ad Imperatorem Constantinũ scriptam, animum eius concilians, apocrisiarios suos Hunibertum Syluæ candidæ Episcopum, & Petrum Amalitanorũ Archiepiscopũ, Fredericum quoq; VII. Leuitã & Cãcellarium, Cõstantinopolim dirigens, multas Græcorum confutauit hæreses, qui inter cætera Latinos vocabãt Azymitas, & eos nimis persequentes, eorum Ecclesias claudebant, & Michaelẽ patriarcham, à gratia & patratio Imperatoris remotum, excommunicationis gladio percusit. Tantis autem hęresibus fermentata est Græcia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantæ econtrà synceritatis semper fuit sancta Romana Ecclesia, vt cui deest scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debeat eius autoritas. Nam Cõstantinopolitana non solum hęreticos, sed & Hęresiarchas protulit multos. Romana verò Ecclesia, su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

per Apostolicæ fidei petrã altius fundata, firmiter stetit, & tam Græcię quàm totius orbis hæreticos semper confutauit, & de excelso fidei tribunali data sententia iudicauit. Scripturarum tamen suffragia deesse non debent, ne vllam tam syncera autoritas videatur passa esse iacturam. Quę certius atque commodius peterentur, si vel scripto vel autore certo constaret, quid rationis super fermentato sibi videantur habere Græci. Nam Romanæ Ecclesiæ consuetudo legalibus, propheticis, Euangelicis atque Apostolicis rationib. consona est. Ferunt tamen quidam, hanc à Græcis fermentati se audiuisse rationẽ, eò quod Maria prægnans de Spiritu sancto facta fuerit, atq; ideo per fermentatum signari rectè dominicã incarnationem, & manifestum virginei ventris tumorẽ. Quicunq; ex eis huic innituntur rationi, longius à sanæ doctrinæ regula absunt, quàm si nullas omninò supradictæ rei causas redderent. Quid enim ideo fermentatum offerunt, vt impręgnatũ & tumidum Mariæ significent vterum? Nempe hoc respectu panem sacrificij Mariam, vitiũ autem panis, id est, fermentum, Christum eius filium esse volunt. Hæc ratio duabus ex causis euidentib. infirmata contẽnitur. Primò, quia nõ Mariæ, sed Christi solius, qui solus pro nobis crucifixus est, corpus offerre debemus. Secundò, quia fermẽto, vt aliquid boni significari mereatur, nulla omninò sacrę Scripturę de veteri aut nouo testamento autoritas suffragatur. Pulchrius atque rationabilius memoriam dominicę incarnationis ex sancto Euangelio recognoscimus. Nã qđ
Matth. 26. dixit Dominus de pane, quẽ accepit, hoc est corpus meum, quoties illa sacrosancta actione iteramus, incarnationem eius ita nobis reparamus, vt ad hoc nõ vterum B. Mariæ, sed solam eius fidem, per quam concepit, necessariam habeamus. Est autem eius fidei signum altare visibile, sicut rectè placet doctoribus Ecclesiæ. Igitur cùm Dei verbũ per fidẽ Ecclesiæ descendens, panem accipit de signo fidei, quod est altare, renouatur nobis illud, quod idem verbum Dei, per fidem virginis descendens in vterum eius, carnem assumpsit. Atque ita incarnationem dominicam nobis reparamus, non sicut fermentum in pane significãte Mariam, sed sicut Dei verbum in pane Catholicam significante Ecclesiam, in eo, quod sicut vnus ille panis de multis confectus est granis, sic Ecclesia de multis hominibus vna consistit per fidei vnitatem. Significari autem pane illo dixi Ecclesiam, non in eo, quod offertur & consecratur, sed in eo, quod de multis (vt dictũ est) granis cõficitur.

Nam in eo quod consecratur, nec ipsum indiuiduũ corpus Domini significat, sed est trãsfusio in se Dei verbo per fidem passionis, resurrectionis, & ascẽsionis Domini. Dominus enim non, hoc significat, sed, hoc est corpus meum, inquit. Infirma ergo & meritò contẽptibilis est supradicta fermenti ratio. At verò azyma tam ex Euangelica, quàm ex legali autoritate profecta sunt. Nã Dominus & *Exod 12. Deut. 16.* in lege, vbi typicũ paschæ sacrificium mandauit, fermentum abijci iussit, & in Euangelio, vbi nouũ sacrificium primus celebrauit, azyma nihilominus ipse consecrauit. Et ne fortè aliter suspiceris, fermentum in domibus Israel tunc non inueniebatur, lege enim Domini sancitum erat: Dũ ergo à vetere ad nouum sacrificium proficiscens, azyma non reliquit, sed azyma benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, hoc facite in meã commemorationẽ, nunquid de fermẽto quicquam dixit, aut questus est, quod cogente consuetudine legis fermentũ sibi defuerit? Imo qui in lege de azymis iussit, in gratia quod cõtrarium erat, statuere non debuit. Notandum quippe est, & animo memori retinendũ, nullas antiquæ legis consuetudines, cõtrarijs superuenientib. ex Euangelio decretis, esse destructas. Sed quæ abolitę sunt vel destructæ, melioribus nõ contrarijs cesserũt, vt circuncisio baptismo. Nã circũcisio bona quidem, sed baptismus melior. Nec mutabilitate vsus est Deus, dum bono prætulit melius, præsertim cùm bonum illud irritũ fecisset ille populus, sicut ipse Deus improperat illis per Prophetam dicẽtem: Et irritum fecistis pactum *Malac. 2.* meum, &c. Magis autem præputium oppositum videtur circuncisioni, scilicet vt habitus priuationi. Sed Dominus de præputio nihil dixit, imo de vtroq; tacuit, quia circũcisio nihil est, præputium nihil est, ait Apostolus, sed *Galat. 5.* fides, quę per dilectionem operatur. At verò azymum & fermentum manifestè opposita sunt, vt contraria immediata. Igitur nõ decebat Deũ, vt tanquàm sibimet cõtraria, abiecto azymo de fermẽto, præciperet, de quo ante prohibuerat, dicẽs: Non immolabis super fermento sanguinem hostię tuæ. Approbat verò Deus azymũ, non propter ipsum, *Exod. 25.* sed propter id, cuius est signũ. Significat quippe sacrificantibus nobis, vt epulemur paschali conuiuio, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. *1. Corint. 5.* Nec ideo rei tam necessariæ significatio hæc reijcienda est, quia de legis antiquæ cæremonijs illam constat esse profectam. Non enim cunctas legis antiquæ significatiuas consuetudines abiecimus. Adhuc quippe plenariã

lunæ

Exod 12. Leuit. 2. Exod. 20. Num. 10. lunæ faciem consideramus, nec vnquam in defectu eius paschа celebramus, & cotidie thus sacrũ Domino in odorẽ suauitatis adolemus, & oleũ vnctionis sanctum apud nos est, & pro tubis campanas habemus, & multa eiusmodi. Nam illa quæ significantur, quoniam bona sunt moralia, significationes ipsas omnes quidem lectione, quasdam verò actu quoq; celebramus, vt significata ipsa nostris sensibus, opportunè, importunè ingerantur.
Deut. 21. Quis hoc improbare audeat? De gentibus quoque exemplo Apostolorum atq; doctorum, solemus auferre, si qua ab illis probè dicta vel facta sunt, & tanquam captiuæ mulieris vngues pilosq; superfluos amputare, vt ab alienigena fallitate mundata sentẽtia, thalamum veritatis digna sit introire. Nonne ergo sanctarius aut iustius antiquitatum suarũ reminiscitur Ecclesia? quæ in Canticis Cã
Cant. 7. ticorum gloriatur & dicit: Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Igitur azyma non propter hoc abijcienda erant, qa significationis gratia in antiqua lege tradita fuerãt, quin potius ideo retinẽda, quia quod significant, optimum, & huic tempori gratię magis congruum est. Significant enim id, quod Apostolica tuba probabiliter sentien-
1. Corint. 5. dum personat, videlicet vt inter Christum, qui de massa peccatrice carnẽ sine peccato, tãquàm azymum assumpsit de fermentato, & Christianum populum, ita nequitiæ & malitiæ nihil intersit, quomodo in azymo pane cum fermẽto, & aqua nihil veteris massæ aut alienæ confessionis interuenit. Aqua nanque populũ significat, iuxta illud: Beati qui seminatis super aquas. Frumẽto aũt significari Christũ, nullo melius quã ipso autore probamus, qui seipsũ mortificandũ infidelitate Iudęorũ, multiplicãdum fide populorum, figuratè prędicans: Nisi, inquit, granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autẽ mortuum fuerit, multum fructum affert. Aqua frumẽto mixta sine fermento, simplices debere esse significat populos, Christo per fidem cõiunctos. Cùm ergo monimentum sit synceritatis & veritatis eius, in cui⁹ azymis nos epulari hortatur Apostolus expurgato veteri fermẽto, vt sim⁹ noua cõsperssio, iure inter vtilia legis antiquæ signa, rẽseruata sunt azyma, autore magno põtifice Christo, & per succedentẽ sibi beatum Petrum, Romanæ Ecclesię fideliter delegata. Quæ beata, quòd in fundamento suo petram illam excepit, quam in suo ve-
Matth. 16. ritas ore laudauit & beatificauit, tali structura super illam ædificata est, vt contra omnes hæreses perstaret murus inexpugnabilis. Et quacunq; mũdi ex parte periclitata fides ad illam confugit, mille clypeos ex ea, omnem- *Cant. 4.* que armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem & præparatam inuenit.

De Ornatu altaris vel templi.

Cap. XXIII.

SAcrosanctum altaris ministerium idcirco (vt dictũ est) Missa dicitur: quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum & homines, sola valens & idonea mittitur legatio. Cuius diuina ratio, quamuis assidui splendoris sit, cultus tamen exterior in vasis sacris, in apparatu altaris & ministrorũ eius, semper quidem sancta, sed pro dierum vel temporum diuersa ratione interdum splendidior est. Auro & argento, lapidibus pretiosis, pro posse fidelium singulis in locis splendet festiua deuotio, quæ cùm in sęcularibus ambitionis insignia sint, in Ecclesiasticis & diuinis rebus pietatis officia sunt: non quia Deum, qui Spiritus est, plus aurea, quàm lutea, plus gẽmata, quàm nuda delectent corpora: sed quia homines quod diligunt, cùm Deo libenter offerunt, dilectione Dei, quã illud à se separant, quicquid illud sit, Deo pre- *1. Iohan. 2.* ciosum efficiunt. Diligunt enim aurũ, quod maximè concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum. Cũ ergo illud offerunt nõ indigenti Deo, sicut Dauid concupitam *2. Reg. 23.* libauit aquam Domino, proculdubiò sanctũ & Deo placitum est quod offerunt. Nimis reprehensibiliter sic vngerentur pedes luxuriosorum & nequã hominum, quomodo super pedes Domini vnguentum effusum est, quod potuit venundari multo, & dari pauperibus. Sed hoc ideo laudabiliter fecit Domino deuota mulier, quia Dominus, cui nõ indigenti hoc factum est, in libra vnguenti pisti ci libram appendit potius pietatis & fidei, & ideo pro odore, qui respersus est in vna domo, memoriam prędicandæ mulieris spirare fecit in toto mundo. Igitur dum auro & lapidibus, ac sericis vestibus honoratur Christus in altaris apparatu, poterat & hoc dari pauperibus, sed non ideo iure ornatus mẽsæ Domini reprehenditur, cuius habitus, dum est incultus, non sine culpa eorum despicitur, qui illam ornare posse videntur. Nam quod Do- *Malac. 1.* minus per prophetam arguit populum, dicẽtem: Mensa Domini cõtaminata est, ideo fatere videtur, quia sine culpa tũc erat, quę putabatur contaminatio esse altaris, nuda pauertas. Reuersus nanque de Babylone populus, altare tãtum fecerat fortuitis (vt ait Hieronymus) & impolitis lapidibus, absq; tem- *Exod. 25. 28 & 27.* plo, absq; vrbis ędificijs, absq; extructióe murorum, & putabant minorem esse cultum religionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligionis, quia templi ornatus deerat, nec intelligebant, omnipotentem Deum non aurum gemmasq; & hostiarum multitudinem quærere, sed offerentium voluntatem. Cæterum vbi opportunitas & opes non deerant, Dominus ipse aurea sibi & argentea fieri mãdauit opera, summa artificum industria.

Nec statim nobis illud obijciatur ex dictis B. Hieronymi: Quòd si hæc ex veteri testamento suscipimus, consequenter & victimarum ritum, & legem sabbati, & his similia suscipere deberemus. Pugnat enim hæc eius sententia, ne aurea vel gemmata diuini cultus ornamenta, velut necessaria requirantur. Nam scribens aduersus Vigilantium, itemque ad Demetriadem virginem, eleemosynam quidem pauperum præfert, sed de huiusmodi vnusquisque, inquit, in suo sensu abundat, non damno, non reprehendo. Sed & manifesta ratione colligimus, figuras eiusmodi, quales de constructione tabernaculi B. Gregorius moraliter exponit, præsentia veritatis non ita dissipari, vt non debeant etiam nunc in exteriori cultu Ecclesiæ simili vel eadẽ ratione proponi: vt in illo nobis eluceat, qualis interioris domus Dei, quod sumus nos, ornatus esse debeat. Quamuis enim auctor veterum & nouorum figuratarum promissionum sacramenta mutauerit, quia promissa perfecit, & denuntiationibus (vt ait magnus Leo) cessationem imposuit, quoniam denunciatus aduenit, in præceptis tamen vel figuris moralibus, nulla prioris testamẽti reprobata decreta, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta. Dictis, factis, pulchrius Euãgelium quàm lex, frequentius Christus quàm prophetæ, parabolas vel allegoricas proponit similitudines, cuius magisterium sequens Ecclesia, rerum habitu visibiliũ, res imitatur inuisibiles, non solum in eorum (de quibus supra dictum est) ministrorum sacro cultu, sed in cæterorum quoq; templi vel altaris ornatu. Nam si nulla significãtur in hoc quoq; spiritualia, cur pretiosa pallia, & holoserica dorsalia parietibus appenduntur, & sacrosanctum Domini corpus lineo corporali superpositum obtegitur? Nam iuxta dignitatem eius, quod pretiosissimum habere possemus, meritò illi circumponeremus. Arcana ergo aliqua, quæsitu & intellectu digna, cum hac discretione animaduersa sunt. Nam corporale lineum, in quo Dominicæ passionis celebramus memoriam, tribulationem eius, & singularem designat in eo carnis munditiam. Linum quippe de terra natum, multis attritum pressuris, ad niuei candoris honorem & leuem subtilitatem peruenit. Grossum & inglorium è terra consurgit, sed inter manus præmentium opificum subtiliatur, & candescit. Tribulationem ergo Domini in lineo corporali aduertimus. Ascendit enim sicut virgultum & sicut radix de terra sitienti, non habens speciem neque decorem: sed propter munditiam animæ suæ, quàm pro peccato nostro posuit, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius directa. Quod diligentiores obseruant, vt duplex corporale sit, linteamina significans capitis Domini, quibus corpus eius aromatibus conditum inuoluit Ioseph. Pallia verò, quæ (vt dictum est) solenniter appenduntur templi parietibus, futuram sanctæ Ecclesiæ gloriam significant in regno Christi, quod nobis præsentes solennitates commemorant, vbi exhibebit sibi Christus gloriosam sponsam, non habentem maculam vel rugã. Codices quoque Euangelici auro & argento, lapidibusque preciosis non immeritò decorantur, in quibus rutilat aurum cœlestis sapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum preciosi lapides, quæ manus Christi tornatiles aureæ plenæ hyacinthis operatæ sunt. His atque alijs huiusmodi ornatibus loquitur quodammodo regina, quæ assistit à dextris speciosi ac potentissimi regis, vt vestitum deauratum, & varietates, quibus ipsa circumamicta est, omnemq; gloriam eius, quæ est ab intus in fimbrijs aureis, id est, in perseuerãtia bonorum operum, recogitemus & ad memoriam reuocemus, & admoniti de visibilibus, inuisibiles ornatus & repositam in cœlis eius gloriam auida mente speculemur. Tunc solenne est cantoribus, sed & omni choro psallentium, preciosum de sacrario capere vestitum, & magnis vocibus atq; amplificatis cantibus iucundum sacri sacrificij celebrare conuiuium. Causa postulat quiddam nostri ordinis, id est, monachorum, non præterire proprium. Solemus enim in huiusmodi festis omnes in albis stare vel procedere: qua veste nouam sanctorum vitam designari superius expositum est. Tunc nanq; in contemplatione eius nouitatis positi sumus, de qua nos hortatur Apostolus, dicẽs: Vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Itaque cùm simus comæ illæ, de quib. scriptum est: Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus, quia scilicet capiti nostro adhærentes, humili conscientia nigri esse, & victo mundo sursum tendere debemus: tunc tamen quando commemoratur eius seculi status, quo cum filijs semper est sponsus, conueni-

Rom. 14.
2. Corint. 3.
Esa. 53.
Psal. 44.
Rom. 6.
Cant. 5.

conuenienter lætitiam præferentes, quotidianam salubris tristitiæ nigredinem læto candore obducimus, iuxta illud: Non possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus. Conuenienter ergo in albis procedẽtes, simul etiam omnes à senibus vsque ad infantes, manipulos portamus, quia videlicet in illa vita, quæ per albas significatur, propriam vnusquisque mercedem accipiet, secundum suum laborem, & venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Matth. 5.
1. Cor. 3.
Psal. 125.

De Cappis. Cap. XXIIII.

CAppas quoq; in maioribus festis superinduimus, vt amplius in Deo gloriemur, aspicientes in futuram resurrectionem, quando omnes electi, (quibus nunc post depositionem carnis in anima tantum remuneratis, singulæ stolæ albæ datæ sunt) binas accipient stolas, scilicet requiem animarum, & resuscitatorum gloriosam immortalitatem corporum. Quæ cappæ benè ab interiori parte patulæ sunt, & omninò præter solam necessariam fibulam inconsutæ, quia profectò immutata iam & immortalia corpora nullis animam obcludent angustijs, corda non contegent, nec obsistent internæ sanctæ Trinitatis contemplationi. Fimbrijs quoq; subterornatæ sunt, quia nil nostræ tunc deerit perfectioni, sed quod nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cognoscemus sicut & cogniti sumus, quia facie ad faciem videbimus.

Apoc. 6.
1. Cor. 15.
1. Cor. 12.

De Rasura capitum. Cap XXV.

VEruntamẽ hic subornati, caput intactũ præferimus, & rasuram, quam coronã nominamus, nullo ornamento contegimus. Non est enim plenum gaudium nostrum, quia non in re præsentium, sed in spe gaudemus futurorum. Idcirco autem rasi sumus, quia filij sumus Chore, id est, calui, scilicet Domini nostri Iesu Christi, qui in caluariæ loco crucifixus est, dictumque est ei, videlicet vero Helisæo, à stultis & insensatis pueris cum illusione: Ascende calue, Ascende calue. Rasis ergo capitibus, antiquam Nazaræorum legem immutauimus. Olim nanque Nazaræi capillos nutriebant, nos econtrà capillos decidimus, quia Nazaræorum princeps Dominus Christus decaluatus, id est, in loco caluariæ, vbi damnatorum capita abscindebantur, crucifixus est. Dalila, id est, paupercula & mentis inops synagoga rasit caput fortissimi Samson, id est, solis nostri, & tradidit in manus Philistinorum. At ille captus, quasi victus, eos qui se ceperant vicit, pluresque hostium occidit mortuus, quàm occiderat viuus. Mortuus enim Dominus infernum confregit, mortem vicit, vitam reddidit. Nos quamuis in supradictis ornatibus de victoria eius gaudeamus, tamen in rasura capitum decaluationem eius per compassionem lugemus. Hoc autem humilitatis insigne vocamus coronam, id est, victoriam, quia fidelis illa Domini decaluatio, cuius hæc rasura signum est, proculdubiò victoria est, triumphus est, honor & gloria nostra est. Mihi autẽ absit gloriari, ait vas electionis, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Sed nondùm apparuit, hęc gloria quid erit, habetq; adhuc tristitię speciem, donec tristitia conuertur in gaudium, & gaudium nostrum plenum sit.

Num. 6.
Iudc. 13.
Iudc. 1.
Galat. 6.
Iohan. 16.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER TERTIVS.

De ordine Eccleſiaſtico ab aduentu Domini, Prologus.

ANguſtioribus atq; profundioribus enauigauit oratio, dū ſuperius ſacramentū Domini corporis & ſanguinis pertentans potius quàm perluſtrās, nullū fidei paſſa eſt periculum, ſatisq; confidit in Deo iam adulta vel exercitata fide, quia quotieſcūq; per hoc profundum fuerit nauigandum, nullum alicuius obice ſaxi incurrit naufragium. Nunc iuxta propoſitum noſtrum, ad ordinem anni, qui circa ipſum agitur ſacramentū, ingredientes, ipſum, quo regimur, ſanctum poſcimus Spiritum, vt placida ſui fauoris aura noſtrum implere velum nō deſinat, donec propoſitum opus ad optatæ cōſummationis portum perducat. Quod ab aduentu Domini inchoantes, primùm cur illud tempus ſic nuncupetur, vel quid hoc ſignificetur vocabulo, conſulta cauſarum ratione noſſe debemus.

De Aduentu. Cap. I.

TEmpus, quod dominicæ natiuitatis memoriam antecedit, ideò aduentus nuncupatur, quia totus eius Eccleſiaſticus ordo iuxta contemplationem aduentus Domini diſpoſitus eſt. Aduenire autem Dominus recтè dicitur, qui vbique eſt inuiſibili præſentia maieſtatis, dum aſſumpto eo quod viſibile eſt noſtrum, viſib. carnis viſibilem ſe oſtēdit. Quod tunc factum eſt, quando verbum, *Ioban. 1.* per quod omnia facta ſunt, quod erat in mūdo, & mundus per ipſum factus eſt, ſed mundus eum nō cognouit, caro factum eſt, vt viſibiliter habitaret in nobis: itemq; futurum eſt, quando is, qui nunc à dextris Dei ſedet, & licet nobiſcum ſit vſq; ad conſummationem ſeculi, non aliud aſſumendo, ſed quod ſemel aſſumpſit nobis repræſentando, & ſicut ipſe *Matth. vlt. Marth. 24. Luc. 2. 1.* dixit: Videbimus filium hominis venientem in nubibus cœli, cum poteſtate magna & maieſtate. Illud igitur tempus, quod dominicæ natiuitatis memoriā antecedit, idcirco aduētus nūcupatur, quia hæc, quæ dicta ſunt, partim præterita, partim futura commemorantur. Nam prima dominica, primus aduentus iam præteritus quaſi futurus, in perſona antiquæ commemoratur eccleſiæ. Secunda & tertia dominica, ſecundus aduentus expectantibus & deſiderantibus iamiam inſtare, propheticis atq; Apoſtolicis tubis denuntiatur. Ideo verò ſecundus aduentus duabus dominicis declamatur, quia primum aduentum ſola, quę præceſsit incarnationem domini eccleſia promiſſum expectauit, ſecundum autem tam præcedens quàm ſubſequens audiuit, illa propheticis tantum, hæc autem propheticis pariter atq; Apoſtolicis edocta præconijs. Quapropter in ſecunda ex ipſis dominicis propheticum perſonat officium, quod eſt populus Syon. In tertio verò Apoſtolicū: *Matth. 3. Luc. 1.* Gaudete in domino ſemper. Quarta dominica, quæ ſemper dominici natalis diem noui ſsima reſpicit, tempus illud commemorat, quo imprægnato iam & tumido vtero virginis propè erat dominus, & calcians ſe diu nitas corrigiam illam ſuę ligabat incarnationis, quam in Euangelio eiuſdē dominicæ Iohannes ſe non eſſe dignum ſoluere profitetur.

De Prima dominica aduentus domini. Cap. II.

QVod hæc ita ſint, ex ipſis earundem dominicarum patenter cognoſci poteſt officijs. Nam prima dominica non iam retributionem, ſed initium iuſtitiæ poſtulat humanum genus. Nec iam patriam attingit, ſed viā ſibi poſtulat oſtendi. Ait enim: Vias tuas domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edo- *Pſal. 24.* ce me. Vox hæc veteris hominis eſt, originalis peccati vinculis alligati, & in ſuam cœleſtem patriam neſcientis redire, nec valentis. Propter quod illa tunc Euangelij lectio recitatur, in qua vel maximè commendantur illæ domini vię, per quas illuc, vnde corruit homo, debeat & poſsit redire, ſcilicet obedientia, manſuetudo, & humilitas charitasq; ſumma. Obediens namque patri, vt pateretur pro nobis, vltrò ad paſsionis locum venit manſuetus & humilis, ſicut propheta de illo *Zach. 9.* prædixit: Dicite filiæ Syon, ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper pullum aſinæ. Charitas autem erat illa, qua maior non *Ioban. 5.* eſt, ſicut ipſe dixit: Maiorem hac dilectione nemo habet, &c. Prætereà tota primi aduentus cauſa, in illa ſancti Euangelij lectione typicè continetur. Sed de hoc ſuperius dictum eſt, vbi ad comprobandum quòd Euangelio cohæreant, & conſentiant cætera membra officij quemadmodum corpus capiti, huius dominicæ officium exempli gratia propoſitum

tum eſt. Aſinam nanque alligatam vel pullum eius, humanum genus ſignificare nouimus, ad cuius ſolutionem dominum aduenisse manifeſtum eſt, vt ſeſſor & poſſeſſor noſtri factus, in cæleſtem Hieruſalem per vias ſuas equitatu ſalutis nos reduceret. Igitur ex officio conſtat primam dominicam primum domini ſpectare aduentum. Cuius officij conſtat hanc eſſe intentionem, vt his, quibus necdum venit dominus (illis enim necdum aduenit, qui fidem incarnationis eius nondum receperūt, illis, inquam qui necdum in aduentu eius crediderunt) aduenia*t* *Pſal. 14.* tanta ſalus per fidem, vt confidentes in domino non erubeſcant, neque irrideant inimici, id eſt, dæmones diutius aſinam illam, quam alligauerunt vinculis peccatorum, ſed ſolutę vias dominus demonſtret illi, & ſemitas ſuas doceat. Hoc in introitu, in graduali, & in alleluia manifeſtè conclamatur. Interuenit *Rom. 13.* Apoſtolus Paulus, & in lectione Epiſtolæ demonſtrat aſinę vias, quas ambulare, vel quas non ambulare debeat. Quarum demonſtrationem ſic inchoat: Scientes quia hora eſt iā nos de ſomno ſurgere. Nimirum hæc & reliqua dicens, quaſi fides auriga, aſcenſuro domino, vt dietam ſuam perficiat. Aſinam infrenat, quo rectas vias teneat, ad ſummum dicens, ſed induimini dominum noſtrum Ieſum Chriſtū, quod idem eſt, ac ſi dicat eidem aſinæ: Aſcenſorem ſuſcipe regem Syon. Quod autem poſt Euangelium idem clamat offerēda, quod antiphona ad introitum, hoc innuit, quòd aſina illa, etiam cum acceperit ſeſſorem ſuum dominum, ſecura eſſe nō debet, priuſquam perueniat cum equite ſuo in ſupernam ciuitatem Hieruſalem. Poteſt enim fieri, vt offenſus eques ſuum velit mutare vehiculum, quod prius probaſſe viſus eſt, ideo perſeuerat in offertorio dicere Eccleſia, quod in introitu dixerat, addēdo: Dirige me *Pſal. 84.* in veritate tua, &c. Communio quoque: Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Manifeſtè vox eſt antiquę ecc'eſiæ, primum domini expectantis aduentum: quando de benignitate ſpiritus ſancti terra noſtra, id eſt, vterus virginis cōcipiens, dedit fructum ſuum, Deum & hominem proferens, benedicta in æternum. Ea quæ dicta eſt ad introitum collecta, quæque ſuper oblata, quæq; ad complendam, manifeſtè ad idem, ſcilicet ad primum domini reſpiciunt aduentum.

Cur ſtatio ad ſanctum Petrum fiat.

NOtandum quoq;, quia ſtatio dominica hac iuxta ſacratiſsimam ordinationem vigilantiſsimi Papæ Gregorij, iure ad ſanctum Petrū fit: Ipſe eſt vnus, imò primus diſcipulorum, qui ad ſoluendam illam magnam aſinam miſsi ſunt. Siquidē & in apoſtolatu circunciſionis Deus illi operatus eſt, & inter gentes cū conſorte ſuo beato Paulo eadē le- *Galat. 2.* gatione functus, pro Chriſto Romā ingreſſus eſt, vt imperium orbis tanquam prædictę caput aſinæ ſolueret, ita vt pulchrè nobis illi duo, qui à monte oliuarum miſsi ſunt, ad ſoluendam illam animalem aſinam, in typū omnium prædicatorum, in his duobus, videlicet Petro & Paulo repræſentari videntur, qui caput mundi Romam domini Chriſti regis æterni vehiculum & habitaculum, currum atque thronum effecerunt.

Cur in aduentu non vtuntur conſuetis veſtibus ſacris Diaconus & Subdiaconus.

EX tunc vſque ad ſacram dominici natalis noctem, diaconus & ſubdiaconus imminuti procedunt. Nam neq; diaconus dalmaticam, neq; ſubdiaconus induit tunicam. Subdiaconus tanquam lex, quæ ante incarnationem domini carebat ornatu Euangelij: diaconus tanquam ipſum Euangeliū, cuius claritas, quanta ſit, non dum apparuerat ante ſacramenta natiuitatis, paſsionis, reſurrectionis & aſcenſionis domini. Horum enim non prę ſentiam, ſed expectationē ſignificat tempus illud: propter quod & aduentus domini (vt dictū eſt) nūcupatur. Vtuntur aūt interdū caſulis, quam veſtē ſacerdotis eſſe diximus, cū de habitu ei⁹ loqueremur. Quod neminē mouere debet. Non enim ſic vtuntur caſulis ſubdiaconus aut diaconus, vt in ipſis legant vel miniſtrent, ſed lecturi aut miniſtraturi illas exuūt, manifeſtè profitentes, illā ſuam nō eſſe veſtē, nec propter ſuum ordinē ſibi debitam, ſed propter dominicæ vel alicuius feſti reuerentiam ſe accipere accommodatā, vt inopem atq; indecentē conſolētur expoliationē. Eandā ob cauſam, Gloria in excelſis deo, tunc nō dicitur, & Ite miſſa eſt intermittitur, quia videlicet illud tempus ſignat, vt dictum eſt, quo adhuc expectabatur gaudiū pacis, & illud, quo nūc vſq; ſoliciti præſtolamur conſummationem noſtræ ſalutis.

De dominica ſecunda. Cap. III.

DOminica ſecunda ſtatio ad ſanctā Hieruſalē. Totū enim officium eiuſdē dominicę ad lętificandum cor illius decantatur, quæ primum filij Dei recepit aduentū, quæq; per fidem iuſtificata, & pacē habens ad Deū, deſiderat in ſecundo aduentu videre glorioſum regem ſuū. Mulier quippe caſta eſt, quæ *Rom. 5.* viri ſui abſentiam plorat, prętentiam deſide- *Pſal. 41.* rat: & ſic vnici ſponſi ſui ſuſpirat thalamum, quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes

Universidad de Deusto
Biblioteca

aquarũ. Huic ergo desideranti, festinanti, atque anhelanti, prẽsens officiũ lętitiã prẽnunciat, spẽ inculcat, patientiam prędicat. Primũ Euangelij sententiam contemplemur, cui cętęrę officij partes, plenæ gaudij, plenæ consolationis & pacis, cõsonare probentur, prẽmissis signis, quę gloriosum illum aduentũ prẽcessura sunt. His ergo, inquit Dñs, fieri incipientibus, leuate capita vestra, quoniã appropinquabit redẽptio vestra. Leuate capita vestra, ait beatus Gregorius, id est, exhilarate corda. Iuxta huius veridici promissi cõsolationem, prẽcinit ad introitum tuba propheti ca populo Syon. Ecce, inquiẽs, Dñs veniet ad saluãdas gẽtes, & auditã faciet Dominus gloriam vocis fuę in lętitia cordis vestri. Parυulus enim & pupillus est in hoc exilio natus populus Syon, peregrina matre, & illo, quem nunquàm vidit, genitus patre: patrẽ absentẽ gemitibus quẽrẽs, & assiduis cœlum pulsans vagitibus, quo patrem suũ abisse, matre narrãte, audiuit, & vix infantulus intellexit. Cui flenti & in orationib. vagienti cõmiserens mater totũ hoc officiũ canit, iãiã imminere cõtestans desiderãti reditũ patris, & audiendã esse gloriã vocis eius, quãdo dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ in lętitia, inqt, cordis vestri, quę tota erit, vt signis eius fieri incipientib. iuxtà Domini dictũ, debeamus leuare capita nostra, id est, exhilarare corda. Quod quià per nos fieri non potest, nisi nos ipse gaudio spiritus sui lætificet, rectè in collecta deprecamur, dicentes: Excita Domine corda nostra, id est, leua atq; exhilara ad prẽparandas vnigeniti tui vias, scilicet, vt parata sint occurrere illi: nõ per timorem fugiẽdo, sed cũ amore aduentum eius excipiendo. Ad hæc opportunè nobis hæc apostolica lectio recitatur. Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt, vt per patientiã & consolationẽ scripturarũ spem habeamus, & reliqua. Valet enim ad correptionẽ impatientis animę, nimis ęgrę, cupiẽtis dissolui, & esse cũ Christo, dum abundantiã spei nobis optando, moras vẽturi Dñi nostri ferre suadet, cũ pace & gaudio. Graduale manifestè venturũ eũ canens, cuius species decoris ex Syon est, iuxta illud, quia salus ex Iudæis est, eandẽ lætitiam sanctis eis prędicat, qui congregandi sunt ad dextrã eius, eò quòd ordinauerint testamentũ eius nouũ super vetera sacrificia. Alleluia duobus fœcundum versib. primo versu gaudiũ spei prędicat eius, cui dictũ est, in domũ Dñi ibimus, lętitiam q; ex re futurã, vbi stabũt pedes eius in atrijs Hierusalẽ. Lecto aũt supradicto Euangelio prẽcẽtore gaudij, & cõfirmata promissiõe veritatis, vbi dicit: Cœlũ & terra trãsibunt, verba aũt mea nõ trãsibũt, iã velut cõsolatiõe recepta, gratulatur populus Syon, & dicit credẽs veritati: Deus tu cõuertẽs viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Viuificabis nos, inquit, scilicet per resurrectionẽ, cõuertens nũc per fidẽ, & plebs tua lętabitur in te. Lętabũtur filij sponsi reddita sibi eius prẽsentia, & pristina tristitia in gaudium cõuersa, pleno gaudebũt gaudio. Longum nimis est, neq; à nobis propositũ exponẽtis more omnia persequi. Solã. n. concordiã cuiusq; officij, velut cõpagem cuiusq; corporis perquirere propositũ est. Summa igitur huius officij est, vt peregrina Hierusalẽ, id est, Ecclesia prẽsens, huius vitæ exiliũ spe patientissima perferat, & cũ secũdum Euangelij iã dicti prẽmõstrationem, mundi ruinã imminere cognouerit, leuet caput suũ, & iuxta cõmunionis cohortationem surgat, & stet in excelsõ, terrena respuẽs & amãs cœlestia, sicut petit collecta, quæ dicitur ad cõplendum, & videat iucunditatem, quę veniet sibi à Deo suo, ac velut propinquante æstate mœroris sui nubila discutiat, quia vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt.

Luc. 21.

Psal. 84.

Iohan. 16.

Esa. 30.

Baruch 3.

Apoc 21.

De Dominicæ tertiæ officio. Cap. IIII.

DOminicæ tertię totũ officium consolationem decãtat, maximè rectoribus Ecclesiarum: quorum status quanto eminentior, tantò vita iudicijs hominum subiectior, & tantò magis persæpe apud homines laceratur opinio, quantò eorũ meritum in diuino fulget iudicio. Venturum nanq; illis annunciat, qui harum illuminet abscõdita tenebrarũ: quia ipse iudex eorũ est & cõscius, qui omninò errare nõ nouit iudicio. Vt ergo tanto teste vel iudice vẽturo gaudeãt, vel quid de illo sperẽt vt sciãt, opportunè recitatur illud prẽclarũ atq; famosum, quod de Iohãne Baptista perhibuit, testimoniũ, dicens: Amẽ dico vobis, inter natos mulierũ nõ surrexit maior Iohanne Baptista. Magnũ testimoniũ, grãde præconiũ. Negauit Deus hominẽ esse illum mollib. vestitum, negauit harundinem esse vento agitatam, enunciauit officio vel meritis esse angelũ. Ostendit in vno, quod in omnibus facturus est, quoniã veniẽs ad iudiciũ in cõspectu patris & sanctorũ angelorũ, cõgrua singulis testimonia reddet. Quis ergo non erubescet flere, eò quod competens suis meritis non habeat ex hominibus testimoniũ, tanto sibi repositò in cœlis prẽcone meritorum? Gaudete potius in Dño semper, iterũ dico gaudete, inquit Apostolus, (quod cã tans in introitu) modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Quòd si oculos suos compresserint, & lucem vestrã coram eis lucentẽ videre

Matth. 11.

Philip. 4.

Exod. 21.

Hebr. 1. Matth. 25.

Roman. 15.

Philip. 1.

Psal. 49. Iohan. 4. Psal. 49.

Psal. 121.

videre noluerint, nihil soliciti sitis, dominus propè est, qui lucem vestrã videre nolentib. ingeret, tantũmodo petitiões vestrę innotescant apud Deũ. Vnus. n. ille testis contra omnes criminatores prævalebit. Promissam cõsolationem hãc subsequens cõpleri collecta postulat, dicens: Aurẽ tuã Domine precibus nostris accõmoda, & mentis nostrę tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Tenebras. n. quas patimur, in eo, quod errantes falsò iudicamur & iudicamus, illustrabit eius aduentus, quem non tardari posc imus, sicut in subsequenti lectione epistolæ ait idem Apostolus. Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium. Tota enim hæc lectio tendit in hoc, vt nobis, p minimo sit iudicari ab humano die, sicut fuit Iohãni, qui (vt supra dictum est) in Euangelio prædicatur à Domino harundo vento agitata nõ esse. De eadem re Dominus flebiliter postulatur in graduali, prẽmissa laude cõpetenti: Qui sedes Domine super Cherubim, &c. Nam in eo quod sedet super Cherubim, id est, super plenitudinem sciẽtiæ, nouit & potest occultã cordium nostrorũ abyssum penetrare, & quęcunq; ibi latẽt, vero testimonio in publicũ proferre. Ad hoc iuxta vocẽ Psalmi, quæ in alleluia personat, excitabit potentiã suã, & veniet. Et sicut in offerenda quasi iam factũ, quia proculdubiò futurum est, præsumimus dicendo: Benedixisti domine terrã tuam, auertisti captiuitatẽ Iacob, gaudebunt electi stantes à dextris, testimonio sibi reddito à vero iudice, & libertatem accipient filiorum dei, iuxta quod in alio loco scriptum est: Cũ auerterit dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel. Cuius libertatis spe cõfortat pusillanimes tuba prophetica in cõmunione. Dicite pusillanimes, cõfortamini, & nolite timere, qui sæpe dũ humana contra se audiuit præiudicia, quãuis de repositò in cõscientia thesauro debeãt cõsolari, tamẽ valde trepidãt, quia nec dũ sciunt, quales in illo tremẽdo Dei iudicio inueniendi sunt. Vnde beatus Gregorius, qui multis hominũ præiudicijs fatigatus, satis & plus alijs multis erat expertus, quid paterẽtur, vel quãta intra hęc cõsolatione indigerent rectores Ecclesiæ, & iccirco hoc illis celebri statione officium dedicauit, scribens ad Mauriciũ imperatorẽ, inter cætera dicit: Quod aũtẽ dominorũ pietas illud mihi pauendũ, & terribile omnipotentis Dei iudiciũ intentat, rogo per eundẽ omnipotentem dominũ, ne hoc vlterius faciat. Nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit. Et Paulus egregius prædicator admonet, dicẽs: Nolite ante tẽpus iudicare, donec veniat dominus, qui & illuminabit abscõdita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordium.

1. Corint. 4. Matth. 11.

Psal. 84.

Roman. 8.

Psal. 13.

Esa. 35.

1. Cor. 4.

Cur statio ad sanctum Petrum.

SCiendum verò est, præsentis dominicæ officio stationem cõgruè fieri ad sanctũ Petrum, quia videlicet ille rectorũ Ecclesiæ primus & præcipuus est: quibus idem officium prædicat gaudiũ & patientiã in tribulatione, longanimitatẽ in spe, quorũ in animo quãta pressura sit, & præter illa, quæ extrinsecus sunt, quãta instãtia quotidiana, quã ta solicitudo commissarum sibi animarum, nulli præter ipsos, qui experti sunt, perfectè & liquidò nouerunt, quamuis frequenti lectione, maxime ex libris beati Gregorij nonnulla ex parte à studiosis & cordatis lectoribus queãt cognosci. Ipse aũt B. Gregorius egregium Romanæ sedis post Petrũ Apostolum decus, qui optimè (vt dictum est) angoris eius conscius extitit, hoc sese cũ illis officio consolatus est: quippe qui (vt in libro vitæ ipsius legimus) stationes per basilicas vel beatorum martyrum cœmiteria (secundum quod hactenus plebs Romana, quasi eo viuente, certatim discurrit) solicitus ordinauit: per quas & ipse simul discurrens, dum adhuc loqui prævaluit, viginti homilias Euangelij diuerso tempore declamauit, reliquas verò eiusdem numeri dictitauit quidẽ, sed lassescente stomacho, languore continuo alijs pronũtiandas cõmisit. Qui sicut verè dulcissimum sancti Spiritus organũ, quicquid scripsit, digito Dei dictante concepit: sic easdem stationes non sine eodem spiritu deposuit, & tam hæc, quàm cætera eius opera, tanquàm aurũ rutilant in Christi Ecclesia.

2. Cor. 11.

De Quatuor temporum ieiunijs. Cap. V.

INter cæteras hebdomadę ferias, quarta & sexta feria maximè ieiunijs ideo deputantur, quia Dominicæ passionis memoria præ alijs insignitæ sunt. Quarta nanq; feria Dominus à Iuda traditore vẽditus, & sexta à Iudęis crucifixus est. Itaq; & per singulas dominicas proprias Euangeliorũ & Epistolarũ lectiões habent, & ieiunijs, lætanijs atq; abstinentijs pœnitentium magis idoneæ iudicatę sunt: vt quibus diebus innocẽs Dominus vẽditus, & pro seruis suis passus est, seru⁹ peccator fleat & ieiunet, & lectionẽ sanctã (quæ est animæ pabulum) solennius audiat. Quapropter quatuor temporũ ieiunia per easdẽ ferias celebrari instituta sunt, addita dominicæ sepulturæ die, scilicet sabbato, vt tres dies ieiunij sint, quatenus trium mensium cuiusque tẽporis tempe-

Matth. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

temperiem bonam, trium dierum, quibus ie iunamus, salubri commercio impetremus, & pro mense diem vnum Domino offerentes, tranquillam & quietã hanc vitã sub elemẽtis
Ephes. 6. mundi, à spiritualib. nequitijs, & ab aeriarum malignitate tempestatum peragamus.

De Ieiunio in Aduentu Domini. Cap. VI.

TErtia igitur dominici Aduentus hebdomada, quarta feria brumalis temporis ieiunium præfixum est: quod propter aduẽtum Domini aliorum temporum ieiunijs celebrius est, & officium tam diurnum quàm nocturnum magis plenarium habet, ad ipsum Domini pertinens aduentum, vt dum caro ieiunijs affligitur, anima redemptionis suæ testimonijs, ex lectione sacra, vel concentu Ecclesiæ, copiosius lætetur. Prima ieiunij die, scilicet quarta feria statio ad sanctam Mariam cõuenienter ordinata est. Ad illud em templum Domini, ad illud sacrariũ Spiritus
Luc. 1. sancti, in quo totus Deus nouem mensib. habitans, dignatus est homo fieri, totum eius diei officium propriè pertinere manifestum est. Nã ex Euangelio dominica recitatur annunciatio vel incarnatio, propheticis tubis antè declamata, per angelũ præsentialiter allata, per fidem beatę virginis susceptа, per in corruptum eius vterum cõpleta & reddita. Quæ omnia propheticus clangor in introitu
Esa. 45. breuiter præcinens: Rorate cœli, inquit, & cętera. Dicendo rorate cœli desuper, ministerium angelicæ expresit allocutionis, qua verbum Deus in interiorem aurem credulæ virginis, sicut pluuia in vellus, descendit, & per
Iudic. 16. hoc quod ait, & nubes pluant iustum, se atq; cæteros prophetas, qui vt nubes iustum, scilicet Christum & fideles eius in terra cordis nostri cœlesti doctrina depluunt. Aperiatur,
Esa. 2. inquit, terra susciptiẽdo verbum, & dicendo, ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum ver
Luc. 1. bum tuum, & germinet saluatorem benedicta in æternum, Deum nobis proferẽs & hominem. Quæ post hęc sequũtur, omnia simi-
Dan. 2. liter Euangelico sensui consonant. Epistolaris lectio ieiunantium animas dupliciter reficiens, Primò montem illum prędicat, qui secundum consonum Euangelium, sedem sus-
Psal. 65. cipiens Dauid patris sui, & de lapide paruo crescens in montem, & implens orbem terrarum, regnabit in domo Iacob in æternum,
Psal. 23. Cui lectioni pulchrè succinit versus subsequens gradualis, quis ascendit in montẽ Domini, &c. Quia videlicet nõ nisi innocens manibus & mundo corde, & cuius vita concordat cum fide, partem habebit in illa Domini incarnatione. Reliqua officij membra patenter ad eundem Euangelij sensum pertinentes nec ad hoc probandũ immorari op» est, quoniam manifestum est. Igitur hac die secundũ huiusmodi officium statio ad sanctam Mariam conuenienter ordinata est.

De Feria sexta Ieiunij. Cap. VII.

SExta verò feria statio ad sanctos Apostolos præscripta est Ratio quidem occultior est, sed quærentibus parua ex scintilla citius elucet. Nam in Euangelio diei præsen- *Luc. 1.*
tis, in cantico beatæ virginis dignũ illud memoria dictum est, quod patenter ad ipsos Apostolos attinet: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Nam de sede spiritualis magisterij, de cathedra Moysi, deposuit potẽtes de sede, id est, superbos, scribas & pharisęos, & exaltauit in eandem sedem humiles Apostolos. Sicut aliàs ipse Dominus confiteor *Matth. 11.*
tibi, inquit, pater Domine cœli & terrę, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Quod quia in veritate iudicij factũ est, & cùm hæc diceret beata virgo, propè erat Dominus, scilicet in vtero eius, benè con
gruit hic introitus: Propè esto Domine, & o- *Psal 118.*
mnes viæ tuæ veritas. Et quia florente tunc virga de radice Iesse, iam requiescebat super florem eius spiritus Domini, vt de plenitudine eius accipiens Iohannes, exultaret in vte- *Iohan. 1.*
ro Elizabat: aptè concinit Euangelio hæc E- *Luc. 1.*
pistola: Egredietur virga de radice Iesse, &c. Singula percurrere nimis longum est, & quia *Esa. 11.*
per se patent, quòd ad eandem rem pertineant, fastidiosum est. Communio tãdem, ecce *Zach. 14.*
Dominus veniet, & omnes sancti eius cũ eo, ad eorundem perspicuè spectat glorificationem Apostolorum, qui cum eo vẽturi sunt in secundo aduentu eius ad iudicium.

Cur vna tantum lectio legatur ad Missam. Cap. VIII.

QVęri autem potest, cur quarta feria prima scilicet diei ieiunij, duæ sint lectiones, duoq; asscripta gradualia, sexta feria vna tantum lectio, sequenti verò sabbato legantur sex? Ad quod respondendum, quia cùm quarta feria duas legerimus, sexta secũdum profectum ieiunij tres legere deberemus, sabbato aũt quatuor. Verùm quia sabbato solent ordinationes fieri, translatæ à feria sexta duæ, quatuor sabbati lectionib. appositæ sunt, vt his maximè sacri officij profe renda reseruetur opulentia, qua & ieiunãtes, & sacrorum ordinũ tyrones descripti sunt.

Cur sabbato ieiunij duodecim lectiones titulentur, cùm sex tantùm legantur.

SCiendum quoque, quòd cũ sabbato sex tantum legendæ sint, duodecim in titulis lectiones ea de causa prænotantur, quia cùm

cùm Romana Ecclesia de Latinis & Græcis esset permixta, singulę lectiones in vtraq; lingua recitabãtur. Nam in vna lingua recitatę, ab vtriusq; linguæ populis intelligi non potẽrant. Itaq; dum vnaquæq; bis legitur, duplicato senario lectionũ numero, duodecim cõputantur. Præterea notandum est, ordinationum sacramenta dominicæ diei deputari, cuius in vespera fiũt, & tam vespera sabbati, quàm mane prima sabbati posse & licere ieiunis à ieiunantibus celebrari.

Sententia Leonis Papæ, quòd ordinationes cùm sabbati vespere fiant, ad diem dominicam pertineant. Cap. IX.

DIcit enim magnus Leo, scribens ad Dioscorum Alexandrinę ciuitatis Episcopum. Quod à Patribus nostris propensiore cura seruatum esse nouimus, à vobis quoque volumus custodiri: vt non passim diebus omnibus sacerdotalis vel Leuitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati, hoc est, octis eius, quæ in prima sabbati lucescit, exordio, sub lege diuini officij substituatur, in quibus his, qui consecrandi sunt, ieiunis à ieiunantibus sacra benedictio cõferatur, quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso die dominico continuato sabbati ieiunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt: quam ad diem resurrectionis (sicut etiam in pascha Domini declaratur) pertinere non dubium est. Nam propter authoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto sancti Spi-
Actor. 13. ritus ad Euangelizandũ gentibus mitterent, ieiunantes & orantes imposuerũt eis manus, vt intelligamus, quanta & dantiũ & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo piè & laudabiliter Apostolicis mores gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse seruaueris, vt his, qui consecrandi sunt, nunquàm benedictio, nisi in die resurrectionis dominicæ tribuatur, cui à vespere sabbati initiũ constat adscribi, & quę tantis diuinarũ dispensationũ mysterijs est cõsecrata, vt quic quid à Domino est institutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionẽ Christi, & mors interitum, & vita sumpsit initiũ. In hac Apostoli à Domino prędicandi omnibus gentib. Euangelij tubam sumunt, & inferendum vniuerso mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac (si cut beatus Euãgelista Iohãnes testatur) cùm cõgregatis in vnum discipulis, clausis ianuis, *Iohan. 20.*
ad eos Dominus introisset, insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum, & quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum *Actor. 2.*
detinueritis, detenta erũt. In hac deniq; promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus aduenit. Ita cœlesti quadam regula insinuatum & traditum nouerimus, in illa die celebrãda nobis esse mysteria sacerdotalium, in qua collecta sunt omnium dona gratiarum.

Item de Sabbato, & cur statio ad sanctum Petrum. Cap. X.

HOc sabbato, & omnibus horum quatuor temporum sabbatis, statio ad sanctum Petrum congruè celebratur. Cui enim primo post Christum Ecclesię summum collatum est pontificium, quicq; primus & princeps sacras in Ecclesia celebrauit ordinationes, cuius vice maximè fungitur Romanus pontifex, cũ Ecclesię sanctę ministros & ouibus Christi pastores ordinat necessarios, congruè, vt tanquàm ad summum recurratur, apud ipsum statio celebratur. Conuenientes igitur ad beatum Petrum ieiunos mater Ecclesia filios, velut ex ore ipsius Petri multiplicatis in anima reficit sacramentis, & ex ipsius authoritate spiritualium diuisiones ministrationum distribuit. Vbi notandum, quintam semper lectionem, quæ superaddit. doctrinæ nouissima est, nõ mutari, semperq; illam esse, qua legitur angelus Domini cum Azaria *Dan. 3.*
& socijs eius in fornacem ignis descendisse. Quod magna & mystica non vacat ratione. Nam quemadmodum pueris à Babylonio rege missis in fornacẽ ignis, cœlestis gratia subuenit, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem: sic nos à confusionis rege diabolo, libidinum flammis appetitos ieiuniorum & orationum instantia liberat. Hoc deniq; genus non eijcitur, nisi in oratione & ieiunio. Hac ergo lectione prælecta, sequi- *Matth. 17.*
tur & hymnus eorundem puerorum, quo ad benedicendum creatorẽ omnis creatura cõmonetur, priusquam sacerdotes ordinẽtur, vt animaduertamus, illorũ ora manusq; ad benedictiones dandas, & quod maximũ est, conficiẽdum corpus & sanguinem Domini, iure admitti, qui à confusionis rege succensam fornacem vitiorum potenti fide superauerunt. Iam quæ sequuntur, manifestè secũdum Domini prædicãt aduentũ, & voci consonant clamantis in deserto, parate viam Do- *Esa. 40.*
mino, &c. Hoc enim Euangeliũ eius diei est, *Matth. 2.*
principium scilicet prædicationis, qua Iohannes peccatorum corda percutit, & ad pœnitẽtiam inuitat, genimina viperarum, securim dicens

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicens iam esse positam ad radices arboris,& ventilabrum in manu iudicis,vt purgans aream suam,triticum congreget in horreum,paleas autem conburat igne inextinguibili.

Hoc Euãgelium eodẽ Epistola sensu præcurrit scilicet secundum prædicando aduentum Domini, quo reuelatum prius hominẽ peccati, filium perditionis interficiet spiritu
2. Thess. 2. oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Sed & antiphona ad introitum: Veni &
Psal. 76. ostende nobis faciem tuam Domine, qui sedes super Cherubim, & salui erimus, manifestè tempus illud respicit,quo (sicut in offerenda quoque canimus) exultanti filiæ Syo-
Zach. 9. n: Veniet rex suus sanctus & saluator mundi:& sicut in tractu præmissum est: Excitans
Psal.79. potentiam suam veniet, & eum quem deducit, velut ouẽ Ioseph, segregatum ab hœdis
Matth. 25. qui à sinistris eius erunt, ad dextram suã constituet. Interim tamen plorandum est ante
Psal. 94. eum qui fecit nos, ne fortis & terribilis, qui
Psal 31. iuxta communionem exultauit vt gygas ad currendam viam, nemine aduersantium paruulorum valente sibi resistere, de quibus
Psal.63. scriptum est:Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum,cùm venerit,item gygas nobis sit,& multa fortitudine sua nobiscum in iudicio contendat, & magnitudinis suæ mole premat nos.

Cur Dominica quarta vacat. Cap. XI.

DOminicæ quartæ officio præscriptum est, Vacat: videlicet, quia nulli sanctorũ Apostolica cautione stationi deputatum est. Quod quàm rectè cautum sit, considerata eiusdem officij ratione perpẽdere licebit. In Euangelio Dominicæ huius, agitãte vento phariſaicæ interrogationis, hæc scintilla splendidæ veritatis emicat de flamma ignis diuini, qui calebat ardens & lucens in sancta mente Iohannis. Ipse est,inquit, qui post me
Iohan.1. vẽturus est,qui ante me factus est, cuius ego
Iohan.1. non sum dignus,vt soluam eius corrigiã calceamenti. Ab hac probabilis testimonij sententia graui & digna corde & ore tãti præcursoris,omnia pendent membra concrepantis officij.Stat Idumæa illa, quæ visitationis suæ propheticum illud audierat promissum, In
Psal.59. 107. Idumęam extendam calceamentum meum. & respiciens in illud tempus, quo de accubitu suo,scilicet de sinu patris, egressus rex ille qui hoc promiserat,iam in vtero virginis calceabatur,mirabilem illam atq; insolubilem incarnationis corrigiã suis circundans gressibus. Illud,inquam,respiciens.Idumæa scilicet alienigena gentilitas, clamat in introi-
Psal. 105. tu: Memento nostri Domine in beneplacito populi tui, videlicet in filio tuo, in quo tibi beneplacuisti solo ex millibus populi, quicunque tuus fuit ab initio mundi, visita nos *Matt.3.17.*
in eodem salutari tuo, ad modum medici iacentem ægrotum dignatione gratuita visitãtis. Quæ deinde sequuntur,id est, collecta, epistola,graduale,alleluia,cuncta pariter iuxta cõsiderationem impregnati vteri virginalis, prope esse Dominũ, & celerem eius aduentum consonant. In offerenda verò palã est,nos exemplo Angeli, salutare illud templũ Domini,sacrarium Spiritus sancti,thalamum sanctitatis,triclinium diuini cõsilij: in quo, vt dictũ est, diuinitas veniens ad nostrã salutem,nostra carne calceata est. Hoc tantum regis Christi mysteriũ, cui sanctorum, qui omnes officiales eius sũt, ita fuit creditum, vt meritò decãtetur hoc officium præscripta statione apud quemlibet illorum? Nã quę apud singulos eorum officia solennibus deputata sunt stationibus,si rite considerentur,singulorum virtutibus vel meritis consonare probantur.Sic apud beatum Petrum, qui principaliter ius obtinet ligandi atq; soluendi,statio fit,quãdo,vt dictum est,in typũ Ecclesiæ nobis euangelizatur solutio asinæ: sic quando agimus scrutinia,& catechumeni prẽsignãtur, ad catechizatorem gentiũ Paulum statio celebratur. Hanc autem ligatu- *Matth. 16.*
rã corrigiæ soluere, id est,sanctæ incarnationis Christi mysterium denudare, ipse Ioan- *Matth.11.*
nes se indignum asserit, quo maior inter natos mulierum nemo surrexit. Inuestigare enim quis potest, quomodo corporatur verbum,quomodo summus & viuificator Spiri *Iohan.1.*
tus intra vterum matris animatur, quomodo is,qui initiũ non habet,& extitit & concipitur? Nulli ergo sanctorum hoc mysterium *Matth. 11.*
ita fuit creditum, vt apud illum propria statione hoc assignari debeat officium. Proinde vacat,nõ quod(vt nonnullis videtur) minus sit authenticum, sed quod de ordinatissima stationum dispositione,rationabiliter sit exceptum, vtpote materiam habens totius salutis & sanctitatis effectricẽ, sed nulli sanctorũ inuestigabilem:omnib.impẽsam, sed per solum Spiritum S.administratam, qui in triclinio virginalis vteri solus medius, solus cõscius,& vnus cœlestiũ fuit architriclinus nu- *Luc. 1.*
ptiarum. Nocturnalia,studio vitandæ prolixitatis,prẽterimus officia, maximè quia per se satis patent, quod à diurnalibus non discrepent. Notandum verò,quod antiqua & vniuersali sanctæ Ecclesię consuetudine per hoc tempus rationabiliter legitur Esaias propheta,qui tam primum,quàm secũdum Domini aduentum eloquenter euidens, & euidenter eloquens,nobilis propheta,imo magnus

nus & verus nunciat Euangelista. Nam per totum annum iuxta rationes causarum vel temporũ, sacræ lectiones probabiliter(sicut in sequẽtib.locis suis liquebit)ordinatę sunt.

De Officio in vigilia natalis domini.

Cap. XII.

IN vigilia natalis domini, frequẽs ac celeberrimum est in ore Ecclesiæ pulchrũ illud diuinæ consolationis oraculũ:Hodie
Exod.26. scietis,quia veniet dominus, & mane videbitis gloriam eius.Iudæa & Hierusalem, no-
lite timere, &c. Per hoc mittit quenquam
2.Para. 20. nostrum ad historiã libri Paralipomenon, quãdo regnante Iosaphat, congregati sunt filij Ammon & Moab,cũ habitatoribus mõtis Seir aduersus Iudã.Cõuenitq; omnis Iuda in Hierusalem & in templum domini,ad deprecandam faciem eius. Et stantibus illis coram domino cũ vxoribus & paruulis aut liberis,& vociferantibus ad dominum,excla mauit Hiaziel,filius Zachariæ,filij Barachię, Leuites de medio multitudinis, facto super se spiritu domini:O Iuda & Hierusalem nolite temere,cras egrediemini, & dominus erit vobiscum,&c. Illuc(vt dictum est) mittit quẽquam nostrum ecclesia,summa cura nitens excitare corda nostra, vt vigilanter aduertamus per hanc similitudinem,quàm opportunè subuenit nobis natiuitas filij Dei secundum carnem. Non enim parua similitudo est. Nam quemadmodum tũc visibiliter congregati fuerant visibiles hostes aduersus
Deute.23. Iudam,scilicet filij Ammon & Moab, & ha-
Hier.48. bitatores montis Seir, qui sæpè in scriptura
Ezech.35. sacra pro peccatis & vitijs & malignis spiriti-
Gen.19. bus ponuntur, nominibus quoque ad hoc ipsum cõgruentibus. Ammõ enim interpretatur populus turbidus:Moab ex patre scilicet diabolo: Seir pilosus vel hispidus: sic ad interitum nostrum congregabantur peccata & vitia nostra, nec erat qui adiuuaret.

De Officio eiusdem diei. Cap. XIII.

IPsum nomẽ, quod dicitur vigilia, nos excitare debet, vt vigilanter aduertamus ea, quæ in officio diei huius congesta sunt. Quæ cùm perspexerimus, quib. ex scripturarum locis cõquisita sint,mirãda nobis significatio potius, quàm expressio sese offeret profundæ intentionis,qua cõpositor officij nostras in meditatióe diuina mẽtes occupare per huiusmodi officium intẽdit. Primùm itaque
Exod.10. de introitu dicendum. Hodie scietis, quia veniet dominus. Hoc de Exodo parua mutatione sumptũ est. Nã cùm dixisset dominus filijs Israél,Ecce ego pluã vobis panes de cœlo,dixerũt Moyses & Aarõ ad illos: Vespere scietis, quòd eduxerit vos dominꝰ de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam eius. Cùm ergo nobis,in expectatione dominicæ natiuitatis mente vigilãtibus, hoc in introitu canitur, quod dictum est, tunc panem de cœlo,id est,mãna suscipiẽtibus, & facilè persentit chorus eruditus, quid innuat piæ calidus intentionis oculus, id est,quò tẽdat, vel ad quid sensus nostros inuitet officij cõpositor verè sapiens, & scriba doctus magni sibi thesauri cõscius. Deniq; ad hoc inuitat nos, vt recogitemus, manna illud (quod datum est filijs Israël,de Aegypto egressis,& tendẽtibus ad terram repromissionis) figurã fuisse verbi Dei,quod per virginem carnẽ assu- *Matth.13.*
mens, nos in se credentes pascere venit, qui eramus à Deo ieiuni, solis carnis vitijs, tanquàm carnibus Aegypti distenti atq; crapulati.Huius interpres similitudinis, nõ quiuis hominũ, sed ipse est, qui dixit: Ego sum pa- *Iohan.6.*
nis vitę,patres vestri mãducauerũt mãna in deserto,& mortui sunt: Hic est panis de cœlo descẽdens, vt si quis ex illo mãducauerit, nõ moriatur:Ego sum panis viuus, q̃ de cœlo descendi. Hoc igitur intelligẽtes, & magnificè exultantes, amplius ex subiunctione psalmi dilatamur in intellectu gaudio spirituali,dicẽtes:domini est terra & plenitudo e- *Psal.23.*
ius. Quod de psalmo, sumpta est offerenda quoq; cũ versibus suis.Cõuenit nãq; diei vel reipsalmus hic per omnia, quia totius hodierni officij psalmiq; huius vna ferè intentio est. Nã & in vigilia præsenti cõtẽplari iubemur,nõ solũ q̃ natus sit,sed & cur natus,vel *Heb.3.*
quãdo natus sit Christus, sicut & cantamus: Intuemini, quantus sit gloriosus iste. Et in psalmo iuxta titulũ,qui talis est:Psalmus David in prima sabbati. Agit Propheta de victoria Christi,quæ facta est in resurrectione,in prima sabbati, exhortãs fideles, vt tãto regi semetipsos(sicut decet) præparẽt aduenięti, *Luc. 11.*
tollẽtes, sicut in offertorio cãtamus,portas suas,portas mortis,id est, vitia, vel eleuantes portas iustitiæ, virtutes, vt introeat rex gloriæ,dominus virtutũ, ad debellandũ fortem *Psal.135.*
armatũ,cuius est orbis terrarũ, quia ipse super maria fundauit eum, dũ sicut olim diuisit mare rubrũ in diuisiones, ita & nũc orbẽ, id est,populum Christianũ, educẽs inter dissensiones amaricãtium populorũ, fundauit in fide,& super flumina præparauit,id est,super principes seculi stabiliuit eum. Nihilo- *Psal.78.*
minus & hoc,quod eidẽ introitui, in gradua le transformato, versus iste subiũgitur:Qui regis Israel,intende,sensum vigilantem ædificat. Nã psalmus ille oratio est pro Iudæis, & Gentibus,qui cito apparente domino Iesu cõmutandi erant in eum. Et pro perfidis

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque Iudæis, qui in titulo appellãtur Assyrij, id est, seipsos dirigentes secundum reputationem suam, qui iustitiam suã statuere volentes, iustitiæ Dei non sunt subiecti: pro perfidis, inquam, Iudæis orãt in illo psalmo fideles, vt tandem conuertantur, quod ipsi tandem futurum præuident. Et in supradicto versu sub nomine Israel Iudaicus populus, sub nomine Ioseph, quod interpretatur accrescẽs, gentiũ designatur multitudo, quæ illis addita est, iuxta illud: Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, &c. De Euãgelio vel epistola patet, quòd eis introitus supradictus conueniat, videlicet quia sensus vtriusque hoc maximè intendit attestari, qualẽ per portam cœli supradictũ manna nobis dominus pluerit, scilicet per virginẽ, dicente angelo in Euangelio: Quod enim ex ea natũ est, de spiritu sancto est, pariet autem filium, &c. Pauli autem in Epistola: Qui factus est ei ex semine Dauid. Maxima nanq; portarũ cœli, quas dominus, vt hoc manna plueret, nobis aperuit, Maria extitit, per quam ad nos verbum Dei, caro factũ, de cœlo descẽdit. Siquidẽ aliæ portæ, id est, omnes sanctorũ animæ, quæ ab initio verbum illud in gremio fidei meruerunt susciperẽ, ore suo verbũ salutis peperẽrũt, id est, prædicauerunt, sanctamq; scripturam cõposuerunt, dicentes: A timore tuo domine concepimus & peperimus. Spiritũ salutis tuæ fecimus super terram. Hæc autẽ verbum illud ita plena gratia concepit, vt visibilem hominem factum pareret, in veritate carnis, eodem Spiritu sancto, & per ora prophetarũ verbũ hoc eloquẽte, & cõceptionem eius in vtero virginis operante. Quod & ipsum cælitus significatum est, in eo quod de supradicto manna scriptum est: Cumq; descenderet mane ros supra castra, descẽdebat pariter & mãna. Ros enim Spiritũ sanctũ, de quo nunc dictũ est, quod enim in ea natũ est, de spiritu sancto est: Mãna verò (vt sæpè dictum est) verbum Dei significabat, quod per operationem eius humanę naturæ vnitũ est. Et quod populus inobediẽs, de eo quod collegerat, reseruauit, nec totũ, vt iussum erat, comedit, hoc illud est, quod nõ totum, quod accepit à sanctis prophetis de verbo Dei, credere voluit. Quod autem de manna reseruatum est, quale fuit? Cõputruit, inquit, & scatere cœpit vermibus. Nimirũ, hoc est, quod vsq; hodie Iudæa de mãna comedere, id est, de verbo Dei credere refugit: Quòd videlicet putredinem, id est, carnẽ nostram assumpserit, & verè sit vermis, quod purum mãna fuerat, id est, homo verè mortalis sit factus, qui Deus, imo verbum Dei erat. Quòd autem die sabbati non cõputruit, neq; vermis est inuentus in eo, quia pulchrè illud significat, quòd, vt ait Apostolus, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Rectè igitur in introitu cãtamus: Hodie scietis quia veniet dominus, & mane videbitis, &c. quia hodie, id est, in præsenti vita scimus & credimus, quia de cœlo descẽdit panis viuus, mane, id est, in resurrectionis gloria, videbimus non solam humanã, sed gloriosam diuinitatis eius formam, & (vt in communione canimus) Reuelabitur gloria domini, & videbit omnis caro salutare Dei nostri.

Exod.10.
Iohan.10.
Roma.1.
Matth.1.
Isa.26.
Exod.15.
Rom.6.
Esa.40.

De eo quod solet quæri, cur Deus lapsum hominis euenire permiserit, pro quo incarnatio eius necessaria fuit.

Cap. XIIII.

IMportuna plerunq; à nõnullis hæc nobis impingitur quæstio. Cur Deus lapsũ hominis euenire permiserit, cùm vtique, vt omnipotẽs, impedire potuerit, saltem ipsum tentatorẽ ab ingressu paradisi procul arcendo, malueritq; suam incarnationem humano generi necessariam existere, quàm compendio serpentem ab hominis collocutione abigere. Hoc Apostolus Iudæis scandalum, gentibus autem ait esse stultitiam, nos autẽ, si spiritu pietatis regimur, vt mites simus, & ideo quærimus vt inueniamus, scienter profitebimur hoc stultũ Dei sapientius esse hominibus. Quod vt probari possit facilius, libet prius rei tantæ maiestatis aliquam apponere similitudinem, vt quia diuinam iustitiã vel sapientiam in semetipsa radiantem, infirmi perspicere non queunt oculi, tanquàm in subiecto speculo contemplantes, speciosam illam esse intelligant per ipsius imaginẽ. Nũc ergo ab eo, quod scriptum est, & vocauit famem super terram, & omne firmamentũ panis cõtriuit, & paulò pòst: Et intrauit Israel in Aegyptũ, &c. cõpetentẽ licet capere similitudinem. Quærimus nunc ab eis, qui supradicta quæstione moueri solẽt. Cur Deus voluerit, vel Israel in Aegyptũ intraret, vnde postea signis, atq; portentis, cum ipsorũ grandi labore, per Moysen & Aaron educerentur. Nã testamẽtum suum, quod dispositi ad Abraham, quod iurauit ad Isaac, quod statuit Iacob in præceptum, dicens: Tibi dabo terrã Chanaan, cùm essent incolæ eius, scilicet terræ Chanaan, illud, inquã, testamentũ sic poterat ratũ facere, vt non vocaret famẽ super terrã, neq; intraret Israel in Aegyptũ, & ibidem, id est, intra Chanaan, augere poterat populũ suum vehementer, & firmare eũ super

1.Cor.1.
Exod.7.8.
Psal.104.
Psal.104.
Psal.104.
Iohan.10.
Psal.104.

super inimicos eius, nõ relinquẽs hominem nocere eis, & corripiens pro eis reges: sed maluit (vt dictum est) causam euenire, propter quam intraret Israel in Aegyptũ, & illuc mittere Moysen seruum suum & Aaron, ponens in eis verba signorum suorũ & increpare mare rubrum, vt exiccaretur, & subuertis hostibus deduceret eos per desertum quadraginta annos, & portaret mores eorum, & interim pluit illis manna ad manducandũ, & panẽ cœli dedit eis. Hoc ergo respondeat qui altiora quærit, cur tantis morarum vel operũ dispẽdijs reducendos, illuc intrare permiserit. Dicet fortasis quod in promptu est, & quod verum est, quia vt notã faceret in gentibus virtutem suã, vt essent quæ vtiliter annunciari possent inter gentes opera eius, vt sciremus, quia ipse dominus Deus noster, & experimẽto probarem⁹, quia in vniuersa terra iudicia eius: vt, inquã, notus fieret Deus, sine cui⁹ notitia nõ viuit omnis homo, iccirco quod supradictũ est fieri permisit. Et rectè, bene, irreprehensibiliter. Si enim homo nõ debet oblata occasione omittere, quin proferat quod in se vtile habet, pro eo quod scriptũ est: Sapientia abscõdita & thesaurus occultus, quæ vtilitas in vtriq;? quãtò magis beneuolentia Dei oblatã sibimet occasionẽ debuit amplecti, i. mittere in seruum venundari Ioseph, vt sapiẽtiæ suæ thesauros vtiles ostẽderet, quia videlicet illa venditio captiuitatis illorũ causa vel initiũ fuit. Non enim Deo imputãdum est illius captiuitatis initium, quia vocauit famem super terrã, sed eis, à quibus in seruũ vendatus est Ioseph. Non ergo dubiũ est quin irreprehẽsibile sit, quicquid illic à Deo permissum est vel actũ. Quapropter cũ descẽderẽt in Aegyptũ, solus pater Iacob, qui culpæ illius fuerat expers, ipse promissionis reatus est. Audiuit enim Deũ sibi dicentẽ: Noli timere, descende in Aegyptũ, ego descẽdam illuc tecum, & ego inde adducam te. At verò illius diuinæ iustitiæ, de qua supra propositũ est, hæc imago est, atq; ad exẽplar cœlestium hæc in terrenis acta sunt. Eadem simplicitate oculi, id est, intẽtione vtilia faciẽdi, permisit Adam volentẽ descendere in hãc Aegyptũ, id est, in tenebras peccati, cùm posset eum in amœnitate paradisi, cuius illa terra typum gessit, in qua Abraham & Isaac & Iacob peregrinari iussit, repromittẽs eam illis. Et cuncta vtilitas, quæ prouenit ex eo, quod Israel in Aegyptum intrare permisit, tantò minor est illa, quę de peccato Adę prouenit, quãtò minor est figura veritate, similitudo re, vmbra corpore. Nam vt cætera nũc omittam, quorum latissimæ quidẽ significationes sunt, sed alijs temporibus vel locis adhibẽdæ sunt, illud quod pluit illis manna ad manducandũ, & panẽ cœli dedit eis, verè magnũ & mirificum bonũ, quantò minus est isto, quem significabat, pane angelorũ, qui est Dei verbum, verbũ Deus, verbum caro factũ. Siquidem illud manna, verbi huius incarnati fuisse signum, non solus in Euangelio testatur dominus, vbi ait: Ego sum panis viu⁹, qui de cœlo descendit: sed & Moyses in Deuteronomio præscribit. Qui cũ dixisset: & dedit tibi cibũ manna, quẽ ignorabas tu & patres tui, statim addidit, vt ostẽderet tibi, qa nó in solo paneviuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. Et vt supradictã diuini oculi simplicitatem, id est, intentionis puritatem vtrobiq; planius perpendas, promptũ est perspicuis probare testimonijs, quo ad erudiendam creaturã, nõ solum humanam, sed & angelicã, hæc vel illa fieri oportuit. Nã de manna cùm dixisset Moyses, quod suprà positũ est, paulò pòst adiecit, vtiq; hominib. loquens: Quia sicut erudit homo filiũ suum, sic dominus Deus tuus eruditi te. De sacramento aũt verbi incarnati Paulus ad Ephesios scribens, vt innotescat (inquit) principibus & potestatibus in cœlestib. per Ecclesiã multiformis sapientia Dei. Igitur quẽadmodum in speculo patet, subiectæ similitudinis clarissimus & ab omni, q; reprehensione vel nota stultitię (vt gẽtibus visum est) dignũ sit, purissimus iustitię, sol, in dispẽsatione suę incarnationis incedit, qa modorũ omniũ, quib. omnipotẽs malitiam diaboli peruertere vel cessare potuisse vel debuisse asseritur, à mũdi huius sapientia, quã stultã fecit Deus, omniũ, inquã, modorũ optimus hic modus est, qui Deo complacitus est, vt diabolus ad suę damnationis cumulũ hominẽ decipere permitteretur, & suæ fraudis effectui potitus tũ demũ per hominẽ ad iudiciũ traheretur. Et sedens in superbię principatu Aegypti rex id est, tenebrarũ princeps, primum decẽ plagis, id est, decẽ legis præceptorum flagris contunderetur, deinde nobis ad manducãdum hoc manna per baptisma concurrentibus, ipse infecta tor fluctibus eiusdem enecaretur, nobisque hoc in manna verbi incarnati refectis atq; cõfortatis, terramq; eius, id est, cœlestẽ patriã, quam ille superbiendo perdidit, inuadentibus, ipse cum satellitibus suis videlicet spiritualibus Chananæis trucidaretur, quod in die iudicij futurum est, quando mirabili & pulcherrima ordinatione hic Deus & homo puniet, & quod in Deum, & quod in hominẽ actũ est, id est, & superbiã, qua cõtra Deũ tumuit, & inuidiã, qua hominẽ decepit. Hæc omnia

Gen.39.
Psal.105.
Psal.77.
Psal.76.
Psal.104.
Gen.46.
Iohan.6.
Deut.8.
Eph.3.
1.Cor.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia Deus, priusquàm hominem cõderet, præsciuit &prædestinauit: ipsum autẽ hominis lapsum præsciuit quidem, sed non prædestinauit, neq; voluit, quin imò sub interminatione mortis vetuit. Nã bona sola Deus præsciuit &prædestinauit, mala autem præsciuit tantum, nõ etiam prædestinauit, sed cõdigna eis loca iustè deputauit. Addit adhuc quærere aliquis: Cum præuaricatio nulla sit, si præceptum aut lex non fuerit, cur Deus homini præceptũ dedit, quod nõ seruãdum præsciuit? Videlicet quia creator erat ille, iste creatura, & à creatore creaturam erudiri oportuerat, quippe quæ ita creari non potuerat, vt suapte natura perfecta esset, quod solius diuinæ naturæ est: neque scire posset, quia Deus mitis & humilis corde est, nisi eruditione proficeret. At verò, præceptum in omni disciplina eruditionis initium est. Igitur præceptũ dari oportuerat, illud præsertim, quo ad humilitatem creaturam disponeret, videlicet prohibẽdo ne plus vellet sapere, quàm oporteret sapere, quam ob culpam ceciderat diabolus, &ideo in Ezechiele cum improperio & ironia appellatur Cherub, id est, plenitudo scientiæ. At ille, vt sciẽtiam boni & mali, id est, omnium scientiam, sicut Deus haberet, comedit lignum, quod exinde ita appellatur scientiæ boni & mali, non quòd verè ita fuerit, sed quod de illo diabolo fallẽte mulier credidit. His ergo breuiter premissis, propter eos duntaxat, qui nobiscũ Dei scientiã inclinato corde expetunt, non propter eos, q insidiose agunt, qualib. dicit Apostolus: O homo tu quis es, qui respõdeas Deo, nũquid potest figmentũ dicere ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? quorũ insidiosis respõdere quę stiunculis, nec nostrę facultatis, nec præsentis propositi est. His, inquam, præmissis, gloriã prædicamus eiusdẽ dominicæ incarnationis, Deum patrẽ laudantes, qui per illã nobis faciem suã ostendit, glorificãtes filium salutare nostrum, qui carnẽ nostrã assumpsit. gratias agentes sancto Spiritui, cuius propriũ opus, illa noui hominis mirabilis conceptio fuit.

Gen. 2.

Rom. 12. Ezech. 28.

Rom. 9.

Cur duæ legantur in natali dominico ad missam epistolæ. Cap. XV.

ILlud quæsitu dignum est, cur in hac solẽnitate dominicę natiuitatis, tam die quàm nocte duę ad missarũ solennia legantur epistolæ, quod aliàs per totum annum eo modo nõ fit. Quodq; maximè prætereundũ nõ est, prima semper de veteri, sequens de nouo testamento sumpta est. Quod inquirẽtibus nobis splendida beati Gregorij doctrina viam intelligentiæ protinus aperit. Ait nanq;: Benè duo Cherubim, quæ propitiatoriũ tegũt, sese inuicẽ aspiciunt, versis vultibus in propitiatorium. Cherub quippe plenitudo sciẽtiæ dicitur: Et quid per duo Cherubim, nisi vtra que testamenta signantur? Quid verò propitiatoriũ, nisi incarnatus dominus figuratur? De quo Iohannes ait: Ipse est enim propitiatio pro peccatis nostris. Et dum testamentũ vetus hoc faciendũ denunciat, quod testamẽtum nouũ de domino factum clamat, quasi vtraq; Cherubim inuicẽ aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt, quia dum inter se positum incarnatum Deũ vident, à suo aspectu non discrepant, quæ dispensationis eius mysteriũ concorditer narrant. Reditã ergo nobis eãdem intelligimus similitudinẽ, dum, sicut duo Cherubim versis vultibus in propitiatorium sese mutuo respiciũt, sic duę lectiones ex duobus testamentis, euangelicã lectionem, qua propitiatorium nostrum, id incarnatum verbum prædicatur, concordibus testimonijs & vno eodemque sensu respiciunt. Cur autem ad sanctam Mariam hoc officio statio celebretur, causa euidẽs est, scilicet quia de vtero hæc salus Iudæ & Hierusalem expectata & susceptа est.

1. Iohan. 2.

Quòd Christus nocte natus sit. Caput XVI.

DOminica nocte natum esse Christum probabile est, quamuis sacra euangelij de hoc historia tacuerit. Namque si per regulam computi retrò percurras, inuenies eius anni quo natus est, cõcurrẽtes quinq;. Quos addens regularibus Decembris septẽ vel (vt compendiosius fiat) regularibus Ianuarij tribus, inuenies diem illum, quo Decembrẽ inchoamus, quintam fuisse feriam, & eum quo Ianuarium, primã, id est, diem dominicã, sublatis videlicet septem ex eo numero, qui regularibus & concurrentibus compositis accrescunt. Cùm autẽ December quinta feria, vel Ianuarius inchoatur prima, necesse est diem natalis domini, qui post calendas Decembris XXV. & ante calendas Ianuarij est octauus, primam feriam, id est, diẽ existere dominicam. Nocte ergo dominica natus est Christus, cõsonante mirabilium suorũ ordine, vt quo die dixit, fiat lux, & facta est lux, eiusdẽ diei nocte exoriretur in tenebris lumẽ rectis corde, & visitaret nos oriẽs ex alto, illuminare his qui in tenebris sunt & in vmbra mortis. Nocte verò congruè natus est, vt ipso die ortus sui tempore, ad illuminandam noctem nostram se aduenire signaret.

Psal. 17. Luc. 1.

Cur duæ missæ ea nocte celebrantur. Caput XVII.

IDcirco nocte illius sacratissimã memoriã duę missę à sanctę memorię Thelesphoro Papa

Papa institutæ, decentissima veneratione illustrant. Vere Apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ fides, quæ in vnius natiuitatis filij Dei anniuersaria nocte, geminæ natiuitatis, diuinæ scilicet & humanæ gloriã, solennibus vigilijs ita cõmemorari cõstituit, vt in honorem eius natiuitatis, qua ex vtero suo, id est, ex propriæ secreto substantiæ, Deus pater illum genuit ante luciferũ, id est, ante angelicam naturam, & antequàm quicquam faceret, primam missam ordinaret, & in veneratione eius, qui per vterum virginis benedictus aduenit in nomine domini, secũdum laudans & exultans succineret.

Psal. 109. Prouer. 9.

Cur tunc legitur, liber generationis, ante primam missam. Cap. XVIII.

HAc nocte ante missarum solennia legitur nobis, liber generationis Iesu Christi, quod pulchro satis ordine & mystica sanctæ Ecclesiæ traditũ est institutione. Ecce enim verè diuini structores ordinis, per huius seriem lectionis, scalã illam nobis repræsentant profundo noctis tẽpore, quam nocte dormiens Iacob vidit, cui summitate sua cœlos tangẽti dominus innixus, eidẽ Iacob apparuit: & semini eius terram hæreditariam repromisit, quãdo pro eiusdem propagatione seminis ibat iussu patris sui, vt acciperet vxorem de domo & cognatiõe patris & matris. Nam vt de mortalitate nunc taceã, quo secundũ hoc, quod omnia in figura cõtingebant illis, scala illa præfigurauit, cui dominus innixus (vt dictum est) apparuit, nisi generationem Iesu Christi, quã sanctus Euangelista diuino ore ita contexuit, vt per Ioseph ad Christum peruenire. Cui videlicet Ioseph, supremo scalæ gradui dominus paruulus innixus est. An non illi beato innixus est, quãdo pupillus in hoc seculo, id est, absq; carnali patre natus, solatio eius cũ puerpera matre sustentari dignatus est? Et vt cætera taceam, nónne tunc vel maximè illi innixus est, quando ne ab inimicis Herode vel cæteris inueniretur, qui quæsituri erant animam eius, in Aegyptum ab eodẽ nutricio suo deportatus est, iterũque defuncto Herode in terrã Iuda relatus est. Cũ igitur nos medio noctis librum illum generationis Christi audimus, non somno corporeo, sed supernorum cõtemplatione dormientes, iuxta quod sponsa dicit in Canticis: Ego dormio, & cor meum vigilat: cùm, inquam, generationem illam audimus, tunc prædictam scalam non tã somniamus, quàm vigilanti animo, & certa fide videmus. Et dominũ nostrum paruulum propter nos factum, & per portam cœli, quam supremus gradus scalæ, scilicet beatus Ioseph, sponsali dignitate contingit, per portã, inquam, cœli, id est, per beatã virginem egressum dominum nostrum paruulũ & vagientem, & eo modo, quo iam dictũ est, scalæ innixum audimus, nostram, id est, gentiũ salutem pro magna benedictione promittẽtem, imo promissam adimplentem. Nã quod in illo somno Iacob audiuit dicentem dominum, atque in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ, hoc impletur in hac Christi generatione. Quod & verè diuinus Euangelista respiciens Raab meretricẽ, & Ruth Moabitem generationi huic nominatim inseruit, videlicet innuẽs hoc, quod Christus non Iudæis tantùm, sed & gentibus secundũ carnem venerit, quippe qui ex gentibus matres habere dignatus sit, quod & prophetæ antè testati sunt, dicente Dauid: Memor ero Raab & Babylonis, id est, latitudinis cõfusarum gentium. Raab enim latitudo, Babylõ verò interpretatur confusio. Esaia verò dicente in vitione super Moab: Emitte agnum domine dominatorẽ terræ de petra deserti, ad mõtem filię Syon. Ac si apertè diceret: Emittes domine agnum tuum Christũ de medio gentiũ, vt non glorietur carnalis Israel, quòd proprius eius sit Christus: cui æstimationi eius hoc manifestè repugnet, quod tu eundẽ Christũ de gẽtibus emittes ad mõtem filiæ Syon. Nam per petrã deserti designatur Ruth Moabitis, quæ stans firmiter in petra solidæ fidei, patrios deos populũq; suũ oblita venit cũ Noẽmi, iuncta viro Booz Bethleemitæ genuit Obed auum regis Dauid, in quo facta est & parcs saluatoris. Duobus igitur ex populis, Iudaico scilicet & gentili, patres progeniti, tanquàm duobus scalæ lateribus, diuersi gradus inserti Christũ dominũ sustinent, egressum à summo cœli, omneśq; angeli sancti descẽdunt & ascendũt per eam, & omnes electi prius ad susciendam incarnationis eius fidem humiliantur, vt postmodum ad videndum diuinitatis eius gloriam subleuentur. Vnde & alibi ipse dominus: Amen, inquit, dico vobis, videbitis cœlũ apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis, id est, subportante & subleuante filio hominis, videbitis sanctos omnes ascendentes ad Deũ, apertis sibi cœlorũ claustris per redemptionẽ filij hominis, & vt pòst ascendere possint, prius descendere ad orationẽ crucis vel passionis eius in spiritu humilitatis. Vtrunque scilicet ascensum hunc & descensum Matthæus & Lucas innuere videntur, dum alter eorũ descendẽdo, alter verò ascẽdendo Christi generationẽ cõtextuit: qa videlicet factus homo

Gen. 28.

Ruth. 4.

Mat. 2.

Cant. 5.

Matth. 1. Luc. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus, dum vagit in cunis, inuitat nos, vt humiliemur exemplo suæ humilitatis, baptizatus autem dum cœlestibus incipit coruscare miraculis, humiles suscitat ad intelligendam gloriam suæ diuinitatis.

Lecta tandem prædicta generatione Christi, protinus laudem Deo solennem chorus Ecclesiæ cõcrepando succinit. Et meritò. Si enim Iacob, cùm euigilasset à somno, ait: Verè dominus est in loco isto, &c. Si, inquã, adeo demiratus est propter vmbram vel figuram futurorũ, quę in somnis viderat, quantò magis nos peractâ rei veritatem intuentes, excitari debemus in laudẽ, & vocare locum hũc, id est, sanctam Ecclesiam Bethel, id est, domum Dei, vbi verè non est aliud nisi domus Dei, & porta cœli, scilicet nõ aliud quàm beata progenies, & gloriosa virgo, quæ cœli regem genuit? Et si statim surgens Iacob tulit lapidem, quem suppoſuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper, quâtò magis nos cõfestim, vbi nobis hæc generatio recitata est, attollere debemus summis laudibus lapidem summum, angularem, pretiosum, quem suppoſuimns capiti, id est, cordi nostro, vt stabile fundamentum: & super illum fundere oleum pię confeſsionis & deuotæ gratiarum actionis? Benè ergo statim Missarum solennia celebramus, & sicut visi sunt angeli ascendentes, & descendentes, nos quoq; ascendimus per fidem: primam Missam (vt dictum est) in laudem diuinæ natiuitatis, secundam cantantes in confeſsione & honore humanæ, quã propter nos subijt, generationis.

Gen. 28.

1. Pet. 2.

Cur Euangelista Christi generationem ita contexuit, vt illam ad Ioseph potius, quàm ad Mariam deduceret.

Caput XIX.

QVærat nunc fortè aliquis, cur Euangelista, cùm posit ab Abrahã vel Dauid illam tenere lineam generationis, qua carnalem beatæ virginis patrem, & ipsam virginẽ matrẽ, filiumq; cõtingeret ex ex nascentem, cur ita contexere maluit, vt ad Ioseph descenderet, qui sine dubio carnalis pater Christi non est? Ad quod respondendum, quod sic rectè fieri debuisset, si hoc Euãgelista intendisset, quos vel quales per patres carnalẽ Dauid vel Abrahę generationẽ caro Christi contingeret. Sed non hoc intendit, quippe cùm non sit tam magnum carnaliter Christi esse propinquum, vt Euangelico ore opus esset per totum mundum declamari. Siquidẽ multi & carnaliter eius propinqui & mali esse potuerũt, de quibus dicit: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt. Quid ergo potius intendit? Illud vtiq;, vt eorũ prosapiam texeret Deorum, de quibus Psalmista: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: quos ipse Dominus in Euangelio testatur deos esse dictos, quia ad eos sermo Dei factus est. Constat verò sermonem Dei, qui ad illos factus est, non alium esse quàm hoc verbum, quod caro factum est: cuius incarnationẽ aut ipsi per Spiritum sanctum, vt Abrahã, Dauid, aut per prophetas ad se missos audierunt, vt Achaz, cui cùm dixisset propheta: Pete tibi signũ à domino, paulò pòst intulit: Ecce virgo cõcipiet & pariet filiũ, &c. Igitur illam ob causam generationem huiusmodi contexuit, quia per illos, aut ad illos huius incarnationis promisio facta est. Nec verò dubium, quin illorum omniũ primus Abrahã, vltimus beatus Ioseph extiterit: ad quem tunc idem sermo factus est Dei, quando illi dictum est: Ioseph fili Diuid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Notandum diligenter, quod dicitur. Cùm in hac generatione Dauid atq; Abraham cæteris insignius nominati sint, dicente Euangelista: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Hic quoq; beatus Ioseph non natura carnis, sed affectu & officio, pater Domini non minus excellenter nominatur, cùm in eadẽ generatione appellatur vir Mariæ. Hic autem dicitur ei ab angelo: Ioseph fili Dauid, &c. Cùm ergo sint tres primi, tres nominatissimi, Abraham, Dauid, Ioseph nominati, inquã, inter omnes, ad quos repromissio facta est, quærendum summoperè est, quo Euãgelista intendit, vt istos excellentius nominaret. Nimirùm repromissionis incrementa considerauit, quibus Christus, homo, rex atque Deus, diuersis temporibus istis tribus repromissus est. Nam Christum, quæ ad Abraham repromissio facta est, hominem verum protestata est: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes. Quæ autẽ ad Dauid facta est, non solum hominem, sed & regem fore signauit. De fructu, inquit, ventris tui ponam super sedem tuam. Quæ verò ad beatum Ioseph facta est, manifestè Deũ pronunciat. Paries, inquit, filium, & vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Saluare enim à peccatis, solius Dei est. Hæc eadem tria, id est, mortalem hominem regem, atq; Deum tres magi postmodũ mysticis muneribus testati sunt, mira sancti Spiritus operante gratia, vt quę diuersis temporibus genti Iudaicę promiserat, eadẽ cuncta subitò addisceret bruta quondã & indocta gentilitas. Igitur benè & quomodo cœlestium

Psal. 81. Ioan. 10.

Gen. 22.

Psal. 131.

Matth. 1.

stium mysteriorũ inspectatorẽ decuit, sic sacra Christi generatio cõtexta est, vt deduceretur ad Ioseph, ad quẽ (vt dictũ est) vltima quidẽ, sed optima repromissio facta est, quæ sic finitur: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quod & proinde vel maximè delectat, quod hæc eadem generatio, quasi lõga linea piscatoris, seculi huius fluctibus iniecta est, in summo hamũ ferreũ habens in esca, id est, verum Deum in carne vera ad capiẽdum Leuiathan, serpentẽ magnũ, humanas, velut pisces exiguos, deuorantem animas. Cõstat vero, quia nõ carni, sed ferro linea piscatoris innexa est. In hoc igitur simi litudinis pulchritudo perfecta est, quod sępè dicta saluatoris prosapia, non secundum carnalem genituram ad Mariam deducta est, sed secundum diuinam propinquitatẽ peruenit ad Ioseph: qui cùm Christi nõ carnalis sit pater, sed fidẽi, & supradictæ promissionis penultimus hæres, quasi nõ carni, sed hamo ferreo linea subligata est.

Iob. 40. Esa. 27.

Superius iã dictũ est, dominica nocte Christum natum fuisse, videlicet, vt qua die dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, eadẽ die vera nobis lux in tenebris exoriretur. Addere nũc libet & illud, q; hic idẽ mirabilis Plastes noster, qui, vt dictũ est, dominica nocte natus est, feria sexta cõceptus est. Nã si superius scriptos illius anni quinq; concurrentes vni Aprilis regulari adijcias, fiunt sex. Cùm autẽ sexta feria mensis Aprilis incipitur, profectò octauo calẽdas Aprilis sexta nihilominus feria habetur, quando dominicã annunciationem habemus. Igitur piũ atq; pulchrũ ordinẽ prouidãq; dispositionẽ, in hoc salutis nostræ opifice mirãtes veneramur, qui die, qua veterem formauit Adã de limo terræ, nouũ sibi reformare cœpit hominem de vera carne virginis Mariæ, eadem nihilominus die redempturus mortis passione.

Gen. 2. Luc. 1.

De Officio primæ missæ.

Caput XX.

PRimæ nanq; missę officiũ, dãs dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, diuinã filij Dei natiuitatem penè per omnes partes suas manifestè cõmemorat. Nam hodie (vt ait beatus Augustinus) quia pręsentiã significat, atq; in æternitate nec præteritum quicq; est, quasi esse desierit, nec futurũ, quasi nõdum sit, sed pręsens tantùm, quia quicquid æterni est, semper est: diuinitus accipitur secundum id dictum, ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, quę est vnigenitus filius, fides syncerissima & catholica prædicat. Cum ergo toties hoc ex personaDei patris venerabile dictũ repetitur, in introitu, in graduali, in alleluia, & in cõmunione. Nam offerẽda: Lętentur cœli, lętãtibus angelis, & gloria in excelsis canentib. succinit, & in collectis nati uitatis quidem domini commemoratio fit, sed incarnatio verbi nec in illis adhuc exprimitur, sed magis claritas veri luminis, perspicuè diuinã præcipuè generationem, filij Dei obsequium huius veneratur officij. Quomodo ergo cõsonat Euãgelio, manifestè humanam eius natiuitatem enarrãti? Planè per vnũ illud dictũ splendidæ & venerandę dignitatis, quod impurus Heluidius cæcis nõ videns oculis, & venerari nescíens, in contumeliam vertit intemeratæ & perpetuæ virginis. Hoc enim ibi legis, & peperit filiũ suum primogenitũ. Heluidio quidẽ putidè argumentanti, quòd alios beata Maria filios habuerit de Ioseph, qui fratres domini dicti sunt, eò quòd primogenitũ illũ Euangelista dixerit, promogenitũ non dici asserens eum, cui fratres non sunt, atq; per illud antecedens consequenter hoc debere recipi. Benè & diserte responsum est à beato Hieronymo, primo genitũ esse, omne quod vuluam aperit, omnemq; vnigenitum esse primogenitũ, sed nõ conuerti, non enim omnis primogenitus est etiam vnigenitus. Cæterum venerabilius accipiendum est, neq; Euangelistam diserti ssimum tam superfluè primogenitum posuisse vt ad matrem referret, quã virginem matrẽ esse, quod longè maius est, quã cuiuis matri sit primogenitum parere, tota superiori narratione firmauerat. Beda quoq; super eundẽ Lucã idipsum sentiente. Nam primogenitus est omnis creaturæ dominus Christus, Dei virtus & sapientia, quę dicit: Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Ipse enim, qui secundum humanã naturam post Iohannẽ, & post alios multos sanctos venit, secundum altiorem gloriã, & gratiæ in labijs suis diffusæ priuilegium, primogenitus est in multis fratribus. Ita ergo accipiendum est & sic distinguẽdum: Et peperit filium suũ primogenitum, subauditur enim, ante omnem creaturam. Quam generationem eius quis enarrabit? Quamobrem non potest fieri, vt iuxta tenorem supradicti ordinis, quæ in cantu laudatur vel memoratur diuina natiuitas, in lectionibus enarretur.

In prima Missa diuina Christi natiuitas præcipuè commemoratur.

Psal. 95.

Error Heluidij de primogenito.

Luc. 2.

Responsio sancti Hieronymi cõtra Heluidium.

Aliaresp. sio super primogenito ante omnem creaturam.

1. Cor. 1. Ecclesia. 24

Rom. 8.

Esa. 53.

De Officio secundæ Missæ.

Caput XXI.

SEcundæ Missæ officium, totum dictis pastorum consonat dicentium: Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum, &c. Pastores animarum, quarum illa vox est: Nos autem populus eius &

Luc 2. Pastores animarum quid annuntient. Psal. 94.

Universidad de Deusto
Biblioteca

oues pascuæ eius: pastores inquã, sancti, qui vigilantes & custodientes vigilias noctis, id est, vitæ præsentis, supra gregẽ dominicum, legendo & canẽdo erudiunt animas eorũ: referunt eidẽ gregi suo, quod viderint in Bethleem, id est, in domo panis, videlicet eius qui de cœlo descendit. Et gratulantes dicunt: Lux fulgebit hodie super nos, &c. Et subiungitur: Dominus regnauit, decorem indutus est. Dum enim dominus Deus homo factus est, regnauit super nos, illũ indutus decorẽ, de quo alibi dictum est: Egredimini filiæ Syon, & videte regẽ Salomonẽ, in decore, quo coronauit eũ mater sua. Ipsa nãq; humanitas, quam propter nimiã charitatem suã, qua dilexit nos, induit diuinitas, ornatus est, ornatus miseratiõis, diadema pietatis, corona gloriæ, decor gratiæ, pulchritudo charitatis. Quæ deinde sequuntur, cuncta ad eundem spectant sensum. Duę lectiones, spiritus domini super me. Apparuit benignitas, tanquã duo Cherubin (vt supra dictũ est) claris & apertis vultibus, id est, sensib. in illud respiciũt in Euangelio, qđ est incarnatus Deus, propitiatorium. Ipse in graduali benedicitur, in alleluia decorẽ indutus, de quo dictũ est, prędicatur: in offerenda orbẽ terræ firmasse laudatur, eundẽ, qui in Euangelio per Bethleẽ, id est, domum panis, figuratur, videlicet sanctã Ecclesiam, quã in eo firmauit, quod ipse homo natus est in ea, qui fũdauit eã altissimus, & ex tunc parata est sedes eius, ex quo in illa homo natus est, qui à seculo Deus est. Ipsa est eadẽ Bethleẽ domus eius, quã decent sancta in lõgitudine dierũ. Et quia primus paries ex Hebręis est, quorũ primitię supradicti pastores fuerunt, cõmunio benè cõgruit: Exulta filia Syon. Propriè nãq; Ecclesia, quæ ex Hebręis est, filia Syon & filia Hierusalẽ dicitur. Ideo maximè, qa in Syõ (quę & Hierusalẽ) templũ & sancta eorum erant. Vtraq; Missa statio ad sanctã Mariam esse debuit, sed causa intercurrit, vt ad sanctam Anastasiam age retur, videlicet passio eius, quę Romanarum nobilissima matronarũ, sub Diocletiano imperatore post longum laborem castitatis, & ministerium sanctorum, post diutinos carceris squalores, tandem per manus & pedes extensa, & ad palos ligata, circumpositio igne cremata, ipso die natalis dñi cœlo nata est.

Ioan. 6. In ista. E 1. 9. f. d. 92.

Cant. 3.

Corona Christi, est eius humanitas. Eph. 2.

Dua Epistola. Esai. 61. Tit. 3.

Exod. 23. Psal. 92.

Bethleẽ figura ecclesia. Psal. 86. Psal. 92.

Filia Syon, ecclesia ex Iudæis. Eph. 2. Luc. 12. Zach. 9.

Statio ad sanctã Anastasiam.

De Officio maioris Missæ.

Caput XXII.

DIe sancto natalis domini principalis illa clangoris Euangelici tuba personat, quam Spiritus sanctus perflans, maiore animauit gratia, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hæc est tuba illa mirabilis, quæ dum caneret in Syon, vocauit gẽtes, annunciauit populis, annunciauit in finibus terrę, & in insulis (quæ procul erant, quia lõgè à Domino recesserant) dominum & saluatorem nostrum aduenire dixit. Hic, inquam sonus ille magnus cœlorum, gloriam Dei enarrãtium, qui in omnem terram exiuit: hic tonitrus firmamenti, opera manuum eius annuntians, qui verba cœlorum eloquentium in fines terræ fecit audiri, scilicet quòd verbum Deus, Deus absconditus, in sole posuit tabernaculum suum, procedẽs tanquàm spõsus de thalamo suo. Nuntiat enim gentibus cunctis pedib. pulchris, apportantibus nuntium bonum, prædicationẽ pacis, annunciationem salutis. Erupit nanq; de angustiis Iudeæ finibus, in qua sola notus erat Deus, & de carnali Israel, in quo solo magnũ erat nomen eius: & hoc salutare Dei Euãgelica tuba cunctis locuta est gentibus, nec iam sunt loquelæ neq; sermones, quorum non audiantur supradictę voces cęlorum. Hoc est quod in introitu secundum prophetam canimus: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Hæc mirabilia, quorum causa in subiunctione cantare domino canticum nouum debemus. Hoc illud est brachium, quod secundũ prophetam huius diei lectionem, parauit dominus in oculis omniũ gentium: Hoc salutare Dei nostri, quod omnes fines terræ viderunt: Hoc illud est quod secundum consequentem lectionem Apostolicam, nouissimè diebus istis locutus est nobis Deus in filio, qui multifariàm multisq; modis olim patribus in prophetis locutus est. Sic secundum graduale, viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri, & notum fecit Deus salutare suum. Sic secundum alleluia, lux magna descẽdit super terram, quia verbum Deus, lux vera Deus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: descendit per nubem carnis, descendit super terrenã conuersationem nostrã. Hæc omnia per se satis elucent, quòd prędicto Euangelio capiti suo consonent. Vnum est quod quæsitu dignum est, scilicet offerẽda, in qua dominatio & potestas domini nostri Iesu Christi, magni & metuendi iudicis regisq; victorioſi prædicatur, maximè in eo versu: Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Nã arbitraremur, totum hoc officium ad solã noctem illam respicere, qua dominus natus est. Sed in illa nocte necdum sciebat puer, qui natus est nobis, vocare patrẽ, aut matrem videlicet per ætatem susceptæ carnis. In hac autem offerenda, & in supra-

Esai. 66.

Eph. 2. Psal. 18. In omnẽ terram exiuit sonus eorũ. Isa. 52. Rom. 10. Psal. 75.

Introitus.

Esa. 9. Psal. 9. Esa. 52. Duplex ep. postola. Heb. 1.

Graduale. Psal. 97.

Alleluia.

Offerenda. Psal. 88. Esa. 8.

supradicto maximè versu, illa fortitudo laudatur, qua secundũ illud propheticũ nomen suũ, accelera, spolia detrahe, festina prædari, superbũ diabolum humiliauit sicut vulneratum, & ascendens in altum & captiuã ducens captiuitatẽ, inimicos suos disperſit in virtute brachij sui, quod vltimã præmisi particulã spectat Euãgelij, qua dictum est: Et vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre: Plenum gratia & veritate. Nam gloria hęc est incarnati verbi, quod spolia detraxit, & festinanter infernum deprędatus est. Igitur non tantum vagitus infantis & præsepe absconditum spectat hoc officium, sed sonus est Apostolorum, qui in omnem terrã exiuit, dicentium: In sole posuit tabernaculum suum, totumq; annum domini acceptabilem prędicantium, totam salutem annuntiãtium, quã fecit verbum caro factum. Vnde cum pro excellentia tantæ diei, tum & ideo, quia beatus Petrus Apostolus hoc salutare dei nostri primus vidit, primusq; confessus est, reuelante sibi patre, qui in cœlis est, & Romanæ arci nuntiũ bonum princeps intulit, iure apud ip sum statio fit. O verè magnũ sacramentũ pietatis, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptũ est in gloria. Pulchrè cum legit hoc, vel quicquid sanctum Christi cõtinet Euangelium, penè omnib. Ecclesijs hęc vetus consuetudo est, vt diaconus tanquàm ab austro veniens, ad aquilonem stet conuersus. Ecce enim ab austro venio, dicit Dominus, & Abacuc, Deus, inquit, ab austro veniet: Ab austro quippe venit, quia ex operatiõe Spiritus sancti, venit & incarnatus est filius Dei, & p Spiritum sanctum semetipsum obtulit hostiam Deo in odorẽ suauitatis. Pulchrè ergo diaconus, tantam salutem recitaturus, ad aquilonẽ conuertitur: vt per hoc indicet, quòd quando hoc salutare Dei missum est gentibus, fortis contra diabolum legatio directa est, quod Deus dixerat, dicam aquiloni, da.

Deprædatio inferni per Christũ. Ibidem. Psal. 67.

Ioan. 1.

Psal. 18.

Statio ad sanctũ Petrum. Matth. 16.

2. Tim. 3.

Cur diaconus ad aquilonem versus legit Euangelium. Abacuc. 3.

Ephe. 5.

Esai. 43. Esaiæ 52.

De Officio, dum medium silentium.

Caput XXIII.

DIe natalis domini officium, gaudium est, vt diximus, gentium, quæ omnes viderunt salutare Dei, & quarum assumptio vita est ex mortuis scilicet Iudæis: hoc autem certe diei sedem non habens, & penè viduum reuocandorum in fine seculi præconium est Iudæorum. Non enim gloriari debet oleaster aduersus ramos bonæ oliuę, q̃ propter incredulitatem fracti sunt & ceciderunt. Ipse autem contra naturam insertus est & fide stat. Neque dignum est, vt exultet iunior frater, quod se recepto & conuiuante cum patre, maior frater iratus ingredi recusat, sed inter conuiuia rogat patrem suum, vt exeat & blandis delinitum monitis introducat. Hæc ita esse vel ex communione præsentis officij satis elucet. Tolle, inquit, puerũ & matrem eius, & vade in terrã Iudæ: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Nũc enim puer ille scilicet incarnatus Deus, reliquit domum suam, & dimisit hæreditatem suam: quia sicut scriptum est: Ascendẽs super nubem candidam, ingressus est Aegyptum, abijt ad gentes: quæ antiqui Pharaonis, id est, diaboli fuerant regnum. Tunc aũt defunctis his, qui quęrebant animam eius, id est, sopita modernę inuidię flamma, qua sanctorum eius animas quęsierunt & sanguinẽ fuderunt in terram suam, id est, in suę gentis notitiam, reuertetur. Tunc, inquã, iuxta mysticũ Euangelij sensum, illato Iesu in templũ, id est, in synagogã Iudęorum per fidẽ: Erant pater eius & mater, scilicet omnis parentela eius carnalis, mirantes super his, quæ dicuntur de eo. Et benedixit illi Simeon, id est, ille populus iam iustus & timoratus, atq; ita qui nunc positus est in ruinã, tunc ponetur in resurrectionem in Israel. Cuius aduentus, quia sciri à nobis non potest, tempus merito nocti cõparatur, atq; ideo in introitu: Dum medium silentium, quod præteritum est, canitur propter hoc simile futurũ. Tunc implebit id, propter quod misit Deus filiũ suum factum ex muliere, factũ sub lege, vt eos, q̃ sub lege erãt, redimeret: & liberabitur hęres, qui adhuc paruuli intellectu, sub elemẽtis, id est, literali sensu seruiẽs detinetur. Tandẽq; obtinebit regnũ & sedẽ Dauid patris sui ipse, de quo in graduali canitur: Speciosus forma.

Renouandi ad fidem Iudæos in fine seculi. Roma. 11.

Mysterium reditus Christi ex Aegypto. Matth. 2. Hiere. 11. Esaiæ 19.

Mysterium de parentibus & Simeone. Luc. 2.

Sapient. 18.

Galat. 4.

Psal. 44.

De Sancto die Epiphaniæ.

Caput XXIIII.

SAnctus dies Epiphaniæ, cum tribus ex causis sit celebris: ea nanq; die à Chaldęis dominus est adoratus, item q̃ annorum triginta iam esse incipiens, à Iohanne baptizatus est, atque redeunte anno ex aqua vinum fecit ad nuptias: cum, inquam, tribus ex causis his sit celebris: Primam secundum diurni officij solennitatem rationabiliter accepit. Videtur in his tribus excedere, quod Dõminus baptizatus est à Iohanne: propter quod & Græci baptismi sacramentum hac die numerosius atque solennius celebrare feruntur. Verùm sancta Romana Ecclesia, semper illa reuelatione, qua Petrus Christum filium dei cognouit, illustrata, consuetudinem hanc vitandam esse proclamat scriptis euidentibus. Dicit enim Leo magnus, scribens

Tres causæ huius festi. Matth. 2. Luc. 3. Iohan. 3.

Non in Epiphania, sed in paschate celebrari debet baptismus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribens vniuersis Episcopis per Siciliam cõstitutis, inter cætera: Miror vos vel præcessores vestros tam irrationabilem nouitatem vsurpare potuisse, vt confuso temporis vtriusque mysterio, nullam esse differentiam
Matth. 16. crederetis inter diem, quo adoratus est Chri-
Verba Leonis primi. De cõs. dist. 4. cap. propriè. stus à Magis, & diẽ, quo resurrexit à mortuis. Ac deinceps: Propriè, inquit, in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis nouam creaturam condit ex veteri, vt in renascentibus & mors Christi
Rom. 6. operetur & vita, dicẽte beato Apostolo: An ignoratis, quia quicũq; in Christo Iesu baptizati sumus, in morte ipsi' baptizati sumus? Cõsepulti enim sumus cũ illo per baptismũ in mortem. Et post pauca: Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandę generaliter gratię diẽ esse legitimum, in quo orta est & virtus muneris, & speciesactionis. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet, quod ipse dominus Iesus Christus, postquàm resurrexit ex mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarũ præsules docebantur, & formam
Matth. 28. & potestatem baptizandi tradidit, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij & spiritus sancti. De quo vtiq; eos etiam ante passionẽ potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi, regenerationis gratiã ex sua resurrectione cœpisse. Item post aliqua. Si quis autẽ Epiphaniæ festiuitatem (quæ in suo ordine debito honore veneranda est) ob hoc existimat habere priuilegiũ baptismatis, quia hoc quidã
Minus efficax Iohannis quàm Christi baptismus. putant, quod eadẽ die dominus ad baptismũ sancti Iohannis accesserit, sciat illius baptismi aliam fuisse gratiã, aliam rationẽ: nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per sanctum
Iohan. 1. Spiritum renascũtur, de quibus dicitur: Qui nõ ex sanguinibus, neque ex volũtate carnis, neque ex volũtate viri, sed ex Deo nati sunt. Dominus autem nullius remissione indigẽs peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodo & circuncidi,
Luc. 2. Galat 4. Matth. 5. hostiãq; emundationis pro se offerri: vt qui factus erat ex muliere, sicut Apostolus ait, fieret sub lege, quã non venerat soluere, sed adimplere, & adimplendo finire: & sicut beatus Apostolus prædicat, dicens: Finis autem
Rom. 10. legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens, se
Colos. 1. docuit esse principium: & tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere eius fluxerunt sanguis redemptionis & aqua baptismatis. Non ergo in tribus causis illud e-
Ioan. 19. minet, quòd dominus à Ioanne baptizatus est, quia non tunc, sed quando de latere eius sanguis & aqua profluxerunt, baptismi sui nobis condidit sacramentum. Eminet autem & præcipuũ est illud, quod à magis vtiq; gentilibus adoratus est, & illuminatarũ cordibus gentium magnam spiritualium pręstat materiam gaudiorum. Gẽtium nanq; primitiæ iam tunc in illis assumptæ sunt. Assumpsit enim illos pax nostra, quę fecit vtraq; vnũ Deum & hominẽ in se vnum Christum, Iudæos atq; gentiles in vnum coniungens populum. De hoc ergo dignè totum Missę cõpositum est officium, in quo sancta Ecclesia de gentibus electa, pro suę vocationis initio gratiosum Deo pro sua salute laudis offert pręconium. Tota verò laudum materia, dona sunt regũ, aurum, thus & myrrha. Dona quippe illa fuerunt, fide fœcunda cœlesti magisterio disposita, per Spiritum sanctum intellecta. Quid enim cœlesti magisterio dignius, quàm auro regẽ, thure Deum, myrrha cõfiteri mortalẽ? Nihil tale paries ille de proximo contulit, qui de Iudæis veniens, in pastoribus angulari lapidi primus sese coniunxit. Nec mirum: illos enim, scilicet Iudęos pastores, angelicum instruxit magisteriũ: Hos autem, videlicet gentiles, nouam stellam suscipientes, solum diuini Spiritus inuisibiliter perdocuit oraculum. Benè ergo regum munera sanctæ Ecclesiæ fidẽ integerrimã testantia, totum huius diei officiũ propheticis testimonijs & laudibus personat, veneratur, honorat. De tertia iam dictæ festiuitatis causa, scilicet de eo, quod dominus vinum fecit de aqua, quęri solet, qualiter eodem die, qua dominus baptizatus est, factum esse conueniat. Dominus nanque qua die baptizatus est, neque discipulos elegit, neq; miracula fecit, sed statim ductus est in desertum à spiritu suo, vt tentaretur à diabolo: vbi & quadraginta dierum celebrauit iciunium, atque inde reuersus, tum demum discipulos elegit, quos & doctrinis instrueret, & miraculis confirmaret. Nunquid annum suæ ætatis trigesimum, cuius in initio baptizatus est, totum sine discipulis exegit, & ita redeunte anno eadem die illud admirabile signum primum coram discipulis fecit? Ita sanè, credendum est, quomodo tria hæc, quæ superius dicta sunt, vna die celebrata esse secundum sanctæ Ecclesiæ authoritatem negare non possumus. Nam antequam Iohannes traditus esset, Christus neq; publicè prædicauit, neq; duodecim Apostolos elegit. Apertè quoque liquet secundũ Lucæ narrationẽ qd' egressus in virtute Spiritus in Galilæam publicè prædicans, non statim discipulos elegit, sed ita docebat in synagogis Iudæorum, & magnificabatur ab omnibus

Adoratio Magorum præcipua huius festi. Eph. 2.

Mysterium Magorum in tribus donis.

Luc. 2.

Christum per annum sine discipulis fuit, quia ex quo baptizatus est.

ibidem.

nibus, & omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ab ore ipsius. Et ante persecutionem passus est, ita vt ad pręcipitium duceretur, fugiensq; de ciuitate in ciuitatem docebat per synagogas sabbatis. Ante & socrũ Simonis, quæ tenebatur magnis febribus, curauit, & alia nonnulla fecit, propter quæ dixerant ei conciues sui venienti Nazareth, vbi nutritus fuerat: Quanta audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hic in patria tua. Tribus igitur miraculis ornatum sanctum diẽ Epiphanię colimus. Nam, vt cãtauimus, hodie stella Magos duxit ad præsepia, hac die Christus à Iohanne baptizatus est, hac die ad nuptias vinũ ex
Tres dominicæ post Epiphaniam quid ira-ctant. aqua factum est. Breui itaq;, id est, tredecim diebus, triginta annorum ætatis eius commoratur. Reliqui tres anni, quibus ipse prædicauit, miraculis diuinitatem suam declarauit, tribus illis, quæ sequuntur post Epiphaniam, dominicalibus commemorantur officijs. Quæ ideo ad Epiphaniæ, id est, manifestationis ad rationem pertinẽt, quia quęcunque per tres suę prędicationis annos cœlestia
Cant. 5. diuinitatis suæ sacramenta docuit, quæcunq; manibus suis tornatilibus & aureis, id est, facilè operantibus & diuinis fecit, documenta fuerunt, quibus vera per carnem diuinitas innotuit. Vnde in prima dominica illud ponitur Euangelium, in quo primum testatus
Luc. 2. est, patrem se habere Deum, dicens parentibus suis: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quę patris mei sunt, oportet me esse? In secunda verò legitur Euangelium, quo inuitatus ad nuptias aquas conuertit in vinum. Quod verè magnum diuini
Ioan. 2. tatis fuit indicium. solus enim Deus mutare
2. Cor. 15. potest naturam, & nostræ reparationis (qua mortale nostrum induet immortalitatem, & corruptio incorruptelam posidebit) venerabile signum, pulchrumq; & conueniens signorum eius fuit initium. In tertia nihilominus dominica, qua dicimus, atq; ad protegendum nos dexteram tuæ maiestatis extende, secundum extensionem manus, qua tetigit leprosum dicens: Volo, mundare. Vera
Matth. 8. diuinitas eius secundum fidem Centurionis eiucet, dum absens corpore sanans puerum Centurionis, Deum se esse designat, qui præsens est vbiq;. Tribus igitur dominicalibus officijs Dñi manifestatio, scilicet tota trium annorum eius prædicatio commemoratur.

Cur in purificatione sanctæ Mariæ candelas portemus. Cap. XXV.

IN purificatione sanctæ Mariæ ideo candelas portamus, vt fœlici gaudio iusti Simeonis aliquatenus participemur, qui Chri- *Cãdelæ gam dij signum.*
sum infantem gestans in vlnis agnouit, & cõfessus est paratum ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium: *Luc. 2.*
Hoc enim signo commoniti exterius, ipsum verum lumen, quod illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum, in mente *Ioham. 1.*
nostra fidei vlnis arctius astringimus, & absentiam eius corporalem, sursum tendentib. desiderijs, gementes quærimus, quęrentes gemimus. Profectus nanq; in cœlum est, antequam hinc abiret, iam supra infantiã, in qua portatus est à Simeone, ętate & sapientia profecerat. Eius igitur visibile signum portamus omnes in manibus, quem iam visibiliter portare, sicut Simeon, nec necesse habemus, nec possumus. Benè autem consecrati *Virginem partus Mariæ per cereolos designatur.*
cereoli, id quod visibile erat Christi, nobis significant. Nam sicut apes ceram cum melle virginali producit opere, sic Maria virgo
Christum, Deum & hominem, salua vteri sui genuit integritate. Apes nanq; neq; vllo concubitu miscentur, neq; libidine soluũtur, nullis partus doloribus concutiuntur, & subitò magnum filiorum examen emittunt, de folijs & herbis ore suo prolem legentes. Conuenienti igitur signo, vectationem infantis Christi, prout possumus, imaginamur, beatitudinem eius corde & ore prædicantes, qui tam diu vixit, vt Christum dominũ videret, vidit vt adoraret, adorauit, vt in pace dimissus, feliciter hinc abiret.

LIBRI TERTII FINIS.

RVPER

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER QVARTVS.

De Saptuagesima. Cap. I.

IN hoc Capitulo multa quærenda sunt, videlicet quòd vocetur septuagesima, & cur vocetur hoc nomine, qua ratione ante pasionem Domini celebretur, & cur alleluia de ore Ecclesiæ tollatur. Hęc omnia tã veras tamque certas habent rationes, vt quidquid aliud dixeris, recalcitret vndique tuta veritas, & oppositorum vel repugnantium multitudine inopem & deficientem conscientiã reuerberet. Verbi gratia, cùm dixeris septuagesimam ideo nominari, quòd ab hac dominica vsq; ad sabbatum, quo albæ deponuntur, septuaginta dies computẽtur, & per hos dies significari captiuitatem nostram, qua peregrinamur à Deo in hoc seculo: Illud statim valde repugnans nostrę cõputationi occurrit, quòd dies dominicæ resurrectionis, nobilitas anni, decus mẽsium, arma dierum, hunc intra numerum computentur. Quis enim dies indignius captiuitatem significare videtur, quàm ille, quo victo captiuatore, dominus resurrexit? Quis dies libertatem significare merebitur, cùm primus dominicę resurrectionis dies sexagesimus quartus occurrat in numero dierum, qui captiuitatem nostram significant, significatam quondam totidem annis, quando populus Dei sub Nabuchodonozor fuit exul in terra Babylonis? Itemque & illud repugnat, quòd cùm à prædicto sabbato dominica hęc septuagesima sit sequens dominica (quã sexagesimam dicunt) nullo modo sexagesima est, & quinquagesima nullo modo quinquagesima est, & quadragesima nullo modo quadragesima est. Quid ergo septuagesimam nominemus, altius atque constantius pandendum est.

Septuagesima quomodo cõputari non debet.

2. Cor. 5.

Eph. 4.

Hier. 25 29. Daniel. 9.

Quid septuagesimam nominemus. Cap. II.

SEptem Dominicas continuè sequentes magnis ac mysticis officijs insignes, septuagesimam nominamus, quarum in prima clamat homo à paradisi felicitate & à creatoris sui facie proiectus: Circundederunt me gemitus, &c. In septima, redeunte de peregrinatione hac & de conualle lachrymarũ, dicitur voce prophetica: Lætare Hierusalem, & diem festum agite, qui diligitis eum, &c.

Septuagesima à septẽ dominicis.

Gen. 2.

Cur septuagesimam nominemus. Cap. III.

IDcirco autem primam dominicam, quæ septima est ab vltima, septuagesimam potius nominamus & sexagesimam, quæ sexta est, & quinquagesimam, quæ quinta est, quia idem cõmemoratur officijs, quod significatum est illa septuagenaria captiuitate populi Dei, qua realiter sedit & fleuit super flumina Babylonis. Quid autem illud est? Septenaria distinctio ætatum mundi, quarum prima est ab Adam vsq; ad Noe, secunda à Noe vsque ad Abraham, vel secundum quosdam, vsq; ad Moysen, tertia à Moyse vsque ad Dauid, quarta à Dauid vsq; ad trãsmigrationem Babylonis, quinta à trãsmigratione Babylonis vsq; ad aduentum Domini, sexta ab aduentu Christi vsq; ad finem seculi, septima iam ętas mũdi requies est illa, ad quam quotidie trãseunt electorum animæ, & requiescunt inter vbera lætantis matris suæ supernæ Hierusalem. Quia ergo per has septem dominicas illud idem cõmemoratur, quod per septuaginta Babyloniæ captiuitatis annos significatum est, dominica hæc prima de septem, rectè septuagesima dicitur, quòd quàm ratum sit, posterius ex ipsarum dominicarũ officijs clarius lucebit. Nunc qua ratione ante pasionem domini ordinatæ sint, dicendum est.

Psal. 136.

Septem ætates mundi.

Esai. 66.

Qua ratione sic ante passionem domini septem dominicæ ordinatæ sint. Caput IIII.

BEatus Papa Gregorius, qui (sicut in libro vitæ eius contineri iam suprà diximus) officiorum atque stationum ordinator extitit solertissimus, intellexit eo sensu, quẽ illi Spiritus sanctus aperuit, dignam ac reuerẽdam memoriam saluti feræ passionis Christi expetere, vt illi ab omnibus sanctis & electis, quicunq; fuerunt ab initio mundi, testimonia redderẽtur, cui quasi communes per os præsentis Ecclesiæ redderentur exequiæ. Omnium quippe sanctorum à mũdi constitutione vna fuit salus & expectatio, passio redemptoris, & concordibus eorũ dictis prę nũtiata, gestisq; præfigurata est, ac velut vni subiecta soli, diuersis licet ex locis eandem imaginem multa reddunt specularia: sic plures sancti diuersis temporibus ac meritis venientes, præcurrentes saluatorem, vnam eãdemq; varijs figuris eius præfigurauerũt passionem

Gregorius.

Passio Christi sic variè præfigurata.

Ordinator officiorum Gregorius.

**animo.*

sionem. Cùm ergo iam dictus ordinator officiorum, commemorata iam Christi natiuitate, apparitione, & manifestata triennij eius prædicatione, pasionis eius memoriã * anno nostro inscripturus esset, laudabilem fecit digressionem, ad mundi recurrens initium, & de diuersis ætatibus congruas ecclesiæ voces colligẽs, quasi de diuersis locis septenos choros rationabili ac venerabili ordine produxit. Quid, vel quomodo singuli chori præsenti ecclesię cõcinant, paulò pòst explicandum est. Nunc illud primitùs dicendum videtur, cur de ore ecclesiæ diebus istis alleluia, quod est laus Dei, tollatur.

Cur alleluia dimittatur. Cap. V.

SI rectè consideremus, quam laudem Dei alleluia (quod nomen est antiquæ dignitatis & autoritatis) significet, perpulchrũ & rationabile videtur, vt verè est, quòd de ore sanctæ ecclesiæ vox hæc consuetudinaliter ablata est. Significat autem non quamlibet laudem Dei, non laudẽ maiorum aut minorum creaturarum cœli & terræ, & maris, & omnium quæ in eis sunt. Alioquin, si quamlibet laudem Dei significet alleluia, frustra diebus istis de ore nostro tollitur, cum à laudibus Dei nõ cessantes, laudamus, quòd in principio fecit cœlum & terram, quòd diuiserit lucem à tenebris, quòd fecerit firmamẽtum, & posuerit in medio aquarũ, quòd ad iussum eius germinauerit terra herbã virentem, lignumq; afferens fructum iuxta genus suum, quòd luminaria fecerit, & in firmamento posuerit, quòd pisces, quòd volucres, quòd bestias prodire iusserit, quòd deniq; hominem ad imaginẽ suam creauerit. Quam ergo Dei laudem significat alleluia? Illã vtique, illã cui dicit Deus pater in psalmo: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara. Gloria patris, Dei filij, perfecta laus & sempiterna musica, vtpote summa sapientia, quæ de corde nata eiusdem patris æterni musici, citharam nostræ humanitatis assumpsit, quã & confractam ab inuidis & stultis pueris, qui ad cantum eius saltare debuerant, rursus per gloriam resurrectionis reformauit, & inuiolabile psalterium fecit, illa, inquam, gloria hęc cithara, siue psalterium, alleluia nostrum est. Quicquid enim supernæ iucunditatis audito ribus suis exhibuit, quorum beati oculi qui viderunt, & aures quæ audierunt, quicquid, inquam, de cœlestibus gaudijs ore suo dominus Iesus Christus præcinuit, alleluia est, canticum nouum est, laus suauis est. Hoc autem neq; veteres sancti viderunt, aut audierunt, de quibus ait ipse dominus: Multi reges & prophetę voluerũt videre, quæ videtis, & nõ viderunt, & audire quę auditis, & non audierũt, neq; nos, quãdiu sumus in corpore (quia recesit in cœlum) videre possumus, aut audire meremur. Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur à domino. Cùm verò probabilẽ antiquæ ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus, nostrumq; incolatum, quia prolongatus est, deplangimus, pulchro satis ordine alleluia ab ore nostro tollitur. Quia videlicet, q per illud significatur, ille nondum venerat, à nobis iam recesit, & ablatus est sponsus à filijs suis. Rectè hoc cõsiderauit, qui hoc respõsoriũ cecinit alleluia. Dum præsens est imitantur illã, & desiderãt illam cùm se eduxerit: Dum enim hic de alleluia dixit hoc, quod de sapientia scriptum est (quę sine dubio Christus est) profectò per alleluia Christum intelligi voluit, qui dũ præsens esset, imitati sunt illum, & desideraue-runt eũ, cùm se eduxit, ascendens in cœlum, & in perpetuum coronatus triũphat ante dominum patrem, sicut scriptum est, Gloria & honore coronasti eũ domine, & cõstituisti eũ super opera manuũ tuarum. Non ille nugas triuit, aut pueriles ineptias cõtexuit, cùm diceret, alleluia, reuertere in thesauros tuos, te benedicent angeli. Reuersus est enim in thesauros suos Christus dominus, id est, in secreta cœli, vbi ab angelis benedicitur, & à filijs suis hic peregrinantibus desideratur. Nõ solùm autem ipse gloriosus Ecclesiæ sponsus, nouus homo Christus, hoc nomine prædicatur, sed & sponsa eius noua, sancta Ecclesia (quia corpus eius est) quia & ipsa musicę illi organum est, id est, diuinæ sapientię (cuius in homine Christo tota plenitudo corporaliter inhabitat) eodem nomine iure prędicari potest. Quapropter die dominicæ resurrectionis, quando noua soboles renascitur & claritate repletur agni nouelli, qui venerunt ad fontes, ipsam nouam Ecclesiam, noua cuncto mundo gaudia nuntiantem, non inaniter tali compellamus nomine alleluia, quæ & placido nobis vultu & dulci voce respondet, quia totum eius diei, vel totius hebdomadæ paschalis officium illorum est exultatio, qui tunc per aquam & spiritum renati sunt. Sed de his suo loco melius dicemus, nunc ad superiora redeamus.

Ordinator officiorum Gregorius.

Matth. 12.

2. Corint. 5.

Alleluia nostrum Christus est

Matth. 9.

Sapiẽtia 4.

Ephe. 4.

Psal. 8.

Gen. 1.

Alleluia nostrum in filio Dei.

Psal. 56. 107

Matth. 11.

Luc. 10.

Cur alleluia in Lxx. tollitur.

Ibidem.

Cur impia frequẽtatur alleluia.

Eph. 1. Coloss. 2.

De Officio septuagesimæ, & cur statio fiat ad sanctum Laurentium. Caput VI.

QVoniam septem dominicis, septem ætates mundi significari suprà dictum est, qualiter officium septuagesimæ primæ conueniat ætati, iam dicendum est. Primoq;

Cur in illo die fit statio ad sanctum Laurentium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non prætereundum, cur ſtatio ſit ad ſanctum Laurentium. Cauſa nanq; conueniens & idonea eſt. Sicut enim in primæ ætatis Eccleſia protomartyris Abel ſanguis iuſtus clamat de terra ad Deum, quæ aperuit os ſuum & ſuſcepit eum de manu Cain fratris ſui, ſic in Romana Eccleſia, pretioſa mors beati Laurentij, nouo & inaudito genere paſsionis clamauit in cœlum, clamauit, & audita eſt per mundum vniuerſum. Quem clamorem ſuũ ipſe ſanctus martyr iam præuidens, dicebat ad Hippolytum: Magis in abſconditis, in homine interiore abſconde Chriſtum, & poſtmodum cùm clamauero, audi, & veni. Vox ergo primæ Eccleſiæ cõueniens eſt, præcentore Abel: Circundederũt me, Circũdederãt enim illum gemitus mortis, vitæ gaudijs per primos parentes perditis. Siquidem ille languidus, qui deſcendens ab Hieruſalem in Hiericho, inciderat in latrones, ſpoliatusq; & vulneratus, ſemiuiuus ab illis fuerat relictus, genuerat illum in ſuis doloribus langui dus egram, ſaucius morbidam, moriens mortalem. Et in tribulatione mea inuocaui, inquit, dominum, & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. Hoc longè poſt futurum, per ſpei certitudinem, quaſi iam factum fideliter præſumit. iam enim diuinum de reparatione ſuę ſalutis acceperat oraculũ, dicente domino ad ſerpentẽ: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius. Victoria nanq; redemptoris noſtri iam tũc promiſſa eſt, qui cùm ſit ſemen mulieris, inimicitias cõtra draconem antiquũ intantũ exercuit, vt caput eius cõtereret, & omnẽ poteſtatẽ auferret. Dicit ergo: Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam. Sed quãta expectatio? Quanta ſalutis dilatio? Generationes nanq; LXXVII. ab Adã vſq; ad natiuitatem Chriſti ſunt. In Euangelio ſecundum Lucam ita inuenimus. Benè ergo hi, qui ſecundum Euangelium præſentis diei, mane conducti ſunt, murmurantes dicunt: Hi nouiſsimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus. Pondus enim diei & æſtus portauerunt hi, quos à mundi initio, quia diu contingit hic viuere, neceſſe fuit etiam longiora carnis tentamenta ſuſtinere. Hoc igitur longiſsimũ ſtadium eſt, de quo in Epiſtola, prædicto Euangelio conſonante: neſcitis, inquit Apoſtolus, quod hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſed conſolabantur ſe longanimis in ſpe, quodammodo dicentes, quod in graduali canimus: Quoniam nõ in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperũ non peribit in finem. Tractus itidem ſicut collecta in qua dicimus: vt qui pro peccatis noſtris iuſtè affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur: tractus, inquam, de profundis, vox eſt homini ſub manu Dei iuſta inter verbera gementis & dicentis: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Hocautem in tractibus notandum eſt, quòd omnes fere grauioribus compoſiti ſunt vocibus, nec vnquàm ijs, qui autentici dicũtur, modis exaltari merentur: ſed cuncti plagalium inferioribus terminis contenti, fletum & triſtitiam in humilitate ſonorum denuntiãt. Quod congruè ſatis obſeruatum eſt. Triſtitiæ nanq; tempus exigit, vt alleluia, quod lætantium carmen eſt, intermitteretur. Benè ergo tractus, qui interim pro alleluia cantatur, altitudinem atque excellentiam gaudij, graui ſuccẽtu, & modeſtis declinat inceſsibus. In offertorio: Bonum eſt confiteri domino, quę ſimiliter vox eſt flagellati, iuſtitiam ferientis inter verbera confitentis, ille vel maximè verſus primordijs conuenit infantis Eccleſiæ: exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia vberi. Non enim in infantia eius, quando iuſti Abel ſacrificio glorificata, primoque eius ſanguine purpurata eſt: nõ in pueritia eius, quando loquẽte Deo ad Noẽ vel ad Abraham, prima doctrinæ ſalutaris rudimenta percepit: nõ in adoleſcentia eius, quando pędagogum, id eſt, legem Moyſi, ne laſciuiret, accepit: non in iuuentute, quando ſanctis regibus à Dauid incipientibus coronata eſt: ſed in ſenecta eius, quãdo regum prophetarumq́, iam effœta erat, exaltatũ eſt cornu eius, ſicut vnicornis, id eſt, Chriſtus rex potẽtię ſingularis: & ſenectus eiꝰ in miſericordia vberi, quia videlicet in multitudine miſericordiæ rex Iſrael benedictus aduenit. Cõmunio quoque: Illumina faciem tuam ſuper ſeruũ tuum, vox eiuſdem Eccleſiæ eſt, ſecundum primam ętatem mũdi, vox, inquam, hominis ſpoliati gloria vultus Dei, & parietem inimicitiarum, quo interiecto, veri ſolis faciem humanarum animarum ſpecularia perdiderant, diſſolui ac dirui poſtulantis.

Introitus. *Pſal.17.* *Luca 10.* *Prima ecclęſiæ ætas ab Adam.* *Gen.3.* *Lxxvii generationes ab Adam vſque ad Chriſtum.* *Luc.3.* *Euangeliũ.* *Matth. 20.* *Epiſtola. 1.Cor.9.* *Graduale. Pſal. 9.* *Tractus.* *Tractus cantus triſtitia.* *Offertorij.* *Pſal. 91.* *In ſenecta contigit miſericordia copioſa.* *Gen.4.* *Gene. 6.* *Exod.24.* *Galat.3.* *Pſal.118.* *Eph.2.*

HActenus à die natiuitatis dominicæ de nouo teſtamento erant, quæcunq; legebantur in vigilijs nocturnis, congruè ſi licet propter præſentem vitam eiuſdem noui hominis Chriſti, quã ſignificant dies illi, magnusq́, præco ſanctę nouitatis Paulus, cũ veteri lege nouam conferens gratiam, legẽ factorum deprimebat, & legem fidei cũ palma iuſtitiæ ſubleuabat. At nunc iuxta rationem

A natali Chriſti uſq; ad Lxx. legitur nouum teſtamentum. *Rom.5.*

tionẽ ſuprà memoratam, antiqua repetitur hiſtoria, qua veteris vitæ narrantur miſeriæ, quas in officio pręſcripto ſancta deplorat eccleſia.

De Sexageſima. Cap VII.

Secunda ecclęſiæ ætas in Noe. PRæclarũ huius dominicæ officiũ tempus illud ſecundæ ætatis reſpicit, quo primũ exijt, qui ſeminat ſeminare ſemẽ ſuum, quo primùm reconciliationẽ mundi præparare incipiens locutus eſt ad Noẽ, & Eccleſiam iam infantiles annos egreſſam, primis præceptorũ ſuorũ elementis imbuere cœpit. Nam ex quo de trãquillo & quieto paradiſi vtero iecta, in hãc nata eſt miſeriã, quam eius natiuitatem beatus Iob in eiuſdem eccleſiæ perſona (vt ait beatus Gregoriꝰ) deplorat, dicẽs: *Iob. 3.* Pereat dies in qua natus ſum, &c. nullam illi præceptorum ſuorũ legitur tradidiſſe diſciplinã. At verò locutus cum Noé, dicẽs: quia ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcũ, & iterata benedictione, ſuperductam incipiens abolere maledictionem, paulatim pueritiam mundi ſuo magiſterio ſubijcit, dans præcepta quædã, primùm Noé, deinde Abraham, & in illis primoribus initians iuſtitiam fidei. Perfecit autẽ hæc in plenitudine gratiæ, dum exijt in hunc mundũ, formam ſerui accipiẽs, per ſeipſum in populo Iudæorũ, & per ſanctos Apoſtolos in omnibus gentibus ſemina re ſemen ſuum. Hacigitur dominica legitur hoc euãgeliũ: Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuũ: agiturque ſtatio ad ſanctũ Paulum, digna ſanè & euidenti cauſa, quia dux verbi præcipuus, & verè ſeminator verborum ipſe eſt, per quẽ omnes gentes cognouerunt gratiã Dei. Antequàm ergo ſacerdos introeat, velut antequã ſeminator ille ad opus ſuum exeat, dũ adhuc in accubitu ſuo eſt, & in ſinu Dei patris quieſcit, cõclamat chorus: Exurge, quare obdormis domine? exurgẽdo enim & ſemen ſuũ ſeminãdo hoc effecturus erat, vt facies eius, quam propter peccatũ auerterat, id eſt, notitia eius humano generi rurſus illuceſceret. Ignorantia nanq; Dei, terræ noſtræ ſterilitas fuit. Seminator igitur ſapientię cœleſtis, quia ſuum ad opus (vt dictũ eſt) exiens, & aratores ſuos, id eſt, ſanctos apoſtolos cõducens, maximè beatum Paulũ, qui plus omnibus illis laborauit, operarium vtilẽ habuit, quem ad gentes miſit, & acuto vomere linguæ eius corda dura proſcindens, fidei & morum copioſum ſemen infudit. Ingreſſus ſacerdos ſtatim in collecta: Deus, qui conſpicis, celebrem eiuſdem doctoris gentium memoriam præmittit, vt ſtationem conueniens aſſcriptam egreſſa quoq; proprietas manifeſtius commẽdet. Amplius autem ad hoc ſequens epiſtola pertinet, qua idem fortiſsimus cœleſtis agricolæ operarius veros labores ſuos enumerat & pericula, quibus illum affecerunt hi, qui domini ſui fines inuaſerãt, nec arari permittebant. Graduale ad vtranque partem hominum reſpicit, & eorum ſcilicet, qui tanquam bona terra, ſemen verbi Dei ſuſcipientes, fructum iuſtitię retulerũt, & eorum, qui rebellantes vniuerſę terrę dominatori aratrum eius cõfregerunt, bouesq; innocuos iugulauerunt. Diſſeminato nanq; verbo Dei factum eſt, quod ait: Sciant gẽtes, quoniam nomen tibi Deus, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram, & hi qui illud repulerunt, poſtil ſunt vt rota, ſcilicet in eo quod ſurgentes in his, qui retrò ſunt, id eſt, in carnalibus, cadũt in anteriori parte, id eſt, in intellectualibus: & quemadmodum ſtipula diſpergitur ante faciem venti, ſic diſperierunt flante ſpiritu iræ Dei. In tractu gratias agit ſępe dicto ſeminatori, commota terra & cõturbata, id eſt, vniuerſi peccatores, qui quãdo culturas ſuas aduerterunt eſſe deo execrabiles, commoti ſunt ad pœnitentiã, & per ſignificationem prędicationis incipientes timere, fugiunt à facie arcus, id eſt, à die iudicij, in quo duobus teſtamentis, quaſi duobus cornibus inflexis, rebelles verbi diuini, damnationis æternæ ſagitta ferientur. Lecto tandem Euangelio, conſona ſequitur offerẽda: Perfice greſſus meos in ſemitis tuis. Timendum eſt enim, ne ſuſcepto ſemine verbi Dei ſecus viam expoſiti, & in exterioribus vagantes, à volucribus, id eſt, à ſpiritibus immundis diripiamur: aut à ſolicitudinibus & ſpinoſis diuitijs ſeculi ſuffocemur: aut humorem, id eſt, pinguedinem charitatis non habens, bonum ſemen areſcat in nobis, & ſic nõ perficiantur greſſus noſtri. Mirificat miſericordias ſuas, dum ſemen miſericorditer iectum cuſtodit vt pupillam oculi, ne cõpungatur à ſuffocantibus ſpinis, protegit ſub vmbra alarũ ſuarũ, ne ſiccetur ardoribus ſolis, eripit ab impio, ne auferat verbum de cordibus noſtris: vt dicat bona terra fructũ afferẽs in patientia: Ego aũt in iuſtitia apparebo in cõſpectu tuo. Et ſicut in communione cãtamus: introibo ad altare Dei. Semen itaque Dei terram noſtram in qua creuit (quod mirabile eſt) ſurſum vehit ſecum in horrea cœli: quia cùm terra ſimus, niſi verbo Dei portemur, quod eſt Chriſtus, in cœlũ non aſcendimus, ſicut ipſe ait: Nemo aſcendit in cœlũ, niſi filius hominis qui eſt in cœlo. Cum ipſo ergo & per ipſum ſubleuabimur, portantes manipulos iuſtitiæ, lætificante Deo iuuentutem noſtram, in vigore nouitatis æternæ.

Prima ſub Noe præcepta Dei. Gen. 9. Phiſp. 2. *Euangeliũ Lucæ 8.* *Statio ad ſanctum Paulum. Act. 14.* *Introitus.* *Pſal.43.* *1.Cor.15.* *Collecta. 2.Cor.11.* *Epiſtola.* *Offerenda. Pſal. 12.* *Communio Pſal. 42.* *Iohan. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

De quinquagesima. Cap. VIII.

Tertia ætas Ecclesiæ sub Moyse.

DOminica hæc tertiam mundi ætatem significat, qua adolescentulam, pubescentemq; ecclesiam respiciens Deus, cum iã tempus eius iuxta prophetam tempus esset amantium, eripuit illam de medio fornicatorum, mittens Moysen & Aaron, & per signa magna atq; portẽta filios Israel educẽs de seruitute Aegyptiorum. Cui rei valde præsentis dominicæ congruit officium, valde competit id, quod hac die legitur Euangelium. Nam sicut hic sedens cæcus secus viam postulabat lucem, sed à turbis increpabatur vt taceret, ita illic filios Israel intendentes ad fidem patrum suorum Abraham, Isaac & Iacob & clamantes ad Dominum, vt educeret eos de Aegypto, quod in lingua nostra tenebras sonat, cultumque sui nominis eos doceret, quæ vera & necessaria illuminatio est, increpabantur ab Aegyptijs opprimentibus, & superbè dicentibus: Vacatis otio, & ideo dicitis, eamus & sacrificemus domino. Igitur cũ dominus mittens Moysen & Aaron, iussit populum suum adduci ad se, & coram illis fecit mirabilia, per quæ potuit verus Deus agnosci, deditq; legẽ scriptã & mãdata vitæ, ritumque colendi, iam tunc magnus ille cæcus, id est, humanum genus, cœpit illuminari, & nunc vsque illuminatur magis ac magis, contradicentibus licet atque increpantibus turbis, semper quidem inuisibilibus, nonnũquàm autem etiam visibilibus. Hoc enim dominicæ huius consonat officium. Nam ingressuro iã sacerdote quasi preuenit clamoribus aduentũ illuminatoris sui cæcus supradictus, dum chorus cõcinit: Esto mihi in Deum protectorẽ. Nempè quod ait: Propter nomen tuũ dux mihi eris, & enutries me, ad viã spectat, iuxta quam sedet cæcus mendicans. Via pariter & dux idem est Christus. Sequẽs itidẽ collecta: Preces nostras quęsumus domine clementer exaudi: clamor est cęci, magis ac magis vt exaudiatur, inclamantis. Nã vt ait, atq; à peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos aduersitate custodi, turbam percutit eorum, quæ in oratione patitur, phantasmatum, sicut ille cęcus in Euangelio turbam increpãtium, sicut filij Israel Aegyptios prohibentes, & violenter se tenentes, ne irẽt ad sacrificandũ domino Deo patrum suorũ. Epistolę quoq; lectio, si linguis hominum loquar & angelorum, nõ ex eo tantũ loco, quo dictum est: Videmus nunc per speculũ & in ænigmate, tunc aũt facie ad faciẽ, sed ex tota serie sua, ad eiusdem illuminationem cęci respicit, dum cũctis charismatib. excellentiorẽ viã demõstrat, id est, charitatẽ. Charitas enim oculus cordis est, qua quisquis caret, cæcus est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat. Nam & cùm illuminare cœpisset Deus humanũ genus (vt dictũ est) legẽ dãdo filijs Israel, hoc primùm collyrio oculos eius inũxit, dicens: Diliges dominũ Deum tuũ ex toto cor de tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Graduale, cùm solã liberationem filiorum Israel (de qua dictũ est) cunctis penè dictionibus personare videatur, tamen ex eo, quod dicitur: Notam fecisti in gẽtibus virtutem tuam, ad eandẽ spectat magni cæci illuminationem. Sic & in tractu, quod dicitur: Intrate in conspectu eius, &c. idem est, ac si diceret, accedite ad eũ & illuminamini. Quodq; lecto supradicto Euangelio, dicimus in offertorio: Benedictus es domine, doce me iustificationes tuas, nimirũ alijs verbis illuminari postulat cæcus. Statim viæ laudes arripit, iuxta quam sedens & mendicans illuminatus est, tanto q; cõcentu, tã grandi vociferatione viã testimoniorũ persultat, viãq; veritatis, & viã mandatorũ cõgeminat, vt saxorũ quoq; duritiã ad glorificandũ illuminatorẽ suum excitare queat. Quia verò non satis est, ad viam peruenisse, & illuminationem scientiæ percepisse, nisi abijciamus desideria carnis, congruè terremur illorũ exemplo, de quibus dicimus in communione: Manducauerũt & saturati sunt nimis, quia propter desideriorum incõtinentiam prostrati sunt in deserto, nec peruenerũt ad repromissiõis terram. Quorũ nos exemplo Paulus quoq; solicitos reddens: sic currite, inquit, vt cõprehendatis. Quem autem ducé credimus fuisse vel pastorem, cùm iterum populum suũ & oues pascuæ suæ dominus educeret de terra Aegypti, diuidẽs illis per diuisiones gratiarum mare rubrum baptismi, quod de latere eius pendentis in cruce profluxit? Nempè beatũ Petrum Apostolum, qui & in magno corpore sępedicti huius cæci princeps illuminatus est, dicente ad eũ Christo, filio Dei viui: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cęlis. Conuenienter ergo ad eundem Apostolũ dominica hac statio fit, vt omnis plebs videns magnificet Deum exemplo eius dicẽtis: Populus acquisitionis, annũtiate virtutes eius, qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum.

Ezech. 16. *Luc. 18.* *Exod. 5.* *Epistola. 2. Cor. 13.* *Cæcus secum viã, genus humanum.* *Introitus.* *Psal. 130.* *Collecta.* *Luc. 18.* *Exod. 5.* *1. Iohan. 2.* *Deut. 6.* *Graduale.* *Psal. 67.* *Tractus Psal. 90.* *Offerenda. Psal. 110.* *Communio. Psal. 87.* *Numer. 14.* *1. Corinth. 9* *Statio ad S. Petrum.* *Matth. 16.* *1. Pet. 2.*

De prima dominica quadragesimæ. Caput IX.

DOminicæ huius officium, propheticũ sancti Spiritus personat vniformiter atque congeminat oraculum, sine mutatione

tione rerum ac personarum, quo pugnanti cõtra draconem antiquum promittitur sanctæ ecclesiæ competens altissimũ adiutoriũ.

Quarta ætas ecclesiæ sub regibus & prophetis.

Spectat dominica hæc quartam mundi ætatẽ, qua mundus plenaria iuuentute roboratus est, & populus dei quasi viriles annos ingressus, coronatus est diademate regum, & ornatus sanctorum sapientia prophetarum. Nam patriarcha Dauid electus secundũ cor domini remoto Saule, primus regum, præcipuus prophetarum, manu fortem vel desiderabilem Christum nomine prẽsignat, victorijs præfigurat, propheticis oracul is ac spiritualibus canticis annunciat. Et quia clausa fuit, vsque ad Christi aduentũ, huius & cæterorum scriptura prophetarum, ac sicut tenebrosa aqua in nubibus aëris, ita contenebrabatur occulta sciẽtia in prophetis, donec agnus Dei, solus dignus accipere librum & soluere signacula eius, in passione sua complendo propheticas aperiret voces: iccirco ab hac dominica vela dependent ante sancta ecclesiæ altaria, vt populus sancta sanctorum non videat, donec in ante paschalia hebdomada depositione velorum, eadem renouetur significatio, quæ facta est per hoc, quod velum templi scissum est, spiritum tradente domino. Hac igitur dominica posito hoc Euangelio, quo caput ecclesiæ Christus Ieiunãs in deserto, tẽtatoris insidias superasse narratur, atque ita super aspidem & basiliscum ambulasse, leonẽmq; & draconem conculcasse, prophetice de toto officio circunsonant tubæ, victoriam eandẽ cunctis membris eiusdem capitis, & toti repromittentes corpori ecclesię. Cuius officij statio ad sanctũ Iohannem ad Lateranas præscripta, valdè cõgruit. Sicut enim hoc officium totum in veram saluatoris decantatur felicitatem, qui præ omnibus & pro omnibus super aspidem & basiliscum ambulauit, & totum propheticũ est: sic eadẽ Lateranensis ecclesia, & in nomine eiusdem sancti saluatoris, & in honore prophetæ & plusquam prophetæ Iohannis, ab imperatore Constantino constructa est. Itaq; propheticæ laudes cõgruè illic Apostolica statione celebrãtur. Non solum dominica hæc quadragesima dicitur, quemadmodum illæ, quę præcesserunt, quinquagesima, sexagesima, atque septuagesima, sed & hoc omne tẽpus, quod ab hac die vsque ad sacratissimam paschæ solennitatem tenditur, quadragesima nuncupatur, videlicet propter imitationem dominici ieiunij, quam per hos dies extẽdimus. Sed ad hanc rationem quatuor dies dedisse probantur. Nam licet ab hinc vsque ad sacram paschæ noctẽ, quadraginta duo dies computentur, tamen non nisi triginta sex, Christianæ deuotionis parsimonia sibi dedicare præsumit. Canonica nanq; vetat autoritas, ne primam sabbati dominicæ resurrectionis splendore illustratam, vlla vnquã ieiuniorũ publica ostuscet nubecula. Vt igitur nostri solennitas ieiunij dominico magis coaptetur exemplo, quatuor dies, qui hanc dominicam prędecunt, additi sunt ad prætextã totius anni decimam: Totius quippe anni, id est, dierum trecentorum sexaginta, supradictus numerꝰ, id est, tringinta sex, decima est. Quibus additis quatuor, fit quadragesima, id est, quatuor cũ decima. Et hęc verior est nominis etymologia: Alioquin vna dies, id est, huius hebdomadæ tertia feria sola à die paschæ, quadragesima est. Sanctæ memoriæ papa Telesphorus, à beato Petro septimus, hanc salutarem ante sanctum pascha cõstituit præparationem, vt Christiana plebs, quæ apostolicæ abstinentię tenorem exequi non posset, nõ omnino relinqueret. Apostoli nãque primi eius, qui ablatus fuerat, spõsi filij, tota vita sua ieiunium fletumq; amauerunt, & renuit cõsolari anima eorũ, tantũq; in eo, ꝙ eius memores erãt, delectati sũt. At postquã multiplicari cœpit numerus credentiũ, tãq; indiscretos pisces retia fidei cõtraxerũt, vt cũ abstinẽtibus, multitudo quoq; intraret ebriosorũ, subuenit ecclesiasticæ disciplinæ magisteriũ, & tanquã fęuera mater, edacium puerorũ intemperãtiã moderata est, vt quia de toto cogi non poterant, vel partem obseruarent, viteq; decimas abstinẽtiæ dedicarẽt. Cùm ergo de vniuerso tempore gratię dictũ sit illud Apostoli: Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis, & cætera: hac tamẽ dominica illa lectio epistolæ recitatur, qua tẽporalis ieiuniorũ obseruantia, quę, vt dictũ est, esse continua debuerat, inchoatur.

Quadragesima. *Dominica die non est ieiunandum.* *Ieiunium quadragesimale.* *Apocal. 5.* *Matth. 27.* *Euangeliũ Matth. 4.* *Psal. 90.* *Statio ad S. Iohannẽ ad Lateranas.* *Matth. 11.* *Cur velantur altaria* *Apostoli ꝙ per in fletu & ieiunio erant.* *Matth. 9.* *Psal. 76.* *Matth. 13.* *1. Cor. 6.*

Cur cineres capitibus imponimus. Caput X.

SI omnes lugendi scientiam haberemus, cunctisq; ęqualiter saperet illud, quod propheta deplorans: Cecidit, inquit, corona capitis nostri, væ nobis, quia peccauimus: & omnibus in promptu esset facere, quod item dicitur nobis: Scindite corda vestra & non vestimenta vestra: tunc neque cineribus capita nostra aspergere, neque nudis pedibus opus esset ambulare. Nũc autem maxima pars nostrum neque sponte meminit, qualem ornatum capitis, id est, cordis sui, deum offendendo, perdiderit, neq; facilè possunt corda lapidea scindi, nisi extrinsecꝰ adhabitis adiuuemur instrumẽtis. Igitur, vt nostra nobis calamitas ad memoriã reuocetur,

Lugendi scientia. Threno 5. *Iohelis 2.* *Cur cinere aspergimur, pedes. que nudamus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& meminerimus, quia puluis sumus (quod oblitus fuerat pater noster Adã, quando proiecit deum coronam suã, & exinde sensit nuditatem suã) iccirco & cinere capita nostra aspergimus, & summas partes corporis, id est, pedes nudamus: Hoc habitu cõtentes, quia non dij neq; de cœlo sumus, sed homines sumus, & de terra principiũ habuimus: & quia per peccatum gloria nostra spoliati, & inter hostes nudi constituti, ornatu gratiæ Dei indigemus.

De Secunda dominica quadragesimæ cur vacat. Cap. XI.

Quinta Ecclesiæ ætas incaptiuitate. *Psal. 136.*

DOminica quadragesimæ secunda, quæ in ordine & ratione dominicarum septem suprà dictarum, quinta est, pulchra & rationabili dispositione vacat, tanquam non habeat Ecclesiæ Pontifex, iam defessus cantor, quæ vel quibus, aut vbi verba canticorũ Domini decantet, aut certè infructuosos fastidiens auditores, organa sua suspenderit ad salices. Significat enim quintam mundi ætatem, quando templo domini diruto, & populo Dei in Babyloniam abducto, duplici captiuitate Ecclesia Dei congemuit, peregrina in hoc mundo, captiua sub Nabuchodonozor: Tunc etenim populus Dei, neq; templũ neq; altare habebat, & Babylonios Deos statuamq; regis Nabuchodonozor, diaboli typum tenentis, minaci propositа fornace, cogebatur adorare. Non ergo ab re & rationabili diligentia dispositum est, vt cùm huius temporis omnes priuatæ quoque ferię proprijs officijs locupletatæ, certisq; sint stationibus insignitæ, præter solum (quod est ante palmas) sabbatum, de quo etiam suo loco ratio quærẽda est: sola hæc dominica vacet, sed nec officium nisi aliunde mutuatũ habeat. Attamen ex narratione euangelica lectionẽ habet, illi iam dictæ captiuitati populi Dei verisimè consonantem. Nam quod significaue rat illa captiuatio, Nabuchodonozor plebẽ Dei tyrannicè de illa nobili Syon & templo Domini abstrahente, & barbarici stimuli imperio violenter fatigante, hoc idem significatur in Euãgelio præsentis dominicæ, dæmonio vexante filium Chananææ, scilicet humanas animas passionibus mali desiderij nequiter à diabolo cõflammari, & longo fune peccatorum ad miseram seruitutem voluntatis eius, mala consuetudine violenter trahi. Clamabat post dominum mulier Chananæa, interueniebat fides patriarcharum, meritumq; Danielis & sociorum eius, vt solueretur captiuitas Babyloniæ: clamat & nũc superna mater nostra Hierusalem, vt pœnitẽtibus detur peccato resistendi facultas. Epistolam quo-

4. Reg. 6. Ide rem. 52.

Daniel 3.

Cur dominica Reminiscere sacat proprio officio.

Euangeliũ.

Matth. 15.

Daniel. 9.

Epistola.

que habet de proprio, in qua cùm dicit Apostolus: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq; vestrũm vas suũ possidere in sanctificatione, & honore, &c. ad illius seruitutis effugium prouocamur, quę significata est (vt dictũ est) per hoc, quòd vasa domus Domini Babyloniæ captiuitate translata sunt & polluta: ita vt biberet in eis rex Babyloniæ, & optimates eius, vxores & concubinę eius: itẽq; significatur in Euãgelio per hoc, quòd filiam Chananæ, vas vtiq; creatoris spiritus immundus inuaserat. Cætera quamuis mutuata sint, & de feria quarta ieiunij sumpta, cũctis cõsonant sensibus his, quæ dicta sunt. Nam quod in introitu rogamus dominũ reminisci miserationum suarũ, ne vnquàm dominẽtur nobis inimici nostri. Et in collecta, vt à cunctis aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Et in gradualí rogãs ecclesia, vt de necessitatibus suis eruatur: Ad te, inquit, leuaui animam meam. Et in offerendæ versu: Miserere mei secũdum eloquium, itemq; in communione, intellige clamorem meũ. Hęc omnia clamoris sunt magnæ illius mulieris. scilicet Ecclesiæ matris, pro qualibet peccatrice anima, videlicet sua anima, post dominum clamantis iugiter. Quę ideo competenter de ieiunij die mutuata sunt, quia mali desiderij passiones, quę per dęmoniosam Chananææ filiã, itemq; per captiuatorem populi Dei Nabuchodonozor præsignatę sunt, non eijciuntur, nisi in oratione & ieiunio.

Daniel 3.

Mutuata huius officij cõueniũt Euangelio.

Psal. 24.

Ibidem.

Psal. 118.

Psal. 5.

Apoc. 12.

Matth. 17.

De Dominica tertia quadragesimæ. Caput XII.

Sexta ætas ecclesia sub Christo.

Euangeliũ.

Luc. 11.

Matth. 12.

POst illius captiuitatis mysticam commemorationem, qua vasa templi Domini sustulit rex Babylonis, typum, vt dictũ est, gerens diaboli, sequenti hac dominica, quæ sextam mundi ætatem significat, hoc Euangelium ponitur, quo fortis armatus custodiens atrium suum, fortiore superueniente, vasa vel arma, in quibus confidebat, amittere narratur, & immundus spiritus, qui exierat ab homine, quærens requiem. & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Sexta nanque mundi ætate veniens in hunc mundum filius Dei per incarnationis mysterium, & pugnans digito Dei, mutum eiecit dęmoniũ, & locutus est mutus, qui iuxta alium Euangelistam erat & surdus. Tunc etenim eiecto dęmonio audiuit surdus, & locutus est mutus, quando foras misso principe mundi, audiuit mũdus verba Dei, & locutus est laudẽ Dei. Sic direpta sunt vasa forti armato illi, scilicet diabolo, quæ transtulerat de ho-

Gen. 3. *4. Reg. 6. Ide Matth. 12.* *Immundus spiritus ac. 7. alios secũ septem spiritus nequiores se.*

de honore paradisi, velut suprà dictus Nabuchodonozor filios Israel, & vasa templi Domini ad cõtumelias Babylonis. Ecce autem immundus spiritus, qui exierat ab homine, videlicet à populo Iudaico, nunc iterum reuersus est in eum, assumptis secum septem alijs spiritibus nequioribus se, quia nunc deterius delinquunt Iudæi, in synagogis suis maledicẽtes Christum, quàm olim in Aegypto dijs alienis seruiẽtes. In huius ergo dominicæ officio dicit ad introitum gloriabũdus hic mutus, qui eiecto dæmonio loquitur: Oculi mei semper ad dominum, causamque reddit, quam audiuit à sanctis prædicatoribus, qui fuerat surdus, quia ipse, inquit, euellet de laqueo pedes meos, prosequitur facundia muti, cuius os sapientia aperuit, respice in me, & miserere mei, causamque nihilominus reddit satis oratoriã, qua Deum auditorẽ flectere posśit, & patronam efficere misericordiam, quoniam, inquiẽs, vnicus & pauper sum ego. Quodq; in collecta dicimus, atque defensionem nostrã, dextram tuæ maiestatis extende, inuocatio est eiusdem fortioris, qui, vt dictum est, forti armato superuenit. Vasa illa, quæ forti illi victo atque ligato direpta sunt, alloquitur in Epistola Paulus, fortioris iam dicti miles & adiutor egregius, vt sacro baptismate à priscis emundata sordibus, non iam rursus inquinentur, cũ dicit: Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, &c. Graduale: Exsurge domine, non præualeat homo, clamor est omnis vasis electi aduersus eundem fortem armatum, custodientem atrium suum, & in pace sua possidentem ante fortioris aduentũ. Tractus quoque: Ad te leuaui oculos meos, facunda vox est muti sæpe iam dicti, salutem suam ęternam eloquentissima prece deposcentis, eandemq; precem decenti similitudine perornantis. In offerenda prædicat idem mutus, iam eloquens iustitias domini rectas, quòd eiecto à se dęmonio, rursus ad illum hominem, à quo dudum exierat, scilicet ad populum Iudaicum, permissus sit reuerti, quia videlicet hoc in veritate iudicij Dei sit factũ: Iudicia, inquiens, dominí vera, pro sui verò oris apertione gratias agens: Et erunt vt cõplaceãt, inquit, eloquia oris mei, &c. In communione gratulatur idẽ de muto redditus oratõr, quòd tanquam passer inuenerit sibi domũ, & sicut turtur nidũ, scilicet altaria tua domine virtutum, id est, sanctam patriarcharum ecclesiam, vt cũ beatis, qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudet te. Huius autem officij prælibata ratio commendat, quod scriptum

Introitus. *Psal. 34.*

Collecta.

Luc. 11.

Epistola.

Eph. 5.

Graduale. Psal. 9.

Tractus. Psal. 122.

Offerenda.

Psal. 18.

Cõmunio.

Psal. 83.

est, statio ad sanctum Laurẽtium. Nam quorum nisi sanctorum martyrũ, & huius præcipuè prælijs hic, de quo dictum est, fortis armatus de atrio suo, quod Roma fuit) eiectus est? Dicit enim Prudentius: Iam Roma Christo dedita Laurentio victrix duce, ritum triumphas barbarum. Item qui suprà in persona eiusdem martyris: Discede adulter Iuppiter, stupro fororis oblite, Romam relinque liberam. Rectè ergo ad victoris militem, victum canimus sortem.

Statio ad S. Laurentium.

De Lætare Hierusalem & dominica media quadragesimæ. Cap XIII.

Septimaætas ecclesiæ in æterna beatitudine.

Apoc. 6.

Errãt ergà & in hoc Lutherani dum negãt animas sãctorum in cælo esse.

Galat. 4.

Esai. 66.

Dominica Lætare.

Rom. 11.

Euangeliũ.

Ioan. 6.

DOminica hæc ab ea, quæ septuagesima dicitur, septima est, sabbatum mundi, *Septimaætas ecclesiæ in æterna beatitudine.* est, requiem significans, in qua sanctorum & electorum animæ, depositо carnis onere, & velut post bella victores, depositis armis seriatæ lætantur, & nunc interim ijdem electi singulis stolis, id est, animæ beatitudine munerati resurrectionem, in qua binas stolas, scilicet tam animarum quàm corporum immortalem gloriam, recipient, præstolantur. Illic autem Hierusalem illa, quæ de sursum est, quæ libera est, quæ omniũ nostrum mater est, lætatur, & diem festum agens pro numerositate filiorum suorum, de huius seculi peregrinatione redeuntium, repositas effundit epulas, & lacteas ex vberibus suis exprimit maternæ consolationis delicias. Illic, inquam, pater antiquus Deus, nouusque sponsus, Dei filius, reduces filios cõsolatur, quẽadmodum per Prophetam promiserat dicens: Pueri eorum in humeris portabuntur, & super genua consolabuntur, quemadmodum mater consolatur filios suos, ita cõsolabor vos, & in Hierusalem consolabimini. In hac ergo dominica, quæ (vt dictum est) illius sabbati signum est, totum officium eiusdẽ requiei, eiusdẽ consolationis pconiũ est, quo cõmoneãtur nunc peregrinantes, illius tantę tamq; liberę matris filij præsentem tristitiã spe cõsolationis futuræ supergredi: vt sint iuxta Apostolum, spe gaudentes, in tribulatione patientes, qui in superna Hierusalẽ veberibus cõsolationis potãdi sunt. Primoque dicẽdum, quòd euãgelicum illud conuiuiũ, quo dominus de quinq; panibus, & duobus piscibus satiauit quinque millia hominum, pdictę significationi dominicę huius sub mystico sensu valde congruit. Significat enim (vt autoritas ecclesiastica tradit) vitale illud sanctarum scripturarum cõuiuium, quo de paucis Moysi, prophetarumq; libris crescẽte copia diuinæ benedictionis, inter ora comedentium, id est, inter studia tractantium, affatim reficitur mundus, quondã à scientia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei ieiunus, & affluẽtia dictorum sensuumque repletis armarijs, laesi atq; victi conuiuę abslstimus. Hoc autem conuiuium diuinæ cognitionis hic incipitur, perficietur verò in illius sabbati, de quo loquimur, perenni gloria. Nũc enim cognosco ex parte, ait Apostolus, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum, &c. Nam iuxta prophetam: iam non dicet vir fratri suo, cognosce dominũ: omnes enim à minimo vsq; ad maximũ cognoscent me, dicit dominus. Igitur illam diuinę cognitionis ac visionis abundantiã significat hæc, quæ de Euangelio recitatur hac dominica, sanctas hominum quinq. milium. Tunc Iesus, qui verè abijt trans mare Galilęæ, quia resurgens à mortuis oẽs amaritudines seculi turbulenti & inquieti transgressus est, sequentium se credentium turbam, omnes supernę Hierusalem filios iam grandes, iam ablactatos grandi saturabit conuiuio: cuius in typũ pater Abraham, ablactato filio liberæ vnico Isaac, grande cõuiuium fecisse legitur in die ablactationis eius. Igitur eiusmodi conuiuio manifestè cõsonat illa gratulabunda sancti Spiritus allocutio, prophetali ore prẽmissa: Lętare Hierusalem, &c. cõsolatio, de qua hic canitur: Et satiemini ab vberibus consolationis vestrę: ipsa est, quam in collecta subsequenti poscimus dicendo: vt qui ex merito nostræ iniquitatis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus: videlicet quando ambulantes peregrini post laborem captiuitatis huius sedebimus in illa Hierusalem cœlesti, dicentes, Facti sumus sicut consolati. Ipsa est consolatio libertatis, de qua itidem gratulamur in epistola, dicẽte Apostolo: Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrũm: ipsa eadem pax in virtute eius, & abundantia in turribus eius, de qua in graduali canimus: lætantes in his quæ dicta sunt nobis à sanctis Apostolis & doctoribus nostris, in domum domini ibimus. Ad quam cùm peruenerimus, complebitur, & quod in tractu dicitur: Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem: cũ ablata virga fuerit, id est, potestas peccatorũ, quam etsi ad tempus dimittit ad probationẽ, non relinquet dominus super sortẽ iustorum. In offertorio quoq; consolationis eiusdem beatificamus conuiuas, lętantes in epulis laudum ipsumq; conuiuij patrem benedicimus ex Syon, qui habitat in Hierusalẽ: vt ex presenti ecclesia, quæ dicitur Syon, id est, specula, in qua positi videmus nũc per speculum & in ænigmate, laudem, donum & benedictionem personare incipientes, perficiamus in ea, qua habitat ipse in cœlesti Hierusalem. Ipsa est, quę secundum communionis verum & mysticum sensum, necdum cõsummata est, & adhuc ædificatur vt ciuitas de viuis & electis lapidibus, in qua ascenderũt tribus, tribus domini, tribus nobiles, tribus regales, tribus sacerdotales. Ipsa quoq; ecclesia, ad quam statio presenti officio prescripta est, eandem ciuitatem Dei, cœlestem Hierusalem, nomine ipso designat. Dicitur enim & ipsa sancta Hierusalem, vt peregrinantib. in hoc seculo cœli ciuibus, non habentibus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirentibus, nomine ipso memoriam atq; desideriũ excitet eius ciuitatis, quã inquirunt, & à longè peregrini salutant. Differt autem huius stationis ratio ab ea, quæ est dominica aduentus domini secunda, quia videlicet illa futurę beatitudinis est annuntiatio, hæc quasi prę sentis contemplatio. Vnde & festiuius agimus, quia spei nostrę solennitas est. Lætatur Christiana plebs, & sicut in die solenni Christianus imperator coronatur, & ludis innocẽtibus futurę pacis otium, quo feriabimur in illius supernę matris sinu, meditari admonetur. Huius solennitatis amplitudinem, & hoc indicat, quod ad complendum duę collectæ Romani ordinis autoritate dicuntur: sicut & annuntiatione dominica duę nihilominus ad introitũ prescribuntur, vt quasi duplex officium pro dignitate solennitatũ huiuscemodi persoluisse videamur. Et ne quis illud obijciat, cur ergo in maximis solennitatibus natiuitatis ac resurrectionis dominicę, cæterisq; præcipuis festis, nihil tale obseruatur? Illud dicendum est, nihil hac duplicatione in illis solennitatibus opus esse, quia per octauas producuntur, nec ad earum rationẽ vnius diei coangustantur obseruantia. Post septem dominicarum ordinatissimam dispositionem, quibus (vt dictum est) septem ætates mundi figurantur, quę omnes passione domini redemptæ, & sanguine eius respersæ sunt, ipsi° dominicæ passionis inchoatur celebratio, & quasi longa funeris põpa præmissa, sequitur ipsa salutis nostrę victima, nostrarũ mentium ingerens oculis ea, quæ nostri causa pertulit vulnera. Inchoatur autem à catechumenis nostris, scilicet feria quarta, quando celebramus scrutinia. Quæ quam habeãt rationem, vel cur ea potius die celebrentur, posterius (pro vt dominus dederit) dicemus. Nunc ne officia feriarum quadragesimæ omnino intacta relinquantur, concordiam Euãgeliorum atq; epistolarum tantum spiritus sancti luce præeunte contemplemur, quæ tãta est, tamq; vtilis, vt absq; consideratione nullatenus debeat præteriri. Nã cætera prosequi

Diuina cognitionis cõmunium.

1 Cor. 13.

Hierem. 31.

Gen. 21.

Introitus.

Esa. 61.

Collecta.

Psal. 125.

Epistola. Galat. 4.

Graduale. Psal. 121.

Tractus. Psal. 124.

Offertorium.

Psal. 134.

1. Cor. 13.

Communio.

Psal. 121.

Statio ad S. Hierusalẽ.

Hebr. 13.

Festiuitas huius dominicæ.

Esa. 60.

sequi nimis longum est atq; fastidiosum, præsertim cùm his perspectis, illa quoque per se quærentibus satis clarescere possint.

De Euangelijs & Epistolis feriarum quadragesimæ, in quibus sibi concordent.

Caput XIIII.

Matth. 25. SEcunda feria primę hebdomadę hoc Euangelium legitur, quo filius hominis venturus in maiestate sua, ore suo declaratur, congregatasque ante se omnes gentes separaturus, sicut pastor separat oues ab hœdis, & statuet, inquit, oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris, &c. Hoc nimirum sermo propheticus Euangelij præcursor, iuxta eũdem sensum præuenit, dicente domino: Ecce ego

Ezech. 34. ipse requirã oues meas, & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suũ, &c. Educã eas, inquit, de gentib. videlicet sicut pastor segregat oues ab hœdis, in pascuis huberrimis pascam eas. Quæ profectò non sunt alia quàm regnum, de quo ait: Venite benedicti, &c.

Matth. 21. FEria tertia in Euangelio eiectis his, qui vendebant & emebant in templo, cùm calumniantibus & interrogantibus pharisęis respondisset dominus: & relictis illis, inquit Euangelista, abijt foras extra ciuitatẽ in Bethaniam, ibiq; mansit. Hoc autem, vt ait beatus Hieronymus, præfigurabat illud, quod

Hieronym. illos ob incredulitatem relicturus, & ad gentium salutem esset migraturus, quæ per Bethaniam, id est, domum obedientiæ designãtur, ideo quia verbo Dei obedientes factæ

Psal. 17. sunt, iuxta illud. Populus, quẽ nõ cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Benè ergo in lectione prophetica præmittitur: quærite dominum, dum inueniri potest,

Esai. 55. inuocate eum, dum prope est, & cetera, quæ sequuntur, ad quærendum dominum idonea, & inuentionem eius efficientia. Nã cùm hæc diceret propheta, profectò futurum prę uidebat tempus, quãdo à Iudæis inueniri nõ posset, & ad gentes transiens, tanquam ad domum obedientiæ, illis inobedientibus iam propè non esset.

Matth. 12. FEria quarta, duplicata solennitate ieiunij legitur Euangelium, quo spiritus immũdus egressus ab homine, ambulãs per loca inaquosa, quęrere requiẽ & non inuenire asseritur: quia procul dubiò, iuxta beatũ Iob, magis cubat in locis humentibus, dum exiccata

Iob. 38. ieiunijs fastidit corpora. Huic doctrinæ Euangelicæ præmittũtur exempla Moysi & He-

Exod. 24. liæ, quorum vterque in singulis lectionibus, quadraginta diebus & quadraginta noctibus

3. Reg. 19. ieiunasse perhibetur.

Iohan. 8. FEria quinta, Iudæos in Euangelio gloriantes & dicentes: Pater noster Abrahã est, conuincit dominus, eò quod opera Abrahæ non faciant: & concludit, quod potius ex patre diabolo sunt, faciendo opera diaboli, & quærendo eum interficere, quod Abrahã non fecit: vel (vt quibusdam hac die legere moris est) diues cruciatus apud inferos, patremq; vocans Abraham, & deprecans eum, non exauditur vt filius. Ad hoc manifestè spectat illud propheticum, quod in epistola præmittitur: quia vir iustus si genuerit filiũ latronem, effundẽtem sanguinẽ, & vniuersa detestanda facientem, ipse quidem in iustitia sua viuet, filius autem eius, qui operatus est iniquitatem, morte morietur.

Luce. 16.

Iohan. 8.

Ezech. 18.

FEria sexta significatur in Euangelio baptismi gratia, qua renouatur sicut aquilę iuuentus animæ, & redimitur de interitu vita eius, & coronatur in misericordia & miserationibus. Angelus enim, qui descẽdebat in piscinã, significabat Christũ magni cõlilij angelũ, ipsa autem piscinæ aqua, quæ mouebatur, populum Iudaicum, qui motus est seditionibus, descendente in illum eodem magni consilij angelo per assumptionem carnis, & ita motus aquæ turbatus est, vt illum crucifigeret. Ille vnus, qui descendebat in aquã, & sanabatur, vnam sanctam Ecclesiã Catholicam, quæ descendens in baptismum Christi, sanatur ab infirmitatibus, figurabat: Qui autem triginta octo annos iacuerat, vniuersitatem eorum, qui grauibus sceleribus languentes, & ipsi nihilominus per fidem Christi sanantur. Hoc autem Iudæi velut iniquum reprehendunt: semper enim gentium salutem oderunt. Benè ergo lectio prophetica præmittitur, in qua dicente domino: si auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iudiciũ, &c. in quacunq; die ingemuerit, saluus erit, murmurant & dicunt: Non est æqua via domini. Non autem perfunctoriè, si quis ingemuerit, sed si ad baptismum Christi peccator ingemiscens conuolauerit, statim saluus erit, quia oẽs præteritæ eius iniustitiæ non recordabuntur. Priuata verò pœnitentia laboriosa est, nec inter labores pœnitentem adeo securum reddit de venia.

Psal. 102.

Esa. 9.

Ezech. 3.

SAbbato sacerdotibus ordinatis, & cæteris altaris Christi ministris, hoc Euangelium cõpetẽter legitur: Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannẽ, & duxit eos in montem, & transfiguratus est ante eos. Sacerdotes enim & cęteri altaris ministri, dũ ad tantum ministerium promouentur, quasi in montem altissimum cum domino ascendũt, vt reuelata facie speculãdam eius gloriã speculentur, & intelligant, quid cum ipso vel de ipso Moyses & Helias, id est, lex & Prophetæ

Matth. 18.

2. Cor. 3.

1. Petri 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tæ loquantur,&populo inferiori annunciẽt, & cũ fide Christi Legalem moralitatẽ Propheticamq; doctrinam habentes, parati sint reddere rationem omni poscenti. Aptè igitur illa præmittitur Apostoli lectio,quâ dicit:rogamus vos fratres corripite inquietos, cõsolamini pusillanimes, &c. Ipsorũ est em hoc officium, qui ad hoc vt pastores animarum sint, ordinati sunt. 1. Thessa. 5.

De ferijs secundæ hebdomadæ.

Caput XV.

HEbdomadæ secundæ feria secunda illa legitur euangelij lectio, qua Iudæis comminatur dominus, se ab illis propter perfidiam ipsorum recessurum, dicens: Ego vado &quęretis me,& in peccato vestro moriemini:Quod vtiq; dicendo, ad gentes migraturum se esse significabat. Vnde & illi quasi diuinantes dicunt:Nunquid in dispersionem gentium iturus est,& docturus gentes? Huic sanè Euangelio congruit prophetica Danielis,quę prẽmittitur,oratio,qua furorem & iram domini ab eodem postulat auferri.Hunc enim furorem & hanc iram maximè lachrymosa Prophetæ deplorat conquestio. Iohan.8. Iohan. 7. Danielis 9.

FEria tertia dominus in Euangelio culpans scribas & Pharisæos,quòd sedentes super cathedram Moysi, vanè sibi magisterium arrogẽt,dicendo & nõ faciendo:& quod amẽt salutationes in foro,& vocari ab hominibus Rabbi, tandẽ eos percutit,dicens:Omnis qui se exaltat,humiliabitur: Videlicet qa superbi illi,à magisterio scientiæ Dei remouendi,& humiles magistri ecclesię de gentib. cathedrã illorum erant accepturi. Quod per illã viduam Sareptanam, de qua in præmissa narratur lectione, pręsignatũ est: ad quã ex pręcepto domini perrexit Helias, cũ multæ viduæ essent in Israel.Sic enim ecclesia de gẽtibus,legis prophetarumq; doctrinã missam sibi à Deo,fidei hospitio susćepit,remanente apud synagogam siccitate & sterilitate: quia sicut alibi comminatus fuerat dominus illi, mandauerat nubibus suis, scilicet gratiæ suę prędicatoribus sanctis, ne pluerent super eã imbrem,atq; ita hæc se humilians à Christo, dum colligit duo ligna crucis,vt faceret sibi subcinericium panem,panẽ pœnitentiæ, exaltata est,non deficiẽte apud eam hydria farinæ,nec imminuto lecytho olei, id est, perseuerante scientia legis,pariter &gratia Euãgelij. Illa aũt se exaltans humiliata sit, adeo vt nec legis farinam molitores eius pharisæi molere sciant, nec oleum Euangelij in phylacterijs suis & magnificis fimbrijs ambulantes, inuenire queant. 5. Reg. 17. 3. Reg. 17. Esai. 5. Matth. 23.

FEria quarta illa Euãgelij lectio ponitur, qua dominus consilium suum discipulis suis secretò reuelat, dicẽs: Ecce ascendimus Hierosolymã, & filius hominis tradetur ad crucifigendum,&c. Per hęc autem diabolus, hostis noster & inimicus capiendus & iudicã dus erat. Benè ergo illa lectio præmittitur, qua Hester aduersus Aman,Dei implorat auxilium. Aman quippe diaboli typum gessit, in eo,quod adorari affectans, populum Dei morti tradere voluit, & Mardochęo crucem parauit. Qui sicut in eandem crucem, quam parauerat, actus est, ita diabolũ Christus, vt ait Apostolus, palàm traduxit confidenter in semetipso & ipsum chirographum tulit de medio affigens illud cruci. Hoc ergo sola commẽdatur oratio Hester,quia totam narrare historiam,quæ,vt dictum est,dominicę passionis typus est,nimis longum & onerosum fuisset.Nobis quoq; diabolum vincendum,non nisi per passionis eiusdem communicationem,ex occasione duorum Zebedæi filiorum insinuat. Matth. 20. Hester. 13. Coloss. 2.

FEria quinta dominus in Euangelio sui exemplo docet,non in hominum,sed in solius Dei cõfidendum esse testimonio,dum dicit, loquens secũdum fragilitatem carnis: Et si ego testimonium perhibeo de me, testimoniũ meũ verum est: Alius est qui testimoniũ perhibet de me. Et subiũgit. Et testimonium perhibet de me,qui misit me pater. Vos, inquit, misistis ad Iohannem, & ille testimonium perhibuit veritati: Ego autem habeo testimonium maius Iohanne. Itemq;: Ego testimonium ab hominibus nõ accipio. His proculdubiò consonat, quæ præmissa est prophetica lectio de Hieremia,in hęc verba: Maledictus vir,qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium suum,vt à Deo recedat cor eius, erit enim quasi miricę in deserto. Et post pauca: Benedictus vir,qui confidit in domino,&c. Iohan.10. Hier.17.

FEria sexta legitur illa parabola,quam dixit dominus ad pharisæos malos,& malè perdendos diuinæ legis agricolas, eo quod missum à se vnicum filium patris familias,id est,seipsum,quem vereri debuerant,occidere deliberabant,dicentes: Hic est hæres,veni te occidamus eum, & nostra erit hæreditas, quibus iccirco auferendum erat regnũ Dei, & dandum genti,facienti fructus eius. Huic parabolę profectò illa de libro Geneseos,quę præmissa est lectio,pulcherrimè congruit,in qua missum ad se Ioseph videntes fratres à longè loquebãtur mutuò dicẽtes: Ecce somniator venit, venite occidamus eũ, & videamus,quid illi prosint somnia sua. Ioseph nãque in Matth.21. Gen.17.

que in eo, quod vẽditus & in carcere missus est,ipsius domini typum gessit,qui venditus & morti traditus ac sepultus est,& sic eiectus de vinea sua,tanquam lapis inutilis ab ædificantibus reprobatus,cum regno Dei ad gentes facientes fructus eius transmigrauit,quẽadmodum Ioseph à suis venditus & eiectus, Aegyptios pauit. Luc.15.

SAbbato tam in Euangelio, quàm in Epistola duorum populorum Iudaici atque gentilis continetur figura,quorũ prior quantum ad vnius Dei cultum, scilicet, Iudaicus, minoris,id est, gentilis populi pœnitentiam pio patre suscipiẽte, inuidia torquetur foris stans,quem gaudere oportuerat, quia frater suus mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est:quia sicut eadem die cantamus, lex domini irreprehensibilis cõuertens animas, & sapientiam præstans paruulis. Benè itaque consonat Euangelio prærcurrens Epistola,cũ illic iuniore fratre epulante cum patre,maior foris remanet in agro:Hic Esau,Iacob fratre suo offerente epulas,& ad benedictionẽ festinãte, cõsilio matris suæ Rebeccæ (quę Spiritum sanctũ significat) foris in venationibus occupatus tardat. Terrenis enim sensibus & carnalibus obseruationibus detẽtus populus Iudaicus, spiritalẽ amittit gratiã. Psal.2. Gene.27.

De Ferijs tertiæ hebdomadæ.

Caput XVI

HEbdomadę tertiæ feria secũda præsignat in Euangelio dominus se in patria sua, scilicet in Iudæa honorem non habiturum, & ad gentes, vbi honoretur, transiturum,dum dicentibus Pharisæis: quanta audiuimus de te facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua,respõdet: Amẽ dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua:iterumq́ue cum terribili illo ac venerabili iuramento suo per simile, non tantum omninò expresse docet, illis posthabitis, gentes potius à peccatis suis esse curandas, in veritate,inquiens, dico vobis,multæ viduæ erant in Israel in diebus Heliæ, & ad nullam illarũ missus est Helias,nisi in Sarepta Sydoniorum:& multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta,& nemo illorũ mundatus est,nisi Naaman Syrus. Amplius autem in eo, quod surrexerunt & eiecerunt illũ extra ciuitatem,& duxerunt illum in supercilium mõtis, supra quem ciuitas illorũ posita erat, vt præcipitarent eum, significatur ab illis transitura salus, dum dicitur: Iesus autẽ transiens per medium illorum ibat. Cùm enim illũ Iudęi crucifigentes in profundum obliuionis præcipitare vellent,ipse aduersus & per medium illorum transiens,iuit ad gentium populos pedibus suis, pedibus speciosis,id est, prædicatoribus sanctis. Benè ergo huic Euangelio præmittitur lectio illa de Naamã Syro. Helisæus Christum,leprosus Naaman gentilem populũ significat, immundum & idololatrã. Quòd non ipse Helisæus exiuit ad illum foras,sed mãdauit illi dicens: Vade & lauare in Iordane septies,& mundaberis: hoc prophetiẽ innuit,quod factum est,quia per semetipsum Christus non prædicauit gentibus,sed mittens præcipit eos baptizari: Euntes,inquit,docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Septies aũt lauatur leprosus, quia in baptismo propria est operatio septiformis Spiritus sancti,ex quo & renascimur & remissionẽ peccatorum accipientes, noui restituimur. 4. Reg. 5. Matt. 28.

FEria tertia in Euangelio commendatur lucidum opus misericordiæ, dicente domino:Si peccauerit in te,id est,te sciente,frater tuus,vade, corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Et quia vbi duo consentiunt,scilicet corrector & auditor,neq; opus est,vt alium adhibeas, neque Ecclesiæ dicas, eo quẽ corripis inter te & ipsum solum, sponte audiente:quia,inquam, tunc parata venia cõfestim impetratur à domino. Amen,inquit,dico vobis,si duo ex vobis cõsenserint,ex omni re quãcũq; petierint, fiet illis à patre meo, & quia de impetratiõe veniæ dixerit, hoc testatur ipse,dum præmittit: Amen dico vobis, quia quæcũque alligaueritis super terram,alligata erunt & in cœlo:& quæcunq; solueritis super terram,soluta erunt & in cælo. Terminatur autem sic: Domine, quoties peccabit in me frater meus,& dimittam ei? Vsque septies? Et dicit illi Iesus, Non dico tibi Petre vsq; septies, sed vsque septuagies septies. Ad hæc pulchrè lectio,quæ præmissa est,cõcinit: Mulier nanque, quæ clamat ad Helisæum pro duobus filijs,quos creditor in seruitutẽ tollere cõtendit,ipsa est Ecclesia, quæ pro filiorum peccatis,quos in baptismate genuit,solicita est,ne exactor diabolus pro nũmo malæ voluptatis, quem illis credidit, debitores trahat in damnationẽ perpetuę mortis. Cui verus Helisæus,scilicet Christ⁹, præcepit oleũ infundere vasis, ostio clauso: quia peccatoribus priuata correptione cõuentis, præcipit remissionẽ & absolutionem indulgeri,data potestate ligandi,atq; soluẽdi, sicut in Euangelio iam dicto promisit, & veritate interposita,id est amen, promissionem confirmauit. Clauso ergo ostio vasis infusis redundat oleum, quia per priuatam correctionem pœnitentibus confestim venia peccatorum affluit. Cùm autem quis secretò correptus 4. Reg. 4. Luc.9. 3. Reg. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reptus inter te & ipsum solum non audierit, postquàm Ecclesiæ dictum fuerit, non tam facilis indulgentiæ leniendus erit oleo, sed congruè pœnitentiæ secandus cauterio.

Matth.15. FEria quarta calumniantibus Pharisæis, quòd discipuli domini trâsgrederentur traditiones seniorum, non lauando manus suas, dum panẽ manducarent, redarguit eos dominus, & criminationis spiculũ retorquet in autores: quare, inquiens, vos trâsgredimini traditiones Dei, propter traditiones hominũ? Nam Deus dicit: Honora patrem tuum & matrem tuam: Vos autẽ dicitis, Quicunq; dixerit patri suo aut matri, munus, quodcunque est ex me, tibi proderit, &c. Docuerat enim auaritia pharisæorum iuuenes, quorũ laqueus omnes facti erant, vt iniussu parentum, imo prę repta parentibus donaria deferentes ad tẽplum, reclamantibus parentibus se hoc pacto inhonorari à filijs, cùm Deus dicat, honora patrem tuum & matrem tuam, illud obijcerent, imo hoc pacto honoramus patrem. Nam Deus pater noster est, ad cuius hæc deferimus templum, & quod illi offerimus filij. vobis parentibus proderit. Hæc & huiusmodi culpat dominus in traditionibus hominum, quas traditionibus Dei præferebant, simulq; edocet, quòd sola transgressio mandatorũ Dei coinquinet hominem. Benè ergo in lectione libri exodi ipsa Dei mandata pręferuntur: Honora patrẽ tuum & matrem tuam, &c. De quibus in Euangelio cõuincuntur hypocritæ, foris nitidi obseruando traditiones hominum, intus autem coinquinati trãgrediendo traditiones Dei, quia non quod intrat in os, sed quod exit de corde, coinquinat hominem.

Exod. 20.

Iohan. 6. FEria quinta venientes ad se turbas, vt secum facerent regem, quia manducauerant de panibus eius, & saturati fuerant, hortatur dominus: Operamini, inquiens, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitã æternam, &c. Dixerat autem eis: Amen dico vobis, venistis ad me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus & saturati estis. In quo sacerdotũ quoq; turbã percutit, qui turmatim veniunt ad altare domini, non quia delectat eos contemplari mysteria, quę illic commemorantur incarnationis, natiuitatis, passionis, resurrectionis & ascensionis domini nostri Iesu Christi, sed quia mãducant de panibus eius & saturantur, videlicet de decimis & oblationibus fidelium, sola quærẽtes stipendia corporis. Quapropter illa cõgruè lectio pręmittitur, qua Hieremiæ dicitur à domino, Sta in porta domus domini, & prędica ibi verbum istud, &c. Sic enim & illi, qui pompaticè ingrediebãtur portas domus domini, & cupiditates suas pascentes applaudebant sibimet, dicendo templum domini, templum domini, templũ domini est, magis per illud prædas agere de populo, quàm (secundum quod in eadem lectione iubetur) bonas facere vias suas, & benè dirigere studentes.

Hierem. 7.

Iohan. 4.

FEria sexta legitur in Euãgelio, dominus Iesus fatigatus ex itinere hora sexta sedisse super puteum, loquensq; cum muliere Samaritana, quæ venerat haurire aquã. Si scires, inquit, donũ Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam, &c. Notũ atque celebre est fidei sanctæ Ecclesiæ lectiõis huius mysterium, videlicet dominũ nostrũ Christum ex itinere, quo ad nostram salutẽ venit, fatigatum vsque ad mortem, mortem autem crucis, sedisse super puteum, id est, mũdanæ sapientiæ exuperasse profundum: mulieremq; Samaritanam, id est, Ecclesiam alienigenam, quæ de profundis, imo obscuris philosophorum doctrinis mortuam aquã haurire consueuerat, de qua sitientem animam, vt nõ sitiret iterum, satiare nõ poterat, didicisse, quia qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ipse dederit, id est, de spiritu sancto, non sitiet vnquam, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Huic Euangelio valde cõgruit præmissa lectio, in qua congregatis filijs Israël aduersus Moysen atque dicẽtibus, Da nobis aquam, iubente domino ducit eos ad aquã, ad petram Oreb, & quanquam diffidens, percutit virga bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Moyses nãq; significat hac in re Iudaicum populum incredulum, populus sitiens, humani generis expectationem, petra Christum. Percussit bis silicem virga Moyses, id est, Iudaicus populus duobus lignis crucis appendit Christum, & egressæ sunt aquæ largissimæ, aquæ viuæ, quas in Euangelio suprà dicto se habere indicat dominꝰ mulieri Samaritanæ. Aqua hæc Spiritus sanctus est, qui tunc datus est, quando petra Christus virga crucis percussus, imo post percussionem resurrectione atque ascensione glorificatus est.

Philip. 2.

Numer. 20.

Iohan. 8. SAbbato mulierem in adulterio deprehẽsam legimus in Euangelio, & adductam ad dominum Iesum à scribis & Pharisæis tentantibus, ficamq; latrocinij sui ancipitem occultantibus, vt quicquid respondisset, calumniantes criminarẽtur, id est, si vt misericors dimittendam diceret, accusaretur iniustus, & legis aduersarius, si puniẽdam, velut immisericors infamaretur. Quibus ita obuiauit mansuetudo cum iustitia, vt cedentibus accusatoribus, quippe quos sua subtraxerat conscientia, soli duo remanerent misera & misericordia. Huic Euangelio illa, quæ præmittitur, Danielis lectio congruit: quamuis (vt ait beatus Hieronymus) in Hebraico non habeatur, qua legitur Susanna à falsa criminatione adulterij Dei auxilio liberata. Nam hæc per misericordiam, illa lapidationem euasit per iustitiam. Atque ita in eiusdem diei officio quodammodo misericordia & veritas obuiant sibi paribus in personis, eodemque præsidio pietatis, quamuis disparibus causis.

Daniel. 13.

Psal. 84.

De Ferijs quartæ hebdomadæ.
Caput XVII.

QVartæ hebdomadæ secunda feria in Euangelio pharisæis interrogantibus ac dicentibus: In qua potestate hæc facis, & quod signum tu ostendis nobis, cùm respondisset Dominus: soluite templum hoc, & post triduum excitabo illud: quod de templo dicebat corporis sui, paulò pòst Euangelista subiungit: Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes: & quia non erat ei opus, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. Huic Euangelio rectè præmittitur illa lectio de duabus meretricibus, quæ coram Salomone de viuente filio contenderunt: quarum alteri, quę dixit, nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur, non credidit infantem viuum sapientissimus Salomon. Nam illæ mulieres synagogæ atq; Ecclesię typũ gesserunt, infans autem Christi, quem synagoga vtero fidei nec concepit, nec peperit, imo & desiderabat occidi, & adhuc memoriam eius cuperet extingui, vt nec apud se, nec apud Ecclesiam gentium viueret. Benè ergo verus & verè sapientissimus Salomon (vt ait Euangelista) non credebat semetipsum Iudęis, tẽdens ad Ecclesiam de gentibus, & quodammodo dicens Apostolis suis: Date huic infantem viuum, hæc est enim mater eius.

Iohan. 2.

3. Reg. 3.

FEria tertia loquens dominus ad Iudæos, & arguens homicidas atq; impios, Moysen, cui quondam oranti pro illis, quando fecerunt vitulum in Oreb, dixerat: Dimisi secundum verbum tuum, veruntamen in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum: Moysen, inquam, hactenus orantem pro ipsis iratus remouet dicendo. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Remouet enim quẽ ad illos non pertinere omnimodò, præuaricatione eos sepa-

Iohan. 2.

Exod. 32.

Iohan. 7.

rante, ostendit: Statimq; Moyse intercessore remoto, de crimine reos conuincit: Quid me, inquit, quæritis interficere? At illi suo more insanientes dicunt: Dęmonium habes, quis te quærit interficere? Ipse verò Moysen, quem perdebant, tertiò commemorans, magis ac magis reos conuincit. Benè ergo ipsa præmittitur lectio, qua Moysi dicitur: Descende de monte, peccauit populus tuus quem eduxisti de Aegypto. Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis, & fecerunt sibi vitulum conflatilem. Et dicente domino: Permitte me, vt deleã eos, sequitur: Moyses aũt orabat dominum Deum suum, dicens: Cur Domine irasceris in populo tuo, &c. Hæc oratio Moysi valuit pro illis, donec veniret hoc tempus, quo tantum facturi erant homicidium, crucifigendo Dei filium, qui núc ait illis, quid me quæritis interficere? Propter quod iam núc remouendus erat Moyses intercessor, sicut tunc placatus dixerat illi: Dimisi iuxta verbum tuum: Veruntamẽ in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.

Exod. 32.

De Feria quarta scrutiniorum.
Caput XVIII.

FEria quarta sacramenta, quæ nouæ Ecclesiæ propria sunt, inchoantur: quibus sacrosancta redemptoris nostri passio, venerabili ritu sanctæ Ecclesiæ in filijs adoptionis sanctam nouitatem spiritus operando figuratur. Hac enim die catechumeni nostri ex antiqua traditione sanctæ Romanę Ecclesię signantur, vt sacrosancta solennitate nostræ redemptionis ex aqua & Spiritu sancto renascantur, Christo in baptismate commorientes, & cõresurgentes, iuxta Apostolum, qui ait: Quicũq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cũ illo per baptismum in mortem: vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Moris quippe erat olim in sancta Ecclesia, non alio tempore regenerationis huius celebrari sacramentum, nisi in his, quibus forte superueniente infirmitate vel ęgritudine, mortis immineret periculum. Cuncta penè Ecclesiæ proles, quam per annum verbo prædicationis nouam gignere poterat instante solennitate paschali, hac die sua nomina dabat, & per sequentes dies vsque ad ipsam paschę solennitatem, audiens quisq; regulam fidei, vnde & catechumenus dicitur (catechumenus nanq; auditor interpretatur) lactatus & grandescens, tandẽ in plenitudine temporis, postquàm luna plena est, plena fide in solennitate sancti baptisterij symbolum reddens, Christo commo-

Iohan. 3.

Rom. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

riebatur & conresurgebat. At postquàm Christianitas creuit, & sagena illa verbi Dei piscibus impleta est, quia periculosum erat tantam multitudinem differre propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominũ multæ sunt, maximè propter turbam infantum, ex Christianis parentibus succrescentium, quorum tenera vita persæpè leui occasione succiditur: Visum est sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentia baptizandi concessa, imò oblata, cuncta anteuenire pericula, baptismi tamen solennitatem vel in paucis cum domi nica resurrectione, cui similis est, celebrare. Quarta ergo feria nouæ ecclesiæ celebrantur initia, quæ appellantur scrutinia. Scrutinia verò dicuntur à scrutãdo, videlicet quia perscrutãdum erat in his qui accedebant, ne qua radix amaritudinis subesset, velut fuit
Actor. 8. in Simone Mago, in hæreticis & hæresiarchis quàm plurimis, vt sancta non illis darentur, nisi prius Christiana fides in mentibus eorum radices altas fixisset. Cur autem hac potissimum die celebrentur, vel quod subsequentium vsq; ad passionis dominicæ diem numerus dierum mysterium contineat, iam dicendum est.

Cur quarta feria fiant scrutinia.
Caput XIX.

IGcirco quarta feria potius, quàm quinta vel sexta maximum scrutinium celebratur, vt ieiunantes, & vasa sua susciendæ gratiæ præparantes, quindecim dies ieiunij, vsq; ad diem quo dominus est crucifixus, habeãt, quia quintadecima luna dominus noster, verus agnus, immolat⁹ est. Quod à magno mysterio nõ vacat. Luna nanq; paschalis, de qua dominus ait ad Moysen: Mensis iste principium vobis mensium, primus erit in mensi-
Exod. 12. Leuit. 23. bus anni. Decima die mensis huius tollet vnusquisq; vestrũm agnum, & seruabitis eum vsq; ad quartumdecimum diẽ. Luna, inquã, hæc paschalis (lunares enim solos menses nouerunt & computant Hebræi) sanctam Ecclesiam significat, ab eodem vero sole illuminatam, quæ in plenitudine fidei passionem eius susciens, commoritur illi & consepelitur in sacramento baptismatis. Igitur quoties Ecclesiæ noua soboles ad commoriendum Christo præparatur, vt numerus dierũ præparationis eius, id est, arctioris ieiunij ætati lunę, quę illam significat, exæquetur, feria quarta scrutinia celebrantur. Nam si sexta feria potius celebrarentur (quæ quintadecima est die dominicæ crucis) non nisi tredecim ieiunij dies eorum præparationi restarent. Duę nanq; dominicę intercurrunt. Dominicis autem diebus ieiunare non licet. Igitur dum quarta feria scrutinia celebrantur, & sequentes quindecim dies ieiunijs atque doctrinæ fidei expenduntur, noua Ecclesia, pulchra, vt luna, ad plenitudinẽ proficit, vt crucifixo plena luna Christo commoriens & conresurgens, illi in baptismo copuletur.

Quòd hoc scrutinium præcipuum sit septem scrutiniorum.
Cap. XX.

SCiendum autem hoc non solum agi antiqui moris fuisse scrutinium, sed omniũ esse præcipuum. Nam iuxta ordinem Romanum, vsque in sabbatum sanctum in vigilia paschæ, septem agebantur scrutinia, vt dum septenario numero implerentur catechumeni, daretur illis gratia septiformis Spiritus sancti. Quorum primum erat tertia quadragesimæ hebdomada, feria secunda, qua magnum huius diei, scilicet quartæ feriæ scrutinium sic erat ad catechumenos pronunciandum. Scrutinij diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri diuinitus instruãtur, imminere cognoscite, ibidemq; solicita deuotione sequẽti quarta feria, circa horam tertiam conuenire dignemini, vt cęleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa destruitur, & ianua regni cœlestis aperitur, inculpabili ministerio peragere valeamus. Item feria quarta, finitis Missarũ solẽnijs, annunciabat presbyter, vt in ipsa hebdomada reuerterẽtur ad scrutinium, ita dicendo: Die sabbati veniente, colligite vos temperius ad Ecclesiã illam. Iterum atq; iterum annunciabat presbyter, qualem diem voluisset, ita dicendo: Illa feria veniente, colligite vos temperius ad Ecclesiam illam, donec septem, vt dictum est, scrutinia complerentur.

De Officio eiusdem quartæ feriæ.
Caput XXI.

IAm verò hac feria, quàm sanctum, quàm pium, quàm mysticum, secundum ea quę dicta sunt, sequitur Missę officium: Primùm *Ioan. 9.* in Euangelio, quod, vt sæpè dictum est, totius officij principale est, catechismi simul atque baptismi sacramẽtum, speciosè à speciosо nostræ salutis opifice Dei filio præfiguratum est. Homo em cęcus à natiuitate, genus significat humanũ, magnũ vtiq; cęcũ, & valde cęcũ, qui pulchros oculos ad videdum creatorem, menti (vbi fulget imago factoris) inditos, in primo parente, principem tenebrarum respiciẽte, perdidit: atq; ideo per hominem à natiuitate cęcum, cõgruè significatur. Cui reuocato ad veritatis lumen, dum prędicatur à ministris Christi incarnatio ipsius filij Dei, cæteraq; mysteria, quæ in carne pro nostra salute gesit, lutum ipse facit ex ipso sputo,

sputo, & linit super oculos cæci. Sputum enim oris & labiorum eius, in quibus gratia diffusa est. Sputũ, inquam, quod à capite descendit, significat diuinitatẽ Christi filij Dei,
Psal. 44. verbũ bonũ, quod eructauit cor patris, qui,
1. Cor. 11. vt ait Apostolus, Christi caput est. Expuit nãque caput Deus in terram, & sputũ suum puluerì, quem omnis ventus agitabat & circum ferebat, vniuit, quãdo verbum suũ eructauit cor eius in terrenum vterum virginis, & puluerì nostræ naturę in vnam personam cõiunxit, vt à tali tantoq; sputo tantillus puluis formam stabilem, speciemq; atque decorem accipiẽs, conseruaretur. Igitur dũ huius incarnationis fides humano generi prædicatur, magni cæci, vt dictũ est, oculi luto, quod fecit dominus, linuntur. Cùm autem ita catechizatus idem cæcus ad sacros fontes peruenit, & lauatur fonte visibili, purificaturq; virtute inuisibili, hoc vtique agit, quod do-
Ioan. 9. minus imperauit. Vade ad natatoriã Syloe, & laua. Fons nãque visibilis, inuocata virtute Spiritus sancti, factus est natatoria Syloe, id est, missi, quem ascendens ad patrẽ, missurum se esse dixit, & misit discipulis suis, filius Dei. Ille (inquam) missus in natatoriam suã descendit, & illitos oculos fide Christi, sua remissione lauat à peccatis, illuminat agnitione Dei. Ab hoc quasi capite vniuersa mem-
Ezech. 36. bra pendent officij. Primum in introitu, vox prophetica, dũ sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris, & effundam super vos aquam mundam, &c. Sanctificatur enim dominus in catechumenis, dum
Leuit. 20, 21 audiunt, & credunt quia sanctus est, & ideo effusa super se aqua mũda, id est, Spiritu sancto, per quem hęc visibilis aqua mundatur & mundificat, emũdati ab omnibus inquinamẽtis suis, sic deinceps viuũt, vt testimonio sint ei, quòd sanctus sit, cuius præcepto & ipsi sancti sunt. Hoc in vtraque lectione diuersis verbis, sed eodẽ sensu reperitur. Nã in prima, quæ est Ezechielis prophetæ, idẽ, quod in introitu cãtatum est, legitur, & additur. Et au-
Ezech. 36. feram cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, &c. Cor nanq; carneũ, id est, molle ac tenerum, & facilè cedens nouam legẽ scribenti digito Dei, habẽt catechumeni nostri, dum inscriptam sibi capiunt doctrinã fidei, quã non capiũt, quæ confringuntur lapidea corda Iudæorum, quorũ in typum cõfractę sunt priores tabulæ, quas præciderat
Exod. 38. Moyses, & aliæ præcisæ in typum gentiũ. In secunda, dum dicit Esaias: Lauamini, mundi
Esa. 1. estote, & si fuerint peccata vestra vt coccinũ, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermicul⁹, velut lana alba erũt: nihilominus remissio peccatorũ, quæ accipitur in baptismate, commendatur. Gradualia quoque pulchrè atq; consonè ad eundẽ sensum concinunt. Cuius enim, nisi catechizantis no
Psal. 33. uam sobolẽ Ecclesiæ, vox est: Venite filij, audite me, accedite ad eũ, & illuminamini? Nã vt iuxta Euãgelium paucis immutetur verbis, idem est, ac si dicat: Venite cæci, vt luto, quod fecit dominus ex sputo, vestri linantur oculi, accedite ad natatoriã Syloe, & illuminamini. Hoc autẽ, quòd duæ lectiones totidemq; gradualia præsens accumulat officiũ, sacramenti celebritas popolscit, videlicet vt propter augmẽtum filiorũ habeat quoque spiritualiũ augmenta ciborum. Lecto autem Euãgelio, in quo sæpè dictus cæcus illumina tus & extra synagogam eiectus, filium Dei foras inuenit, imò à filio Dei foras inuentus est, & procidẽs adorauit, conueniẽs huic signi-
Psal. 65. ficationi sequitur offerẽda: Benedicite gẽtes Deum nostrũ. Nã in Psalmo illo, de quo sumpta est, iuxta sacram expositionẽ venerabiliũ doctorum, loquũtur Apostoli, exhortando gentiles laude inenarrabili & opere & voce Deum laudare, & de occulto & terribili iudicio eius, quo illos assumpsit, & populũ sibi antè peculiarẽ & electũ repudiauit, intra
Rom. 11. se expauescere & timere, ne fortè, si naturalibus ramis non pepercit, quia inobedientes fuerũt, imo quia cæcum illuminatum extra synagogã eiecerunt, id est, gentibus cadentibus cõmunicare noluerunt, nec ipsis parcat, si superbiãt. Benè ergo de Psalmo illo, vtpote de voce Apostolorũ, qui magnum cęcum, id est, omnes gẽtes, catechizauerũt, offerenda hęc sumpta cum versibus suis ad rem concinit, maximè in eo, quod dicimus: In multitudine virtutis tuæ mẽtientur tibi inimici tui, &c. Mẽtiti sunt enim inimici eius, dicentes:
Psal. 95. In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit
Matth. 12. dæmonia, cùm ipse in digito Dei eiecerit. Hoc aũtillud prębat agendũ, q̃ in catechismo Christianę fidei spiritus immũdus eijceretur de hominib⁹, per idololatriæ possesis, quos ipse fortis armatus malè pacato custodiebat atrio. Benè ergo & venerabiliter cãtamus hac die, qua de hac eiectiõe muti dęmonij mẽtiuntur vsque nunc inimici eius Iudęi quòd nõ fiat in spiritu Dei: Sed frustra. Nam illis blasphemantibus, hoc fit quod sequitur:
Psal. 65. Omnis terra adoret te. Venite & videte opera Dei, quàm terribilis in cõsilijs super filios hominum, videlicet in illius prioris populi abiectione, & gẽtium assumptione. Cõmunio quoq; canora, ac suaui modulatione acutas voces efferẽs, gratulabunda prędicatio siue testificatio est humani generis, incarnationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nationẽ filij Dei cõfitentis, iuxta illud: Credidi, propter quod locutus sum. Et sicut indignantibus & maledicentibus Pharisæis, & extra synagogam eijcientibus, non tacebat ille, dicens: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos meos, & modo video, sic beati illi, quibus ait dominus, Beati eritis, cùm oderint vos homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquàm malum propter filium hominis, quantò magis maledicunt eis inimici Christi, & os eorum opprimunt, tantò magis prędicant sciẽtes & intelligentes lutum illud, id est, incarnationem Christi, illuminationem omnium esse videntium.

Psal. 115. *Iohan. 9.* *Matth. 5.* *Luc. 6.*

AD INTROITVM.

Vbi aguntur scrutinia, propriè quoq; collectæ pro catechumenis dicuntur.

ORATIO.

Omnipotens, sempiterne Deus, Ecclesiam tuam spirituali fœcũditate multiplica, vt qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cœlestes.

SECRETA.

Remedij sempiterni munera Domine lętãtes offerimus, suppliciter exorantes, vt eadẽ nos & dignè venerari, & pro saluandis congruenter exhibere perficias, per Christum.

COMPLENDA.

Tu semper quæsumus Domine, tuam attolle benignus familiam, tu dispone correctam, tu propitius tuere subiectã, tu guberna perpetua bonitate saluandã, per dominũ nostrũ.

CVR STATIO AD SANCTVM PAVLVM.

COnsiderata, vt dictũ est, scrutiniorũ ratione, perspicuũ est, quòd statio ad sanctum Paulum præscripta, valde rei conueniat. Ipse enim magnus & mirabilis catechizator orbis terrarum, & (vt ipse ait) doctor gentium, in fide & veritate, ipse idem magnificè & mirabiliter catechizatus est, quia non ab homine, neq; per hominem (sicut ipse ait ad Galatas) Euangelium meum, quod Euangelizatum est, non est à me, neq; enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Cum vocenanq;, quam de cœlo corporaliter audiuit, qua carnalis eius sensus percussus & occisus est, incorpoream quoq; vocem accepit cœlestis magisterij, quam per triduum audiẽs, iuxta magistri catechizantis efficacissimam potentiam, ipse quoque catechumenus mirabilis, perfectus redditus est doctor Euãgelij. Nec longè dissimilis illi cęco Euangelico, vtpote corporaliter cæcus ad natatoriam baptismi salutaris missus est, obi & corpore & anima illuminatus, disceptantibus contra se Pharisæis, omnibus Christi inimicis, enarrare non desijt, qd fecerit sibi homo, qui dicitur Iesus, quomodo sibi aperti sunt oculi, & lutum ipsum quod fecit ex sputo dominus, id est, incarnationem verbi Dei, omnibus ostendere non cessauit. Propter quod & maledixerunt ei, & extra synagogam suam eiecerunt, quinquies quadragenis vna minus cæsum.

2. Tim. 2. *Galat. 1.* *Actor. 9.* *Actor. 20.* *2. Cor. 12.*

De Feria quinta. Cap. XXII.

FEria quinta in Euãgelio, vbi ait dominus pater meus vsq; modò operatur, & ego operor, vt indicet nobis, quomodo operetur, & nõ falsum dixerit scriptura per Moysen ministrata. Quia Deus requit ab omnib. operibus suis in die septimo, vt, inquam, indicet, quia tunc operatus est, cùm fecit mundum, & vsq; nunc operatur, cùm regit mundum, paulo pòst subiungit: Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Quod se dixisse ostendens de resurrectione, quę nũc fit, qua transeunt homines (vt ait beatissimus Augustinus) à morte infidelitatis ad vitam fidei, à morte falsitatis ad vitam veritatis, à morte iniquitatis ad vitam iustitię. Amẽ, inquit, dico vobis, quia qui verbũ meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitã ęternã, & in iudiciũ non venit, sed transit à morte ad vitã. Et hoc attendite, inquit idem Augustinus, Non, nunc transit, sed iã transit à morte in vitam. Ac deinceps: Amen, inquit, dico vobis, quia venit hora & nunc est, quãdo mortui qui in monumentis sunt, audient vocẽ filij Dei, & qui audierint, viuẽt: Non inquit, quia viuunt, audiunt, sed quia audiunt, reuiuiscunt. Per quod amplius claret de hac resurrectiõe hęc dici, qua mortui in infidelitate & ignorantia Dei sic resurgunt, vt prius audiãt, & audiendo reuiuiscãt. Ista resurrectione, si rectè credimus, resurreximus, & nos ipsi, qui iam resurreximus, alterã in fine resurrectionẽ expectamus. Huic Euangelio rectè præmittitur illa lectio libri Regum, de filio Sunamitis, quem puer ab Helisæo missus cum baculo, non resuscitauit. Per semetipsum verò Helisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad eius mẽbra se colligens, huc illucq; deambulans, & in ore pueri septies aspirans, hunc ad rediuiuam lucẽ protinus per mysterium cõpassionis animauit. Eandẽ enim resuscitationẽ humani generis, quę fit per fidem, de qua suprà dictũ est in Euãgelio, teste beato Gregorio, hæc pueri resuscitatio significauit. Author, inquit, humani generis Deus mortuũ puerum doluit, cũ extinctos nos iniquitatis aculeo,

Iohan. 5. *Gen. 2.* *4. Reg. 4.*

aculeo miseratus aspexit: & quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per legem quippe virgam Deus tenuerat, cùm dicebat: Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte, timor suscitare non valuit, sed ad statum vitę apparata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare nõ valuit, quia Paulo attestante, nihil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadauer se humiliter sternens, ad exequenda sibi mortui membra se collegit, quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Huc illucq; deambulabat, quia, & Iudæam iuxta, & longè positas gentes vocat. Super mortuum septies spirat, quia per operationem diuini numeris gratiæ septiformis spiritum in peccati morte iacentibus aspirat. Moxq; iuuenis erigitur, quia is, quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redijt.

Hebr. 7. *Philip. 2.*

De Feria sexta. Cap. XXIII.

FEria sexta legitur Euangelium de resurrectione Lazari. Notum est mysterium huius miraculi, & penè à cunctis doctoribus celebratum, quòd videlicet Lazarus, quem amabat dominus, de quo ipse ait: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem illum: & cuius sorores sæpè domino ministrauerant, typum gesserit iam fidelis & intra ecclesiam positi hominis, qui cùm sit amicus domini nostri Iesu Christi per fidem, moritur illi per iniquam operationem, & in sepulchro malæ conscientiæ, consuetudine scelerum obrutus, iamq; fœtens per infamiam tandem per occultam inspirationem Dei magno timore futuri iudicij, quasi magno saluatoris clamore cõcussus, ad vitã pœnitendo resilit, & malæ sepulchrum conscientiæ per vltroneam aperiens confessionem, vinculis peccatorum meretur absolui, quia viuit. Hoc autem in filio mulieris Sareptanæ prefiguratum est, ad quam Helias domino iubente ierat, relicta apud carnalem Israel siccitate & fame. Nam & illa mulier (vt iam superius dictum est) Ecclesiam de gentibus mysticè significauit, quæ legem & prophetas imo Christum, qui ipsis agnoscitur, tanquàm Heliam hospitio fidei suscepit. Filius verò huius viduæ, vnusquisq; fidelis est, qui tunc moritur, quando dignum morte peccatum admittit. Et quòd in clamore domini Lazarum euocantis significatum est, in cuius domo & ipse à sororibus eius pascebatur, hoc idem in clamore Helię præcesit clamantis ad Dominum, & dicentis: Obsecro domine etiam ne viduam, apud quam ego vtcunque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius? Ad hoc quoq;, quòd Lazarum amicum suum appellauit dominus, pulchrè conuenit illud, quòd hic fuisse dicitur filius Amathi, id est, veritatis. Affirmant enim Iudæi, quod Ionas fuerat iste Sareptanæ viduæ filius, quẽ resuscitauit Helias, matre postea dicente ad eum: Nunc cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum est, & ob hanc causam, ipsum puerum Amathi vocitatum. Amathi nanq; ex Hebræo in Latinam linguam, veritas dicitur, & ex eo quod Helias verum locutus est, ille qui suscitatus est, filius nuncupatus est veritatis. Sed & hoc quòd mortuum vt suscitaret Helias supra lectum suum posuit, à mysterio non vacat: Lectus nanq; Heliæ, catholicam Christi designat Ecclesiam, in qua sola per remissionem peccatorum mortuæ reuiuiscunt animæ. Nam de hac Ecclesia dicitur in Canticis canticorum: En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt. Supradictam ergo lectionem Euangelij benè, vt consonanter ista de libro Regum lectio præcurrit.

Iohan. 11. *3. Regũ 17.*

De Feria septima Sabbato. Caput XXIIII.

SAbbato hoc Euangeliũ ponitur, in quo dominus cùm dixisset: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ: obuiantibus Iudęis & dicentibus, tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum, euincit eos firmo & vero argumento, dum dicit: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est. Et statim proponit, quod necessario concedendũ sit: In lege vestra scriptum est, quoniam duorum hominum testimonium verum est. Et protinus assumit: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Quod & ipsum concedi oportet. Palàm nanq; est auditum testimonium patris, dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et mortui resuscitati, & cætera, quę ostẽdebat eis ex patre suo opera bona, testimonia erant de ipso, tam patris, quàm filij. Testimonium ergo verum atque fidele falso calumniabantur, contra legem suã pręuaricatores legis. Ad hæc, quæ præcurrit lectio prophetica, pulchrè accedit in eo quod ait. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus: Ecce gentem, quam nescie-

Iohan. 8. *Deut. 17.* *Matt. 3. 17.* *Esaiæ 55.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bas, vocabis, videlicet tuus ipse testis, & gentes quę nō cognouerunt te, ad te currēt, propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificauit te, videlicet iuxta hoc quod de illo dicis, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Iccirco nanque gentes credendo ad filium currunt, quas nesciebat, quia ipsum filium patremque Deum, qui duo testes sunt, quia duæ personæ, sed non duo dij sunt, fideles & idoneos comprobant, quorum testimonia recipiant, ex dictis & ex factis vtriusq;, certum tenentes, quòd ipse filius ad ipsorum salutem à patre missus sit. Sed & in eo, quod ait in Euangelię principio lectionis: Ego sum lux mundi, *Iohan. 8.* &c. Et in eo, quod in propheticæ lectionis exordio prædictum est: Omnes sitientes venite ad aquas, &c. summa vtriusq; consonantia est. Nam & illa lux inebriat, & hæc aqua sapientiæ potatos illuminat, testante Psalmista, qui cùm dixisset, quoniam apud te est *Esa. 55.* *Psal. 35.* fons vitæ, protinus subiunxit: Et in lumine tuo videbimus lumen. Vna eademq; sapientia Dei patris, fons est vitæ lumenq; de lumine. Et de vtroq; præmissum est: Inebriabuntur ab hubertate domus tuæ.

FINIS LIBRI QVARTI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER QVINTVS.

De Dominica in passione domini. Caput I.

PRæcedenti vespera domnicę huius, annua dominicæ passionis celebritas inchoatur. Cur autem tot dies ante illum diem, quo crucifixus est dominus, incipiatur, ex Euangelio Iohannis animaduertere possumus. *Iohan. 11.* Ait enim: Collegerunt pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et cùm prophetasset vnus ex ipsis Cayphas nomine, qui erat Pontifex anni illius, quod expediret vnum hominem mori pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, cōgregaret in vnum, secutus adiungit Euangelista: Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Ac deinceps: Iesus ergo iam non palàm apud Iudæos ambulabat, sed relictis illis, abijt iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Et quando concilium illud habitum sit, item ex cōsequentibus colligi potest. Sequitur enim: proximum autem erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi in Hierosolymam de regione ante pascha, vt sanctificarent seipsos. Planè per hoc, initium primi mensis tunc extitisse commendatur, quando Lazarus suscitatus est, propter quod signum non multò pòst concilium habitum est. Moris enim Iudæis erat, ex præcepto legis sanctificare seipsos ante pascha, ipsamque sanctificationem initiare prima die Mensis primi: qua die & tabernaculum dedicatum est, sicut in Exodo legimus, loquēte domino ad Moysen: Mense primo, prima die Mensis eriges tabernaculum testimonij, & pones in eo arcam, &c. Et paulò pòst: Assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur, &c. Illud quoque non prætereundum, quod eiusdē Mensis initium, id est, luna prima in sexta feria tunc extiterit. Siquidē sexta feria, qua dominus crucifixus est, quintadecima extitit, ac per hoc ita esse, vt dictum est, nemo qui dubitat. Nam quintadecima in eandem feriam semper occurrit, in quam & prima. Igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam ecclesiastici compositor officij suprà dictum Euāgelium de resuscitatione Lazari non sine causa sexta feria legi voluit, quæ quinta decima dies est ab illa, qua dominus crucifixus est. Ex his, inquā, quę dicta sunt, datur intelligi, quod Dominus ipso die Neomeniæ Lazarum suscitauerit. Delectat valde legitimus hic regis nostri processus, legitimus & sanctus summi sacerdotis nostri clāgor in die Neomeniæ huius. Ipse qui quondam iusserat filijs Israel per Moysen, dicens, *Exod. 40.* *Numer. 10.* quando exibitis ad bellum contra hostes, qui dimicant aduersum vos. Si quando habebitis epulum, & dies festos & calendas, clangetis tubis super holocaustis & pacificis victimis: ipse rex noster exiturus ad bellum passionis, contra diabolum principem mundi, ipse summus sacerdos noster habiturus epulum corporis & sanguinis sui, quod cum traderet discipulis suis: Desiderio, inquit, *Luc. 22.* desideraui hoc pascha māducare vobiscum, antequàm patiar. Habiturus diem festum suæ sacrosanctæ resurrectionis. Habens, inquam, calendas, id est, initium Mensis vel lunę, cuius in plenitudine hęc facturus erat, clāgit tuba tāti tamq; excellentis miraculi, quo & hostes suos attonitos reddidit, & corda piorum magis ac magis ad credendum animauit. Nanque & hostes eius turbati dicunt, si dimittimus eum, sic omnes credēt in eum, & plebs ad credendum magis animata præcipuè propter hoc signum, postmodum illi venienti Hierosolymam cum palmis & laudibus obuiam processit. Suscitato autem Lazaro, non longum erat vt hoc pharisæi audirent. Bethania nanq; ab Hierosolymis quindecim tantum stadijs, id est, nō integris duobus distat miliarijs. Et ex Iudęis, qui fuerant cum Iesu, quando illum suscitauit, quidam, inquit Euangelista, abierunt ad Pharisæos & narrauerunt eis quæ fecit Iesus. Nec mora fuit post hoc colligendi concilij. Mox enim sic Euangelista coniungit: Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium. Kursus non longum erat aut difficile tunc illud colligi. Cùm enim, vt ait Euangelista, quia proximum erat Pascha Iudæorum, multi ascēderunt Hierosolymam, vt sanctificarent seipsos, tunc verò præcipuè Pontifices & Pharisæi, qui erant clerici Iudæorum. Si qui forte ex ipsis procul aberant, solenniter conuenerant. Continuata quoque duorum solennitas dierum, id est, sabbati & Neomenię, quę, vt suprà dictum est, pridie fuerat, agendo concilio frequentiores atque expeditiores reddiderat. Nihil igitur repugnat, quin eodem sabbato (cuius in vespera dominicæ passionis annuam inchoamus memoriam) illud impiorum cōcilium collectum fuerit, & quia ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum, iccirco in vespera, quasi post horā eiusdem concilij, luctum publicum incipiat ecclesia suo domino per omnia compatiens, vt corpus capiti. Hac ergo dominicæ passionis, vt dictum est, commemoratione inchoata, res digna spectaculo procedit. Prę missa nanq; per septem dominicas superius digestas, quasi pompa funeris, & secūdum ritum officij procedente Ecclesia in ordine suo per totidem ætates seculi, tandē ipsa mors Christi, cui omnis illa pompa præordinata est, effertur prę oculis & pijs fidelium mentibus, ingerūtur vulnera, cunctaq; mortis insignia, quę pertulit pro cunctis vnica salus, Deus & homo Christus, Dei vnigenitus. Nihil quippe tam frequēs, quàm prodeuntia vexilla regis, fulgidumq; mysterium crucis. Acetum quoq; fel & arundinē, clauos & laceam perforati corporis, tā in nocturnis, quā in diurnis meditamur canticis, quę de autenticis veteris pariter ac noui testamenti scripturis cōgesta sunt. Sicq; fiūt comæ capitis ecclesiæ, id est, cogitationes cordis eius, quasi purpura regis iuncta canalibus, dum passionem redemptoris meditatur, sensum suum autēticis adhibens scripturis, videlicet pretiosis purpurę tincturis, quæ per ora prophetarum & Apostolorum, velut per quosdā canales, Spiritu sancto conficiente, profluxerunt, *Cant. 7.*

Cur gloria patri non dicimus. Caput II.

VEruntamen hac dominica totaq; hebdomada luctus ille remissior est, quia non statim post habitum cōcilium traditus est agnus in manus lanistarum impiorum vt portaretur ad victimā, sed quia iam ex tunc quæri cœpit. Et quia mādatum dederāt pontifices & pharisæi, vt si quis cognouerit, vbi sit, indicet, vt apprehendāt eum. Et quia Iesus iam non palàm ambulabat apud Iudæos, nos quoque cum illo quodammodo recedimus, dum vocem lætitię & laudis aliquantulum supprimimus. Nam de responsorijs, gloria patri subtrahimus, & apud quosdā ad missas quoq; cum introitu officij nō dicitur. Siquidē, breuis licet versiculus, quia sanctę Trinitatis magis expressa magisque propria laus est, benè capitis nostri solitudinem atq; silentium nō palàm ambulantis, dum non dicitur, significat.

Cur hac Dominica Hieremias legatur. Caput III.

HIeremias quoque Propheta competenter per hos dies & nocturnas legitur vigilias. Hic enim non solùm dictis, sed & passionibus suis, redemptoris nostri passionem præfigurauit, & in eo quoque, quod in eisdem tribulationibus suis nō decesit, sed ruinæ ciuitatis vel templi superstes fuit, quamuis post hæc à populo descendente in Aegyptum lapidatū illum Iudęi autument: & in eo, quod secundum prophetiam eius, captus est Sedechias, & occisis filijs eius oculos quoque ipsius eruit rex Babylonis. Nam & redemptor noster cū putaretur & desideraretur extingui & conteri de terra viuentium, iuxta illud, inimici mei dixerunt mala mihi, quādo morietur & peribit nomen eius, cunctis tribulationib. suis & morti atque inferis emersit, & superstes fuit, imo est atque erit peccatrici ciuitati, quæ cùm vocaretur Hierusalē, pars illius meritis effecta est, quę vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus. Et secundū prophetiam eius, qua dixit: In iudicium ego *Hierem. 38.* *Psal. 40.* *Apocal. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

veni in hũc mundũ, vt nõ vidẽtes videãt, & vidẽtes cęci fiãt, captus est, in superbia sua Iudaicus populus, & occisis filijs eius, id est, carnalibus legis operibus, in quib. nihil vitalis gratiæ Dei remansit, insuper oculos eius eruit spiritualis Nabuchodonozor, scilicet diabolus, & obscurati sunt oculi eorũ ne videãt, & dorsum eorum semper incuruatur. Benè itaq; Hieremias propheta per hos dies legitur, Christi dñi passionẽ in suis pressuris designãs, futurãq; abiectionẽ gẽtis Iudaicæ sub typo eius captiuitatis, quę tũc accidit, lachrymosis lamentationibus deplorans.

Iohan. 9.

Psal. 68.

De officio eiusdem diei. Cap. IIII.

TOtum missæ officium illud personat, quod per eandem passionem domini erat futurum, videlicet quòd deserendum erat vetus sacerdotium Iudęorum, per ipsum noui testamenti mediatorem, nouiq; sacrificij pontificem. Quod & sanctum Euangeliũ mysticè significat, & præcurrens Apostolica lectio manifestè denunciat. Nam cùm dixisset Euangelista: Tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum, statim adiecit: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Et quid abscondendo se (ait B. Gregorius) dominus designat, nisi quod eis ipsa veritas absconditur, qui eius verba sequi cõtemnunt? Eam quippe, quam nõ inuenit humilem, veritas fugit mẽtem. Hoc ergo innuit, quòd templum & vniuersa Iudęorum sancta, propter superbiã & duritiam cordis eorum deserturus esset, cunctaq; prędides templi virtutes, quas Ioseph testatur auditas esse, dicentes: Transeamus ex his sedibus, essent meliores adituræ sedes, quas inhabitante domino & ipsę protegerent. In lectione autem Epistolæ dicit Apostolus: Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum nõ manu factum, &c. Quibus dictis apertè declarat, ad quę meliora de templo Iudæorum exiens Pontifex noster emigrauerit. Introitus verò: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, &c. Itemq; illud in graduali: Eripe me de inimicis meis, voces sunt eius exeuntis templo & orantis secundum humanitatem, vt manifesto discrimine discernatur causa eius, scilicet fides Euangelij à iustificationibus legis, quod & factum est in eo, quòd & templũ destructum est, & sacrificia Iudæorum abolita sunt. Nam etsi stetisset potentia Iudaici regni, cultusq; templi veteris maiori fuissent impedimento Christianę fidei, quia nõ facilè discernere possent carnales, & infirmi vacuitatẽ veteris sacerdotij, si fulciretur prosperitate & gloria temporali. Quomodo ergo prius mortuus est Moyses, & postmodum filij Israel Iesu duce transierunt Iordanem, sic expediebat prius destrui templum, vetusq; sacerdotium, vt absq; scrupulo ad salutarem Christi transiremus baptismum. Quod autẽ in graduali sequitur: doce me facere volũtatem tuam, illud est quod cũ imminente mortis articulo, dixisset orans. Mi pater, si possibile est, transeat à me calix iste, postulans nõ timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis propinatum biberet calicem, vnde & signanter non dixit, transeat à me calix, sed calix iste: cùm (inquã) hoc orasset, reuertẽs in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei filijq; confirmat: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Deinde, tanquàm si requiras cur de templo auersus & iratus exierit, sequitur in tractu. Sæpè (inquiens) expugnauerunt me à iuuẽtute mea, id est, ab Ecclesiæ primordijs, à sanguine Abel iusti: sæpe (inquam) expugnauerunt me, in membris meis, in corpore meo (quod est ecclesia) occidẽdo prophetas, & lapidando eos, qui ad se missi sunt, & prolongauerunt iniquitatem suam perseueranter occidendo vsque ad meipsum, de quo nunc dicunt: Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. In offerẽda, confitebor tibi Domine in toto corde meo, præmium reposcit obediẽtiæ, factus obediens vsq; ad mortem, dum dicit secundũ formam serui: Retribue seruo tuo vt viuã, id est, vt resurgam, & tunc custodiã, id est, custodiri faciam, sermones tuos: viuifica me secundum verbum tuum, id est, per inhabitantis in me verbi tui potentiam. Sequens versus iuxta Euãgelica verba, quę prędicta sunt, quis ex vobis arguet me de peccato, qui est ex Deo, verba Dei audit, immaculatos beatificat, qui ambulãt in lege Domini, & scrutantur testimonia eius. Alius quoq; versus, viam veritatis elegi, totus vocalis, dictis elegans neumisq; canorus, vox est deuotæ fidei, contritæ & excitatæ de hoc, quod paulò antè audiuit. Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Cùm enim hunc Ecclesiæ chorus cũ vociferatione extollit, exilire videtur de cœtu illorum, qui coarguuntur non credentes veritatem dicenti, quiq; propterea verba Dei non audiunt, quia ex Deo non sunt, apprehendensq; vexillum veritatis. Da mihi (inquit) intellectum, &c. Iuxta quod alibi dicunt Apostoli: Adauge nobis fidem. Communio, hoc corpꝰ quod pro vobis tradetur, notissima & percelebris est vox hæc summi sacerdotis Christi, noui testamenti mediatoris, de templo sæpè dicto egressi, & secundũ præeun-

Psal. 42.

Psal. 17.

Heb. 9.

Iohan. 8.

Psal. 128.

Matth. 24.

Matth. 21.

Psal. 118.

Psal. 118.

Luc. 17.

Heb. 9.

Heb. 9.

præeũtis epistolę dicta, neq; per sanguinẽ hyrcorũ aut vitulorũ, sed per propriũ sanguinẽ introeũtis semel in sancta. Cuius sacerdotij, quia B. Petrus primus hęres, primusq; post Chr̃m tẽpore & dignitate Põtifex est, quẽ & dicentẽ: Sequere me, secutus est simili more cinctus, & quo nolebat abductus, rectè ad ipsum statio præsenti officio præscripta est.

Iohan. 21.

De consonantia ferialium lectionum.

Caput V.

Iohan. 7.

FEria secunda legitur hoc Euangeliũ, in quo dictũ est, Miserunt põtifices & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum, sequitur: Iesus aũt dixit eis, adhuc modicũ tẽpus vobiscũ sum, & vado ad eũ qui misit me. Et quid deinde illis euẽturũ esset, subiungit: quæretis me, & vbi ego sum, vos nõ potestis venire, scilicet muro infidelitatis obsistente. Quo dicto perspicuè se relictis illis, ad gẽtes cõmigraturũ esse minabatur. Vnde illi quoq; quasi diuinãtes dicunt: Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gẽtes?

Ionæ 3.

Huic euangelio rectè illa præmittitur lectio de Iona, qui prędicare nolens Niniuę ciuitati magnę, fugit in Tarsis, & fluctibus maris se tradidit, desertionẽ vtiq; gẽtis suę veritus futuram (vt ait Hieronymus) cùm gentilibus Deus innotescereꝰ. Ionas enim, quod interpretatur colũba, qui missus prędicare Niniuæ ciuitati gratiã Dei, Christũ significat dñm, ad salutẽ totius mundi à Deo patre missum. Nã sicut Ionas magnã Niniuẽ nolẽs adire, potius maris fluctibus se tradidit: sic dñs noster corporali prędentia gẽtes adire nolẽs, intra seditiones Iudæorum persequentiũ remãsit. Efferbuit mare, & timuerũt nautę. Audiens eũ Pilatus accusationẽ dicentium, quia filiũ Dei se fecit, magis timuit, tandẽq; persistente grauí fluctuatióe clamantiũ, crucifige, crucifige, lotis manib. in modum nautarum, qui dixerunt, quę sumus domine, ne des sup nos sanguinẽ innocentẽ, dicensq; innocens ego sum à sanguine iusti huius, tradidit illis Iesum, vt crucifigerent, quasi marii immittẽs. Et absorbuit eum cetus, id est, mors, sed adurẽte ventrem eius diuinitatis igne, tertia die viuum rursus euomuit. Et tunc demum ad prædicationẽ eius territa Niniue magna, scilicet mundus, trina mersione baptismi, quasi triduana pœnitentia saluatur, & hedera, quæ obumbrabat capiti Ionę, videlicet Iudæa, quondã habitaculum Christi, aruit.

Iohan. 8.

Matth. 27.

Iohan. 7.

FEria tertia, vbi dictum est in Euangelio, ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat ire in Iudęam, quia quęrebant eum Iudæi interficere, & paulò pòst tamen & ipse ascendit ad diẽ festum nõ manifestè, sed quasi in occulto. Sequitur, Iudęi ergo quærebãt eũ in die festo, dicẽtes: Vbi est ille? Et murmur multus erat de eo in turba. Alij dicebãt, quia bonus est: alij non, sed seducit turbam. Huic sanè Euangelio nonnulla similitudine congruit illa, quę præmittitur lectio de propheta Daniele, licet in Hebraico non habeatur, quòd congregati Babylonij aduersus regem, dixerunt: Trade nobis Danielẽ, qui Bel destruxit & draconem interfecit, &c. Nam & Iudęi verè & spiritualiter Babylonij, qui nunc quęrebãt Iesum, tandem cõgregati aduersus præsidẽ Romanę potestatis Pilatum, quæ Roma scribitur & est spiritualiter Babylon, petierunt excitata seditione, vt sibi traderet illum, fecerũtq; sicut ipse queritur per prophetam: deduxerunt in lacum mortis vitã meam, & posuerunt lapidem super me. Cumq; victor leonum, scilicet malignorum spirituum, viuum se iterum præbuisset, exclamauit rex Babylonis, videlicet Romanũ imperium, voce magna dicens: Magnus est Deus Danielis. Voce, inquã, magna. Magnus quippe sonus extitit, cum primùm imperator Romanę vrbis, magnę vtiq; Babylonis, fidem Christi susceperit. Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone collecta, inquit Apostolus Petrus, Romam tropicè percutiens.

Danie. 14.

1. Pet. 5.

Apoca. 17.

Thre. 3.

1. Pet. 5.

FEria quarta in Euãgelio circundãtes Iudæi dñm, dicunt: Quousq; animã nostrã tollis? Si tu es Christus, dic nobis palã. Et respondens Iesus: Loquor, inquit, vobis & non creditis. Opera, quę ego facio in nomine patris mei, ipsa testimoniũ perhibent de me. Et post aliqua subiecit: Ego & pater vnũ sumus. Audiat Arrius, vnũ sumus, audiat Sabellius, quia nõ dixit vnus, sed vnũ. Volẽtibusq; eũ lapidare, & de blasphemia calumniãtib. Et si mihi, inquit, nõ vultis credere, operibus credite. Hic, quia nõ solum Christũ, quod quę rebãt, sed & Deum se esse protestãs, est, quod intelligere nolũt hęretici, cũ intellexerint Iudæi, dixerũt: Quia tu homo cùm sis, facis teipsum deũ, rectè illa præmittitur lectio, qua patrib. eorũ per singula penè præcepta dñm se protestatur & Deũ tanquã cõtumacis seruicuicem durã contundens. Nã & isti, filij rebelliũ & incredulorum tẽtatorum & murmurosorum tentãtes & ceruicem suã obdurantes hoc merebãtur, vt quẽadmodum corpora illorum prostrata sunt in deserto, sic ipsi longè à repromissione pellerentur, stantes contra sanguinem proximi, & cuncta supradictæ lectionis præcepta transgredientes.

Iohan. 10.

Leuit. 19.

Numer. 14.

FEria quinta totum lugubre officium, sterilitatem deplorat Iudaicę gentis, quæ in morem salicum viriditatem habens per legis scien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sciétiã, nullũ tamẽ fidei aut boni operis fructũ referebat. Ipsi nãq;, ipsi præcipuè Iudęi, qui domino prædicãte obsurduerãt, quibus ipse dixerat, Cãtauimus vobis & nõ saltastis, *Matth.11.* *Psal.136.* salices erant illæ, de quibus eadẽ die sub persona antiquorum sanctorum atq; nouorum luctuose cantatur in salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra, &c. Nã ex quo *Psa.56.107* precioſum illud humanitatis Christi organũ in ligno crucis confregerunt, cui dicit pater *Psal.136.* in psalmo, Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, suspẽderũt organa sua sancti patres & Prophetæ ad salices illas: quia Propheta nullus ad Iudæos ex tunc missus est, & ipsos Prophetarum libros, quos legunt, quia non intelligunt, velut organa suspensa vacare permittunt. Videndum ergo, quid tã lugubri officio cõsonum sit in eiusdem diei Euãgelio: Reuersi ministri, quos miserant Pontifices & Pharisæi vt apprehenderent Iesum, *Iohan.7.* reuersi (inquam) sine crimine, pleni admiratione, cùm dicerent eis illi: Quare non adduxistis eum, respondẽrũt: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur. Planè hoc dicendo, cunctis organis cunctisq; cãtoribus, quicunq; ab initio cantauerunt nobis hymnum de cãticis Sion, dulcissimam illius *Psal.136.* cantionẽ, id est, doctrinã, veraciter prætulerunt. At illi inuidentes & intra semetipsos rixantes, attẽde quid tandẽ fecerint. Reuersi sunt, inquit Euangelista, vnusquisq; in domũ suam. O salices infructuosę. Expressius significari non potuit summę ac salutaris cãtilenę contemptus: Meritò ergo in domibus suis **Recluſi* hactenus **retrusi, quas distribuere non potuerunt hi, qui distribuũt domos Sion, sicut *Psal.47.* illis in Psalmo præcipitur: Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite domos eius. In domibus, inquam, suis, id est, in malis cõscientijs concluſi non merẽtur ad publicum reuocari, vt audiant organa scripturarum, q̃ illis suspẽsa sunt, nobis autẽ dulciter & apertè canunt. At illi coniuncti filijs Edom, imò caput illorum effecti, cõmixti, inquam, terrenis & sanguineis persecutorib. sanctæ Sion, de quibus eodẽ die cantamus: Memento domine filiorum Edom in die Hierusalẽ, pri- *Psal.136.* mum illud propriũ diuinitatis organũ suppli- *Matth.23.* cio crucis cõfregerunt, & inde sapiẽtes & scribas ad se missos occiderũt, flagellauerũt, lapidauerũt, & persecuti sunt de ciuitate in ciuitatem, & in ciuitatibus quoq; gẽtium perse- *Act. 13. 14* cutionem Apostolis per seditionẽ excitauerũt, quodammodo dicentes: Exinanite, exinanite vsq; ad fundamentũ, in ea, vt funditus tũc, si possent, nascentem Ecclesiam subruerent. Et sicut in Ecclesiasticis historijs legimus, cũ spiritualis Nabuchodonozor, scilicet diabolus, Christianos cõpelleret ad idololatriam, isti nonnunquàm vehementius vrgebant. Benè ergo supradictum Euangelium lectio præcurrit de libro Danielis prophetæ, quæ *Danie.3.* est oratio trium puerorũ, qui secundum historiam super flumina Babylonis sedẽtes & flẽtes, & in medio eius salicibus, id est, infructuosis hominibus laudem Dei se frustra canere dolentes, insuper statuam auream adorare iussi, & quia noluerũt, in fornacem proiecti, matyria victoriasq; Ecclesię præcurrerunt. Idcirco autem hac potissimum die cõuenienter positum est hoc officiũ, quia post hanc diem nulla legitur Euangelij lectio de eo, quod dominus Iudæis publicè prędicauerit: & ecce illud diuinitatis organum in illis salicibus Babylonis suspensum est.

FEria sexta legitur hoc Euangeliũ: Collegerunt Põtifices & Pharisęi cõcilium ad- *Iohan. 11.* uersus Iesum, & dicebãt: Quid facimus, quia hic homo signa multa facit? Si dimittimus eũ sic, omnes credent in eũ, causamq; suæ solicitudinis, quasi rationabilẽ adhibentes: Et venient, iniquiũt, Romani & tollent nostrũ locũ & gentẽ. Nã sub imperio Romanorũ erãt, qa iam ablatum erat sceptrũ de Iuda, & dux *Gen.49.* de femore eius, & Pilatũ Romanæ potestatis præsidem habebãt. At illi quia sic timuerunt pruinam, irruit super eos nix, & duplici contritione cõtriti sunt. Nã & locũ & gentẽ *Ob. 6.* perdiderunt, & deleti de libro viuẽtium, in terra scripti sunt. Benè ergo illa lectio Hiere- *Psal.68.* miæ prophetæ præmittitur aduersus canes *Hierem.17.* illos, qui dominũ circũdederũt, aduersus illud cõcilium malignãtium, quod obsedit illum: Domine, oẽs qui te derelinquũt, cõfundentur, & recedẽtes à te in terrã scribentur, & post pauca prauã solicitudinẽ eorũ intuẽs, qua dicũt: Veniẽt Romani & tollent nostrũ locũ & gentẽ: Paueãt, inquit, illi, & nõ paueã ego. Induc super eos diẽ afflictiõis, & duplici cõtritione cõtere eos. Quod factũ est per Titũ & Vespasianũ, quando regno Dei iã perdito, locũ quoq; & gentẽ perdiderunt. Quamuis autẽ multoties Iudęi dominũ q̃sierunt occidere, nã & lapides nõ semel sustulerunt vt illũ lapidarẽt, ministros quoq; miserũt Pontifices & Pharisęi, vt illũ apprehenderẽt: Rectè tamẽ de hoc cõcilio dixit Euãgelista, Ab illo ergo die cogitauerũt, vt interficerẽt eũ. *Iohan.8.10* Nũc enim quasi nõ tumultuariè vel populari seditione, aut cum pręiudicio, sed legitima iudicij sessiõe sibi videbãtur actitare, solicitudinẽ suã (vt dictũ est) prætendẽtes, ne cũ rex appellaretur, ipsi rei *maiestatis apud Rom. *Iuſa.* imperium, sub quo erant, addicerentur.

Cur va-

Cur vacat sabbato ante palmas.
Caput VI.

SAbbato vacat, quando dominus Papa eleemosynam dat: hoc sabbatum illud est, quo dominus Bethaniam venit, & in domo Lazari, quem suscitauerat, cœnã habuit, sicut *Iohan.12.* Euãgelista refert. Iesus ergo ante sex dies solennitatis paschæ venit Bethaniã, vbi fuerat Lazarus mortuus quẽ suscitauit. Fecerũt autem ei cœnam ibi. Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistię, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti. Ibi celebri mysterio commendatum est odoriferũ opus eleemosynę. Maria nanq; typum gessit Ecclesię, pedes aũt domini, pauperes sunt infimi, qui quamuis extrema, tamẽ eius mẽbra sunt per coniunctionem & vnitatem fidei. Mulier pedes domini vngit, & capillis suis, qui vtique corpori superfluũt, extergit, quoties diuites qui sunt in ecclesia, pauperes fideles misericordiæ blandimento refouent, & de ijs quæ sibi abundant, illorum inopiã supplent. Vt ergo Romanus papa celebrẽ cum Maria domino cœnam exhibeat, hoc sabbato eleemosynam dat, atq; ita circa pedes domini occupato eo, sabbatum vacat.

Dominica in palmis. Cap. VII.

DOminica hac, qua dominus in ciuitatẽ Hierusalẽ passurũs venit, luna decima extitit. De hac die prœceperat dominus in le- *Exod.12.* ge filijs Israel: Decima die mẽsis primi tollet vnusquisq; agnũ per familias & domos suas, & seruabitis eũ vsq; ad quartũdecimum diẽ mẽsis eiusdẽ, & immolabit eũ vniuersa multitudo filiorũ Israel ad vesperã. Nota & celebris est mirabiliũ historia, quæ antè fuerant gesta, scilicet quòd decẽ plagis Pharaonẽ & totã Aegyptũ Moyses in virga manu sua percusserit: quibus Pharao, quamuis afflictus, victus tamẽ nõ est, donec agnus immolaretur in domibus Israel. Verũ quid hoc significaue- *1.Corin.10.* rit, quomodo hęc omnia in figura cõtingebãt illis, & ad pręsens negociũ pertinet, prętereũdum nõ est. Pharao, diaboli, Aegyptus, mũdi, filij Israel, omniũ qui ad vitã præordinati sunt & populus Dei vocãtur, typũ gesserũt, Captiuitas seruitusq; filiorũ Israel, captiuitatẽ illã designãt, qua diabolus hominẽ in paradisi libertate conditũ, per pręuaricationẽ in tenebris huius seculi captiuauit, & morti obnoxiũ fecit. Stetit Moyses cum Aarõ coram *Exod. 7.* Pharaone, tenẽsq; virgã in manu, dixit: Hęc dicit dominus: Dimitte populũ meũ. Nimirũ in virga Moysi, legis disciplinã, in Aaron, eiusdem legis agnoscimus sacerdotium. Hæc enim duo dicta sunt, vt Dei populũ à seruitute Pharaonis, id est, diaboli, eriperẽt. Decem plagæ, quibus percussus est, decem legis prœceptorum, quib. populus Dei diabolo captiuatori humani generis repugnare iussus est, similitudiuẽ prętulerunt. Nã tunc primùm mors, quę regnauit ab Adã vsq; ad Moysen, cœpit audire in regno suo contradictionem, *Rom. 5.* Deo debitum sibi exigente ab hominib. cultum, & suorum obedientiam præceptorum. Sed sicut Pharao decẽ plagis nõ adeo victus est, vt filios Israel dimitteret: ita diabolus decẽ prœceptorum legis obseruatione nõ adeo superatus est, vt homo in paradisum rediret. Igitur sicut post inefficacẽ virgã Moysi tandẽ agnus immolari iussus est, & tunc mortua sunt primogenita Aegypti, & hac vna plaga tactus Pharao dimisit populũ & ipse cũ reliqs Aegyptijs persequẽs transeuntes, in mari rubro submersus est: sic postquàm constitit, *Heb 7.* quòd nihil ad perfectum adduceret lex, ag- *Coloſſ.2.* nus Dei Christus immolatus est, & in morte *1.Cor.10.* eius primogenitum, id est, originale peccatũ deletum est, & in mari rubro baptismi Christi sanguine rubentis actualia quoq; peccata cum diabolo penitus absorpta sunt. Luna ergo decima (vt dictũ est) dominus Christus, verus agnus, prœcepto patris obediens, ciuitatẽ Hierusalẽ passurus ingressus est. Sed nec ipse ingressus eius vacat à mysterijs. Quocũque enim verus hic sol, pcedit, similitudines eius, quam operatur, salutis, quasi vmbras in terię cto corpori similes reddit. Veniens igitur ad passionem, videamus quas iaciat vmbras fulgidæ misericordię, cuius in multitu- *Matth. 21.* dine benedictus aduenit. Primũ à monte Oliueti duos mittit discipulos in castellum, q̃ erat cõtra ipsos, vt asinã illic alligatã pullũq; eius soluẽtes sibi adducerẽt, &c. In his profectò, quæ vtilitas in sanguine suo, quis fructus passiõis, ad quã veniebat, mystice prœsignauit. Ascensurus enim propter passionem *Hebr. 2.* mortis, gloria & honore coronatus, ad dextrã patris, qui est mõs Oliuarũ. i. pater misericordiarum, & Deus totius cõsolationis, Deus pacis, fonsq; & origo luminis, atq; inde dando *2. Cor. 9.* hominib. dona, missurus erat Apostolos suos, qui ligãdi atq; soluendi potestate accepta, asinã & pullum eius, id est, vtrunq; populũ, Iudaicũ atq; gentilẽ, ab erroris stultitia, peccatorumq; oneribus absoluerẽt, & abducto sibi humano genere per fidẽ, ipse supersedẽs, iuxta quod scriptum est, & equitatus tuus saluatio, in cœlestẽ Hierusalẽ animas induceret, *Abac.3.* turbis angelorum cum laude occurrẽtibus, palmasq; victoriarum cum ramis oliuarum, quæ sunt pacis insignia, subleuantibus.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod propter processionem palmarum, dominicæ aliæ processiones non sint omittendæ.

Caput VIII.

DIligentibus Euangelicæ authoritatis inspectoribus rectè complacuit, vt cũ hodierna processione palmarum, qua proculdubiò redemptoris nostri recolimus passionem, non computent illam, quæ dominicalis est, qua singulis dominicis gloriosam eiusdem commemoramus resurrectionem. Cõstat enim, quòd contraria siue repugnantia non possint simul vno eodemq; actu conuenienter exhiberi. Hæc autẽ manifestè dissident, sibiq; contraria sunt. Quid enim magis cõtrarium, quàm tristitiæ gaudium, morti vita, oecasui resurrectio? Singulis dominicis à prima sabbati, qua Dominus resurrexit, dedicatis, hoc nobis processionis ordine significamus, quòd in Galilæam, id est, in transmigrationem, ad videndum dominum cum Apostolis eius exire debeamus, scilicet vt nõ simus vetusti homines quod fuimus, sed in nouitate vitæ ambulemus. Vnde semper in huiusmodi processionibus prælatos nostros præeuntes, quasi dominum in Galilæam sequimur, & locus ipse, quo processionem suprema statiõe terminamus, rectè à nobis Galilæa nuncupatur. Hanc verò annuam palmarum processionem, nemo qui nesciat passionis esse præconiũ, & illud nobis ob recreationem deuotionis actu renouari, quod pueri Hebræorum tollẽtes ramos oliuarum obuiauerunt domino, clamantes & dicentes: O sanna in excelsis. Rectius igitur faciunt hi, à quibus accepimus ante tertiam memoriam dominicę resurrectionis, quæ per totum annum occurrit, de more peragẽtes, sicut in cęteris dominicis, & post tertiam cum processione palmarum, dominicę passionis efferentes sacramentum.

Rom.6.

Quòd hæc maior hebdomada mundanæ creationis hebdomadæ respondeat.

Caput IX.

MAgnum illud est & admiratione dignum, quod die dominica, quæ prima est, in qua creationem mundi cœpit Deus operari, ingreditur saluator ad laborem passionis, & per totam hanc hebdomadam, quæ maior hebdomada dicitur, salutem nostram operatus, die septimo cessauit, & in sepulchro requieuit. Tot diebus salutem hominis operatus est, quot diebus hominem & quicquid propter hominem creauit, in mundo disposuit. Et prout operum diuersorũ creatione, alij plus, alij minus, rerum & officiorũ diuersa quantitate consecrati sunt. Primus hic dies, qua cum tanta claritate opus ingreditur salutiferæ passionis, dignitati illius resplẽdet, in qua dixit: Fiat lux, & facta est lux. Et de singulis cæterorum suo loco dicetur, nunc de huius diei officio pauca perspiciamus. *Gen. 1.*

De Missa eiusdem diei. Cap. X.

ILla nostri traditio, qua pater illũ tradidit, sicut Apostolus ait, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit illũ: Illa, inquã, traditio materia vel causa tam magni tamq; solẽnis est officij. Hac enim die pater illum tradidit in eo, quòd ex volũtate patris in manus inimicorũ venit, qui hactenus multoties cũ seditione quæreretur, omnes eorum frustrauerat impetus. Obediens nanq; voluntati patris, calicem passionis bibere venit, & cùm caro infirma esset ad bibẽdum, spiritu promptus dicebat: Veruntamẽ non mea voluntas, sed tua fiat. Quia ergo pater illum hac die tradidit, & calicem passionis dedit illi, rectè passio iegitur cum eisdem, cum quibus exceptus est, palmarũ ramis, totiq; officio venerandam ipsa præbuit materiam. Nam ex eo, quòd ait pendens in cruce, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, constat vicesimum primum psalmum totum ex ipsius esse persona conscriptum, propter quod hac ipsa die penè totus in eiusdem nihilominus persona decantatur. Primum in introitu, domine ne longè facias auxilium tuum à me, orat ipse, qui tanquàm vermis & nõ homo absq; vllo respectu, leuiter conculcabatur, propter nos relictus ad tempus, orat inquam, patrem, ne elonget auxilium suum, id est, festinet resurrectionem suam, & à potestate eorum, qui sunt vnicornes, id est, singularis superbiæ, liberet humilitatem suam. Deinde in tractũ hoc ipsum amplius egit & ipse noster Dauid, secũdum titulum eiusdẽ psalmi tendens in finem, id est, in victoriam, pro assumptione matutina, id est, pro resurrectione, vt fiat valde mane, sicut & facta est, cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum. Epistola quoque non dubio passionem legendam præcurrit præconio. Nam quod orat dominus secundò in passione dicens: Mi pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum: quod summus Deus in summa humilitate hominis illuditur, conspuitur, dorsum suum dat percutientibus, & genas suas vellẽtibus, & cætera patiẽter fert, obediens voluntati patris vsque ad mortem crucis, hæc omnia nobis Paulus in Epistola manifestè proponit imitãda, dicens: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c. Item in graduali, dum dicit: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua dedu- *Rom.8.* *Matth.16.* *Matth.26.* *Esa.53.* *Philip.2.* *Psal.72.*

deduxisti me, pulcherrimè illud insinuat, q; Deus pater, quasi læua manu sua dexterã illius tenuerit, id est, diuinã potentiã eius, ne se defenderet, quodammodo cõpresit, & in potestatẽ inimicorum, id est, in ciuitatẽ Hierusalẽ, in volũtate sua deduxerit. Quęri potest, cur graduale hoc cantetur hoc die, cùm non totum eius personæ cõueniat. Neq; enim illi congruit, vt dicat: Mei autẽ penè moti sunt pedes, & penè effusi sunt gressus mei. Sed sciendũ, quia psalmus, de quo sumptũ est, correptio illorũ est, qui pro sospitate corporis, & prosperitate vel affluẽtia rerũ temporaliũ Deum tantummodo laudabãt. Huiusmodi aũt laudes non defecerant, priusquàm dominus noster rex omniũ seculorũ adueniret, & ex his quę passus est, cõfirmaret nos, ne scandalizaremur, malos prosperari, bonis aũt nõ rectè succedere, videntes. Quis eñ iustus, videns ipsam iustitiã esse crucifixã ab his, quorum iniquitas quasi ex adipe prodijt, q in labore hominum nõ erãt, & cum hominib. nõ flagellabãtur: quis, inquã, iustus, cum sibi aliquid simile acciderit, dicat iã, ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocẽtes manus meas. Nã si narrauerit sic, ecce nationem filiorũ Dei, imo ipsam filij Dei passionẽ reprobauit. Benè ergo in ostẽsione flagellati & crucifixi iusti cãtatur: Quàm bonus Israel Deus rectis corde, vt nõ moueãtur pedes nostri, id est, ratio & iudiciũ nostrũ, quãdo pacẽ peccatorum videmus. Offerẽda quoq; cum versib. sumpta de psalmo sexagesimo octauo, qui totus ex persona saluatoris orãtis in passionis agone cõscriptus est, indicat, cum quãto desiderio charitatis illa susceperit, quæ in passionis serie prælecta sunt, dum dicit: Improperiũ expectauit cor meum & miseriam, improperiũ scilicet in verbis expectauit, id est, desiderauit cor meum, & miseriã, scilicet in factis. Et sustinui, id est, expectaui, qui simul cõtristaretur, videlicet de perditiõe sua mecum doleret, & nõ fuit, subauditur, qui id faceret: cõsolantem me quæsiui, id est, benè operantẽ per pœnitentiam, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel, hoc est, amaros se mihi reddiderunt, &c. *Psal.72.* *Psal.68.*

De feria secunda hebdomadæ sanctæ. Cap. XI.

FEria secunda minus ornata videtur cęteris huius hebdomadę dieb. quarum omniũ officia lectione passionis vel cæteris dominicæ mortis insignibus purpurata sunt. Nec mirũ: nã & eius primæ hebdomadę, qua cuncta creata sunt, cuius hæc similis est, vt supra dictum est, dies secundus minus aliquid quàm cæteri, creatoris placito cõmendatur. Cũ enim dixisset, fiat firmamẽtum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, nõ est additum (sicut in operibus cęterorum dierum) & vidit Deus quòd esset bonũ. Hoc enim in Septuaginta quidẽ additũ est, sed in Hebraico nõ habetur. In hoc quoq; (vt ait Hieronymus) binarius numerus infamatur, quia primus ab vnitate degenerat, & diuisionis initiator est. Et quia diuisio aquarũ superiorũ atq; inferiorum, diuisionẽ significat bonorũ & malorum, quamuis iustam, tamen propter pœnã ipsorum, qui diuiduntur, malã, ipsaq; diuisio secũda die facta est, ipsumq; quod dicimus secundũ, à binario nõ voce, sed sensu proficiscitur, rectè iuxta Hebraicã veritatẽ non est additum in opere diei secundi, & vidit Deus quòd esset bonũ. Igitur cùm secunda dies mundanę creationis laude operis minus illustrata sit, nõ mirũ est, quod huius hebdomadæ, quæ illam respicit, secũda dies minus passionali officio purpurata sit. Habet aũt Euangeliũ huius diei, quòd exceptus cũ ramis palmarum ciuitatẽ Hierusalem ingressus est. Et cũ gentiles eũ videre vellent, vtpote salutem suã, de quo Iacob longè antè prophetauerat, dicẽs: Et ipse erit expectatio gentium, & propter hoc granũ fruméti figuratè se appellasset, mortificãdũ infidelitate Iudęorũ, multiplicãdũ fide populorũ, cum, inquã, clarificationẽ suã saluti gentium diluceſcere postulasset, orãs ad patrẽ & dicens: Pater salui fica me ex hac hora, pater clarifica tuũ nomẽ, venit vox de cœlo dicẽs: Et clarificaui, & iterũ clarificabo. Et quia voluntati obediẽs, in manus quærentium animã suam tradidit seipsum, veniens in spedictam ciuitatem, benè hæc prophetica lectio præmittitur: Dñs Deus aperuit mihi aurẽ, scilicet, vt voluntati eius obedirẽ, ego autẽ non cõtradico, retrorsum non abij: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, &c. quæ ad hoc consonant, quòd pati nõ refugiens, pro salute mũdi seipsum tradidit. Ad hoc aũt, q; in euangelio sese orat clarificari, scilicet gloria resurrectionis, cuncta membra cõsonant officij, quo se eripi, secq; nocentes atq; impugnantes, iudicari postulat atq; expugnari. *Gen.49.* *Iohan.12.* *Esa.50.*

De feria tertia. Cap. XII.

FEria tertia legendã passionẽ benè prędicurrit Hieremię lectio, qua in persona eius dicit: Tu dñe demõstrasti mihi & cognoui, tu ostẽdisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus, qui portatur ad victimã, & nõ cognoui, quia cõcitauerunt aduersum me cõsilia, dicẽtes: Venite, mittamus lignũ in pane eius, & cõteramus eum de terra viuentium. Tu dñe Sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda, videã quęso vltionem tuam ex eis. Nã *Hier.11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

per hos dies vsque in quartã feriam, hæc ſtudia, hæc illorũ cõſilia magis ac magis feruescebant, ſed metuentibus, ne forte tumultus fieret in populo, facultas deerat. Nãque ipſe dominus noſter, dieb. quidem (vt ait Lucas Euãgeliſta) erat docens in tẽplo, noctibus verò exibat in mõtem, qui vocatur Oliueti, & populus magnificabat eũ in templo. Et in tãtum nulli vnquam adulatus eſt (vt ait Hieronymus) vt in magna & ampla ciuitate vel vnius noctis hoſpitium nũquam habuerit. Et quomodo ſuperbiſſimus Aman erecta cruce in domo ſua, quã parauerat Mardochæo, quærebat opportunitatẽ, qua ſuggereret regi de illo mane, vt appenderetur: ſic diabolus inito cõſilio in domo ſua, id eſt, in cordibus Iudęorũ, dicendo: Venite, mittamus lignum in pane eius, id eſt, crucẽ in corpus eius, quęrebat opportunitatem, vt Romanę poteſtati traderet Ieſum. Vltionẽ ergo videtes ex eis, in Epiſtola dictum eſt, gloriamur in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Nam is, à quo cõſilium acceperũt, vt mitterent lignum in panem eius, eodem ligno transfixus & ſpoliatus eſt, vt crux Chriſti gloriola, à pœna reorum ſubleuata eſt in frõtibus imperatorũ. Itaque in Introitu cantamus: Gloriari nos oportet in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, cętera q̃ ſequũtur in officio, manifeſtè verba sũt perſonæ eius agonizantis, & reſurrectionem ſuam exorantis.

Luc. 21.

Heſter. 11.

Galat. 6.

De quarta feria. Caput XIII.

FEria quarta vẽditio capitis noſtri, totius corporis eccleſiæ, cõtritionis & humilitatis inuſitatæ principiũ eſt. Hac nanq; die abijt Iudas, & locutus eſt cũ principibus ſacerdotũ & magiſtratib. quẽadmodũ Ieſum traderet eis. Et gauiſi ſunt, & pacti sũt illi pecuniã dare. Et ſpopondit. Igitur pro eo, q̃ eccleſia hac die capite diminuta eſt, deponit hac eadẽ die cõſuetudinalẽ proceſsionis ſuæ cultũ, totiuſq; nocturni atque diurni pſallendi poſt hãc diem, gaudiũ obſcurat vſitatũ. Sed & per totũ anni circulũ in pœnitẽtialiũ obſeruatione ieiuniorũ, propter causã ſupradictã, quarta feria poſt ſextã, in qua dominus noſter crucifixus eſt, ſecundũ obtinet gradum. Nũc in officio huius quartæ feriæ, quia præ cæteris ſacra diſpoſitione prefulget, imo quia penè totum vẽditi capitis noſtri luctuoſa vox eſt, pauliſper immorari libet. Primoq; hoc dicendum, quod geminas lectiones lógumque ac lugubrẽ, pro ſecundo graduali, tractũ, propter iã dictam dñi venditionẽ, præſentis diei meruit officiũ, cunctaque officij mẽbra reuerentiæ domini orãtis, & in faciẽ ſuã proſtrati venerabiliter ſubſeruiunt, de quo hac die legitur in paſsione ſecundũ Lucã, hoc modo: Et ipſe auulſus eſt ab eis, quãtum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat dicẽs: Pater, ſi vis, trãsfer calicẽ iſtũ à me. Et factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius tanquàm guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Apparuit aũt illi angel⁹ de cœlo cõfortans eũ. Et quidem cæteri quoque Euãgeliſtæ oraſſe referunt eũ ad patrẽ, quo indubitãter minor eſt ſecundũ humanitatẽ, in qua etiam minoratus eſt, paulo minus ab angelis. Sed hic diſertus vitulus ſcilicet Lucas, victimationem ſalutaris vituli elegantius proſequẽs, ex habitu eius in infirmitate noſtra orãtis, magis admirabile mũdo & angelis & hominib. prębet ſpectaculũ. Vnde cõtremiſcit eccleſia tantorũ mirabiliũ contẽplatrix, & in introitu, quaſi attonita repẽtino clamore cõcrepat. In nomine dñi omne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtriũ, & infernorũ, &c. Nimirũ omniũ angelorũ hominũque dominũ procidiſſe, & in ſudore ſanguinis agonizari videns, humana corda hoc terrifico clamore percutit, ne quis audeat ſtare rigidus & elatus, cum ille tãtus in tã magna ſele propter nos humilitate deijciens genua poſuerit. Magnũ piũq; huius diei dignũque ſpectaculo mentiũ noſtrarũ officiũ, quod laborat ſancta Eccleſia, ſingulorũ corda filiorũ ad tantę rei præſentiam, per cõtẽplationẽ reducere, & per voces Apoſtolorũ atque prophetarũ quaſi præſentiũ, & agonizantẽ dominum circũſtantium, in admirationẽ & cõpaſsionẽ excitare. Cõclamata nãq; (vt dictũ eſt) antiphona introitus, q̃ de Apoſtolo sũpta eſt, quod valde rarum eſt, paucæ nãq; de nouo teſtamẽto ſumptę ſunt, protinus Eſaias propheta deſiderãtiſsimus huius dominicæ paſsionis expectator & præco, quaſi præſens accurrit, lectoris voce nos ad videndum agonem illum excitans atq; dicens: Dicite filiæ Sion, ecce ſaluator tuus venit, & addit, ecce merces eius cum eo, & opus illius corã illo. Pulchrè ſatis breuiterq́ue cõmendãs, & opus paſsionis, cui intendebat & mercedẽ glorię vel honoris, quo coronãdus erat per diuinitatẽ, q̃ cum eo eſt, ſcilicet in vnius eiuſdẽque vnitate perſonæ. Statimque admirãs illius habitũ, quis eſt (inquit) iſte, qui venit de Edom, id eſt, de ſanguineis ſiue terrenis Iudæis, tinctis veſtibus, id eſt, membris corporis, q̃ ſunt veſtimenta diuinitatis, tincta ex purpura ſanguinis. Tinctis, inquit, veſtib. de Boſra? Boſra interpretatur firma atq; munita, ſignificatq; ciuitatẽ Hieruſalem, quam ipſe, qui ab illa cruẽtatus eſt dominus, ſuo quondam auxilio magis, quàm murorũ ambitu firmauerat atq; munierat.

Luc. 22.

Philip. 2.

Eſai. 62.

Ioan. 8.

nierat. Eſt aũt ciuitas in Moab. Quo nomine fortiter Hieroſolymitanos percutit Iudæos. Cõſequitur enim, vt ipſi Moabitę ſint, vt verè ſunt. Moab quippe interpretatur ex patre. Et dominus cũ dixiſſet Iudęis, ſi filij Abrahę eſtis, opera vtiq; Abrahæ facite: nũc aũt quæritis me interficere, hoc Abrahã non fecit, ſubſecutus adiunxit: Vos ex patre diabolo eſtis. Itaq; cũ dixiſſet, quis eſt iſte, illo reſpõdente ac dicẽte: Ego, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Rurſus interrogat: Quare ergo rubrum eſt indumentum tuũ, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? id eſt, cùm tu loqueris iuſtitiam, quare cruẽtatus es preſſura crucis? At ille, torcular, inquit, calcaui ſolus, ſubauditur pro omnibus vt oẽs liberarentur. His auditis Eccleſiæ chorus, ſciens agonẽ domini, ſudorẽq; ſanguineũ, & orationẽ pro ſe, imò ſuam eſſe, ſuas adiũgit voces, nec tamen loquitur plura liter, eò quòd vna ſit perſona cũ Chriſto, tãquam corpus cum capite ſuo, ſuccinitq́; graduale. Ne auertas faciẽ tuam à puero tuo, id eſt, à me, qui ſum puer tuus, id eſt, ſeru⁹ tuus, quoniã tribulor, ſcilicet pro te, velociter exaudi me, id eſt, reſuſcita me. Saluum me fac, quoniam aquæ, id eſt, Iudæi, qui ſemper ſunt in motu inuidiæ, intrauerũt vſq; ad animam meã, id eſt, eouſque vt me occidãt, inter quos commorans, infixus ſum in limo profundi, qui ita ſunt, quòd nõ eſt ſubſtantia, quia verum eſſe amiſerunt. Itemque altera lectione eiuſdem prophetæ declamata, quam ille, cũ eloqueretur, pręuidebat eum ſpirituali oculo in eodem ſchemate, in quo nunc ab Euangeliſta repræſentatur, ſcilicet nõ habentem ſpeciẽ neque decorẽ, aſcendentem ſicut virgultum, & ſicut radicem de terra ſitienti, deſpectum, & nouiſsimũ virorum, virũ dolorum, & ſcientem infirmitatẽ, vulneratũ propter iniquitates noſtras, & attritum propter ſcelera noſtra, cum ſceleratis reputatũ, & pro tranſgreſſoribus exorantẽ. Hac, inquam, lectione pronunciata, fit, quod nunquam alia die per annum agitur prẽter hanc feriã quartam, & magnum diem Paraſceuen, & prẽter ſabbãta quatuor temporalium ieiuniorum, ſcilicet quod epiſtolam nõ graduale, ſed tractus ſequitur. Nam prẽter ſuprà dictos dies, ſemper graduale ſequitur epiſtolam aut alleluia, ſi ratio temporis graduale ſubmoueat, quod fit per dies Pentecoſtes. Cauſa autem hæc eſt, quia muſicus ille, qui dixit: Cantauimus vobis & non ſaltaſtis, lamentauimus & non ploraſtis, cuius cantationi alleluia, quaſi ſaltatio, lamentationi verò graduale, quaſi ploratio pœnitentiæ reſpondet, ſicut ſuo loco iam dictum eſt: Ille, inquam, muſicus his diebus aufertur. Nam feria quarta vẽditur, feria ſexta ſequenti crucifigitur. Sed die Paraſceues ſingulas lectiões ſinguli tractus ſub ſequuntur. Hac autem die, quia venditus, licet tamen adhuc cum diſcipulis habebatur, vnus tantum tractus pro graduali tanquam imperfectus adhuc luctus aſſumitur. Quòd autem tractus lugentium ſit, magiſq́; luctui congruat quàm graduale, quod eſt pœnitentium lamentum, illud comprobat, quòd nõ cum alleluia vt graduale, ſed pro alleluia canitur his diebus, quibus mortem, quæ ſubintrauit in mundum per inuidiã diaboli, id eſt, à ſeptuageſima vſq; in Paſcha lugemus. Tractus autem hic de Pſalmo centeſimo primo eſt, qui rei & tempori valde congruit. Nã & titulus ad articulum temporis pertinet, quo vel in agoniam factus prolixius orauit, ſanguineo ſudore madens, quod ſignũ erat ſanguinis plurimi cæde martyrum effundendi, vel quo pro tranſgreſſoribus orauit, dicens: Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. Itemq́; pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum. Sic enim ſe habet titulus: Oratio pauperis, cum anxiaretur, & corã domino effunderet precem ſuã. Pauper hic ipſe eſt, qui, vt ait Apoſtolus, cũ diues eſſet gratia ſua, propter nos egenus fact⁹ eſt. Cũ hoc ergo paupere pro nobis oráte, cũcti pauperes ſpiritu, qui corpus vnum cum illo ſunt, illo præorante, pariter orant. Aureumq́; thuribulum immaculati corporis tenenti huic ſummo angelo, ſuæq́; orationis incenſum præferenti, ſuarũ quoq; chorus noſter orationum incenſa certatim ſimul injicit, dicendo ac repetendo: Domine exaudi orationem meã, &c: Lecta quoq; paſsione, ſacrificium eiuſdẽ iteratæ orationis in offerenda ſubijcit. Commonio quoque de eodẽ Pſalmo eſt: Potũ meum cum fletu temperabam: vt aduertas totũ hũc Pſalmũ in perſona eius eſſe conſcriptũ. Qui, vt ait Apoſtolus, in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui illũ ſaluũ facere poſsit à morte, cum clamore valido ac multis lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Illud ad ſummũ non prætereundum, quòd hac die conuenienter hic ſol iuſtitiæ ad noſtram ſalutem vẽditus eſt, quia in illa mũdanæ creatiõis hebdomada ſol iſte viſibilis ad lucendum mundo formatus eſt. Et ô verè mira diuinæ gratię diſpoſitio. Magna & mira charitatis vnicę dignatio. Sic pro nobis perditis dignatus eſt pati, vt pro venditis quoque non dedignaretur venundari. Venditi quippe fueramus nos venditiõe miſerabili, ſicut & ipſe per prophetã dominus dicit;

Iohan. 8.

Pſal. 68.

Matth. 11.

Iſa. 53.

Sapient. 2.

Luc. 22.

Luc. 23.

Pſal. 101.

2. Cor. 8.

Apoca. 8.

Pſal. 101.

Hebra. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esa. 52. dicit: Gratis venundati estis,& sine argento redimemini. Vera & diuini ponderis sententia. Gratis, inquit, venundati estis,id est,falsis promissionibus decepti. Quid enim saltē tēporalis emolumenti miser assecutus est homo,pro eo quod recessit à Deo,seipsum tradēs diabolo? Et sine argēto redimemini. quid enim captiua filia Syon, pro redēptione tua dedisti? Nullis præcedentibus meritis, sed sola gratia, Christus venditus, vænundatos redemit.

De feria quinta,quam cœnam domini nominamus. Cap. XIIII.

FEria quinta,quam cœnam domini nominamus,partim lętarum,partim tristiū variatur cōmemoratione rerum: & secundum vtriusq; habitus, lętitiæ scilicet ac tristitiæ distantiā,regularium quoq; officiorum diuersas ac pene cōtrarias retinet qualitates.Missa nanq; integrum,& valde festiuum,imò plus quàm vsitatū habet officium : per regulares aūt horas,neq; festiuū,neq; more vsitato,integrum Deo debitū reddimus seruitium.Singulis horis capita,id est,initia prēcidimus,fines quoq; earū,sub silentio abscōdimus: missa verò &plenariè soleniterq; pficitur,& per manus Pōtificis, multiplicibus pietatis sacramentis singulariter fœcundatur.Et sicut die quinta in hebdomada mundanę creationis, genus ex aquis ortū,partim gurgiti remissū, partim in aēra leuatum est, vt stirpe vna prodita,diuersa raperēt loca: sic feria quinta huius hebdomadę,qua sumus recreati,sacramēta vnius eiusdemq; salutis,partim nos deprimunt in tristitiā. partim leuant in gaudium. vt pro vna salute edita, valde diuerso cultu vel habitu celebrentur mysteria. Causas ergo iuxta textum requirētes Euāgelicum, ab his quæ læta sunt,sumamus initium.

Cur solennis sit missa eiusdem diei. Caput. XV.

SOlennitatis, qua prædictæ diei missa tristes inter horas exultat,sicut medias inter nebulas sol interdum subrutilat, causa hæc
Psal. 109. est, quòd dominus Christus sanctus sanctorum,cui à patre cum iuramento dictum est: Tu es sacerdos in æternum secundū ordinē Melchizedech. Ipse pontifex, ipse & hostia,
Matth. 16. noui nobis sacrificij ritū instituit qua nocte tradebatur,accipiens panem & calicem vini, benedicensq; ac dicens: Hoc est corpus meū, hic est calix sanguinis mei. Tūc enim primū
1. Cor. 11. officio sui functus est sacerdotij,finem imponens sacerdotio veteri:& post esum agni typici seipsum,qui verus est agnus, Deo patri
Hebra. 5. suis offerēs manibus.atq; hoc est quod Apostolus ait, quia nō per sanguinē hyrcorū aut vitulorum,sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta,æterna redemptione inuenta. Ipsum nanq; corpus, quod occisū est ab impijs,ipsum eundem sanguinem,qui in cruce fusus est,ipse tūc sempiternus sacerdos obtulit, & de quo alio loco dictum est,
Iohan. 1. cùm illum Iudæi lapidare vellent, Iesus autē abscōdit se,& exiuit de templo:nunc verè de templo Iudęorum exiuit,& eorum sacrificia dereliquit, seq; in sacrificio panis & vini ita abscōdit, vt ab impijs omnino agnosci nō valeat,quid ibi sit. Igitur quia verum sacrificiū hodie contradidit,nouumq; testamentū suis
Heb. 9. hæredib. moriturus suo sanguine cōscripsit in spiritu humilitatis & in animo contrito,
Matth. 26. sicut ipse dicit: Tristis est anima mea vsq; ad mortem,recte in medio tristitię,quę per oēs horas significatur, sola missa solennem concentum,lætumq; ministrorum altaris meretur ornatum. Et ne quid venustatis sancto sacrificio desit, vtpote in die suæ institutionis, Gloria in excelsis quoq; à pontifice decantatur. Et quisq; pontifex,quicquid sui est
Philip. 4. officij debet hac die de integro perficere Itaque pœnitentes ecclesiæ restituit, olcum benedicit, chrisma conficit,quo signati testimoniū accipientes Spiritus sancti,dicimus Deo: Signatum est super nos lumen vultus tui. Venerabilis & pius est ordo consecrationis, sed si causas eorum, quæ in eadem consecratione aguntur,vel tenuiter inspexeris, multò amplius intima pietatis pulchritudine delectaberis. Ordo quippe ipse ab omnibus videtur,sed nos iuxta propositum causas quęremus. Quid ergo chrisma significet, aut qd illo in nobis agatur, vel cur hac die consecretur, quidve mysterij consecrationis eius ordo contineat, veri luminis largitore pręeunte,considerare cupimus.

De Chrismate. Cap. XVI.

CHrisma Grecè, Latinè dicitur vnctio,à quo nomine dominus noster Christus, id est, vnctus nuncupatur. Chrismate vngendum primus Moyses instituit in Exodo, ℣ Exod. 30.
& iubente domino cōposuit, & eo primùm Aaron & filij eius vncti sunt. Eratque eo tempore mystica vnctio tātùm in regibus & sacerdotibus,qua Christus rex summus & sacerdos verus prefigurabatur.Sed postquàm per se ipsum veniēs Christus Dei filius,à Deo patre cœlesti, & vero vnguento est delibutus, iam non soli pontifices & reges, sed & omnis ecclesia vnctione chrismatis per impositionem manuum consecratur. Quòd solis debeatur Episcopis, vt confignent, & spiritum paracletum tradant. Quod non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm

verum & illa lectio Actorum Apostolorum, quæ asserit,quibusdam in nomine domini Iesu baptizatis, per impositionē manuum Pau-
Actor 8. li Apostoli datum esse Spiritum sanctum, vt vbi legitur: Et cùm imposuisset manus illis Paulus, venit super eos Spiritus sanctus,& reliqua. Item in alio loco scribitur, quòd Apostoli Hierosolymis Petrum & Iohannem miserunt Samariam, vt iam baptizatis traderent Spiritum sanctū. Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum. Vbi apertè datur intelligi, solis pontificibus, Apostolorum vicarijs deberi, vt confignent,& paracletum tradant. Legitur autem in gestis Pontificalibus, quòd Syluester Papa constituit, vt baptizatum linat presbyter chrismate,leuatum de aqua, propter occasiones trāsitus mortis, ne propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizati migrent. Presbyteris itaque chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit cōsecratum, nō tamen frontem (quod solis debetur Episcopis)sed verticem. Forte aliquis dicat: Quid
Galat. 4. mihi prodest post baptismatis mysterium, mysterium confirmationis? Nam si post fontē, adiectione noui generis indigemus, quantum video, non totum de fonte suscepimus. Non ita intelligendum est. Nā quid prodest, si quisquam parentum magnam paruulo conferat hæreditatem , nisi prouideat illi tutorē? Paracletus quippe regeneratis in Christo custos & consolator,& tutor est,qui possent suadente diabolo, sicut paruuli facultatem, perdere baptismi vtilitatem , si hunc non haberent tutorem. Igitur chrisma Spiritus sancti signum est , cuius & virtutem continent. Et
Psal. 22. pulchrè Spiritui sancto, per hanc speciem suā nobis complacuit dare gratiam. Fructus nanque & pinguedo est oleæ, quæ arbor pacis & & luminis ministra est , commixto balsamo, cuius arbor odorifera vna est & præcipua arborum aromaticarum. Sanctus autem spiritus diuinę substantiæ pinguedo est, ita vt quicunq; ex eo refectus fuerit, dicat: Impinguasti in oleo caput meum. Et balsami odor in oleo suauitatem eiusdem Spiritus sancti significat, qua cunctos qui nasum, id est, virtutem habent discretionis, bono odore allicit & suimet appetentes efficit. Quem quicunq; accipi
2. Cor. 2. unt, cum Apostolo dicunt, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Benè ergo Spi-
Rom. 1. ritus sanctus, qui propter nos iccirco agit visibilia, quo per hæc facilius capere queamus inuisibilia, per hoc simile suam nobis suauem & odoriferam infundit gratiam.

Quod rectè hac die chrisma consecretur. Caput XVII.

NOtum est, hunc diē quartumdecimum diem primi mensis referre , quo agnus immolari ad vesperam iussus est , & de sanguine eius vterque postis signari , & superliminare domorum, in quibus comedendus esset, vt eo signo viso, exterminator Aegypti sacri cōuiuij domos intactas præteriret.Constat aūt, ideo frontibus nostris ex ipso chrismate imprimi signum crucis Christi , vt exterminator diabolus in domib. animarū corporumq; nostrorum ius nocendi nullum habeat , & hoc illius typici agni sanguine , quo postes signabantur,fuisse prefiguratum. Rectè ergo,qua die figura tantū illud agebatur, nobis hoc præsentis rei sacrum soleniter conficitur. Secundum hanc similitudinem consequens videretur, vt hac ipsa nocte domus eorum,in quibus agnus comedendus est, id est, frontes eorum , in quorum mentibus fides agni Dei Christi recōditur, sacro chrismate signarentur. Quod rectè videretur , si hac eadem nocte, Paschale conuiuium celebrare conueniret cū eo,quod lugemus,scelere Iudæorū. Nunc aūt, licet dominica passio salutis nostræ summa sit,rationabiliter tamē sancta Ecclesia diem illum,in quo passus est, luctui potius & silentio dedicauit, & gaudiū solennitatis eiusdem, qua sumus redempti, vsq;in diē tertium,quo victor ille resurrexit, differendum censuit, vt tunc demum & pro recuperata animarum salute, quæ sexta feria patrata est, & pro futura corporum resurrectione,quæ illo resurgente prima sabbati nobis donata est,conuiuium paschalis agni celebremus in domibus nostris, dicentes: Pascha
1. Cor. 5. nostrum immolatus est Christus,itaq; epulemur in azymis synceritatis & veritatis. Rectius ergo sumētes illud, vnde postes nostrarum frontium signemus,quia scimus vsq; in vesperā sabbati,quę nobis est vespera paschalis conuiuij, & tunc signatis frontibus baptizatorum,qui verum Pharaonem,scilicet diabolum effugientes,per mare rubrum baptismi ad eum tēdunt,illud nostrū in voce exultationis & cōfessionis inchoamus conuiuiū. Et si quæras, cur non ipsa quoque chrismatis cōsecratio dilata est,ideo scilicet, quòd ab hac feria quinta vsque in vesperam sabbathi, qua hora vtendum est chrismate, vacamus à missarum solennijs,eo loco, quo pacem accipimus, fas est consecrare. Et ante hæc baptismum celebrari hoc sabbato sancto,ratio exigit, de quo dicēdū est suo loco,id est,magno sabbati sancti officio. Non igitur chrismatis quoq; cōsecratio differri debuit aut potuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid mysterij contineat ordo consecrandi chrismatis.
Cap. XVIII.

IN eo loco, vbi solemus vuas benedicere, consecratur oleum pro infirmis, concluditurq; conclusione, per quem hæc omnia dominе semper bona creas, &c. Non enim proprium habet officiū, id est, nec in capite verba salutationis, hoc est, dominus vobiscum: ne in fine concluditur, vt cæteræ orationes, per dominum nostrum. Huius verò chrismatis olei consecratio, quæ dicitur principalis, quia ad eius vnctionē principalis tribuitur spiritus, id est, septiformis paracletus, habet officium per se. Primò exorcizatur, deinde ad dominus vobiscum & sursum corda, eius benedictio inchoatur, finiturq; per dominum nostrum. Consecratur autem in eo loco, vbi pacem solemus inter nos dare, & hoc est opus diuinę gratię, vt pax & cōcordia regnet in nobis. Duodecim presbyteri, qui ordinantur circa Episcopum, testes & auditores eiusdem mysterij, duodecim Apostolos significant: quorū in præsentia summus Pontifex Christus hodie testamentum conscripsit, totamq; hereditatem salutis, sueq; discessionis fructum, id est, spiritū paracletū oftendit, dicens: Nisi ego abiero, paracletus nō veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Eius nanque gratię sacramentum chrisma cōtinet, qui ex quo mortis Christi precio quodammodo emptus & acquisitus est, cœpit (quod antè non fiebat) in remissionē peccatorum dari. Vnde & paracletus tunc primùm appellatus est, quia pro damnatis nobis in primo parente, peccatorū remissio sola paraclesis, id est, consolatio est, quę nō nisi abeunte, id est, moriente Christo nobis vnquam acquisita fuisset. Dicit libellus Romani ordinis de consecratione chrismatis. Cōtinuò duo acolyti inuolutas ampullas cū sindone alba de serico teneāt in brachio dextro, ita vt videri possint à medio. Ampulla, antequàm veniat ante Episcopum ad altare, media eius pars est cooperta, & media nuda. Ampulla cum chrismate quodammodo significat corpus Christi, sumptum ex virgine, corporaliter in se habitantem, continens Spiritus sancti plenitudinem. Quod, antequam transiret ad altare crucis, aliquo tempore erat coopertum, & aliquo nudum. Primæuo tempore erat coopertum, quando ita fugit in Aegyptum, quasi non esset rex regum: & quando ita portatus est ad templum, quasi non esset omnipotens, quando ita subditus erat parentibus, quasi non esset autor parentum. In his, & similibus coopertum latebat. Nudum erat, postquàm miracula cœpit facere, simulq; prędicare, & se deum demonstrare, vt ego & pater, inquit, vnū sumus. In his & alijs nudum erat. Ampulla verò, postquàm benedicta fuerit, & ab altari redit, à pōtifice & ministris altaris visibiliter & nuda salutatur, hoc significat, quod christus, postquàm ab altari crucis trāsiuit, præsentiā suam corporalem eis prębuit, quos testes suę resurrectionis esse voluit. Quòd cæteris inuisibilis & operta ad salutandū defertur, significat, quòd Christus rediens in cœlum, inuisibilis hominib. factus est, vt ipse testatur. Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Nos verò, quanuis corporalem eius præsentiam nō videamus, tamen venerando eum quotidie salutamus

Ioan.16.

Coloss.2. Matth.2. Luc.2.

Ioan.13. Ioan.16.

Luc.24.

Ioan.16.

Quòd rectè hac die pœnitentes Ecclesiæ restituantur.
Cap. XIX.

OMni quidem tempore illa debent Episcopi fungi legatione ad recōciliationē peccatorum, de qua Apostolus loquens, cùm dixisset: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis, protinus adiunxit: Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Maximè tamen hoc die huiusmodi legatis solenne est, hac legatione fungi, & peccatores, qui baptismum criminibus superductis perdiderunt, & propter hoc extra Ecclesiam missi sunt, & sicut ablactatum super matre sua facti sunt, oblata reconciliatione, vltrò in sinum matris eorum reuocare, & vt ipsam reconciliationē libenter acquiescentes suscipiant, palàm & solenniter foras egrediendo obsecrare. Astitit enim hac die vultui Dei pro nobis Christus, Pontifex summus in multitudine misericordiæ, & sicut suprà dictum est: Semel officio sacerdotij functus est, tradens sacramentū corporis & sanguinis sui, statimq; sacerdos ipse, qui & hostia, captus & ligatus, ad passionē ductus est. Vt quid em̄ misericordia ligata est, nisi vt miseros peccatores solueret pœnitentes? Vt quid Christus, nisi pro impijs mortuus est? Commendat autem, inquit, Apostolus, charitatem suam deus in nobis: quoniā cū inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Quamuis ergo à diuitijs bonitatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiā remissio peccatorū, & copiosior per gratiā assumptio renascētiū. Augemur renouandis, crescimus reuersis. Lauant aquę, lauant lachrymę. Inde est gaudium

2. Cor.10.

Psal.130.

Heb.9.

dium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Cuius peccatoris cor adeo frigore criminū induruit, vt non colliquescat calore pietatis, dum audit vocem sæpè dicti sacerdotis Christi, pro foribus Ecclesiæ dicentis, per tubas suas rationales: Venite, venite, venite, filij audite me, timorem Domini docebo vos? Nam vt probemus hanc eius esse vocem, sumptum est hoc de psalmo tricesimotertio, cui titulus inscribitur, Psalmus Dauid, cùm commutauit vultum suum coram Abimelech, & ferebatur in manibus suis, & dimisit eum & abijt. Est autem celeberrimum in scripturis sacris & iam à nobis dictum est, Dauid, id est, manu fortem & desiderabilem, qui fugiēs persecutionē Saul, venit ad Achis, qui hic appellatur Abimelech, & coram illo immutauit vultum suum, & ferebatur in manib. suis, significasse dominum Iesum, qui corā Abimelech, quod interpretatur patris mei regnum, scilicet coram Iudæis immutauit vultum suum, id est, sacrificandi ritum, quando immolato iam pascha veteris agno, sumens panem & vinū ferebatur in manibus suis, dicens: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Hoc autem hac remissionis & gratiæ die factū est. Cùm ergo tātus Pontifex Deo patri assistit, tenēs panem & vinum, & inuitat omnes ad corporis & sanguinis sui conuiuium, nullum iustum, nullum excipiens peccatorem, dicensque per ora pontificum: Venite filij, audite me, cuius peccatoris vel saxeum pectus ad lamentum pœnitentiæ non emolliatur? Magna vox inuitantis est, magnus & capax suscipientis sinus est, omnes Ecclesiæ patent ianuæ, vt aduertas neq; ab austro neq; ab aquilone venientes, id est, neq; iustos, neq; peccatores debere prohiberi, quin accedant ad apertos diuinæ misericordiæ fontes.

Psal. 33. 1. Regū 21.

De Lotione pedum, simul & officio.
Caput XX.

QVod dominus & Deus omnium pedes lauit discipulis suis, dupliciter nos videlicet morali pariter atq; allegorico sensu instruit. Si enim, inquit, laui pedes vestros, dominus & magister, quantò magis vos debetis alter alterius lauare pedes? Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Quomodo nos, cū simus puluis & cinis, non erubescamus rigidam ceruicem, & staturam, ad quā nemo nostrūm cogitans cubitum vnum potest adijcere, in contemptum nostri similium erigere, cùm audiuimus humani plasmatis opificem, solo flexis genibus curuatum, lauandis discipulorū se applicuisse vestigijs? Hoc igitur facto, validum contra superbiam nostram suę humilitatis posuit exemplum. Quod ideo iā moriturus egit, vt eorum, quos suos conscribebat hęredes, mentibus arctius inhæreret. Solent enim pijs & amātibus filijs arctius inhærere dicta vel facta, quę pater moriens vltima dixit, quæ mādauit, quę locutus est, quę rogauit, aut iussit. Porrò per hoc humilitatis opus, maius aliquid mysticè significauit, quod ideo prætereundum non est, quia totū inde officium hodiernæ Missæ pendet. Per hoc nanq; quodammodo elocutus est, quia surrexerat à cœna, id est, à conuiuio paternæ glorię, & posuerat vestimēta sua, semetipsum enim exinaniuit, formam serui accipiens, & terrena carne nostra, quasi linteo (cuius vtiq; materia nascitur è terra) pręcinctus, sanguinē suum effudit velut aquam in peluim, atq; inde quotidie lauat pedes nostros, cùm illū in remissionem peccatorum nostrorum sumimus. Pedes quippe nostros, id est, actus nostros quotidie nec esse habemus lauari, quāuis semel loti per baptismū, toti simus mundi per fidem. Si dixerimus, quia peccatum nō habemus, & sic lauari pedes nostros recusauerimus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nō est. Quamuis lotus, quamuis mundus esset Petrus, & si, inquit dominus, non lauero te, nō habebis partem mecum. Cui par est illud, quod alibi dicit: Nisi manducaueritis carnē meam, & biberitis sanguinē meum, non habebitis vitam in vobis. Secundum hunc veracem, & à patribus approbatum huius Euāgelicæ lectionis sensum, rectè illa de Apostolo præmittitur lectio: Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare, &c. Illic enim ostenditur, qualiter hoc sacramento lauemur, & nō iudicium nobis manducemus & bibamus, vi delicet vt probet se quisq; nostrūm, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Nullo quippe alio modo melius à sordibus terrenorum actuum purificamur, si nō peccata nostra fouentes, sed odio habentes, & toto corde fugientes, ad hanc mensam accedimus. Quoties sancto altari assistimus, Christi vtiq; personam, vicemq; gerentes, sicut suo loco iam dictum est. Nam & Apostolus dicit: An experimentum vultis eius, qui in me loquitur Christus? quoties hæc eius verba super panē vinumq; effundimus: Hoc est corpus meū: Hic est calix sanguinis mei, &c. Ipse minister speciosus & elegans, qui non venit ministrari sed ministrare, de Missa quodammodo atque complicata imperij sui purpura, byrrho fustrictus byssino, totusq; ministrorum in morem expeditus, propinaturus nobis cali-

Iohan.13.

Matth.6.

Luc. 12.

Iohan.13.

1. Iohan.1.

1. Cor.11.

2. Cor.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem salutis cum pane vitæ, aureũ liquidumque diuinitatis suę superfundit pigmentum, atque ita singulis submiſtrãs haurientibus nobis in gaudio, infundit vsque in interiores sensus animæ, purificatq; eos, qui terrena curantes, & si non penitus ea conculcent, tamẽ nõ possunt omnino euadere, quin ex aliqua parte vel leuiter sordidentur. Quod, quanta charitate & humilitate faciat, vt sciremus, illud nobis sui corporis & sanguinis sacramentum traditurus, prius pedes lauit, sicut iam dictum est, per hoc simile purificationẽ illã decentissimè commendans. Rectè ergo talis
Iohan. 13. Apostolica lectio iam dicto prẽmittitur Euãgelio. Quia verò, postquàm lauit pedes eorũ, accepit vestimenta sua: & cùm iterum recubuisset, dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis, &c. aptè hæc offerenda sequitur: Dextera do
Psal. 118. mini fecit virtutẽ, dextera domini exaltauit me. Non moriar, sed viuã, & narrabo opera domini. Postquàm enim ministeriũ nostrę salutis omne peregit, recepit vestimẽta glorię & claritatẽ, de qua dixerat orans in forma
Iohan. 17. serui: Clarifica me tu pater apud temetipsum claritate, quã habui prius quàm mundus esset apud te: & recumbẽs iterũ in dextera Dei
Luc. 24. aperuit illis sensum, dato Spiritu sancto vt intelligerent scripturas, & scirent quid fecerit eis: & tunc impletũ est, quod multò ante prophetatum, nunc eo respectu canitur, vt dictũ
Rom. 6. est. Quod enim hic dicitur: Non moriar, sed viuã, hoc est, quod Apostolus ait: Christus resurgens ex mortuis iam nẽ moritur, mors illi vltrà nõ dominabitur, quòd enim viuit, viuit Deo: ex illo recubitu suo. Narrabo, inquit, opera domini, & dicit: Scitis qd fecerim vobis, per interpretem suum Spiritum sanctum, quem dedit nobis. Reliqua patenter ad eundem sensum pertinent.

Cur à prælatis lauari debeant pedes subditorum. Cap. XXI.

INtereà valdè notandum est, quàm verè, quàm sapienter nobis cõsuluit in eo quoque, quod exterius egit, dũ Apostolos suos, omnesq; prælatos Ecclesiæ, talis seruitij quo dammodo vectigales esse voluit, vt solenni more subditorum suorum pedes exẽplo suo lauare debeant. Per hoc enim quotannis inculcat, & replicat id, quod ait Luc xxij. Reges gentium dominantur eorum, & qui pote
Luc. 22. statẽ habent super illos, benefici vocãtur, vos autem non sic, sed qui maior est vestrũm, fiat sicut minor. & qui præcessor est, sicut ministrator. Valde nanque repugnantia sunt, dominari vt reges gentium, & ex debito iussuq; regulæ Euangelicæ lauare pedes in modum seruorum. Vnde vnus ex magnis Apostolis,
2. Cor. 4. Non prædicamus, inquit, nosmetipsos, sed Iesum Christum, nos autẽ seruos vestros per Deum. Sed non in vitijs suis possunt subditi hac libertate vti. Cũ enim homines vitiose viuũt, bestiales, id est, bestijs similes fiunt. Vt autem prælati Ecclesię bestialibus dominentur, vetus quoq; illis authoritas suffragatur, qua creatis primis hominibus præcipi-
Gen. 1. tur, vt bestijs terræ dominentur. Igitur vbi subditi similes fiunt bestijs, illic Euangelicus homo dominari se debere iure recognoscit. Dum ergo prelati subditis suis hac die pedes lauant, dum cibum reuerenter porrigunt, potumq; miscent, perit authoritas dominandi, totumq; regum gentium & eorum, qui potestatem habentes benefici vocari affectant, deprimitur in ipsis supercilium. Quòd autem lotis pedibus discipulorum os suum aperuit dominus, sermonẽq; edidit splendidissimum, quo paracletum illum tam sedulè repromittit Spiritum sanctum, quodq; & nos, lotis eius exemplo pedibus, eundem sermonẽ legimus vel audimus, hoc significat, quod non nisi lotis & mundis gratia Sanctispiritus
Apoca. 21. ostenditur. Vnde & in Apocalypsi, cùm Iohanni dixisset angelus: Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciẽs iniquitatem & mendacium, protinus adiungitur: Et ostẽdit mihi fluuium aquæ viuæ, tanquàm crystallum, procedentem de sede Dei & agni.
Ezech. 47. De hoc fluuio & in Ezechiele legimus: Vidi aquam egredientem de tẽplo à latere dextro, & omnes, ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt. Non enim omnes, ad quoscunq; peruenit visibilis baptismi fons, salui fiunt: Alioquin Simonem Magum, visibiles baptis-
Actor. 8. mi aquas ingredientem, salus non refugisset: sed de hoc vitæ fonte, pacisq; fluuio dictum est, penes quem est omne arbitrium salutis, quem dominus supradicto modo purificatis hoc subsequenti sermone se daturum repromittit.

De mandato pauperum. Cap. XXII.

MAndatum quod agitur inter pauperes, nõ omnino eiusdem rationis est. Illud enim Christi, hoc ecclesię est. Illud diei
Iohan. 12 præsentis, hoc præteriti spectat historiam sabbathi. Sabbatho nanque, quando venit dominus Iesus Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit, Maria accepit libram vnguenti nardi pistici preciosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius, & domus impleta est ex odore vnguenti. Mulierem illam imitatur Ecclesia, pedes domini vngens, id est, pauperes eleemosynis refouens, qui licet infima, tamen eius membra

bra sunt, & sicut pedes, ita magni corporis eius, extremæ reputantur partes. Hos pedes capillis suis tersit, id est, superfluis rerũ suarum refecit, sicut Apostolus ait: Vestra abun-
2. Cor. 8. dantia illorum inopiam suppleat. Hoc ergo mandatum Ecclesiæ obsequium est, ideoq; cuncta congregatio pedes lauat pauperum: in illo autem soli, vt dictum est, prælati, vice Christi deseruiunt. In quo pulchrè dominum suum Ecclesia præuenit, vt antequam Christus discipulorum pedes lauet, ipsi discipuli pedes Christi, id est, pauperũ & lauẽt, & eleemosynæ vnguento vngant: & domus, in qua Christus præsens futurus est, hora qua pedes nostros ipse per prælatos nostros lauabit, præparetur, impleta huius odore vnguenti. Hæc ita esse, ex eo quoq; perspicuũ est, quod cãtamus in diebus illis: mulier ergo Maria vnxit pedes Iesu, & extersit capillis, & domus impleta ex odore vnguenti. causę huius respectu rationabilis mos institutus ab ijs, apud quos religionis studium feruentius est, hoc modo tenetur. Primùm pauperes intra claustrales officinas introducuntur, & antequàm fratres debitum illis in lauandis pedibus charitatis exhibeant obsequiũ, discũbũt ad conuiuiũ, sufficientibusq; ferculis reficiuntur. Nimirũ tunc in illis Christus susci-
Mat. 10. 25. pitur in Bethaniã, id est, domum obedientiæ, fidelque nõ vana gratulatur ibi se illi cœnã fecisse. Tunc cuncta cõgregatio consurgens tanquàm mulier illa Euãgelica, Maria quippe illa typum Ecclesiæ gesserat, consurgens, inquam, de mensa, ad quam considens & modicè gustans, ieiunium fregerat propter tantum hospitem (qui proculdubiò in pauperibus suscipitur) conuenit ante pauperes, ferẽs libram vnguenti, id est, intentionem eleemosynæ, suauiter coram Christo redolentis, & procumbẽs corã illis, sic per omnia tanquàm Christo deseruiuit.

Quòd per horas trium dierum ecclesia suum ordinem non seruat. Caput XXIII.

COnsummatis Missarum solennijs, quæ ob causas suprædictas festiuè celebrata, medijs tristitię nebulis, vt iam dictũ est, quasi sol interfulserũt, statim profundiora eiusdem tristitiæ sequuntur & augescunt silentia. Non enim Ecclesia suum ordinem seruat, quem à vigilijs nocturnis eiusdem diei mutare atque imminuere iam cœperat. A nocturnis ergo vigilijs incipientibus, tantæ mutationis seu diminutionis causas breuiter exequi cupimus.

De inusitatis trium noctium vigilijs. Caput. XXIIII.

PRimò dicendum est, harum trium noctium vigilias, quas & inusitato ordine decantamus, & in tenebris consummamus, exequias esse triduanæ mortis domini, & ideo mortis eiusdem luctui quintæ feriæ vigilias attributas, quia vesperã sabbati, noctemque ipsam, quæ lucescit in prima sabbati, nõ
Matth. 28. decuit exequiarum planctui deputari, cuius medio resurgẽs dominus, totam noctem ipsam cum præcedente vespera victoriæ suæ
Luc. 22. gaudijs illustrauit. Ex tunc nanque cœptum est, vt in omni solẽnitate diem præcedat nox, semperque vespera futuræ diei claritate pręfulgeat. Vt ergo triduanæ mortis domini, triduo peragamus exequias, noctem feriæ quintæ asciuimus simul, quia miserrimi Iudæ infami commercio iam venditus fuerat dominus. Itaque quod canonici nũquàm in priuatis diebus, monachi verò neque priuatis neque solennibus vnquam facere cõsueuerunt, vterque ordo vigilias cum nouę expendit lectionibus, tali ordine, taliq; schemate, vt parum aut nihil ab officio defuncto rum distare videatur.

Cur initia finesq; omittimus. Cap. XXV.

NOn solum autẽ, sed & cunctæ diei sic transiguntur horæ, vt neque initium neque finem habeant consueto more. Et rectè. Nam dominus noster, qui initium & fi-
Iohan. 8. nis est, sicut ipse ait: Ego principium, qui & loquor vobis. Et alibi: Ego sum α & ω, initium & finis: ipse, inquam, qui est caput nostrũ principiũque Iesus Christus, per hos dies ablatus est nobis, traditus in manus impiorum, & inter iniquos proiectus. Itaq; rectè iucunditatis nostræ laudibus, id est, regularibus horis capita præcidimus, finesque earum sub silentio absconditimus, & inter psallendum, Gloria patri omninò subtrahimus.

Cur candelæ extinguantur. Cap. XXVI.

QVòd candelæ extinguntur, illud significat, quòd crucifixo domino tenebræ factæ sunt super terram, ab hora sexta vsque in horam nonam, imo idipsum significat extinctio cãdelarum, quod tenebræ illæ signi-
Mar. 5. ficauerunt, scilicet excæcationem Iudaicæ
Matth. 21. gentis, quæ prius occisis prophetis & lapidatis eis, quia d se missi fuerant, tandem occiso ipso domino prophetarum, meritò in tenebris perfidiæ proiecta & à lumine vultus derelicta est. Numerosa quippe luminaria, quę surgentes ad vigilias ardentia reperimus, vniuersos significant sanctos, qui prophetico sermone lucentes, solemque iustitię nasciturum & passurum, tanquam stellæ præuiæ nuncian-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nunciãtes, lumen diuinæ scientiæ populo illi diuersis temporibus infundere missi sunt. At illi, vitam eorum extinguentes corporalem, cæcitatem sibimet intulêre spiritualem, tandemque audire meruerunt, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, &c. Igitur candelæ in eo, quòd singulæ pòst singulos extinguuntur psalmos, prophetas significant, qui singuli expleto prophetię suę ministerio, ab illis occisi sunt. Illa quoque, quę vltima nõ maior cęteris extinguitur, ipsum dominum significat, qui reputatus quasi vnus ex prophetis, tandẽ occisus est: post quẽ nullus apud illos propheta surrexit, & hic extinctus, profundas illis erroris & perfidię tenebras reliquit.

Quid tropi significant. Caput XXVII.

PLerisq; moris est, vt extinctis luminaribus, in ipsis tenebris lugubres tropi, præcinentibus cãtatoribus & choro respõdente, flebili modulatione decantentur, incipientibus à Kyrie eleison. Significant autem lamenta sanctarum mulierum, quæ (vt in Euangelio legimus) lamentabantur dominum, sedẽtes contra sepulchrum.

De nouo igne. Cap. XXVIII.

AMisso igne, qui ad matutinos, vt dictũ est, extinguitur, ad lapidem per eosdẽ tres dies confugimus, vt vel lapidem percutientes, ex abstrusis eius venis ignem occultum eliciamus, vel liquidum crystalli lapidẽ sereno cœlo soli obijcientes, radium eius traiectum, per eiusdem crystalli orbiculum spectabili miraculo in subiectã susciplamus escam. Nimirum per hoc nobis pulchrè depingimus, quòd Deus, qui dixit de tenebris lucem splendere, illucescat in cordibus nostris ad illuminationem claritatis suæ per mortem Christi, quem (sicut in matutinis præfiguratum est) Iudæi sibimet extinxerũt, & tenebræ factæ sunt. Lapis enim, cum de illo ignem sic excipimus, Christum significat, quem lapidem reprobauerunt ædificantes, qui factus est in caput anguli. Vnde & in benedictione eiusdem ignis oratio talis est: Deus, qui per filium tuum, angularem scilicet lapidem, charitatis ignem tuis fidelibus contulisti, productum è silice, nostris profuturum vsibus, nouũ hunc ignem sanctifica, &c. Prudentius quoq; in hymno suo, qui cantatur in sabbato sancto, cùm dixisset: Lumina nos tamen monstras saxigeno semine quærere, vt ostenderet fieri hoc ad commemorãdum illud, quod de lapide Christo procedit nobis ignis sancti Spiritus, protinus adiũxit, ne nesciret homo spem sibi luminis in Christi solido corpore cõditam, qui dicit stabilem se voluit petrã, nostris igniculis vnde genus venit. Lapis ergo, quem percutientes ignem elicimus, Christum significat, qui percussus verbere crucis, Spiritum sanctum nobis effudit. Quòd si crystalli lapidem soli obijcimus, escamq; subijcimus, vt mediãte crystallo carbones extincti reuiuiscãt aspectu phœbeæ lampadis, illud nobis gratissimè commemorari debet, quod mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, inter Deum extinctosque homines medius interueniens, nostręque infirmitati vsque ad mortem appropinquans, longè à nobis secretum igné, id est, sancti Spiritus altissimam diuinitatem infundit, igné vtique Spiritus sancti, quem, sicut testatur ipse, venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. Non enim vana religio est, solenni processione ad noui ignis benedictionem exire. Eamus, inquit Apostolus, ad eum extra castra, improperiũ eius portantes. Procedentes nanque ad illum ignem, meminisse debemus exeũdum nobis esse ad eum, quem Iudæi extra castra ciuitatemque suam proiecerunt, vt per ignem sancti Spiritus vitam æternam habeamus, credentes in eum, quem illi à præsenti vita extinxerunt. Deinceps imminente vespera, maiora tristitiæ sequuntur incrementa. Altaria spoliantur, vino & aqua lauantur, campanæ conticescunt, oẽs, præter vigilias nocturnas, regulares horas absorbet triste silentium. Vsum nouimus, mysteria requiramus.

Cur campanæ non sonant. Cap. XXIX.

SIgna Ecclesiæ, quæ cãpanas dicimus, sanctos Christi præcões significare, suo loco iam dictũ est, qui charitatis igne excocti, & diuina instructione formati, in protectione Dei cœli, tanquàm in turri fortitudinis commanentes, imò suspensa mente pendentes quadam fraternæ dilectionis corda commouentur, totaque die, & tota nocte commouentur, vt non taceant prædicare nomen domini, dicẽtes: Qui reminiscimini domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Notum est autem, primos huiusmodi præcones, scilicet sanctos Apostolos, nõ solũ conticuisse, sed & relicto eo omnes fugisse. Petrus quoq; cæterorũ princeps, cuius ab ore primum veritatis præconium in omnem terram exiuit, dicẽtis: Tu es Christus filius Dei viui, vocẽ illam clarissimam represit, conticuit, Christum reliquit, fugit, & negauit. Igitur ea hora, qua dominus traditus est, rectè signis ecclesiæ silẽtium indicimus, Christumque solum torcular calcantem, solum in ligno crucis

I. Tim. 2.
Luc. 12.
Heb. 13.
Psal. 90.
Esa. 62.
Matth. 26. Matt. 14.
Esai. 63.

cis, extenso corpore tympanizantem, testimonium veritati humili ac solitaria voce perhibentem, ligneo malleolo in tabula suspenso & personante, populumq; ad Ecclesiam inuitante significamus.

Cur altaria nudentur. Cap. XXX.

CVr altare nudetur scire volentibus facilè liquet, si prius animaduerterint, qd ipsum altare significet. Significat autem Christum, quia sic illud in tẽplo, quomodo Christus toti corpori Ecclesiæ dignitate & honore præminet. Quòd si & autoritas desideratur, occurrit illa dñi dicentis per Moysen: Altare de terra facietis mihi. Quod B. Gregorius sic exponit: Altare de terra facere, est in incarnatione mediatoris sperare. Tunc quippe à Deo nostrum munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super dñicæ incarnationis fidẽ posuerit, quicquid operatur. In altari ergo de terra oblatũ munus ponimus, si actus nostros dominicæ incarnationis fide solidamus. Cum itaque nudum altare conspicimus, dignum illud memoria, quod magnificè propheta, flebiliterq; deplorat, nostris intimis personare auribus, nostris internis præsentialiter debet apparere conspectibus. Ecce vidimus eum, & nõ est species ei neq; decor, & nos considerauimus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatẽ. Verè lãguores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit. Hęc de passione eius dicta esse perspicuũ est. Ille enim speciosus forma præ filijs hominũm, qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, maximè in passione sua visus est non habens speciẽ, neq; decorẽ, & quasi absconditus vultus eius. Nam anteà decorus incedebat, & magnificabatur ab omnibus: quia sicut laudatur in cãticis: Venter eius eburneus, distinctus erat saphyris, id est, naturæ infirmitas interdum cœlestibus in illo resplendebat miraculis. At tunc quia dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, ascendit sicut virgultum coram eo & sicut radix de terra sitienti. Illa facies eius & oculi, ex quibus, vt ait Hieronymus, igneũ quiddam & sydereum radiabat, verbi gratia, quando vendentes & ementes eiecit de templo, quod infinitus facere non posset exercitus, illa, inquã, facies nũc despiciebatur, alapis cędebatur, velabatur, conspuebatur. Vellebantur genæ eius, quæ sicut areolæ aromatum gratũ propè accedentibus spirant odorem, ita contuentibus, benignitatem eius exprimebãt & mansuetudinẽ. Manus eius, quæ ita faciles erant ad operanda miracula diuini beneficij, vt meritò dictæ fuerint tornatiles, aureæ, plenæ hyacintis, vinculis astrictæ sunt, clauis confixæ sunt. Propter talia dictũ est: Et aspectus in eo non est, & nõ est ci species neq; decor. Insuper hoc ad denudati altaris causam pertinet, quod idem dominus vestimentis suis spoliatus est. Milites nanq; cùm crucifixissent eũ, diuiserũt sibi vestimẽta eius, & fecerũt quatuor partes, vnicuiq; militi partem. Et de tunica dixerunt: Non scindamus eã, sed sortiamur de illa, cuius sit. Tale vinum bibit noster Noë, quod interpretatur requies, scilicet dominus Iesus, in quo requiẽ inuenimus animab. nostris, tale, inquã, vinum bibit ex vinea sua, quã plãtauit, scilicet ex gente Iudaica, quã de Aegypto transtulit, quia cunctis amaritudinibus inebriatus, soporatus est somno mortis, & in cunctis à diuinitatis suæ gloria nudatus ad tẽpus apparuit. Cùm ergo altare Christum significet, rectè ob commemorationem horum, vestitu & ornatu suo spoliatum est.

Cur vino & aqua lauentur. Caput XXXI.

CAusa verò, cur lauentur altaria, non minus his, quæ dicta sunt, scientem delectat. Videlicet idcirco illa lauari institutum est, quia dominus noster, quem altare significat, vt dictum est, de latere suo lancea militis perforato sanguinem & aquam effudit. Ideo lauãtur vino & aqua. Vinum enim pro sanguine, in sacramẽto quoq; sacrificij, ipso domino autore, ascitum est. Sanguinem, inquam, & aquã effudit de latere suo summus nostrę opifex salutis, quæ prima sunt eiusdẽ elementa salutis. Sanguine redimimur, aqua abluimur. Hęc enim aqua, prima sui fuit origo baptismi, quo baptizamur nos, quẽ à nullo accepit, sed ipse primus eius autor extitit. Hoc ideo dicimus, ne putemus illum à Iohanne suum accepisse baptismum, quod Romana autoritas non concedit, Græcorũ contradicẽs traditioni, vt die Epiphaniæ baptismũ celebrem, sicut in nocte paschali (quod & suprà dictũ est) vbi de die Epiphanię mẽtio facta est. Sed de origine baptismi opportunius dicemus, cùm de morte domini in sequenti Parasceue, vel sabbati sancti officio, tractatus vel ordo causarum poposcerit. Sciendum autẽ, quòd rectius faciunt hi, quos & nos imitamur, & ordini euãgelico magis eorum propinquat consuetudo, qui hodie quidem, id est, feria quinta, altaria nudant, sed ipsa die parasceue lauãt. Nam hac feria quinta cœpit quidem dominus ad vesperam agonizari, sed feria sexta sanguinẽ & aquã de latere suo lãceatus effudit. Idcirco & cum cantu ad pasionẽ pertinente, vel cum psalmodia pœnitentiali

Cant. 5. Esa. 63.
Iohan. 19.
Gen. Matt. Psal. 7.
Exod. 20.
Esa. 53. Psal. 44.
Philip. 2. Cant. 5.
Esa. 53.
Matth. 21.
Iohan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitentiale lauare consueuimus. Hispidi quoque ramusculi, cum quibus lauantur, flagella significant, quæ pectus illud sacratũ deiq; capax atrociter secuerunt. Non enim diuinitas inhabitans, passibilitatem carnis excluserat, sed veros dolores, verasque virgarum vibices in illo nostra caro pertulit.

Cur horas sub silentio cantamus. Caput XXXII.

Luc. 9. QVòd non solum campanarum clangor silescit, sed regularium quoq; concentum horarum noster omninò chorus abscõdit, illud significat, quòd apostoli Christi Matth. 26. non solum prædicare cessauerunt, vt soliti fuerant circuire per castella euangelizantes & curantes vbiq;, sed & nocte hac, postquàm hymno dicto exierunt cum illo in montem Oliuarum, diffugientes & oppressi tristitia, cuncti à laude communi conticuerunt. Idcirco autem à completorio profundum hoc incipitur silentium, quia circa hanc horam, cùm dixisset discipulis: Ecce appropinquauit, qui me tradet, ipsi graues esse cœperunt & præ tristitia dormitabant, tandemque vbi turba, & qui vocabatur Iudas, venit, cùm tenerent eum, relicto eo, omnes fugerunt. Nec quisquam ex illis ad eum propius iam accessit, nisi discipulus ille, qui, vt Iohannes ait, Iohan. 18. notus erat pontifici, quiq; dixit ostiarię & introduxit Petrum, quem Hieronymus ipsum fuisse Iohannem asserit.

Cur Matutinas sicut horas sub silentio non dicamus. Cap. XXXIII.

QVæri hic potest, cur cùm diurnas horas triste silentium operiat, nocturnas vigilias vel laudes intecta melodia depromat? Ad quod dicendum, tempus aliud per diem, aliud significari per noctem. Nam diurnis horis præsentiam significamus dominicę passionis, nocturnis autem vigilijs tempora priora, per quæ futuram eandem passionem prophetæ prænunciauerunt. Qui quia non tacentes interfecti sunt, idcirco nobis voces illorum proferentibus candelæ, vt suprà dictum est, extinguuntur, quarum vltima, quę extinguitur ad canticum Euangelij, ipsum dominum, qui Euangelizans occisus est, significat.

LIBRI QVINTI FINIS.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER SEXTVS.

De Parasceue. Cap. I.

Matth. 21. DIes sextus ab illo, quo dominus noster ciuitatem Hierusalem cum gloria, quam mox inuidia sequeretur, ingressus est, illud euidentius confirmat, q̃ superius commendatum est, scilicet hãc hebdomadam humanę restaurationis respõdere mysteriorũ ordine, primæ illi hebdomadæ mundanæ creationis. Nã hominem, quem in illius sexta feria creator mirabiliter cõdidit, in huius nihilominus sexta feria idẽ ipse Saluator mirabilius redemit. Dies hic parasceue vocatur, parasceue aũt præparatio interp̃tatur: Quo nomine Iudæi, qui inter Græcos cõuersabantur, sextã sabbati, quæ nunc à nobis sexta feria nuncupatur, appellabãt: quod eo videlicet die, quæ in sabbatum forent necessaria, prępararẽt: iuxta quod de mãna quõdam erat præceptũ, sexta autẽ die colligetis Exod. 16. duplũ, &c. Qui verò inter Romanos vitã ducebãt Iudæi, vsitatius eã Latinè cœnã puram cognominabant. Quia verò sexta die homo factus, & tota mundi est creatura perfecta, septima autẽ conditor ab opere suo requieuit, vnde & hanc sabbatum, id est, requiẽ vocari præcepit: rectè dominus eadẽ die sexta crucifixus, humanę restaurationis impleuit arcanũ. Vnde, cũ accepisset acetum, dixit, cõsummatũ est, id est, sexta die, quod pro mundi refectione suscepit, totum est opus perfectum. Iohan. 19.

Cur hac die Missa non cantetur. Cap. II.

DE hac die primum illud quæritur, cur officium non habeat, imò (quod maximè mirum videtur) cur à Missarum solẽnijs vacet, cùm passio dominica, quæ hac die celebrata est, sacrificij principium, nostræq; salutis summa sit. Videretur nanq; iure tanta res solẽnibus summè celebrãda esse gaudijs. Si eñ martyris vniuscuislibet annua dies, qua per passionem mortis ad immortalitatis gloriam transmigrauit, festiuis honoratur gaudijs: & meritò, quia preciosa in cõspectu domini mors sanctorũ eius: cur dies hæc solennium gaudiorũ orbata est instrumentis, qua martyrum & sanctorum omniũ rex sanctis omnibus antiquis & nouis per mortẽ suã paradisum aperuit, & latroni quoq;, cui dixit: Hodie mecum eris in paradiso, hoc die solutum est admirabile precium, cuius pondere, vt cantamus, captiuitas mundi redempta est, Psal. 115. inferni claustra confracta sunt, & cęlestis nobis aperta est ianua regni. Quęritur ergo, cur adeo publicis gaudijs exempta sit, vt nec missarum lætitiam ordinis Ecclesiastici authoritas illi ascripserit. Vnde consulto gratiæ cœlestis oracuło dicendum est. Gloriari quidem (vt Apostolus ait) nos oportet in cruce domini nostri Iesu Christi, & in gratia tanti precij, quod pro nostra redemptione datum est, fideliter cunctis posthabitis exultare gaudijs. Sed sunt aliqua, quæ gloriam hanc & exultationem nostram nimiùm nimiumque obnubilant. Primum nostrę cõscientia causę, propter quã imperiosa sanctæ trinitatis charitas, hominẽ tãtæ reuerẽtiæ, tãtæq; dignitatis, qui cũ Deo verbo vna persona est, hominẽ inuocantem, & morti nihil debentem, morti addixit, sicut Apostolus ait: Proprio filio suo nõ pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illũ. Nõ enim ita gaudere debemus de gratia tradẽtis, vel de charitate morientis, vt nõ etiã doleamus, quod tanto domino tormentorum, & mortis causa fuimus. Siquidem nõ gaudere, ingratitudinis: non dolere autem, crudelitatis est. Non ita simus incauti laudatores prouidentiæ vel præscientiæ Dei, vt prescientiam eius & ordinationem idem esse arbitremur. Non enim hæc, id est, præscientia & ordinatio Dei, æqualia sunt, aut cõuerti possunt, quia præsciuit Deus quidem omnia, quę ordinauit, sed non pręordinauit vel prædestinauit, vt fierent omnia, quæ præsciuit. Nam de homine, cùm faceret eũ, duo prę sciuit, scilicet & quomodo per fraudem diaboli decipiendus esset, & quomodo per omnipotentiam suam deceptum & perditum restaurare posset. Hæc, inquam, duo pręsciuit: sed eorum alterũ, id est, lapsum hominis, fieri permisit, ad cumulum diabolo debitæ dãnationis: alterum autem, id est, restaurationẽ eius, præordinauit, vt (sicut ait Apostolus ad Ephesios) innotesceret principatibus & potestatibus in cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientię Dei. Vnde & Hieronymus in commento eiusdem Epistolæ: Si, inquit, principatibus, & potestatibus in cœlis, quas sanctas ministrasq; Dei accipere debemus, ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam reuelata est, quantò magis patriarchis & prophetis ignota fuit, quos Gal. 6. Rom. 8. Ephes. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suprà, non ignorasse mysteria Christi, sed ita vt * Apostolus nescisse, monstrauimus. Multiplex quippe sapiẽtia Dei per Ecclesiã eius, nunc & principatibus & potestatibus reuelata est, quam olim Deus futuram in sua mente decreuerat, & nũc esse perfectã ex eo, quod videmus, agnoscimus. Crux itaq; Christi nõ solũ nobis, sed & angelis cũctisq; in cœlo virtutibus profuit, & aperuit sacramentũ, quod ante nesciebant. Deniq; ad cælũ cum corpore reuertentem mirantur & dicunt: Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua. Et in alio loco: Quis est iste rex gloriæ, dominus virtutum, ipse est rex gloriæ? Non ergo putemus diuinæ ordinationis vtrũq; fuisse, & hominis lapsum, & eiusdem restitutionem sed præscitum quidem lapsum fieri permisisse Deũ, ad diaboli damnationem: restaurationem autẽ præordinasse, ad multiformis sapientiæ suæ ostentionem. Et nõ sicut blasphemamur, inquit Apostolus, & sicut aiunt quidẽ nos dicere: Faciamus mala, vt veniant bona, quorũ damnatio iusta est. Dixerat enim: Vbi abundauit peccatum, superabũdauit gratia. Quod quidam iustè damnandi sic peruertebant, vt illum dixisse assererẽt, quòd oporteat nos facere mala, vt veniant bona. Quorsum hæc? Videlicet vt aduertamus, quia multò magis Deus, cùm faceret hominem, nec voluit, nec vllo modo dixit: Fiãt mala, vt veniant bona: sed eo nolente, eo prohibente, mortẽque cõminante, diabolo consentiens homo malum fecit: Deo autem disponente, bonũ venit. Et vbi abundauit peccatum, in tantũ superabũdauit gratia, vt quia satisfactionem pro culpa nullus debebat, nisi homo, nullusque soluere poterat, nisi Deus miseratus Deus homo fieret: qui cùm pro se nihil morti deberet, moriendo pro nobis debitum nostrum solueret. Igitur nostræ, vt suprà dictum est, conscientia culpæ gaudium nostrum reuerberat, vt nõ exultemus hac die, sed ambulemus demisso capite: quia vulnera illa nostra fecerunt crimina, quia contumaces serui cõmisimus, quod vapulat ille omnium dominus, quia quæ ille exoluit, nos rapuimus. Deinde Euãgelicæ quoq; autoritatis est, & ex domini dictis accepimꝰ, vt hac die gaudere Iudæis relinquamus, & nos contristemur. Nam cùm dixisset: Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, secutus adiunxit: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Adhuc aũt huic tantæ rei tristitiam conuenire probabili exemplo confirmat, dicens: Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Mulieri quippe Ecclesiam suam assimulat, quæ quia Christum diligit, quem ex Deo patre genitum, in nostram naturam susc epit, recte hac die moriente illo per mortem, quasi per partum in vitam æternam & in immortalitatis gloriam exeunte, tristitiam habet, & clamat vt in vtero habens, & clamat parturiens, & quia postquàm resurrexit, æterno suo regno natus, grauisi sunt discipuli viso domino, sicut ipse dixerat: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, perpulchrè perfecta est, quæ præmissa fuerat, mulieris similitudo, quæ postquàm pepererit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

* Apostolos

Esai. 63.

Psal. 23.

Ioha. 16.

Rom. 3.

Ioha. 16.

Quod celebritas nostræ redemptionis à feria sexta ad dominicam transferatur. Caput. III.

DIfferendum est igitur gaudiũ tantę salutis, tantę tãque necessariæ redẽptionis, tanti precij, cuius põdere captiuitas mundi redẽpta est, inferni claustra cõfracta sunt, ianuæ cœlorum apertę sunt, latro pœnitentium exẽplum, cum domino paradisum ingressus est. Differendum, inquam, vsque in diem tertium, quo tãtus ille victor surrexit, quo nobis victoriam suam annunciauit, quo nobis in semetipso, quid de nobis speremus, ostendit: & tunc pro redẽptione animarũ, q̃ hac die patrata est, & pro resurrectiõe corporum, quę illa luce condita est: pro hoc, inquã duplici munere, inenarrabilis, inæstimabilis infinitę solẽnitatis, dignitatis, toto corde, toto ore, totusque viribus concelebranda est. Hac interim die tristitia regnet, hac, inquam, die tristitia denominata, id est, tristi die contristemur ad pœnitentiam, feriam dominicæ passionis nostram pertranseat animam, claui manuum ac pedum eius carnem nostram cõfigant, crux eius nostram suspendat concupiscentiam. Compatiamur, vt conregnemus. Hodie non sacrificemus, dum nobis hostia tollitur de manibus. Non sacrificent amici, dum trucidant inimici. Dominus, inquit Moyses, pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Quandiu ergo torcular calcat solus, & indumentum eius sanguine conspergitur, quandiu ligatus deridetur, velata facie colaphizatur, & alapatus, conspũtus, quãdiu illuditur veste alba indutus, itemque arundi-

Luc. 23.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Exod. 14.

Esai. 63.

arundinẽ accipiens in dextera, vestemq; purpuream & spineam coronam, clauorũq; fixuram, quibus in cruce pendẽs, legis factus est maledictum, bibitq; aceti poculũ, quãdiu tot opprobrijs exaturatur, tãdiu nos, id est, à mane vsq; ad horã nonam, iuge ac profundum teneamus silentiũ, mœrori amicũ, & interiorem penetrãtes meditationis solitudinẽ, soluentesq; cum Moyse calceamenta de pedib. nostris, audiamus illum tanquàm de medio rubi dicentem: Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, & gemitum eius audiui, & descendi liberare eum. Nunc enim quasi in rubo spinis inhæret, clauis cõfixus, spinisq; coronatus, crucisq; arbustum guttis sanguinis, quasi rubentibus pollulat moris, vt (sicut ait quidam) tristes purgantur sanguine culpæ, quem contorta rubus densis cruciatibus edit.

Matt. 26. Luc. 23. Ioha. 19. Deut. 21. Exod. 3.

Cur hora nona conuenimus adorare crucem. Caput IIII.

HOra aũt fere nona, quãdo mox traditurus spiritum clamauit voce magna, dicens: Pater in manus tuas cõmendo spiritum meum: videsq; quod factũ fuerat, & quod sic clamans emisisset spiritũ, Centurio, nostrę fidei præcentor, clamauit & ipse dicẽs: Verè filius Dei erat iste, iusitq; Pilatus ad petitionẽ Ioseph reddi corpus, venitq; Nicodemus ferens myrrhę & aloës quasi libras centũ, & acceperunt corpus Iesu, & inuoluerunt linteis cum aromatib. tunc, inquã, licuit his & alijs discipulis appropinquare, & querelas tanto funeri depromere, paulatim dilapsis persecutoribus: vel quia diutino dominicę mortis satiati spectaculo discesserant: vel quia viso terræmotu, quo velum tẽpli scisũ est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, territi diffugerãt. Circa nonã igitur horã conuenimus & nos, & supremo funeri, non tã Missale officium, quàm funebrẽ exhibeamus planctum, quem & hoc ordine peragimus.

Matth. 17. Luc. 23. Ioha. 19.

Matth. 27.

De Officio vel ordine adorandæ crucis. Caput V.

NArrandã sacræ passionis historiam illa duo præeunt animalia, de quibus & cantamus: In medio duũm animalium innotescris: scilicet lex & prophetę, quæ illi concorditer attestantur, iuxta quod Moyses & Helias apparuerunt in monte, quando transfiguratus est, cum eo loquentes. Nam prima lectio Oseæ prophetæ est: In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite & reuertamur ad dominum, quia cœpit & sanabit nos, percutiet & curabit nos, viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Secũda de Exodo est: Dixit Moyses filijs Israel: Mensis iste principium vobis mẽsium primus erit in mẽsibus anni. Decima die mẽsis huius, tollat vnusquisq; agnũ per domos & familias vestras, & immolabitis eum decimoquarto die mensis huius ad vesperam, & reliqua. Prima sanè, resurrectionis præconium est: secunda passionis, & eidem passioni, quæ hac die legenda est secundum Iohannẽ, propriè cõgruit: maximè pro eo, quod idem Euãgelista sumpsit hoc ex illa testimonium: Os non comminuetis ex eo. Singulas lectiones singuli sequuntur tractus, quem cantum propriũ esse lugẽtium, longè suprà in septuagesima dictum est. Primus nos ad tremorem excitare molitur, dicente Abacuc: Domine audiui auditum tuum & timui. Sic enim Abacuc hic ex eo, quod in certamen & luctamen, vt ita dicam, amplexu cum Deo cõgreditur, amplexãtis, id est, luctantis fortitus est nomen: nullus enim, vt ait Hieronymus, tam audaci voce ausus est Deum ad disputationẽ iustitiæ prouocare, & dicere ei, cur in rebus humanis tãta versatur iniquitas? Vsquequò domine clamabo & non exaudies? & cætera: Si, inquam, hic Dei colluctator fortis & rigidus stãs super custodiam suam, & figens gradum super munitionẽ, dum Christũ in cruce contemplatus, & videt cornua in manibus eius, & ibi absconditã fortitudinem eius: timui, ait, & expaui, quid nos longè impares, longeq; minorem in die iudicij fiduciam habentes, quando videbimus manifestam in nubibus cœli fortitudinem illam, quam hic timet absconditam in cornibus crucis, quæ erant in manibus eius? Quid facient tabulæ, si tremunt columnæ? Rectè ergo, vt nostrũ tractus hic magis ac magis excitet timorẽ, in plerisq; ecclesijs religione imitandis ita cantatur, vt post singulos versus semper primus vicissim nunc à principio, nunc à medio repetatur. Sequens tractus: Eripe me domine ab homine malo, secundum titulum eiusdem Psalmi, qui est in finem psalmus Dauid, vox est eiusdem manu fortis propugnatoris nostri, pro nostra salute in passiõe sua decertãtis, & hæc illi oratio hac de causa attribuitur, vt nos quoq, simili exemplo in periculo existentes, orationis deuotione à domino liberari mereamur.

Exod. 12.

Ioha. 19.

Abac. 3.

Abac. 2.

Matth. 17.

Osea 6.

Psal. 129.

Cur hac die legitur passio secundum Iohannem. Caput VI.

OVanuis & ipse ordo scribendi poposciisse videatur, vt hac die post alios Euãgelistas passio domini secundum Iohannem legeretur, constat enim illum reuersum de Pathmos insula, vbi exilio relegatus fuerat, post omnes Euãgelium suum scripsisse vltimum:

Ioha. 18. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mũ:tamen & hæc altera maior causa est, quia
præsens interfuit, & cæteris adesse nõ audentib. ipse, quia (ficut de seipso ait, & sicut Hieronymus phibet) notus erat põtifici, fiducialius secutus est, & iuxta crucẽ stetit. Stantib⁹ enim iuxta crucem Iesu, Maria matre eius, & sorore matris eius, cùm vidisset Iesus matrẽ suam, & discipulum stantem, quẽ diligebat, dicit matri suę: Mulier, ecce filius tuus, deinde dicit discipulo: Ecce mater tua: Et ex illa hora accepit eam discipulus in suã. Et paulò pòst de se ait: Et qui vidit, testimoniũ perhibuit & testimonium eius verum est.

Cur Euangelista suum interposuit testimonium. Cap. VII.

NOn prætereundum tantæ huius rei sacramentum, cui sanctus Euangelista tã diligenter suum interposuit testimoniũ, & congrua de scripturis subiecit exempla. Dixerat enim, quia milites, qui fregerunt crura latronũ, cùm venissent ad Iesum, & viderũt eum iam mortuũ, non fregerunt crura eius, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & *Exod. 11. Zacha. 12.* cõtinuo exiuit sanguis & aqua. Facta sunt, inquit, hæc, vt scriptura impleretur, quæ dicit de eo. Os non cõminuetis ex eo. Et item alia scriptura dicit: Videbunt, in quẽ transfixerunt. Cur agnus qui immolatus est, noluit vt os cõminueretur ex eo? Nõ enim casu, sed eo nolente & disponente actum est. Siquidẽ nõ alia, quàm quę voluit ac disposuit ipse ab his, qui eum voluntate sua vel propria nequitia peremerunt, tormenta perpessus est. Vnũ de similib. nobis locutus est, hoc scilicet, quòd, vt nos mortalis ac passibilis homo natus est. Cętera dissimilia nobis cuncta locutus est, quia quando voluit & quomodo voluit natus est, quando voluit, & quomodo voluit mortuus est. Cur ergo noluit, vt crura sua frangerentur, sicut & illorum sceleratorum, inter quos reputatus est? Videlicet iccirco, quia ossium fractura nullum vsquam bonũ sua similitudine commendat.

Quod singula eorum, quæ dominus passus est, aliquid mystice significent. Cap. VIII.

COnsideremus ea, quę in passiõe sua pertulit dominus noster, & inueniemus alia quædam, quæ nos spiritualiter amplius ædificent, per illa significari. Nam non solũ quæ gessit, & quæ pati voluit, sic disposuit, vt cùm interiora perspexeris, si exteriora hæc attendas, sic vtrobique consonam inuenies similitudinem, quomodo ex qualitate seu ex proprietate figurarum vel apicum, eandem scriptoris manum diuersis in locis recognoscis.

Quid crucis figura significet. Cap. IX.

PRimùm ipsa crucis figura nihilne mystici significat? Taceo, quòd decentissimũ esse nullus abnuat, salutem humani generis in ligno crucis constitui, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur. Quodq; ait quidam: Neue quis ignoret speciẽ crucis esse colendã, quæ dominum portauit, ouans ratione potenti, quatuor inde plagas quadrati colligit orbis. Illud non prætereã, quia salutis, quã operabatur, primas ianuas, id est, fidem, spem & charitatem, quartamq; illarum, perseuerantiam, in eiusdẽ crucis, in qua pendebat, figura significabat. Habet enim crux in longitudinem, latitudinem, sublime atq; profundum, id est, acumen, quo fixa terræ inhæret: lõgitudinem, id est, vsq; ad brachia: latitudinem, in eorũdem expansione brachiorum: altitudinem, ab ipsis brachijs sursum versus, quo caput imminet. His autem quatuor supradictæ virtutes signantur: Profun- *Ephes. 3.* do, Fides, quæ occulta voluntatis Dei vocatione, prima in fundo cordis quasi fundamẽtum in ædificio, ponitur: lõgitudine, perseuerantia: altitudine, spes, quę nobis in cælestib. reposita est: latitudine, charitas. Nam de his, inquit Augustinus, Apostolum dixisse intelligo: Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Salutis ergo primos aditus in supplicij sui figura Saluator noster prædicabat.

Quid significet, quod aceti poculum cùm gustasset, noluit bibere. Caput X.

PEr hoc autẽ, quod oblatum sibi acetum, *Matth. 27.* felle mixtum, cùm gustasset, noluit bibere, reprobationẽ significat vineæ suæ, scilicet gentis Iudaicę. Vinea enim domini sabaoth, *Esa. 5.* domus Israel est. At illa, q̃ ipse expectauerat, *Marc. 26.* vt faceret vuas, & fecit labruscas. tandem illi mortis miscuit amaritudinẽ, qua gustata modicè, id est. p triduũ, iã in genimine vitis illius *Rom. 6.* bibere nõ vult. Resurgẽs enim à mortuis, iã nõ moritur, mors illi vltra nõ dominabitur.

Cur chlamydem coccineam circundari sibi permiserit. Caput XI.

SEd & quod chlamydem coccineam, cum *Matth. 27.* illuderetur, non dedignatus est circundari sibi, nunquid non congruit illi, quod propter nos in passione sua fungebatur ministerio charitatis? Coccus enim coloris ignei, qui in tabernaculo domini offerri, & in veste sacerdotali bis tinctus iubetur assumi, geminam significat dilectionem, Dei & proximi: qua fit, vt quicquid offeri-

offerimus, ignitum & quasi benè coloratum
Exo. 26. 28. Ephes. 2. coram diuinis placeat conspectibus. Ipse autem propter nimiam charitatem suã, qua dilexit nos, bibebat calicem passionis, sicut ip- *Ioan. 14. 15* se, vt cognoscat, inquit, mũdus, quia ego diligo patrem, & maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Igitur huic Regi nostro chlamys coccinea benè congruebat, vt ipso habitu se illum esse ostenderet, qui in lege significabatur per vitulam rufam, cuius corpus pro peccato iubebatur extra castra cremari, & ci- *Num. 19.* nis eius in aqua cum hyssopo super populũ aspergi.

Cur arundinem in manu acceperit: Cap. XII.

ARundinem quoq; siue calamum ab illudentibus accipere non recusauit in manu sua, quo (vt ait Hieronymus) sacrilegium scriberet Iudæorum, siue venenata in- *Iohan. 10. Exod. 7.* terficeret animalia. Habebat nanq; in manu sua virgam, id est, suam in propria potestate animam, vt volens poneret, atque iterum sumeret eam. Et sicut Moyses coram Pharaone suam proiecit virgã, quę versa est in colu- *Sapien. 2.* brũ, deuorauitque versas in colubros virgas Magorum, iterumque redijt in virgã, sic ipse nũc suam quodammodo positurus erat animam, vt descenderet in mortẽ, quę per colobrum intrauit in mundũ, colubroq; Aegyptiorum, id est, mortes absumeret peccatorum, atq; iterum in virgam, id est, in potestatem redijt pristinam.

Cur spineam coronam gestauerit. Cap. XIII.

PEr spineam autem coronam illud visibiliter quoque significat, quod de illo propheta prædixit, & peccata nostra ipse portauit. Spinæ nanq; peccata designant, quæ ani- *Esai. 53.* mam pungunt & lacerant. Nã & propter peccatum homini datæ sunt, dicente domino ad *Gen. 3.* Adam, Cùm operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. Cætera quoq; omnia, quæ passus est, quibus illusus est, mysteria simul & moralia cõtinẽt documenta. Nã in eo, quod facies eius velatur, ac deinde colaphizatur, velamen illud significat, q̃ super corda Iudęorum expãdebatur, vt videre illũ nõ mereantur, quẽ nunc vsq; in synagogis suis cõuitijs colaphizant & exalapant maledictis. Nobis autem fortissimũ in his omnibus præbet humilitatis exemplũ. Quis enim non erubescat collum erigere, & pingui armari ceruice, cùm Deus & dominus omnium ab illudentibus sit pro nobis colaphizatus? Nam hominis humilitatem imitari superbi dedignaremur, humilitato sub tot cõuitijs Deo, superbire erubescamus. *Iob. 13.*

Cur sua crura frangi noluerit. Cap. XIIII.

QVi ergo cætera rationabiliter pertulit, non frustra, sed disponente eo frãgi sibi crura noluit. Ossa nanq; quæ vbiq; in scriptu ris mysticè pro virtutibus accipiuntur, nihil nobis mysterij prædicarẽt in eo, quòd frangerentur. Sed econtrà crura eius in eo, quòd integra conseruata sunt, illud nobis mystiцant, quòd vniuersæ viæ eius rectæ & inuio- *Psal. 118.* labiles sunt. Cruca nãq; eius, vias eius signi- *Cant. 5.* ficant, vnde & in Canticis dicitur: Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas, id est, itinera eius pulchra super diuinitatis sapientiam in rectitudine firmata. Quid igitur vitata crurum fractura fieri maluit?

Cur sanguinem & aquam de latere suo fuderit. Cap. XV.

SEd vnus militum (inquit Euangelista) lã- *Iohan. 19.* cea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Cur igitur hoc fieri maluit? Videlicet vt illam super nos effunderet aquã cum sanguine suo, quã dum cõmendaret, di- *Iohan. 3.* xerat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spi- *Luc. 12.* ritusancto, non potest videre regnũ Dei. Siquidem huius aquę sacramentũ ab hoc miraculo sumpsit exordium. Baptizatus ergo dominus in passione sua, talem ad nos salutifere mortis participationem iam mortuus e- *Mat. 20. 10.* misit. Non est nouum hoc aut mirũ, quod illum in passione sua dicimus baptizatum, matre filiorum Zebedei postulante ac dicente: Magister, dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistrã tuam in regno tuo, respondẽs dixit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? Qui cùm respondissent, Possumus: Galicẽ, inquit, meum bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizamini, &c. Nomine calicis siue baptismi passionem voluit designare martyrij, qua & ipsum & illos decebat cõsummari. Vnde & alibi de passione sua loquitur: Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coartor vsque *Luc. 12.* dum perficiatur? Græcè autem baptismus, Latinè ablutio dicitur. Quas ergo sordes habebat dominus, vt baptismo passionis abluerẽtur? Nempe mortalitatem nostram & passibilitatem, propter quam sordidus & contemptibilis apparebat hominibus, sicut in Zacharia legimus: Iesus autem indutus erat sordidis vestibus. Dixit autem angelus, his qui stabant coram se: Auferte ab eo vestimenta sordida. Iesus, inquit Hieronymus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zacha. 3. indutus erat sordidis vestibus, qui quum nō fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est, & ipse infirmitates nostras tulit. Et in Apostolo legimus: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictio. Hic in vicesimoprimo Psalmo loquitur: Longe à salute mea verba delictorum meorum. Et in sexagesimo octauo: Deus, tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Quæ vniuersa (inquit) appellantur sordida vestimenta, & auferuntur ab eo, cùm in morte sua nostra delet peccata. Cùm igitur videmus dominum Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, & à nostris quæ ipse portauerat, ablutum, rectè illum accipimus suo baptismo in morte sua baptizatum, atque vt eundem suum ad nos transfunderet baptismum, sanguinem & aquam de latere suo profudisse iam mortuum. Baptismum autem, quo à Iohanne baptizatus est, non ad eandem pertinuisse virtutem, aliàs iam dictum est.

2. Cor. 5. Esai. 53. Galat. 3.

Hebr. 8.

Cur nec solus sanguis, nec sola aqua de latere eius exiuit: vel cur aqua sanguini sociata sit.
Cap. XVI.

IDcirco nec solus sanguis, nec sola de latere saluatoris aqua manauit, quia diuinus ordo nostræ salutis vtrunque depoposcit. Sanguine nanque redimimur, aqua abluimur. Nec ad hoc redempti sumus, vt tales nos ille posideret, quales eramus prius. vnde & Apostolus: Non enim, inquit, vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Iesu. Et in alio loco, cùm priora commemorasset peccata: Et hęc, inquit, fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, &c. Vt ergo esset vnde à peccatis lauaremur, aqua, quæ corporales tantum lauare poterat sordes, sanguini, qui est preciū nostræ redemptionis, sociata est, & ex eius societate virtutem atque autoritatem sumpsit, vt ad abluendas inuisibiles peccatorum sordes, digna sit sancto cooperari spiritui. Societate, inquam, viuifici ac pretiosi sanguinis hoc accepit, vt cōparetur vera similitudine rubro mari, per quod saluatus populus transiuit, Pharaone submerso cum curribus & equitibus suis. Nā fugientes Aegyptum huius seculi, mundatos in veram repromissionis terram transmittit, diabolum persequentem penitus absorbet cum præteritis actibus & pompis suis. Igitur (vt suprà dictū est) lōgè rationabilius fuit, vt lancea militis latus domini aperiretur, quàm vt eius crura frangerentur. Rationabilius, inquam, ac decentius tanto fuit salutis artifici, valdeque accessit ad pulchritudinem operis, vt illud sibi mortuo de latere educeret, vnde nasceretur Ecclesia, qui dormienti Adæ costam eduxit, vnde formaretur Eua. Hac enim similitudine quid pulchrius, quid elegantius, quid dulcius? Siquidē ille primus Adam obdormiuit, iste secundus (vt dictum est) surrecturus obijt. Illi dominus soporem immisit, huic pater calicem passionis dedit.

1. Thess. 4.

2. Cor. 6.

Exod. 14.

Egredimini ergo & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis illius. Egredimini, inquam, de tenebris illis, quæ super terram factæ sunt ab hora sexta vsque in horam nonam, imò de illis, quæ per illas significatæ sunt, & nunc operiunt faciem cordis Iudæorum. De his ergo tenebris exite & videte intenta contemplatione illum, qui vos vocauit in admirabile lumen suum, Regem magnum, regem pacificum in diadema te spineo, quod est charitatis & magnæ miserationis ornamentum, quo coronauit eum mater sua synagoga in hac die desponsationis eius, qua (vt dictum est) nascituræ sibi sponsæ Ecclesiæ in lætitia cordis sui prima elementa produxit.

Cant. 3. Matth. 27. 1. Pet. 2.

Cur hac die solennes fiant orationes pro statu Ecclesiæ.
Cap. XVII.

OMni quidem tempore pro statu sanctæ Ecclesiæ fideliter orandum est: sed hac die præcipuè solēnes pro illa orationes secūdum graduum vel dignitatum ordines ac diuersitates, à sacerdote perorādæ, rationabiliter institutæ sunt. Hac enim die saluator noster pro cunctis orauit, & commune pro omnibus sacrificium factus est, de quibus & passioni appropinquans, imo iam ad arā crucis pene assistens, cùm pro discipulis suis rogaret, dixit: Non pro his tantum rogo, sed & pro his, qui credituri sunt per verbū eorū in me. Nempè hic ille erat magni consilijangelus, de quo in Apocalypsi legimus: Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Hodie iuxta aram templi, id est, in conspectu Ecclesiæ assistens, aureum immaculati corporis thuribulum in conspectu Dei, pendens in cruce sustulit, & orationis incensum dignum cum clamore valido & multis lachrymis (vt ait Apostolus) pro nobis adoleuit. Rectè ergo & nos cum illo solennes pro nobis & pro cunctis orationes offerimus, iuxta quod illic additum est: Et data sunt ei incensa multa, &c.

Iohan. 17. Esai. 9. Apoca. 8. Heb. 5. Apoca. 8.

Cur

Cur pro Iudæis genua non flectimus.
Cap. XVIII.

VBi notandum, quod cùm in singulis orationibus ad pronunciationem diaconi genua flectamus, in ea tantum, quæ pro Iudæis dicitur, hoc non facimus: videlicet, quia donec plenitudo gentium subintroeat, cæcitas, quæ cōtingit in Israēl, nullius orationis manu depelli vel expelli potest. Itaque diuinis nec debere, nec velle, aut posse contraire iudicijs profitentes, vehementem pro illis nunc intendendam non esse orationem significamus in eo, quod genua non flectimus, & tamen oramus vtcunque & pro his, quia futurum est, vt illos quoq; trahat ad se, qui idcirco in cruce exaltatus est, vt ad seipsum omnia traheret.

Rom. 11. Iohan. 12.

Cur ab his, qui crucem apportant, cantatur, Populo meus, & aliæ antiphonæ: & ad singulas respondetur grace ἅγιος, & latinè, Sanctus Deus. Cap. XIX.

TRes istæ antiphonæ, Populo meus, Quia eduxi te, quid vltrà debui, quæ apportando crucem decantatur, sensibus parum aut nihil differentes, verbis quoque ac modulatione consimiles, triplicem significant scripturam tituli, sensumque eius consonant, qui super caput domini Hebraicè, Græcè ac latinè descriptus est: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Nam, quia ibi scriptum est Iesus Nazarenus, hic per singulas antiphonas in fine subijcitur, Saluatori tuo, iuxta interpretationem eiusdem nominis. Et quia verè est rex Iudæorum, licet hoc illi negauerint, & titulum quoque mutare voluerint, dicentes: Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum, hoc in eisdem antiphonis adstruitur ab effectis, verum & antiquum exponendo Regis officium, videlicet quòd eduxerit eos de terra Aegypti, quòd deduxerit per desertum quadraginta annis, quòd manna cibauerit, quòd in terram satis bonam introduxerit. Et quia causa hęc, Iesus Nazarenus rex Iudæorum, tripliciter (vt dictum est) scripta est, id est, Hebraicè, Græcè & Latinè, ad singulas antiphonas, quibus in fine subijcitur, Saluatori tuo, quod est in illo titulo Iesus, Græcè & Latinè respondetur ἅγιος, ἅγιος, Sanctus, sanctus, quod est in eodem titulo Nazarenus, Hebraicè verò non respondetur, videlicet, quia gens illa regem suum adhuc negat, titulumque illum auerso corde maledicit & detestatur. Supradictas ergo cantando antiphonas illò defertur crux, quo sibi Græcè & Latinè fideliter respondetur, quia videlicet crucifixus dominus, à negantibus Iudæis sese promonens, ad confessionem gentium proficiscitur, appropinquantibus Apostolis & cantātibus, id est, totis viribus opprobrium crucis, quam non erubescunt, prędicantibus, & interdum multa passis grauique persecutionum pondere sesis: quod & pulchrè significatur per hoc, quòd eiusdem crucis portatores nunc eunt, nunc tanquam lassi substistunt.

Exod. 12. Deut. 2.

1. Cor. 1. 2. Cor. 1.

Quid significet, quòd crux hactenus operta, nunc discooperitur.
Cap. XX.

VElamen, quo hactenus tegebatur eadē crux, quodque auertur, dicendo: Ecce lignum crucis, velamen illud significat, sub quo sese dominus à Iudæis absondit, quodq; cordi eorum oppansum est, nobis autem reuelatur, quia (vt ait Apostolus) in Christo auertur. Nobis enim seipsum ostēdit in prophetis, sensumq; aperit, vt intelligamus prophetas, non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, dum non possent filij Israel intendere in faciem eius, sed faciem nobis reuelat, vt gloriam eius speculantes, in eādem imaginem transformemur à claritate legis in claritatem Euangelij, tanquam à domini spiritu. Hæc reuelatio primum per illud significata est, quod eo tradēte spiritum, velum templi scissum est à summo vsque deorsum. Ex tunc enim omnia legis sacramenta patuerunt, atque ad gentilium fidem arcana Iudæorum transierunt. In Euāgelio quoque secūdum Hebræos, superliminare templi infinitæ magnitudinis, inquit Hieronymus, fractum esse atque diuisum legimus. Præterea Iosephus refert, virtutes angelicas, præsules quondam templi, tunc pariter conclamasse: Transeamus ex his sedibus. Sed & in hoc, quòd terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, iuxta literam quidem magnitudo signorum est, quòd crucifixum dominum cœlū & terra & omnia contremiscant, sed mysticè tremorem significat credētium, quòd pristinis errorum vitijs derelictis & emollita cordis duritia, qui prius erant similes tumulis mortuorum, postea cognouerint creatorem. Vnde & in Psalmo: Commouisti domine terram & conturbasti eam. Item: Commota est & contremuit terra

2. Cor. 3. Exo. 34. Matth. 27. Iohan. 19. Mat. 27.

Item de cruce. Cap. XXI.

HAec ergo crucis adorandæ reuelatio, sicut & illa veli templi scisio, nobis illud mysticè significet, quòd credentibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

in crucifixum clausa prius scripturarum mysteria patefiant. Nam per creditam, Christi passionem vel crucem, nunc intelligimus sacramenta legis & arcana prophetarum. Verbi gratia: Cur Pharao vel Aegyptus, quæ decem plagis verberata non cesit, solo sanguine agni victa, filios Israel dimisit: & quis ille sit in prophetis, cuius factus est principatus super humerum eius: quisue sicut ouis ad occisionem ductus sit, & sicut agnus coram tondente se obmutuerit, & non aperuerit os suum. Hæc & cætera clausa prius, nunc crucé Christi susci pientibus aperta sunt. Sicque factum est, vt bibere iam possimus de aquis Mara, quas (sicut in Exodo legimus) nō poterat bibere populus, donec clamante Moyse ad dominum, ostendit ei dominus lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Aquæ enim Mara legem significant, quæ non paruam in se amaritudinē habet, dum dicit: Oculum pro oculo, dentem pro dente, & similia. Dulcescit autem per lignum, dum proposito dominicæ passionis exemplo, ei qui te percusserit in maxillā, præbes & aliam &c. Adoramus igitur in cruce domini nostri Iesu Christi opportunam (vt ait Paulus) gloriam, salutem acquisitam, reducem vitam, salutationem perfectam, liberationem perpetuam. Adoramus crucé, fidei præsidium, spei firmamentū, charitatis solū, misericordiæ titulum, pietatis argumentum, gratiæ vehiculum, pacis vexillū. Adoramus crucem, quæ superbiam excidit, inuidiam ob triuit, culpā correxit, pœnā destruxit. Crux Christi, ianua cæli, clauis paradisi, diaboli deiectio, hominis erectio, captiuitatis nostræ solatium, libertatis precium. Crux expectatio patriarcharum, promissio prophetarum, triumphus Regum, dignitas sacerdotum. Crux tyrannos increpat, potentes inclinat, afflictos subleuat, pauperes honestat. Crux tenebrarū excidium, lucis infusorium, mortis effugiū, vitæ nauigium, salutis imperium. Quicquid Deo proficimus, quicquid acquirimus, quicquid speramus, adorandæ crucis est fructus. Per crucem Christus ad se traxit omnia. Regnum patris, sceptrum filij, sigillum Spiritus sancti, totius est testimonium trinitatis.

Esai. 55. *Psal. 9.* *Exod. 15.* *Leuit. 24.* *Deut. 19.* *Matth. 5.* *Iohan. 18.*

Cur pridie dominicum corpus in hodiernum diem reconditum sit.

Cap. XXII.

CAusa poscere videtur, vt die dominicū corpus conficiētes, & inde vsque ad sabbatum recondentes, toto eodem sabbato iugi silentio consopiti, vsque in primam sabbati ab omni diurno psallentio cunctoque sacri altaris ministerio vacaremus. Sic enim rei propius accedere putaremur, pro eo quod hac die dominus noster immolatus, sabbato quieuit in sepulchro, totāq; sequentē noctē discipuli eius in tristitia transegerunt, donec diluculo redeuntibus à monumento mulieribus, quæq; audierant & viderant referentib. paulatim respirare & in gaudium reuiuiscere cœperūt. Verius itaq; triduanā domini mortem obseruare videremur, & illam de veteri historia similitudinem rectius tenere, qua dictum est de manna, quod filijs Israel in figuram dominici corporis datum est: Die sexta colligant quod inferant, sitq; duplum quàm per singulos dies colligere solebant, quia die septima non inuenietur. Nūc autem econtrà die septima apud nos inuenitur, quia post meridiem corpus solenniter in voce exultationis & laudis cōficimus. Hac verò die sexta quodāmodo non inuenitur, quia non conficitur, sed pridie (id est, feria quinta) illatū & reconditū est, quod hodie sumamus. Cur ita fiat, quia ratione nō vacat, vigilanter intuendum est. Dominus noster nō tunc solùm vel tunc primùm immolatus est, quando à Iudæis in cruce suspēsus est, sed & pridie, quàm pateretur, quando accipiēs panē & calicē benedixit & dedit discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meū: Hic est calix sanguinis mei, suis manibus immolatus est, suis ipse manibus nobis, vt iugiter immoletur, agnus commendatus est. Ab illa immolatione prima sabbati, tertia dies, ab ista verò sabbatum ipsum tertia nihilominus dies est. Constat autem quod (vt superius dictum est) noctē siue vesperam sabbati ab illo silentio vel tristitia, quam exigebat requies sepulchri, causa illa vehemēs abstrahit, quod in parte eiusdē noctis dns resurgens, totā illam incomparabilis gaudij iubare sol verus illustrauit. Triduum ergo dominicæ mortis, quod perfici nequiuit; eo respectu quo ipse à Iudæis est trucidatus, pulchrè & rationabiliter ad hunc respectū transponitur, quòd ipse suis manibus est immolatus. Cuius rei vel maximū illud est indiciū, quòd tribus his noctibus minutas, extinctis luminaribus, canimus vigilias ad similitudinem tenebrarum, quæ patiente domino super terram factæ sunt, significando (vt suprà dictum est) cæcitatem, quæ ex tunc accidit in Israel. Sicque fit, vt sacrificium nouum, quod mortem domini pridie per manus ipsius præcesserat, resurrectioni eius nihilomin' pridie, quod est in sacrosancti sabbati vespera, solenniter occurrat. Itaq; quomodo hac die, quæ est feria sexta, qua Christus hostia salutaris à suis trucidatur inimicis, rectè à nobis quasi sepultum est sacrificij

Exod. 16. *Rom. 1.*

ficij decus, & cœleste illud manna, quia hodie non inuenitur, feria quinta parauimus & intulimus, quod hac die sumamus, fuitq; duplum, quàm per singulos dies colligere consueuimus.

De eo, quod duo presbyteri corpus dominicum de loco, quo pridie reconditum fuerat, deferant: & quod dicitur super illud oratio dominica tantum. Cap. XXIII.

TAndem salutata cruce, duo presbyteri deferunt ad altare corpus dominicum, quod pridie reconditum est, & assistens sacerdos præmissa oratiōe sic incipit: Oremus, præceptis salutaribus moniti. Constat locum hunc esse in canone, vbi eleuato calice cum corpore domini dicitur: Per omnia secula seculorum, & sequente dominica oratione, rursus operitur calix: per quod nobis illud ex passione domini repræsentatur, quod depositum corpus eius de cruce, sepultum est. Sed de hoc in secundo huius opusculi libello iam dictum est, quo & cętera, qua secundum ordinem dominicę passionis in canone dicēda erant, annotata sunt. Nuncillud dicendū est, duos presbyteros, qui corpus domini ad altare deferunt, significare Ioseph iustum ab Arimathia & Nicodemum, qui petitum & concessum sibi à Pilato corpus Iesu, detulerunt ad sepeliendum. Nos autem cum silentio communicamus, sed sanguis ille, quem sumimus, ad Deum de ore nostro clamat, sicut scriptum est: Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Nos enim (id est ecclesia) terra sumus, quæ aperit os suum & sanguinē Abel (id est) Christi, bibit fideliter, quem Cain (id est, populus Iudaicus) effudit crudeliter. At ille maledictus est super terrā eandē, vagusq; & profugus est super eā, sicut scriptū est in psalmo: Disperge illos in virtute tua. Maledictus, inquam, illa maledictiōe, quam sibi posterisq; suis vltro arrogauit, dicendo: Sanguis eius super nos & super filios nostros.

Iohan. 19. *Gene. 4.* *Psal. 58.* *Matth. 27.*

Incipit de sabbato sancto.

Caput XXIIII.

SAbbato post profundam tristitię noctem dies scit nobis post meridiem in summam lætitiæ claritatem, imminentemq; vesperam noctis eius, qua verus sol Christus ab inferis victor ascendit. Omnis anima Christiana vigilanter attendens & prexultans, plaudit sibimet & dicit: Et nox vt dies illuminabitur, & nox illuminatio in delicijs meis. Quapropter quotquot sacerdotalis aut Leuitici sumus ordinis, iure pro tanti regis victoria tuba intonamus salutari, iuxta illud in Psalmo: Buccinate in nęomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ. Quis enim dies nocte hac intignior? quæ solēnitas hac victoria prę stantior? quæ alia nostra est nęomenia, nisi illa, quę hac nocte in Christo per baptismum renascitur noua Ecclesia? Iure ergo nunc angelica tuba cœlorum exultat, tuba salutari insonat, gaudet tellus, mater ecclesia lętatur, & omnis aula diuini nominis magnis resultat populorum vocibus.

Psal. 138. *Psal. 80.*

Cur hoc sabbatum vocetur sanctum.

Caput XXV.

SAbbatum hoc pro magnitudine rei commune nomen excesit, quod est vigilia, scilicet attenta expectatio vel prępparatio cuiusliber magnæ & cum deuotione susciendæ festiuitatis. Dicitur autem sabbatum sanctum, tum propter alia plura, tum maximè propter hoc, quod ad suscipiendam tantam luminis claritatē, noua ecclesia sacro baptismi fonte sanctificatur. Hac enim die solenne est, iuxta veram & Euangelicam patrū traditionem, fontes benedici, & præparata per fidem, tam corporum quàm animarum credentium vasa, regeneratione noua sanctificari. Præparantur animę, quę mortuę fuerant, vitę victrici (morte victa) de bello reuertenti, vt in magna regis Christi curia nullus sit vernaculus aut seruus emptitius, qui nō ad ingressum triumphantis domini gratiæ serico, castitatis auro vestiatur. Sed de hoc in sequentibus suo loco dicemus.

Hosea 13. *1. Cor. 15.*

Quot vel quibus ex causis præfulgeat paschalis solennitas.

Cap. XXVI.

NVnc, antequàm de ordine vel ratione officij disseramus, dicendum est, quot vel quibus ex causis paschæ solennitas tam illustris tamque celebris habeatur. Multi enim solùm hoc in illa respiciunt, quòd in prima sabbati resurrexit dominus, vnde & dies dominicæ resurrectionis appellatur. Magna planè solennitatis & lætitiæ cordis nostri materia: quia dum illo resurgente resurrectionem mortuorum esse credimus, nos quoq; resurrecturos esse sperantes, iure gaudemus. Verum in huius contemplatione solennitatis nunquam illud gaudium meminisse nostræ debet præterire oculum, de nostrarum redemptione animarum, quod (vt superius dictum est) in hanc diem dilatum est à feria sexta, qua per crucem & sanguinem suum saluator noster illam operatus est. Hæc sunt enim festa paschalia, in quibus verus ille agnus occiditur, eiusque sanguine postes consecrantur. Pascha quippe nostrum immolatus est Christus, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resur-

Matth. 28. *1. Cor. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

resurgendo reparauit. Duæ sunt istę paschalis magnæ & innumerabiles causæ festiuitatis: redemptio animarum, quę die parasceues morte Christi parta est: & resurrectio corporum, quæ prima sabbati Christo resurgente data atq; confirmata est. Additur his tertia necessaria baptismatis solennitas, omnem nobis illarum conferens vtilitatem vel fructum, quę pro eo, quod ab illis exordium totum q; suæ rationis sumpsit sacramentum, recte in eisdem paschalibus gaudijs addita est. Tribus igitur ex causis nox hæc vt dies illuminata refulsit in delicijs nostris. O verè festa dies, verè beata nox, nobilitas anni, mensis decus, arma dierum, splendor horarum, nox in qua desertus infernus, apertus est paradisus. Nox ista, mortis exitus, vitæ reditus est. Lux gratiæ, splendor gloriæ, suauitatis poculum, fluuius deliciarũ, inundatio pacis, acquisitio fortitudinis, laus consilij diuini. Hac nocte cessauit exactor, quieuit tributum, captiui redditi sunt, lassi respirauerunt, confracta est virga persequentium, computruit iugũ dominantium. Pulchritudine noctis huius paradisus refloruit, cœlum purpuratum est, angeli candidati, homines exhilarati sunt. Nox ista pascha dicitur: Pascha autem Hæbraicè, Latinè dicitur trãsitus. Quis ergo trãsiuit? vnde & quò transiuit? Christus dominus transiuit de hoc mũdo ad patrem, de morte ad vitam, de ignobilitate ad gloriã, de seruitio ad regnum, de cõtumelijs ad honorẽ, de fluctibus seculi ad portum cœli, de medio latronũ ad patris concessum. Transiuimus & nos. Pascha enim nostrum Christus est, transitus noster immolatus Christus est. Quò ergo transiuimus? Quàm ex lõginquò? Transiuimus à duplici perditione ad duplicem corporis & animæ salutem: de diabolo ad Deum, de hoste ad patrẽ, de tyranno, qui nec Deus est nec homo, ad regem nostrum, qui Deus est & homo. Trãsiuimus, inquam, de tenebris ad lucẽ, de fatigatione ad requiẽ, de plãctu ad canticũ, de nuditate ad tegumẽtum, de paupertate ad opulentiam, de reatu ad gratiam, de pœna ad gloriam.

Exod. 12. *1. Cor.* 15.

Psal. 30.

Iohan. 13.

Cur Pascha non celebretur ante plenilunium, quod primum occurrit post vernum æquinoctium. Cap. XXVII.

TAm iucundam solennitatem, tam miram veri luminis claritatem, tam splendidam gratiæ celsitudinem omnis sexus agnoscere, omnis ætas in mente habere, omnis debet conditio suscipere. Nescire enim, calamitatis: non habere, captiuitatis: non indigere, damnationis. Si quidem paganus, quia nescit, miser est: quia non habet Iudęus, captiuus est: quia non diligit hæreticus, damnatus est, Vt ergo tamen hoc bonum maiorum sapientiam delectet, minorum infantiã lætificet, mediocrium profectus ædificet, diuina suffragatur autoritas, elemẽtorum concurrit natura, Ecclesiastica simul nititur industria. Diuinæ nanq; autoritatis est, & ex antiqua lege Moysi traditum, vt nõ celebretur ante primi mensis plenilunium, videlicet vbi primum plena luna post vernale occurrit æquinoctium. Valde hoc delectat ingenia sapientium, quia magnum & perpulchrum in se continet mysterium. Luna quippe, quæ proprium non habet, sed à sole mutuatur lumen, sanctam significat Ecclesiam, quæ non habet à semetipsa, sed à vero sole Christo interni luminis accepit gratiam. Aquinoctium verò, quo transacto, iam dies noctem supergreditur, noctisq; horas decerpens, illi minuit & sibi adijcit, illud significat, quod post ignorantiæ noctem dies scientiæ Dei longa cœpit serenitate produci, & multitudinem ignorantium studium & labor imminuit veritatem Dei cognoscentium. Dum ergo paschalis agnus immolatur, & populus Dei, submerso Pharaone cum exercitu suo, de seruitute liberatur, plenilunium est, & nox vincente die superatur, quia dũ agnus Dei Christus patitur, plenitudo gratiæ sanctam illustrat Ecclesiam, vt tanquàm luna reuelata facie veri solis gloriam contempletur, & iam idonea iamq; placẽs, in thalamos eius ire meditetur. Sicq; dies noctẽ superat, quẽadmodum scriptum est: quia vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia.

Exod. 12.

Exod. 14.

Rom. 5

Elementa quoq; nos in hoc lętificant, nostrique sensus lactant infantiam, quòd post hyemis asperitatem mollis aer vernas spirat blanditias, tellusq; dudum sterili frigore decrepita, viridi iuuenescit herba, floresq; ac segetes rediuiuo fructu vernãt, & volucres cęli, gelu tristi torso, dulce iubilant. Nam inter gaudia, quę celebramus, dum hęc aspicimus, ex ipsis visibilibus similitudine cõgrua commoneri debemus, qualiter in inuisibilibus per Christi resurrectionẽ profecerimus: scilicet quia pulso perfidiæ gelu vitiorum q; imbribus, fidei virtutum q; pulchritudine refloruit mundus, vnde & in Cãticis dicitur: Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt, vineę florentes odorem dederunt, & vox turturis audita est in terra nostra. Temporis ergo siue elementorũ considerata qualitas nonnihil gaudia piæ contemplationis amplificat.

Cant. 2.

Quantum autem ad cognoscendam solẽnitatis eiusdem gratiam, carnales quoq; Ecclesiastica

clesiastica iuuit industria. Nam quia nequeunt ad spiritualia videnda mentis oculos aperire, nisi causarum corporaliter accidentium vi maiore excitẽtur, quæ sita sunt cause, quarum impulsu vehementer excitandi percellerẽtur. Ieiuniũ quippe quadragesima ideo quod pro decimis dierũ offerri Deo alibi iã dictum est, sic dispositũ, sicq; præfixum, est, vt non ante hanc sacratissimam noctem vllo modo terminetur, ac deinde quinquaginta dierũ numerus cõtinuè sequatur, in quibus omninò ieiunia relaxantur. Itaque dum per abstinentiã corpus atteritur, nec aliundè laxatio, nisi ab hac paschali nocte speratur, vel sic eadem beata nox à carnalibus quoq; ambitur, & cũ expectatione susc̃ipitur, & antequàm veniat: sic omnes dies quadragesimæ qui intersunt, tãquàm diurna desiderati viatoris itinera, pene quotidie diligenter computantur. omnibus ergo (vt dictũ est) dulcis est hæc sacra solẽnitas, omnibus chara, cunctis desiderabilis est, sicut lux ambulãtibus in tenebris, sicut sitientibus fons aquæ de petra salientis, sicut peregrinantibus tabernaculum, quod Deus fixit. Sed iam nunc ipsum attingamus officium, quo tandem læta laxemus ora post triste silentium.

De cereo Cap XXVIII.

PRopriũ quoddã huius tantæ solennitatis decus est, cereus à Zozimo Romanę Ecclesiæ põtifice tricesimonono per Ecclesias benedici institutus, à cuius dulcisona benedictione præconia sanctæ resurrectiõis Christi inchoantur. Significat verò eundem dominum nostrum resurgentem, suorum tristitiam discipulorum, imo mundum vniuersum lætitiæ competentis claritate serenantẽ. Hoc verè cõgruit, & vis ipsa significationis exposcit, vt sicut præteritis noctib⁹ extincta luminaria faciem Ecclesiæ cõtristauerunt (sic eadem nocte hac cereus illuminatus iugi flammæ tripudiantis iubare lætificet.

Quid cereus significet. Cap. XXIX.

SVprà dictũ est, per cãdelas, quæ extinctæ sunt, mortes significari prophetarũ & iustorum, qui à sanguine Abel iusti vsque ad Christum occisi sunt, ipsamq; candelam, quę ad Euangelium non maior cæteris extinguitur, ipsum dominum significare, qui Euãgelizãs occiditur, vnus ex prophetis reputatus. Constat autem, quia qui contẽptus & humilis occisus est, hunc Deus susc̃itauit, ac principem & saluatorem exaltauit, ad dandã pœnitentiã in remissionẽ peccatorũ. Benè ergo significationis ordo procedit, dũ clarã resurgẽtis magnitudinem præclari significat magnitudo cerei. Eò vel maximè cereus ad Christi similitudinem accedit, q̃ parvula, q̃ substantiã cerę educit, apes mater absq; cõcubitu cõcipit & parit. cui rectè cõparatur virgo Maria Dei genitrix, quę inuiolata nobis Deũ in carne, quasi mel in cera, protulit. Cũ ergo rectè humanitatis Christi similitudinẽ gerat, ann' illi ab incarnatione eiusdẽ Domini Christi cõsequenter inscribitur. Et qa crucifixus est, crucis quoq; figura congruè nihilominus insculpitur. Amplius aũt id, q̃ dictũ est, eiusdẽ cerei benedictio cõfirmat. Primò cùm in pfatione benedicens rogat. Vt qui me, nõ meis meritis, intra Leuitarũ numerũ dignatus est cõgregare, luminis sui gratiã infundẽdo, cerei huius laudẽ implere præcipiat. Laus enim cerei nullo modo nominãda esset, nisi Christum filiũ, qui cũ patre & Spiritusancto Deus vnus & solus laudãdus est, significaret: præsertim cũ laus eadem cerei, noctis huius iucũdum ac prędulce præconiũ sit, & resurgentis gratiã atq; victoriam, vetera cum nouis conferens, tanquam tuba clarissima personet.

Exod. 13. 14.

Ecclo. 24.

Deut. 11.

Sed iam columnę huius (inquit) præconia nouimus, quam in honorem domini rutilãs ignis accẽdit. Qui licet diuisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non nouit. Ex his quoq; duobus versiculis magis ac magis sæpè dicta cerei significatio colluceſcit. Quod enim ait, Columnę huius præconia nouimus, apertè nobis innuit, quòd illud idẽ per hanc pretiosam lampadem intelligere debeamus, quod per illam præfigurabatur columnam, quę castra filiorũ Israel de Aegypto exeuntium per mare rubrum præcedebat. Significabat autẽ illa columna nubis benè notã nobis nubẽ humanitatis Christi, in qua propriè thronũ suum posuit sapientia Dei, sicut ipsa dicit: Thronus meus in columna nubis. Siquidem nũc illa columna nubis populum suum à diaboli seruitute liberatum & rubrũ mare baptismi trãseuntem præcedit dux itineris, vt inducat in terrã veram repromissionis, terrã viuentium, quam (sicut Moyses ait) dominus Deus noster die ac nocte intuetur, nunc cęlestibus doctrinis cõpluens, vt verè columna nubis, nunc igne sui Spiritus accendens, vt verè columna ignis. Iam ergo veræ columnæ huius mysteria nouimus.

Quod autẽ adijcit de natura ignis dicens, Qui licet diuisus in partes, mutuati tamẽ luminis detrimenta non nouit: multa nanque luminaria de vno videmus accendi, nec illud vnum propterea sibimet lumen diminuit, nihilominus ad idem argumentum proficit: Nunquid enim rem talem tali in loco præsertim omnibus notam, non propter aliud, quam propter semetipsam docere

Lucæ 5.

nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos voluit? Siquidem ineptum fuisset hoc absque mysterio tantis inserere laudibus. Dum ergo columnam ceream rutilans ignis accendit, sic de sua naturali copia laudatus, per hoc aliud perpuchrum piumque spectaculum nostrarum mentium oculis ingeritur. Denique illud innuitur, quod extinctam in sepulchro iacentem humanitatis Christi substantiã de supernis aspirans ignea diuiuitatis potẽtia rursus animauit, & sicut verè rutilans ignis, gloria beatæ resurrectionis hac nocte in perpetuum nobis gaudium fœliciter illuxit.

Item eodem igne consecrati cerei cuncti, qui in Ecclesia sunt, illuminari debent cereoli. Quod cum fit, opportunè nobis illud in mentem subuenit, quòd dominus noster ea die, qua resurrexit, cùm esset sero, stãs in medio discipulorum suorum, manusque & latus ostendens eis, insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Illic enim cœpit ille hominibus dari ignis, quem per hunc visibilem ignem constat significari, quẽ venit ipse mittere in terrã, & voluit vehemẽter accẽdi.

Iohan. 20.
Luc. 12.

Cur diaconus cereum benedicat.

Cap. XXX.

HIc ipsa rei nouitas admonet, vt quæratur, cur tantæ materiæ, tantæ dignitatis benedictionem super cereum pronunciet diaconus, præsente sacerdote vel etiam pontifice, sacrisque indutum vestibus, causa manifesta sese offert quærẽtibus. Constat enim, quia bonum sanctæ resurrectionis Christi nuncium per minorũ sexum (id est, per mulieres) sanctis Apostolis flentibus & lugentibus, Euangelizatum est. Hoc autem tam rationabili diuinitatis dispositione actũ est, vt inter illa, quæ significatiuè fiunt in Ecclesia, memoriale suũ omnino iure habere debeat. Nam quia mulier à diabolo missa viro mortem obtulit, pulchrè sexus idem à rediuiuo Christo missus, virili sexui vitam Euangelizauit. Rectè itaque gradus inferioris minister, tam dulci, tam pulchra, tamque melliflua cerei benedictione, tantæ solennitatis nostræ gaudium inchoat, quia per inferiorẽ sexum tam iucundum, tamque pium domini cę resurrectionis miraculum, viris non quibuslibet, sed ipsis Apostolis annunciatũ est.

Luc. 23.

Cur ad benedicendum cereum quoq; portat incensum. Caput XXXI.

CVmque diaconus cum cæteris subministris ad benedicendum accedit, frustula quoque portantur incensi, vt cruciculæ (quæ cereo insculpta est) offerendo infigat. Et hoc quoque ad causam prędictam respicit. Illæ nanque mulieres, quę mortuum quærebãt dominũ, & viuũ videre meruerũt, aromata ferebant, sicut Euangelista refert: Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.

Marc. 16.

Cur dicatur, vel sit sacrificium vespertinum.

Caput. XXXII.

OFferens igitur incensum dicit: In huius igitur noctis gratia suscipe sancte pater incensi huius sacrificium vepertinum. Vespertinum esse sacrificium, totumque ad vesperam sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, diei præsentis pertinere officium, clarum est. Cur autem hæc sacrosancta solennitas vtrumque, scilicet matutinum & vespertinum, habeat sacrificium, suprà dictis ex causis colligi potest. Suprà nanque dictum est, duabus ex causis præsentem splẽdere solennitatem, scilicet ex redemptione animarum, quæ die parasceues morte Christi parta est, & ex resurrectione mortuorum, quæ illo resurgente prima sabbati cõfirmata est. Cõstat autem, quod idem resurrectionis nostræ autor, imminente vespera, caput inclinãs tradidit spiritum: & hora, qua primus Adam requisitus, clamante domino & dicente: Vbi es Adam, inobediẽs deprehensus est, eadẽ hic secundus Adam consummata passione sua, clamans & dicens: In manus tuas commendo spiritum meum, obediens inuentus est. Oblaturi igitur sacrificium matutinum, pro eo, quod hic Lucifer matutinus, resurrectionis primogenitus, diem nobis æternitatis resurgendo aperuit. Sacrificium quoq; vespertinum primum offerimus pro eo, quòd (vt dictum est) imminente vespera, spiritum tradens, eandem vesperam sua morte fecit memorabilem, sed eius celebritas dilata (vt dictũ est) & cõpetenter in hanc transposita est.

Iohan. 19.

Luc. 23.

De baptismo. Cap. XXXIII.

AEqua victoriæ lex est inter homines, vt quicunque ante bellum fuerant victi, post bellum cedãt in ius dominationemque victoris, mittanturque legati in vniuersam victi potestatem, qui victum esse priorẽ tyrãnum annuncient, titulosque victoris recipiendos ostendant, & eius iura prędicent. Vnde & ipse dominus, qui ad debellandum humani generis inimicum venerat, dicit in Euangelio: Cum fortis armatus custodit atrium suũ, in pace sunt omnia, quæ possidet: si autem fortior illo superueniens vicerit eũ, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Hac nocte aduersus illum fortem armatum, scilicet diabolum, fortior superueniens filius Dei, crucisque vexillum eius bellator inferẽs, ipsum cepit, alligauit, arma eius abstulit, & spolia paradiso reddidit. Ille tam fortis, qui vniuersam terrã cõculcauit, hamo crucis captus est: quia dum fragilitatẽ carnis in Christo morte appetijt, diuinitatis aculeo trãsfixus est. Rectè igitur hac eadẽ nocte celebratur baptismi sacramentũ, quo cõstanter aduersus victi potestatem iniquam eunt sacerdotes nostri, legati vtiq; victorioſi regis Christi, titulosq; victoriæ proferentes, victi abrenuntiationẽ, victorisq; ab hominibus exigũt professionẽ. De cuius magnitudine sacramenti aliqua debere dici, tempus & officij eius ordo nũc exigit, atq; in primis dicendum videtur, quomodo, vel quid mors Christi per baptismum operetur in nobis. Consequens enim esse videretur, vt quomodo propter peccatũ mortales facti sumus, in remissionem autem peccatorum baptizamur, iam post baptismum immortales existeremus.

Quomodo, vel quid per baptismum mors Christi operetur in nobis.

Cap XXXIIII.

Rom. 6.

PAulus Apostolus dicit: An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus in christo Iesu, in morte ipsi° baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ: vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hic patenter ostendit lucrosam cõmutationẽ factam esse nostræ duplicis ac sempiternæ mortis, cui iustè fueramus addicti, scilicet vt per baptismum cum Christo iniustæ morti addicto morientes, mori vltrà non debeamus. Idcirco nanque mortuus mortis suæ fluuium, scilicet sanguinem & aquam de latere suo Christus effudit, vt non deesset nobis, in quo eiusdem mortis suæ possemus participes fieri, & sic à nostra liberari. Valdenãq; repugnat iustitiæ, & cum iusto Christo mori, & cũ peccatore diabolo damnari. Sed non eadem iustitia pariter & hoc admittit, vt quicunq; in morte Christi Iesu baptizati sumus, statim quoque à morte corporis liberi simus. Nã in baptismo vnius simplę mortis Christi, quam suscepit, similitudo est. Nos autem duplam, scilicet corporis & animæ mortem debentes baptismi subimus remedium. Igitur propter vnam Christi mortẽ, cuius similitudini complantati facti sumus, vnã à nobis mortẽ, quæ erat animę saluatrix, gratia depulit, aliã verò quæ corporis est, iustitiæ censura reseruauit.

1. Cor. 5.

Corpus quidẽ (inquit Apostolus) mortuũ, id est, certissimè moriturũ est propter peccatũ, Spiritus verò viuit propter iustificationem.

1. Cor. 15.

Sed habent spei suæ cõsolationem ipsa quoque baptizatorum corpora: quia quorum Spiritus nũc viuit propter iustificationẽ, ipsa quoq; immutabũtur per resurrectionẽ, id est fient impassibilia, quando absorbebitur id quod mortale est à vita. Nec hoc dictũ est, q̃ ideo resurrectio cõsequatur, quia baptizati sumus, alioqui quicunq; nõ baptizantur, nõ resurgerẽt: sed quia baptizati sumus, prẽmiũ recipiet fides, vt cũ omnes mortui resurgãt, soli immutentur fideles. Omnes quidẽ, inquit, resurgemus, sed non omnes immutabimur. Canet enim tuba, & mortui resurgẽt incorrupti, id est, immortales effecti, & nos immutabimur, id est, impassibilitatẽ quoq; obtinebimus, quę infideliũ non erit. Nã qui mala egerunt, procedent in resurrectionem iudicij. Nunc ergo præsentem accepimus in baptismo spiritus iustificationẽ, futurę verò immutationis spẽ. Et sicut præcedens mors animæ, causa extitit corporeæ mortis omniũq; corruptionũ carnis: sic nũc vita vel iustificatio Spiritus, quo in baptismo reuiuiscimus, causa efficiẽs erit in resurrectiõe, vt immutemur, id est, impassibiles simus. De morte verò corporis argumentandũ non est, quòd cõsequenter & ipsam baptismi virtus absorbere debuerit. Quamuis enim & hæc ab originali peccato, quod in baptismo deletur, initiũ acceperit, modo tamẽ diuersũ mors vtraque peccãti homini accidit. Nam mortẽ quidem animæ contumax diuinitatis appetitus intulit, corpori autẽ materiam semper viuẽdi, subueniendo potius quàm persequendo Deus abstulit: Ecce inquiens, Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum, nunc ergo videte, ne forte mittat manũ suam, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Videntur hæc irã sonare vel vindictã, sed si rectè cõsiderentur, verba sunt paternæ prouidentiæ, nosq; iam tunc à longè circumuolantis quædam præparatio misericordiæ. Quid enim esset iã vitiato homini vita æterna, nisi æterna miseria? Quod Plotinus quoque gentilium quidam philosophorũ rectè, Augustino teste, intellexisse laudatur. Nam cùm de humanis animis ageret: Pater, inquit, misericors mortalia illis vincula faciebat. Ita hoc ipsum (ait Augustinus) quod mortales sunt homines corpore, ad misericordiã Dei patris pertinere arbitratus est, ne huius vitæ miseria semper tenerentur. Tunc enim à dęmonibus quid different? Nunc autem longè differunt, quia cũ sit Dei beata æternitas, vel æterna beatitudo, dæmonum autem misera æternitas vel æterna miseria: homo, cuius est miseria mortalis vel mortalitas misera, à Dei quidem beatitudine cecidit, sed vsq; ad dæmonum miseriam non peruenit, prouidente

Iohan. 5.

Gene. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

misericordi Deo, ac dicente: Videte ne sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Non ergo conquestione vlla ventilandum arbitramur, cur in baptismo nostra corporea mors non deleatur: quin potius viro fideli optanda est vt veniat, & tanquam misericordiæ profectus, animam à miseria vitæ præsentis absoluat. Non enim est quasi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur. Vnius eiusdemque gratiæ propositum, quod tunc incepit, quando hominem immortalem esse vetuit, nunc in fide baptismatis ostendit: perficiet autem in die resurrectionis.

Quòd iuxta sententiam domini nullus vnquam, nisi renatus ex aqua & Spiritu sancto, regnum Dei introirit, & quòd illa hora, qua dominus noster sanguinem & aquam de latere suo fuderit, vniuersa ecclesia, quæ iam erat vel fuerat ab origine mundi vsq; ad latronem, qui in cruce confessus est, baptizatus sit. Cap. XXXV.

TAntum autem, tamque necessarium est hoc baptismi sacramentum, vt sine illo, iuxta sententiam domini, non possit quis videre regnum Dei. Hic iam de illo latrone quæri potest, cui confitenti in cruce & dicenti: Memento mei domine, dum veneris in regnum tuum, Amen dico tibi, inquit dominus, quia hodie mecum eris in paradiso. Hic enim secundum regulam, qua singuli baptizamur nos, baptizatus non est. Quomodo ergo defenditur illa domini sentétia, dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei? Sed si de huiusmodi permouemur, angustus est adhuc cordis nostri intellectus, claramq; maiestatem sacri baptismatis nondum satis apertis intuemur oculis. Solum riuum, quē ad nos, qui foris eramus, Christus emisit, dicens discipulis suis: Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eas in nomine patris & filij & Spiritus sancti: solum, inquam, riuum sacri baptismatis, qui ad nos exiuit, attendimus, ipsumq; fontē domus Dauid, vbi quādo, vel quantum, priusquàm ad nos deriuaretur, inundauerit, minus diligēter animaduertimus. At ille fons salutaris vniuersę Ecclesiæ, quæ ab initio per sex mundi ætates collecta, propter originale peccatum ab ingressu paradisi arcebatur, cunctisq; qui adhuc viuentes iam corpore erant eiusdē Ecclesiæ, dominum nostrum audiendo ipsumq; fideliter sequendo: vniuersæ, inquam, Ecclesię ab Adam vsq; ad latronem supradictum, fons ille baptismi salutaris inundauit: qua hora patefacto lancea militis Christi latere, sanguis & aqua prorupit. Ibi pariter totam Ecclesiam, quæ iam erat, vel ab initio mundi fuerat, lauit Christus à peccatis eius in sanguine suo, vt exhiberet sibi sponsam gloriosam, non habentem maculam aut rugam. Nam ex quo primi parētis peccato maculata, & propter hoc in medio corruptionum veterascés, corrugata est: vel (vt Esaiæ verbis vtar) ex quo bibit de manu domini calicem iræ eius, & vsq; ad fundū calicē soporis bibit, & potauit vsq; ad feces, non fuit (vt idem ait propheta) qui susciteret eam ex omnibus filijs, quos genuit, & non fuit, qui apprehenderet manum eius ex omnibus filijs, quos enutriuit. Filij tui, inquit, proiecti sunt, dormierunt in capite omnium platearum, sicut bestia illaqueata. Quamuis enim idem salutiferæ curationis auxiliū, circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus tunc ageret, quod nunc baptismus agere, reuelatę gratie tempore, consueuit, hoc omnino exceptum est, quòd regni cœlestis ianuam necdum intrare poterant: tantum in sinu Abrahæ post mortem beata spe consolati, supernæ pacis ingressum fœliciter expectabant, donec aduenire ipse, qui in eodem propheta post pauca loquitur: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Et paulò pòst idem propheta de eodem: Iste, inquit, asperget multas gentes. De qua aspersione loquitur Ecclesia per os Dauid, qui ex supradictis Ecclesiæ filijs antiquę vnus erat: Asperges me, inquit, hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor. Per hyssopum, quæ herba humilis est, nasciturq; in petrosis locis, & bibita tumorem pulmonis deponit: de qua in lege quoq; præceptum erat, vt fasciculo hyssopi intincto in sanguine victimę aspergerentur leprosi, & sic mundarentur: per hyssopum, inquā, herbam humilem atq; salubrem, passionis Christi significat humilitatem, qua aspergenda, lauanda & super niuem dealbanda erat ipsa, quę per David hoc loquitur, ecclesia. Hinc & propheta Zacharias, cum dixisset de ingressu eius, quo in ciuitatem Hierusalē passurus intrauit: ipse pauper & ascendens super asinā, & super pullum filium asinę, post pusillum cōuersus ad ipsum: Tu quoq;, inquit, in sanguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo nō est aqua, id est, in sanguine passionis tuę eos, qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti. Hanc aūt munitionem, ad quā per eundem prophetam eosdē vinctos cohortatur dominus, statim adiungens: Conuertimini ad munitionē vincti spei, nō aliam debemus accipere, nisi habitationem paradisi, in quam,

Num. 23. Iohan. 3. Luc. 23. Matth. 28. Psal. 50. Leuit. 14. Num. 19. Zachar. 9.

in quam primus cum domino latro ingressus est.

Baptizatus ergo Iesus in passione sua, de qua & ipse dixerat: Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coartor vsque dum perficiatur, qua hora sanguinem & aquam de latere suo profudit, eadem hora totum corpus eius, quod est Ecclesia, quantacunque ab initio mundi vsque in eandem horam cōcreuerat, semel simulque baptizata est, & aspersa hyssopo (vt suprà dictum est) mundata est, & lota super niuem dealbata est. Propter eos autem, qui foris erant, nec adhuc eiusdem Ecclesiæ corpori per fidem vniti fuerant, idcirco non eos ille fluctus attigerat, nec enim baptizatur quis, priusquam eiusdem baptismi fidem habeat: propter eos, inquam, positum est quasi ante fores eiusdē Ecclesiæ deriuatum baptismi sacramentum, vt quicunque Iudæorum siue gentilium Ecclesiam ingredi cupiunt, baptizentur: quia Ecclesia ipsa baptizata est. Inde est, quod singulariter Paulum quidem legimus baptizatum, videlicet quia quando vniuersaliter (vt dictum est) Ecclesia baptizata est, ipse in corpore eiusdem Ecclesiæ nondum erat, sed in synagoga Satanæ, quæ Christum caput Ecclesiæ crucifixerat. Petrum vel quemlibet cæterorum, qui Christo adhæserant, baptizatos singulariter non legimus: nec ipse Augustinus reperire potuit in Epistola, quā ad Seleuciam interrogatus de baptismo Apostolorum, scripsit. Nam ante passionem suā Iesus (inquit Euangelista) nō baptizabat, sed discipuli eius. Quomodo autem baptizabant discipuli eius, nisi quemadmodum & discipuli Iohannis, videlicet in pœnitentiam? Siquidem & Romana Papæ Leonis autoritas ex Euangelica serie comprobat, quia baptizandi regula ante passionē domini data non fuerat, sed post passionem ac resurrectionem eius ab ipso data est, dicente: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Cæterum de his viderit quisque, quid sentiat, vtrum eos rebaptizatos esse asserat. De latrone supradicto illud nemo est qui dubitet, quin cum Domino Paradisum ingressus sit: & tamen non nisi in vniuersali Ecclesia simul illo qui de latere domini effluxit, flumine præsentialiter baptizatus est. Baptizata quippe (vt sæpe dictum est) tunc est omnis, quæ super terram, vel subtus terram erat Ecclesia, sicque de mortui Christi latere renata, sicut de latere dormientis Adæ fabricata est Eua. Nam sicut costa Adæ causa materialis extitit vnde formaretur Eua, sic fluuius ille, qui de latere Christi fluxit, causa fuit effectiua, vt paradiso vel cœlo, Christique spirituali coniugio sancta eius sponsa renasceretur Ecclesia. Siquidem nullus adhuc de omni genere humano regnum Dei viderat. Dixerat autem ipse absque vlla exceptione, tam præteritorum quàm præsentium vel futurorum: quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. Omnes igitur oportuit renasci, omnem Ecclesiam veterum pariter ac nouorū, quia fuerat in præuaricatione primi Adæ generata, oportuit in fide secundi Adæ regenerari, vt posset videre regnum Dei.

Cur nulli veterum sanctorum sua tristitia suffecerit, vt per eam illic, vnde primus homo lapsus est, posset restitui absque baptismo sanguinis Christi. Cap. XXXVI.

MIretur aliquis, cur hactenus nemo iustorum, nemo sanctorum patriarcharum aut prophetarū, nec ipse pater Abrahā, cui primo contra ipē in ipē credenti fides ad iustitiam reputata est, quique ob eiusdē fidei meritū amicus Dei appellatus est, per laudabilē iustitiā saltē in seipso, delere peccatū originale seque paradiso restituere potuerit. Sed de hoc profectò, quicunque diuini vel etiam humani iuris peritiā habet, minimè miratur. Reus enim & cōdemnati capitis seruus quomodo redimet caput suum, si nihil addat ad seruitium, vel etiam minuat, quod debuerat ante reatum? Aliis enim & minoribus debitis alia maiora debita non redimuntur. Verbi gratia. Homo ille, qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, debebat regi suo Hierosolymitano decem millia talenta (quis enim estimare possit, quantum creatura debeat creatori?) eratq; dues & inclyto in illa ciuitate, nec illi tāti debiti persoluēdi facultas deerat. Præmonitus fuerat ab illo domino suo, fidelis vt esset ac subditus, præceptumq; acceperat, quo non difficulter obseruato, tūc demum emeritus iure altiori dignitatis gradu promoueretur. At ille ab anathemizato principe Hiericho domini sui inimico, spe regnandi solicitatus vt descenderet, & tanquā regnare idoneus seruire contemneret, descendit, secumque omne domini sui debitum absūlit: statimque ab illo deceptore spoliatus, & plagis impositis, semiuiuus relictus est. Hic proditor iacens in Hiericho, qui antequam transfugeret, decem millia talenta debebat, nunquid pro satisfactione centum offerens denarios, debitum omne rependit, suis quoque medetur plagis, proditionisque opprobrium diluit, vt

Iohan. 4. Gen. 2. Luc. 10. Rom. 4. Iohan. 3. Act. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

infamis inter famosos proceres in illa regali sedet curia? Imo benè ac misericorditer cum illo agitur, si tantum in illa ciuitate vel curia non receptus, non etiam ignibus exuratur, vel alia pœna funditus à vita, qua indignus est, extrudatur. Benè ergo cum Abraham & Isaac & Iacob, vel quolibet iusto egit clemens diuinitas, quòd à paradiso exclusus, non etiam inferni cruciabatur ignibus, sed in pace collocatus, illum expectabat legislatorem, qui *Psal.83.* veniens benedictionem daret, vt videretur Deus deorum in Sion. Quicquid enim fidelis seruitij Deo quilibet iustus obtulit, tantum erat ad comparationem eius laudis & glorificationis, quam homo conditus in paradiso suo debuerat creatori: quantum si compares centum denarios decē milibus talentis. Vnde ergo peccatum quoque originale redimeret? Ad hoc etiam accedebat, quòd vita hæc misera sine actualibus quoque peccatis saltem leuibus, sicut nunc, ita & tunc transigi omnino non poterat. Non ergo summæ Dei iustitiæ congruebat, qui in hoc terrestri sanctuario suo maculatum quippiam sibi offerri prohibet, vt in illis cœlestibus sanctis sanctorum aliquid nisi immaculatum susciperet, & inemendatam humanam creaturam angelicæ dignitati penitus incorruptæ coæquaret: fieretque iniustus, sicut & iustus, & clarissima cœli respublica tali inordinatione confunderetur.

Et ne forte (quod absit) iudicia Dei re- *Ezech. 18.*
prehendamus cum his, qui iuxta Ezechielem intra se parabolam vertebant, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt, libet propositam similitudinem, quoniam ex Euangelica parabola est, adhuc secundum humanæ legis æquitatem persequi, quoniam homines sunt, qui reprehendunt iudicia Dei: Audiant hoc & respondeant mundanæ legis æqui censores, & diuini examinis iniqui reprehensores. *Gen. 5.* Supradictus homo, postquam descendit in Hiericho, genuit (sicut scriptura refert) ad imaginem & similitudinem suam filios & filias. Quid nanque est, quod ait, Genuit Adam ad imaginem & similitudinem suam? Hoc vtique voluit intelligi, quòd à latronibus despoliatus (vt supradictum est) genuit nudos, plagatus morbidos, semiuiuus & ipsos semiuiuos. Vitiatæ nanque succus radicis, nihilominus vitiosè in fructibus erupit. Et quod valde dolendum est, sicut spoliatus & semiuiuus multo plures generauit, quàm generare debuerat, si in priori sanitate' custos paradisi fidelis & obediens permansisset.

Tunc enim ex illo soli nascerentur hi, qui ad vitam præordinati sunt, quique' nunc per Christi gratiam ad eandem reuocantur vitam. Nam propter peccatum, Maledicta, inquit Deus, terra in opere tuo: cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. Cui terræ, scilicet, muliebri, Multiplicabo, inquit, *Gene.3.* ærumnas tuas, & conceptus tuos. Multiplices itaque conceptus de terra carnis, quę propter superbiam, qua diuinitatem appetiuit, luxuriæ subiecta est, tanquam tribulorum & spinarum densitas excreuerunt super numerum: & tanti nascuntur reprobi, vt ad comparationem illorum pauci sint electi. Dicant nunc hominis illius filij, qui omnes *Matth. 20.* in Hiericho nati sunt: hominis, inquam, qui ciuitatem Hierusalem, quia sponte dereliquit, iustè perdidit: dicant, vtrum iure hæreditario ciuitatem eandem repoſcant, legaliter patri adiudicatam. Dicant, inquam, legis periti, in qua Romanorum seu Barbarorum curia simile quid iudicare præsumant.

Sed dicet aliquis: Dominus ipse (cuius in ore lex clementiæ est) Filius, inquit, non *Prouer.20.* portabit iniquitatem patris, & pater non *Prouer.31.* portabit iniquitatem filij. Benè. Sed rursum alius propheta dicit: Patres nostri pec- *Ezech. 18.* cauerunt & non sunt, nos autem iniquitates *Thre.5.* eorum portauimus. Et Moyses ad Deum: *Exod.20.* Qui reddis, inquit, peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Quapropter quærenda est harum consonantia tibiarum: quia cùm spiritus illas vnus idemq; perflauerit, in ipsis dissonantia non debet intelligi. Videlicet portāt iniquitatem patrum filij, qui sequuntur: non portant, qui non sequuntur. Dicis itaque mihi: Abraham, Isaac & cæteri iusti non sunt secuti primorum iniquitatem parentum, sed omni testimonio fidei probati inuenti sunt. Fateamur i- *Hebr. 11.* gitur, quia nec portare debuerunt: veruntamen, in quantum non secuti sunt. Et qui omnino non secutus est, Christus Deus carnem habens ex carne Adam, & ossa ex ossibus Adam, omninò nec portare debuit. At illi quàm longè ab illa parentum iniquitate in altitudinem iustitiæ prouecti sunt. Vnus ex præcipuis Esaias dicit: Facti sumus vt immundi nos omnes, iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Non igitur æquum *Esai.6.4.* erat, vt illorum iustitia, quoniam menstruata erat, cœleste sanctuarium introiret, donec fons ille domus Dauid, fons baptismi, de quo nunc sermo est, iuxta prophetam

Zacha.13. tam Zachariam in ablutionē menstruatæ pateret, videlicet lancea aperiēte latus domini crucifixi. Interim illis ampla merces, & omnem illorum iustitiā supergrediēs erat apud inferos præsens requies, & futuræ per Christū glorificationis secura & beata spes. Gratias misericordi Dei iustitię, & iustæ Dei misericordiæ, qui sic aduersatus est, vt subueniret, sic percusit, vt sanaret, & iuxta illud Psalmistę: Misericordia & veritas obuiauerūt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt, sic veritatem *Esa.19.* *Psal.84.* & iustitiam aduersus culpam exercuit, vt misericordiam & pacem reseruaret homini. Nā quia satisfactionem pro culpa nō nisi homo debebat, & non nisi Deus perficere poterat, Deus homo factus est, quatenus vnus idemque Christus, & verus Deus ab homine exigeret, & vt verus homo persolueret.

Igitur, sicut suprà dicere cœpimus, vt participatione mortis Christi iustificaremur, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cū illo per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita nos in nouitate vitæ ambulemus. De cuius renouationis sacramento vel ordine, qui post suprà memoratam cerei consecrationem celebratur, iam dictum est. *Rom.6.*

FINIS LIBRI SEXTI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER SEPTIMVS.

De ordine eiusdem baptismi. Caput I.

EA, quæ in baptismo celebrantur, quæ dicuntur, quæ aguntur, carmina sunt illa, propter quæ tanquàm maleficia martyres accusabantur, rapiebantur, occidebantur. Diabolus enim, cui per Christianæ fidei professionem in sacro fonte renunciatur, in quem iudiciales sententiæ proferuntur, habens iram magnam, sæuiebat in cordibus impiorum, & tuba diuini nominis offensus, illorū cæcitate & insania pro suis aduersus Deum armis vtebatur, & sicut *Apoca.8.* in Apocalypsi legitur, quia canente tuba magnus mons ardens iracundia, confugiebat in profundum cordis impiorum, & diuinis, exorcismis, per quos eiectus fuerat, maleficij *Esai.43.* crimen effingens, leges econtrà dictabat. Sed vos testes mei, dicit dominus, videlicet quia nihil malæ artis nos à bono magistro didicisse, optime conscij sumus. In his igitur, quæ dicuntur vel aguntur, virtutem, qua diabolus damnatur & confoditur, admoto fidei speculo contemplemur.

Quod lectiones & tractus præsentis diei ad baptismi pertineant sacramentum. Caput II.

IN primis lectiones de veteri testamēto ad nouum hoc sacramentum pertinentes leguntur, & cantica similiter, id est, tractus ad idem respondētes, succinūtur. Difficile nanque est numerare, quàm familiare, quàm frequens Spiritui sancto fuerit, etiam ante aduētum Christi maximè circa aquas operari, & mysticis dictis aut factis gratiam præsignare baptismatis. Inde ergo lectiones sacrę baptismo congruentes, ad instructionem baptizandorum solenniter recitantur. Et sicut seruus *Gene.24.* Abrahę missus, vt filio domini sui Isaac vxorem acciperet, Sara matre eius mortua, Rebeccam inuenit ad fontem aquæ, & inaures dedit ad ornandum faciem eius, & armillas in manib. & ita præornatā adduxit ad Isaac: sic legati Dei patris, id est, sacerdotes eius, ad fontes baptismi venientes, nouam sponsam, id est, nouam plebem Christo filio eiusdem antiqui dierum, per fidei doctrinam acquirūt. Adiurauit enim eos deus pater charitate *Danie.7.* magna, cœterni sibi verbi incarnationē ex- *1.Cor.15.* hibens, cuius in typum ille senex Abraham prędictum seruum adiurauit super femur suum: & ipsi quoq; ferunt secum de omnibus bonis dñi sui, quia diuites facti sunt in verbo & in omni scientia, magnarūq; operatiōe virtutū. Adiurauit, inquā, eos Deus pater, vt filio suo vero Isaac, id est, risui vel gaudio nostro, nouam sponsam Ecclesiam de gentibus accipiāt: quia mortua est, quæ secundum carnem illū genuit, synagoga mater eius, & eiusdem filij sui, quē occidit, enecata est sangui- *Matth. 27.* ne, quia dixit: Sāguis eius super nos & super filios nostros. Dum ergo lectiones sacras baptizandis recitamus, quasi Rebeccam, quæ interpretatur obedientia, seruus Abrahæ ad fontē aquæ alloquitur, datq; inaures, id est, fidei doctrinam, quę obedientē benè prępar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nat aurem. Accipit illa & armillas in manibus, dum, quod credit, in mortificatione ſuę carnis operatur, propter quod & in morte Chriſti baptizatā ſe eſſe meminit. Nec mora, libenter ad Iſaac contendit, obliuiſcens populum ſuum & domum patris ſui, totamque expeditam cæleſtibus præbens nuptijs. *Pſal. 44.*

De lectione prima, quid ad baptiſmum pertineat. Cap. III.

ILla, quæ prima ponitur lectio, libro Geneſis, In principio creauit Deus cælū & terram, fortaſſe quę rat aliquis, qd ad baptiſmi pertineat ſacramentum. Et qui talis eſt, quaſi clauſus adhuc ſacculus eſt, qui antequā excutiatur, nō apparet quid in illo cōtineatur. Sed Prophetæ, quorum Moyſes primus vel maximus eſt, iam excuſsi ſunt, vt inde, quæ clauſa & operta ſacramenta cōtinebant, manifeſta procederent. Quod quia primitùs Apoſtoli fecerunt, ipſi nanq; primi poſt Chriſtum quaſi excutiendo nobis prophetas aperuerunt, idcirco dicuntur in Pſalmo filij excuſſorum. Et hæc maximè lectio iam à magnis & fortib. viris excuſſa & expoſita eſt, à quib. & vocatur Hexameron, id eſt, opus ſex dierū. De quorū dictis ſi omnia cōgregarentur, quæ ad baptiſmi pertinēt ſacramentū, nimia prolixitas præſenti loco magnū afferret faſtidium. Breuiter ergo dicendū quia maximè ex hoc pręclarū baptiſmo Chriſti perhibet teſtimoniū, quod ait: Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, ſimulq; diuini nominis in quo baptizamur, id eſt, ſanctæ trinitatis ſemel & iterū euidens perſonat oraculū. Ait enim: In principio creauit Deus cęlū & terrā. Quod aliud principium intelligendū putabimus, niſi filiū? Ipſe enim de ſeipſo interrogātibus Iudęis quis eſſet, Principiū, ait, qui & loquor vobis. Ergo principiū filius. Per filium fecit Deus cœlū & terrā. Omnia per ipsū facta ſunt, ſicut Iohan. Euangeliſta narrat, Et ſine ipſo factū eſt nihil. Nā proculdubiò in Dei nomine pater, in principij nomine filius intelligēdus eſt. Profectò, cū dixiſſet, In principio fecit Deus cœlum & terrā, ſubſecutus adiunxit: Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, qui tertia eſt in trinitate perſona. *Pſal. 126.* *Iohan. 2.* *Iohan. 1.*

Item in eadem lectione, Faciamus hominem ad imaginē & ſimilitudinē noſtrā. Vnde Gregorius: Cūcta, inquit, dixit Deus & facta ſunt. Cùm verò facere hominē decernit, hoc quod reuerenter penſandū eſt, præmittit dicens: Faciamus hominem ad imaginē & ſimilitudinē noſtrā, vt videlicet quia rationalis creatura condebatur, quaſi cum cōſilio facta videretur, quaſi per ſtudiū de terra plaſmatur, & inſpiratione cōditoris in virtutem vitalis ſpiritus exigitur: vt ſcilicet nō per iuſsionis vocē, ſed per dignitatē operationis exiſteret, qui per imaginē Dei fiebat. De eo, q ſupradictū, Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, & de ſimilitudine, quę hic poſita eſt: Faciamus hominē ad imaginē & ſimilitudinem noſtrā, plus aliquid eloqui preſenti negocio cōperit. Nam verè idcirco nunc Spiritus ſanctus ſertur ſuper aquas, vt ſimilitudinē Dei, quæ in homine per peccatum abolita fuerat, per regenerātem baptiſmi gratiam reſtituat. Quod vt commodius fieri poſsit, dicendum prius eſt, quę inter imaginem ſimilitudinēq; Dei diſtantia ſit.

Quæ imaginis & ſimilitudinis Dei diſtantia ſit, & quòd non imaginem, ſed ſimilitudinem homo peccando perdidit, ad quam reformatur per baptiſmum Chriſti. Cap. IIII.

AD imaginem Dei homo factus eſt, in eo, quòd rationalis eſt: ad ſimilitudinē verò in eo, quòd diuinæ bonitatis imitator cōditus eſt. Imago nanq; Dei vel figura ſubſtantiæ eius, ſicut Apoſtolus ait, filius eſt: bonitas autē vel charitas Dei & imaginis eius, Spiritus ſanctus eſt. Et idcirco non eſt dictū, Faciamus hominem ad ſimilitudinem & imaginem meam, ſed, Ad imaginem & ſimilitudinem noſtrā, quia ſimilitudo non vnius tantum, ſed duarum perſonarum, ſcilicet patris & filij eſt, imago autem non duarum, ſed vnius ſcilicet patris eſt. Filius nanque patris tantum, non etiā Spiritus ſancti filius eſt. Spiritus autem ſanctus non ſolùm patris, ſed & filij ſpiritus eſt. Potuit autem creatura rationalis amittere id, quod ad ſimilitudinē Dei facta eſt, non potuit verò eo carere, quod ad imaginem Dei condita eſt. Quare? quia videlicet diuinę bonitatis imitatio, per quam Dei ſimilitudo retinetur, creaturę quoq; voluntatem exigit: rationalitas autem, quę impreſſione imaginis Dei humanę animę inſculpta eſt, à ſola creatoris arte proceſsit. *Hebr. 1.*

Igitur, vt ſimilitudinem Dei, quam noſtra volūtate perdidimus, noſtra nihilominus volūtate recuperare poſsimus, bonitas Dei Spiritus ſanctus illuc vſque deſcendit, quò peruenire nos facilè poſſumus, dū ſuperfertur aquis, quę pręſto ſunt, de noſtro ſolā voluntatem poſtulans, cętera gratis omnia procurans. Nā & aquam illā, quę de mortuo Chriſti corpore profluxit, ipſe creauit, qui corpus ipſum Chriſti de noſtræ aqua naturæ fotu ſuo concreſcere fecit, ſicut habemus in ſymbolo: Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, vel in Euangelio: Quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto, & qui in mundi creatione (vt in prę- *Matth. 1.*

in præſenti lectione ſcriptum eſt) ſuperferebatur aquis, in modum volucris (vt ait Hieronymus) oua ſua calore animantis, ipſe nūc ſuperfertur aquis baptiſmi, vt ingredientes ſub gratiam ſuam confouens, in veram regeneraret vitam, expādens alas ſuas, & aſſumēs eos atq; portans in humeris ſuis. Etſi opus eſt, vt amplius appropinquet alicui, id eſt, ſi ab aquis arceatur aliquis, vt volens ad illas peruenire non poſsit, ſicut arcebatur Cornelius, Iudæis prohibentibus gētiles recipi: vel ſicut multi Chriſtum in perſecutione confitentes, necdum baptizati, ad aquas peruenire non poterāt, artati carceribus & vinculis prępediti. Si, inquā, opus ſit propter aliquid huiuſmodi, tunc demum aduolat mater gratia Dei, ſuaſq; vltra nidum aquarum alas extendit: ſicut adhuc loquente Petro cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebāt verbum, & erant loquentes linguis & magnificantes Deum. *Deut. 32.* *Act. 10. 12.*

Quòd martyres baptiſmum non conſecuti, recte dicantur in ſanguine & morte ſua baptizati. Cap V.

SEd illos, tanto defenſore tutos, iuſsit Petrus aqua baptizari in nomine patris & filij & Spiritus ſancti: multi autē perſecutionis articulo præoccupati, ſine aquæ baptiſmo ſupplicijs affecti, pro Chriſto conſummati ſunt. Quid ergo? Nunquid hi baptizati ſunt? Imo tanto maiorem gratiā prę illis, qui in pace Eccleſię moriuntur, aſſecuti ſunt, quanto grauiori diſpendio morti & ſanguini Chriſti cōmunicauerunt. Nam in baptiſmo communi, tantum ſimilitudo mortis eſt, ſicut ait Apoſtolus: Sic enim cōplantati facti ſumus ſimilitudinis mortis eius, ſimul & reſurrecti onis erim⁹: in martyrio aūt ipſa mors. Quòd ſi martyrium baptiſmus non eſſet, nunquā dominus de paſsione ſua dixiſſet, quod iam ſuprà commemoratum eſt: Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coartor, vſquedum perficiatur? Verum exceptis his, quos eiuſmodi articulus non intercipit, nulli Spiritus ſanctus extra fontem occurrit, totamq; remiſsionem peccatorum intra aquas cōtinet, nec vltrà extendit. Ex his maximè locis, de quibus dictum eſt, memorata lectio baptiſmi ſacramento cōgruit. Cęterum niſi vitandi ſubeſſet cauſa faſtidij, poterat ex autēticis doctorum tractatibus oſtendi, quòd tota ſeries mundanæ creationis, quæ in eadem lectione digeſta eſt, ſimilitudines præferat noſtrę, quæ per baptiſmum agitur, renouationis. Nam, qui in principio creauit Deus cœlum & terram, & cætera fecit ſex dierum opera, nunc dicit: nouos cœlos & nouam ego terram creo, id eſt, nouos ſanctos, & nouam Eccleſiæ plebem: & diuidit aquas ab aquis, & poſitum eſt firmamentum Apoſtolorum & prophetarum, diuidens diuinæ aquas ſapientiæ, quas continet ab aquis humanæ vel carnalis prudētiæ. De quo Pſalmiſta: Extendens, inquit, cœlum, ſicut pellē, qui tegis in aquis ſuperiora eius, & cōgregatis aqs in vnum locū, circundedit Deus mari, id eſt, turbinibus huius ſeculi, terminos ſuos: poſuitq; veſtem & oſtia, & dixit: Huc vſq; venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos, & ſic terra Eccleſiæ à naufragio liberata, germinauerunt campi eremi, id eſt, latitudines gentilitatis, germen odoris Iſrael, quia floruit in gentibus patriarcharum & prophetarum fides. Et poſita ſunt in firmamēto propheticæ vel Euangelicæ ſcripturæ: firmamētum enim, inquit Auguſtinus, cōtra inſidioſos errores Deus ponere voluit in ſcripturis, in firmamento, inquam, ſacræ ſcripturæ, poſita ſunt ſol & luna, & numeroſitas ſtellarū, id eſt, maiorum minorumq; ac mediocrium luminaria doctorum, & baptizatorum alij per contemplationem euoluunt dicētes, Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt: alij ſecularibus innatant curis, & proficiente cultu Chriſtianitatis, animalia quoq; quadrupedia id eſt, carnalium turbę, ad fidem Chriſti prorepsēre. Et talis creaturę dominus, eſt nouus Adam, cuſtos & poſſeſſor tam terræ quam cæleſtis paradiſi, quem ſerpens non decepit, mulier non ſeduxit, qui peccatum non fecit, & ideo morti nil debuit. *Eſai. 65.* *Epheſ 2.* *Pſal. 103.* *Iobel. 2.* *Iob. 38.* *Philip. 2.* *Act. 10.*

Sed ipſum tempus anni primū, id eſt, vernum eidem congruit ſimilitudini, quia non ſolum in exitu Iſrael de Aegypto ſanguis agni reſtitutio fuit libertatis, ſed & totus mundus initiū ſuę ſumpſit creationis. Vnde magnus Leo dixit. Nūc ad prænunciatum feſtis omnibus feſtum, ſacer nouorum menſis enituit, vt, in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Chriſtiana creatura principium. De qua noua creatura Paulus Apoſtolus dixit, Scimus enim, quoniā omnis creatura ingemiſcit & parturit vſq; adhuc: videlicet vſq; ad reuelationem filiorum dei, quā ipſe præmiſerat dicens: Nam expectatio creaturæ reuelationē filiorum Dei expectat. Ac deinde ſecutus: Non ſolum autem illa, ſed & noſipſi primitias ſpiritus habentes, id eſt, qui primi dona ſancti Spiritus accepimus, ipſi intra nos gemimus, &c. Quamuis enim perfecti videamur, tamē (dum corruptibiles ſumus) ſecuri non viuimus, neq; comprehendiſſe nos arbitramur. *Rom. 8.* *Philip. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Lectione secunda. Cap. VI.

Exod.14. LEctio secunda est illa libri Exodi: Factũ est in vigilia matutina, & ecce respiciens dominus super castra Aegyptiorum per columnam nubis & ignis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum. Nõ dubiè neq; per partes, sed manifestè tota lectio hęc salutaris baptismi Christi typum præfert, & notum est, quia passim in scripturis sacris lectionis huius sacramentum à doctoribus concelebratum est. Et in suprà memorata cerei benedictione sic dictum est. Hęc nox est, in qua primùm patres nostros filios Israel eduxisti de Aegypto, quos posteà rubrũ mare siccovesti gio transire fecisti. Qualiter hoc fiat, nunc in singulis per baptismũ Christi, sola suis fides intuetur oculis: & ideo cantat domino canExod. 15. ticum Moysi, id est, tractũ sequentem. Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.

Qualiter autem hoc gestum sit in patribus sanctis & omnibus electis, qui apud inferos
Esai 64. hunc expectabant transitum, quantus beata-
1.Cor.2. rum animarum exercitus, duce potenti anima Christi, per illud mare trãsierit, quod delatere eius in aquam & sanguinem diuisum exijt, quanta exultatio de tenebris exeuntiũ, quanta lætitia paradisum introeuntium, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

De Lectione tertia. Cap. VII.

Esai.4. LEctio tertia: Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, &c. Hęc quoq; ad baptismi sacramentum, & ad institutionem manifestè pertinet baptizandorum. Sed iam nunc dicendũ, cur quatuor legantur lectiones, de lege & prophetis assumptę. Videlicet lectio prima idcirco legitur, quia, vt dictum est, de creatione mundi & hominis conditione narrans, aquarũ quoq; mysteria, cum Spiritus Dei autoritate interserit. Tres verò reliquæ tria mũdi tempora respiciunt, id est, primum ante legẽ, secundũ sub lege, tertiũ sub gratia, quib. cunctis temporibus remediũ baptismatis necessarium fuisse commendatur. De his, qui ante legem fuerũt, claret, quia, sicut iam dictum est in secunda lectione, baptismum Christi prefiguraverunt in eo, quòd
1.Cor.10. mare trãsierunt, & sicut Apostolus dicit: Omnes sub Moyse baptizati sunt in nube & mari. Nondum enim data erat lex. De his autẽ, qui sub lege erant, in tertia lectione dicit Esaias: Si abluerit dominus sordem filiarum Sion, & sanguinẽ Hierusalem lauerit de medio eius in Spiritu iudicij & Spiritu ardoris. De quo ardore dicit Iohãnes Baptista in Evangelio: Ille vos baptizabit in Spiritu sancto Iohan.3. & igni. Vir ille Christus est, quem iuxta hãc lectionem apprehendẽt septem mulieres, id est, septem gratiæ Spiritus sancti. De quibus Esa.11. idẽ propheta alibi dicit: Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientię & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Hę septem gratiæ apprehenderunt Iesum, quem (vt ait Hieronymus) multo tẽpore desiderauerunt, quia nullum alium inuenire potuerunt, in quo æterna statione requiescerent. Quòd autem gratia Spiritus sancti cuncta possideat, exponi non indiget. Ideo panẽ nostrum, inquiunt, cõedemus, & vestimẽtis nostris operiemur. Sed quia in hominibus semper obprobriũ, nullo viuente, vt sancti Spiritus dona poscebant, propterea Iesu nomen sibi cupiunt invocari, vt quod in lege imperfectum erat, in Euangelio compleretur.

De Lectione quarta. Cap. VIII.

LEctio quarta: Scripsit Moyses cãticum: siue, hæc est hæreditas seruorũ domini. Deut. 31. Vtræq; enim vicissim leguntur in pascha & in pentecosten, & ambæ hoc tempus gratiæ 2.Cor.5. manifestius exprimunt. In ea, quæ est: Scripsit Moyses canticum, ait idem Moyses: Noui enim, quòd post mortem meam iniquè a- Deut.31. getis, &c Mortem Moysi finem legis accipiunt penè cuncti doctores sancti, id est, aduentum Christi, cuius gratia sic legi, quẽadmodum Iosue successit Moysi, qui populũ Dei trãs Iordanem eductũ, ingentibus prędijs in terram repromissionis, dux victoriosus introduxerit: Iesum Christum nomine præfigurans & opere, qui omnem electorum populum, quorum neminem lex ad perfectum adduxerat, sanguine suo cõtra diabolum dimicans, victor mortis per baptismi gratiam in paradisum reduxit. Profectò in hoc tẽpore, iuxta canticũ, q. Moyses scripsit: Peccauerunt domino non filij, scilicet Iudæi, generatio praua atq; peruersa, populus stultus & insipiens, quem constituerat dominus & pater suus super excelsam terrã: scilicet legis prophetarumq; notitiam, vt sugerent mel cælestis doctrinæ de petra, quæ Christus erat, oleumq;, id est, gratiam Spiritus sancti, de eodem saxo durissimo, per resurrectionis potẽtiam immortaliter solidato: & ecce ecõtrariò de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorræ, vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus: & propter hæc abscondam, ait, faciem meã ab eis, &c. At verò cœli & terra, de quibus

Esai.65. quibus alibi per prophetam dicit: Nouos cœlos & nouam terram ego creo. Noui, inquã, cœli & noua Ecclesię terra audiuit verbà oris eius, sicut in sequenti tractu cantamus: & cõcrescit in eis vt pluuia doctrina domini, & fluit vt ros eloquium domini, quasi hymber super herbam & quasi stillæ super gramina, Matth. 28. quia nomẽ domini inuocatur super nos, nomẽ Patris & Filij & Spiritus sancti, quod totã vim continet eius, quæ per baptismum agiEsai.54.55. tur, nostræ regenerationis. Non minus illa Esaiæ lectio: Hæc est hæreditas seruorum domini, hoc idem, vt suprà dictum est, tempus gratiæ respicit, prouocans credentes & dicens: Omnes sitientes venite ad aquas, vt Psal 64. veniant ad fluuium Dei, qui repletus est aPsal. 45. quis, & cuius impetus lætificat ciuitatẽ Dei, Esai. 12. vt bibant aquas de fontibus Saluatoris, qui loquitur ad Samaritanam: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aIohan.4. quam viuam, & aquam, quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Sciendum autem, quod ait Hieronymus, homo aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum, quo sordes abluũtur, & peccata purgantur.

De tractibus, quos lectionibus eiusdem succinimus. Cap. IX.

TAntã, quę his tribus lectionibus chorus succinit, singula singulis exultationem indicant renatorum, quòd iure exultare debeant, quia submersis omnibus peccatis, ipsi permare baptismi transeunt liberati. Verùm hæc exultatio in metu & tremore debet esse, & cum laboriosa & necessaria carnis mortificatione, quandiu sumus in corpore, stantes Apoca.15. (sicut in Apocalypsi legimus) supra mare vitreum, quod graues & rursus oneratos peccatis sustinere non potest. Vnde oportet, vt abiectis oneribus seculi, & simplici tunica contenti, persistamus, vel ambulemus super hoc vitreum mare baptismi, mixtum igne Spiritus sancti, tenentes (sicut ibi legitur) citharas Dei, id est, tota carne mortificati, & in laude Dei extenti, canendo trementes, & tremendo canẽtes, iuxta illud: Seruite domino Psal. 2. in timore, & exultate ei cum tremore. Benè ergo verba canticorum Moysi & prophetarum, quæ succinimus, in tractus efferimus, quem canticum lugentium esse, & miseriæ præsentis exilij congruere, iam dictum est.

Quartus tractus in hoc differtà cæteris, quòd nulla lectione præmissa cantatur. Nec mirum Non enim in officio præsenti sic est vox vniuersalis Ecclesiæ, quemadmodum & illi. Eorum quippe solummodo vox est, qui in præsenti assunt baptizandi, adhuc peccati originalis veneno infecti, & ideo festinant ad baptismum, vt iuuenescant, quemadmo- Psal.41. dum desiderat ceruus ad fontes aquarum. Quod maximè ex subsequenti collecta confirmatur: Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad deuotionem populi renascẽtis, qui, sicut ceruus, aquarum tuarum expetit fontem. Econtrà lectio prima nullo subsequenti cantico terminata est, videlicet, Num.21. quia creatis & completis mundi cunctis operibus, non cantauit dignas homo ingratus Deo creatori gratias: sed obmutuit à laude Dei, & audito serpente, contra præceptum quod acceperat, obsurduit. Vnde & baptizando dicitur, ephpheta, quod est adaperire, sumptum de Euangelio, quo dominus noster curationẽ humani generis, quod sic obsurduerat & obmutuerat, vt dictum est, in eo, quem sanauit, homine surdo & muto significauit. Nec prætereundum, quia neque Marc.7. collectis salutatio, id est, dominus vobiscũ, neque lectionibus supradictis vllæ superscriptiones, id est, tituli præferuntur: quos à nudiustertius cũctis lectionibus, tanquam corporibus capita præcidimus, donec caput nostrum Christus resurgendo nobis reddatur, cuius resurrectionis similitudo in his, qui baptizati de fontibus ascendunt, Christum in- Gala. 3. duti, vt Apostolus ait, fidei oculis repræsentatur: nec ante hoc signa Ecclesiæ cõcrepant, quorum causa iam superius dicta est.

De consecratione fontis. Cap. X.

COnsecratio fontis in nomine sanctæ trinitatis, & maximè inuocatione perficitur Spiritus sancti. Quod iccirco rectè fit, quia tota hominis regeneratio, licet totius sit opus trinitatis, propria tamen est operatio Spiritus sancti. Sancta quippe trinitas, vt ait Leo Magnus, ita sibi diuisit opus hominis, vt pater conderet, filius redimeret, Spiritus sanctus regeneraret vel igniret. Veruntamen & Pater cum Filio & Spiritu sancto cõdidit: & Filius cum Patre & Spiritu sancto redemit, & Spiritus sanctus cum Patre & Filio regenerat atque illuminat. Nam & Pater dum conderet: Faciamus, inquit, homi- Gene. 1. nem ad imaginem & similitudinem nostram, & filius dum redimeret, pater illi calicem passionis dedit: & ipse filius per Spiritũ sanctũ bibit: sicut Apostolus Paulus ait Hebręorũ IX. Sanguis Christi qui per Spiritũ sanctũ semetipsum obtulit Deo, & cætera: & vt Spiritus sanctus regeneret, pater eundem paracletum Spiritum dat, & filius in eodẽ Spiritu bapti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptizat,sicut Iohannes Baptista in Euangelio sibi dictum insinuat:Super quem videris Iohan. 1. spiritum descendentem sicut columbam, & manentem in eo,hic est,qui baptizat in Spiritu sancto. Spiritus ergo sanctus aquarū sanctificator est, sanctus spiritus fontis nostri sanctificatio est, imo spiritus fons vitæ est, Psal. 35. pacis fluuius est.Spiritus sanctus illa paterni cordis benigna vena est, de qua vsque ad nos miseratio larga, tanquam flumen inundans, Esai. 66. procurrit. Amor Dei, torrēs voluptatis Dei, Spiritus sanctus est. Hic illum duorum patrem filiorum, erga iuniorem filium, id est, gentilem populum, ingenita sibi pietate flexit, qui luxuriosè viuēdo suam paternæ substantię partem consumpserat,porcos alienos in longinqua regione pauerat,id est, spurcos dæmones coluerat,& tūc reuersum suscipit, festum diem omnibus amicis,id est, cœtibus indicit angelicis, iubet primam cum anulo stolam proferri. Quid enim intelligimus per anulum,nisi fidei signaculum? Nam catechumenus, dum baptizandus fidei sacræ, quam firmiter tenet, symbolum reddit, profectò illam tabulis cordis eius inscriplit, decentem anulum in manu eius dedit, & in eo, quod consignatus est cruce Christi: vt dicat cum Galat. 2. Apostolo: Christo cōfixus sū cruci, & quòd tertiò submergitur, vt triduanæ morti Christi conformetur, & hoc mirabili pietatis officio viuus & incolumis crucifixo & mortuo atque sepulto configitur, commoritur & cōsepelitur, proculdubiò calceamenta accipit in pedibus. Calceamenta nanque de mortuis animalibus fiunt. Et hæc manifestæ dominicæ mortis insignia sunt, quæ ideo suscipit, vt eius exemplo,qui propter nos crucifixus est,deinceps crucifigat carnem suam cum vitijs & concupiscentijs, & mortificans membra sua, quæ sunt super terram, dicit: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chri- Galat. 5. stus. Cùm autem cādidam vestē accipit, quæ vtique nouam Christi consolationem significat,dicente Apostolo:Omnes,qui in Chri- Coloss.3. sto baptizati estis,Christum induistis. Profectò primam illi stolam induit pater, & manducemus, inquit, & bibamus, quia filius hic meus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est.

De missa eiusdem diei, & cur illi consuetudinalis cantus,id est,Introitus & Communio desit. Cap. XI.

STatim ergo paschale vespertini sacrificij constituitur conuiuium, trina præeunte litania,in honore sanctæ & indiuiduæ trinitatis,in cuius nomine trino baptizatus filius Galat.3. hic,de quo loquimur, qui mortuus fuerat & Luc. 15. reuixit, perierat & inuentus est, concrepan signa, quę hactenus fuerant muta, & personāte symphonia chorus exultat. Gaudēt nobiscum angeli, & propter illorum gaudium nos repetimus omissum à septuagesima hymnum ipsorum,id est, Gloria in excelsis. Adducitur vitulus ille saginatus, scilicet Deus & homo Christus, cuius carnem māducare, & sanguinem bibere debemus:qui ideo vitulus dicitur,quia homo pro nobis sacrificatus est:ideo saginatus,quia in ipso habitabat plenitudo diuinitatis corporaliter. Sed huic cōiuio senior frater, id est, Iudaicus populus, interesse non vult, stansque foris & audiens symphoniam & chorum,detrahit fratri suo, inuidia tortus & odio patrisque clementiam reprehendens, tristitia mauult & fame consumi,quàm cum fratre gaudere & epulari. Exibit aūt pater quandoq;, & faciem lætam auerso & tristi filio dignanter ingerens, persuadebit, & precabitur illum opportunis interesse gaudijs & epulis, tenens manum eius, & blandis consulens sermonibus, & tunc re- Rom. 11. liquiæ Israel saluæ fient. Interim, donec illud fiat, plenum vel integrum non erit paternæ domus, id est, præsentis Ecclesiæ gaudium: quia licet Iudaicus populus semper gentium oderit salutem,gentium tamen Ecclesia dolet,quòd ille populus stat foris, quodque sua salus illi in scandala sit. Igitur huius diei sacrificio vespertino,tam festiuo,tamque iucūdo conuenienter quædam ornamenta detracta sunt,scilicet introitus,graduale,offerenda atque communio, quæ de Psalmis quondam à Cœlestino Papa quadragesimo, primùm ad canendū institutis ante sacrificiū excerpta, & cum suauj modulatione in Romana Ecclesia cantari instituta sunt. Interea dūm vitulus adducitur, conuiuium præparatur, accedit coràm ille ministrorum primus atq; fidissimus Paulus,filiumq; illum, qui reuersus est, iam habentē anulum in manu,iā calceatum, iamque stola prima indutum, gratulabūdus alloquitur in præsenti Epistola, dicens: Si cō- Coloss.3. resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite,nō q̄ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cū Christo Deo. O fidi ꝓcuratoris elegans facūdia, & officiosa sedulitas. Mortui, inquit, estis, quia videlicet mortuū est in vobis, quicquid super terrā sapiebatis. Quid enim prius sapiebat ille fi- Luc. 15. lius desertor patris, luxuriosus & prodigus, nisi cū meretribus cōuiuia struere, sua dissipare,alienis inhiare,porcos alienos pascere? Totum hoc mortuū, & in baptismo Christi sepultum est. Vita autem noua, quæ de eodem baptismo surrexit,q̄ fillum talem longè alterum

alterum fecit. Vita, inquam,noua,quæ cum Christo in Deo abscōdita est, ipse idē nouus homo Christus est,quem & cādida vestis baptizati significat. Cùm enim,inquit,Christus apparuerit vita vestra,tūc & vos apparebitis cum illo in gloria. Vitam eandem,diuina nouitate conditam,significant & in Euangelio consequentī vestimenta angeli,quę erāt candida sicut nix. Ecce interea canorè cœlestis personat symphonia, quò lætificentur cōiuę, tanquam dē cœlo remissum & ori nostro redditū alleluia:quod à septuagesima nostra non cecinerunt organa, videlicet, quia diebus his captiuitas præsentis vitæ significata est,& ideo quòd futuræ vitę iucunditatē significat alleluia,tacēdo velut ad salices Babylonis huius flentibus nobis pependerūt. At nunc,quia nox illa sacratissima iā incumbit, qua Christus libertatis autor resurrexit, in qua iam, vt dictum est, prima resurrectione resurgunt,qui baptizantur nouj Ecclesiæ filij, protinus tanquam de salicibus direpta nostra certatim organa persultant alleluia, Psal. 117. dicuntq;: Confitemini domino, causamque subijciunt: quoniam bonus,quod ab effectu cōprobatur,quoniam in seculum misericordia eius, subauditur exhibita in remissionē peccatorum, quam est largitus in baptismo: & hunc meritò versiculum alleluia primùm arripit. Psalmus quippe cēte simus septimus decimus,cuius hic primus versus est alleluia, in titulo habet,multum hāc misericordiam, & hāc diem solennem,quam fecit dominus, fidei nostræ commendat, vt exultemus & lętemur in ea. Hoc alleluia sicut & reliquum huius diei officium,maximè baptizatorū est exultatio, eò quòd prima, vt dictum est,resurrectione iam cōresurrexerunt cum Christo. Restat verò grandis labor, vt habeant partem in resurrectione secunda, & inter ipsum laborem bonorum operum supereſt metus, supereſt fletus, vel propter periculū gehennæ, vel propter desiderium vitę æternæ. Rectè ergo, quia necdum plenū est gaudium spei vocatorum,quod imminuit solicitudo eorundem adhuc à Deo peregrinantium,cum alleluia tractus quoq;cantatur,quē cantum lugentium esse superius iam dictum est. Itemq; per totam paschalem hebdomadam vsq; ad sabbatum, quo albas ipsi deponunt,eadem pro causa graduale cātatur, qui cantus est laborantium,nec nisi propter eos pertineret ad dies pentecostes,quod tempus futuræ requiei, pacisque & gloriæ signum est. Nam & in canone per hanc hebdomadā hoc pro ipsis additum est: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ:sed & cunctæ familię tuæ,quam tibi offerimus pro his,quos regenerare dignatus es ex aqua & spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum. Et ab hac vespera, qua baptizati sunt, per singulas huius hebdomadæ vesperas clerus ad fontes procedit cum Christi resurrectione solennitatem sancti celebrans baptisterij.

Cur à nudiustertius omissum nunc reddatur pacis osculum. Cap. XII.

CVr pacis osculum, quod Papa Innocentius à beato Petro tricesimus octauus dari instituit, omissum fuerit à nudiustertius,& hodie reddatur, ex ipso canonis loco, in quo datur, citius agnoscitur. Datur enim eo loco, quo iam secundò calicem discooperuimus, & dicimus: Pax domini sit semper vobiscum. Hic aūt locus, sicut in eiusdem canonis tractatu dictū est, illud significat, quod dominus noster resurrexit à mortuis, & stās Iohan. 20. in medio discipulorum suorū dixit eis: Pax vobis. Per quod illud nobis innuit, quod paries inimicitiarum inter nos ac Deū erectus Ephes. 2. fuerat, id est, peccatum, ad quem dissoluendum dominus noster transitu mortis profectus est. Quo effecto resurgendo rediens pacem annunciauit, quā acquisierat nobis prima voce, quam emisit in medio discipulorū suorum, dicendo: Pax vobis. Rectè igitur, ex quo ad faciendum eandem pacem profectus est, donec rediens diceret: Pax vobis, intermisimus: Pax domini sit semper vobiscū, neque dedimus pacis osculum. Simul Iudæ traditoris probrosum execrātes & anathematizantes osculū, quo filium hominis tradēs, sanctum & innocens Apostolorū infamauit collegium apud eos, qui foris erant, occasionem maledicendi præbēs, ac detestandi eos, quorum sanctitatis æstimatio magna fuerat, vt de illis tale quid cantaret,quale illud est: Et crimine ab vno disce omnes.

De die dominicæ resurrectionis. Cap. XIII.

OCtauam illā, quæ in Paralipomenon, 2. Para. 7. & in superscriptionibus quorūdam inuenitur Psalmorum, hæc sacra spectat dies, Psal. 6. 11. quam fecit dominus, vt esset solennitas solēnitatum, quemadmodum pro sui magnitudine dicuntur sancta sanctorū, Cantica canticorū. Sicut enim illa cętera superant sancta vel cātica, sic solēnitates cęteras huius sacrosanctæ solēnitatis antecedit nobilitas. Octaua aūt illa futura est perfectæ atq; cōsummatæ resurrectionis gloria, in qua electi omnes, qui nunc post depositionem carnis vna & simplici solius animæ beatitudine per- Apocal. 6. fruuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

fruuntur, sicut in Apocalypsi legimus: quia datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: duplici, id est, corporis & animę felicitate remunerabũtur, sicque binas perennis gloriæ stolas accipient. Quam octauam sicut septem mundi ætates ordine suo præeunt, quarũ sexta nunc ab aduentu Christi voluitur, septima verò animarum est carne deposita quiescẽtium, sicut alio loco iam dictum est: sic & hãc sacratissimam solennitatẽ septem dominicę præcesserunt, quarum in prima: Circundederũt me gemitus mortis, in septima cantauimus: Lætare Hierusalem, singulę singulis ætatũ earundem proprietate sui respondentes officij, sicut loco vel ordine suo iã dictum est, & interposita Dominicę passiõis memoria per duas hebdomadas, quod ipsum cur fiat, iam dictum est. Sequitur hæc octauæ ætatis, quę extra septẽ est, quia æterna est gloriosa Christi resurrectione commendata festiuitas, nobilis, admirabilis, decora & suauis, splendida & desiderabilis. Non enim parum est, quod in illa nobis octaua repositum est. Nam sicut octaua dies eadem quæ prima est, sic in illa ętate restituitur homo in hoc ipsum, ad quod conditus est, eritq; corpore & anima immortaliter felix, & feliciter immortalis, sicut angeli Dei, imo supra primæ originis reparatus dignitatem, eò quod suam in vnitate personæ filij Dei respiciat naturam, personam super omnia opera manuum patris cõstitutam adorari, laudari & glorificari ab angelis in co essentia summæ & indiuiduæ trinitatis. Idcirco dum sanctorum recolimus natalitia, de quibus dubium non est, quòd egressi à corporibus gloriã sempiternã iam adepti sunt, diem quoq; celebramus octauum, beatificãtes illos ex eo quoq;, quòd in futuro corporum receptorum immortalitatẽ gloriosam feliciter obtinebunt.

Gene.17.

Matth.28.

Hoc & per octo beatitudines Euangelicas significatur, vbi octaua redit ad caput. Nanq; & in prima, & in octaua hęc eadẽ beatitudinis sententia est, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Vnde Augustinus: Octaua, inquit, sententia, quæ ad caput redit, perfectumq; hominem declarat, significatur fortasse & circuncisione octaua die in veteri testamento, & domini resurrectione post sabbatum, qui est vtiq; octauus, id est, primus dies, & celebratione octauarum feriarum, quas in regeneratione noui hominis celebramus. De illa igitur octaua, quæ est resurrectio, quę iam completa in capite nostro, scilicet Christo, nunc secundum diei præsentis, in qua resurrexit, officium, ordinemq; mysticum, aliqua dicenda sunt.

Cur dominus non ante diem tertium resurgere voluerit.
Cap. XIIII.

TErnarius numerus, qui apud seculares quoque philosophos insignis habetur pro eo, quòd imparium & eorum, qui prẽter vnitatem nullam aliam recipiũt sectionem, primus est numerorum: apud nos longè amplius præclari nominis, imò primæ ac diuinę est autoritatis, tam propter ipsam essentiam sanctæ & indiuiduæ trinitatis, quàm pro eo, quòd saluator noster tertia die resurrexit à mortuis. Et profectò tertia dies hęc ad idem ipsum eiusdem sanctæ trinitatis respicit sacramentum. Idcirco nanque dominus non ante tertiam resurrexit, quia cõgruum fuit, vt propitiationem sanctæ trinitatis triduana nobis obtineret mors carnis Christi. Alioquin cur cũ sub trina mersione baptizamur in nomine patris & filij & Spiritus sancti, cõplantati dicimur, imo verè complantati facti sumus similitudini mortis eius, nisi quia eandem mortem suam, quam antea baptismum suum appellauerat, triduo pertulit & ipse in nomine & in obedientia patris & filij & Spiritus sancti. Siquidem & pater filio (sicut & ipse filius testatur) cali. ẽ passionis dedit: & ipse filius animæ suæ in sua potestate *Ioban.10.* ppinauit, sicut ipse ait: Potestatẽ habeo ponẽdi animã meã: & Spiritus sanctus illi propinari fecit, sicut Apostolus ait: quia Chris per *Hebr.9.* Spiritũ sanctũ semetipsum obtulit. Cõgruenter ergo mors domini triduana extitit, quã sancta trinitas disposuit, quãq; ad obtinendã humano genere propiciationem eiusdẽ sanctæ trinitatis, nostra in illo natura sola pertulit. Non solum autem, sed & tota vita eius annorum suorum numero sanctę trinitati famulatũ se exhibere, & eius præcepto se obedire innuit. Nam in triginta tribus annis, quibus super terrã ambulauit, ternarius est repetitus hac sola differẽtia, quod vn° ternarius, vt triginta sint, in decenũ limitẽ consurgit, alius vt simplex sit, in singulari limite subsistit. Cuius in typũ Isaac quoq; ad immolandum ternario dierum numero ductus est. *Gene.22.* Nam de Geraris, vbi tunc habitabat Abrahã, vsq; ad montem Moria, id est, sedem templi, dierum trium est, vt ait Hieronymus, & consequenter illuc die tertio peruenit, sicut historia refert, & venit in locum, quem dixit ei Deus in die tertia. Sed vt ad inceptum redeã, mira velocitas, mirabilis ille saluatricis gratiæ cursus, vt triduo triũ temporũ seculi peccata deleret, omnes, qui ante legem fuerant, omnes, qui sub lege erant, cunctos, qui sub gratia venturi erant, vna Christi morte pariter

riter solueret, pro singulis temporibus singulos dies eiusdem mortis appendens. Totam eius velocitatem Spiritus sanctus innuebat, cùm prophetæ imperans dicebat: Voca nomen eius: Accelera spolia detrahere, festina prædari.

Esai. 8.

Item de celebritate resurrectionis.
Caput XV.

Cant.2.

DE hoc & illud in Canticis, reuertere, similis esto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel. Accelerauit enim inferni spolia detrahere, festinauitque prædari, reuersusque vt caprea aut ceruorum hinnulus, id est, patriarcharum filius, ad saluandum velocissimus, apparuit super montes Bethel, id est, visus est Apostolis vt eorum tristitiam citò in gaudium conuerteret, qui sunt montis Bethel, id est, domus Dei, quæ est Ecclesia, principes summis virtutibus eminentes. Accelerauit, inquam, inferni spolia detrahere, id est, electos omnes iure victoris adducere. Quæ enim mora fieret ad detrahendum, aut quæ difficultas ad discernendum? Sol erat iste, illi autem qui quærebantur, tanquàm specularia. Illorum fides speculum erat reddendo solis aspectum radio satis idoneum, sed ideo non splenderat hactenus, quia soli *Ephes.2.* obiectus medius obstabat paries inimicitiarum, scilicet originale peccatum. At illum in carne sua moriens Christus parietẽ soluerat ac diruerat, qui illa specularia animarum verum solem expectantium vmbra tenebat *Psal. 67.* aduersa. Quæ ergo mora fieret, vt diruto pariete, & descendente ad inferos vero sole non statim relucerent illa vascula lucis exceptoria, id est, electorum animæ? Statim vt illic descendit hic sol, id est, anima Christi præpotens, & insita sibi verbi omnipotentis diuinitate coruscans, illi resplenduerunt, & tenebrarum principes dissipati sunt sicut fumus, & sicut fluit cera à facie ignis. Et iusti exeuntes de tenebris, & in paradisum recepti, cœperunt epulari & exultare in *Luc.23.* conspectu Dei. Latrone simul epulante, cui dixerat dominus in cruce pendens, hodie *Cant.24.* mecum eris in paradiso, totoque sabbato requieuit ab omni opere suo dominus Christus cum illis, & pascebatur dilectus in liliis, donec aspiraret tertia dies & inclinarentur vmbræ. Die igitur tertia, propicia nobis facta diuinitatis trinitate, cito mortem, quam gustauerat, reiecit à se, sicut significauerat, quando in cruce nostram salutem sitiens, & ideo se veraciter sitire dicens, cùm oblatum sibi acetum noluit bibere. Mortis enim acetum paululum gustabat, quam cito, id est, tertia die reiecturus, nec vltrà bibiturus erat. Resurgens enim ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.

Quid significet, quòd dominus noster nocte resurrexit.
Cap. XVI.

CErtum tenet Christiana fides, quòd dominus noster, qui mortalis homo factus ad hoc venit vt iudicaretur, ad hoc venturus est in fine vt iudicet, & eandem formam serui, in qua iudicatus est, cum suorum cicatricibus vulnerum iudicatoribus ostendet ad damnationis cumulum, vt videant in quem transfixerunt: dilectoribus autem suis ad ęternum charitatis monimẽtum. Illa autem dies non cum expectatione, sed ita sicut fur in nocte veniet, quemadmodum factũ est in diebus Noë, vel in diebus Loth: quando vendentibus cunctis & ementibus, *Matth.24.* plantantibus & ædificantibus, vxores ducentibus & dantibus ad nuptias repentinus superuenit interitus: & secundum hæc erit quando filius reuelabitur. Conuenienter ergo, dum iudex venturus iam cum iudiciaria potestate resurrexit, noctis tempus elegit, vt sicut in cæteris tam factis, quàm dictis exterioribus alia quædam significare consueuit, sic & in hoc tempus significaret secundi aduentus sui, quod præuideri non poterit. Itaq; *Iudic.16.* quemadmodum Samson, quod interpretatur sol eorum, obsessus ab inimicis nocte surrexit, portas tulit, & in verticem montis ascẽdit, sic verus sol noster Christus, obsessus custodibus & armis, media nocte de somno mortis resurgens portasq; inferni, id est, omne ius mortis attollens, & ad dextram maiestatis in excelsis ascendens, ipso tempore in- *Luc.12.* nuit, quòd semper debeamus esse parati quia sicut tunc nocte cunctis quiescentibus surrexit, ita qua hora non putamus, se venturum esse prædixit.

Zach.12.

Quid significet, quòd cum terræ motu resurrexit.
Cap. XVII.

TErræmotus quoq; magnus, qui factus est, eiusdem secundi aduentus significa- *Matth.24.* tioni cooperatur. Erit enim confusio maris *Luc.21.* & fluctuum, & non solum terra, sed etiam virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbimus filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna & maiestate. Passurus quippe venit occultus, tunc autem iudicaturus manifestus veniet Deus noster, & tunc silebit, ignis in conspectu eius tempestas valida. Et quia tunc arescentibus reprobis præ timore, iusti leuabunt capita sua,

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est, exhilarabunt corda, & pulchrè hic venius eiusdemque angeli habitu vtrunq; præfiguratur, cuius erat aspectus sicut fulgur, vestimenta autem sicut nix. Nam impij custodes præ fulgore aspectus eius exterriti, facti sunt velut mortui: mulieres autem, quæ religiosè dominum quærebant, niueis eius vestimentis & dulci alloquio consolatæ sunt dicentis: Nolite timere vos, &c. Hinc est, quod hac die cantamus: Terra tremuit, & quieuit, dum resurgeret in iudicio Deus. Dictum est enim hoc de die illa, quando auditum faciet iudicium dicens his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum: his autem qui à sinistris: Ite maledicti in ignem æternum. Tunc enim exurgente Deo in iudicium, qui nunc videtur sopitus esse, vel non curare ea quæ sub sole fiunt, terra tremet & quiescet, id est, impij, qui terreni sunt, timebunt, & quiescent, quia nocere desinent. Igitur dies hæc, cuius in nocte dominus noster cum terræ motu resurrexit, diem illum æternitatis, diem significat futuræ resurrectionis, cuius diluculo idem dominus noster improuisus, vt dictum est, cœlis ardentibus, cœlorumq; virtutibus trementibus apparebit.

Luc. 21. Matth. 28. Psal. 49. Luc. 21. Matth. 28. Psal. 63. Matth. 25. Iob. 22. Luc. 21.

Quòd Matthæus non dissentiat à cæteris Euangelistis in eo quòd dicit, mulieres vespere sabbati, & quòd vere vespere venire cœperint, & diluculo peruenerint, & cur ita egerint. Cap. XVIII.

SEd & illud mysticè nobis aliquid innuit, quòd deuotę Christo fœminę, quæ illum & viuum dilexerant, & mortuum desiderabant per noctem ambulantes, iuuante luna, venerunt ad monumentum. Per noctem enim ambulauerunt, quæ diluculo ad monumentum fuerunt. Alioquin nisi per noctem venissent, quomodo ad sepulchrum tam mane adfuissent? Verbi gratia: Maria Magdalena cuius domus erat Bethaniæ, qui vicus quindecim stadijs distat ab Hierosolymis, quomodo prima ante alias vna sabbati iuxta Iohannem, valde diluculo venisset, dum adhuc tenebræ essent ad monumentum? Sepulto quippe domino mulieres, quæ illum secutæ fuerant, Hierosolymis non remanserant. Sed cum aspexissent vbi poneretur, reuertentes, inquit Lucas, parauerunt aromata. Quando autem parauerunt vel emerunt, manifestius Marcus indicat. Et cùm transisset, inquit, sabbatum, Maria Magdalena & Maria Iacobi & Salome emerunt aromota, vt venientes vngerent Iesum. Siquidem sabbato, vt ait Lucas, quieuerunt propter mandatum, subauditur legis, quia lex sabbato vetat operari. Constat itaq; quia in lachrymis peruigiles amore, nimiumque longa retardantis sabbati mora fatigatæ, quo nec operari nec plus mille passibus ambulare licitum erat Iudæis: mox vt onerosum illud sabbatũ abijt, recessit, transiuit, non quieuerunt nec dederunt oculis suis somnum, non lucis ad proficiscendum præstolatæ sunt. Noctem pro die, desiderium pro duce, lunam rapuêre pro sole. Luna quippe nocti non defuit, quia tunc septima decima extitit. Septima decima verò luna, clauso vespere paulò pòst, id est, fere post horam dimidiam exurgit, toti deinceps lumen suum ministratura nocti. Falsò igitur quidam Euangelistas calumniati sunt, quòd contraria dixissent in eo, quod Matthæus vespere sabbati, cæteri prima sabbati diluculo mulieres venisse dixerunt ad monumentum. Matthæus enim, vt earum commendaret desiderium, quando venire cœperunt: cæteri dixerunt quando peruenerunt. Quid igitur illud mysticè nobis innuit, quòd mulieres illæ sic venerunt, nisi quòd animæ fideles paratæ, id est, mente vigiles, diligentes & dominum quærentes, inuenire festinanter satagunt, ad illum filij hominis aduentum, qui, vt suprà dictum est, sicut fur in nocte veniet, non solũ cum terræ motu, sed & trementibus cœlorum virtutibus, vt consolationem inueniãt, dum impij non iam velut, sed verè fient mortui? Et ideo nunc parant & secum portant aromata, id est, collecta de scripturarum areolis cum virtutum odoribus, dominicæ resurrectionis testimonia, scilicet, quòd verè anima eius non sit derelicta in inferno, & caro eius non viderit corruptionem. Et sicut illis non satis fuit: quòd Ioseph iustus, & Nicodemus condierant illum cum linteis & aromatibus ipsis præsentibus & aspicientibus, nisi & ipsæ aliquid de suo tantæ pietatis operi addidissent, sic sanctis & fidelibus semper mentibus optabile est, ad ea quæ Apostoli, vel Apostolici viri scripserunt, de fide resurrectionis aliquid proprij superadijcere laboris, faciuntq; hoc penè cuncti dictis aut factis, pauci etiam scriptis. Idcirco quemadmodum illis viuum se præbuit, & vt agnosceretur, Mariam suo nomine vocauit, quod magnum est iudicium suæ dilectionis. Vnde Moysen, noui te ex nomine, inquit, sic omnibus tunc propè aderit quærentibus nunc eum in veritate, & nomina ipsorum ostendet illis scripta in libro vitæ.

Luc. 23. Marc. 16. Luc. 23. Iohan. 20. Iohan. 19. Exod. 33. Psal. 144. Apoc. 3.

Quanto

Quanto rectius nunc sancta sit prima sabbati, qua mundi redemptor resurrexit à mortuis, quàm olim sabbatum, quo idem mundi creator ab opere suo cessauit. Cap. XIX.

QVanto præpõderet primæ sabbati sanctificatio, quę nobis est data, sanctificationi illi, qua Iudæis sabbatum dedicatum est, ex comparatione causarum, vel temporum vtriusque sanctificationis aduertere licet. Diuersis enim ex causis longeq;, imparibus, & sabbatum creator noster benedixit, & primam sabbati idẽ ipse Saluator noster dedicauit. Causa nanque benedictionis sabbato fuit hæc; quòd Deus in illo cessauit ab omni opere quod patrauit, causa verò primæ sabbati, quòd Deus homo factus, in illa resurrexit à mortuis. Quis hæc longius à se differre non videat? Si enim Dei requies, causa sanctificationis diei est, cõsequẽter vbi maior & verior eius requies, illic sanctificatio copiosior est. Itemque vbi maiorem in operante laborem attendimus, maiorem nihilominus in cessante requiem agnoscimus. Cõstat verò, quia Deus dum conderet mũdum, fatigatus non est, vtpote qui omnia per verbum suum operatus est, & vniuersa componens de singulis dixit, fiat, & factum est. At ipse idem, cùm, vt mundum redimeret, homo factus, vnus idemque Christus Deus & homo, passus & crucifixus & sepultus est, proculdubiò fatigatione non parua fatigatus est. Qua ergo die resurrexit, veram vtiq; requiem, gloria & honore coronatus, introiuit, lõgè excellentius requieuit, quàm cum à mundi creatione cessauit. Deus enim non in mũdanæ creaturæ mole visibili, sed in intellectualibus cœlis, id est, in sanctis animabus requiescit. Nũc enim gaudet sponsus super sponsam, quam suo sanguine acquisiuit, & gaudet super nos Deus noster, & delectãt eum filię regum, imo quia vna est Ecclesia, illa delectat eum regina, quæ astitit à dextris eius, quam & in præsenti præparat & vocat amicam, & in futuro torrente voluptatis suę potabit eam. Nulli itaque dubium, quin prima sabbati tanto huberius sanctificata sit, quanto verius suam in requiem, quæ sanctificationis causa est, Deus & homo Christus resurgens introiuit. Relinquamus igitur Iudæis postremi sabbati sui vetus gaudium, quod est illis de creatione mundi visibilis, cuius solius semper fructu transitorio delectati sunt, cuius solius prosperitatibus semper lactari appetiuerunt, pro cuius solius acquisitione creatorem eius seruiliter timẽtes colere visi sunt. In tãtum enim terrenis semper inhæserunt, vt quęcunque de cœlestibus illis promissa sunt, terrenarum, quas amant, semper velari oportuerit nominibus rerum, vt est illud: Audi Israel præcepta domini, & ea in corde tuo quasi in libro scribe, & dabo tibi terram fluentem lac & mel. Nã & ipsum Deum & dominum, per quem mũdus factus est, in propria venientem, idcirco ipsi, qui sui erant, non receperunt, nec intelligere voluerunt, eum esse regem Iudæorum, quia contra carnalis sensus eorum opinionem beatitudinem pauperibus, & væ prædicabat diuitibus, cùm ipsi existimarent, quod nunc quoque somniant regnante Christo, auream, gemmatam Hierusalem in terris, stratasque auro mundo plateas eius se habituros. Noster sabbatismus hac die de septima transfertur ad octauam, quæ & prima est. Nam eadem octaua dies, quę & prima. Idcirco autem iure in octauam transfertur, quia de alio opere, quàm de creatione mundi nostrum, vt dictum est, gaudium sumitur. Duplanãq; operatio Dei, prima est creatio mũdi, secunda, saluatio mundi. Secundum creationem, nihil nouum fit sub sole, quia qui vi- Eccle. 1. 1
uit in æternum, creauit omnia simul: secundum saluationem, pater meus, inquit Chri- Iohan. 5.
stus, vsq; modo operatur, & ego operor. De creatione mundi sabbatizant dilectores mũdi. Nobis autẽ de saluatione mundi gaudendum est, quorũ vita & requies in Deo cum Coloss. 3.
Christo abscondita est.

Gene. 2. Hebr. 2. Psal. 44. Psal. 55.

Qua ratione vel autoritate ab hac die dominicæ resurrectionis, processio cum benedictione aquæ cunctis per annum agatur dominicis. Caput XX.

PRoprium hoc habet hæc dies, quam fecit dominus, idque ab ea sumpsit omnis prima sabbati, quòd aqua benedicta populis aspersis agitur processio solennis. Veruntamen hac ipsa prima & principali dominicarum omnium non benedicitur, neq; die sancto pentecostes, quia in præteriti sabbati vespera sumpta est de sacro fonte baptismi, antequã immergatur aliqs, & antequàm chrisma immissũ sit. Nõ enim ad hoc aspergimur, vt rebaptizemur, sed diuini nominis gratiã super nos, cum hoc memoriali baptismatis nostri, frequenter inuocare debemus. Et idcirco singulis aspergimur dominicis, quia in sacrosancta primæ huius dominicæ vespera, baptismũ vniuersaliter sancta celebrat Ecclesia, pro causa superius memorata. Vnde & inter aspergendũ hac die cantamus: Vidi aquã egredientẽ de tẽplo à latere dextro, alleluia, &c. De propheta Ezechiele sumptũ est hoc. Ciuitatem illi ostẽderat manus domini Ezech. 47.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apoc. 1. facta ſuper eũ, ædificatã ſuper mõtẽ excelsũ, & vergentẽ ad auſtrũ, & in illa mirabile conſtitui templũ. Illa autẽ ciuitas Eccleſiã ſignificabat, de qua dominus in Euãgelio: Nõ poteſt, inquit, ciuitas abſcõdi ſuper montẽ poſita. Quid ergo templũ, niſi illud, de quo ipſe idẽ: ſoluite templũ hoc, inquit, & poſt triduũ excitabo illud, loquẽs de tẽplo corporis ſui? Sed & Iohãnes in Apocalypſi, cũ de eadẽ ciuitate ſibi oſtẽſa loqueretur: & templũ, inq̃t, nõ vidi in ea, dominus enim Deus omnipotẽs templũ illius eſt & agnus. Quã de hoc tẽplo aquã vidit hic egredientẽ, niſi viuificum ſacri baptiſmatis fontẽ? Cũ enim illud ſoluiſſent Iudæi, ſanguis & aqua, ſicut ſuprà dictũ eſt, de latere eius exiuit. Et rectè de latere dextro aqua exiuit, de qua dicitur: Et oẽs, ad quos puenit aqua iſta, ſalui facti ſunt. Nã huius quoq; tẽpli nõ manu facti latera duo ſunt. Dextrũ quippe latus diuinũ, lẽuũ latus humana natura eſt. Signanter ergo dicendum fuit, quo de latere aqua hæc exiuit, q̃ ad quoſcũq; peruenit, ſalui facti ſunt: à latere dextro, inquit. Et rectè. Nã de diuina Chriſti natura Spiritus ſanctus aqua inuiſibilis procedit, qui aquæ viſibili, quæ de latere læuo, id eſt, de humanitate lanceata profluxit, ſaluãdi virtutem tribuit. Hac igitur die dominicæ reſurrectiõis, quæ ſacri quoq; baptiſterij celebratione eſt ſolẽnis, rectè inter aſpergẽdum cantamus illud in laudẽ fluminis huius, cuius inundatione per mortem Chriſti reuiximus. Cæteris aũt poſt pentecoſtẽ dominicis cãtamus: Aſperges me domine hyſſopo & mũdabor, lauabis me & ſuper niuẽ dealbabor, quod & ipſum de fide baptiſmi prophetа prædixit, per hyſſopũ, q̃ herba eſt humilis, medicinalis, qua tumor pulmonis deponitur, fidẽ humilitatis vel paſsiõis Chriſti ſignificans: per nomẽ lauacri ſuper niuẽ dealbantis, baptiſmũ ipſius manifeſtius exprimens. Deinde cũ crucibus & vexillis, quę ſunt inſignia victoriæ Chriſti, oẽs albati & exultantes in laude reſurrectiõis ſanctæ, ꝓcedimus, cũ tanta populi expectatione ſexus vtriuſq; maiorũ pariter & minorum, vt corporaliter quoque illud propheticum in nobis impleri videatur, cum iucunditate exibitis, & cũ gaudio deducemini, nã & montes & colles exilient expectantes vos cum gaudio.

Matth. 5.

Iohan. 21. Apoca. 21.

Eſai. 55.

Cur dominus diſcipulos ad videndũ ſe in Galilæam inuitauerit, cùm & Hieroſolymis viſus ſit, & quòd ideo proceſsio fiat ſingulis dominicis.

Cap. XXI.

Marc. 16. Iohan. 20. VTaũt proceſsio ageretur, ex myſtica Euangelij autoritate tractũ eſt, ſcilicet ex eo, quòd angeli mulieribus præcipiũt, dicentes: Ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæã, & ipſe dominus occurrens illis exeũtibus à monumento, cũ tenuiſſent pedes eius & adoraſſent eum: Ite, inquit, nũciate fratribus meis, vt eant in Galileam, ibi me videbunt. Primi huius mãdati, quod dominus reſurgẽs per angelos ſuos & per ſeipſum ſuis mãdat diſcipulis, vt eant in Galilæã, & ibi me videbũt, inquit. Si cauſam agnouerimus, proculdubiò fatebimur meritò fieri, quod mandatum illud hac die, cunctisq; per annũ dominicis memoria celebri, id eſt, proceſsione frequentamus ſolẽni. Nõ enim ſine cauſa, non abſque diuini pondere conſilij ſeſe in Galilæa videndũ eſſe promittit cùm Hieroſolymis ſeſe illis oſtendere potuerit, imo & quinquies ipſa die, qua reſurrexit, ibidẽ viſus ſit. Quod ſi nõ aliud quàm latus, manus & pedes palpandos & contrectandos illis in Galilæa oſtendere diſponit, hoc fruſtra vel ſine pondere rationis (quod omnino incongruũ diuinæ eſt maieſtati) videbitur agi. Hoc enim tã ſecundũ Iohannem quàm ſecundũ Lucã, hac eadẽ die Hieroſolymis fecit, cũ reuerſis Hieroſolymã duobus diſcipulis, quibus oſtẽſus fuerat, euntibus Emaus, & referẽtibus q̃ viderãt illis ſecũ mirãtibus, ſtetit Ieſus in medio eorũ & dixit eis, Pax vobis: Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Quid ergo amplius in Galilæam euocatis oſtẽderit, quærendũ eſt. Hoc nimirum, quod inimicum erat Hieroſolymis terrenæ ciuitati, vnde illos euocauit & tẽplo ſacerdotioq; veteri, propoſitũ ſuũ, imo totius trinitatis cõſilũ illis aperuit. Data eſt, inquit, mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: Euntes docete oẽs gẽtes, baptizãtes eas in nomine Patris & Filij & ſpiritus Sancti. Ecce hæc eſt illa magna trãſmigratio, quam Galilæa quoque ſuo cõmendat nomine. Magna, inquam, trãſmigratio Chriſti diſcipulis imperata, trãſmigrare de Iudæis ad docendas & baptizãdas oẽs gentes, cùm ante dixiſſet: In viã gentiũ ne abieritis, & de vetuſtate circunciſionis ad nouã gratiã baptiſmi, cuius nunc regulam præſcripſit, quam hactenus nuſquã tradiderat illis. Magna ſanè cauſa, & digna, quam dominus non ſolũ verbis ediceret, ſed & facto præſenti præfiguraret. Nã quomodo ante paſsionem ſuam, pleriſque dictis aut factis ſuis ſimilitudines adhibere cõſueuit, verbi gratia, quomodo ſuperius octaua ab hinc die veniens ad paſsionẽ, vt genus humanum redimeret, eãdẽ generis humani redẽptionẽ, per aſinę & pulli eius ſignificauit ſolutionẽ. Sic tũc Apoſtolis ſuis dicẽs, eũtes docete oẽs gentes, baptizãtes eas in nomine Patris

Matth. 28.

Matt. 10.

Matt. 21.

tris & Filij & Spiritus ſancti, eandem gratiæ ſuæ tranſmigrationem ſignificare voluit per Galilæam, quę Latinè vertitur in trãſmigrationem. Totum hoc ad nos, id eſt, ad Eccleſiã de gentibus reſpicit, ad quam ſalus ex Iudęis hoc ꝓcepto trãſmigrauit. Rectè igitur & meritò in primi huius mãdati cõmemoratione, quòd ſtatim, vt viſus eſt dominꝰ noſter poſt reſurrectionẽ, nunciate, inquit, fratrib. meis, vt eant in Galilæã, ibi me videbunt, nos proceſsionem agimus ſolennẽ, nosq; & loca noſtra aſpergimus aqua benedicta, in honorem huius diei, quo inſi ſumus baptizari in nomine patris & filij & Spiritus ſancti.

Iohan. 20.

Quo die diſcipuli in Galilæa videntes dominum adorauerunt, ſecundum Matthæum.

Caput XXII.

Matth. 18. ILlud quidẽ nemo qui dubitet, quòd hac die, qua reſurrexit dominus, id eſt, prima die ſabbati, diſcipulos in Galilęam inuitauerit: ſed illud per ſe non ſatis liquet, qua die illuc abeuntes iuxta Matthęum, illum viden tes adorauerint. Verum Hieronymus item prima ſabbati, id eſt, octaua die, factum hoc eſſe aſtruit, & hanc eandẽ eſſe apparitionem, de qua Iohãnes ait: Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli intus, & Thomas cum eis. Ait enim idem Hieronymus ſuper Matthæum: Poſt reſurrectionem dominus in Galilææ monte conſpicitur, ibiq; adoratur, quod licet quidam dubitent. Tunc manifeſtius oſtẽditur Thomę, & latus lancea vulneratum, clauiſq; fixas manus demonſtrat, vt verè, licet nõnulli numerando vices, quibus dominus poſt reſurrectionem viſus eſſe deſcribitur, aliter ſentire videantur, nos tamen prædicto doctori hunc ſenſum non improbandũ eſſe arbitramur. Et ipſa ratio admittit, quòd diſcipuli eadem die, qua dominus reſurrexit, toties in Galilæam ire iuſsi, nõ vltra dies octo diſtulerint, præſertim cum eadem die ſerò illum videntes, quando Thomas non erat cum eis, ſpem feſtinãtiſsimam iterum videndi eum, ardentiusque deſiderium concipere potuerint. Nihil enim eſt, in quo Hieronymo autoritas Euãgelica refragetur. Nã quod ait Iohannes, poſt dies octo iterum erant diſcipuli intus, non nos coartat in eodẽ loco intus eos fuiſſe fateamur. Intus erant, ſed in mõte, id eſt, in ciuitate Nazareth, quæ in monte Galilææ ſita eſt. Sic enim habemus in Luca: Qui cùm dixiſſet, quia dominus poſt quàm ieiunauit XL. diebus, & XL. noctibus, reuerſus in virtute Spiritus in Galilæam, & iam magnificatus in Capharnaum, venit Nazareth vbi fuerat nutritus. Et cùm dixiſſent ei, quanta audiuimus de te facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, ipſeque reſpondiſſet eis, in veritate dico vobis, multę viduę erant in Iſrael, & ad nullam illarum miſſus eſt Helias, niſi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam, cùm, inquam, hæc dixiſſet Euangeliſta, ſtatim ſecutus, repleti, inquit, ira ſurrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſupra quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Non ergo aliũ in monte, quàm in Nazareth, quę ſuper montem ſita erat, dominum pręceſsiſſe, & diſcipulos ſuos euocaſſe, putandum eſt. Itaq; nulla, vt dictum eſt, autoritas Euangelico Hieronymo refragatur. Intus enim erant poſt dies octo, ſed non in eadẽ domo, nec in eadẽ ciuitate. Et pulchrè, vbi perſecutionem primam pertulit, primoq; deſertionem Iudęorum, & tranſitum ad gentes præfiguravit, ſicut poſt ſuprà dicta ſcriptum eſt: Ieſus autem tranſiẽs per medium illorum ibat, ibidẽ poſt omnes perſecutiones Iudæos deſeruit, ritumq; eorum mutauit, circumciſione abolita, gentes omnes prędicipiens baptizari in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.

Luc. 4.

Iohan. 20.

Luc. 4.

Quod de redemptore noſtro propheticè dictum ſit: Neptalim ceruus emiſſus dans eloquia pulchritudinis.

Cap. XXIII.

SImulq; & hoc notandum, quòd, vbi ante paſsionem maximè prædicauit in finibus Zabulon & Neptalim, ſicut habemus in Euangelio, trans Iordanem Galilęæ, & illic poſt reſurrectionẽ eandem conſummauit doctrinam, dando baptizandi & docendi præceptum, vt ſicut ab eodem Euangeliſta teſtimonium ſubiunctum eſt de propheta: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, lucẽ videret magnam, complens illam quoq; prophetiã, qua dictũ eſt: Neptalim ceruus emiſſa rius dans eloquia pulchritudinis. Emiſſus enim per diuinam potentiam à canum inſecutione, de quibus ipſe dicit per os Dauid: Circundederunt me canes multi, emiſſus, inquã, in plenam ſecuritatem, velociſsimo ſaltu reſurrectiõis recurrit in fines Zabulon & Neptalim, vbi ante docere cœperat, factus & ipſe Neptalim, id eſt, dilatatus, videlicet expeditione charitatis, & hæc dedit, quæ prædicta ſunt, eloquia pulchritudinis de nobis gentibus baptizandis, quę ſic finiuit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

Eſai. 19. Gene. 49. Pſal. 21. Matth. ult.

Item de proceſsione, ſecundum quod variatur in diuerſis Monachorum & Canonicorum ordinibus.

Caput XXIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRædicta processio sic agitur, vt sacerdotem præcedentem, & officinas visitantē, semper in eo loco, quo suprema statione, consistimus, ante nos cum cruce inueniamus. Quod & ipsum ex eadem Euangelij pendet authoritate. Nam dominus noster, cuius personam sacerdos in suo gerit officio (sicut alio loco iam dictum est) & antequàm pateretur, & postquam resurrexit, hac die discipulos suos in Galilæam præcessurum se dixit. Nam qua nocte tradebatur: postquàm autē, inquit, resurrexero, præcedam vos in Galilæam, & cùm resurrexisset, sicut hac die legimus, ite, inquit angelus, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæā. Huic significationi pulchrè & ipsa, quam ibidem, id est, in suprema statione, sacerdos dicit, oratio concinit, directa ad personam filij: Domine Iesu Christe, qui introitum portarū Hierusalem valuas sanctificasti, &c. Nam ad filij personam dirigitur, & sub nomine Hierusalem Ecclesiæ mentio fit, quæ de baptizatis omnibus gentibus construitur, & sub nomine portarū eius, nomen patris & filij & spiritus sancti, in quo baptizantur, significatur secundum Apocalypsim, vbi in significationē eiusdem diuini nominis, patent ciuitatis, quę significat Ecclesiam, ab oriente portę tres, & ab occidente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & à meridie portæ tres, quia quacunque ætate veniant ad fidem Christi, seu in pueritia, seu in adolescentia, seu in iuuentute, seu in senectute (vt ait Prudentius) occurrit quadrina ad compita nomen. Sicque fit, vt tota hæc processio nihil aliud, quàm gratiarum actio sit, eò quòd resurgens dominus statim memor nostri, qui eramus absq; Deo, discipulos suos in Galilæā ad hoc consilium euocauit, vt baptizaremur in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Vnde locum quoq;, quo suprema statione processionem terminamus, nos Galilæam nominamus, & præeūtem sacerdotem semper in huiusmodi, id est, dominicali processione maiores quiq; post prælatum nostrum, vt caput digniora membra sequuntur. Et illud quoque maiorum exemplis edocti, quia rei iam dictę congruit, obseruamus, vt in hac processione nulla vnquam dominica quicquam, quod sit veteris historiæ, cantemus, sed semper quod de nouo testamento sit, gloriamque personet Euangelij.

Matth. 26. *Marc. 16.* *Apoca. 21.* *Ephes. 2.*

Sed de hoc principali die paschæ sermo nunc est, à quo omnis prima sabbati insignita, & dominica dies dicta est, quo dominus noster patres nostros Apostolos ad audiendum, vt dictum est, gratiæ consilium in Galilæam euocare dignatus ust. Huius diei statio, quo processio terminanda est, in medio templi splēdidè ordinata, rem ipsam, de qua dictum est, pulchrè cōmendat, dum sacer Ecclesiæ chorus totus festiuus, sexus vtriusque populo circunstante, totis viribus in vocem exultationis & salutis feliciter erumpit, cantando antiphonam: Sedit angelus ad sepulchrum domini. Hæc enim antiphona rem ipsam patenter exprimit, quam perdocere omnes gētes iussi sunt Apostoli, scilicet, quòd Deus homo factus, mortem nostrā moriēdo deuicit, & vitam nobis resurgendo reparauit. Cui rei valde & ipsa, quæ dictis insita est, congruit melodia, dum cantus is* tetrardi garrulitate cōcinnus, agili recursu festiua dicta suspendens frequēter tripudiat, & læta pronunciās, velut alauda matutina per vocum suarū sæpe volitat acumina. Hæc igitur statio nobis illud festiuo concentu cōmemorat, quòd in Galilęa iussi à creatore suo cœli enarrauerunt gloriam Dei, gloriam resurrectionis Christi, sicut legimus, quia virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrecti onis Iesu Christi domini nostri. Quod ideo totis viribus est concinendum, & toto corde totoq; ore in auditu populorum circumstantium efferendum, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Marc. 16. ** tetradū* *Psal. 18.* *Actor. 4.*

Quòd nos rectè beatam Mariam in principio nostræ lætitiæ proponimus in hac processione, omni dominicæ ad eius memoriā prima statione diuertentes, & quòd credendum non sit, quòd dominum resurgentem ipsa non viderit, & quòd inter testes mater scribi non debuerit. Cap. XXV.

RECtè & laudabiliter à nostri, id est, monachi ordinis maioribus traditum est, quod hactenus pro lege fixum atq; inconuulsum conseruatur, vt in huiusmodi processionibus, cunctis per annum dominicis beatæ Dei genitricis memoriam prima statione visitemus, decātando quodlibet, quod eius proprium sit, eaq; salutata & oratione dicta tunc demum processionē ordine supradicto peragamus. Sicque feruente sacræ religionis studio prouisum est, vt infra claustrum habeatur eiusdem beatæ virginis diuersorium, scilicet sacratū in ipsius honore, maximè propter hoc ipsum proprium nominis eius oratorium. Quid Euangelicæ fidei conueniētius Christiana sedulitas comminisci potuit? Quid pulchrius, quid venerabilius, quàm cō gratulari matri virgini super resurrectione vnigeniti, iam non morituri, in cuius passione gladius animam eius pertransiuit? perpendere gestit Christiana deuotio, quantus torrens

Luc. 2.

rens gaudij repente inundans, locum q; vulneris replens, animam eius ferro doloris cōfossam inebriauit, cùm rediuiuus filius, illi ante omnes fortasse mortales, materno virginem non defraudās honore victoriam suā annunciauit, & dulcia carnis suę vulnera, quā illa veram de carne sua carnem conceptā peperit, deosculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Euāgelio, referenti quòd surgens Iesus primò Mariæ Magdalenę apparuit? Absit. Sed omnibus, beatam virginem matrem excipimus, testibus præordinatis, quos solos nominare ad Euangelistas pertinuit, vel quos Christi resurrectionem annunciare decuit. Nunquid illam nunciare decebat, vt verba eius tanquam deliramenta viderētur ante Apostolos? Si enim extranearum verba fœminarum visa sunt eis tanquam deliramenta, quomodo non magis matrē amore filij delirare crederent? Verisimè ergo matri filius resurgens apparuit, sed illa vt ab initio cœperat, ita & nunc conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quod si iccirco verum nō videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est quod nunquam post resurrectionem suā visus sit matri, quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorū nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrē & matrē honorare præcepit, absit, inquam, vt matrē propter se doloris gladio trāsuerberatam, tam dura negligentia talis filius inhonorauerit. Non sic Apostolica sanctę Romanæ Ecclesiæ sensit veritas, quæ hanc beatam Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Nam cùm hac prima die paschæ statione ad hanc, de qua loquimur, sanctam Mariam Missæ officio præscripsit, quid aliud, quàm Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Si enim omnis anima timens dominum sic benedicitur, vt videat bona Hierusalem, & videat filios filiorum suorum, pacē super Israel. Et ideo dicitur, & est ipsa quoq; Hierusalem, quod est visio pacis: quanto magis ista ter quaterq; beata virgo dicenda est Hierusalem, quæ benedicta inter omnes mulieres, vidit filium suum pacem super omnem verum Israel, scilicet Christum, de quo Apostolus ait: Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraq; vnum. Ipsa præ omnib. ipsa ante omnes vidit hāc nostram pacem, ipsa est Hierusalem, pulchra, electa suauis & formosa, quā viderunt filię Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt. Dum ergo hanc hodiernā statione sancta Romana Ecclesia in principio lætitiæ suæ, vt dictum est, proposuit, non hoc æstimauit, quòd pacem super Israel venientem, id est, filium suum propter iustificationem nostram resurgentem, ipsa nō viderit. Sed vt ad propriam, de qua suprà dictū est, hodiernę & omnium dominicalium processionum causam sermo recurrat: nunquid vel tunc, quādo vndecim discipuli abierūt in Galilæam, in montem, sicut cōstituit illis dominus Iesus, hāc beatā, de qua loquimur, Mariam præterierunt, & absq; illa videntes eum adorauerunt? Imò nō aliàs quàm in domum illius, non alium in monte abierunt, vt viderent eum, quàm in illum, super quem ciuitas eius Nazareth sita erat, sicut iam dictum est, Igitur pulchrè & laudabiliter, vt suprà diximus, traditum est à nostris maioribus, vt in hodierna, cunctisq; per annum dominicalibus processionibus, beatæ Dei genitricis memoriam prima statiōe visitemus, eandem ob causam, qua hodiernę missæ officio statio ad sanctam Mariam præscribitur, vt eā, sicut iam dictum est, in principio lætitiæ nostræ proponamus, illud de canticis recolentes, nouū nouæ Ecclesiæ sponsum, mox vt resurrexit, dixisse non vanè arbitrantes: Vadā ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Qua enim sui corporis parte alti?, post ipsum caput suū Christum Ecclesiæ sublimitas eminuit, quā singularibus huius reginæ angelorum meritis, cuius ex carne sine viro Christus, vt lapis de monte sine manibus, est editus? Et quo in vertice montium tātum myrrhę, id est, mortificationis, cum thuris, id est, piæ orationis odoribus inueniri potuit, quantum in huius beatæ virginis anima, quā singulariter dominicæ passionis gladius pertransierat. Ad hūc ergo montem myrrhæ vadimus & nos, sæpe dicta statione ad sanctam Mariam diuertentes, & ipsa quoque eloquia cerui emissi, de quo suprà dictum, eloquia pulchritudinis, quibus illic de baptizandis omnibus gentib. mandauit, exultantes mysticè depromimus hac die cantando: Tota pulchra es. Nota nāque omnium penè sententia doctorum est, nouam his verbis Ecclesiam inuitari, vt surgat & properet Apostolica, quæ tunc numero parua erat, Ecclesia de Libano venire, id est, candidatione baptismi gentes ad Christum adducere, maria matre fidei nostræ adiuuante, id est, omnia verba hæc, quæ hactenus conseruabat in corde suo, iam aperiente.

Exod. 20. *Matth. 15.* *Psal. 127.* *Luc. 1.* *Ephes. 2.* *Cant. 6.* *Rom. 4.* *Matth. 28.* *Cant. 4.* *Danie. 2.* *Gene. 49.* *Luc. 2.* *Cantic. 4.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER OCTAVVS.

De Missa eiusdem diei.

IOtum diei præsentis officiũ cunctis partib. suis in illũ æternitatis diẽ intendit, cuius nobis aditũ deus per vnigenitũ suũ, deuicta morte reserauit, vbi epulabũtur & exultabũt iusti in cõspectu Dei, qui hunc epulantur (vt cantamus ac legimus) in azymis synceritatis & veritatis, bibentq; vinũ bonum, quod ex aqua factum est in cœlestib. nuptijs, id est, in gloria delectabũtur immortalitatis, & impassibilitatis, à corruptiõe mortalitatis penitus immutati. Et rectè: Vt quia pascha transitus est, illò paschale præsentis diei cãticum intendat, vbi transeuntibus patria constituta est. Tũc illa sancta ciuitas Hierusalẽ splẽdebit nouitate æterna, nouũq; cãtabit cãticum, noua ipsa nõ habens maculã aut rugam. Cuius cantici æterni doctor ac præcentor erit nouus eius spõsus, qui primus resurrexit, cui cũ diceret pater, sicut habemus in Psalmo: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, respondit, exurgã diluculò. Rectè ergo in introitu hodierni officij primã vocem emittit, qui primus resurrexit, dicitq;: Resurrexi, & adhuc tecum sum. Ad huius cãtici nouitatẽ nos inuitans & instruẽs Paulus in sequenti lectione Epistolæ: Expurgate, inquit, vetus fermẽtum, vt sitis noua conspersio, &c. Aperta similitudine baptizatos edocet, dum nouam, id est, absque fermento, conspersionẽ nos esse hortatur, eò quòd ex multis hominibus vnum Ecclesiæ corpus, tanquam ex multis granis vnus panis efficiatur. Quale autem sit illud, quo panis iste fermentetur, & paschali mẽsa fiat indignus, ex his, quæ suprà Corinthijs dixerat, patenter agnoscimus. Dixerat enim, omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat. Et paulò pòst, non bona, inquit, gloriatio vestra. An nescitis, quia modicum fermẽtum totã massam corrumpit? Expurgate vetus fermentũ, &c. Hoc igitur Ecclesiastici compositor officij, per hanc lectionem Ecclesiæ Christi intimare voluit, vt illam, quam accepit in baptismo, seruet immaculatã nuptialem tunicam, vtpote quam exhibere sibi cupit Christus sponsam gloriosam, non habentẽ maculã aut rugã. Fornicatio enim, propter quã eadem lectio scripta est, vt suprà dictum est, vel aliud quodlibet damnabile vitium, vet⁹ fermentum est, vetusti hominis morbus est, veteris vitæ macula est. Itaq; cùm hæc dies nouitatem vitæ prædicet, & æternã iuuentutem annunciet, miranda planè & laudanda Romanę Ecclesię diligentia in eo quoq;, q⁹ in officio præsenti legendum esse Euangeliũ secundum Marcum instituit. Ille nanq; præter hoc, quod in quatuor animalium admirabili figura leoni assimilatur, præter quod eius Euangelium rectè legi videretur, vt leo rugitum leonis resurgẽtis Euãgelizaret, de quo prædictum fuerat: Catulus leonis Iuda, ad prędã fili mi ascendisti, requiescens accubuisti, vel leo & quasi leæna. quis suscitabit eum? præter hoc, inquam, officium diei præsentis Euãgelium eius maximè pro eo congruit, quòd sanctę resurrectionis nuncium, quẽ cęteri simpliciter appellant angelum, hic altiori mysterio iuuenem appellat: Viderũt, inquit, iuuenẽ sedentẽ in dextris, coopertum stola candida. Hęc enim duo, quæ posui, iuuenẽ & coopertum stola candida, duo itidẽ, quę ab Apostolo in laudẽ & *glorioſæ Ecclesię dicta sunt, prædicant, scilicet non habentem maculam, nõ habentem rugã. Nam ęa gloriosa Ecclesia, pro qua Christus mortuus est, & propter cuius iustificationem resurrexit, in illa gloriosa resurrectione, cui sepræparans, nunc vetus fermẽtum expurgat, vt dictũ est, rugã vetusti hominis, quẽ exuit, non habebit, rectè sanctus Euãgelista resurrectionis eiusdem prẽconem angelum, iuuenem appellat: & quia maculam non habebit, quã sponsus suus in sanguine suo lauit à peccatis suis, pulchrè coopertum stola candida, vt verè erat, diligenter expresit. Diligentissima ergo institutione, hac die secundum Marcum legitur resurrectionis Christi Euãgelium, quo baptizatis nostris, quibus renouata est vt aquilæ iuuentus sua, iuuenis sedẽs in dextris dominici sepulchri, & coopertus stola candida, ipso suo habitu, quid acceperint, aut quid sperare debeant, prędicat, cunctis cõsonantibus partibus officij. & hoc maximè conclamantibus concorditer, vt expurgato veteri fermento, in azymis synceritatis & veritatis epulantes, primã baptismi resurrectionẽ ita seruemus, quatenus secundæ resurrectionis æternæ iuuentuti præparemur.

Psal. 67.

1 Cor. 5. Iohan. 2.

Apoca. 2.

Ephes. 5.

Psal. 56. & 107.

Psal. 138.

1. Cor. 5.

Ephes. 5.

Marc. 16.

*honorem

Ephes. 5.

Rom. 4.

Apoc. 2.

Psal. 102.

1 Cor. 5.

Tunc (sicut in offerẽda cantamus) resurgente Deo in iudicio, qui nũc sopitus esse, & humana curare nõ putatur, terra tremet & quiescet, id est, impij terrebuntur, & traditi gehennæ nocere desinẽt: & erit in pace locus domini, scilicet Ecclesia, & in Sion iuuene, iamq; candida, sicut angeli supradicti habitus prædicat, cõfractæ erunt omnes aduersariæ potentiæ, arcus, scutũ, gladiusq; & bella vitiorum. Graduale, quod est cantus laborantiũ in hac peregrinatione, iã dictũ est ad hos dies resurrectionis vsq; in pentecosten non pertinere, sed propter baptizatos per hanc hebdomadam in officijs additum esse, ita tamen, vt sicut his, propter quos additũ est, militiæ laborem, quem arripuerũt, præsens subleuet gaudium, de recenti remissione peccatorũ: sic consuetudinalem gradualium neumarũ ferenent verba diem, quam fecit dominus, quotidie personantia, & exultandum atq; lętandum esse in ea, tam ex ipso quàm ex versibus eius accipimus, qui ex eodẽ psalmo sumpti per hebdomadam dispertiuntur.

Psal. 75.

Esa. 17.

Gene. 49.

De ordine inusitato vespertinæ laudis, cuius causa est per hanc hebdomadam solennitas sancti baptisterij. Caput II.

CVm omnes horæ regulares supradictæ nouitatis & lætitiæ proferant insignia, tunc verò splẽdidius vespertina synaxis huius festiuitatis claritate, secundum ordinem Romanum est illustrata. Nam quia vespera sabbati paschalis baptisma celebratũ est, eadem hora per totam hebdomadam festiuam regenerationis iucunditatem hoc modo retinet. Primùm, quia in ipso baptismi ordine inceptũ est Kyrie eleeson, & litania trina decantata est ob honorem & reuerentiam adorandi nominis, patris & filij & spiritus sancti, quo in nomine baptismus peragitur: idcirco non, vt fieri solet à versu, Deus in adiutoriũ meũ intende, sed à Kyrie eleeson festiuo cõcentu incipiuntur. Sequuntur ob eandẽ causam tres psalmi sub vno alleluia decantandi, qui & per totam hebdomadã nõ mutantur, tum quia tota hebdomada hæc pro vna die computatur, eò quòd vniuersalis diẽ resurrectionis aspiciat, tũ quia tã hi quàm cæteri, qui processionibus (de quibus dicendũ est) reseruãtur, insigni titulo, quod est alleluia, notantur, quod rei vel tẽpori cõgruere, imo propriũ esse nouimus. Verũtamẽ primus, id est, Dixit dominus, solus alleluia nõ habet in titulo, sed ad laudẽ Christi maximè & secundum diuinitatẽ, & secundum humanitatem, autoritate Dei patris commendante decantatur, agens per totam seriẽ de gloriosa & ineffabili exaltatione eius, qua mortis torrente bibito, suum hodie exaltauit caput. Post tres psalmos pro capitulo dicitur cãticũ: Hæc dies quam fecit dominus, sicut & per oẽs regulares horas, nihilominus ob magnitudinem significandæ lętitiæ pro capitulo decantatur. Deinde alleluia cũ versu suo pro hymno canitur, quia proprius patriæ cœlestis hymnus alleluia est. Post canticum de Euãgelio cum antiphona, dicta oratione, proceditur ad fontes cum psalmo, Laudate pueri dominũ, qui & ipse in titulo alleluia prænotat⁹ perspicuè congruit ipsis, qui reseruatus est sacris sontibus. Admonitio nanque diuinæ laudis est ad pueros, id est, nouos Ecclesiæ filios, qui per baptismũ pueri, id est, puri facti sunt à vitijs, totusq; hic psalmus tantum ad fideles de gẽtibus dirigitur, quòd ex eo facilè perpẽditur, quia dicit: Qui habitare facit sterilẽ in domo matrẽ filiorũ lętantẽ, id est, gentilitatem prius sterilẽ, nunc matrẽ filiorũ secundũ fidem facit habitare in domo, id est, in cœlesti Hierusalẽ cõpleta prophetia, qua dictũ est: Lætare sterilis, quæ non paris. Vnde nũc apud fontes Ecclesia mater iubilãs exultat in laudem eius gratiæ, per quã meruit esse (sicut audiuit in cãticis) Fons hortorũ, puteus aquarũ viuentiũ, q̃ fluunt impetu de Libano, vt sint emissiones eius paradisus malorũ punicorũ cum pomorũ fructib. cyprus cũ nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomũ, myrrha & aloẽ, cum vniuersis lignis Libani. Quæ omnia diuersis qualitatibus suis diuersa merita vel profectus significant eorũ, qui in fonte baptismi similitudini mortis Christi complantati sunt, de quibus non est modo dicẽdum per singula. Hac statiõe terminata, trãsitur inde ad oratoriũ sancti Andreæ Apostoli, cantãdo: In exitu Israel, quo significatur exitus illorũ, qui Israel (id est, videntes Deũ) renascẽdo facti, de Aegypto huius seculi & populo barbaro infideliũ exeũt mari, id est, profunditate gentiũ, & Iordane, id est, Iudæis. Iordanis enim terrę Iudęorũ est fluuius, & à retro fluẽs interpretatur: gentibus (inquã) & Iudęis videntib. ea, q̃ per exeũtes mirabilia facta sunt, fugientibusq; ab infidelitate ad fidẽ, à carne ad spiritũ, à diabolo ad Deum, quem reliquerãt, retrorsum. Vnde & mõtes, id est, Apostoli, & colles, id est, eorum discipuli, exultantes vt arietes & sicut agni ouium gratulantur & dicũt: Quid est tibi mare, quòd fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Sic omnis Paschalis hebdomadæ vespera, qua hora sabbato in sanctę trinita-

Psal. 109.

Psal. 117.

Psal. 112.

Esai. 54. Galat. 4.

Cant. 4.

Rom. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

trinitatis nomine baptisma celebratum est, trina statione completur. Et idcirco fortassis ad S. Andream penè omnis vespera termina tur, quia beatus Greg. qui stationes, sicut hactenus seruantur, ordinauit, eidē S. Andreæ specialiter deuotus extitit, cui iuxta & basilicam sanctorū Ioh. & Pauli ad cliuū Scauri, monasterium in proprio domate formauit: in quo relictis omnibus ex huius mūdi naufragio nudus euasit, diu desideratū monachi cum capiens indumentum. Nec mirum hanc illum vespertinam stationem pro deuotione tanto Apostolo consecrasse, cùm & stationem ad S. Cosmam & Damianū, qua die cantatur: Salus populi ego sum, fecerit illustriorem, proprijs ac solennibus collectis, sicut, à plerisque vsq; nūc obseruatur, sanctis eisdē dedicauerit, idcirco quòd atauus eius, IIII. Felix, sedis Apostolicæ Pontifex, vir magnæ in Christi Ecclesia reuerentiæ, basilicā eorūdem sanctorū via sacra iuxta templum Romuli, sicut hactenus cernitur, venustissimè fabricauit. Forte & illud maiestatem diuini nominis respicit, patris & filij & spiritus sancti, quo in nomine baptisma celebratum est, quod ad vigilias nocturnas tres tantum lectiones ordine Romano legūtur. Nam quo respectu vltra numerum hūc lectiones multiplicarentur? Siquidem prędicatores nostri, quos (vt alio loco iam dictum est) significat amplior in solennitatibus numerositas lectionum, quia sub tempore gratiæ plures veritatis præcones mitti cœperunt, prædicatores (inquam) Euangelij, id est, Apostoli, nunc erant muti & abscōditi, neq; (vt solebāt domi no cū illis cōmorante) circuibāt, per castella, Luc. 9. Euāgelizantes & curātes vbiq;. Nec quisquā illud obijciat, quod tribus quę pcesserūt luctuosis noctibus, plures lectæ sunt. Nam illarum alia ratio suo loco præscripta est. Igitur ternarius numerus, autoritate diuini nominis in baptismo illustratus, pulchrè in hac solēnitate, tam in Psalmis quàm in lectionibus principatur.

Cur non monachi æquè vt canonici, per hos dies consuetam debeant immutare regulam. Cap. III.

QVamuis ea, quæ supradicta sunt, rationem habeant theoricam, nostri tamen, id est, monachi ordinis, æquè authenticam non debent immutare regulā, vt verbi gratia, nocturnas vlla dominica ad tres lectiones contrahant vigilias, aut per horas regulares litaniæ remoueant supplicationes, & pro ipsis iucūdum alleluia personēt, idcirco quod in illa beatitudine, quam significat hæc Paschalis solennitas, nulla erit deprecatio miserorum, sed sola laudatio beatorum. Sed nec illud, vt cum non habeant fontes eas, quas propter solennitates fontium fieri dictū est, vespertinas suis in locis imaginētur statiões, hæ nanque pontificales & ad pastores plebium pertinētes sunt traditiones. Et licet beatus Gregorius, qui statiões ordinauit, & penè omnem cleri decorem digito Dei doctus expoliuit, habitu monachico prefulserit, nec si tamen monachico tenendæ sunt ordini consuetudines huiusmodi, quas Pontificali potius officio tradens, inferioris, id est, actiuæ vitæ procuratoribus instituit. Nunquam enim sancti patres talem habuere consuetudinem, vt contraria vel pugnantia præciperent. Præceperat autem ante illū beatus Benedictus, qui (vt ipse asserit beatus Gregorius) spiritu omnium iustorum plenus fuit, vt dominica die nunquam minus à duodecim lectionibus ad vigilias nocturnas legantur. Similiter & de cæteris regularibus horis vniuersalem, absque vlla exceptione canonem suo præscripserat ordini.

Non ergo credendum est, quòd beatus Gregorius, cùm actiuæ vitæ ordinem instituret, ad quem se descendisse in suis deplorat Epistolis, superiorem, id est, contemplatiuę vitę ordinem ex aliqua parte in contrariū deflectere voluerit. Rectius itaq; suam quisque tenet ordo regulam, iuxta illud: Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Tantum in eo concordantibus cunctis, vt vsque pentecosten genua non flectētes, sed stando perorantes, libertatem, quam nobis resurgēdo Christus acquisiuit, hac significatiōe profiteamur, & alleluia sine intermissione dicamus, & nos filij sponsi, quia nobiscū est sponsus, non ieiunemus. Cæterum quicunq; monachi ordinis supradictam ob causam supplicationem litanię, id est, Kyrie eleison, de horis regularibus per hanc septimanā amputāt, cōsequens est, vt vsque pentecosten nō repetant, quoniā non solum hæc hebdomada, sed vniuersi quinquaginta dies isti æternā futuræ resurrectionis significant Iubilæum, quo nihil iam supplicandum, sed solum in salute perfecta exultandum erit, & lætandum.

Hier. 31. Abac. 3.

Quàm congruè fides resurrectionis per quadraginta dies confirmata sit, simulq; de miraculo cuidam fratri ostenso hoc anno, ab incarnatione domini millesimo centesimo vndecimo. Cap. IIII.

MIranda sanè & prædicanda saluatoris nostri studiosa charitas, qui cùm passus propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram, nihilominus pro- *Rom. 4.*

Actor. 1. nus propter eruditionē nostram distulit quadraginta diebus ascensionis suę gloriam, per quos & præbuit seipsum viuum in multis ar- *Psal. 67. Psal. 103.* gumētis Apostolis suis, quos elegit, vt essent testes suæ resurrectionis. Poterat enim eadē die, qua resurgendo super occasum ascendit, nubem quoq; ponere ascensum suum, & semel ostēsum testibus suis verum hominem, vera verbi diuinitas, eadē velocitate qua sus- *1. Cor. 13. Luc. 24.* citauerat, post tres vel paulò plures dies in paternæ maiestatis collocare dextera. Magna ergo charitas, & verè nō quærēs quę sua sunt, quæ, vt subueniret tardis ad credendum, triumphalē Christi tardauit ascensum, & vt cōsummatā ostenderet gratiam, preparatam vi ctori distulit gloriā. Itaq; vę perfidis hæreticis, quos legitimus hic quadraginta dierū numerus expectatos & incorrectos, iustę tandē sententiæ subigit. Legitimus nanq; est quadragenarius dierū numerus apud homines quoq; in protelandis consultationibus, vt is cui forte consulitur, etiam si lunaticus sit, id *Eccle. 27.* est, stultus (stultus quippe vt luna mutatur) cum tot dies expectatus sanum cōsilium nō admiserit, iustus iudicetur, quoniā ante quadraginta dies luna mutatur, vnde & hic plusq; stultus, qui per tot dies mutatus non est. Sed libet per aliud simile ex antiqua diuinæ authoritatis scriptura comprobare, quòd resurrectionis mortuorum detractores, iure nunquam ad eiusdem resurrectionis gloriā peruenire mereantur, quā per quadraginta dies exploratā, adhuc pertinaci impietate calum- *Num. 13.* niantur. Legimus in libro numerorum, quia loquēs dominus ad Moysen in deserto Pharan, mitte (inquit) viros, qui cōsiderent terrā quā daturus sum filijs Israel, singulos de singulis tribubus ex principibus, id est, viros duodecim. Qui cùm ascendissent, exploraue runt terram, ascenderuntque ad meridiem, pergentes ad torrentem Botri, absciderunt q; palmitem cum vua sua, quam portauerunt in vecte duo viri, &c. Reuersiq; exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, alij detraxerūt terræ quam inspexerant apud filios Israel, dicentes: Terra, quā lustrauimus, deuorat habitatores suos. At verō Iosue filius Nun, & Caleph filius Iephone, Terra (inquiunt) quam lustrauimus, valde bona est. Si propicius fuerit dominus, introducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Cumque clamaret omnis multitudo, & eos lapidibus vellet opprimere, apparens dominus, Omnes, inquit, homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto & in solitudine, & tentauerunt me ecce iam per decem vices, nec quisquam qui detraxit mihi, intuebitur terram, pro qua iuraui patribus eorum. Hæc illis in figuram contigisse Paulus quoq; Apo- *1. Cor. 10.* stolus testis est. Nā cùm de hac sacra loquens historia dixisset, Patres vestri omnes mare trāsierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali cōsequente eos petra, petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorum, inquit, benè placitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto: & quia tentauerunt Christum, à serpentibus perierunt: & quia murmurauerunt, interierunt ab exterminatore, & protinus adiungit: Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autē ad correptionem nostram, in quos fines secu lorum deuenerunt. In figura videlicet, quorum, nisi eorum, quę in hoc fine seculorum, id est, in hac mundi sexta ætate facta sunt? Christus dominus Aegypti rege, id est, tenebrarum principe debellato, per mare rubrū baptismi sui traduxit illos, & nunc per vitæ præsentis desertum regit, vt inducat in repromissionē æternę hęreditatis, id est, in eam, de qua nūc loquimur, gloriā beatā resurrectionis. Quā enim ab illo terrā lacte & melle manantē sperare debemus, nisi cōformitatē corporis christi quod resurrexit, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, vt per illud reformet (sicut Apostolus ait) corpus humilita- *Coloss. 2.* tis nostrę configuratū corpori claritatis suæ? *Philip. 3.* Igitur & hi, qui veritatē negant eiusdē resurrectionis, sicut & illusores, malorumq; cōcupiscentes, tentatores atq; murmuratores, iu- *Actor. 1.* stè prosternuntur in deserto & pereunt, atq; ab exterminatore intereūt. Totidē quippe, id est, quadraginta diebus Euāgelica refert scriptura in multis exploratam esse argumentis terram carnis Christi, quòd verè resurrexit à mortuis, vt veraciter agnoscamus ex illa, qualis erit nobis status futuræ resurrectionis. Ascenderunt fidei exploratores ad meridiē, id est, vbi eleuatus erat verus sol christus per altissimā resurrectionem, & attulerūt nobis botrum cum palmite suo, quem portant duo viri, id est, ipsum Christum, cui dicit sponsa in Cāticis: Botrus cypri dilectus meus mihi, *Cant. 1.* portant, inquam, in vecte duo viri, id est, pendentem in ligno crucis cum veritate corporis, in quo resurrexit. Hunc enim susceptum portant duo viri, id est, duo populi, Iudaicus atq; gentilis: & sicut anterior ex eis, qui botrum ferebant, portabat quidem, sed auerso dorso nō videbat, posterior autem & portabat & videbat: Sic anterior populus Iudaicus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus testimonia passionis & resurrectionis Christi portat quidē in scripturis, sed auerso corde non credit, atque ideo non intelligit: posterior autem (id est, gentilis) & portat & videt, quia quod legit, credens intelligit, intelligens credit. Hunc ergo botrum afferentes veritatis exploratores, id est, annunciantes Christum, hunc nobis Apostoli testes fideles dicunt scriptis, dicūt miraculis, de gloria sperandæ resurrectionis: Terra quam lustrauimus bona est, sicut ex his fructibus cognosci potest. Quo enim dissimile est huic illud, quod nobis annunciāt, incorruptibilem carni superindui resurrectionis gloriam, veramq; & eandem carnis eiusdem permanere naturam? Lustrauimus (inquiunt) eam, vidimus & perspeximus, manus nostræ tentauerunt de verbo vitæ. Misimus enim manus nostras & palpauimus latus est, & contrectauimus cicatrices vulnerum in manibus & pedibus eius, dicentis: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et, manducauimus (inquiūt) & bibimus cum eo, postquam resurrexit à mortuis. At illi qui simul ascenderunt explorare scripturam, pleni alieno spiritu, falsi & fallentes, negantes verā resurrecturam corporum naturam, & corpus dominicum post resurrectionem phantasticum fuisse suspicātur, id est, ventis & aere subtilius. In quo isti murmuratoribus illis dissimiles sunt, qui detrahentes terræ quam inspexerant, dicebant: Terra ista quam lustrauimus, deuorat habitatores suos? Deuorat quippe habitatores suos illa, quam speramus vita, si nos aliter non admittit, nisi vera in resurgentibus intereat corporum natura. Argumentantur enim & dicunt: Quomodo corpus dominicū post resurrectionem verum fuit, quod clausis ad discipulos introiuit ianuis? Videbor in ventum verba iactare, si contra hos inimicos fidei Christianæ, multa velim responsionis argumentosæ spicula vibrare. Illæ nanq; vulpeculæ iam dudum tonitru cœli, id est, clamore fulminantis Ecclesiæ conterritæ vbicunque sint latitant in caueis subterraneis, nec prodire audent, vt vineas florentes fructumq; parturientes, suo more putido dente demoliantur. Sed ecce dum hæc scribimus, iucundo per quendam fratrem nostrum gratia resurgentis nobis arridet miraculo. Testor illā beatam ac delicioſam noctem, in qua Christus ab inferis victor ascendit, me nihil super hoc mentiri, nisi ille tam sacrilegus sit, vt de huiusmodi re quippiam fingere ausus fuerit, quod vita eius vel propositum omnino prohibet vel suspicari. Fratris tamē eius-

1. Cor. 5.
2. Iohan. 1.

Iohan. 20.

Num. 13.
Iohan. 20.

Cantic. 1.

dem nomen tacebitur, quoniam & hoc obnixè precatur. Nam factum quidem lucere coram hominibus cupit, vt glorificetur pater qui est in cœlis: se autem videri nō vult, nec suis reputare meritis miraculū, cuius sola Dei gratia, quo iudicio nescimus, operatrix est, multi enim venient in illa die dicentes: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et respōdebit eis: Amen dico vobis, nescio vos vnde sitis. Res huiusmodi est: Hoc sancto Paschæ sabbato, quo cereo (de cuius quoq; præconijs superius aliqua diximus) annus ab incarnatione domini millesimus cētesimus vndecimus inscriptus est, in Ecclesia sancti Laurentij ad præcedētes eiusdem diei matutinos, extinctis de more cunctis luminaribus, dum eorum vltimum extingueretur, & ad canticum Euangelij hæc antiphona à domino abbate Berengero imponeretur, Mulieres sedentes ad monumentum, ecce repente ante pedes illius proiectum cecidit ipsius, quo firmiter substrictus erat, cingulum. Ille solutū esse & cecidisse suspicatus, quod tamen mirū fuisset, quia non delapsum fuerat, neque circum crura pedesq; descēderat, sed ante pedes quasi proiectum (vt dictum est) exiliuerat, inclinauit se, vt tollens illud rursum sese accingeret. Cumq; manus iniecisset vt illud sibimet circundaret, nodum, vt erat fortiter astrictus, non cedere sibi, vltrà quā dici potest admiratus est. Intendenti & secum cum stupore magno reputāti, quidnam hoc sibi vellet, ecce vox facta est & sibi illū tanquam aurę tenuis audiuit, dicentem sibi:

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.

Siquidem hæc (vt ipse referens testatus est) admiratio mētem eius perspę subibat, quomodo verum domini corpus, vnde ipse nullatenus dubitabat, clauso resurgere monumento, clausis potuit ianuis ingredi ad discipulos. Mox ergo illi ad memoriam simile illud redijt, quod Augustinus refert in lib. de ciuitate Dei, factum per quandam Petroniā clarissimam fœminam, quæ mirabiliter ex magno atq; diutino, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, dolore sanata est. Hæc à quodam Iudæo dixit sibi fuisse persuasum, vt annulum capillatio vinculo insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inuentum bouis. Hoc alligato quasi remedio, ad sancti martyris Stephani limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, cùm in cōfinio fluminis Bagradę in sua possessione mansisset, surgens vt iter perageret, ante pedes suos illum iacētem annulum

vidit

vidit & capillariam zonam, qua fuerat alligatus, mirata tētauit. Quam cū omninò suis nodis firmissimus sicut erat, cōperisset astrictā, crepuisse atq; exiliuisse suspicata est. Qui etiā ipse cùm integerrimus fuisset inuētus, futurę salutis quodammodo pignus de tāto miraculo se accepisse præsumpsit, atque illud vinculū soluens, simul cum eodē anulo proiecit in flumen. Nō credant hoc, inquit idē Augustinus, qui etiā dominū Iesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos clausis ostijs fuisse ingressum non credunt.

Comparentur nunc duo hæc tam insignia diuinæ pietatis miracula, recēs hoc quòd hominem cingulum renum eius firmiter obstrictum, & indissolutum transijt & exiliuit: & illud antiquius, quòd zonæ insertus, nodo integro persistēte erupit anulus. Nescio quid mirer amplius, nisi quòd hic pariter, vt supradictum est, vox diuinitùs audita est,

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.

Hoc igitur vbi accepi, manè quippe, vbi primum loquendi copia fuit duobus tantum fratribus, quorū vnus extiti, attonitus adhuc frater ille rē gestā retulit, obnixè postulans, vt creditum nobis secretū nunquam cū suo nomine proderemus: vbi, inquā, hoc accepi, tanquam meis maximè oblatum à Deo visibus miraculum, lætus arripui. Siquidē eadē nocte & eandem paululum ante horam, qua illud accidit, supradictam similitudinem ruminare cœperam, scilicet quòd hi qui fidei resurrectionis detrahunt, & ideo non veram carnis naturam credunt resurrecturam, quia dominus clauso sepulchro surrexit, vel quia clausis ad discipulos ingressus est ianuis, similes sunt illis, qui terræ quam inspexerant, detraxerunt apud filios Israel dicētes: terra quā lustrauimus, deuorat habitatores suos.

1. Cor. 1.

Non igitur importunè longior nunc trahitur sermo de resurrectionis gloria, cui incœpto materiā adaugent cęlestia, q; sese vltro offerūt, miracula. Non poterat quidē, etiam si ista deessent, Christiana fides cōprehendere sapientes in astutia eorum: qui dum credere fugiunt, clausis ianuis verū potuisse corpus ingredi, quòd supra naturā est, illò declinant iudicium, vt dicant illud ventis & aere subtilius effectum, quòd cōtra naturam est. Non solum enim nihil sese adiuuant, sed & magis implicant, dum defendendo naturam ab eo quod suprà est, ad id deuoluūt, quod contra illam est. Vtrunque miraculum, sed hoc, vt dictum est supra naturam, illud quòd hæretici suspicati sunt, scilicet impalpabile de palpabili corpus factū esse, maius quidē, sed inutile & contra naturam miraculū est. Quid enim maluerit diuinitas, vtrum id quod cōtra naturam, an id quod supra naturā est, in Psalmo euidenter ostendit, dicens: Posuisti super me manū tuam. At nunc ponendo exempla supradicta, quòd verū corpus hominis, verū cinguli sui corpus, id est, zonam ceruinam nodo firmiter obstrictā excesit, olimque nodum irresolutū anulus exiliuit, proponit diuinitas: Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro. Assumit ratio: Sed illa supra naturam facta sunt. Concludit fides supra naturam: Ergo verū Christi corpus clauso prodire sepulchro, clausis potuit ianuis introire ad discipulos. Et hoc verè Deū decuit, videlicet sua taliter vti potentia, vt quā ædificauerat naturam, nō destrueret, sed eandem permanētem, imò perfectam, quò vellet & vnde, traduceret vel educeret, quod q non concedit, superest vt multo minus illud cōcedat, quòd corruptibiles ac mortales adhuc Apostoli sic educti sint, quomodo in Actibus Apostolorū scriptū est: Carcere quidē adhuc clausum inuenimus cū omni diligentia, & custodes stātes ante ianuas: aperiētes autem carcerem, neminem intus inuenimus. Superest, vt istos quoq;, qui necdū resurrexerāt, in ventos & aere subtilē, quo per patētes rimas efflari possent, euanuisse asserat, siquidē sacram recepturi sunt scripturā. Quam qui non recipiunt, nec audiendi, sed vt infideles omninò vitādi sunt. Nobis credentibus illud pro argumento sufficit, quia de nihilo Deus cūcta creauit, & cuncta quasi nihilum & inane reputata sunt ei ad agendū quicquid voluerit, ad traducendum quippiā quocunq; voluerit. Mirūq; hoc potius esset, si ita non posset, quum nemo ferè tam imperitus artifex sit, vt quod composuit penetrare ipse vel aperire non possit. At ille quum voluit, aperta est terra & deglutiuit Dathan, statimq; ora concludens operuit super congregationē Abiron, qui principes seditionis extiterunt, promissionibus Dei detrahētes, & cum subsannatione dicentes: Reuera induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis. Quorum exemplum cauere dubuerāt hi, qui resurrectionis fidei (vt supradictū est) detrahere ausi sunt, quomodo & ipsi ex illis sunt, quibus iuraui (inquit dominus) in ira mea, si introibunt in requiem meam. Nullus eorum introibit in hæreditatem credentibus promissam. Iurauit enim illis in ira sua, lacessitus eorum nequitia.

Num. 16.

Psal. 94.

Cur hæc Paschalis sacra solennitas octauas habeat, cùm ipsa sit octaua, id est, octauā mundi ætatem respiciat, quæ est vniuersalis resurrectio.

Caput V.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IAm de reliquis Paschalis hebdomadæ officijs locuturus, opportunũ esse arbitror, de ipsis Paschæ octauis communiter aliqua præloqui. Quæri etenim potest, cur, cũ hæc sacra solennitas octauã illã significet, vt supe rius dictũ est, quæ septem labentibus huius mũdi ætatibus, æterna stabilisq; succedet, ipsa quoq; octauas habeat. Nam de cæteris solennitatibus illud ferè omnibus notum est, quòd idcirco octauas habeant, quia principi um iam illis adesse, finemq;, id est, consummationẽ fœlicitatis in resurrectiõe futuram esse pariter considerãtes, iure in octauam vsque celebritatis perducimus lætitiã. Hæc autem solennitas, quia resurrectionis est, ipsam totam respicit octauam, & celebritas eius vltra dies octo, id est, vsq; Pentecosten protẽditur. Cur ergo & ipsa octauas habeat, meritò quæritur. Sciendum itaque est, quia resurrectio nostra, quam exspectãtes iam nunc huius solennitatis occursũ prẽoccupando celebramus, vera & perfecta erit circuncisio, *Gene.17.* significata per illã, quẽ in veteri lege carnali Israel mandata est, octaui diei circuncisionem. Huius autẽ verę circuncisionis, octo (vt ait Hieronymus) beatitudines sunt, & considera, inquiens, quia verę circuncisionis octaua beatitudo martyrio terminetur. Beati qui *Matth.5.* persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorũ est regnũ cœlorũ. Verã ergo circuncisionem resurrectiõis rectè solẽnib. octo dierum celebramus officijs, quã dominus ipse, vt magnificã esse ostenderet, tanquã plenum & solidũ corpus, longo, lato atq; alto permensus est octonario beatitudinũ numero cõmendãs, qui eiusmodi est apud geometras, vt plenũ & solidũ corpus primus perficiat. Nostris enim numeris illi vti familiare est, imò suis, cui veracitur dictum est: Omnia in numero & mẽsura & põdere posuisti.

Veruntamen quoniam nõ adeo geometricas traditiones, sed potius ęterni musici Dei cantiones in scriptura sacra cognoscere operæprecium est, qui & citharam se habere in- *Sapient.11.* dicat, cui dicit in Psalmo: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, cantilenã eiusdem citharæ, imò citharam ipsam, in his octo beatitudinum sententijs tanquam octo chordis, quæ integram reddunt diapason, consideremus. Et hoc placeat vel maximè musicis, quia cùm (sicut tradunt musicæ artis scriptores) citharas antiquitus octo per dia- *Psal. 56.* pason chordis fieri mos fuerit, musicus cœlestis Deus, hanc illis in cithara sua, id est, in ea quã assumpsit humanitate, de carnis nostræ sylua similitudinem repræsentat, dum æternæ lætitiæ cantilenam per integram diapason, id est, per octo beatitudinum chordas modulans, scitos pueros ad saltãdum, id est, dociles discipulos ad bene operandum exci- *Matth. 11.* tat. Illud quippè fidei nostræ notissimũ est, quia citharæ huic de septem vocum discrimi nibus nihil deest. Quid enim sunt septẽ spiritus Dei, quibus dominicus homo, requietio nis locus vnicus est, nisi septẽ vocum spiritualium discriminia, quibus omnis eisdẽ domini nostri cõtexitur doctrina? Illud quoq; prætereundum non est, quòd sicut vocum non nisi septẽ sunt discriminia, & idcirco in diapason octaua semper eadẽ est, quæ & prima, sic secundũ Spirituſsancti septẽ munera dum nobis cithara hæc, octo chordis, id est octo beatitudinibus cœlestẽ diapason personat, octaua beatitudo eadem est, quę & prima, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Quod nè nullius autoris patrocinio fultũ, fortè vlli cõtemptibile videatur, beati Augustini non longè dissimilẽ super eisdẽ Dei spiritibus, eisdẽque beatitudinibus sententiam habemus. Ille nanq, septẽ gradus, quibus ad diuinam contemplationem possit ascendi, in lib. de doctrina Christiana distinguens, septẽ spiritibus Dei, septem supra dictas beatitudines hoc modo coaptat, octauam nunc interim omittens, quoniam ipsa eadẽ est quæ prima. De spiritu timoris domini, timor (inquit) iste cogitationẽ de nostra mortalitate, & futura morte necesse est incutiat, & quasi clauatis carbonibus omnes superbię motus ligno crucis affigens, pauperes spiritu, id est, humiles efficiat. De spiritu autem pietatis, deinde (inquit) opus est mitescere pietate, neq; contradicere diuinæ scripturæ siue intellectæ, cum vitia nostra percutit, siue non intellectę, quasi nos aliquid meli⁹ possimus sapere. De spiritu verò scientiæ, tuncille timor, inquit, quo cogitat de iudicio Dei, & illa pietas qua nõ potest nisi credere sanctorum librorum autoritati, cogit eum seipsum lugere. Nam ista scientia bonæ spei hominẽ, non iactantẽ, sed lamentãtem facit. De spiritu fortitudinis, hoc, inquit, affectu impetrat sedulis precibus consolationem diuini adiutorij, ne desperatione frãgatur, & esse incipit in quarto gradu, hoc est, fortitudinis, quo esuritur & sititur iustitia, & ab omni mortifera iucunditate rerum transeuntium fortiter sese auertens animus, extrahit. De spiritu consilij, vbi (inquit) aspexit quãtum potest, in longinqua radiantẽ incommutabilem trinitatem, eandemq; vnitatem, suiq; aspectus infirmitate sustinere se illam lucem nõ posse persenserit, in quinto gradu, hoc est, in consilio misericordiæ purgat animam tumultuantem,

antem, seque in dilectione proximi gn auiter exercẽs, in ea perficitur. De spiritu intellect⁹, cũ (inquit) hoc modo peruenerit ad inimici dilectionẽ, ascendit in sextum gradũ, vbi iam *1.Cor.13.* ipsum purgat oculum, quo videri Deus potest, quantum potest ab his, qui huic seculo moriuntur, videlicet per speculum & in ænigmate. De spiritu sapientiæ, ita, inquit, purgans oculũ cordis, talis filius ascendit ad sapi *Psal. 110.* entiam, quæ septima est, qua pacatus tranquillusque perfruitur. Initium sapientiæ timor domini. Ab illo enim vsque ad ipsam per hos gradus tenditur & venitur.

Sed nos iam ad rationes officiorum consideration em vertamus, & cùm tanti doctoris autoritate eadem officia, quæ octo beatitudines mystice prædicant, à gradibus vel ordine donorum Spiritus sancti non dissonare firmemus. Adeo nanque in his paschalibus præsentis hebdomadæ officijs, illa octo beatitudinum consonantia obseruata est, vt sensibus vel ordini sententiarum, quibus illas dominus beatitudines contexuit, sensus & ordo officiorum, si diligenter examinetur, consonare probetur. Hoc autem superius in officio primo diei nõ dictum, sed vsque adhuc opportunè reseruatũ est, videlicet quia longa interiectio nouarum consuetudinum, de quibus dicendum videbatur, lectoris memoriam fatigare vel etiam fraudare poterat. Nunc ergo vbi rationes officiorum paschalium continuandæ sunt, competentius dicetur quod illic est tacitum.

Iterum de officio primi diei dominicæ resurrectionis, quòd & cætera huius hebdomadæ officia secundum octo beatitudinum, & secundum penè totidẽ donorum Spiritus sancti, ordinata sunt ascensiones. Beati pauperes spiritu.

Cap VI.

OFficium primi dei dominicæ resurrectionis superius dictum est, ad vniuersalis spectare diem nostræ resurrectionis, idque planis & sponte occurrentibus compro- *Psal.75.* batum est argumentis, maximè offerenda manifestè cõcurrente ratione: Terra tremuit & quieuit, dum resurgeret in iudicio Deus. Hoc proculdubio Christianæ fidei militiam *Psa.138.40.* ingressos, pauperes spiritu (id est, humiles) *1.Cor.5.* exigit fieri, cõsiderantes quia timor magnus *Exod.12.* & tremor erit, quando dicet patri rex & iudex omnium, Resurrexi & adhuc tecũ sum, in suggillationem inimicorum suorum, qui dixerũt: Quoniam morietur, & peribit nomen eius? eò quòd nesciat quisque nostrum, quis ad dexterã, quis tũc statuendus sit ad sinistram. Quamuis epulemur in azymis, & immolatus Christus pascha nostrũ sit, quãuis carnes agni precioſę sint, lactucę agrestes, cum quibus comedimus, valde amaræ sunt, & carnes propter quos baculos tenentes in *Eccle.40.* manibus, & festinãtes comedimus, tota no- *Esai.11.* cte formidandi sunt. Atq; hic est spiritus timoris domini, qui in fundo cordis, vt fundamentum ponitur, quo cætera quæ superædificanda sunt, firmiter portẽtur. Hæc illa paupertas, id est, regina humilitas, quę totiⁿ secuturæ beatitudinis cumulum, ne superbię vẽto exuffletur, præposita seruat. Hic est septem graduum primus, per quos iuxta Ezechielem ad portã orientalem ascenditur. Et ne quem moueat, quòd aliter à doctoribus quàm à Propheta gradus isti ordinentur, Spiritus namq, timoris, quẽ primum ponimus, ab Esaia ponitur vltimus, Gregorij sentẽtia ponenda est: Propheta, inquit, quia de cœlestibus ad ima loquebatur, cœpit magis à sapientia, & descendit ad timorem. Sed nos quia de terrenis ad cœlestia tendimus, eosdẽ gradus ascendendo numeremus, vt à timore ad sapientiam peruenire valeamus. Sed vt ad superiora reuertamur, quid aliud in eodẽ officio per hoc significatur, quod sedit iuuenis *Marc.16.* in dextris coopertus stola cãdida, nisi quòd *Psal.44.* beati pauperes spiritu, à timore domini ascẽdentes, regnum cœlorum obtinebunt, & ex ipsis collecta assistet regina à dextris eius in vestitu deaurato.

Quòd præter superius memoratas causas, statio ad sanctam Mariam etiam secundum hæc conueniat, ex abundanti est per conquisita probare argumenta. Omnes enim illam humilium nouimus esse reginam, cuius ani- *Luc.1.* ma dominum magnificans, cuius spiritus in *1.Reg.2.* Deo salutari suo exultãs, causam reddit: quia respexit, inquiens, humilitatem ancillæ suæ, quia disperſit superbos mẽte cordis sui, quia deposuit potentes & exaltauit humiles. Vere atq; fideliter. Nam posuit super eos orbem. Vbi enim habemus in cantico Annæ, Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem, in Hebræo ita habemus: Domini enim sunt afflicti terræ. Afflictos terræ, Hebræi (inquit Hieronymus) pauperes spiritu & humiles corde intelligunt, super quos dominum orbem posuisse dicunt, quia terra *Ephes.2.* in meritis eorum stare autumant. Nos autẽ *Dan.2.* super fundamẽtum humiliũ Apostolorũ & prophetarum, orbem, id est, ecclesiam nouimus esse positam, & scimus quia lapis ille, qui factus mõs magnus, hunc implet orbẽ, & sustinet, & de vẽtre humilitatis Mariæ (de qua loquimur) assumptus est. Et nunc quidẽ officiũ primi diei recapitulauimus, ob cõtinuãdas (vt dictũ est) octo beatitudines, deinceps,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt earum mystica series euidentius pateat, dabimus operam, singula iuxta propositum, percurrendo officia.

De officio secundæ feriæ, Beati mites.

Caput VII.

IAm sæpe dictum est, Euangelium cuiusq; officij caput esse, cæterasque partes illi, vt membra capiti, concordi sensu cohærere. *Luc.24.* Est autem diei præsentis hoc Euangelium, quòd duo ex discipulis domini Iesu, euntes in castellũ nomine Emaus, ostẽsum sibi dñm in via, sed in alia effigie, tãdem cognouerunt in fractione panis, & cum ipse euanuisset ex oculis eorum, illi ad inuicem dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Primum ergo videndum de cæteris partibus officij, quomodo huic Euangelio consonent, & maxime de introitu, Introduxit vos dominus in terram fluentem lac & mel, &c. & tunc palã erit, quod beatitudinum secundum totum officium consonet sententiæ, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Et quidem difficile hoc esset, nisi cõpunctionem lachrymosam, qua isti cor suum arsisse dixerunt, doctores nominati ante nos terram aquis irriguam appellauissent. Et recte, quia cõpunctione lachrymas excitante, fidelis anima tãquam bono terræ suæ frumento refecta, dicit: *Psal.41.* Fuerunt mihi lachrymę meæ panes die ac nocte. Huic animæ beatus Gregorius Axam filiam Caleph eleganter assimilat, quæ sedens asino, cum suspirasset, dixitq; ei pater suus, Quid habes? *Iosue.25.* Ecce, inquit, terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Deditq; ei pater suus irriguũ superius, & irriguum inferius. Omnis enim, inquit, fidelis anima sedẽs animo, id est, carnis suę motibus præsidens, prius timore cõpungitur, q̃ est irriguum inferius: post amorẽ, quod est irriguum superius, & quæ prius flebat, ne duceretur ad supplicia, postmodũ amarissime *Luc.24.* flere incipit, qua differtur à regno. Et cõpetenter similitudo hæc sese obtulit, quæ cũ in singulis electorum perficiatur inuisibiliter, in his duob. de quibus loquimur, visibiliter quoq; peracta est. Cùm eũ ambulãtes secum tristes colloquerentur de his quę acciderãt, quid aliud quã anima eorũ velut Axa sedẽs asino suspirabat? Et cum Iesus accedẽs & iungẽs se in via, Qui sunt hi sermones, inqt, quos cõfertis ad inuicẽ ambulantes & estis tristes, quo dissimile est ei quod Caleph suspirãti dixit filiæ, Quid habes? Nam & ipsum nomẽ Ca *Psal.44.* leph, domino Christo cõgruit. Interpretatur eũ, quasi cor. Verbũ aũt Dei Christus Deus, de corde patris eructatum est, & paterno cor di, quo eructatum est, per omnia simile est. Sed & hoc quasi cor idẽ erat dominus, quod discipulorũ cordi sic se conformauit, vt quia apud semetipsos intus amabãt & dubitabant, eis foris dominus & præsens adesset, & quis esset non responderet. Cum autẽ corda eorũ tanta charitate ditauit, vt magnitudine diuitiarum eiusdem charitatis attoniti dicerent, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dũ loqueretur nobis in via, quis non attendat illum animabus eorum dedisse irriguum superius, scilicet vt superni amoris profundo vulnere cõpungerentur. Itaque dubium nil remanet, quin in Euangelio tali hic introitus consonet, Introduxit nos dominus in terrã fluentem lac & mel, atque ideo cõstans & probatum est secundę huius feriæ officio secundam beatitudinis prædicari sententiam, Beati mites quoniã ipsi possidebunt terram. *Num.14.* Mites autẽ spiritus pietatis efficit, quòd & ipsa res indicat, & Augustini sentẽtia superius dicta cõfirmat. Itaque tã secunda beatitudinis sententia, quam secundus donorum Spiritus sancti gradus præsentis officij causa materialis habetur. Lectio quoque Actuum Apostolorum quæ præmittitur per os Petri Apostoli, ex eo maxime loco huic Euangelio secundũ suæ præcursionis officiũ succinit, vbi ait: *Actor.10.* Huic oẽs prophetæ testimonium perhibent remissionẽ peccatorũ accipere per nomen eius omnes qui credunt in eũ. Cum enim dominus supra dictos increpasset discipulos, q̃ tardi essent ad credendũ, Et incipiẽs, inquit *Luc.24.* Euangelista à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturas quæ de ipso erant. Similiter offerenda. Angelus domini descẽdit de cœlo dictis Euãgelicis cõsonat, vbi referentes discipuli domino, quẽ peregrinũ esse arbitrantur, inter cætera dicunt: Sed & mulieres quædã de nostris terruerunt nos, quæ diluculò fuerant ad monumentũ & nõ inuẽto corpore eius, venerũt dicentes, se etiã visionẽ vidisse angelorũ, qui dicunt eũ viuere. Alleluia. Nõne cor nostrũ, futurum nobis illud inclamat, quod omnes, quorum cor non ardens est de Iesu in via, dũ loquitur nobis per scripturas, cum illũ cognouerimus in fractione panis, de quo dictũ est, Beatus qui mãducabit panẽ in regno Dei, tunc æterna exclamatione nos inuicẽ cõmemorabimus desideriũ, quo nũc ardemus, nostramq; satietatem, quæ tunc plena sine fastidio erit, admirabimur, re ipsa tãdem experti, *Luc.24.* quod nunc suspirantes credimus.

Cur statio ad sanctum Petrum.

Secundum ea quæ dicta sunt valde congruit & hoc quod præsenti officio præscripta est

officio præscripta est, statio ad sanctum Petrum. Cui enim pater omnium Deus largiori gratia dedit irriguum superius & irriguum inferius, reuocemus ad memoriam quę circa illum acta sunt, & esse manifestius apparebit. Mox vt trina negatione cecidit, conuersus (inquit Euangelista) dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi domini quod dixerat ei, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras fleuit a- *Luc.22.* marè. Tunc verè beatus inter omnes mites cœpit possidere terram vero timore cõpunctus, quod est accepisse irriguum inferius. *Luc.24.* Quando autem resurrexit dominus, & (sicut in Euangelio legimus, & in cõmunione hac die cantamus) surrexit dominus & apparuit Petro, quid putamus, quantos intro currenti ad se misericordiæ, respondit gemitus, vero amore compunctus, quod est accepisse irriguum superius? Quia ergo & hic cunctis mitibus positus est in exemplum, & beata Dei genitrix omnium regina est humilium, recte hodierna statione ad S. Petrum, beatos eius exemplo prædicamus mites, quia possidebunt terram. Sicut hesterna statione ad S. Mariam, beatos eius exemplo prædicauimus pauperes spiritu, id est, humiles, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

De Officio tertiæ feriæ, Beati qui lugent.

Cap. VIII.

QValiter tertię ferię officium tertię consonet supradictarum sententiæ beatitu- *Matth.5.* dinum, non citius approbaretur, nisi supra scriptis suffragantis scripturę patrocinijs sermo fulciretur. Nam constat quidem quòd nulla contrarietas, sed nec vlla sit in sensibus diuersitas, sed in verbis manifesta dissonantia est. Videlicet in illa sententia tertiæ beatitudinis, lugentes beatificamur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. In huius autẽ officij introitu, aqua sapientiæ beati viri potati referuntur. In offerẽda, Intonante de cœlo domino & altissimo dante vocem suã, fontes aquarum apparuisse memorantur. In communione quoque qui cum Christo resurrexerunt, quæ sursum sunt sapere iubentur. Ita totum pene officium diuinam nobis *Psal.17.* commendat scientiam, nusquam beatorum *Coloss.3.* luctum proprijs vocibus denuncians. Hic igitur necessario beati Augustini, quæ superius inter cætera est, patronam tenemus sententiam. Tunc ille timor (inquit) & illa pietas, quæ non potest nisi autoritati sanctorum librorum cedere, cogit eum seipsum lugere. Nam ista sententia bonæ spei hominem, non se iactantem, sed lamentantem facit. Itaque nos ad tertium illum gradum, consideratio- nem conferamus, & hoc officium quo scientia Dei sub nomine aquarum prædicatur, à beatitudine lugentium, non discrepare probemus.

Primo sciendum est, luctum hunc de quo *2.Cor.11.* dictum est: Beati qui lugent, non esse mortu- *Luc.24.* orum communi lege naturæ, sed peccatis & vitijs mortuorum. Sic Paulus Apostolus flere se ac lugere dicit eos, qui post fornicationem & immunditiam non egerunt pœnitentiam. Lugendi enim sunt, quia nõ luxerũt. Hic autem luctus in hodierno commendatur Euangelio, dicente domino ad discipulos quibus apparuerat: Quia sic oportuit pati Christum & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Pœnitere enim, pro peccatis lugere est. Sed nec ipsam, quæ luctum hunc efficit, causam hæc eadem Euangelij lectio penitus omittit. Cùm enim dixisset dominus discipulis suis: Quoniam necesse est impleri omnia quę scripta sunt in lege Moysi & prophetis & in psalmis de me, tunc (inquit Euangelista) aperuit illis sensum vt intelligerẽt scripturas. Ipsum igitur effectum, id est, pœnitentię luctum, causamque efficientem, id est, scientiam cæteræ partes prædicant officij. Scripturarum quippe intelligentia, lamentorum siue luctus causa est effectiua: quia sicut nemo fere adeo crudelis & stultus viator est, vt cũ forte per medium occisorum graditur, non saltem aliquã tulum represso risu & cachinno, subsistat cõpunctus: sic nemo est qui non aliquanto dolore mordeatur, cum rite intellectis versatus in scripturis, prophetas occisos, dominũque prophetarum crucifixum, omnesq; præcones veritatis ab eo missos, tribulationẽ passos attendit, qui omne præsentis vitæ gaudiũ vanitatẽ & deceptionẽ esse, flendo & moriendo testati sunt. Intantum autem prædicãdæ scientiæ Dei, compositio studet huius officij, vt cum versus omnes gradualis per totã hanc hebdomadam, de vno eodemq; psalmo cẽtesimo decimo septimo sumpti sint: hodiernũ versum, Dicant nunc qui redempti sunt à domino, de alio, id est, centesimo sexto psalmo sumi placuerit, quia videlicet totus psalmus ille, exhortatio est ad omnes fideles, laudare dominum, quod per scientiam sui de quadruplici tentatione nos liberauit, scilicet quia eripuit eos de necessitatibus eorum, id est, de periculo infidelitatis, quia liberauit eos de necessitatibus eorum, id est, à debilitate paruæ consuetudinis, quia liberauit eos à tædio bonæ actionis, quia eduxit eos ab hæreticorum impugnationibus & versutijs, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

prius enarrabãt in solitudine inaquosa,id est, in siccitate doctrinæ,sacrarũ penuria scripturarum. Antequàm,sicut in introitu cãtamus, aqua sapientię potaret eos,antequàm sicut in offerenda canimus, intonante de cœlo domino apparuerunt fontes aquarum,id est,Apostoli,per quos altissimus dedit vocẽ suam,id est,illam,de qua nunc loquimur,notam fecit viarum suarum scientiam. Plane igitur tertię feriæ officium, tertiam beatitudinis cõmendat sententiam,prædicando eam,quę non iactantes,sed lamentantes faciat scientiam.

Psal.106. Eccle.35.

Psal. 17.

Cur statio ad sanctum Paulum.

Statio ad sanctum Paulum conuenienter huic officio præscripta est, iuxta omnia quæ supra dicta sunt, vel rationabiliter dici possunt. Huic enim singulari gratia dominus aperuit sensum vt intelligeret scripturas,quod paulo ante de cæteris Apostolis dictum est. Vnde & ipse ait, Euangelium meum, quod Euangelizatum est,non est à me, neq; enim ego ab homine accepi illud, neque didici,sed per reuelationem Iesu Christi. Itemq; quod in eodem Euangelio dictum est,& prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, maxime per hunc adimpletum est,per quem omnes gentes cognouerunt gratiã Dei,& per eum aqua sapientiæ gentes potatæ sunt,& maxime per eum luctuosa dei scientia,dictis & scriptis apposita est, quod vberius in Epistolis ad Corinthios inueniri potest. Dicit enim his inter quos fornicatio audita fuerat: Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis,&c. Itẽ, Contristati(inquit) estis ad pœnitentiã,contristati estis secundum Deum & reliqua. Et intantum ab eis quibus prędicauerat,luctum exigebat, vt ipsi non lugerent, humilitatem se à Deo ipse deplangeret, & non lugentes lugeret,sicut ad eosdem Corinthios,Ne cùm venero, inquit,iterum humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam & fornicationem & impudicitiam quam gesserunt Hinc & beatus Iob, cum de scientia quam habuerat priusquam sibi dominus de turbine loqueretur, dixisset, Audito auris audiui te, & de augmento eiusdem scientiæ, quòd accepit ex collocutione Dei, subiunxisset, Nunc autem oculus meus videt te, statim multiplicem scientiam causam esse ostendens effectiuam luctusque & pœnitentiæ,idcirco(inquit)ipse me reprehendo,& ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Remoueamus igitur nostram à paschalibus gaudijs ineptam lætitiam, neque carnes agni comedamus absque lactucis agrestibus,quia beati qui lugent,quoniam ipsi consolabuntur.

Galat.1.

Luc.24.

1.Cor.5.

1.Cor.7.

2.Cor.12.

Iob. 42.

Exod. 12.

Matth. 5.

De officio quartæ feriæ, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.

Caput IX.

Officium quartæ feriæ, qualiter quartæ beatitudinum sententiæ consonet, approbare operosum non est. Verum illud potius quęrendum esset,qualiter quarta hæc beatitudo,qua dictum est,Beati qui esuriunt & sitiũt iustitiam,quarto gradui gratiarum Spiritus sancti, id est, fortitudini congruat, nisi ex supradictis Augustini verbis cõstaret,fortitudinis esse cousq; ab omni mortifera iucũditate rerum trãseuntium animum euellere, vt vacet illi iustitiam esurire ac sitire. Hoc autem quod præmissum est, scilicet præsens officium,quartæ beatitudinis esse præconiũ, pspicue patet quia per conuiuiũ illud, quod secundum hodiernum Euangelium, dominus noster post resurrectionem cum septem discipulis celebrauit, illa saturitas (vt beatus Gregorius exponit) significata est, quæ hic esurientibus & sitientibus iustitiam in illo æterno cõuiuio reposita est. Restat igitur hoc solũ, vt præeunte mystico sensu Euangelij, videamus qualiter illud cæteræ consequantur partes officij.

Veridica doctorum expositione traditum nobis est,hoc quod dominus noster post resurrectionem suam,discipulis in mari laborantibus,stetit in littore, illud innuere,quòd ipse resurgens ex mortuis,iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, ac si rebus ipsis loquatur in ęternitatis soliditate stabilitus: Iam vobis in mari non appareo,quia vobiscum in perturbationũ fluctibus non sum. Quod mane facto stans in littore, discipulis nescientib.quia dominus est, Mittite,inquit, in dexteram nauigij rete & inuenietis, illud significat,quòd manè,id est,in die iudicij,trãsacta præsentis nocte seculi, oẽs electos suos vniuersali resurrectione ad dexteram suam congregabit. Magni etenim pisces & numerati omnes centum quinquaginta tres omnes electos significãt, qui meritis magni, & sanctæ trinitatis fide perfecti, tunc ad littus maris,id est, in finem seculi,sunt colligendi. Ibi septem discipulos ad cõuiuium inuitat,quia perfecta Ecclesia,iamq;tota septiformi spiritu constructa,tunc receptis corporibus ad æternas cum illo discumbent epulas. Quid ergo sibi vult hoc quod cãtamus in introitu, dictum de die iudicij Venite benedicti patris mei,percipite regnũ,nisi quia significatur hoc ipsum in euãgelio prędicto per illud,quòd exeuntib discipulis ad littus,tantumq;

Iohan.21.

Rom.6.

Matth.25.

tumq; numerũ magnorum piscium trahentib. ait dominus, Venite,prãdete. Regnum enim illud vnum æternũ prãdium est,vna & perpetua cœna est. Illic inueniẽtur oẽs electi,quos hic appellat benedictos patris sui,quiq; per illos pisces magnos & numeratos signati sunt. Illic inquã, in littore illo, id est,in seculi fine, prunas inuenient & piscẽ superpositum,piscẽ (inquã)assum,id est,Christũ Deum & hominem passum, tunc in ignem nõ palsionis, sed amoris propositum,de quo amore loquitur Esaias. Dicit dñs,cuius ignis est in Sion,& caminus eius in Hierusalẽ,quia videlicet ignis amoris,qui in Sion,id est,in prẽsenti Ecclesia nunc est aliquãtulus, tũc in Hierusalẽ, id est, in illa visione pacis æterna perpetuus, & inextinguibilis erit caminus. Inuenient & panẽ positum,id est, verã vitæ æternæ alimoniam Deum, qui angelorum cibus est, quos pascit immortaliter. Epistola de actib. Apostolorũ sumpta, de B. Petri Apostoli prædicatione, more suo,cum testimonio secuturi prẽcurrit Euangelij, illum maximè locum cõtingens, quo dicitur: Ascendit autẽ Simon Petrus,& traxit retein terrã, plenum magnis piscibus. Iam enim credo,inquit Gregorius,quod vestra charitas aduertit, quid est quòd Petrus rete ad terram trahit. Ipsi enim sancta Ecclesia commissa est,ipsi specialiter dicitur: Pasce oues meas. Hoc agit verbis, hoc agit epistolis, hoc(vt ad inceptum redeam)illo sermone secundo egit,de quo prędicta lectio actione Apostolorum sumpta est,quo millia quinq; virorum retibus fidei conclusa sunt. Versus gradualis, Dextera domini fecit virtutẽ,pulchre ad hoc concinit,quod ait: Mittite in dexterã nauigij rete,& inuenietis. Altius quoq; intuentib. liquet,quia congrua vox est ipsius dominici hominis in littore stantis, vt supradictum est,& omnes mortalitatis nostræ fluctuationes egressi per potentiam resurrectionis.Dextera,inquit,domini fecit virtutem, id est,potentia verbi mihi vniti fecit me vincere mortẽ.dextera domini exaltauit me, id est,laudabilẽ fecit me. Iterumq; repetens Dextera,inquit,domini fecit virtutẽ, vt ostẽdat eiusdem resurrectionis qualitatẽ, scilicet æternam, sicut sequitur in eodem Psalmo:Nõ moriar, sed viuã.Iuxta quem sensum cantamus cum Apostolo in Alleluia,in cõmunione: Christus resurgẽs ex mortuis. Offeréda, Portas cœli aperuit dominus,&c. Tertio no bis inculcat, & replicat, quid ille panis significet,quẽ piscatores nostri, cum copiosa multitudine magnorũ piscium ad terrã egressi, cum asso pisce inuenerunt,& ad prandiũ vocati sunt. Scilicet ille idem panis,in illa est no bis patria repositus,quem nunc in via gustamus, vt videamus quoniam suauis est dominus quem in sacramento altaris sumimus. Aperuit enim dominus portas cœli,& hunc panem pluit nobis,portas(inquam)cœli,id est, prophetas qui prædixerunt, angelos qui annunciauerunt,Mariam quę concepit, & peperit, Apostolos & doctores alios,qui prædicãdo Dei verbum immiserunt in ora animarũ nostrarum egentium,& suam inopiam anhelantium,vt gustaremus & agnosceremus, & ad patriam, vbi panis huius plenitudo est,tendentes in via non deficeremus.

Esai.33.

Apoca. 21.

Iohan. 7.

Actor.3.

Psal.117.

Rom.6.

Psal.77.

Cur statio ad S. Laurentium. Cap. X.

Beatus Laurentius vnus & bene notus de magnis illis piscibus,piscis magnus,idẽq; assus, cuius assatura suauiter in tota Christi fragrat Ecclesia,in illa lõga morte in illis tormentis,quia bene manducauerat & bene biberat,inquit Augustinus, tanquã illa esca saginatus,& illo calice ebrius,tormenta nõ sentit. Ibi enim erat qui dixit:Spiritus est qui viuificat. Caro enim ardebat, sed spiritus animam vegetabat. Non cessit,& in regnum suc cessit. Idcirco de cunctis eisdem piscib. quos Simon Petrus ad terram trahit, cõuenienter hic vnus electus est, cuius magnitudinem hodierna statio spectandã nobis demonstraret. In hoc enim Christianę fidei fortissimo propugnatore maxime claret illud,quòd superius cum scripturę autoritate mõstratum est, quartam beatitudinem, quod est esurire & sitire iustitiam, quarto gradui cõgruere donorum Spiritus sancti, id est,spiritui fortitudinis, quia martyr insignis esuriens in fortitudine, & fortis in esurie, adeo primo gustu panis illius saginatus est, vt tormenta non sitiret, quia & (sicut ait Augustinus)præeuntem Sixtum Episcopum sequi sitiens, accepit oraculum, vicit diabolum, peruenit ad triumphum.

Iohan.6.

De officio quintæ feriæ, Beati misericordes.

Cap. XI.

Qualiter officium quintæ feriæ, quintæ beatitudinum congruat sententiæ, qua dictum est, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, promptum erit agnoscere, proposito prius mystico sensu lectionis Euangelicæ. Maria Magdalenæ, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, quæque amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis, Ecclesiæ de gentibus typum gessit: quæ agnita veritate turbas errorum, quibus prostituta fuerat, deserens, ad fontem gratiæ lauanda cucurrit, & vox veritatis impletur, dicentis: Dimissa sunt ei peccata multa, Iudaico inuidente populo

Matth.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulo, cuius in typū Pharisæus illæ misericordiæ fontem reprehendebat, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis esset quę tetigit eum, quia peccatrix est. Hęc eadē mulier, sicut in hodierno legimus Euangelio, stabat ad monumentum foris plorans: & post allocutionem angelorum conuersa retrorsum, videt Iesum: & ipsa prius ab illo vocata nomine suo, vocat eum & ipsa magistrū, *Iohan.20.* &c. In his quoq; typum gerit eiusdem Ecclesiæ. Sic enim Ecclesia de gentibus foris stabat, quia legis & prophetarum scientiam nō introierat, & tamen dominum quærebat, sicut ille beatissimus centurio Cornelius, vel sicut ille Aethiops eunuch⁹ qui venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur legens Esaiam prophetā, cuius aditum ad intelligen- *Actor.8.10.* dum inuenire non poterat. Sic & multi gentilium Deum quærentes foris stabant, quia per quem ad veritatis notitiam ingrederentur, non inueniebant, futurum erat, sed non ante dñi ascensionē, vt illis veritas illucesceret, & fidē suā Apostolis indicarent, cōfitentes Christum ascendisse ad deum patrem suum, id est, æqualē illum esse Deo patri secundum diuinitatem, quo minor est secundum humanitatem. Propter quod Mariæ volenti pedes eius tenere, Noli, inquit, me tangere. nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade aūt ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad patrem meum &c. Ac si Ecclesię de gentibus quęrenti eū, sicut supra dictū est, & sicut ante passionē eius legimus gentiles quęsisse eum, dicentes Philippo: Domine, volumus Iesum *Iohan.12.* videre, dicat ipse: Nolite nūc me tenere, sed postquam ascendero ad patrem, ipsam ascensionem meam credere vos, Apostolis meis ostendite, qui fratres mei sunt, id est, per me idē quod ego vobis conferre poterunt. Itaque diei præsentis Euangelium beatitudini illi consonat, Beati misericordes, quoniam *Osea 12.* ipsi misericordiam consequentur. Nam in Osea de eadē Ecclesia dominus dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non *Actor.10.* misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et recte quinta hæc beatitudo, imo beatitudinis causa, quod est misericordem esse secundum Augustinum, sicut supra dictum est, quinto sursum gradui confertur donorum Spiritus sancti, id est, Spiritui consilij: quia sicut consilium regit animum, sic supradictam mulierē misericordia & compassio, qua compungebatur, plorans ad monumentum, iuuit, vt prima videret dominum, sic & Cornelium opera misericordiæ, id est, eleemosynæ quas faciebat, vt indice angelo peruenire ad dominum, imo sic omniū quę-

rentium Deum, misericordiæ consilium purgat oculum. Sed iam officij membra cætera, capiti suo, scilicet sensui coaptemus Euangelico. Primum pene idem in eunucho miramur apparere mysterium, de quo narrat prę currens lectio Actuum Apostolorum. Nam quod in Euangelio significatur per peccatricem, in Epistola narratur cœptū agi per Ae- *Actor.8.* thiopem. Vterque enim iustificandę peccata significabat Ecclesiæ. Illa peccatricis nomine, ista Aethiopica nigredine. Ibi peccatrix *Psalm. 67.* dominū quęrens, ipsos Apostolos superabat amore, hic Aethiopia præueniebat domino Deo manus dare. Illa quasi mortuum dominum plorabat, hic in Esaia prophetiam passionis domini compatiendo legebat. Illi tenebræ erant ad monumentum, huic deerat lucerna scientiæ ad intelligendum. Illa videns dominum non agnoscebat, hic de illo legens comparationem ouis & agni, de quo diceretur, nesciebat. Ad summam, illius aperti sunt oculi & os, vt diceret Rabboni. Huic vt magisterio veritatis cōsentiens, prædicante Philippo, diceret, Quis me prohibet baptizari? Iste est mutus per Mariam significatus & in eunucho tāquam in primitijs assumptus est, iste (inquam) est mutus gentilium populus, & isti sunt infantes scilicet idololatrę, Deum loqui nescientes, de quibus in introitu cantamus: Victricem manum tuam domine laudauerunt pariter, quia sapientia aperuit os muti, & linguas infantiū fecit disertas. Quā ob causam laudauerūt? Videlicet, quia sicut in eodem libro Sapientiæ pręmissum est, inimicos eorū operuit mare, scilicet baptismi, & ab altitudine inferorum educti sunt, quia per baptismum resurrectione prima, quæ est animæ, resurrexerunt. Hæc ita esse, manife- *Sapien.10.* stius ex subsequente collecta comprobatur: Deus, qui diuersitatem gentium in cōfessione tui nominis adiuuasti, da vt renatis fonte baptismatis, vna fit fides mentium & pietas actionum. Versus quoq; gradualis in eo congruit quòd ait, Dominus Deus & illuxit nobis. quia Mariæ quęrenti viuentem cum mortuis, tenebræ erant ad monumentū, per quas significabatur ignorantia Dei, in cordib. gentium, quæ & manifestius expressa est per gēti lem atq; Aethiopem eunuchum. Nec aliud *Psal. 117.* alleluia melius secundum hunc congruit sensum, quàm, Surrexit Christus & illuxit populo suo. Dies ille solennitatis nostræ, de quo in offerenda canimus, In die solennitatis vestræ dicit dominus, &c. dies magnus, dies prę clarus, Christus est dies de die, lumen de lumine, in quo exiuimus de terra Aegypti, id est, de tenebris, quas illæ tenebræ significauerunt,

uerunt, quæ erāt Marię ad monumentum, siue supradicti Aethiopica nigredo eunuchi. Dies, inquā, cuius in lumine gradiēdo, tendimus ad terrā, quę vere lacte & melle fluit, qa præsens illic est Deus & homo Christus, sem per ex diuinitate & humanitate suauis angelis, *1. Pet. 2.* & hominibus dulcis, semper pręsens, semper desiderabilis. Hic nobis ex tūc illuxit, ex quo nobis ad patrem ascendit, id est, ex quo illum agnouimus & credidimus æqualem patri. Eius ergo virtutes recte in communione annunciare iubemur, nos populus acquisitionis, quia secundum ea quæ dicta sunt, de malis & profundis tenebris vocauit nos in admirabile lumen suum.

Cur statio ad sanctos Apostolos.

Caput XII.

Iob. 40. *Iohan.20.* STatio ad sanctos Apostolos perspicuè supradicto congruit mysterio. per Apostolorum enim factum est ministerium, quòd os muti apertum est, quòd linguæ infantium disertę sunt, quod Aethiops horridus agnelli candido vellere vestitus est, quòd peccatrix quælibet anima foramē crucis inuenit in maxilla Leuiathan, per quod effugiens, crucifixam non iā in monumento, sed in cœlo quęrēns inueniat misericordiā. Propter quod eosdem Apostolos, in Euangelio supradicto vocat dominus fratres suos, quia studijs illorum actum est, vt eo nihil minus habeat gentium Ecclesia, quòd eam dominus suo corporali non illustrauit præsentia.

Sed & Philippus, qui supra dictum fidei *Esai.62.* candore vestiuit Aethiopen, nomine suo cūctos mysticè signat Apostolos. Philippus em interpretatur os lampadis. Lampas autem, id est, lux, mundi saluator est, sicut Esaias dicit de illo: Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt *Hiere. 15.* lampas accendatur. Cuius os, Apostoli vel quiq; prædicatores sancti recte dicūtur, quia verum à falso separant, sicut alibi dicitur: Si separaueris pretiosum à vili, os meum eris. Philippus ergo cunctos (vt dictum est) suo nomine signat Apostolos, qui vsq; hodie scriptis suis Aethiopissas candidare nō desinunt animas: insuper & redarguūt synagogā murmurantem contra dominum, propter gentium Ecclesiam, sicut quondam Maria murmurauit contra Moysen, propter vxorem e- *Num.12.* ius Aethiopissam.

De officio sextæ feriæ, Beati mundi corde.

Caput XIII.

OFficium sextæ feriæ patenter respōdet beatitudinum sextę sententiæ, Beati *Matth. 5.* mundo corde, quoniam ipsi Deum videbūt. Agit enim de ſcelicitate transmigrantium *Rom.7.* scilicet omniū qui de vetustate carnis ad nouitatem Spiritus transmigrantes, mundato cordis oculo per longum desiderium gloriā summę trinitatis tandem visuri sunt. Eorum nanque in typum patres nostri Apostoli euocati, abierunt in Galilæam, in montem vbi constituit illis Iesus, sicut hodiernum refert Euangelium, & videntes eum adorauerunt, simulq; mandatum acceperunt, qualiter omnia vasa quæ sorti armato fortior ipse superueniens abstulerat, emundarent, dicente domino: Euntes docete omnes gentes, baptizā- *Matth.28.* tes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Illud nemo qui dubitet, quod cum dixe- *Luc.11.* rit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, per munditiam cordis obtineri in- *Matth. 28.* tellectum, ac per hoc supradictum Augusti. ni in hoc quoq; constare sententiam, sextam beatitudinis sententiam, sexto gradui donorum Spiritus sancti sursum versus congruere, id est, munditiam cordis intellectui nunquam deesse. Igitur de cæteris partibus officij supereſt vt suo capiti, scilicet Euangelico conferantur sensui.

Primum in præcedente lectione Epistolę beatus Petrus, cum pręmisisset dicens: In diebus Noe, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, *1. Pet.3.* id est, octo animæ saluæ factę sunt per aquā, statim subiecit: Quòd & vos nunc similis formę saluos facit baptisma, non carnis dispositio sordium, sed cōscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Nō quæsitu opus est, in quo lectio hæc supradicto Euangelio cōsonet, quo primum salutaris baptismi regula tradita est. Notum quippe est, & in doctorū scriptis autenticis vsitatum similis formæ, vt ait in hac Epistola Petrus Apostolus, esse baptisma, & in eius typū præcessisse hoc quod paucæ, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquā in arca in diebus Noe. Christum nanque præfigurauit Noe, tam actu quàm nomine, videlicet quia Noe interpretatur requies, quod nomen illi à patre Lamech impositū est, dicēte: Iste consolabitur nos: vel, vt in Septuaginta habetur, requiescere nos faciet ab operibus & laboribus manuū nostrarū in terra cui maledixit Deus. Chs etenim nostra requies est, *Gene. 5.* sicut ipse dixit: Discite à me, quia mitis sum *Matth.11.* & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Cū ergo Noe gubernauit arcā super vndas diluuij, quibus & peccatores deleti sunt, & hi qui cum illo erāt, salui facti sunt per fidem, quia credentes iustitiæ Dei sese ab *Marc.16.* incredulis diuiserunt: Christum actu quoq; præfigurauit, vt dictum est, qui nunc gubernat Ecclesiam super vndas baptismi, quibus

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui non credunt condẽnantur: qui verò credunt & baptizantur, cum ipso saluantur: & illis affert Spiritus sanctus pacem, id est, peccatorum remissionem, cuius figuram tunc gessit columba ferens ad arcam in ore suo viren- *Gene. 6.*
tis oliuæ ramum. Ipse autem octonarius numerus animarũ, quæ in arca saluæ factę sunt, quia à primo pari, id est, binario, proficiscens solidum corpus creat, scilicet habens longitudinem, latitudinem, atq; altitudinẽ. Nam bis bina bis, octo sunt, quòd apud geometras & arithmeticos quoque visitatum est. Ipse, inquã, octonarius numerus animarum, perfectionẽ designat corporis Ecclesiæ, quod prę- *Gene. 6.*
eunte mundo infidelium per aquę iudicium, quo nunc fideles ab infidelibus separantur, fide sua se saluat, & in ligno crucis supernatat. Et pulchrè arca illa feneſtram habuit in latere, per quam saluandi illi ingrederentur: quia Christus lacea militis in latere est vulneratus, per cuius vulneris sacramentum cũcti credentes Ecclesiam ingrediuntur. Et quoniam Ecclesia de hominibus constat, pulchrè arca illa, quę Ecclesiam figurabat, quandam humani corporis similitudinem in ipsa forma sua prætendebat. Siquidem humanũ corpus sic est, vt longitudinis suę sextam partem habeat in latitudine, decimamque eiusdem longitudinis in altitudine. Sic arcam constructam fuisse non dubium est. Tercentorum erat cubitorum in longitudine, quinquaginta in latitudine, triginta cubitorum in altitudine.

Igitur per omnia, lectione Epistolæ, Euãgelio consonante, cætera promptum est offi- *Psal.77.*
cij membra coaptare. Introitus: Eduxit eos dominus in spe, & inimicos eorum operuit mare. Itemque offerenda: Erit vobis hic dies memorialis, cum versibus suis, notis & propinquis sensibus, tam Euangelio quàm Epistolæ fœderantur. Mittunt enim nos ad hi- *1. Cor. 10.*
storiam patrum celeberrimã, qui in typum baptismi nostri, omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari.

Nam sicut illos in spe eduxit dominus, scilicet sperantes liberari, quanuis Pharao cum suis persequeretur, & inimicos eorum visibiles operuit mare: sic omnes in Christum credentes, quamlibet maxima peccata se fecisse recordentur, cum certa spe remissionis ad illum egrediuntur, & omnia peccata eorum in mari, id est, in baptismi fluctibus operiuntur. Et propterea dies hic, scilicet Christus, cuius in lumine à tenebris exiuimus, memorialis esse iubetur, Christus inquam, qui dies noster, id est, pascha nostrũ est, festus nobis atq; solennis, semper celebrandus, atq; in mente habendus est, qui tacẽtibus nobis solus pugnauit pro nobis, quia solus moriens pro cunctis, mare illud, quo inimici, id est, peccata nostra operiuntur, de latere suo lanceatus effudit. Versus gradualis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput *Psal. 117. Hebr. 2.*
anguli, illi sententiæ concorditer occurrit, qua dominus noster gloriam & honorem, quo propter passionem mortis coronatus est, exprimit, dicens in eodem Euãgelio: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. *Matth. vlt.*
Et rectè in suggillationem eorum, qui lapidem talem reprobauerunt, supra dictæ sententiæ Euangelij, Propheticum hoc iungitur testimonium. Et hoc est illud quòd cum despiceretur coram Pontificibus, patienter ferens: Veruntamen dico vobis, inquit, amodo videbitis filium hominis sedentem à dex- *Marc. 14.*
tris virtutis Dei.

Cur statio ad sanctam Mariam.

Caput XIIII.

QVod superius iam dictum est cum non improbanda Hieronymi sententia, discipulos vndecim abeuntes in Galilæam in montem, sicut hodierna Euangelij lectio refert, in Nazareth, quæ in monte sita est, & in *Matth. vlt.*
domo Mariæ dominum vidisse. Illud quoq; nõnihil affirmat, quod statio ad sanctã Mariam hodierno officio præscripta est. In hoc enim idem sensisse Romana probatur diligentia. Et pulchrè hoc officium quod secundum lectionem Euangelij totum, vt supradictum est, ad sacramentum pertinet baptismi, apud ipsam decantari Apostolica statione præscriptum est, apud quam intus erãt discipuli, & Thomas cum eis, vt Hieronymo placet, quoniam secundum hodiernam Euangelij lectionem vnica baptizandi regula tradita est,

De Officio sabbati: Beati pacifici.

Caput XV.

SEptima beatitudinum sententia est: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacifici verò hi sunt, qui pace inter se deumque accepta, nihil iam, quod Deo repugnet, admittentes, simul & hoc satagunt, vt in via vitæ presentis ad omnem hominem cum pace ambulent, iuxta Apostolum qui ait: Si *Rom. 12.*
fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Huius rei nobis exemplum, in summo negocio præsentis sabbati prædicat officium. Quod vt manifestius fiat, mysticum imprimis hodierni Euangelij ponamus intellectum: Currebant, inquit Euangelista, duo simul, videlicet Si- *Iohan. 20.*
mon Petrus & ille alius discipulus, quem diligebat Iesus, &c. Nota doctorum expositio est

est per Iohannem, qui prior ad monumentũ venit, sed nõ introiuit, synagogã significari, quæ habens legem & prophetas, prior dominicam passionem legit, sed credere in mortuum noluit. Per Petrum verò qui posterior venit, sed prior introiuit, multitudinem gentium designari, quæ posterior ad ciusdẽ dominicæ passionis notitiam peruenit, sed prior ad fidẽ accessit. Verùm ad præsens pertinet negociũ, quærere propter prædictã beatitudinis sententiã, qui ad Ecclesiam spectet, in eo quòd pacifica est. Quòd per præcurrentem Epistolæ lectionem fidelis indagatio citius consequi potest. Nam cùm præmisisset *1. Pet. 2.*
Apostolus Petrus de lapide Christo dicens, ad quem accedentem lapidem viuum, ab hominibus quidẽ reprobatum, à Deo autẽ electum & honorificatũ, paulo post subiungit: Vobis igitur honor credentibus, nõ credenti bus aũt lapis, quẽ reprobauerunt ædificãtes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offenduntur verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Huiusmodi offensio vel scandalũ manifestè paci oppositа sunt, per quę Iudæi rebellionis & incredulitatis arguuntur, eò quòd odio gentium concurrentium, quę per Petrum, vt dictum est, designantur, adeo torquẽtur, vt (sicut per Iohannẽ figuratur) Maluit foris stãdo perire, quàm cum societate gẽtium ad fidem passionis Christi introire. His ergo iræ & rixæ filijs exhæredatis, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, sicut in eadẽ Epistolæ lectione Petrus adiungens: Vos autẽ, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, popul⁹ acquisitionis, &c. Talisq; pacis filius quia nullius hominis ad Deum tendentis societate offenditur, ascendit, in qt Augustinus, ad sapientiam, quæ septima est in ascẽsu graduum, id est, donorũ sancti Spiritus, & ipsa sapientia tranquillus pacatusq; perfruitur. Dictũ est enim suprà secũdũ eundem Augustinũ, septem beatitudines (octaua enim eadem quæ prima est) septem gradibus donorum Spiritus sancti sursum versus coaptari, quorũ primum siue infimum est spiritus timoris domini, supremum autem, spiritus sapientiæ, ad quã ascendunt, vt nunc dictum est, beati pacifici filij Dei. Secundum ea quæ dicta sunt, cõsonanter prẽmittitur ad *Psal. 104.*
introitum. Eduxit dominus populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia: Per hoc enim mittitur ad aliam similitudinẽ antiquam, qua idem præfiguratum est, q⁹ nunc in Euangelio per Petrum & Iohannẽ significari accipimus, scilicet ad historiam patrũ, qua referũtur hi, qui primùm promissiones acceperunt, reprobati esse propter incredulitatem, de quibus illud in Psalmo: Quadraginta annis offensus fui generationi illi ac dixi: *Psal. 94.*
Semper hi errant corde, ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiẽ meã. Filij autem qui post ipsos surrexerũt, in illã introducti repromissionis terram, eundem populum gentium significaue runt, qui nunc per Petrum posterius venien tem, sed prius introeuntem in monumentũ, designatus est, de illis quippe, qui reprobatis patribus introierunt illam repromissionem, dictum est in Psalmo centesimo quarto: Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia. Eduxit scilicet de deserto. Nam de eo quòd de Aegypto educti sunt, suprà dixerat: Et eduxit eos cũ argento *Psal. 104.*
& auro, & non erat in tribubus eorum infirmus. Sed & hoc quod sequitur, ita esse innuit: Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt. Supradictus ergo introitus gratiarum actio est, quòd retardãte populo Iudaico, iuxta mysticum Euangelij sensum, gentes admissæ sunt, secundum illud Apostoli: Quia cæcitas contingit in Isra- *Rom. 11.*
el, donec plenitudo gentium subintraret. Graduale verò iam ex hac die in alleluia cõuersum est, imò post hanc diem vsq; ad Pen- *Psal. 112.*
tecosten omittitur, videlicet quia hi, propter quorum acquisitionem nouamq; conscriptionem, hoc laboriosum carmen cãtabatur depositis albis, iam ab hac die pares nobis, in illius octauæ, de qua sæpè dictum est, cõtemplatione, nobiscum feriantur. Quòd autem sequitur alleluia, laudate pueri dominum, duplici versũ, adhortatio est ad ipsos, qui recenti baptismate pueri, id est, puri facti sunt à vitijs, vt laudent dominum voce & o- *Iohan. 20.*
pere, quia sicut in Petro figuratum est, qui prior introiens in monumentum, vidit linteamina posita, & sudarium capitis domini: sic ipsi ad fidem ingressi, qui erãt absq; Deo, notitiã acceperunt humanitatis ac diuinita- *Ephe. 2.*
tis Christi. Totus enim Psalmus ad electionem gentium dirigitur, quòd maximè ex eo comprobatur, quòd in fine eius dicitur: Qui *Psalm. 117.*
habitare facit sterilem in domo, &c. Offeren da quoque, benedictus qui venit in nomine domini, patenter eisdem pueris DEI congruit: Hunc etenim versiculum Psalmi centesimi septimidecimi cantauerunt & illi *Matth. 21.*
pueri, qui venienti ad passionem Saluatori occurrerunt, in manibus portantes ramos palmarum. Addit quoque mater Ecclesia dicens pueris suis: Benediximus vos de domo domini, id est baptismate sacro signamus vos, qui sumus familia domini, quia Deus dominus illuxit nobis, sicut

alius

Universidad de Deusto
Biblioteca

alius propheta dicit: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucē magnam, gentium, inquam, quarum, vt dictum est, in Euangelio p̄senti Petrus gestat figuram. Duo quoque sequentes versus ad idem spectant. Primus iam hæc dies quam fecit dominus, ad gaudium gentium, quarum in typum Petrus introiuit in monumentum, secundus, lapidem quem reprobauerunt ædificātes, ad suggillationem Iudæorum, quibus Christus lapis offensionis & petra scādali est, quos designans Iohannes, cùm prior venisset, quasi offensus substitit, & à posteriore Petro p̄uētus est. Cōmunio, omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis, manifestè consonat supradictæ beatitudinis sententiæ: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: Præmiserat enim Apostolus Paulus loquens ad Galatas, quos conturbabant quidam ex Iudæis, quibus erat Christus lapis offensionis & petra scandali. Omnes, inquit, filij Dei estis per fidem in Christo Iesu, & mox causam hanc subdidit: Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quod omninò ad baptizatos respicit, vt non quærant circuncisionem carnis, sed solam seruent, quam acceperunt veram circuncisionem spiritus, nec magis scandalo Iudæorum permoueantur, quàm substitit Petrus, pro eo quod Iohannes ante se vel pariter in monumentum non ingrederetur.

Esa. 9.

1. Pet. 2.

Galat. 3.

Galat. 3.

Cur statio ad sanctum Iohannem ad Lateranas. Cap. XVI.

NOn solùm hoc sabbato, quò deponuntur albæ, sed & octaua superius die, id est, sabbato sanctæ paschæ, maternum Lateranensis Ecclesiæ priuilegium exigit, vt nusquam Apostolicus aliàs procedat, sed in eadē Ecclesia quæ sedes est Apostolica, cœptas nihilominus sacri baptisterij cōcludat octauas. Est autem in honore sancti Saluatoris sanctique Iohannis Baptistæ ab imperatore Constantino constructa dicente. Sit omnibus notum, nos ita Christi cultores effectos, vt intra palatium nostrum templum eius nomini construamus, in quo populus Christianus vna nobiscum conueniens, diuinitati illic gratias referat. Nomen ipsum, quòd dicitur ad Lateranas, antiqua probra spurci Neronis accusat, qui dedecorosè potionibus vsus maleficis, illis, vt fertur, latens, ranas euomuit. Sed vbi abundauit iniquitas, superabundante gratia, nunc illic Romani imperij mater est Ecclesia quæ illos, quos sabbato sancto genuit, & Christi candore vestiuit filios, nihilominus hac die octaua, spirituali circuncidit petra, quam petram scandali Iudæis, nobis autem credentibus petram honoris & caput anguli in hodierna Epistola, de qua supradictum est, Petrus appellat.

Galat. 3.

Rom. 5.

Circuncisio verò spiritualis, & vera ipsa est, de qua in eadem Epistolæ lectione præmiserat. Fratres, deponētes omnem malitiā, & omnē dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiles, & sine dolo, lac cōcupiscite, &c. Vera, inquam, & verè sancta, solaq; necessaria est circuncisio hęc, qua nostri corporis sensus omnes, & ipsum principale nostrum, id est, mens, circunciditur. Nam sine hac circūcisione Christus in nobis moritur, id est, Christi fides, nec prodest nobis illud, quod in communione gratulabundus nobis loquitur Paulus. Omnes, inquit, qui in Christo baptizati estis, christum induistis, sicut & Iacobus Apostolus ait: Fides sine operibus mortua est.

1. Petri 3.

Galat. 3.

Iacob. 2.

Quod bene per illud veteris historiæ factum prefiguratum est. Cùm esset Moyses in itinere in diuersorio, occurrit ei dominus, & volebat occidere eum. Tulit ilico Sephora acutissimam petram, & circūcidit p̄putiū filij sui, tetigitq; pedes eius, & ait: Spōsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, postquā dixit ei, sponsus sanguinum tu mihi es ob circuncisionem. Moyses nanq;, in eo quod Sephoram vxorem habuit alienigenam, Christum significat, qui de gentibus alienigenam accepit vxorem, ecclesiam. Vnde illud, quod Aaron & Maria locuti sunt cōtra Moysen propter vxorē eius Aethiopissam: doctores nostri mysticè ad hoc referunt, quòd synagoga & vetus sacerdotiū, inuidendo saluti gentiū, vsq; hodie Christū blasphemat. Moyses itaque cùm esset in itinere in diuersorio, nondum circuncisis filijs, occurrit ei dñs, & volebat eū occidere: quia dum Christus inter nos per fidem in itinere vitæ præsentis ambulās, in diuersorio est, id est, ad eos qui nunc baptizantur, diuertit: nisi illi filij eius sic circuncidātur, vt supra dictum est, fides ipsius in eis citius moritura est.

Exod. 4.

Num. 13.

Quod ne fiat, tollit citò Sephora, id est, mater ecclesia, petram acutissimam: & circuncidit filiorum suorum præputium, scilicet ea circuncisione, de qua supradictum est in lectione epistolæ. Petra illa quæ idem Christus est, de qua in eadem lectione dictum est, carnem, id est, opera carnis, solicitè ac festinanter abscidit: Tangitque pedes eius, id est, vestigia sequitur, dicitq; eisdē filijs suis, Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sponsus, inquit, sanguinū tu mihi es, videlicet, quia me tibi

1. Pet. 2.

tibi despondens, sanguinem tuum in dotem fudisti, & cùm causæ articulus exigit, vt pro te patiar, sanguinis mei vicē reposcis: & nunc interim carnem meā crucifigam cum vitijs & cōcupiscentijs. Igitur (vt supra dictū est) rectè hac octaua die agitur statio ad sanctū Iohannem Lateranensem, quia mater & apostolica sedes illa ecclesia est, & quos Christo filios genuit, ipsa spirituali circuncisione circuncidit.

Galat. 5.

De octaua die: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Cap. XVII.

OCtaua beatitudo redit ad caput, id est eadem est, quæ prima, quoniam ipsorū est regnum cœlorum. Veruntamen & paulum differt, in eo scilicet: quod p̄cedēs causa beatitudinis alia hic, alia est illic. Illic enim, id est, in prima dictum est: Beati pauperes spiritu: hic, id est, in octaua dicitur: Beati q̄ persecutionem patiuntur propter iustitiam. Vnde Hieronymus: Et considera, inquit, quòd octaua verę circuncisionis beatitudo martyrio terminetur. Igitur licet octaua die cantetur idipsum officium, quod & prima, eo quod octaua beatitudo ad caput, vt dictū est, redeat: rectè tamen quoniam & præcedentes causæ beatitudinum, primæ & octauæ differunt, aliud in eodē officio ab his qui diligentiores sunt, retinetur hebdomadæ sequentis euāgelium, scilicet illud secundum Iohannē, Cum esset serò die illa, &c. Nā & litera lectionis huius octauam diem cōmemorat, & post dies octo iterum, inquit, erāt discipuli intus, et interior sensus octauā beatitudinis causam non prætergreditur. Quid enim est, q̄ discipulis, foribus clausis, intro manentibus, dominus in medio stetit bonum ferēs nuncium consolationis & pacis, nisi quod his qui persecutionē propter iustitiā, quosq; iuxta alium Euangelistam oderunt homines & separant eos, sicut iam apostoli separati erant, non audentes corā illis procedere ad publicum, dominus & Deus ipsorum familiaris sese accommodat contemplādum, vt gustent iam in suis tribulationibus, vt videant, quomodo suauis est dominus, atq; ideo certior spes illos in medio tribulationis ambulantes consoletur, recolētes id, quod illa, de qua loquimur, sententia replicando inculcare nititur, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniā ipsorum est regnū cœlorum. Debet autem semper epistola Euangelio suæ præcursionis officium, & iccirco illa quoq;, quæ huius dominicæ est lectio Epistolæ nō omittitur. Omne quod natū est ex deo vincit mūdum. Nā in hac lectione victoriosa fides nostra prædicatur, & ipsa victoria mundi nūcupatur, quæ tribus adiuta testibus, nam pater & verbum & Spiritus sanctus in cęlo attestantur, totidemque in terra testes, id est, idē ipse spiritus, & aqua baptismi, Christiq; & martyrum eius sanguis veritati eius astipulātur, ternis, inquam, in cœlo & in terra defensa testib. regnum cœlorum adiudicat his, quorum iure belli est, scilicet his, qui persecutionem patiuntur propter iustitiā. Introitus vero: Quasi modo geniti infantes, per sequentes hebdomadæ dies decantandus est, qui etiam Euangelio prædicto congruit, sed non per eādem sententiam, quæ iam dicta est, scilicet quod propter metum Iudęorum discipuli domini clausis foribus, intus erant, persecutionē propter iustitiā pati incipientes, quę, vt diximus, octauæ beatitudinis causa est. Respicit autē ad aliam sententiam, quā dominus de futuris fidelibus proferens, Beati, inquit, qui non viderunt & crediderunt. Nam ne solam nobis fidem sufficere arbitremur, oportunè regula viuendi, sine qua fides mortua est, hoc introitu prælibata est. Nam nos quidem signati sumus in eo quod ait: Beati qui viderunt & crediderunt, sed si fidem nostrā operibus sequamur, ille etenim verè credit qui seruat operando, quod credit. Quocirca de his, qui fidē nomine tenus retinent, Paulus dicit: Confitētur se nosse Deum, factis aūt negant. Hinc & Iacobus dicit: Fides sine operibus mortua est. Rectè ergo qualis vita fidem vtilem efficiat, per hāc Apostolici sermonis particulam in introitu demonstratur, ne seducamus nos audientes de nobis dictum: Beati qui non viderunt & crediderunt. Ad hoc idē consonat & similiter accipienda est extrema præūtis epistolæ sententia: Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. Cōmunio, mitte manum tuā, plana quidē litera nostrā ædificat, sed intus perspicientib. liquet, quod ad Iudaicum spectat populum, qui hactenus in incredulitate perstitit, cuius in typū Thomas Apostolus, diu dubitans, tandē vidit, palpauit & credidit. Neq; enim si solam sequamur literā, sensus per omnia stare poterit: quia beati quidē qui nō viderunt & crediderunt: sed non ea cōparatione vel intentione, quam litera sonat: Quia vidisti me, credidisti, beati qui nō viderunt, & crediderūt. Igitur in persona Thomæ, reliquiæ Israel, quę saluæ fient, minoris fidei, quàm gētes arguuntur: quia gentes nō viderunt & crediderunt. Israel aūt nisi res apparuerit, Helia & Enoch p̄ceūtibus, nō credet, cū Paulus dicat, fidē sperandarū substantiā esse rerum, argumentū non apparentium, atq; ideò laudabilioris sumus fidei, qui rem nondum apparentē fideliter credimus.

Zuc. 6.
Psal. 33.

Iohan. 20.

1. Iohan. 5.

1. Pet. 2.

Iohan. 20.

Timot. 1.

Iacob. 2.

1. Iohan. 5.

Heb. 11.

FINIS LIBRI OCTAVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER NONVS.

DE *Dominica secunda post Pascha.* *Caput. I.*

QVia dominica hac sanctę Romanæ Ecclesiæ solenne est, agendis instare cõsilijs, benè forma, quam sequi debeãt pastores animarũ, per eiusdem dominicę cõmendatur officiũ. Per euãgelium manifestissimè id agitur, quod is, qui non ex accidenti dono, substãtialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus, &c. Deinde ex oppositа descriptiõe mercenarij, sucque iterata commendatione bonitatis, liquidum præbet ouibus iudicium, quod discernant, quos fugere, quibus suarum debeant animarum curã credere. Boni formam pastoris cæterę collaudant partes officij. Primo ad introitum cantamus de illa: Misericordia domini plena est terra, videlicet vt sicut ille non solum iudicium diligit, sed & misericordiam: & primo loco misericordiam, secundo iudicium, sicut in eodem Psalmo, vno & eodem versiculo præmissum est: Diligit misericordiã & iudiciũ, sic & oẽs, qui iudices animarũ positi sunt, semper super exaltẽt misericordia iudicium, vt idem ipsi consequãtur. Quodq; sequitur: Verbo domini cœli firmati sunt, illud indicat, quod Apostoli vel pastores Apostolici, non sua fortitudine, sed verbi Dei virtute, tales effecti sunt, vt videntes lupum venientem nõ fugiant, neq; oues dimittant, vt mercenarij faciunt. Epistola voce nõ dubia, suæ præcursionis implet officium, vbi præmisso de hoc singulariter bono pastore, qui posuit animam suã pro ouibus suis, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius: subiungitur in fine: Eratis enim aliquando sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarũ. Offerenda verò nõ quidem adeò perspicuè, sed non minus consonè cum eodem incedit sensu Euangelij. Deus deus meus ad te luce vigilo: Psalmus nanq; ille sic intitulatur: Psalmus Dauid cùm esset in deserto Idumææ, id est, Psalmus iste attribuendus est Christo, secundum quod egit vel pertulit positus inter Iudæos: qui desertum ideò vocãtur, quia deserentes Deũ, & ipsi iuste à Deo deserti sunt. Idumęi quoq; dicũtur terreni vel sanguinei, quia prophetarum & ipsius domini sanguinẽ fuderunt. At verò hic pastor bonus illo deserto animam suam posuit pro ouibus suis. Rectè ergo, qui exẽplo eius idẽ facere debẽt, voce eius excitantur vt ad Deum de luce vigilẽt supra gregem suum: ad Deũ nõ ad mercedem temporalem, anima & carne quã multipliciter sitiant & in velamento alarum, id est, in spe cõsolationis eius exultantes, lupum nõ timeant, neq; dimissis ouibus fugiant.

Iohan. 10.

Psal. 30.

1. Pet. 2.

Psal. 62.

De Dominica tertia. Caput. II.

CAeteræ quæ sequuntur dominicæ vsq; ad ascensionem domini, promissionem eius adimpletã suis officijs cõcelebrant, qua post habitam de morte sua tristitiã, corda discipulorum de resurrectione sua lætificanda fore promiserat ea, qua tradebatur nocte loquens illis in cœna. Vnde pulchrè hac dominica cantamus in introitu: Iubilate deo omnis terra, Psalmũ dicite nomini eius. Nã huic Psalmo sensibus suis cõpetẽs titulus prescriptus est. In finem canticum Psalmi resurrectionis. Causa verò vel materia iubilationis, quę hic imperatur, illa est, quam dominus in Euangelio subsequẽti premisso tristitiæ nũcio subiungit: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Vt autem similitudo, quæ præmissa est Apostolis, mulieris, tristitiam habentis, cùm parturit, nobis quoque congruat, quia sic expedit: bene hoc idem Euãgeliũ, hęc Apostoli lectio præcurrit. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, &c. In hac enim abstinentia labor est, & sicut ait Psalmista, ibi dolores vt parturientis. Præmiserat siquidem: conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos, loquẽs de illis, qui iuxta Apostolum contristati sunt ad pœnitentiam. Sed sicut dolor parturientis fructuosus est, cum enim peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundũ: sic & illud quod detrectant de nobis tanquam de malefactoribus, sine consolatione nõ erit, cũ tandẽ cõsiderantes nos ex operibus bonis, glorificabunt Deũ die visitatiõis.

Iohan. 16.

Psal. 65.

Iohan. 16.

1. Pet. 2.

2. Cor. 7.

Quod benè per Thamar in historia veteri præfiguratum est. Quam cùm accusarent dicentes:

Gene. 38.

dicentes: Fornicata est Thamar, & videtur vterus eius intumescere: illa proferens annulum, armillamque & baculum, quem pro arrabone dederat Iudas: De viro, inquit, cuius hæc sunt, concepi. Iudas quippè (quod interpretatur confessio) Christum significat: Thamar (quod interpretatur amaritudo) Ecclesiam de gentibus, in qua est amaritudo pœnitentiæ, qua & Petrus egressus fleuit amarè. Thamar igitur operiens vultum suum, id est, Ecclesia de præteritis erubescens erroribus, fedit in itinere, quod ibat Iudas ad lauacrum ad tondendas oues, id est, occurrit Christo ad baptismum quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. Quæ cùm de Christo vero Deo fidem per spiritum sanctum conceperit, & eandem fidem tanquam annulum, & opere fidei tanquam armillam, iustificationemque spiritus tanquam virgam pro arrabone, id est, pro pignore, acceperit: accusatur tam à gentilibus quàm à Iudæis, quòd cum mendacio fornicata, & à spiritu erroris polluta sit. At illa patienter fallaces ferens accusationes, tandem obmutescere faciet imprudentium hominum ignorantiam, probans per prædicta pignora, quod de vero Deo conceperit, & cum eodem Deo glorificabitur in die visitationis.

Matth. 6.

Matth. 25.

Psal. 41.

Actor. 1.

Offerenda: Lauda anima mea dominum, ad prædictum in Euangelio pertinet huius mulieris de Christi resurrectione gaudium. Nam & hic Psalmus alleluia habet in titulo. Quodque versu canimus: Dominus erigit elisos, dominus soluit compeditos, congratulatio illorum est, quorum tristitia, iuxta promissum domini, resurgente illo, in gaudium conuersa est.

De Euangelio dominicæ quartæ, quo dictum est: Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos, &c. *Caput II.*

NOnnullis infirma videtur & insufficiens huius sententiæ vulgata expositio, videlicet, quòd iccirco Apostolis expedierit, vt dominus noster hinc abiret, quia nisi corporalem præsentiam suam illis abstulisset, ipsi spiritualiter illum amare nescirent, atque adeò dixerit: Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. Minus enim expositum videtur, quàm exposcit maiestas doni spiritus sancti, maxime quia dominus ipse eiusdem spiritus sancti aduentum baptismum vocat, dicens in Actis Apostolorum: Quia Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Baptizari autem spiritu sancto, nihil aliud est, quàm per Spiritum sanctum originalis peccati, & omnium actualium remissionem accipere peccatorum, totumque hominem veterem in vitæ transferri nouitatem. Quo sensu prædicta expositio proculdubio minor est. Non enim spiritualiter Deum amare, & Spiritu sancto baptizari, paria sunt. Alioquin veteres sancti, qui sine dubio Deum spiritualiter amauerunt, imò & magna eiusdem sancti Spiritus dona perceperunt, prophetantes & signa facientes, baptizati spiritu sancto fuissent, id est, remissionem peccatorum accepissent, neque apud inferos propter originale peccatum tenerentur vsque ad Christi aduentum. Sed & illud repugnat, quod Apostoli dominum præsentem spiritualiter, quamuis non adeò fortiter amauerunt: verbi gratia, Petrus, cui dictum est amorem tertio confitenti: Si diligis me, pasce oues meas. Nam hunc amorem ei non caro & sanguis reuelauit, sed pater qui in cœlis est. Non igitur proprietatem sensus in his domini dictis nos iuuenisse arbitramur, nisi vtramque eius sententiam exequemus, vt scilicet idem sit: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, ac si dixisset: si enim non abiero, vos non baptizabimini Spiritu sancto. Quod facile est consequi, si prius aduertamus quandò vel quomodò abierit. Multi enim illum tunc primum abijsse recolunt, quando videntibus Apostolis ascendit in cœlum. Sed quandò ascendit, Apostoli gauisi sunt, & sicut cantamus, lumine lęto petentem sydera prosecuti sunt, imò, vt ait Lucas, & ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. Dominus seabeunte tristandos illos fore prædixerat, tristitia, inquiens, implebit cor vestrum. Et paulò post: Amen amen, inquit, dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, &c. Igitur cum autoritate Euangelica non tunc primum illum abijsse constat, quando ascendit in cœlum, sed quando moriens reliquit mundum, & iuit ad patrem. Nam de morte eius loquebatur Iohannes Euangelista, cum diceret: Sciens quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, &c. Eadem quippè nocte tradendus, sermonem habuit cum discipulis suis, de quo hæc lectio sumpta est, & circa finem orationis: & iam, inquit, non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Propter quod passio eius pascha dicitur, id est, transitus. Itaque propter hunc eius abscessum datum esse paracletum, scilicet Spiritum sanctum, in eo quod paracletus est, hoc modo colligimus:

Luc. vlt. Iohan. 16.

Iohan. 13. Iohan. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus: Spiritus sanctus iccirco paracletus, id est, consolator, dicitur: quia captiuos filios Rom.5. Adæ, filios efficit Dei per regenerationem baptismi, & in hoc seculo peregrinantes consolatur, testimonium reddendo spiritui nostro quod sumus filij Dei, quãdo non solum Rom.8. in prophetiæ gratiam, sed in remissionem originalis peccati, omniumque actualium peccatorum, datur per fidem Iesu Christi. Hoc autem non fieret, nisi Christus vnus pro omnibus nobis, æterno patri, Adę debitum soluisset, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterfisset. Nec antea quisquam ea gratia Iohan.7. Spiritum sanctum acceperat, testante in Euangelio Iohanne accidente: Nondum enim Ephes.2. erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat Rom.6. glorificatus: Nec alio modo nisi per sanguinem Christi reconciliationem accepimus, in Iohan.16. cuius morte iuxta Apostolum baptizati sumus, & spiritum sanctum, qui vera peccatorum remissio est, accepimus.

Igitur quòd ait: Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, sic accipiendum est ac si dixisset: nisi ego ad mortẽ traditus fuero, necessaria non dabitur vobis paraclesis, id est, peccatorum remissio. Nam si de ascensione accipiatur, repugnat & illud quod antequam ascendisset, imò eadem die qua resurrexit, insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritũ Iohan.20. sanctum, videlicet in remissionem peccato- Iohan. 5. rum. Sequitur enim: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ad summum & hoc nemo qui dubitet, quia si mortis expers Christus, cœlos ascendisset, nobis paracletus iste non datus fuisset. Dixit enim: Nisi granum frumenti cadẽs in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, fructum multum affert. Itaq; & hoc, & quicquid in illa cœna de abscessu suo dixit, verius, rectius atq; constantius de morte quàm de as- Iohan.16. censione accipimus, & quod ait: Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis, nullo modo melius accipitur, quam vt dictum sit quod posterius dicit: Venit hora vt dispergamini & me solum relinquatis: eadem quæstione, qua per prophetam dixerat: Torcular calcaui solus, circunspexi, & non erat auxiliator.

Iohan.14. Itemque & quod ait: Rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis: æquabilius est de passione quam de paternæ dexteræ confessu accipi. Nam quòd in cruce rogauerit, quòd in morte clamauerit, Paulus Hebr. 5. asserit dicens de illo: qui in diebus carnis suę preces supplicationesque ad eum, qui illum Matth. 6. saluũ facere posit à morte, cum clamore va- Psal.2. lido ac multis lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Rom.8. Non enim, postquàm ascendit in cœlũ, clamat vt saluetur à morte: ergo nec rogat, vt paracletus nobis detur, sed dat, iam ex tunc vtens data sibi potestate in cœlo & in terra. Sed in cruce rogauit, vtpotè paulo minor ab angelis: ascendens autem in cœlum, ego mittam promissum patris mei in vos, ait.

Quòd verò Apostolus ait: Præsenti tempore interpellat pro nobis Iesus Christus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est à dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis, fortè repugnare videatur, & astruere, quod nunc quoque supradicto sensu roget pro nobis: Sed si modus interpellationis rite animaduertitur, potius astipulatione firma his, quæ prædicta sunt, suffragari comprobantur. Illa nanque interpellatio doctorum omnium vera assertione, non summissa est postulatio, sed eius passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu sanctæ trinitatis admissa sanguinis eius innocentis exclamatio, homicidas qui fuderunt, conuincens: nos autem qui bibimus in ministerio altaris, non indiga sed potenti interpellatione defendens. Alioquin quomodò & antequàm ascendisset ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & Hebr.10. in terra: sic & postquam ascendit vt posit interpellat, vel rogat dari nobis paracletum? Sed dicit quis: Rogat per humanitatem, qui dat per diuinitatem. Hoc plane verum est, quia tunc moriens paulo minus ab angelis imminutus, rogauit per humanitatem, nunc autem gloria & honore coronatus, & constitutus super omnia opera patris, dat per diuinitatem, omnem habens potestatem, vtpote à dexteris Dei sedens. Vnde sicut resurgens ex mortuis, iam non moritur, sic illum ad hoc, vt roget patrem iam, nemo inuocat catholicus.

Amplius autem ea quæ dicta sunt constare poterunt, si conferantur ipsius domini Heb.2. Rom.6. sententiæ, quæ nisi discernantur, videbuntur Iohan.14. sibimet contrarię, videlicet quòd ait, rogabo Iohan.16. patrem meum & alium paracletum dabit vobis, &c. & quòd posterius in eodem sermone dicit: Illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo patrẽ de vobis. Causamque reddens, ipse, inquit, pater amat vos. Statimque idipsum confirmat dicens:

Quia

Iohan.16. Quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. quid est enim rogabo, & non rogabo? Hoc nempè, quod in passione sua sacrificium futurus & rogaturus erat, vt Paracletum, id est, spiritum remissionis peccatorum acciperemus, & sic paries inimicitiarum, qui medius erat inter Deum & homines, in carne eius solueretur. Quo soluto, illo inquit, die, die pacis & consequentis gratiæ, non rogabo patrem de vobis. Quare? ipse enim pater amat vos, inquit, id est, semel enim moriens Deo recõciliaui vos in sanguine meo: & Ephes.2. sicut superius dixi, pacem reliqui vobis, pacem meam, id est, per me inter Deum, & vos reformatam dedi vobis. Et hoc per fidem & dilectionem vestram, quia vos me amastis, & Iohan.14. credidistis, quia à Deo exiui. Itaq; quod ait, rogabo patrem, & alium paracletũ dabit vobis, nullo modo melius accipitur, quàm quòd in cruce rogauerit, quod in morte sua clamauerit, iuxta supradictam Apostoli sententiã. Veruntamen, quia ex die ascensionis Apostoli certi facti de potentia eius, expectabant eundem Spiritum sanctum quem promiserat, rectè cãtamus & legimus, quomodo moriturus illum promisit, quomodo item ascẽdens in cœlum repromisit, ita vt mortẽ eius causam donationis effectiuam, ascensionis eius dandi potestatem esse sciamus effectam. Sed iam nunc ad superiora reuertamur.

Huic quartæ dominicę Euangelio rectè il- Iacob.1. la præmittitur Apostoli lectio: Omne datũ optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, &c. Spiritus sanctus Dei donum est optimum atque perfectum, sine quo natura tam angelica quam humana misera & miserabilis est, & cęca & nuda, quod euidentissimum est tam in dæmonibus, quam in perditis hominibus. Non enim substantialiter differt à diabolo Michael, à Pharaone Moyses, à Nerone Petrus: sed hoc solo discernuntur spiritu, quem Apoc.3. isti accipere meruerunt, illi indigni iudicati sunt. Hoc tantum tamque necessarium donum, duplici ope humanæ subuenit inopiæ. Prima largitione, peccata nobis remittũtur: secunda, diuisiones gratiarũ distribuuntur: Et illo beneficio, scilicet remissione peccatorum, vniuersaliter atque vniformiter effunditur hoc donum, id est, hic spiritus, in omnes: hac autem adiectione, id est, gratiarum 1. Cor.12. diuisione, particulariter atque multiformiter datur alijs aliter. Vnde & Apostolus cum easdem diuisiones partim enumerasset: Hęc Iohan.20. autem, inquit, omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Actor.2. Vtraque largitio sanctis Apostolis mirabiliter certis temporibus certisque diebus effusa est, id est, die dominicæ resurrectionis in remissione peccatorum, die verò pẽtecostes abundanti effusione gratiarum ad omnium mox futuram instructionem gentium. Nam Rom.4. dominus qua die resurrexit, mortuus propter delicta nostra, vt ostenderet se resurrexisse propter iustificationem nostram, stans in medio discipulorum suorum, pacem, quã fecerat inter nos & Deum, prima voce nunciauit, dicendo: Pax vobis, statimq; insuffla- Iohan.20. uit & dixit: Accipite spiritũ sanctum. In quo remissionem peccatorum, quam sanguine suo acquisierat, sese dare ostendens, non solùm illis, omnibus quoque, qui crediturierãt in illum: statimque adiecit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et vt essent idonei, remissionem peccatorum, quam acceperãt, vniuerso mundo prædicare & testificari: die pentecostes idem spiritus sanctus illis charismatum dona tribuit, & per hæc, sicut in hodierno lectum est Euangelio, arguet mundũ de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Igitur, vt supradictum est, hæc epistolæ lectio rectè Iacob.1. huic præmittitur Euangelio, quia datum optimum, & donum perfectum, non est aliud, nisi iste Spiritus sanctus. Qui spiritus, quia gratis datur, imò ipsa gratia est, benè de huius doni datore subiungitur: Voluntariè genuit nos verbo veritatis. Quod non est aliud, quàm si dixisset, per gratiam Spiritus sancti nos regenerauit, quia per Spiritum sanctum semen, id est, verbum suum nostris vt renasceremur, mẽtibus insudit. Item & quod ait: Scitis fratres mei dilectissimi, sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autẽ ad loquendum, magnifico nos erudire poterit exemplo, si illam consideremus sententiam Euangelicę lectionis, ad quam intendit Ecclesiastici diligens compositor officij. Nõ enim cuiuslibet, sed ipsius paracleti exemplo, præsumptionem humanæ vanitatis cõuenit, dum Euangelio supradicto hãc Apostoli lectionem præmittit. Nam quales nos dominus esse vult ad loquendum, talem ipsum fore asserit paracletum, dicens: Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur. Firmissima ratio sententię præcedentis, quam proposuerat dicẽs: Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Remouet namque oppositum, quod est à semetipso loqui, sub quo continetur omne mendacium, quod est sine dubio veritati contrarium. Vt autem hoc euidentius fiat, diffiniamus vtrumque contrarium, id est, à semetipso loqui, non à

Universidad de Deusto
Biblioteca

semetipso loqui. A semetipso loqui est, non existentia fingere: quo de peccato diabolum
Iohan. 8. culpat in Euangelio dominus, dicens: Cùm loquitur mẽdaciũ, ex proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius, subauditur mendacij. A semetipso non loqui est, existẽtia proferre, etiam si nescies proferat quis, vt Caiphas qui nesciens, imò aliud intendens, dixit expedire, vt vnus moreretur homo pro gente. Multò magis ergo qui scienter existentia profert, non à semetipso loquitur, sicut ipse Christus, qui cũ scienter existẽtia proferret, verba, inquit, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: scilicet non mendacium, sed veritatem, quam audiui & accepi ante meam, quam videtis, humanã naturã existentem, sicut & alibi Iudæis dicit: Nunc autẽ quæritis me interficere hominẽ, qui veritatẽ locutus sum vobis, quã audiui à patre meo. Hoc autẽ & Spiritus sanctus agit. Veritatem enim quã audiuit à Deo, veritatem increatã Deo patri cõsubstantialem, & coæternam loquitur nobis, verè existentẽ, essentiamq; veracem & incõmutabiliter permanentem. Vera ergo ratio, nõ enim loquetur à semetipso, sed quęcũque audiet, loquetur, cõprobãs id quod proposuerat dicens: Docebit vos omnẽ veritatem. Quod iterum cõfirmat subiungẽs: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annũciabit vobis: Et ausamq; reddens cur de meo dixerit: omnia, inquit, quæ habet pater, mea sunt. Quæcunq; enim habet pater, quæcunq; scit, quæcunq; potest: dedit huic qui hæc loquitur dominico homini, sicut ait in Psalmo: Dico ergo opera mea regi, ostẽdens quid dixisset: eructauit cor meum verbum bonum. Omnẽ suam sapientiã, cunctam fortitudinẽ, totum deniq; verbũ suum pater in vterũ virginis eructauit, & humanę naturę vniuit, propter quod nũc dicit: Omnia quę habet pater, mea sunt. Et non dixit, mea accipiet, sed de meo accipiet, & annunciabit vobis. Nõ enim Spiritus sanctus Apostolis illã sapientiã totã cõprehensibilẽ fecit, sed illa docuit eos, quæ erãt necessaria fidei: scilicet mysteria incarnationis, natiuitatis, & passiõis, & resurrectiõis, quæ discipuli hactenus portare nõ poterant, quãdiu corruptibilẽ & mortalẽ esse videbãt, neq; doctorẽ hũc, dari fuerat æquũ, nisi prius per mortem Christi Deo reconciliaretur genus humanum. Igitur vt Ecclesiasticum persuadet officium, quod huic Euangelio supra dictam laudabiliter præmittit lectionem: nõ loquatur homo à semetipso, sed sit velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, id est, audiat prius quid loquatur in se dominus
Iacob. 1. Deus & secundũ illum loquatur pacẽ: quod facere noluit Arrius, & ideo bella & scãdala locutus est, & oẽs qui à semetipsis loquũtur, gloriã propriam quærẽtes. Secundũ hoc donum, secundum paracletum, veterẽ cum suis actibus hominẽ deponimus, nouumq; induimus, quod est cãtare canticum nouum: atq; Coloss. 3. ideo rectè hoc ipsum cantamus in introitu, & in offerẽda iubilamus, quia donum hoc æternæ iubilationis efficiens causa est, quæ hic incipitur, & in futuro perficietur.

De dominica ante ascensionem domini.
Caput 111.

DOminica ante ascensionẽ domini competenter hæc Euangelij lectio ponitur: Vsq; modo non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc enim dominus de ascensionis suę gloria locutus est, per quam discipuli eius certi facti de illius omnipotentia, Actor. 1. petere cœperunt in nomine eius, vt gaudium eorum sit plenum: & perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre eius, & fratribus eius, decimo die acceperunt Spiritum sanctum. Hac ergo lectione opportunè nobis suggeret, vt in nomine eius fiducialiter petamus, illud ad memoriam reuocantes in ascensione eius, quod ait Iohannes Apostolus: quia aduocatum habemus a- 1. Iohan. 2. pud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio peccatorum. Nã vt spem nostrã ad petendum animaret, abiturus in cœlũ per passionis viã, hoc circa finẽ sermonis, quẽ in cœna habuit, inculcare & replicare dignatus est, subiuncta protinus oratione: qua cõpleta, protinus traditus est. Verùm nõ quaslibet, simus nos, oblatam Apostoli petendi facultatem, nobis æquè vt illis rapiendam esse putemus. Nisi enim illorum similes simus, qui hæc audire mereantur: quibus & suprà secundum Lucam dixerat: Vos estis, qui per- Luc. 22. mansistis mecum in tentationibus meis: nisi, inquam, illorum similes simus, eadem fiducia nos ad petendum vti non possumus. Qua propter hæc Apostoli lectio cõgruè præmittitur: Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Fallit enim semetipsum miles, qui auditor, tamen non factor imperij, larga pro solo audito donatiua reposcit. Idem post pauca: Si quis aũt putat se religiosum esse, non refrenans linguam suã, sed seducẽs cor suum, huius vana est religio. Sanè dum petimus lingua, quadã propria legatiõe fũgitur, si absq; freno & oris custodia, p ociosa vel etiã noxia verba facile vagatur, difficile dũ petit, auditur: quia videlicet à vanis, quibus assueta est, vsq; ad aures dñi sabaoth tantum est interuallum, vt nõ facilè me-

reatur

reatur audiri. Et his quidẽ, qui eiusmodi sunt
Iacob. 4. alibi dicit idem Apostolus: Petitis & nõ accipitis, eò quòd male petatis. His aũt qui (sicut ait in fine lectionis huius) immaculatos se ab hoc seculo custodiunt, exẽplo Apostolorũ,
Iohan. 16. familiariter dominus ait: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum plenũ sit. Quorum in typum Helizęus, magistrum, nõ tantum corpore, sed & corde secutus, audire meruit: Postula quid vis, vt faciã tibi, antequã tollar à te.
4. Reg. 2. Et illa meritò concessa, cum magna fide vtẽs fiducia: obsecro, inquit, vt fiat spiritus tuus duplex in me. Helias etenim currus Israel & auriga eius, dñm nostrum, prælenti capitulo significat, qui ecclesiã suã vt auriga, verbo doctrinæ suæ regit: & vt currus diuinitatis suæ
Matth. 19. 4. Reg. 2. vehiculo in cœlũ subuehit. Helizæus verò, qui semel & iterũ atq; tertiò residere sibimet permissus ob amorem magistri, permisso noluit vti: Apostolos atq; apostolicos exprimit viros, qui ob amorẽ Christi concessis quoq; recusantes vti, sequuntur illũ vltra terminũ præcepti, spontanei spectatores cõsilij: quod in Euãgelio dicit dues adolescẽs facere nolẽs, abijt tristis. Igitur ei qui eiusmodi est petenti & dicenti: obsecro vt fiat spiritus tuus duplex in me, dicit ascensor cœli dñs Iesus: Si videris, quãdo tollar à te, erit q̃ vidisti. Si videris, id est, si oculos mẽtis ad terrena nõ deflexeris, sed solis cœlestibus inhiaueris, erit quod petisti. In talib. quippè duplex fit spiritus Christi: quia cum ille mitis inter homines ambulauerit, sicut significauit spiritus sanctus, dũ
Matth. 3. 1. Cor. 4. super eũ in specie columbę apparuit, istos idẽ spiritus mites pariter & zelo feruẽtes, reddit. Ad subditos nanq; prout causa vel tẽpus exigit, nunc in virga, nunc spiritu veniunt mansuetudinis. Hęc illa iucũditas est, cuius vocẽ
Psal. 56. Psal. 59. in introitu vsq; ad extremum terrę nunciare
1. Iohan. 1. iubemur: hoc illud est beneficium, pro quo offerenda gentes Deum benedicere, & in cõmunione cãtare, & salutare eius nunciare cõmonentur: quia nostræ naturæ participem aduocatum habemus, cuius in nomine petentes, plenum gaudium accipere mereamur.

De Rogationibus à sancto Mamerto institutis. Caput V.

HIius spõsionis memor, & in ea spẽ ponẽs sanctus Mamertus, Viennensis episcopus cum Christianus populus lõga & graui afflictione vrgeretur, aufis etiam diuino iudicio lupis turmatim cũ confertis confligere hominibus, rabidamque dentium cędem, non solùm villis, sed & plenis inferre mœnibus: rogationes fieri solẽnes ante diem eiusdem dominicæ ascensionis instituit, vt tanquam abeunti in cœlum domino ac dicenti: Petite & accipietis, humanæ miseriæ commoratio triduanis supplicationibus ambitio sius ingereretur, & vt rememorata sponsoris potentia fide petentiũ spes roboretur. in eisdem processionibus triumphatoris cœlos ascendentis insignia, scilicet cruces atq; vexilla præferuntur. Horum vsus in Ecclesia cœpit à Cõstantini tẽporibus: qui cũ vidisset in somnis signũ crucis in cœlo splendidè collocatũ, dictũq; sibi fuisset: O Cõstantine, in hoc vince: iussit viros eruditos ex auro & lapidibus preciosis in vexillũ sanctæ crucis trãsformare signũ, quod labarũ vocabatur. Hoc enim signum bellicum inter alia preciosius erat, eò quòd imperatorem præcedere, & adorari illud à militibus moris esset. Sciendum autem has rogationes triduanas, litania maiore quã beatus Gregorius instituit, esse antiquiores. Siquidem à vicesimo Zenonis anno imperij, quo Mamertus episcopus prædictas rogationes instituit, vsq; ad nonũ Mauricij imperatoris annũ, quo diluuiũ magnũ in finibus Venetiæ, & Ligurię, & Italię factum est, quale post Noe tempus nõ creditur fuisse, & subsecuta est euestigio pestis inguinaria, qua cũ Romanus populus penè deleretur, Gregorius adhuc Leuita, litaniam maiorem indixit, Pelagio Papa eadem peste extincto: paulò plus quam centum anni secundum Chronographos inueniuntur.

Vtrorunq; salutares & opportunę traditio Luc. 11. nes eodem celebrantur officio, quo cõmone Psalm. 67. mur per Euangelicam similitudinem, perseuerare pulsantes ad ostium amici, scilicet domini nostri Iesu Christi, cuius ostium iã clausum est, & pueri eius cum ipso sunt in cubili: quia videlicet, ex quo ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, in templa sua tanquam in cubili receptus, illic post laborẽ passionis in lectulo consummatæ gloriæ requiescit, & cum eo pueri eius, id est, sancti, qui de Psal. 17. mundi huius laboribus exierunt. Atq; inde Psal. 108. (sicut in introitu cantamus) exaudit vocem Iacob. 3. nostram, si quemadmodum in offerẽda dicimus: Confitemur domino nimis in ore nostro, nimis inquam, id est, vsque ad improbitatem, propter quã surgat amicus ille Euãgelicus, & det amico suo panes, quotquot habet necessarios. Epistola pulsantem ad amici ianuam competenter animat ad perseuerantiam, de Helia proferẽs exemplũ, vt argumentemur à simili, posse amicum vinci improbitate pulsandi. Nec desperet qui pulsat, eò quòd sit peccator, & exemplum propositum est de iusto. Peccatoribus enim propositum est. Siquidem peccatoribus loqui se indicat idem Apostolus, sic incipiens: Confite-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mini alterutum peccata vestra. Sed hoc est
Prouer.18. iustitiæ principium. Iustus enim in principio accusator est sui, id est ab accusatione sua incipit iustificari. Peccatorem ergo, sed accusatione sua iustificatum, illa concludit vniuersalis sententia. Multum valet deprecatio iusti
Iacob.5. assidua: & iccirco illi exemplo quoque licet vti, quod propositum est de iusto Helia, vt pulsans, si non amicitiæ causa, sicut in euangelio dictum est, saltem improbitate perseuerantiæ vincat.

De missa in vigilia ascensionis domini.

Caput. VI.

IN vigilia ascensionis domini illa ponitur Euangelij lectio, qua dominus Iesus mox tradendus, subleuatis oculis in cœlum, dixit:
Iohan.17. Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Causa autem cur in huius solennitatis præuētione legatur, hæc est: quia quòd tunc orauit passurus, quādo ascēdit, completum esse innotuit hominibus: videlicet quia moriens, sicut dicit in Canticis,
Cant.7. ascendit in palmam, & resurgens apprehendit fructus eius. Quod quia per ascēsionem, vt dictum est, innotuit hominibus ad ipsorum salutem: homines quippè sine notitia, vel fide eius non saluarentur: rectè hæc, vt dictū est, oratio legitur, qua hoc ipsum orauit, iam iam per passionis viam, per motiferi torrentis potum ad illam iturus gloriā. Notandum autem, quod cùm dixit: Clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, protinus adiunxit: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, & omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Nō dixit, & da ei, sed sicut dedisti ei potestatem.

Hebr.2. Philip.2. Quamuis enim propter passiōem mortis, gloria & honore coronatus sit dominus Iesus, & iccirco Deus illū exaltauerit: quia factus est pro nobis obediēs vsque ad mortem, mortem autem crucis: tamen & ante ipsam mortem, & ante ipsam crucem, dederat ei pater regnum, dederat ei potestatē omnis carnis: sed non erat tempus, vt in eodem regno vel potestate, cùm adhuc mortalis esset, clarificaretur. Quod vt euidentius cōprobetur, libet de veteri proferre historia similitudinē autenticam, cunctis penè venerabilium literarum studiosis cognitam.

2.Reg.2. 2.Reg.16. Ecce sanctus Dauid, qui hunc desiderabilem atq; manu fortem Christū nomine suo signauit, factis præfigurauit, repromissione hæreditauit, Psalmis cecinit propheticis: alio iuxta modum suum glorificatus est atq; alio tempore, Dei dono, regni potestatem accepit. Tunc enim gloria sua glorificatus est, quando mortuo Saul ascendit in Hebron, susceptus primū à tribu Iuda, deinde ab vniuerso Israel: tūc autem eandem illi Deus dedit potestatem, quando sustulit eum de gregibus ouium, & per manum Samuelis vnxit in regem in medio fratrum suorum. O quātis à potestate accepta, vsq; dum regno fruerentur, interfluentibus potatus est amaritudinibus, quantis persequente Saul, Deus coronā eius fabricans, erudiuit eum laboribus? Plane hac similitudine res quæ propolita est, facilè colligitur. Sic enim & dominus noster antequā clarificaretur ea clarificatione, pro qua nunc orat dicens: pater clarifica filiū tuum: acceperat regiam dignitatē vnctus oleo exultationis præ participib. suis: non tūc primum, quando Spiritus sanctus in specie columbæ venit super eum: sed iā tunc, quando in secreto virginis vtero assumptus est homo verus, à vero Deo Dei verbo, per operationē sancti Spiritus, cui⁹ vniuersa plenitudo, quæ in illam incarnationem effusa est, benè per cornu olei designata est, quo Dauid in secreto paternæ domus, vt ignoraret Saul, vnctus est. Et sicut vitulus, quem ex præcepto Dei tulit secum Samuel, fefellit Saul, vt nesciret quid ageretur in domo, nec quicquam opinaretur, præter quod prætendebat præparatio vituli, id est, votum sacrificij: sic mortalis natura hominis, quæ in mundo apparuit, fefellit diabolum, vt nesciret, quid actum esset in vtero virginis, nec aliud quid opinaretur in Christo, nisi quod foris ostendebat caro passibilis, id est, hominem purū, per omnia nostræ obnoxium corruptioni, vt putabat, carnemq; peccati: deprehendit tamen processu temporis, posse illum contraire suæ tyrānicę dominationi, quemadmodum & Saul dæmoniosus, in virtutibus Dauid intellexit, quòd cōtra thronum suum ageretur in illo, per eum qui à se recesserat, & in Dauid dirigebatur spiritus domini.

Psal.44. Matth.13. Coloss.2. 1.Reg.16. 1.Reg.16.

Igitur quod ait dominus noster, instante mortis articulo, pater venit hora, clarifica filium, vt filius tuus clarificet te, statimq; subiungit, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam, tale est, ac si dicat Dauid persequente Saul, in deserto Ziph, siue in deserto Maon ad petram diuidentem, quando desperabat posse euadere à facie Saul, dicat inquā Deo, qui exauditor est omnium: Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spē dedisti, vel sicut iurasti Dauid in veritate tua, tunc videlicet, quando tulisti me de ouibus patris mei, & vnxisti me vnctione misericordiæ tuæ.

1.Reg.26. Psal.118.49 88. 1.Reg.16.

Quod autem paulò pòst ait: Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate, quam

quam habui, priusquam mundus esset, apud te: sic omninò accipiendum est, vt nullatenus verbi diuinitatem ab illa claritate, quam habuit in principio Deus apud Deum, obscuratam fuisse arbitremur. Nam neq; orat Christus secundum diuinā naturam, sed secūdum eā, quæ protinus moritura erat, serui forma. Quomodò ergò natura serui claritate prius habita se poscit clarificari, vel quomodò eā priusquam mundus esset, habuit? Videlicet,
Iohan.5. propter personæ vnitatem suam claritatem, illā veraciter asserit esse formam serui, quam habuit priusquam mūdus esset apud patrem, illa quę sibi vnita erat, forma Dei. Et sic omninò claritatē tunc habuisse cōstanter dicēda est forma serui, quomodò dicitur de cœlo descēdisse filius hominis. Sic em̄ ait: Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descēdit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo: non enim homo qui videbatur, de cœlo descendit, sed qui conceptus & natus est de carne Mariæ virginis. Item q; homo filius hominis qui, vt dictū est, de terra carnis conceptus & natus erat, & hæc in terra consistens loquebatur, nō in cœlo erat, sed in terra gradiebatur, paulò pòst capiendus, crucifigendus, in terra sepeliendus. Igitur quemadmodum propter personę vnitatem, filius hominis de cœlo descendit, quia verbum sibi vnitum in cœlo & vbiq; erat: sic propter eandem personæ vnitatem nunc ait orās natura hominis, clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te.

Iohan.17. Sed iam nunc ad eas huius euangelicæ lectionis partes sermo concedat, de quibus cætera pendent officij membra. Post pauca vbi ait: Nō pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, cōtinuo subiungit: Quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et circa finem eiusdē orationis: Non pro his tantū rogo, inquit, sed & his qui credituri sunt per verbū eorū in me: vt sint vnū sicut tu pater in me, & ego in te, vt sint in nobis vnum, &c. Vnum, inquit, sint in nobis, sicut & nos vnum sumus, modo videlicet supradicto, quia quos dedisti mihi, tui sunt, nec in meum ius trāseundo, tui esse desierunt, & mea omnia tua sunt, & ideo verius tua quia mea esse cęperut. Delectat propius hunc intueri modum cōmunicationis, vt intelligamus ea quæ patris sunt, ex eo verius patris esse, ex quo homini Christo data sunt. Hoc itaq; non prætereundum, quod antequam in rempublicam dei patris introduceretur hic filius hominis, & (sicut Daniel aspexit in visu noctis) adduceretur vsque ad
Dan.7. antiquum dierum, quia dedit ei potestatem, & honorem & regnum, vt omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruirent, immunita atq; incōiuncta creatori erat rerū vniuersitas, qa videlicet inter creatorem & creaturā nullus erat medius. Nā quicquid erat, aut creator erat, aut creatura. Vt ergo medium inueniretur perfectæ societatis vinculū, hic introductus est, qui ex eo creatorē & creaturā firmius annecteret: quia vnus idēq; Christus vtrūque est, creator videlicet atq; creatura. Creator, quia Deus, creatura, quia homo. Et licet Apostolus dicat, Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, nec sic tamen angeli expertes sunt huius dignationis, quia profectò cū omnis creatura sit homo, habēs esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cū pecoribus, discernere cum angelis, cum, inquā, homo iuxta aliquid omnis creatura sit, hominem autem Deus assumpserit, relinquitur & angelis gratulari, quòd is qui super ipsos creator erat, creatura quoq; cum ipsis est. Amplius aūt & hoc ad rē attinet, quod homo, cum secundum solū corpus quandam visibiliter mundi similitudinē gerat, ex quatuor elementis cōpositus, vnde à Grēcis μικροκοσμὸς, id est, minor mūdus appellatur, secundū solam animā angelicæ substātiæ est, & videlicet rationalis atq; immortalis, hac sola, vt angelus quoq;, à creatore distās substātiali differētia, quòd creata est. Itaque & ad angelicę creaturę exultationē illud attinet, q⁹ Deus homo factus est. Igitur sicut supra dictum est, vt esset quo creator atq; creatura firmius necteretur, hic in rempublicā creatoris, filius hominis mediator introductus est, qui in humana natura, quod non habuerat accipiens, potestatem non sibi vsurparet, sed iuxta Apostolum, Deo & patri regnū traderet, dicens, vt supra positum est, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Atq; hic est modus cōmunicationis & similitudinis, quā intendens ait: vt sint in nobis vnum, sicut & Hebr.2. nos vnum sumus. Quem verissime tenens sacri compositor officij, huic euangelio lectionem illam de Actibus Apostolorum præscripsit. Multitudinis credentium erat cor vnū & anima vna, nec quisquam eorum quę possidebat, aliquid suum esse dicebat. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Planè per hoc indicat, qualiter accipiendum sit, quòd dominus ait orans, vt sint vnum sicut & nos, & quod præmiserat, omnia mea 1.Cor.15. tua sunt, & tua mea sunt. Itaque si solem in sua, præ infirmitate oculorum, altitudine perspicere non possumus progressum eius in gradibus suppositis contemplemur, id Actor.4. est, si hominem deificum in communionem trinita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trinitatis sine personarum argumento admissum, in seipso peruidere non possumus, quãtæ plenitudinis sibi cõcius, dicat omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, ad imitatores eius respiciamus, de quibus dictum est: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, &c. In hoc minori de maiore illo argumentemur. Necessariò concedendum est minus esse communionis, minus esse concordię vel charitatis, minus gratiæ spiritus sancti in pluribus hominum personis, in multitudine hominum, quamuis credentium, quamuis iustorum, quamuis in veritate & charitate ambulantium. plus verò in patre & Christo filio Deo & homine, in quo natura humana sic diuinæ vnita est naturæ, vt cùm illa personã duplicare nõ valeat, adeò concordię & charitatis fœcunda, vt nulla vnquam defuerit illi sancti septiformis spiritus gratia. Sed ecce in his pluribus & longè minus habentibus, tanta communio, tanta charitatis concordia est, vt in spiritualib. cor illis vnum & anima vna sit, in corporalibus quoq; nihil propriũ, sed omnia sunt communia. De corporalibus liquet, quanta sit communionis charitas, quia tales profecti sunt de baptismo, vt eleganter comparentur gregi tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, vt spoliati velleribus rerum quas ponebant ante pedes Apostolorum. De spiritualibus quoque passim in scripturis, & maximè in Apostolo, clarum & euidens habemus vnitatis indicium Qui cùm dixisset: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idẽ autem dominus, paulò pòst subdidit: sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autẽ membra, cum sint multa, corpus vnum sunt: sic & Christus. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Tale quid & beati Laurentij responsis inuenimus. Qui cùm Decio pauperes ostendisset, non de panniculis vel morbidis eorum coporibus, sed de donis sancti Spiritus quẽ credentes acceperant, dixit: Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquàm minuuntur nec decrescunt, qui in singulis asperguntur, & in omnibus inueniuntur. Diuisiones nanque gratiarum Pauperes Christi accipiunt, suoq; singuli munere funguntur, sed suam singuli diuisiuam gratiam omnibus impartiuntur. Verbi gratia. Spiritus scientiæ, spiritusq; pietatis, bonæ partes thesauri cœlestis in singulis Petro & Paulo aspersæ sunt, sed in omnibus inueniuntur, dùm ab ore Pauli scientia cunctis auditoribus pro captu auditorum affluit: pietas autem Petri suomet erudita lapsu, cunctis peccatoribus; rite pulsantibus, misericordiæ competentis ianuas aperit. Sic vniuerso corpori & oculus videt, & auris audit, nec potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo, nec caput pedibus, non estis mihi necessarij.

Cant. 4. *1. Cor. 12.*

Esai. 11.

1. Cor. 12.

Igitur illa trinitatis communio assumptæ naturæ hominis, longè firmior vnanimitatis cõnexio est, propter quam dicit: Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: quam & si nunc videre nõ possumus, sicuti est, saltem per speculum huius similitudinis nostræ nonnulla ex parte speculamur. Et ecce magnum quiddam & mirabile, cœlisq; ac cœlorum virtutibus spectabile, apparet in illa beati filij hominis natura, cui cum patre sunt omnia communia, scilicet & quæ in se habet naturaliter, & quæ sub se condidit potentialiter. Habet enim pater in se naturaliter verbum de se natum, sed hoc eructante illo, habet homo ille in se incarnatum, habet pater nihilominus Spiritum sanctum, nihilominus à se procedentem habet homo ille Spiritum sanctum semper in se requiescentem. Condidit sub se pater potentialiter cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, angelos, archangelos, thronos, dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubim atq; seraphim, drachmamq; decimam, id est, hominem. Coniunxit verò in seipso, & pacificauit hæc omnia verus hic homo Christus, & super hæc omnia cõstitutus est, & omnia subiecta sunt sub pedibus eius. Sedet super thronum pater ille antiquus dierum, sedet & agnus hic filius hominis, imò pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: & (sicut alibi dicitur) potestatem dedit illi iudicium facere, quia filius hominis est.

1. Cor. 13.

Coloss. 1.

Psal. 8.

Psal. 49.

Omnes ergo gentes, sicut in introitu cantamus, plaudite manibus, iubilate deo in voce exultationis, plorante & mœrore seipsam cõsumẽte diaboli inuidia, quia frustrata est, imò quia profuit, dũ nocere cupit: quia priusquã caderet homo: tamẽ erat homo: nunc autem dum casum corrigit, dum ascendit, Deus & homo. Nunc est dominus, nunc est excelsus, terribilis, rex magnus. Dominus (in quam) est, & in vniuersa terra admirabile nomen eius: excelsus, quia super cœlos eleuata est magnificentia eius: terribilis, quia quemadmodum ascendit, ita ad iudicandos viuos & mortuos reuertetur. Et hic rex magnus, nunc in illa sedet curia victor ad dexterã patris, honore coronatus & gloria, speciosus & expectabilis rex in illa sua beata republica,

Actor. 1.

patris

patris nõ mortui, sed & nunquã morituri hæres, mortuus semel, & vltra iam non moritus, cunctos patris imperatoris antiqui possidens thesauros in arca pectoris sui reconditos, vnde & dona dat hominibus, alij fidem, alij sapientiæ vel scientiæ sermonem, alij discretionem spirituum, alij genera linguarũ, alij interpretationem sermonum, alij operationem virtutũ, & his similia. Omnes itaque gentes, vt dictũ est, plaudite manibus, id est, plaudite cũ lętitia, benè operamini. Elegantius quicquã prœmitti non potuit ad introitũ, secundum prædictũ Euangelij sensum, siue lectionis Actuum Apostolorum. Nam in eo ait, plaudite manibus, & operatio, & supradicta charitatis communicatio, breuiter commẽdatur. In plausu enim lætitia, manuumq; concussio cõspicitur. Ita ergo manibus plaudere iubemur, vt hilari charitate quicqd habemus, quicquid scimꝰ, quicquid possumus, commune faciamus, hoc pacto vnum simus, vt Christo tanquam corpus consona membrorum aptitudine cohęreamus.

Psal. 67. *1. Cor. 12.*

De officio in die dominicæ ascensionis.

Caput VII.

OFficium diei dominicæ ascensióis, gaudium cunctis eius cantat dilectoribus: quia dum eũdem redemptorẽ nostrũ ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitamus: & spei certitudine iam possidemus rem, ad quam illum peruenisse gaudemus. Nam (sicut ipse ait) vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ, id est, illuc subsequentur veri solis cõtemplatores & amatores claritatis eius, vbi ipse est, quorum animæ virtutum pennis cum terrenorum despectu ad cælestia subuolant, nec ad terram propter cadauera sese iterum deuoluunt. Etenim corpus quo solo huiusmodi aquilæ pascuntur, in cœlo est: corpus inquam Christi, in quo corporaliter habitat plenitudo diuinitatis, quę angelos pascit, quę cibus est & vita æterna omnis creaturæ rationalis. Hoc, inquam, gaudium diei præsentis prædicat officium: sed illud hoc ipsum solicitat gaudium, quod pariter angelorum decantamus voces dicẽtium: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Nam ascendit quidem Deus in tribulatione, scilicet Apostolorum, qui adorantes, vt Lucas refert, reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, cuius gaudij participes maxime sunt hi, qui in se perfectionem habentes charitatis, fiduciã habẽt in die iudicij. Ascendit, inquam, Deus in illorum iubilatiõe, sed ascendit & in voce tubæ, id est, cum terrifico eiusdem iudicij prœconio, dicentibus angelis: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Eorum quippè, qui in pace ecclesiæ finiuntur, nimirũ rarus quisq; est qui ita pugnet, ita legitimè decertet, vt illa venientis regis insignia, scilicet crucẽ clauorũque signa securus aspiciat, & irreuerberata deosculetur cõscientia: qui inquam, ita crucem suam baiulando, illum secutus sit, vt iure larga reposcat pro laboriosa militia tanti triumphatoris donatiua, imò vt secundũ parabolam dictum sit ab ipso propositam: rarus est qui talẽta, quæ homo hic peregre profecturus sibi credidit, cum debito lucro reportet, id est, dona (quæ dedit hominibus, ascendens in altum & captiuã ducẽs captiuitatem, scilicet carnẽ, cuius natura nostras mentes in hoc seculo tenet captiuas) ita proximorum vtilitatibus impenderit, vt nihil ex eis in terra defossum, id est, in terrenos vsus prauè detortum, ab vsura spirituali vacare permiserit. Sed esto: Inueniuntur interdũ qui probè viriliterque in huiusmodi studijs brachium suum roborauerit, & merito laudatur: quia cùm desides alij nudis ac desertis erant lateribus, hic multo milite stipatus incedit, & illi regi cum decẽ milibus occursurus est ad bellum, id est, ad disceptationẽ iudicij. At illi rex iuxta parabolã euangelicam cum viginti milibus venit: quia videlicet, cũ hic seruus bonus & fidelis, tantũ de factis suis rationẽ reddere vix posit, illi dominus eius de cogitationibus quoq; rationem exigit, cùm redierit. Atq; ita duplici territus interrogationum exercitu, necesse est suis diffidat simplicibus ac dimidiatis responsionibus.

Coloss. 2. *Matth. 24.* *Ioan. 6.* *Luc. 17.* *Actor. 1.* *Luc. 24.* *Psal. 46.* *Matth. 25.* *Rom. 7.* *Psal. 67.* *Luc. 4.* *1. Cor. 1.*

Igitur dum de legatione mittenda & pace roganda, soliciti responsum pacis eiusdẽ expectamus, gaudemus quidẽ, vt supradictum est, in spe, sed hoc ipsum gaudium spei, magna ex parte metus imminuit. Et quia solicitudo hæc salubris est, competenter hic epistolæ finalis aculeus, & ad introitũ, & ad offerendam frequentatur, Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tota autem vis sententię, tota pene huius euangelicæ animositas tubæ magis in ea personat dictiuncula, quę verbo appositа est. Sic veniet. Percutit enim acriter infelicem superbiam eorum, qui illum tranfixerũt, perditamque mundi sapientiam ac reprobam fulmine ferit prudentiam: quia tunc verè quod infirmum est Dei fortius erit hominibꝰ: & quod stultũ est Dei (stultitiã quippe Iesum Christum crucifixum reputauerunt) hominibus sapientius erit, ipsis cum dolore fatentibus.

Tũc implebitur illis illud Esaiæ terrificum vaticiniũ: Domine exaltetur manus tua, vt

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

videant: subauditur, gloriam domini. Gloriam enim domini, id est, diuinitatem hominis Iesu Christi non videbunt impij, quã videre salus videntiũ erit, sed videbunt carnẽ, quam spreuerunt, illuserunt, conspuerunt, flagellauerũt, spinis coronauerũt, transfixerunt. Hoc etenim secutus ait idem propheta. Videant & confundantur. Quæ cõfusio malæ conscientiæ quanta sit exprimens, Et ignis, inquit, hostes tuos deuoret. Tunc tremẽt angeli & archangeli, impij autem vbi parebunt? Trement, inquam, angeli, & (sicut ait dominus ad beatum Iob) territi purgabuntur, quãdo Behemot, qui factus est, nullum timeret, qui est rex super omnes filios superbiæ, mirabiliter creatus, & in sua natura malitiaque & ferocitate cõspicua formidabilis, corã filij hominis fortitudine adducetur, patefactis inferni visceribus, & videntib. cũctis ꝑcipitabitur. Et quidẽ sancti angeli purgatorio terrore nõ examinãdi probantur: solidati nanque sunt vt firmamentũ, quomodo mollities aquarum fertur in solidum, verti crystallum, ex quo peccante illo peccati principe, ipsi peccare nolẽtes, in hoc remuneratione acceperunt, vt iam peccare non possint: nisi quia cõditionis eiusdem cùm essent, peccare & ipsi potuissent, posibilitatem eãdem sibi vnquam fuisse, fortasis intuitu præsentis iræ pauebunt, quam & ipsi incurrere poterant, si à gratia deserti fuissent. Ait quippe dominus Ephrem, quia ipsa agmina angelorum expauescent in die aduentus eius, & cõtremiscent. Sed de hominibus sanctis, qui annunciando veritatem Dei, supernorum imitantur officia spirituum, & idcirco commune cum illis vocabulum sortiuntur vt angeli vocentur (angelus quippè nomen est officij, non naturæ) de his inquam, hominibus non est dubiũ quin tremãt, & terrore purgentur. Si ergo tremẽt sancti angeli, vbi parebũt impij? Dies illa super eos dies irę, dies calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde.

1. Per. 4. Iob. 4.

De eo quod dictum est, Et sedet à dextris Dei
Caput. VIII.

HAec itaque solicitudo nobis gaudium præsens imperfectũ reddit, cuius summam solus in Euangelio Marcus perscribit. Nam cùm dixisset, Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, ascendit in cælum, addidit hoc: Et sedet à dextris Dei.

Mar. 16.

Dan. 7.

Summa quippè gaudij nostri est, quòd vera carnis nostrę natura in illo nos hominis filio præcedens, consedet à dexteris Dei, quem venientem iuxta Danielem in nubibus cœli, hodie venerandus ille antiquus dierum cum millibus millium sibi ministrantiũ, & decies millies cẽtenis millibus sibi assistentium, in illo throno suo flãmeo susceptt, dignã cano capite suo sententiam elocutus, iuxta patrem ipsius, secundum carnẽ Dauid, Sede à dextris meis, &c. Quod non sic accipiendum est, vt Humaniformij putãt, quod Deus ita vt nos hinc dexteram atq; inde habeat sinistram, & humana forma circunscriptus sit, aut hoc ipsum quòd Deus sedere dicitur, flexis popliti bus fieri putandum est: nec illud incidamus sacrilegium, inquit Augustinus, in quo exec ratur Apostolus eos, qui cõmutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinẽ corruptibilis hominis. Tale enim simulachrum Deo nefas est Christiano in templo collocare, multo magis in corde nefarium, vbi vere Dei templum est. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, seu iudiciariam significat potestatem. Et quòd ait Christo domino, Sede à dextris meis, id est, in mei æqualitate, quod idem est ac si dixisset, Conregna mecum. Et hoc secũdum humanam naturam illi dictum est: quia secundum illam datum est ei regnum & honor, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient. vnde in communione canimus: Psallite domino qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem. Humana quippè Christi natura, dignitate virtutum omnium & sanctitatis, omnem spiritualem excesit creaturam intãtum vt ascenderet vsq; ad orientẽ, id est, vsq; ad filium sibi personaliter vnitũ, quia præter Deum nihil transcendendo, dimisit. Vbi notandum, quia non dixit ad ortum vel orientum, sed ad orientem. Illa enim ineffabilis genitura, non secundum præteritum & futurum consideratur, sed sempiterno præsenti filius patre generatur. Verũtamẽ hoc localiter quoq; accipiendũ est, quia ascendit super firmamentũ cæli, & hoc versus orientalẽ plagam. Nam quod dictum est, vsque ad orientem, id est, vsque ad filium sibi personaliter vnitum, non vtiq; secundum locum, sed secundũ humanæ naturę immutationẽ dictũ est, qua immutatione & nos iuxta Apostolũ pro modo nostro immutabimur. Nec verò sic immutata est, vt in illam orientis substantiam vera carnis substantia transiret, sed accesit gloria, non decesit natura: absorpta est passibilitas, succesit impassibilitas: perijt mortalis, acquisita est carni verbi cœternitas. Sic in similitudinẽ lapidis aquę durãtur. Chrystallũ nanq; similitudo lapidis est, non suaptè natura lapis: quia durata gelu aquę substãtia, sicut aiũt physici, speciẽ hãc efficit. Quod ad prædictã immutationem carnis apta similitudine referri Gregorius perhibet

Psal. 109.

Dan. 7. Psal. 69.

1. Cor. 15.

hibet in Ezechielem, dum dicit: Corpus redemptoris nostri, quia vsq; ad mortem passioni subiacuit, aquæ simile iuxta aliquid fuit: quia nascendo, crescendo, lassescẽdo, esuriendo, sitiendo, moriendo vsq; ad passionem suã per momẽta temporum decucurrit. Sed quia per resurrectionis suæ gloriã ex ipsa corruptione in incorruptionis virtutem conualuit, quia crystalli more ex aqua duruit, vt in illo & hæc eadem natura, & ipsa iam quæ fuerat, corruptionis immutabilitas non esset. Aqua ergò in crystallũ versa est, quando incorruptionis eius infirmitas per resurrectionẽ suã ad incorruptionis est firmitatem solidata. Et notandum, quia cùm species crystalli perpulchra sit, dicitur in hac significatione, quasi aspectus crystalli horribilis: quia redemptor noster vnus idemq; serenus iustis, iniustis autem (vt supradictum est) apparebit terribilis. Igitur sicut aqua, nõ pereunte substantia vel substantiæ quantitate, sed solũ qualitate, quæ fluxa fuerat, in soliditatem transeunte, in similitudinem lapidis duratur, sic dominicus homo, cui psallimus, non pereunte substãtia membrorum, quę seruato numero vel quantitate, ascendit primum, quoniam resurrexit, ascendit (inquam) inlocaliter ad orientis, id est, diuinitatis (de qua supra dictum est) conformitatem atq; cœternitatem, sola penitus absorpta quasi fluxa qualitate, secũdum quã timuit, potuitq; tædere & pauere, & dixit: Tristis est anima mea vsq; ad mortem, & cætera talia, secundo aũt ascẽdit & localiter hac die, videntibus Apostolis, super firmamentum cœli (vt supra dictum est) ad orientem, id est, ad orientalem plagam. Vbi aũt & quomodò sit dominicum corpus in cœlo, curiosissimum & superuacaneum est quærere, inquit, Augustinus in libro de fide catholica. Tantummodò in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ, cœlorum secreta discutere.

Matth. 16.

Marc. 14.

Quòd authoritate Euangelij processio fiat in die ascensionis dominicæ.
Caput. IX.

QVod hac die processionẽ agimus, illud nobis cõmendat, quod dñm nostrum sequi debeamus, vt prædictum est, nomine Bethaniæ (quod interpretatur obedientia) significauit, quod imitando eius obedientiam, mẽbra eius esse, & cum illo omnia verbo virtutis suæ portãte, ascendere valeamus. Rectè itaq; de responsorijs, quod magis ad eandem pertineant eductionem, diligentioris ecclesiæ ordines cantant in hac processione, vt nos responsorium hoc, Eduxit dominus Iesus discipulos suos foras in Bethaniã, & benedixit eis, quod ex Euangelio Lucæ sumptum est. Hoc enim cantando & procedendo nobis inuicem loquimur, & cõmemoramus idipsum, quod illa dominus eductione significabat, videlicet quòd sequaces eius de mundo foras exire debeãt, sicut iam dixerat illis: Ego elegi vos de mũdo, vt eatis & fructũ afferatis. Quo eatis? Vtiq; in vniuersum mundum. Nam hoc est, quod & tunc ait illis secũdum Marcum: Euntes in mundũ vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. In quo Iudæos palam percutit vanè gloriãtes, quòd peculiaris populus Dei sint. Nam prẽter hoc quod iuxta aliquid (vt ait beatus Gregorius) homo omnis creatura est, habet enim esse cũ lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum bestijs, discernere cum angelis, prẽter hoc (inquam) Iudæos (vt dictum est) percutit, dicendo, omni creaturæ. Compendio quippè vsus est, dicendo, omni creaturę, pro omni homini. Si dixisset, omni homini, reddẽda erat ratio, cur non Iudæo soli. Quæ autem ratio melior poterat reddi, nisi quia sicut Iudæus creatura Dei est, ita & gentilis? Vnde Apostolus ait: An Iudæorũ Deus tantum? nonnè & gentium? imò & gentium. Pulchrè igitur cõpendio vsus est, dicens, omni creaturæ, quo nomine simul & omnem exprimit hominem, & præcepti sui iustam apponit rationem.

Matth. 16.

Marc. 14.

Luc. 24.

Ioan. 15.

Matth. 16.

Rom. 1.

Cur eadem processio non ante, sed post tertiam agatur. Caput X.

CVm igitur hac die processionem rationabiliter agamus, nihilominus & hoc rationabile est, quod non, sicut in die Paschę vel cæteris dominicis, antequam tertia cantetur, sed ea cantata celebratur. Sola nanq; processio dominicalis, quia tunc aqua benedicitur in memoriam & venerationem sacri baptismatis, sicut aliàs iam dictum est: sola (inquam) eiusmodi processio tertiam prẽcedit, qua hora Spiritus sanctus super Apostolos aduenit, vt sicut baptizamur, & sic Spiritum sanctum accipimus, sic aqua benedicta prius nos & loca nostra respergamus, & sic aduentus Spiritus sancti memoriale, scilicet horam tertiam decantemus. Cur autem dominica

Universidad de Deusto
Biblioteca

die sic nobis baptismatis sacri memoria renouetur, supradictũ est, vbi de sacra Paschæ solennitate vel ordine pro posse diximus, hæc ergò & cęteræ, quæ absq; aquæ benedictione aguntur, processiones, iure pręmissã sequuntur horam tertiam, & secuturo sine interruptione iunguntur officio missæ.

De Dominica post ascensionem domini. Caput XI.

Luc.24. DOminicę huius officiũ vox est apostolorum, qui iuxta præceptũ domini ascendentis, sedebant in ciuitate, quoadusq; induerentur virtute ex alto, vt erant vnanimiter orantes cum mulieribus & matre Iesu, sicut in Actibus Apostolorum legitur. Nõ solum autẽ illorum, sed & nostra vox est corde & ore proferẽda in aures domini, vt spiritus eius gratia dignanter ad nos vsq; descendat, quia videlicet corporis eiusdem, in quo præminent apostoli, nos quoq; membra sumus licet vltima. Descendat, inquam, in nos vnguentũ illud, quod plenariè redundãs in capite, id est, Christo: descendit primum in barbã Aaron, id est, montani, scilicet eiusdẽ Christi domini nostri, super montẽ cœli exaltati: in barbam, inquã, id est, in fortes atq; perfectos viros, patres nostros apostolos, descẽditq; & in ora vestimenti eius, id est, in vicinos Apostolis electos ex Iudæis, & sicut ros descẽdat in montem Sion, id est, in omnem ex nobis gentibus fidelem. Huic ergò expectationi præsentis Introitus officij valde congruit.

Actor.1.

1.Reg.16. 7.Reg.2. 3.Reg.3.

Psal.132. Exaudi domine vocem meam, qua clamaui ad te. Psalmo nanque vicesimo sexto descriptum est hoc, titulus hic inscribitur: Psalmus Dauid priusquam lineretur, id est, in regem vngeretur. Qui & mittit nos ad historiam. Dauid adhuc in domo patris sui, scilicet Bethleem, puerulus vnctus est à Samuele, regẽ illum futurum spiritu sancto sic præsignãte. Deindè vnctus est in Hebron, & super tribũ Iuda, tamen regnauit mortuo Saule. Postea verò tertiò vnctus est, quandò totius Israelitici populi prouinciam accepit. Quæ vnctiones nobis mysticant aliquid. Sicut enim tertio vnctus est Dauid, sic quique fideles participes debent esse ternæ vnctionis. Prius in baptismo, vbi gratia spiritus sancti innouantur: secundò, quandò per impositionem manuum episcopi donis eiusdem spiritus sancti augmentantur: tertiò, in die iudicij, quandò eiusdem spiritalis gratię perfectam dulcedinem adipiscentur. Non est autem credendum Dauid fecisse hunc psalmum, antequã in domo patris lineretur, sed an post illã vnctionem statim, an post secundam fecerit, incertum est. At nos quidẽ post secundam vnctionem in expectatione tertię hoc officium canimus, iam enim impositionẽ manuum ab episcopis accepimus. Apostoli autẽ quorum expectationem imitatur, secundam post primam vnctionem præstolabantur. Nam illi post peccatorum remissionem, quam in morte Christi acceperant, insufflante illo ac dicẽte: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, manuum impositionem expectabant de cœlo, ab eodem pontifice magno, qui penetrauit cœlos, Iesu Christo, quæ secunda extitit illis vnctio. Nos autem, hac secunda per illorum officium, ab Episcopis cum sacro chrismate accepto, tertiam expectamus gratiam pro gratia, quam in illa cœlesti percipiemus Ecclesia, tanta plenitudine, vt meritò vocetur ebrietas, & affluens voluptas, sicut dicit Psalmista: Inebriabuntur ab hubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Et Esaias dicit: Dicit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem. Donum quippè Spiritus sanctus in Sion, id est, in præsenti Ecclesia, quantus libet ignis est, in Hierusalem autem, id est, in cœlesti patria caminus plenus & indeficiens est. Igitur secundum prædictam expectationẽ cantamus in Introitu: Exaudi dominevocé meam qua clamaui ad te, & quia non sufficit vox corporis, addimus: Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, &c. Epistola qualiter hoc ipsum orare debeamus, indicat dicens: Estote prudentes & vigilate in orationibus, &c. Euangelium, cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, idcirco congruè legitur, quia promissionem eandem apostoli expectabant proculdubiò in mente & in ore habebant simul & orationem, quam in fine sermonis pro ipsis & pro nobis, qui per verbum eorum crediturieramus, orauit, ad patrem. Propter quod & communio congruit: Pater, cùm essem cum eis. Offerenda quoq;: Lauda anima mea dominum, ab re non discrepat, quia sic scribit Lucas: Et erant in templo laudantes & benedicentes Deum.

Psal.26. 1.Pet.4. Iohan.15. Luc.24.

Cur hactenus Apostolicæ literæ ad vigilias lectæ sunt. Cap. XII.

IDcirco per hos dies dominicę resurrectionis, id est, à Pascha vsq; ad Pentecostẽ. apostolicæ literę lectæ sunt in vigilijs nocturnis, videlicet Actus Apostolorum, Apocalypsis, cum septem canonicis epistolis, quia testimonium personant eiusdem resurrectionis, sicut scriptum est, quia virtute magna reddebant apostoli, videlicet tam voce, quam literis testimoniũ resurrectionis domini nostri Iesu

Actor.4.

Iesu Christi. Diebus autem quibus tempus illud significatur, quo ante passionẽ suam in hoc mundo vixit dominus, idcirco Paulus legitur Apostolus, quia penè vbiq; totã intẽtio eius est approbare gratiam toti mũdo, id est, tam Iudæis quam gentibus fuisse necessariam, nec vllũ ex operibus legis, sed sola fide Christi posse saluari. Itaq; toto tẽpore, quo siue antè, siue post passionem suam dominus noster præsentia cõmemoratur, cõgruè noui testamenti præcones loquuntur, vt quasi ab spõsi præsentis huberibus, filij eius lacte cõsolationis potentur. Hæ siquidem scripturæ hubera illa sunt, de quibus eidẽ sponso in Cãticis Ecclesia dicit: Quia meliora sunt hubera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

Cant.1.

Finis libri IX.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER DECIMVS.

De aduentu seu diuinitate siue operatione sancti spiritus. Caput. I.

QVam venerabilis & amplectẽda sanctæ matri ecclesiæ filijsq; eius vniuersis debeat esse deaduentu Spiritus sancti solenni tas, cõsiderata personæ aduenientis dignitas, simulque causa aduentus eius euidenter demõstrat. Ipse enim Deus & dominus est, patri filioque consubstantialis & coæternus, increatus, atque immensus: vtpotè creatricis tertia persona trinitatis, cui absque gratia, nulla in ordine cœlorum cõsistit creatura rationalis: à quo recedens angelus, diabolus factus est, ad quem accedẽs homo, Deo similis redditus est. Causa autem aduentus eius hæc est, vt quia sponsus ablatus est, filiorum eius curam atque tutelam pupillorum suscipiat, & testamento patris legatam illis, imò sanguine eius conscriptam hæreditatem, aduocatione legitima defendat, in omni prætorio, coram quouis iudice, rege aut tyranno siue principibus terræ. Proponenda nanque erat lis in iudicio de terminis paternæ possessionis: & quum antiquus dierũ dixerit huic, de quo loquimur, sponso, pupil

Psal.2. lorum patri: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ, futuri tamen erant qui hereditatem eius nimium vellent angustare, aut etiam annullare, vt Iudæi, qui in sua tantum synagoga: vt Donatus, qui in sola coartare contendit Africa: vt pagani, qui nullam illius possessionem vsquam esse volebant. Præterea cœlorum prædia, quæ pertendere potearant filij supradicto patris testamento, sibimet legata, insidiantibus malignis spiritibus, tutorem hunc fidissimum adesse oportebat, qui illos erudiret, protegeret, atq; pro delinquentibus interueniret. Nã quid oremus (inquit Apostolus) si vt oportet nescimus, sed

Rom.8. ipse spiritus pro nobis postulat gemitib. inenarrabilibus. Igitur iuxta personę aduenientis dignitatẽ, & aduentus causam, gloriosa, splendida, venerabilis, & dulcis est sanctæ ecclesiæ domui solennitas hæc de aduentu Spiritus sancti, æquè vt illa sacrosancta festiuitas dominicę resurrectionis, quia videlicet sicut nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset: ita nihil nobis redimi profuit, nisi Spiritu sancto illuminari, & peccatorum remissionem accipere profuisset.

Qua autoritate sabbato Pentecostes, sicut & sabbato Paschæ baptizandum sit. Caput. II.

QVapropter hæc duo tempora, id est, Paschæ & Pentecostes, à Romanis pontificibus ad baptizandum præfixa sunt. Vnde magnus Leo scribens ad vniuersos per Siciliam constitutos, cum de sabbato sancto paschæ, quo baptizandũ sit, dixisset, adiecit. Additur sanè huic obseruantiæ, etiã Pẽtecostes, ex aduentu Spiritus sancti, solennitas, quæ de Paschalis festi pẽdet articulo, & cùm ad alios dies cętera festa pertineant, hæc semper ad eũ diem, quæ resurrectione domini est insignis, occurrit, porrigens quodãmodo auxiliantis gratię manum, & eos quos à die Paschæ, aut molestia infirmitatis, aut lõginquitas itineris aut nauigationis difficultas intercluſit, inuitans, vt quibuslibet necessitatibus impediti, desiderij sui effectum dono Spiritus Sancti consequantur. Et paulò post: Hoc autẽ nos non & nostra persuasione defendimus, sed apostolica autoritate satis idoneo probamus exẽplo, sequẽtes beatum Petrũ apostolũ, quę in ipso die, quo omniũ credentiũ numerum promissũ Spiritus sancti repleuit aduẽtus trium miliũ populũ sua prędicatiõe cõuersum, lauacro baptismatis cõsecrauit, quod sancta scriptura, quę apostolorũ continet actus, fideli historia docet, dicens: His auditis, cõpuncti sunt

Actor.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cti sunt corde, & dixerunt ad Petrũ & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiã, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini nostri Iesu Christi, &c.

Matth.28. Luc.11.

Digna sanè & iusta tanti domini reuerẽtia, quoniã æquitas paribus in rebus paria iura desiderat, vt quia filius non nisi in digito Dei fortè armatũ resurgẽdo deuicit, & vasa eius diripuit, atq; mũdauit, æquè huic digito Dei, scilicet Spiritui sancto, aduenienti, sicut & filio resurgenti suũ repræsentetur opus, id est, sacri baptismatis effectus, maximè quia baptismatis eiusdem regeneratio, propria sancti spiritus operatio est. De cuius regenerationis sacramento nonnulla superius in sancto Paschæ sabbato, simulque de lectionibus & cantibus ad idem sacramentũ pertinentibus, quantum proposita breuitas permisit, exposita sunt, quæ digna quęsitu videbantur.

Quid pertineat ad sancti spiritus gratiam, lectio, Tentauit Deus Abraham. Cap. III.

Gene.12.

VEruntamen nũc illud prętereundũ nõ est, quid ad baptismi gratiam pertineat illa, q̃ de hac die legitur lectio: Tẽtauit Deus Abraham. De qua re quærentibus facilis & aperta patet responsio, quia videlicet in illa, quam celebramus, effusione sancti spiritus, illud impletũ est, quod in hac lectione patri nostro Abrahę Dñs ait: per memetipsum iuraui, quia fecisti hãc rem, & nõ pepercisti filio tuo vnigenito, benedicã tibi & multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & sicut arenam quę est in littore maris. Maximeq; quod addidit: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, atque in semine tuo benedicentur omnes gentes terrę, pro eo quod obedisti voci meæ. Illud, inquã, nũc impleri cœptum est, quãdò Spiritus Sanctus Apostolorũ pectora inuisibiliter penetrãs, nouũ dedit sanctificationis signũ, vt in ore eorũ omniũ genera nascerẽtur linguarum. Sanctus enim Spiritus tunc omnibus dari cœpit gentibus, manifesto super gentiles Corneliũ & alios nõnullos veniens signo, qui vna & sola Dei benedictio est, qua benedicuntur oẽs gẽtes in semine Abrahæ, qui est Christus, quem in vtero virginis idẽ Spiritus sanctus præuenit in benedictionibus, id est, omnium gratiarũ suarum effusionibus, vt de plenitudine eius nos omnes acciperemus. Tractus hãc lectionem idcirco nullus prosequitur, quia canticum pater Abraham pro hoc facto nullum ceciniſſe scribitur, quippè quibus vel cũ quibus caneret nõ habebat, vnus & penè solus Dei cultor, idẽque in terra aliena peregrinus. Cætera, vt supra dictũ est, in officio sabbati Paschalis pro posse dicta sunt.

Quòd in honorẽ septiformis spiritus, septem sint officia, quinta vacante feria. Caput. IIII.

IN cunctis sacrosanctæ solennitatis huius officijs autoritas Spiritus sancti prẽminet, cuius & maiestas materiam præbet, quod maximè in epistolis, sumptis de Actibus Apostolorũ, clarum est, in quibusdã tamen Euãgelijs, vel his quæ ad introitus officiorũ, vel quæ dicuntur in offerendis, non adeò liquet in superficie literæ, quòd personam vel propriam sancti Spiritus operationem prędicẽt: sed si perscrutemur, & vt ad latentia grana perueniamus, spicas manibus confricemus, cuncta ad illius operationem atq; ad baptizatorum cõpetentẽ pertinere patebit instructionem. Sunt autem ab hoc sabbato vsque ad aliud sabbatum officia septem: vno die, id est, feria quinta proprium non habente, sed de dominica mutuante officium, videlicet in veneratione posita septem eiusdem Spiritus sancti donorum. Sed in his eo contenti non erimus, vt iuxta propositum in officijs quæramus partium concordiam, magisq; opificẽ nostrę salutis inquirendo, venerabimur sancti spiritus diuinitatem. Dignum quippè est, vt prophetica vel euangelica seu Apostolica pensando dicta, quæ in his cõgesta sunt officijs, organistam antiquum suis ex vocibus, non recentem agnoscamus esse Deum, præsertim cùm in his quoque, quæ hoc minus in litera personare videntur, magnificentius interdum comprobetur, interiore fideliter põderato sensu, vt est illud: Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.

Psal.80.

Cur Apostolus Paulus eos, qui in Iohannis baptismate baptizati fuerãt, nihilominus baptizari fecerit. Cap. V.

Actor.19.

LEctio Actuum Apostolorum, Factũ est cùm Apollo esset Corinthi, &c. Cunctis huius hebdomadæ diebus lectiones de Actibus Apostolorũ sumptę, sancti Spiritus euidenter prædicant potentiam simul & gratiã, qua teneram nascentis Ecclesiæ, cum tanta dulcedine lactabat infantiam, vt imponentibus manus Apostolis, loquerẽtur linguis fideles & prophetarent. Sed hodierna, id est, sabbati lectio, vnicã baptismi Christi commendat dignitatem, in eo quod Paulum discipulos, qui baptizati fuerant in Iohannis baptismate, rebatizasse, imò quia baptizati nõ fuerant in nomine domini Iesu, baptizasse commemorat. Causa autem manifesta est, videlicet quia baptismus Iohannis non ad eandem virtutem pertinuit, quam operatur in nobis baptismus Christi. Primo, quia Iohannes baptizabat in pœnitentiam, Christus verò baptizabat in remissionẽ peccatorum. Deinde, quod maximum est, Iohannes nõ baptizabat in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, quæ sola & vnica regula est baptizandi, quam suo sanguine conscriptam, saluator post resurrectionem suam & non ante discipulis suis contradidit. Quæ tantæ virtutis atq; autoritatis est, vt quantacunque dicat quis inter mersionẽ, si cuncta ex ordine quatuor Euangelia percurrat, totãq; fidei catholicę decantet expositionẽ orthodoxam, hanc autem solã omittit regulam, verbum abbreuiatum quidem, sed consummans: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritu sancti. Si, inquam, istud omittit, non fecit opus baptismi, atque ideò frustratus, qui sic intinctus est, nihilomin⁹ baptizari indiget. Quòd si sola hęc verba deprompta fuerunt, quicunque sit ille verbi & aquæ minister, quicũque baptizet, siue columba, siue coruus, id est, siue castus, siue adulter aut ebriosus, siue catholicus, siue hæreticus, siue etiam ludo quis fortè baptizet: nullatenus baptismum licet iterari, ne tanti nominis inuocatio videatur annullari. Vnde licet ferè nemo dubitet, libet tamen quiddam ad hoc pertinens inserere, quod Ecclesiastica de Athanasij principijs refert historia.

Esai.10.

Athanasius dũ puer esset, per ludum ferè baptizauit quendam.

Tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander episcopus agebat, cum post expleta solennia, conuenturos ad conuiuium suum clericos expectaret, in loco mari vicino videt eminus puerorum super oram maris, ludum, imitantium (vt fieri solet) Episcopum, atque ea quæ in Ecclesijs geri mos est. Sed cum intẽtus diutino pueros inspectaret, videt ab his geri quædam etiam secretiora & mystica. Perturbatos ilico vocari ad se clericos iubet, atque eis quid eminus ipse videret, ostendit. Tum abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumq; adessent, quis eis ludus, & quid egissent vel quomodò, percontantur. Illi, vt talis habet ætas, pauidi negare primo, dehinc rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos à se esse quosdam catechumenos confitẽtur per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligẽter inquirens ab his, qui baptizati dicebãtur, quid interrogati fuerint, quidue respõderint, simul & ab eo qui interrogauerat, vbi videt secundum religionis nostrę ritum cuncta cõstare, collocutus cum concilio clericorum, statuisse traditur, illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea, quæ à sacerdotibus mos est.

Manifestum est igitur, baptismũ Iohannis longè imparis fuisse virtutis à baptismo Christi, neq; vlla quæstiõe opus est, cur apostolus Paulus eos, qui tantũ in Iohannis baptismate baptizati fuerãt, nihilominus baptizari fecerit: quippè qui interrogati, si Spiritũ sanctũ accepistis credentes, respõderunt: Sed neq; si spiritus sanctus est, audiuimus. In quo satis liquet, quantæ imperfectionis baptismus Iohannis fuerit, in quo nec nominabatur is, in quo solo baptismi subsistit virtus, spiritus sanctus, in quo baptizat Christus, sicut idem Iohannes ait: Ego baptizo vos in aqua, ille vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Et item: Qui misit me, inqt, baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem sicut columbam, & manentem in eo, ille est qui baptizat in spiritu sancto.

Iohannes non baptizauit in spiritu sancto, sicut Christus.

Actor. 16.

Matt. 3. Iohan. 1.

De proprietate consolationis, secundum quam Spiritus sanctus alius datus est paracletus. Caput. VI.

SPiritus sanctus, sicut alia persona est quã filius, sic proprietate consolationis suæ qua consolatur nos, alius est paracletus, propter quod Dei filius multa de seipso locutus, ait in hodierna lectione sancti Euangelij: Et ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis, quod vt tandem commodius patefiat, discretione diligenti opus est, ad cognoscendum quid propriè per filium, quid propriè pater, in creaturis operetur per spiritum sanctum.

Iohan. 14.

Omnium substantia creaturarum per filium condita est, sicut Euangelista testatur, dicens: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed omnibus exceptis quæ ad præsens negotium non pertinent, de angelica & humana tantum substantia dicendum est.

Iohan. 1.

Omnis humana vel angelica creatura, omnesque substantiales qualitates, sine quibus nusquã vlla potest vel cogitari substãtia, videlicet esse, viuere, sentire & discernere, quæ naturaliter insunt, & idcirco eidẽ abesse substantiæ non possunt, per filium simul cum ipsa substantia cõditæ sunt. At verò bene esse, sanctè viuere, rectè sentire, prudenter discernere, vel sapienter intelligere, accidentales qualitates per spiritum sanctũ appositę sunt. Quas ex eo constat accidentales esse, quia videlicet adsunt bono, & absunt malo homini vel angelo, natura vel substantia permanente. Et ne quis calumniæ locus patere videatur, sic dictum est, has qualitates accidentales esse, cũ ipse spiritus sanctus, cuius hæc dona sunt, substãtia sit, sicut mulieri proculdubiò

In hominibus & angelis alia per filium, alia per Spiritũ sanctum facta sunt & fiunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

accidens est,fœtam esse,cùm semen, quo imprægnata est, vel illud de quo & per quod semen in ea trãs fusum est,substantia sit. Sed vt ad propolita redeam, nimiam patiuntur penuriam, qui solius creatricis potentiæ beneficium assecuti, solis naturæ suæ bonis vtentes,quæ per verbum creata sunt,necdum meruerunt superioribus ornari,quæ à patre & filio dantur per spiritum sanctũ. Amplius verò miseri sunt, qui illa nunquã accipere merentur, qualibus dicit dominus: Væ vobis, quia habetis cosolationem vestram. Apostoli aũt nõ eiusmodi erãt, qui nunquam accipere merentur: nõdum tamen diuinę dispensationis ordo poscebat,vt iam acciperent,iãq; perficerẽtur. Et quod inter eos filius Dei erat,quod nondum spiritu dato cum illis loquebatur, & inter eos ambulabat,præparatio temporis erat, quo mentibus eorum per eundem spiritum infunderetur, per quem in vtero virginis,humanæ naturæ fuerat vnitus. Quodque dicebat eis, Rogabo patrẽ meum, & aliũ paracletum dabit vobis,vt maneat vobiscũ in æternũ,tale est,ac si sponsę amãti,quę dixerat, Osculetur me osculo oris sui, dicat inter osculа os amici post parietem stantis, per fenestram respicientis:Diruã parietem hunc, qui oscula nostra vix per fenestras admittit, diuidens inter te ventrẽq; meum eburneum, distinctum sapphiris,& mox erimus duo in carne vna,fietque per infusoriũ seminis,vt vltrà sterilis non sis.Cùm enim hæc ante passionẽ suã loqueretur dñs,adhuc stabat paries inimicitiarũ,id est, originale peccatum inter homines & Deũ.Corporalis autẽ præsentia Christi,tanquã os erat dilecti,qui tot osculis amicam alliciebat, quot doctrinis vel miraculis Ecclesiã in paucis discipulis adhuc paruulam ad fidem inuitabat. Sed sicut solo nunquam amica concipit osculo,sic animæ illorum impręgnari non poterãt virtute verbi,quod est semen Dei patris,nisi per ingressum Spiritus sancti copula Dei nostrarumq; animarũ perficeretur,& per illũ vsq; ad interiora ventris earũ semen,quod est verbũ Dei,perferretur. Quo facto, statim renuit consolari anima eorum in temporalibus seu naturalibus humanæ creaturæ bonis,& idcirco omnem rerum sæcularium consolationem respuerunt,quia memores fuerũt Dei,id est,intellexerũt Deũ esse incõparabiliter dignius &altius bonum, & hoc intelligẽtes delectati sunt. De hac patris & sui cognitione, paulo superius dixerat dñs:Si cognouissetis me,& patrẽ meum vtiq; cognouissetis. Nam de qua cognitione dixit, nisi de experimento amoris? Siquidem pro experimento copulæ naturalis, in sacra scriptura tam honestè quam propriè dici consuetum est,virum vxorẽ,vel vxorẽ cognouisse virũ. Qua similitudine, quia cognoscendus erat Deus ab Ecclesia, per passionem filij,qui hęc loquebatur,acquisita,statim addidit: Et amodo cognoscetis eũ.Et quia sic cognouisse videre est,continuo subiecit: Et vidistis eũ,præteritum ponens pro futuro, quod certissimè futurum est,eo loquendi more,quo & paulò post dicturus est, Et iam non sum in mundo. Quod si cui nõ placet,ostendat quomodo aliter quàm per amorem suum Deus veraciter vel vtiliter cognosci potest, aut quomodo iã viderunt patrem, cum ipse filius nunc dicat: Si cognouissetis me,& patrẽ meum vtiq; cognouissetis.In qua propositiõe præcedẽs atq; consequens, discipuli non cohærere arbitrantur. Vnde ait Philippus: Dñe ostende nobis patrẽ, & sufficit nobis,ac si dicat: Te quidem ostendisti,& videmus te tantummodo,patrẽ nobis ostende. At ipse hunc illorum non approbans sensum,quia nihil superesse putabãt de filio quod nõ vidissent,cum & ipse sit Deus,qui æquè vt pater corde videtur, sicut alibi dixit: Beati mundo corde,quoniã ipsi deũ videbunt, ait: Tanto tempore vobiscũ sum, & non cognouistis me? Non enim me cognouistis,qui viso me secundum hominẽ,totum vidisse putatis. Qui videt me, vidit & patrem. Sed patrem nõ vidistis,sicut ipsi fatemini,ergo nec me vidistis, quia ego in patre & pater in me est. Quod non localiter accipiendum est,nec sic esse potest,sed hoc est quod ait: Cognitio patris in cognitione filij, cognitio filij in cognitione patris est. Quæ vtriusq; cognitio per spiritum sanctum fit, & hæc sola est consolatio sanctorum in hoc seculo peregrinantium,quia subleuati,ferũt patienter, imò gratãtur,quod eos mundus odit, exprobrat, ejcit, persequitur,flagellat,occidit:& tam in prosperis quã in aduersis,orante pro illis hoc spiritu gemitibus inenarrabilib. pro refectione habent flere,sicut scriptum est: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die & nocte, &c.

Igitur quia propria spiritus sancti operatio hęc est,rectè alius paracletus dictus est.Sequiturq; hęc offerenda, Emitte spiritum tuum,&c. Hoc enim alio loco paracleto dato, hoc spiritu emisso, creantur homines noui, & sic renouatur facies terræ nostræ, q̃ maledicta est in peccato Adæ, & damnata spinas & tribulos, pullulante carnis luxuria, germinat: renouatur, inquam, & nouam profert creaturam, cuius expectatio (sicut ait Apostolus) reuelationem filiorum Dei expectat, quæ ingemiscit & parturit, vsque dum in illa reuelatione filiorum Dei, reuelet semen Dei,quod per hunc spiritum, primum à baptismi gratia concepit.

Egeni & miseri homines, id est, solis naturalibus. Luc.6.

Christus corporali præsentia parabat Apostolos ad gratiam Spiritus sancti. Iohan 14. Cant 1.2. Ibidem. Ephe.5.2. Non per solum verbũ, sed per Spiritum sanctum concipit & impręgnatur anima fidelis.

Psal.67. Cognitio Dei est, per amorẽ, qui est Spiritus sanctus.

Iohan.14.

Iohan.17.

Iohan.14. Domine ostẽde nobis patrem.

Matth.5. Iohan.14.

Rom.8. Psal.41. Emitte spiritum tuũ. & creabũtur. Psal.103. Gen.3.

Rom.8.

Quomodo anima rectè benedicit dominũ

Indè in sequẽti versu hortatur seipsam prægnans anima,benedicere dominum propter suã vehementem magnificentiã. Quæ benedictio vel gratiarum actio,si tantum labijs fiat,adulatio est apud Deum: si autẽ corde diligente illam, quam laudat magnificẽtiã, beneuolentia præmio digna iudicatur apud eũ. Vnde rectè magis internum animæ spiraculum,quàm linguæ plectrum hortatur ad benedicendum dominum. Talisq; cõfessio decora est, quã induit dominus, & ea tanquam luminoso amicitur vestimento. Causa benedicendi dominũ magis in hoc versu expressa, hæc est, Extendens cœlum sicut pellem. Nã per hunc, de quo loquimur, spiritum sanctũ extenditur cœlum, id est, scriptura prophetarum. Extenditur (inquam) sicut pellis, in qua nihil latet cum extensa fuerit. Qui tegis (inquit) in aquis superiora eius, id est, excellentem illis viã charitatis in donis spiritus sancti superfundis Communionem, Vltimo festiuitatis die, manifestum est, ad donum spiritus sancti pertinere, de quo ait: Qui in me credit, flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ, hoc enim dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Psal.103.

Extendens cœlum sicut pellem.

Iohan.7.

De processione eiusdem Spiritus sancti à patre filioq; procedentis. Caput VII.

Verba Christi digne pensanda.

SEd quia propositum nunc est,non solum partium consonantium in officijs, sed & diuinã quærere potentiã spiritus sancti,prætereunda nõ hæc est sentẽtia saluatoris, q̃ nõ sola cõmẽdat dignitas sensus sui, sed & reuerẽda autoritas dicẽtis,maxime quia cũ clamore, vt attentos faceret,edixit. Sic enim scriptũ est: In nouissimo autem die magnæ festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat, &c. Itaq; si auditores sumus non ingrati, & tali oratore digni, non solum quid dixerit,sed & quali tempore dixerit (nã & hoc ad rem attinet) cõsiderem⁹ benevoli, dociles & attenti. Dies festus erat Iudęorum Scænopegia. Quid sit scænopegia, nouerunt (inquit Augustinus) qui scripturas legerunt. Faciebant die festo tabernacula, ad similitudinẽ tabernaculorũ, in quibus habitauerãt, cum educti ex Aegypto peregrinarentur in deserto. Iste erat dies festus,magna solẽnitas. Celebrabant hoc Iudęi, velut remissẽtes beneficia dñi, qui occisuri erãt dñm. In huius festiuitatis nouissimo die stabat Iesus & clamabat, inuitans ad bibendum non qualescunq;,sed quosq; sitientes. Bene. Inter ea dum reminiscerentur (vt dictum est) beneficiorum Dei, dirigebatur ad eos clamor inuitantis ad populum Spiritus sancti. Nos aũt educti de Aegypto infidelitatis, liberati à captiuitate & seruitio spiritualis Pharaonis, & traducti per mare baptismi, núc in eremo vitæ præsentis peregrinantes habitamus in tabernaculis, quæ sunt ecclesiæ vel cœnobia, in quibus militamus, donec ad regnum supernę hæreditatis perueniamus. Si ergò memores beneficiorum Dei festa celebramus, à malis operibus vacantes,& in contemplatione diuinæ bonitatis exultantes, qui per passionẽ vnici filij salutem nostram operatus est, clamorẽ inuitãtis audimus, in siti currimus, bibimus, quia sic nobis benigna diuinitatis vena, scilicet spiritus sanctus, aperitur.

Scænopegia Iudæorum.

Leuit.25.

Mystica & vera festa huius celebratio.

Quo ordine fiat eadem processio sancti Spiritus. Cap. VIII.

MAgnares & à Deo speranda, quam cõsiderare proposuimus, scilicet quo ad creaturam suam ordine veniat spiritus sanctus. Quod vbi animaduersum fuerit clarebit & hoc, quã rectè in Euangelio, procedens dictus sit. Ordo necessarius hic est, vt prius in creatura rationali, bona voluntas excitetur erga creatorem, consideratione beneficiorum eius. Hæc verò vt nõ deessent, ille prouidit filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo (inquit Apostolus) nõ cum illo nobis omnia donauit? Sed sunt homines ingrati, qui sicut in operibus mundi nulla beneuolẽtia laudant deum artificẽ, quos Apostolus percutit dicens: Qui cùm cognouissent Deũ, non sicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt, ita cùm prædicatur eis tãta charitas Dei, quòd pro nobis filium suum tradidit, non venerãtur magnitudinẽ beneficij, sed irridentes vt stultitiam verbum crucis Christi. Tales spiritus nunquam dignatur, quia Deo odibiles, ingratitudine nimia legem naturalem pręuaricantur. Naturale nãq; est homini amantẽ redamare, & opus quod laude dignũ, quodq; indignũ sensum, sit, posse discernere. Quod quia vitio suo, vi delicet quia ingrati sunt erga Deum, facere nolunt, meritò spiritus Dei semetipsum non credit eis, eosq; in desideria cordis ipsorum, in immunditiam, in passiones ignominiæ, & in omnẽ reprobum sensum, sicut Apostolus ait, traditos derelinquit. At verò quorum ineuitabilem diabolicæ nõ cæcauit telum inuidentiæ, cognoscentes ex operibus mundi artificem, venerantur illum, & beneuole sapientiã eius laudant in æquitate operum, magis autem incarnatum & passum pro omnibus audientes, Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, diligunt, approbant, amplectuntur, honorant. Vnde est illud in Canticis:

Deus exboneficijs glorificandus.

Rom.8.

Rom.1.

Rom.8.

1.Cor.1.

Homines deo nimiè ingrati, ut reprobum traduatur

Rom.1.

1.Cor.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cant. 1. Creator & sponsus: anima & sponsa.

Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. Itaq; quemadmodũ in sponsalibus, primum sponsæ ostenditur sponsus, laudatur genus, fortitudo prædicatur, diuitiæ numerantur & forma commendatur, per quæ omnia mutuus affectus, voluptariusq; puellæ exigitur assensus: & tunc demum per conuentum amoris, is, qui in suis placuerat, totus in seipso cognoscitur. Ita creator noster prius animarum nostrarũ in se excitat affectum, suorum ostensione operum, suæq; diuinitatis omnipotentissimæ & incarnatiõis sacrosanctæ, fideli prædicatiõe, & deinde vbi seipsum placuisse viderit, contideter accedit, sicut de muliere forti scriptũ est: Confidit in ea cor viri sui, & plenitudinẽ sui amoris, id est, spiritum sanctum, in illam effundit. Ibi manifestat ille seipsum, quod nunquam per aliud fit, nisi per hunc, de quo loquimur, spiritum sanctum. Idcirco iamiam passurus dominus, & post eandem passionem suam hunc spiritum daturus, dilectionẽ attentius cõmendabat, videlicet vt dilectio cordis humani, dilectioni Dei, qui est spiritus sanctus, occurreret locumq; præpararet. Iã, vt ad superiora reuertamur, talẽ dilectionis sitim requirebat, quum in templo stans & clamãs dicebat: Si quis sitit, veniat & bibat. Vbi & Scenopegiæ festiuitas, quãdo memores beneficiorum Dei tabernacula faciebant, vt supra dictum est, ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitauerũt per desertum, quandò de Aegypto educti sunt, festiuitas in quam magna, solẽnitatis eius typus erat, quæ nostris in mentibus splẽdere debet, contemplantibus beneficia Dei, quæ per filium suũ redemptorem nostrum magnificè nobiscum egit, & ob hoc sitientibus illum in seipso contueri, quem in tantis suis expertæ sunt beneficijs. In his nimirum clamor ille domini nõ surdas aures inuenit, dicentis: Si quis sitit, veniat & bibat. Et exponens, quã sitim quærat, quid bibendum offerat, adiungit: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Qui credit in me, idem est ac si dixisset, Qui sitit me. Quid enim est in Christũ credere, nisi Christum sitire? Plus quippè multo est, credere in Christum, quam credere Christo, vel credere Christum. Credere Christo, subauditur, quod verum credat, vel credere Christum, subauditur esse, non magnum est. Siquidẽ & dæmones credunt & contremiscunt. At verò credere in Christum, id est, per fidem ambulãdo tendere in Christũ, venerari & amare verbum per quod omnia facta sunt, amplius autẽ quod verbum caro factum, & habitauit in nobis. Qui ergo sitit, illi datur bibere de spiritu Christi. O quãta de inopia subleuatur creatura, vt cum creatore suo vnũ eundẽque spiritum habeat, qui solus æternarũ diuitiarum cumulus est, quo ita inebriatur & impletur vẽter animę, vt de illo fluant aquæ viuæ, scilicet dogmata diuinæ sapientiæ, vt meritò dicatur fons horum, puteus aquarum. Igitur, vt supra dictum est, hic ordo consuetus, hæc præparatio competens est ante aduentum sancti spiritus, vt prius bona creaturæ voluntas erga creatorem excitetur, prędicatione beneficiorum eius, quia testante scriptura quæ dicit, Hominis est præparare animum, domini autem gubernare linguam, itemq; Hominis est disponere viam suam, sed domini est dirigere gressus eius, hac, inquam, scriptura testante, naturale est, vt humanus affectus, id est, bona voluntas erga creatoris benefacta moueatur. Quod vbi non fit, ingratitudinis vitium & superbientis animi contemptus est. Nam quod ait Apostolus: Deus enim est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, supradictæ non repugnat sententiæ. Siquidem hominis est animum præparare, id est, bona velle, dum rationali sensu bonum discernit & approbat, sicut idem Apostolus ait: Nam velle adiacet mihi, Deus vero hoc ipsum velle operatur, dũ gratia sua causas agere, atque homini ostẽdere dignatur, quarum intuitu voluntas eius ad amãdum Deum excitetur. Verbi gratia: Petri Apostoli fuit, vt vellet paratus esse cum domino in mortem & in carcerem ire, sed hoc ipsum velle operatus fuerat in eo pater, qui Christũ filium suũ in hunc mundum miserat, & huic reuelauerat. Et quia Iudæis inuidentibus atque persequentibus, hic & cæteri Apostoli suum velle Deo (sicut iam dictum est) accõmodauerant, idcirco quod suum erat, perfecit Deus, mittendo illis spiritum sanctum, quo accepto Petrus, qui iam velle habuerat, perficere quoq; haberet, scilicet, vt potenter pro Christo in carcerem & in mortem iret.

Prouer. 31. Vbi non est amor, ibi non datur spiritus sanctus.

Iohan. 13.

Iohan. 7.

Si quis sitit veniat ad me.

Iacobi 2.

Iohan. 7.

Luc. 22. Matth. 16.

Cur propriè Spiritus sanctus procedens dicatur, cum filius à Deo processerit, sicut ipse ait: Ego enim à Deo processi & veni.

Cap. IX.

CVm & filius à patre processerit, sicut ipse Iudæis loquitur, dicens: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtiq; me, ego enim à Deo processi & veni, meritò quæritur cur propriè Spiritus sanctus procedens dicatur. Ad quod facilis promptaque patet responsio, quòd videlicet, quia filius semel missus, semel venit redimere mundum per incarnationis mysterium, & sicut omnia per ipsum semel

Iohan. 8. Filius semel processit, spiritus sanctus semper procedit.

mel & simul facta sunt, ita & per ipsum omnia semel & simul restaurata sunt. Propter quod non præsenti tempore ait, Ego enim à Deo procedo, sed præterito, Processi, inquit, & veni. At vero Spiritus sanctus non semel neque cuncta simul electorum pectora perlustrat, sed diuersis temporibus venientes diuersis modis visitat, id est, gratiarum diuisiones, vnus idemque Deus ac dominus variè dispensat, de cuius sanctificatione ait filius: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Duplex est enim operatio Dei. Et de alio opere Dei, quod per filium operatus est, scilicet de creatione omnium, scriptum est: Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Idcirco cum de Spiritu sancto loqueretur filius, dicens: Cùm venerit paracletus, quẽ ego mittã vobis à patre, spiritũ veritatis, præsenti tempore ait: Qui à patre procedit. Et sicut lunæ corpus integrum semel in cœlo formatum est, semper autem beneficio solis, vt ab illo illustretur, indiget, quia lumine proprio non lucet: sic Ecclesia sancta semel in baptismo nata est, sed semper inter præsentis vitæ defectus varioque labores gratia sancti Spiritus visitari ac refici opus habet. Quapropter vultui diuinitatis assistere satagit, dum quotidie creatori suo pro beneficijs eius gratias agit, verbi gratia, dum in consecratione Eucharistiæ dignum & iustum esse confitetur, illi semper & vbique gratias agere, cum cœli cœlorumque virtutibus suas quoquè voces admitti deprecans: quia per Christum dominum nostrũ & ipsa condita, & per eundem benedictum qui venit in nomine domini, redempta est. Hac enim maximè beneficiorum eius commemoratione vultui creatoris sui occurrit, & tanquam luna, vero soli faciem cordis obijcit, sicque spiritu sanctificationis, & in illis qui fortè necdum acceperunt, initiatur, & in illis qui iam acceperunt, per adiectionem muneris perficitur.

1. Cor. 12. Iohan. 5. Eccle. 18. Iohan. 15.

Ecclesia, & luna, sẽper indiget lumine solis, id est gratia spiritus sancti.

Phil. 2.

Prouer. 16. Rom. 7.

Filius gemitus, spiritus sanctus procedens.

Rectè igitur Spiritus sanctus, qui à patre procedit, solus procedens dicitur; filius verò, quia non procedo, sed processi, ait, & veni, non procedens, sed genitus, vt verè est, asseritur. Processit enim ante omnia tempora, de corde patris natus: venit in tempore, ex Maria virgine incarnatus.

Item vndè supra, & quod Spiritus sanctus sit capabilis humanæ animæ, quod est proprium diuinæ substantiæ.

Cap. X.

SI prudenter verba domini superius posita aduertimus, qui loquens de spiritu quem accepturi erant credẽtes in eum, Si quis sitit, inquit, veniat & bibat, &c. veram & perfectã sancti Spiritus diuinitatem, in his quoque agnoscimus, de qua nunquam aliquid aridus & inanis bibit Macedonius, omnesque alij quicunque blasphemando in Spiritum sanctum, æterni delicti rei conuincuntur. Quod vt manifestum fiat, primo ponendum est illud, de quo nemo dubitat, scilicet, potum hunc non carne, sed spiritu percipi, non ore, sed corde: non palato, sed ratione discerni. Quod autem bibitur, profectò bibentis interiora penetrat, suaque substilitate capabile, crassiora atque ideò sui capacia complet receptacula. Constat igitur, quod Spiritus sanctus humanæ animæ capabilis sit, eiusque penetret interiora, vtpotè quem illa bibit, id est, in interiora suæ substantiæ recipit. At verò hoc diuinæ substantiæ proprium est, nihilque aliud humanum vel angelicũ potest penetrare spiritum, præter ipsius omniumq; creatorem Deum, cui dicitur: Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum, hic (inquam) solus implet animam spiritus. Nã quod homo arreptitius dæmone plenus dicitur, non sic accipiendum est, vt malignus spiritus spiritum hominis substantialiter intrasse credatur. Vterque enim creatus est, neuter altero adeò subtilior, vt alter alteri capabilis, alteriusque capax sit. Sed ita plenus dæmone qs esse potest, quomodò mero aut febri interdũ non incongruè plenus dicitur. Quod vtique secundum corpus accipitur, quia venas neruosque vel omnes occultos meatus corporis, non etiam animæ substantiam ingressa febris aut ebrietas, habitantem illic in suis sedibus fatigat animam. Igitur Spiritus sanctus Deus est, quia capabilis est humano spiritui, sicut iam dictum est, Christo autore, qui ad bibendum illum sitientes inuitat animas, quo sensu & illud Apostoli accipimus: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, & talia quam plurima.

Iohan. 7. Vera & diuinitas spiritus sancti, quia anima humana capabilis.

Actor. 1. Anima arreptitij non substantialiter recipit dæmonem.

Gala. 4.

Item de processione Spiritus sancti in minore vel maiore visitatione, iuxta illud quod dictum est: Spiritus vbi vult, spirat.

Cap. XI.

CVm verò idem spiritus, humani cordis circuit profundum, nemo quidem scit, nisi ipse qui accipit. Flumina autem aquæ viuę cõsequenter de vẽtre eius fluentia, qui bibunt, de sapore magnitudinẽ infusi muneris agnos-

Universidad de Deusto
Biblioteca

agnoſcunt. Vndè dominus in euangelio: Et vocem, inquit, eius audis, ſed neſcis vnde veniat aut quò vadat. Flumen quippè aquæ viuæ, id eſt, affluentia ſalutaris doctrinæ, quę de ventre fluit in Chriſtum credẽtis, vox eſt ſpiritus vbi vult ſpirantis, qui vbicunq; ſpirauerit circuiens mentis vterũ, fontẽ aquæ viuæ, id eſt, ſenſum veritatis efficit, riuumq; eius ad os dirigens, corporea voce induit, & in aures tuas emittit, perque aures ad animã perfert, cui bibenti ſaporis qualitas verum perhibet, quia ſpiritus ſancti vox eſt, ſcilicet dum infuſus pectori, gratiam multis profuturam in electo vaſe componit. Siquidẽ nec ipſe qui accipit, ſcit vndè veniat aut quò vadat, licet ſciat & ſentiat quando venit & quando vadit, peracta viſitatione ſenſibili. Quaſi enim ſibilum auræ tenuis (vt ait Gregorius) ſubitò percipit, atq; hoc eſt quod de incomprehenſibili ſubſtantia æternitatis conſpicit. Verum per illum in Helia ſibilum auræ tenuem, frequentior viſitatio deſignatur, qua diuinitatis ſaporẽ deguſtat mens, quoties in contemplationis ſublimitate ſuſpẽditur. De illa magis viſitatione ad præſens pertinet opus, qua longè excellentius tunc mens humana clarificatur, quando ad publicũ quis mittendus eſt, vt ad ſalutem multorum, flumina de ventre eius fluant aquę viuæ, vel (vt alibi ſcriptũ eſt) vt à timore domini concipiens pariat, & ſpiritum ſalutis eius faciat ſuper terram. Quomodò miſſi ſunt patres noſtri Apoſtoli, vel Apoſtolici viri, & ſiqui ſcribendi officio magis quàm acceſſu vel preſentia corporis viuam nobis aquam emiſerunt, quam de hoc fonte ſaluatoris, de huius ſancti ſpiritus abundantia, feliciter hauſerunt. In his magnificẽtius tunc illud adimpletur, quod in Cãticis canticorum dicitur: Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & vẽter meus intremuit ad tactum eius. Subitò enim, dum neſcitur, inſilit ſpiritus ſanctus, & quaſi per foramen interius animę clauſtrum illabitur, intremiſcente protinus ad introitum eius infirmitate humani ſpiritus, ob inſolitum vigorem quẽ ſentit & pondus. At ipſe qui illapſus eſt, primitus familiari dulcedinis ſuæ blandimento, quaſi oſculo, pauitantẽ animam conſolatur. Deinde ſecundum opus, ad quod animam illam præparat, exurgens, verbi gratia, ſi hoc intendit, vt (ſupra dictũ eſt) de ventre eius fluãt aquæ viuæ, id eſt, largiora dogmata vitæ: exurgens, inquam, circuit animæ vterum, & circumeundo dilatat, breuem prius & anguſtum mirabili ſuorum incremento circulorum futurum eius ſignificans in diuina ſcientia profectũ, tanta nonnunquã magnitudine inundãs, ac ſi vnum de paradiſi fluminibus per dilatatum eiuſdẽ animę fluat alueum. Intereà miratur ipſa ſuimet amplitudinem, vaſtumq; ſinus ſui deambulatorium, verè ter quaterq; beata, quæ (ſicut ſcriptum eſt) quia dilexit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum, habet amicum regem, videlicet Chriſtum, à quo tale percipit donum. Impleta tandẽ menſura, quam dare vult hic ſpiritus (nam ſicut ſpirat vbi vult, ſic & diuidit ſingulis prout vult) vbi miraculũ conquieſcit, & anima in ſeipſam reuertitur, tum verò recuſare non poteſt, quin ſurgat & dilecto aperiat, id eſt, ad doctrinæ miniſterium ſe accingat, & ea quę clauſa ſunt Chriſto corda aperiat ſemper voce, nonnunquam & literis amouere contendens peſſulum increduli tatis, ſicque progrediens ad publicum, præceptum exequitur, quod intus audiuit: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

De die Pentecoſtes, quomodo dies quo data eſt lex, quinquageſimus computetur, à die qua in Aegypto agnus immolatus eſt, cuius ſolennitatis die Spiritus ſanctus datus eſt.

Caput XII.

PRimo illud prętereundum non eſt, diem illum, quo data eſt lex, in cuius rei memoriam ſolennitas magna erat Pentecoſtes, de quo die ſpiritus ſanctus Apoſtolis datus eſt, diem (inquam) quo poſt tranſitum maris rubri data eſt lex filijs in monte Sinai, planè quinquageſimum fuiſſe ab immolatione paſchalis agni. Nonnulli enim, maximè qui cõputandi ſcientię ſtudent, cum legũt quartadecima die menſis primi immolatum fuiſſe agnum, mẽſe autem tertio, tertia die menſis, deſcendiſſe dominum corã omni populo ſuper montem Sinai, iam enim (inquit ſcriptura) aduenerat dies tertius, & manè incaluerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua &c. cum (inquam) hæc legunt, mirantur & hærent, numerum quinquagenarium à quartadecima die menſis primi vſque ad tertiam diem menſis tertij non conſtare probantes. Nam cum Hebræi ſolos lunares habeãt menſes, & luna primi menſis vnde triginta dies habeat, luna vero ſecundi triginta, profectò à quarta decima die primi, vſq; ad tertiam diem menſis ſecundi, non prætermittenda eſt quæſtio, quæ hoc modo ſoluitur. Tertia quidẽ die menſis ſecundi deſcendit dominus (vt prædictum eſt) ſuper montem Sinai, ſed vide quid poſt hęc ſequitur: Moyſi quoq; dixit: Aſcende ad dominũ tu & Aaron, &c. Soluſq; Moyſes aſcendit ad dominum, & illi non appropinquabant. Venit ergo Moyſes & narrauit plebi omnia verba domini atq; iudicia. Ac de inceps: Et manè, inquit, conſurgens ædificauit altare ad radices mõtis. Et poſt pauca: Dixit aũt dominus ad Moyſen: Aſcendẽ ad me in montem, & eſto ibi, daboq; tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quę ſcripſi, vt doceas filios Iſrael. Itaq; non tertia die menſis quandò dominus ſuper montem aſcendit, ſed die quarta, quandò tabulas & ſcripturam ſuam dedit, lex data eſt. Igitur diem datæ legis ab immolatione Paſchalis agni quinquageſimum extitiſſe planum eſt. Qua die cùm datur ſpiritus ſanctus, mira nobis operum eius cõcordia commendatur, de qua ſufficienter tractatum eſt à ſanctis doctoribus. Sciendum quoque eſt, quod ex præcepto legis, hi dies quinquaginta, nõ ab ipſa Paſchali veſpera, qua immolabatur agnus, ſed à ſubſequente prima ſabbathi incipiebant numerari. Sic enim ſcriptum eſt in Leuitico: Feretis manipulos ſpicarũ primitias meſsis veſtræ ad ſacerdotem. Qui leuabit eum coram domino, vt acceptabilis ſit vobis altera die ſabbathi, & ſanctificabit illum. Numerabitis ergò ab ipſo die, in quo obtuliſtis primitiarum manipulos, ſeptẽ hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, & ſic offeretis ſacrificium nouum domino ex omnibus habitaculis veſtris panes primitiarum duos &c. Itaque à prima ſabbathi, quam nos dominicam diẽ dicimus, id eſt, tranſacto magno die paſchalis ſabbathi, dies quinquaginta incipiebant numerari. At verò dominus noſter illo die reſurrexit, corpuſque ſuum verè nouarum frugum terræ noſtrę faſciculum, verus ipſe ſacerdos coram domino Deo patre ſuo leuauit, & ſanctificauit. Nihil ergò quæſtionis remanet, cur dies ille, quo Spiritus ſanctus datus eſt, qui vtique à die qua reſurrexit, quinquageſimus eſt, ludęorum quoq; fuerit pentecoſtes: quia (ſicut iam dictum eſt) non ab ipſa veſpera paſchali, ſed à ſubſequente prima ſabbathi, dies pentecoſtes incipiebant computari. Offeramus itaque domino hac die panes primitiarum duos, id eſt, pro duobus illi gratias agamus beneficijs, ſcilicet quòd vno eodemque ſpiritu ſuo & olim veteribus legem ac mandata ſcripſit in tabulis lapideis, ſicut Moyſes in Deuteronomio ait, Deditq; mihi duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei. Digitus enim Dei Spiritus ſanctus eſt, & nunc nouis, id eſt, euangelicis patribus gratiam in tabulis ſcripſit carnalibus. Solennemque agamus diem poſt ſeptem ſeptimanas emicantem, & numero ſuo, id eſt, quinquagenario, iubilæum ſignificantem, id eſt, dimittentem, quo ab omni debito dimiſsi, ad antiquam reuertemur poſſeſsionem, quã perdidimus ſub peccato venundati. Nam quomodò poſt ſeptem hebdomadas feſtiuus hic dies erumpit, ſic poſt mundi circuitum, in quo nunc laboramus, ille dies æternaliter feſtiuus effulgebit, quo iam non laborauimus, ſed felici otio cõpoſiti, ſolem verum feſto diademate coronatum ſpectabimus, mirabimur, laudabimus. Nunc ſecundum officium eiuſdem diei, de eodem ſpiritu ſancto (vt cœptum eſt) proſequamur, Epiſtolam in capite ponentes, qua eius narratur aduentus.

Quid ſignificauit, quòd ſonus factus eſt de cœlo adueniente Spiritu ſancto.

Caput XIII.

SOnus qui adueniente Spiritu ſancto repente factus eſt de cœlo, ſignum fuit ſoni qui in omnem terram exiturus erat, cœlis illis, quos nunc firmare veniebat, enarrantibus gloriam Dei, & firmamento conſtantiſsimæ fidei illorum annuntiante opera manuum eius, cum magnifico verbi tonitru & miraculorũ coruſcationibus. Sic enim mox futurum erat, hoc ſpiritu per os illorum intonante Chriſti præconia, vt ad pœnitentiã commoueretur & contremiſceret terra, & fundamenta montium, id eſt, corda ſuperborum conturbarentur & commouerentur, aũdito quoniam iratus eſt eis, niſi pœnitentiam egerint. Vnde & in Apocalypſi, cùm accepiſſet angelus thuribulum, & impleſſet illud de igne altaris, & miſiſſet in terram, facta ſunt tonitrua, & voces & fulgura & terræmotus magnus. Nunc ignis ille mittebatur, vndè & apparuerũt Apoſtolis diſpartitę linguę tãquam ignis, ille (inquam) ignis mittebatur in terrã, quo angelus ille magni conſilij, dudum impleuerat aureum thuribulum immaculati corporis ſui, & nunc aſſumptus in cœlo agebat quod dixerat: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?

Cur Spiritus ſanctus, cuius natura eſt inuiſibilis, viſibilem foris ignem oſtendit.

Caput XIIII.

QVòd vero foris quoque viſibilis oſtenſus eſt ignis, qui vtique non erat ipſa quæ inuiſibilis eſt, ſubſtantia ſpiritus ſancti: quòd, inquam, ignis viſibilis oſtenſus eſt, ſignum nobis fuit diuinæ eius operationis, vt per effectus, quos nouimus, huius noſtri ignis, intelligamus quid hic ignis, hic Deus, hic ſpiritus ſanctus operetur in nobis. Eſt autem multiplex in rerum viſibilium natura, viſibilis ignis commoditas. Cœlum in ſole & luna ſyderibuſque miris ornatibus illuſtrat: terram autẽ non ſolum fuſo deſuper lumine

Iohan. 3. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.
Esa. 26.
Esai. 12.
Cantic. 5.
Illapſus ſpiritus ſancti.
2. Reg. 19. Sibilus auræ tenuis.
Prouer. 22. Iohan. 3. 1. Cor. 12.
Prouer. 5.
Quæſtio de die quinquageſimo.
Exod. 12.
Reſponſio, quod dies quinquageſimus eſt, in quo tabulæ legis datæ ſunt.
Exod. 24.
Leuit. 23.
Deut. 9.
1. Cor. 3.
Leuit. 25.
Act. 2. Pſal. 18.
Pſal. 17.
Apoc. 8.
Esa. 9.
Luc. 12.
Duæ cauſæ ſolẽnitatis pẽtecoſtes.
Multiplex effectus & commoditas ignis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lumine lætificat, sed & beneficio caloris ad gignēdum prouocat, & sinu eius recepta nutrit semina. Prœterea de silicum venis exceptus, & competentibus alimentis enutritus, noctem nobis alleuiat, absentemque diem lux agit æmula, & innumera mortalibus præstat cōmoda, quibus vitę præsentis iuuatur inopia. Ad-
Leuit. 6. Num. 28. 29 de, quòd tunc temporis ex iussu domini semper ardebat in altari, sacerdote iugiter ligna subijciente, quodq; consumebat holocaustū, quodq; sacrificium sic dicebatur, eò quòd esset totum incensum. Sed inter cætera naturalia præclarum hoc habet ignis, quod diuisus in partes, mutuati non sentit detrimenta luminis, horum omnium significationes referri ad Spiritum sanctum & opera eius, his qualitatibus assimilari nouerunt, qui scripturas legunt. Igitur quòd in igne Spiritus sanctus ostensus est, signum fuit, non sibi, sed nobis, quibus diuina maiestas eius ab initio signis loqui consueuit.

Cur cùm Patris & Filij & Spiritus sancti vna sit substantia, magis Spiritus sanctus dicatur ignis. Caput XV.

Sopho. 1. NEc illud omittendum est, cur cùm vna sit substantia patris & filij & Spiritus sancti, magis & penè sola persona sancti i Spiritus appelletur ignis, & nonnunquam ignis domini, vt ibi: In igne enim domini deuorabitur omnis terra. Quod tamen mirum non videbitur, si ad memoriā reuoces, quia propriè vel naturaliter amor est iste Spiritus. Amor, inquam, vel charitas, qua pater filiū vel filius diligit patrem, Spiritus sanctus est, qui & bonitas vtriusq; dicitur & est. Nā si quęras, inquit Augustinus, quis omnia fecit, respondeo, Deus. Si quæras per quid? per verbum suum. Si quęras, quare? quia bonus est, omnia fecit. Et hæc trinitas vnus est Deus. Itaq; amor Dei Spiritus sanctus est. Amor autem tā spiritualis quàm carnalis reuera ignis dicitur & est, adeò sensibiliter calens, vt nemo amantium calorem eius nesciat. Sed cum Deo, cōsubstantialis amor suus sit, sic eodem amore suo Deus ignitus est, vt sine distinctione personarum dicatur Deus, & sit inuisibilis atque incorporeus ignis, iuxta illud Apostoli: Etenim Deus noster ignis cōsumens est. Verum tamen vbi personarum distinctione opus est, cùm quid cuiusq; personæ sit propriū distinguimus, sicut Deum patrem, vitam in se immortaliter viuentem: filiumque eius dicimus veram & incommutabilem sapientiam, per quam vniuersam cōdidit creaturam: sic Spiritum sanctum dicimus amorem eius, per quem cōcupiscit rationabilem & inhabitare appetit creaturā. Qui amor quasi ignis, imò vt verè ignis ad eandem appositā sibi tendit rationalē creaturam, sicut hic ignis visibilis semper in appositam tendit competentem sibi materiam. At illo igne, quæ conflatur, nō consumitur creatura, sicut hoc igne visibili consumuntur ligna, fœnum, stipula: sed quēadmodum aurum & argentum hoc igne liquescunt, neq; consumuntur, sed perlustrunt, & puriora sunt, sic illo igne, illo, vt ait Esaias, camino qui est in Hierusalem: Beata rationalis creatura, incōsumptibiliter liquescit in incendio huius amoris. in torrente huius voluptatis, semper pura, semper liquida, semper ardens amore, semper fruens Deo amatore, desiderando non indigens, fruendo non fastidiens.

Spiritus sanctus amor est, ideo & ignis dicitur.

Differētia inter ignē visibilē, & inuisibilē.

Esai. 31.

Cur ita Spiritus sanctus in igne apparuit, vt de eodem igne linguas quoq; formare dignatus sit. Cap. XVI.

Deut. 4. Actor. 2. CVm igitur constet, rectè Spiritum sanctū in igne apparuisse, eò quòd hic Deus noster ignis consumens sit: quæritur & illud, cur sic in igne apparuerit, vt ex eodē igne linguas formare dignatus sit. Sed & hoc signo magnificè nobis eiusdem spiritus sancti commendatur operatio. Spiritus enim coæternus patri & filio per linguā, quę maximam habet cognationem cum verbo, non solum hoc expresit, quod eiusdem sit substantiæ, cum eodem Dei verbo, sed & hoc, quod per ipsum Deus pater suum nobis eloquatur verbum, sicut ipse in Psalmo dicit: Lingua mea calamus scribę velociter scribentis. Nanque *Psal. 44.* vt aduerteremus, hunc eūdem Spiritum per illū Psalmi versiculū exprimi, ipse qui incarnationē filij Dei operatus est, cuius incarnationis ille Psalmus epithalamiū est, ipse, inquā, qui verbum bonum de corde patris eructatum, in vterum virginis humanæ naturę vnuit, nunc in lingua Spiritus sanctus apparuit, vt idem ipsum verbum mentibus Apostolorum inscriberet, sic quoq; cōparandus calamo scribæ velociter scribentis. Quapropter cōgruè versus hic, lingua mea, cum præcedēti, eructauit cor meum, in officijs quoq; cantantur apostolorum, quod tamen frequētius est in officijs virginum. Et rectè, quia verbū hoc in sinum virginitatis plenius atq; excellentius eructatum est, videlicet, ita, vt inde carnem assumeret: in cordibus autem Apostolorum ita, vt inde voce corporea sumpta, nobis audibile & intelligibile fieret. Igitur qa spiritus sanctus illa Dei patris lingua est, qua, velut calamo scribæ velociter scribentis, bonum verbum suum humanæ naturæ velociter, vt voluit, totum inscripsit, dicens, opera sua regi, id est, assumpto homini: vt idem omninò

Heb. 12. Pater, Gr. ita filius, sapientia: spiritus sanctus amor proprie dicitur.

Cur in linguæ specie apparuit spiritus sanctus.

Spiritus sanctus lingua & calamus scribæ.

ninò, quòd ipse operari sciat & possit, rectè super apostolos ostēsus est in lingua, quibus eiusdem verbi & incarnationis eius notitiā, vt eloquenter prædicare secundū scripturas, homines hactenus idiotæ scirent, eadem calami velocitate inscribere veniebat.

Per hoc maximè cōsonat & cohæret Euangelio, quoniā impletum est hic, quod dicitur illic. Hęc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem spiritus sanctus, quē
Iohan. 14. mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Ecce enim missus statim doctorem illum se profitetur, qui iuxta promissum sponsi in morte agonizantis, paracletus, id est, consolator filijs eius orphanis aduenerit. Doctorem inquam, qui illos doceat omnia, sed hoc signo profitetur, dum ostenditur in lingua, simulq; omnium edocet gentium loquelas, vt omnibus eloquerentur hominibus, ea de quibus soli docebantur interius, dei magnalia.

Quòd non, vt quidam opinātur, apostoli vna tantum, id est, Hebræa lingua loquebantur, ita vt cuiq; genti sua videretur, quod miraculum, vt ait Beda, non loquentium esset, sed audientium. Caput XVII.

ET non (sicut suspicantur nonnulli) sic in illorum vocibus omnes loquelæ atque sermones audiebantur, vt tamen vna tātum lingua scilicet Hebræa, loquerentur: sed vniuscuiusq; nationis homini sua lingua videretur: quod, vt ait Beda, miraculū non loquētium esset, sed audientium, id est, non illis qui loquebātur, erat vera virtus, sed in audientiū auribus prodigium, imò error, id est, non rei existentis erat sensus. Non inquā, sic egit ille spiritus veritatis, nec sic opinatur de illo, qui cunq; prudenter discernit, quid deceat magistrum illum, qui omnē veritatem docere venit. Supereſt enim, vt scripta quoq; illorum, quę dispersi per mundum vniuersum, diuersarum linguarum hominibus mittebant isti
Iohan. 16. vnius tantum, id est, Hebraicæ linguæ literis eos asserant scripsisse, omnemq; hominem, cuiusque linguę, quicunque vidisset Hebraicos illorum apices, eodem miraculo suæ linguæ scripturam æstimauisse: Quod valdè ridiculum est: Saltem nos Latinos excipiant. Nam de nobis certum habemus, quia scripturas, quas Hebraicè aut Græcè conscripserunt, absq; translatoribus legere nequimus. Illud quoquè consequens est, vt quamcunq; ipsi linguam audirent, putarent Hebræam, quamcunque viderent scripturam, existimarent esse Hebraicam. Quod nimis friuolum, vt dictum est, ineptumque & erroneum, sanctoque spiritui probatur indignū per omnia. Nec difficile est, hanc præsumptuosam suspicionē, scripturæ quoq; authoritate explodere. Et repleti sunt, inquit, omnes spiritu sancto, & cœperūt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloquiillis. Cœperunt loqui varijs linguis, vt spiritus sanctus dabat eloqui illis, scripturę verba sunt, quibus omninò repugnat id, quod prędicta suspicio cōiectat. Loquebātur ergo, nec falso videbātur loqui, dabatq; verè spiritus sanctus eloqui illis: verùm, nouum hoc cāticum, vt canimus, *Actor. 2.* ponens sanctificationis signum, vt in ore eorum omnium genera nascerētur linguarum. *Mysterium in gentibus linguarum* Nouum inquam, signum: Significabat enim, quòd ecclesia Deum, hactenus notum sibi in *Psal. 75.* sola Iudæa, linguis omnium gentium dein- *1. Cor. 14.* ceps esset locutura. Ita verò signum fuit, vt *Gen. 6.* causa quoque efficiens, principiumque esset futuræ rei. Nam quomodò gentium magistri fierent, nisi per scientiam linguarum copiam habuissent conferendi cum eis sermonem? Quomodò, inquam, saltem respondissemus amen, super benedictionem illorū *Alter Apostoli, quam Babylonij, turrim ædificauerunt.* cum quid dicerent, nesciremus? Turrim isti, ædificaturi erant, nunc tempore accepto & *1. Pet. 2.* opere diuino, turrim, inquam, cuius cacumē cœlos tangeret, per quam futurum quisque metuens iudicium, in cœlum fugere posset. At illi, qui olim absque Dei magisterio, soloque humano opere, superbia duce turrim sibi extruere voluerunt, per quam ascenderēt in cœlum, facta confusione linguarum, cùm prius esset terra labij vnius & sermonum eorundem, diuisi contra se, ac dispersi sunt. Igitur nunc, quandò Dei consilio turris corporis Christi (quod est Ecclesia) de viuis & electis lapidibus per vniuersum mundum ritè & ordinatè construitur: rectè omnes linguæ ad horum artificum ora reuocantur, ne, sicut ibi, cùm quis poscret lapidem, alius offerebat bitumen, cùm peteret aquam, porrigebat trullam: ita hic, cum structores nostri annuntiarent pacem, nos suspicaremur bellum: cùm prædicarent regnum Dei, nos putaremus gloriam mundi.

Verè diuersis linguis locuti sunt & scripserunt Apostoli.

Quam congruè spiritus sanctus in Apostolos hora tertia aduenerit. Cap. XVIII.

OPportunè spiritus sanctus, omnium arbiter sacramentorum, hora tertia super Apostolos aduenies, viuificis eandem *1. Cor. 11.* horam dedicauit mysterijs, qua homines adhuc sobrij & carnalibus cibis adhuc ieiuni, primùm quærere debent regnum Dei. *Dua causa, cur Eucharistiam instituit dominus post debatur, post typicam agni cœnam, sacram cœnam.* Nam quia Dominus noster, qua nocte tra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

corporis & sanguinis sui tradidit Eucharistiã, fortè parum aut nihil referre arbitraremur, vtrum pransi an ieiuni ad illud vitæ epulum accederemus. At ille ratione & articulo temporis agebatur, vt tali hora sacramentũ illud condere non moraretur. Ratione: quia non ante consummationẽ veteris, inchoandus erat ordo nouí sacrificij: articulo tẽporis, quia statim capiendus, & ad passionẽ ducendus, aliud non habebat spatium, vt ante mortẽ suã hoc hæredibus suis conscriberet testamentũ.

Matth. 26. Vnde cùm illis tradẽs sanguinis sui calicem, dixisset: Bibite ex hoc omnes, hic est enim calix sanguinis mei, &c. statim addidit: Dico autem vobis, nõ bibam amodò de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. Et quidem cum in regno patris, id est, cùm iam factus immortalis, post resurrectionem suam cum discipulis suis manducauit & bibit: potuit tunc primùm tradere illis corpus suum, & calicem nouí æterni testamenti, sed nunc magis ordinatè egit, quia testamentum ratum non fuit: nisi, vt ait Apostolus, mors interuenerit testatoris. Igitur spiritus sanctus, qui huius & omnium sacramentorum author & virtus est, congruè hora tertia dari dignatus est, vt tempus ostenderet, quo sua quoque sacramenta dari vel celebrari magis conueniret. Vnde rectè vniuersalis Ecclesiæ conuentus, magis hac hora (nisi fortè dies ieiunij sit) congregari consueuit, & dicta hora tertia, quæ cæteris illustrior est, ob honorem eiusdem spiritus sancti, solennia Missarum celebrari astantibus choris, cum psallentio communi. Nec cuiquam hæc diuina traduntur mysteria, post cibum corporis, nisi vrgeat ea, quę retardari non potest, instantis necessitas mortis.

Luc. 24.
Iohan. 21.

Hebr. 9.

Hora tertia debet Missa celebrari, non post cœnam.

Quòd signa prædicta spiritus sanctus visibiliter quidem ostendit, sed inuisibilis inuisibiliter operatus est, & intrinsecus corda repleuit.

Caput XIX.

Matth. 5.
Quanta dulcedine repleuit Apostolos spiritus sanctus.
Psal 45.
Eccle. 24.
Psal. 103.
Actor. 2.
Matth. 9.
Iohan. 14.

ET hæc quidem, quæ dicta sunt, extrinsecus visa vel audita sunt: intrinsecus autem omnis erit gloria, cuius hæc deforis apparentia signa fuerunt. Intus enim beati apostoli mundo corde Deum videbant animarum suarum secreta magna cum maiestate subeuntem, suamque fortitudinem largiflua dulcedine temperantem, vt adhuc fragilia mortalium hominum pectora, non tàm miraculo potentiæ terreret, quàm intimo sensu gratiæ lætificaret. Ibi enim erat, de quo dictum est: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Item: Spiritus enim meus super mel dulcis. Item: Et vinum lętificat cor hominis. De quo & Iudæi, quasi diuinantes, musto, aiunt, pleni sunt isti. Ibi, inquam, id est, in nobis vtres cordium, missum erat feruidum diuinæ substantiæ multum, Spiritus sanctus, sicut ait illis, promittẽs eũ dominus Christus: Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.

Quòd non eo minor sit spiritus sanctus, quia capabilis est humano spiritui, cùm idem de patre & filio debeat intelligi.

Caput XX.

Error.

IN vobis, inquit erit: Capabilis enim, vt superius iam dictum est, humano vel angelico spiritui, spiritus sanctus est. Quod cùm sufficere possit ad probandam eiusdem verã diuinitatem, quidam hæreticorum in suæ potius perfidiæ verterunt argumentum. Dicentes enim, patre filium esse minorem, spiritũ quoque filio minorem huic asserere voluerunt, quòd in nobis sit, atq; humanarum patiatur contagia animarum. Sed hoc dicendo, peccatores errauerunt, & falsa loquuti sunt. Consequitur enim eos, vt nec patrem nec filium confiteantur esse Deum. Paria nanque, imò eadem dicta sunt, sicut exempli gratia, hodiernum probat Euangelium. Vbi cùm dixisset filius: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, protinus adiecit: Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Igitur cùm spiritum sanctum negãt esse Deum, eò quòd dictum sit, apud vos manebit, & in vobis erit, consequitur, vt nec patrem nec filium fateantur esse Deum, eò quòd de patre & de se dicat filius: Veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sed his explosis, & cum fumo suo, cum quo de puteo abyssi tãquàm locustæ exierunt, cuentilatis, hoc potius in argumentum veritatis Catholica fides arripit, deum esse spiritum sanctum comprobans, eò quòd humano spiritui capabilis sit: quod proprium diuinę est substantię, sancto spiritui cum patre & filio commune, qui vnus & solus Deus nullius capax, suæque creaturæ rationali capabilis est.

Cõfutatio.

Pfal. 57.

Iohan. 14.

Apoc. 9.

Quòd licet Apostolis dictum sit, de spiritu sancto, quia apud vos manebit, proprium tamen filij Dei signum fuerit, quod dictum est Iohanni: Super quem videris spiritum descendentem sicut columbam, & manentem in eo.

Caput XXI.

Iohan. 14.

SCiendum verò, quia in eo quod ait dominus discipulis suis de spiritu sancto, apud vos manebit & in vobis erit, longè differentem modum mansionis, ratio cogit accipi, ab eo quod in vnigenito Dei filio idem spiritus

Iohan. 1. ritus mansit, de quo dictum est: Super quem videris spiritum descendentem sicut columbam, & manentem in eo, hic est qui baptizat.

Quæ manendi differentia si rectè animaduersa fuerit, simul & illud clarebit: cur cùm tota trinitas apud dilectorem suum mansionem faciat, sępius & quasi singulariter hoc de spiritu sancto scriptura sacra contineat.

Duplex modus manendi, quo manet spiritus sanctus in sanctis.

Manere spiritum sanctum in creatura sua, duobus modis accipimus: Vnus quidem modus est manẽdi, cum illa creatrix substantia, per scipsam creaturæ replens substantiam, semper inhabitat, quod de beatis angelis sanctorumq; hominum spiritibus, qui iam cum Deo sunt, carne soluti, nõ est dubitãdum. De his autem, qui adhuc in carne mortali sunt, non idem est arbitrandum: quia, quãdiu corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, multis varietatibus subiacet, & nũc quidem dilatato corde, si valdè perfecti sunt, visitationem illã merentur: quæ, vt ait Gregorius, significatur in Helia per tenuem aurę sibilũ: virtutemque resumunt, vt idem Helias, qui

Vno per substantiam.

3. Reg. 19. post eũdem sibilum regna vertit, reges alios vngens, prophetamq; Heliseũ: nunc deficiente animo trepidãt, vt idem rursus, qui paulò ante verbo cœlum clauserat, & nũc propter verba mulieris per deserta fugiebat. Alius verò manendi modus est, cùm per fidem inhabitare incipiens, Ecclesiam suam nunquã in infidelitate derelinquit, vel cætera charismatum dona semel tribuens, postea nunquã subtrahit. Verbi gratia: Paulo Apostolo data sapientiam, non sic per tẽpora distrinxit, vt nunc affluente dono sapiẽs, nunc relabente fieret insipiens. Et de hoc quidẽ modo dicit: Nõ te deseram neq; derelinquam. De modo autem supradicto: Auerte, inquit, oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt. Itemque de hoc modo scriptum est: quia quatuor animalia incedentia non reuertebantur, sed vnumquodque ibat ante faciem suam, id est, in proposito suo permanebat. De modo autem supradicto: Ibant, inquit, & reuertebantur in similitudine fulguris coruscantis. Nec quisquam mortalium extitit, in quo hic spiritus, qui diuini amoris substantia est, æterna statione requiesceret, præter illũ virũ vnum quem septem mulieres, id est, septem huius spiritus gratiæ, semel apprehenderunt, semperque tenuerunt: propter quod & dictum est: Super quem videris spiritũ descendẽtem & manentem in eo: non quòd tunc primum in illum spiritus descenderit, quippè qui totam plenitudinem in se corporaliter habitantem ab ipsa conceptione habuit, sicut scriptũ

Altero, per fidem.

Heb. 13.
Cant. 6.
Ezech. 10.
Ezech. 1.

Aliter in Christo quã in sanctis semper manet spiritus sanctus.

Esai. 4.
Iohan. 1.

Coloss. 2.
Prouer. 9.

est: quia sapientia ędificauit sibi domũ, scidit columnas septẽ, id est, sapientia Dei patris in ædificatiõe vel cõceptiõe sui corporis statim septem, spiritus sui, gratias adhibuit: sed fidei præcursori & testi eius signum opportunum datum est, vt sciret, quale de illo testimonium perhibere deberet. Secundum fidem autem & cętera charismatum dona singulis, prout vult, ipsis diuisa, semper, vt dictũ est, in ecclesia sua, spiritus sanctus habitabat. Quæ dona, quia propriè sancti spiritus opera sunt, iccirco sępius & quasi singulariter, vt supra dictum est, mansionem sancti spiritus in nobis scriptura sacra commendat, cùm tota trinitas capabilis sit, & mansionem sibi in nobis faciat: quia nunc in nobis peregrinantibus per illa dona sua Spiritus sanctus inhabitat, in futuro autem æternis complexibus ipsa trinitatis inhabitabit substantia.

1. Cor. 12.
Cur potius spiritus sanctus quam pater aut filius in nostris manere dicitur.

Quòd vbique esse non nisi Deus possit, vndè Spiritus domini, quia repleuit orbem terrarum, deus est.

Cap. XXII.

Sapient. 1.
Spiritus sanctus replenit orbẽ terrarum.

NIhilominus & per hoc quod cantamus ad introitum: Spiritus domini repleuit orbem terrarum, diuinã eius ecclesia catholica prædicat potentiam. Quis enim nisi Deus hic esset, diuisis Apostolis per orbem terrarum, quomodò vno & eodẽ tempore posset omnibus adesse? Verbi gratia: Thomæ in India, Petro vel Paulo Romæ: imò cum per annos singulos, tam sabbatho sancto Pentecostes, quàm sabbatho paschæ, baptismi sacramenta sancta celebrat Ecclesia, quòd absque sancto spiritu nullã noscitur virtutẽ habere, quomodò in toto orbe terrarũ, quo iã ecclesia diffusa est, posset adesse, vt in fontes plenitudo eius vbiq; descẽderet, vbiq; spiritualis equitatus Pharaonis, id est, peccatorũ omniũ turbas, fluctibus operiret? Sic enim orbẽ terrarũ illũ replere dicimus, vt ecclesiã vniuersam, quę per orbem terrarum diffusa, intelligere debeamus. Mundi enim elementis vel corporibus inanimatis diuinitas nõ capitur, sed sanctam ecclesiam vbique replere rectè creditur. Quodque magis dignum verumq; diuinæ maiestatis eius est signũ, ipsum eiusdem ecclesiæ caput implet, sicut scriptũ est: Iesus autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane. Diuinam igitur eius vbiq; testamur esse præsentiã, cantando in introitu: Spiritus domini repleuit orbem terrarum, iam dicto sensu huius enumerationis illud respiciẽte, quod ecclesiam adhuc paruulam, sed toto orbe terrarum diffundendã, id est, Christi discipulos repleuit, progenitis in ore

Luc. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corum pro signo vniuersis orbis terrarũ linguis. Quod verò sequitur: Et hoc quod cõtinet omnia, scientiam habet vocis: cur sapientia dixerit, manifestum est, ex eo quod addidit: propter hoc qui loquitur iniqua, non poterit latere: vel quod præmisit: & nõ liberabit maledictũ à labijs suis, quoniã rerum illius testis est Deus, & cordis eius scrutator est verus, & linguæ illius auditor. Per quę cõstat sic esse dictum, scientiam habet vocis, ac si dixisset, nouit, qua mente quisque loquatur. Veruntamen in ratione præsentis officij scientiam linguarum respicit, quarum diuersitatem dando fidelibus suis magnificè probauit, scientiam se habere omnium, per quæ potest vox humana variari.

Spiritus sãctus scientiã habet vocis Sapient. 1.

Quòd sancti spiritus effusio, totius sit diuini operis confirmatio. Caput. XXIII.

BEnè supradicto sancti Spiritus operi cõgruit hæc offerenda: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Nam vt nouerimus, quia spiritus sancti effusio totius diuinitatis confirmatio sit, hoc primo dicendum est, quid ante aduentum eiusdem sancti spiritus in Apostolis suis dominus operatus sit, fidem vtique in illis operatus est, quæ ex ore Petri pro omnibus sonuit: Tu es Christus, filius Dei viui. Sed hæc quàm infirma fuerit, antequàm Spiritus sanctus aduenire t, cunctis liquet scientibus, quia Petrus, idem Apostolorum princeps, vnius ancillę voce territus, illum, quem, vt iam dictum est, Christum filium Dei viui cõfessus fuerat, se nosse negauit. Vbi verò spiritus huius donum accepit, nec Romani principis imperium timuit, sed vsque ad mortem confitens, eadem morte sua Christum clarificauit. Fidem igitur spiritus sanctus in Apostolis confirmauit, atq; ideò benè, vt dictũ est, in offerẽda canimus: Cõfirma Deus hoc, quod operatus es in nobis, vt per eundem spiritum fides eadem in nobis confirmetur, subiungentes, à templo tuo, quod est in Hierusalem, id est, ab ecclesia Apostolica, quæ vtiquè cœpit ab Hierusalem, id est, à Iudæa, sicut alibi loquitur ipse dominus, quia salus ex Iudæis est. Per eundem, inquam, spiritum cõfirmari poscimus, quia præter hunc quicquid credimus, quicquid baptizamur, quicquid molimur, infirmum & vacuum esse comprobatur. Nam & cœli, scilicet ordines supernorum spirituum, in eo quidem firmati sunt verbo domini, vt in sua natura rationales esset & æterni, & spiritu oris eius omnis virtus eorũ firmata est: qua in similitudine Dei, id est, in sanctitate persistunt. Vndè alibi scriptum est: Spiritus eius ornauit cœlos.

Psal. 67.

Matth. 16. Fides apostolorũ ante aduentum spiritus sãcti infirma. Luc. 22. Iohan. 21.

Confirma hoc Deus. Creat. Psal. 67. Iohan. 4.

Iob. 24.

In reliquis præsentis hebdomadę officijs, cùm penè omnia sancti spiritus nomen personent & gratiam, sola possunt Euangelia facere quæstionem, quid ad aductus eius pertineant solennitatẽ. Quapropter de illis breuiter aliquid dicendum est, ad hoc duntaxat, vt eorum, cum singulis officijs, quibus deputata sunt, appareat concordia.

De Officio secundæ feriæ. Cap. XXIIII.

FEria secunda legitur hoc Euangeliũ: Sic Deus dilexit mundũ, vt filiũ suũ vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternã, & reliqua. Hoc quod dictum est, non quidem per se citius liquet, quid ad præsentem pertinet solennitatem, sed quæ præmittitur lectio Actuũ Apostolorum, considerata, confestim quasi luminis radius causam eius elucidat. Loquẽte, inquit, Petro, cecidit spiritus sanctus super gentiles, qui audiebant verbũ. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cum Petro, quia in nationes gratia spiritus sancti effusa est, &c. Iccirco nanq; prædictũ Euangeliũ cum hac ponitur lectione Actuũ Apostolorum, vt cõprobetur hoc opus spiritus sancti, quo gentibus pœnitentiam ad vitam dedit, non esse factum mutabilitate cõsilij, cùm filius antequam pateretur, idẽ voluerit, licet per seipsum tunc gentibus prædicare noluerit, imò discipulos mittens dixit eis: In viam gentium ne abieritis: Nam quòd hîc ait Petrus: In veritate cõperi, quia nõ est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi: Hoc in Euangelio testatur filius Dei dicens, missum se esse, nõ ad iudiciũ, sed ad salutem totius mundi: & subiungens, absque distinctione Iudæi atq; gentilis: vt omnis qui credit in ipsum, nõ pereat, sed habeat vitã æternam, & cętera quæ sequuntur. Adeò nihil quidẽ per se gentibus prædicauit Christus, sed de illarum salute suique apud illas glorificatione multa prædixit. Sic Isaac nihil quidẽ per seipsum iuniori filio suo Iacob de afferẽdis sibimet cibis mandauit, sed per cõcorporalẽ illi Rebeccam Iacob subintroductus est, cùm ille benedictionẽ Esau primogenito suo dare disponeret. Nam Isaac Christum, Esau populum Iudaicum, Iacob gentilẽ, Rebecca mater significat sancti Spiritus gratiam. Rebecca nãq; cõsulente, id est, sancto spiritu cõsilij prouidente, iunior ille filius scilicet gentiũ populus, ingreditur ad Isaac, videlicet ad Christũ, tardante foris Esau, & occupato in venationib. id est, priore populo intento ceremonijs carnalib. Ingreditur,

Euangeliũ. Iohan. 3.

Epistola. Actor. 10. Cõsonãtia epistolæ cũ Euangelio.

Actor. 10.

Matth. 10.

Gen. 27. Mysterium veteris historiæ de Isaac.

inquã, iunior populus cum obseruatione decem mãdatorum legis, quę tradita sunt populo priori, & scientia legis & prophetarum perornatur, velut ille Iacob à matre indutus est valdè bonis vestibus Esau, habens circa manus collumque pelliculas hędorum, id est, apertam proferens cõfessionem peccatorum, cibosq; offerens, id est fidem, quæ operatur per dilectionem, eandem præripit benedictionem, quæ in Apostolos descendit, sicut audiuimus in supradicta lectiõe. Adhuc loquẽte Petro cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & erant loquentes linguis & magnificantes Deum.

Galat. 5. Actor. 10.

Magnitudinem tantæ benedictionis hic introitus innuit: Cibauit eos ex adipe frumẽti, & de petra melle saturauit eos. Per hoc enim fœlicitas gentium innuitur, quę per spiritum sanctum, interiorẽ sacræ scripturæ, tanquam homines rationales, percipiunt medullam, cùm Iudæi carnales, tãtum exteriorem, vt irrationalia pecora, sectentur paleam. Sermo nanq; diuinus frumentum est, in quo literæ superficies, palea, sensus verò Spiritualis qui à nobis quęritur, medulla est. Vnde liquet, quòd Spiritus sanctus quasi pinguedo diuinæ substantiæ sit, de quo in Psalmo dicitur: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, quia videlicet eius inspiratio verbi Dei pinguedinem nostris animabus inserit. Cibauit, inquam, Ecclesiam de gentibus ex adipe frumenti, vt dictum est. Saturauit etiam eos melle fluente de petra, id est, doctrina & sapientia & solutione arcanorum, quæ præcesserunt de domino Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientię absconditi. Propter quod de eodem spiritu in communione dicitur: Spiritus sanctus docebit vos, quæcunq; dixero vobis. Offerenda, intonuit, nõ dubiè ad hoc ipsum congruit, quia per Spiritum sanctum apparuerunt fontes aquarum, id est, intellectæ sunt scripturæ prophetarum.

Psal. 80. Cibauit eos ex adipe frumenti

Et de petra melle saturauit eos. Coloss. 2. Iohan. 14.

Quòd Spiritus sanctus extra catholicam non datur ecclesiam. Caput XXV.

IN officio tertiæ feriæ prædicatur nobis, extra catholicam Ecclesiam non posse dari spiritum sanctum: solisq; apostolicæ fidei præsulibus esse datum vt per impositionẽ manus ipsorum hi, qui confirmandi vel ordinãdi accedunt, accipiant eiusdem spiritus sancti donum. Sic enim habet, quæ in hoc officio posita est, lectio Actuum Apostolorũ: Cùm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum dei, misérũt ad eos Petrum & Iohannem: Nondum enim in quenquam illorum venerat spiritus sanctus, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum. Et vt sciamus nõ nisi per Apostolicę fidei ianuã intrari debere in sanctam ecclesiam, nec aliter accipi spiritus sancti gratiam, congruè lectioni huic coniungitur hoc Euangelium, in quo dominus ait: Amen amen dico vobis, qui nõ intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro, &c. Passim per libros patrum sententiæ reperiuntur, quibus confirmatur, talium sacramenta, speciem quidẽ pietatis habere, virtutem autem eius abnegare: quomodò palmes cum fuerat abscissus de vite, palmes quidem est, sed iam fructificare non potest: & manus cùm abscissa fuerit de corpore, manus quidem est, sed corporis vitam, sensumq; in se retinere non potest. Qua propter cùm baptizati à talibus, ad catholicã reuertuntur ecclesiam, non quidem repetitur in illis lauacrum carnis: siquidem baptizati sunt in nomine patris & filij & spiritus sancti: multæ quippè hæreses sic quoq; baptizant, sed per impositionem manuum accipiunt spiritum sanctum, quem foris (vt dictum est) accipere non poterant. Hoc igitur, vt supradictum est, officio declamatur, foris non dari spiritum sanctum, sed in tus per episcopos, quorum est manus imponere, ex successione Apostolorum, quorum & illa vox est in introitu, manus imponentium & dicentium: Accipite iucunditatẽ gloriæ vestræ, gratias agẽtes Deo, qui vos in cœlestia regna vocauit. Quod de apostolicis sumptũ epistolis parcè à litera detortũ est. Nam pro eo quod dñs ait: Accipite spiritum sanctũ, isti verecũdè vtẽtes eius vice dicunt: Accipite iucunditatem gloriæ vestræ: Siquidem Paulus ad Corinthios scribens, qui ab eiusmodi furibus & latronibus, quos in supradicto Euangelio dominus percutit, multifariè subuersi fuerant, id est, à pseudoapostolis, quia gloria vestra sumus ait: Et in alio loco: Gratias, inquit, agentes Deo, &c. Catholicorum quippè atq; orthodoxorum gloria est, quòd per ostium intrauerunt ouile ouium, id est, per fidem illorum, qui non suam, vt hęretici, sed Dei gloriam in spiritu sancto quærunt. Vnde & in cõmunione canimus: Spiritus qui à patre procedit, qui cunq; dabunt vel accipient, nõ suam sed Dei gloriam vel glorificationem quærẽt: In offerenda quoq;, Portas cœli aperuit dominus, donum sancti spiritus prędicatur, quo scripturæ sacræ apostolis, & per Apostolos nobis apertæ

Extra eccle siam Apostolicam nõ datur spiritus sanctus.

Actor. 8.

Non intratur in ouile nisi per fidẽ Apostolicã. Iohan. 10. 2 Tim. 3. Iohan. 15.

Reconciliatio per manuum impositionem.

Accipite iucunditatẽ gloriæ vestræ. Iohan. 20. 2. Cor. 1. Ephe. 5.

Gloriã Dei catholici: Hæretici suam quærũt. Iohan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apértæ ſunt, vt manna verbi Dei plueret nobis dominus in abundantiam, quorum authoritate eccleſia catholica ab inſurgentibus in ſe hæreticis exaltatur, ſicut in ſequẽti verſu canimus.

Quod ieiunium eſtatis ipſa pentecoſtes hebdomada celebrandum ſit. Cap. XXVI.

Rom.5. IN officio quartę ferię prædicamus eã, quę per ſpiritum ſanctũ data eſt, eccleſię multiplicem ſcientiam, conſonãtibus maximè his, quæ ieiunio deputatæ ſunt euãgelicis ac propheticis lectionibus. Illæ nanq; lectiones trium dierum ieiunij magis cõſonant officiorũ partibus reliquis, non ſolum ſenſu, ſed interdum & litera, vt ille introitus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordib. noſtris, qui de lectione epiſtolæ, quę ieiunio deputatur, ſumptus eſt.

Ieiunium pentecoſtes rationabiliter ab eccleſia Romana inſtitutum. Vnde ſatis Eccleſiaſticè & hoc Romana cenſet authoritas, vt ſemper in hac ſacra pentecoſtes hebdomada, ſiue tardius ſiue tempe- rius termini occurant, ieiuniorum celebretur ſolennitas, quod ab antiquis quoq; prefinitum eſſe Apoſtolicis, non dubia teſtantur ipſorum ſcripta. Non enim ab illis tradita eſt noua hæc allegoria, ſecundum quam viſum eſt quibuſdam noſtrorum, à prima hebdomada Martij tres obſeruare hebdomadarum τεσσαρακάδας, vſq; ad natale domini ad ſimilitudinem trium τεσσαρακάδων, quas Matthæus in Chriſti generatione contexuit. Sed quia primum ieiunium veris, ſecundum eſtatis eſt, & terminus quadrageſimæ nunquam ante veris initium, pentecoſtes verò nunquã ante eſtatis occurrit introitum: placuit iure venerandę matri Romanę eccleſiæ, in prima quadrageſimæ hebdomada, & in ipſa pentecoſtes ſolennitate, ieiuniorum eorundem officia præfigere, nec vnquam propter velocitatem aut tarditatem terminorum eadẽ confundere. Nec verò contriſtat aut obſcurat,

Ieiunium non contriſtat ſolennitatem ſpiritus ſancti. ſed magis illuſtrat obſeruantia ieiuniorum, illam de aduentu ſancti Spiritus ſolennitatẽ: quippè quia delitię Sãcti ſpiritus, delitiarum carnalium faſtidium important electorum mentibus: & quia ſpõſus ablatus eſt, ieiunandum eſt filijs eius, hoc Spiritu ſancto paracleto, ſic ſuam diſpenſante gratiam & cõſolationem, vt delectentur gemitibus inenarrabilibus, gementes vt columbæ, gemitumq; proMatth.9. Rom.8. Mich.2. cantu habentes. Igitur hæc officia ſecundum ieiunium, quomodò ſuis in partibus conſonent, breuiter eſt aperiendum.

De officio quartæ feriæ. Multiplicem eccleſiæ ſcientiam per Spiritum ſanctum eſſe datam. Cap. XXVII.

Dan.1. PRimò officium quartæ ferię, multiplicẽ, vt ſupradictũ eſt, prędicat Eccleſiæ ſcientiam: qui iuxta quod ait Daniel, pertranſibunt plurimi & multiplex erit ſcientia: ſtudio virorum illuſtrium, qui ſpiritu ſancto illuminati ſunt, de libris moyſi pacisq; prophetarum ſcriptis tanta creuit copia librorum, vt nos legentes, tanquam laſsi conuiuæ, plura relinquẽtes, videamur abſiſtere. Hoc myſticè ſanctum nobis innuit Euangelium, de quinque panibus & duobus piſcibus ſatiatis quinque millibus hominum, & duodecim cophini ex fragmentis impleti ſunt. Auctiſunt enim domini benedictione, ſancti ſpiri- *Ioham.16.* tus effuſionem ſignificante: quo dato, lex & *Eſai.44.* prophetæ inter ſtudia tractantium, ſicut illi *Sapient.10.* panes inter ora comedentium multiplicati ſunt. De quo ſpiritu in lectione prima dicit ſapientia: quia ſpiritus domini repleuit orbẽ terrarum, &c. Et Eſaias in lectione ſecunda: Noli timere ſerue meus Iacob, & rectiſsime quem elegi. Effundam enim aquam ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Et exponẽs quid dixerit: effundã, inquit, ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper generationem tuam. His conſonè pręcinit introitus: Deus cùm egredereris coram populo tuo, iter faciens eis, habitans in illis. Hic ſiquidẽ particulatim de Pſalmo LXVII. *Pſal.67.* ſumptus eſt, qui pſalmus totus de exaltatione Chriſti, & eccleſię glorificatione compoſitus eſt. Nam per prędictã ſcientiam, & cętera chariſmata Spiritus ſancti, egreſſus eſt Deus, id eſt, notus factꝰ eſt in cõſpectu populi Chriſtiani, proſperũ iter faciens eis, remotis videlicet priſtinis errorum laqueis. Et quia prædicti doctores ſancti, quorum & illa vox eſſe poteſt in offerenda: Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi valdè: qui meditando diligẽter ſacras expoſuerũt ſcripturas, idipſum dicunt omnes, & nõ ſunt in eis ſchiſmata: bene *Pſalm.118.* in cõmunione recitatur eis illud domini di- *1. Cor.1.* ctum, quod amplectuntur ipſi: Pacem meam *Ioan.14.* do vobis, pacem relinquo vobis.

De officio ſextæ feriæ: Synagogam per fidem eſſe reſuſcitandam. Caput XXVIII.

FEria ſexta pulchro & mirabili myſterio ſignificatur in Euangelio nobis illud, ꝙ futurũ de ſynagoga ſperamꝰ, videlicet quod tandẽ per fidẽ Chriſti ſuſcitãda ſit, quę nunc prę inuidia mortua eſt, ex quo Spiritus ſancti gratia venientẽ de gentibus eccleſiã ſuſcepit. mulier nãq;, quę à fluxu ſanguinis, tactu fimbriæ veſtimẽti ſaluatoris, ſanata eſt: eccleſiã de gentibus, archiſynagogi filia, quam idem dominus reſuſcitat, ſynagogam, quæ nunc (vt dictũ eſt) per infidelitatẽ mortua eſt, ſignificat. In quo illud mirabile valde eſt myſticũ

que, quod quãdoq; filia nata eſt archiſynagogi, tunc mulier iſta cœpit infirmari, & quãdo hæc ſanata eſt, tunc illa obijt. Sic enim ſcriptum eſt in Euangelio: quia puella erat annorum duodecim, & mulier fluxũ ſanguinis patiebatur annis duodecim. Quid pulchrius, quid cõueniẽtius? Nã quãdo in Abrahã, Iſaac & Iacob ſynagoga nata eſt, gẽtilitas ſordibus idololatriæ tanquã fluxum ſanguinis, cœpit languere. Et quoniam trahente & ſuſcipiẽte ſpiritu ſancto teſtificatus eſt in Cornelio, hæc ſanata eſt: tunc ſynagoga inuidẽs, & indignã vitæ æternæ ſe iudicãs, mortua eſt. Sed iterũ reuiuiſcet, poſtquam plenitudo gentium ſub introierit, quod præſenti factura prædicatur gratia Spiritus ſancti. Huic in præeunte prophetica lectione dicitur ſub nomine ciuitatis ſuæ Sion: Exultate filiæ Sion, & lætamini in domino, qui dedit vobis doctorem iuſtitiæ, deſcendere faciat ad imbrem matutinum, & ſerotinum in principio. Per imbrẽ matutinũ & ſerotinum doctrinam ſignificat Euangelicam, quę illis & primo tempore tãquam matutinus imber, miſſa eſt: & nouiſsimo tanquã ſerotinus, mittenda eſt. Et comedetis, inquit, veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen domini dei veſtri, qui fecit vobiſcũ mirabilia. Comedetis, inquam, non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam ęternam: de quo ad introitũ in perſona eius, quæ ſuſcitanda eſt, dicimus: Repleatur os meũ laude tua, &c. Quapropter nec illud à myſterio vacat, quod cum puellam dominus ſuſcitaſſet, additum eſt: Et iuſsit illi dare manducare. Refecta enim interius dicet id, quod in offerẽda canimus: Benedic anima mea domino, &c. Et tunc magis vniuerſaliter impletum erit, quod in communione canimus: Spiritus vbi vult ſpirat, videlicet habens poteſtatem, cum vult, vadere ad gentes, & iterum venire ad Iudæos, vbiq; ſua ſe voce prodens, quia nemo poteſt dicere, dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.

Matth.9. Marc.5. Act.10. Act.15. Rom.11. Iobel.2. Ioham.6. Pſalm.70. Luc.8. Pſal.102. Ioham.3.

De officio ſabbati: Duos populos gentilem & Iudaicum pacem & concordiam habituros. Caput XXIX.

SAbbati officio, duorum concordia populorum præſignatur, Iudæi ſcilicet atque gentilis, qui tandem vno eodemq; ſpiritu ſe illuminatos profitentes, agnitum ambo ſine controuerſia ſequentur Chriſtum. Duo nãque cæci, qui in Euangelio referuntur illumi- Matth. 20. nati, hos duos ſignificant populos, quod ex præeunte lectione Epiſtolæ manifeſtum eſt. Quibus enim niſi Iudæorum pariter & gentium, duobus contra ſe inuicem rixantibus Rom.3. populis Paulus ait: Iuſtificati igitur ex fide pacẽ habemus ad Deum, per dominũ Ieſum Chriſtum. Quod ſuperiora legentibus atque intelligentibus clarum eſt, vbi longa & valida diſputatióe cauſatur Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, nec iſtos excuſabiles eſſe propter ignorantiã dei: nec illos iuſtificari potuiſſe ex operib. legis, & omnibus æquè neceſſariam eſſe Chriſti gratiam. Quibus omnibus ſub peccato cõcluſis tandem infert: Iuſtificati igitur ex fide, &c. Itaq; duo cæci illuminati, myſticè duo ſunt populi, quorum & illa vox eſt in introitu, ſumpto de prædicta lectione epiſtolæ: Charitas dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per inhabitantem ſpiritum eius in nobis. Adeò ieiunium fieri præſenti hebdomada, ratio vel authoritas exigit, vt maximè officijs conſonent lectiones, & Euangelia ad ieiunium pertinentia. Sed & lectiones quinq; ſi conſiderentur, ſpiritus ſancti gratiã teſtantur, omnes quidem ſignificationibus rei cõpetentibus, quędam autem aper- *Iobelis 2. Leuit.25.* tis vocibus, vt hæc prima Iohelis prophetæ: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnẽ, &c. Secunda quoque, qua dicitur: Numerabitisq; ſeptem hebdomadas plenas vſq; ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ: præſentem ſolennitatem contingit, quam numeratis à paſchæ die ſeptem hebdomadibus, pro aduentu Spiritus ſancti celebramus, quæ magna, & apud antiquos in memoriam datæ legis feſtiuitas hebdomadarum erat, & apud nos in memoriã datæ gratię, id eſt, remiſsionis peccatorũ iucundus iubilæus eſt. Et quia poſt factam duorum concordiã populorum in breui dominus venturus eſt, rectè filijs abſentiam ſponſi deflentibus, & cum deſiderio reditum eius expectantibus, illa conſolantis *Ioham. 14.* verba in communione canimus: Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos iterum, & gaudebit cor veſtrum.

Quod ſingula officia, quæ prædicta ſunt, ſingulis ſancti Spiritus donis conueniant. Caput XXX.

NVnc in quo ſingulis donorum Spiritus ſancti ſingula conueniant officia, breuiter perſtringendum eſt. Prima duo ſabbati *Ioham.17.* & ſequentes die pentecoſtes officia, ſpiritum ſapientiæ & intellectus prædicant. Sapientiã namque & intellectum apoſtolis dedit, vt ſicut ſabbato cantauimus: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: & intelligerent ſcripturas, ſicut ipſa die pentecoſtes legimus, domino promittente: Paracletus autem Spi- *Actor.4.* ritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis. Eoſdem enim & ſapientes, qui noſſent, quandò deberent proferre

Universidad de Deusto
Biblioteca

sermonem: & intelligentes vt scripturarum mysteria non ignorarent, qui hactenus idiotæ fuerant, & sine literis, cœleste magisterium reddidit.

Actor.10. SEcundę ferię officium ad spiritum consilij pertinet, quia de assumptione gentium Deum collaudant, quorũ salus dum in secreta Dei voluntate esset, ipsi Apostoli illud ignorabant consilium, donec Petro diceretur in excessu mentis: Quod Deus sanctificauit, tu ne commune dixeris: quo loquente postmodum, cecidit spiritus sanct⁹ super omnes qui audiebant verbum, quod ideo, vt supradictum est, commemorat officium.

Iohan.10. FEriæ tertiæ officium, Apostolos & eorũ successores cõmendat in eo, quod aduersus fures & latrones, qui aliundè ascendunt in ouile ouium, id est, aduersus pseudoapostolos vel hæresiarchas, cõfortari spiritu fortitudinis audẽt, dum causa expescit, & dicũt: Nam gloria vestra sumus: & gloriantur non insipienter, sed veritatem dicentes: Quapropter hoc officium ad spiritum fortitudinis pertinet.

Iohan.6. QVartæ feriæ officium spiritum scientiæ prædicat, quod maximè ex Euangelio claret, quo benędictione domini panes multiplicati referuntur, de cuius rei mystico sensu superius iam dictum est. *Luc.8.*

SExtæ feriæ officium respicit ad spiritum pietatis. Opus enim pietatis est, quod dominus puellam resuscitat, iubetque dari ad manducandum: imò quod per illud significatur, quia mortuam nunc synagogam, in fine resuscitans per fidem, replebit os eius laude, vt piam eloquatur iusti iudicij Dei confessionem.

SAbbati officium ad spiritum timoris pertinet, quia videlicet cùm duo cæci supradicti, id est, duo populi suum pariter agnouerint illuminatorem, propè erit dies iudicij, quæ causa timoris & tremoris erit etiam electis. *1. Pet.4.*

Nec mirum hunc ordinem officiorum descendendo à spiritu sapientiæ ad spiritum timoris deduci: paschalis verò hebdomadæ officia ascendendo à spiritu timoris ad spiritum sapientiæ perduci, quia per hæc descensus ad nos Spiritus sancti, per illam verò nostram ascensus ad ipsum digestus est, quod plenius dictum est in eisdem paschalibus officijs.

LIBRI DECIMI FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER VNDECIMVS.

Cur post solemnitatem sancti Spiritus, officium de sancta trinitate ponatur.
Caput I.

CElebrata solennitate de aduentu sancti Spiritus, statim euestigio gloriam sanctæ trinitatis dominicæ subsequentis officio, recta dispositione concinimus, videlicet quia post aduentum eiusdem Spiritus sancti, prædicari statim, & credi, & in baptismo celebrari cœpit fides & confessio nominis patris & filij & spiritus sancti. Nam antea præsente in carne domino, nusquam nominis huius distinctionem apertè traditam vel obseruatã legimus, nisi cùm post resurrectionem suam ait discipulis suis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Sed tunc quidem hæc regula tradita est, nunc autem primum actu exhibita, vbi ipsa die pentecostes primitus in tribus millibus Ecclesiæ baptisma celebratum est. Sicque cœpit innotescere terris fortitudinis, nomen domini, propugnantibus magni Dauid regis Christi ducibus, ipso quidem corporaliter absente, sed per diuinitatis præsentiam totam belli summam regente ac disponente, summaque cura nitentibus fidissimis eius ducibus, dum capitur ciuitas aduersa, vt non suo, sed eius nomini ascribatur victoria, quemadmodum & Dauid illi dictum legimus à duce suo, obsistente Rabath filiorum Amon. Congrega populum & obside ciuitatem, quia capienda est vrbs, ne cùm capta fuerit, nomini meo ascribatur victoria. *2. Reg.12.*

De quo & subditur, quia tulit diadema regis eorum de capite eius, & impositum est super caput Dauid. Pro regis eorum, in Hebręo scribitur Melchom. Vnde Hieronym⁹: Rex eorũ vocatur idolum eorum, quod hic vocatur Melchom, cuius diadematis aurum cõflasse & purgasse dicitur Dauid secundum legem,

legem, & feciſſe indè ſibi diadema, quod hic poſitum ſuper caput eius dicitur. Sic vtiquè cultum idolorum tulit noſter Dauid, & de ſummis principibus illa colẽtibus, tanquam de diademate illorum ſe atque Eccleſiã ſuam coronauit. Vndè eidem eccleſiæ ſuæ dicit in Canticis: Coronaberis de capite Amana, *Cant.4.* de vertice Sanir & Hermon, de cubilib⁹ leonum, de montibus pardorum. Nam & tunc tulit idem Dauid vxorem Vriæ Ethæi, ipſumque Vriam fecit occidi, ferentem in manu ſua ſcriptam ſuæ mortis ſententiam, *2.Reg.11.* graue quidem committens piaculum ſecundum rem geſtam, ſed grande præſignans myſterium, per Chriſtum regem verè manu fortem atque deſiderabilem ſuo tempore peragendum. Sic enim hic verus Dauid dñs noſter, cùm in ſolario dom⁹ ſuę deambularet, id eſt, in paternæ maieſtatis ſolio iam regnaret poſt meridiem, id eſt, poſt paſſionis ſuæ pondus & æſtum, iamque miſiſſet Apoſtolos ſuos ad prædicandum cunctis gẽtibus, quæ hic per Rabath ciuitatem filiorum Amon figurantur, vidit legem, quam dederat per Moyſen, *Rom.7.* ſanctam quidẽ & bonam, ſed inutiliter carnali populo cohærentem, ſicut infructuoſo coniugio Berſabeæ, pulchra quidem valdè, ſed ſterilis iuncta erat Vrię Ethęo. Tollenſque eam ſcilicet legem ſacrã, & ſpiritui ſuo ſenſum eius copulans, virum eius ſuperbum, ſcilicet Iudaicum populum, cuius ſuperbia ſignificatur per Vriæ vocabulũ: Vrias enim interpretatur lux mea Dei: Lucem quippè Dei ac ſcientiam ille populus putabat ſuam eſſe propriam, tanquam Deus Iudæorũ tantum ſit Deus, non etiam gentium. Illum, in- *Rom.3.* quam, carnalem populum hoc modo interficit, ablato à corde eius interiore ſenſu, legis ſuæ literam ſolam in manu derelinquit, qua accuſante reus teneatur, ſicut ait ipſe dominus: eſt qui accuſet vos Moyſes, in quo vos *Iohan.5.* ſperatis. Hoc benè per illud figuratur, quòd cõſcriptam à rege Dauid mortis ſuæ ſententiam Vrias ipſe portare iubetur. *2,Reg.11.*

Igitur celebrata, vt ſupradictum eſt, ſolennitate de aduentu ſancti ſpiritus, quo accepto, ſtatim ſanctæ trinitatis fidem prædicare cœperunt apoſtoli: rectè huius ſequentis dominicæ tam nocturno q̃ diurno officio, nomẽ & gloriam prædicamus eiuſdem ſanctæ & indiuiduæ trinitatis,

De cuius ſubſtantiæ vnitate, perſonarumque trinitate, quia magni & catholici patres magna & digna conſcribentes, ſua quaſi vt vindemiantes repleuere torcularia, nos quaſi colligẽdo racemos poſt vindemiatores, & ipſi in benedictione Dei ſperantes, nouiſſimi pro eadem fide verba catholicæ pacis effari cupimus.

Quòd nomen patris & filij & ſpiritus ſancti, propria veri Dei deſcriptio ſit.
Caput. II.

NOmẽ patris & filij & ſpiritus ſancti perfecta & integra vnius veri Dei diffinitio eſt, omnium quicunque dicantur, vel aliquandò dicti fuerint dij, ſiue in cœlo ſiue in terra cunctam amputans tubam, quorũ omnium alij falſo dicti ſũt dij, quos vario errore deluſa gentilitas coluit, alij non naturaliter dij, ſed accidentali dono à vero Deo deificati, iuxta illud: Ego dixi, dij eſtis: & filij excelſi omnes. Nam cætera quidem quamuis propria ſummę & vnius diuinitatis nomina, humana præſumptio falſis dijs affinxit, vt creatores atq; rectores orbis terrarum immortales ac ſempiternos, cæleſtes atque omnipotentes eos nuncuparet, & ſimilia, q̃ poeticis quoq; figmentis inſerta dæmones paſcere coniueuere, vocabula illis imponeret. At verò nomen hoc à ſeculo nõ fuit auditũ, nec homines de corde ſuo comminiſci potuerũt, videlicet quia ſignificatum eius oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit. Solẽt quippè prius res intelligi, & poſt ad placitũ nomina illis imponi, ſicut aiunt magni quoq; philoſophi gentilium, ea quæ ſunt in voce, ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionũ notæ. Sed ſignificatum ſupra dicti nominis patris, & filij & ſpiritus ſancti, nullus eorũ nouit, qui deos ſibi finxere, quos voluerunt. Rebus ergò quas deos appellauerunt, nomen hoc adinuenire vel imponere nequiuerũt. Solus ipſe Deus nomẽ ſibi hoc impoſuit, vbi dixit: Euntes docete oẽs gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij *Matt.vlt.* & ſpiritus ſancti. Cuius ſignificatũ & ſi prophetæ vtcunque nouerunt, tamen ipſum nomen edicere non debuerunt, videlicet quia mundus adhuc infans, ipſum nominis capere non poſſet ſignificatum. Perfecta igitur, vt prędictum eſt, & integra veri Dei diffinitio eſt, nomen hoc Dei viui, manifeſtam faciens diſcretionẽ, quò pertineant hi, qui ſcriptum illud habent in frontibus ſuis, de quibus clamatum eſt in Apocalypſi ab angelo aſcendente ab ortu ſolis, & habente ſignum Dei viui: Nolite nocere terræ & mari, neque *Apoca.7.* arboribus, quoadusq; ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Tunc enim angelus ille magni conſilij clamauit quatuor an- *Eſai.4.* gelis, id eſt, quatuor principalibus regnis, id quod ſupradictum eſt, quandò clamore prędicationis euincente, factũ eſt, vt reges quoque & imperatores ad fidẽ conuerſi, nõ obſtarent

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtarent docentibus & baptizantibus in nomine patris & filij & Spiritus ſancti.

De ſignificato eiuſdem nominis patris & filij & ſpiritus ſancti. Cap. III.

AD ſignificatum verò ſiue myſterium huius tanti nominis intelligendũ, mundandus eſt, quo ſolo Deus videri poteſt, cordis oculus: ſicut cùm ſolem iſtum aſpicere volumus, oculũ corporeum à puluere ſi fortè incidit, mundare neceſſe habemus. Nam nomen quidem patris & filij, & ſpiritus ſancti, carnales quoq; qui ſunt in Eccleſia, multę quoque hæreſes, non ſolũ carnis puluere
1.Cor.13. cęcutientes, ſed & impietatis tenebris palpãtes, nomen hoc memoriter tenent & confitentur: quia videlicet Euangelica autoritate, quę voce domini tradita eſt, vtcũq; tenetur. At verò ſignificatum nominis, ab his tãtum, qui cordis oculos emundauerunt, videtur nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem videbitur, cùm venerit quod perfectũ eſt. Qui ergò eiuſmodi ſunt, intelligunt per hæc pia naturæ vocabula patris & filij & ſpiritus ſancti, veram & vnicã ſummæ diuinitatis gloriam, videlicet quia nunc, & antequam quicquã faceret, vnus idemque, & ſolus erat Deus, ſed non deſertus neque ſolitarius: ſolus inquam, ſed in ſubſtantia, ſolus & vnus, ſed non in perſona.

Quòd his relatiuis nominibus magis quàm ſubſtantialibus natura Dei ſignificetur. Caput. IIII.

IPſum diuinę naturæ arcanum his relatiuis magis quàm quibuſlibet ſubſtantialibus exprimitur nominibus. Subſtãtialia nanque dicimus nomina, quæ tribus æquè perſonis ſunt communia: qualia ſunt, Deus, omnipotens, increatus, immenſus, æternus, & his ſimilia. Hæc autem relatiua ſunt, quia videlicet pater alicuius pater eſt, & filius alicuius filius eſt: & Spiritus ſanctus alicuius ſpiritus eſt. Sciendum verò, quia relatio non æquè in omnibus cõuertitur. Nã pater quidẽ ad filium refertur & conuertitur, quia pater filij pater eſt, & filius patris filius eſt: ſpiritus autem ſanctus patris quidem & filij ſpiritus eſt, ſed non cõuertitur. Non enim pater ſancti ſpiritus pater eſt, neque filius ſancti ſpiritus filius eſt. Sed idẽ ſpiritus ſanctus dicitur, & eſt donum, quo nomine relatio rectè reciprocari poteſt. Donũ quippè datoris donum eſt, & dator, doni dator eſt. His inquã, relatiuis nominibus magis quàm ſubſtantialibus commendatur nobis, quid amemus, laudemus, glorificemus. Quid enim creaturæ beneuolẽtia creatori ſuo magis cupiat, quàm illud, vndè potiſsimum ipſe gloriatur dicens: nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam: ſi ego qui alijs generationem tribuo, ſterilis ero. Quod licet de adoptiuis dictum videatur filijs, principiũ laudis ab illius habet genitura filij, qui ſolus naturalis eſt, cuius participatione alij fiũt adoptiui filij: quia ſolum illũ pater, qui hęc loquitur, genuit: alios autem creauit, nec de ſua ſubſtantia genuit, ſed per gratiam ſuam regenerauit.
Eſai. 66. Rom. 3. Pſal. 2. Tit. 3.

Cur tres perſonas confitentes, tres tamen deos dicere prohibetur. Caput. V.

ICcirco autẽ tres perſonas cõfitentes, tres deos nihilomin⁹ dicere prohibemur, quia nec ipſa, quæ prędicta eſt relatio, Deo per accidens euenit, nec aliud quodlibet accidens diuinæ ſubſtantiæ ſe interſerit. Non enim in his tribus perſonis vlla eſt diuerſitas, aut quantitatis, aut qualitatis, aut temporis, aut loci, aut faciendi, aut patiendi, aut ſitus, aut habendi. Quantitatis, eò quòd ſubſtantialiter, tam pater quàm filius, & ſpiritus ſanctus æquè ſit immenſus: Qualitatis, eò quòd item ſubſtantialiter æque ſit ſanctus, iuſtus, & bonus: temporis, eò quòd æquè ſine initio ſit: loci, quòd æquè incircunſcriptus & in omni loco ſit: faciendi, eò quòd operatio trinitatis æquè impermutabilis ſit: patiendi, eò quòd æquè nulli ſubiacet paſsioni: ſitus, eò quòd æquè nulla teneatur poſitione locali, iacendi aut ſedendi. Eius verò generis, quòd dicitur habere, eò quòd nunquam de Deo niſi figuratè prædicetur calceatus, armatus, coronatus, & his ſimilia. Vnde ergò numerus deorum in trinitate poteſt aſtrui, vbi deeſt accidentium multitudo, quæ ſola in his, quæ ſub eadẽ ſpecie ſunt, indiuiduis numerum facit? Nã verbi gratia, cùm ſit homo ſpecialis vnus, & omnes homines ſpecie ſint vn⁹ (vt ipſi quoque gentiles perhibent philoſophi) ſcrutare, quęcunque in indiuiduis numerum faciunt, & nihil omninò inuenies pręter ſolam multitudinem accidentium. Sed hæc (vt dictum eſt) à diuinitate penitus aliena ſunt. Quapropter nec eſt, cur vel vndè dicatur pluralitas deorum.

Quod diuina ſubſtantia propter ſui ſimplicitatem nullis accidentibus ſubiacet. Cap. VI.

CAuſã manifeſta eſt, cur ſubſtantia creatrix accidentia non ſuſcipiat, ſi primo attendas, cur eiſdem creata ſubſtãtia ſubiaceat. Videlicet accidentibus iccirco ſubiacet, quia quæcunque illa ſit, ex materia ſimul & ex forma conſiſtit, verbi gratia: velut artifex cum fabrili arte ſtatuam figurat, materia eius eſt æris ſpecies, forma verò, quæuis inducta per artem effigies, ſcilicet imago imperatoris,

ris, aut ſi maluerit ſimulacrum Iouis. Ita q̃ ſtatuã nominamus, non eſt id quod eſt, quia non vnũ aut ſimplũ aliquid eſt. Sic nec ipſum æs, antequàm in illo aliquid figuretur, ſimplum quid eſt, vtpotè cuius materia terra eſt, multùm ipſa differens, quæ videtur æris ſpecie. Ipſam quoq; ſi conſideres terram, nõ eſt id quod eſt, vtpotè quæ à forma nomen hoc habet: Dicitur enim terra, eò quòd ſit grauis & ſicca. Suum aũt eſſe ſumit ex hyle, quam dicunt materiã creatã informẽ. Similiter homo nõ eſt ſimpliciter hoc vel hoc, videlicet quia cõſtat ex partibus, quæ ſunt anima & corpus, quas ſolubili vinculo nexas, procul dubiò mors diſſociat. Sic & cętera quæcũq; ſunt, ex materia ſimul & forma, vt dictum eſt, conſtant, ideoq; accidentium multitudini ſubiacẽt, & mutabilia ſunt. At verò Dei ſubſtãtia ſimplex eſt non formata, ſed ſolũmodò forma, forma inquam, carens materia. Vnde neſcio quod ſancti ſpiritus organũ cecinit prædiuina myſteria angelo narrante concepit, ſtatim ſubijciens: Te forma præ filijs hominum caſtis ſuſcepit viſcerib. Hoc verè catholicus eccleſiæ præcentor prędixit: Formam enim, id eſt Deum, beata virgo caſtis viſcerib. ſuſcepit, & hominiem eadem forma ſpecioſum præ filijs hominum nobis protulit. Hoc vnũ eſt quod formatum nõ eſt. Vndè ergò accidentibus ſubiaceat? Nam quòd cætera ſunt mutabilia, de ſua, vt dictum eſt, trahunt materia. Hoc vnum ſine materia eſt, & ideò verè eſt, nulloq; nixum eſt, quod eſt prę cũctis
1.Corint.2. ſolidum, ſuper omnia pulchrum. Non poteſt quicquã ineſſe, præter id quod ipſum eſt, nec enim poteſt accidentib. eſſe ſubiectũ. Cumq; ſit ſubſtantia, non eſt ſuſceptibile cõtrarium, licet hoc non capiat ſapientia mundi, quam hic idem Deus ſtultam fecit.

Quòd relatio nominum patris & filij & ſpiritus ſancti, nullatenus in Deo accidens ſit, licet relatio vnum de accidentibus ſit. Caput VII.

IGitur tres perſonas, vt ſupradictum eſt, cõfitentes, tamẽ tres dicere deos iure prohibemur, & quæcũq; ſubſtãtię nomina ſunt, numero plurali prędicare non debemus. Solummodò perſonas triplicamus, quoniã ad hoc manifeſta relatiõe, id eſt, relatiuis nominibus, patris & filij & ſpiritus ſancti, ritè compellimur. Sed hæc ipſa relatio, licet in multitudine accidẽtium ſecundum hominẽ rectè computetur: ſciendum tamen, quia deo nullatenus accidiſſe concedimus. Non enim ex tẽpore accidit Deo, vt pater eſſet, aut filium generaret, quẽadmodùm homini, qui longè antè in ſua ſubſtantia perfectus eſt, quàm pater ſit, aut filium generet. Trãſcunda eſt tota hæc noſtræ mutabilitatis nebula, & purgato cordis oculo (ſicut initio iam dictum eſt) videndum eſt ſaltẽ per ſpeculum in ænigmate, quia lõgè aliter de Deo natus eſt deus, quàm de homine homo per carnis fluxum temporaliter & localiter naſcitur. Ad quod nõnihil adiuuat, ſi nunc interim patrẽ & filium & ſpiritum ſanctum, alijs & ſubſtantialibus vocabulis exprimamus.

Dicimus itaq; ſanctã trinitatem eſſe, vitã, ſapientiã atq; amorem. Nam deum patrẽ vitam dicimus, immortaliter in ſe viuentem: filiũ Dei patris ſapientiã eius dicimus, ineffabiliter de corde eius genitam, conſubſtantialem & coęternam: ſpiritum ſanctum dicimus amorem patris & filij, nihilominus conſubſtantialem & coęternum. Hęc autem ſubſtantiæ nomina ſunt. Pater nanq; ſubſtantialiter vita eſt, non viuificatũ aliquid, vt homo ſiue animal quod viuificatũ corpus eſt: nõ vt anima, quę cùm ſit viuens, nõ eſt ipſa vita. Vndè multis perturbationibus eſt obnoxia, & vitę ſuperioris indiga: ſed ipſa vitæ ſubſtãtia, ſubſtãtia ſubtilis, lucida, mobilis, acuta, nullis, vt ſupradictum eſt, accidentibus ſubiecta, nullius indigens, omni vitæ rationali capabilis, nullius ipſa capax. Nam id, quod alterius capax eſt, craſsius vtique denſiusq; corpulentius eſt eo, cuius capax eſt: vt vaſculum idcirco aquę capax eſt, quia materia eius terra eſt, quę profecto denſior atq; copulentior aquæ elemento eſt. Sed hęc vita, de qua loquimur, adeò cunctis ſubtilior atq; purior eſt, vt reb. omnibus ex materia formaque confiatis, ſicut iam ſuperius dictum eſt, forma ipſa ſiue materia ſit, atq; ideò ſimplex, & id quod eſt, abſq; omni mutabilitate permanens, forma bona, lumen nõ illuminatũ, ſed tamẽ illuminans, lumen inquam, verum, fonſq;, & origo ſempiterni luminis. Nullius ergò hæc vita capax eſt, ſed tamen capabilis, cuius ad cõparationem cętera denſa atque corpulenta ſpirituũ vaſcula ſunt, ſed ab hac vita in ſe viuẽte deo, capaci rationabilitate formata, eius capacia ſunt, vndè & beatè ſanctęque viuunt.

Filius verò itẽ ſubſtantialiter ſapiẽtia eſt, id eſt, nõ tantũmodò ſapiens (quod dici poteſt, & de aliquo qui accidẽtali dono ſapiẽtię participat) ſed ipſa ſapiẽtię ſubſtantia. Nec idcirco dialecticorũ vocibus vtimur, quòd eorũ vanitati ſanctam trinitatem ſubijciendã nullatenus arbitremur, ſed vt ſignificanda notis ſignificãtioribus melius & cõpendiolius exprimamus. Nam illis concedimus quidem, in duo ſcilicet, in ſubſtantiã & accidens, omnia diui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuidẽtibus, sed id quod est vltra omnia, extra omnia, & præter omnia, videlicet hanc sapientiam, imò totam beatam trinitatem, eorum descriptionibus nequaquàm submittimus. Etenim substantia hæc nullatenus contrariorum susceptibilis est, licet Deus, more nostræ locutionis, nunc irasci, nunc verò cõplacari dicatur. Et hæc dei sapientia, accidẽs quidem est homini, quoniã potest adesse vel abesse præter subiecti corruptionem, id est, præter humanæ substantiæ diminutionẽ vel absumptionem. Sed in seipsa verè substantia est mobilibus omnibus mobilior, vbiq; attingens, omnia operans, cuncta disponens, speciosa, suauis, lucida, generosa, locuples, omnium artifex. Hanc sapientiã Dei esse filium, naturaliter ex illo genitum didicimus, credimus, & confitemur. Naturaliter inquam, nõ imaginariè vel per similitudinem, quomodo filios beati hominis interdum accipimus opera eius: sed quam naturaliter gignit homo hominẽ, tàm naturaliter genitum accipimus ex Deo deum, ex lumine lumen, genitum, in quam, non factum, natum non adoptatum, coęqualem, coæternum, consubstantialem. Iccirco non consequitur, vt cùm homini datur hæc eadem sapientia, filius cordis eius dicatur, nisi figuratè, quomodò dominus, quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est. Non inquam, hęc sapientia filius eius est, cui datur, sed eius de quo verè nata est, à quo datur: quoniã & radius, quo nostri oculi irradiantur, non noster, sed solis est radius. Illius est filius hæc sapientia, qui illam non aliunde accepit, cuius de corde nata est, vt splẽdor ex sole, vt riuus ex fonte & vapor ex igne.

Sapien.7.8.

Matth.12.

Spiritus sanctus nihilominus substantialiter amor est, id est, non tantummodò amans, quod dici potest & de aliquo, qui accidentali dono eiusdem Spiritus participans, secundum quantitatem participationis amare incipit: sed ipsa diuini amoris substãtia est. Nec ideò caliginem noster sensus vllam patiatur, quò minus huncamorem substãtiam veram atq; perfectam arbitremur, quoniam humanæ substantiæ diuinus hic amor adesse vel abesse potest, præter aliquã eiusdem substantiæ nostræ absumptionem, quoniam hic amor, homini quidem accidens, id est, accidentale donum est. Sed in seipso vera substantia est, viuida natura est, verus Deus. Qui iccirco propriè spiritus sanctus dicitur, cum & pater spiritus, & filius spiritus sit, & pater sanctus, & filius sanctus sit. Quia sicut spiritus aëreus, verbi gratia, meridianus auster, (hic enim spiritũ sanctum significabat, quia calidus est) sicut inquam, meridianus auster à plaga sua in oppositum septentrionem trãscurrit, & oportunos arentibus terris imbres aduehit, sic iste spiritus sanctus, operatione sua, quæ ipsius propria est, à creatore procedens, in creaturam rationalem, supradictam eius sapientiam inopi naturę, prout vult Deus ipse ac dominus, infundit. Vndè & spiritus sapientiæ dicitur, etiam extra dispositionem vel ordinem, quo septem eius gratiæ numerantur, spiritus inquam, sapientiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, coinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.

Sapien.7.

His igitur substantialibus nominibus, vt supradictum est, quæ sunt vita, sapientia, amor vel charitas: his inquam, ad intellectum iuuamur, vt relationẽ, quę in nominibus patris & filij & spiritus sancti consistit, nullatenus ex tempore cœpisse vel suspicemur. Nã cùm pater, vt dictum est, vita sit, & filius sapientia: quisquis ex tempore cœpisse cõtendit nomen patris, aut generationem filij, consequitur, vt Deum aliquandò sine sapientia: Deum inquam, insipientem (quod dictu quoque nefas est) fuisse cõcedat. Sed hoc abhorret fides, anathematizat pietas, omnis detestatur creatura. Itaq; non ex tempore, sed ante omnia secula deus pater est, quia filius, id est, sapientia eius sine initio cum illo est. Vnde ipsa eadem sapientia dicit: Antequàm Deus quicquàm faceret, aderam, cum eo cuncta componens, ludens cum eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. Et deliciæ meę esse cum filijs hominum. Cui par vel idem est illud: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c. Rursus cùm spiritus sanctus amor sit, quisquis patrem & filium prius fuisse contendit, quàm spiritum sanctum, cõsequitur fuisse, quando neq; filius patrem, neq; pater amabat filium. Quod vel suspicari dementi simum est atq; impium. Nobis verò superuacaneum est, testimonijs astruere, quod pater diligat filium, imò quod (sicut ipse ait) dilexerit eum ante mundi constitutionem, quia satis probabile, imò necessarium est, quòd talis pater talem semper dilexerit filium.

Prouer.8.

Iohan.1.

Iohan.17.

Quod ait Sapientia, Ludens eram coram eo (scilicet Deo) in principio, idem esse quod de verbo dictum est. Quod factum est, in ipso vita erat.

Caput VIII.

ATtamen ne capitulum prælibatum sub obscuro reliquisse videamur, quem alium arbitrari possumus ludum, in eo quod ait

ait Sapientia: Ludens eram coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: nisi huius, de qua loquimur, dilectionis gaudium? Ludus enim erat amabilis deo patri, videre in sapiẽtia sua, quæ facturus erat, primo beatam cœli curiam, pulchramq; rempublicam decus erat denis angelorũ ordinibus distinguendã: deindè visibilẽ mũdi huius architecturã, sphæricam cœli camerã, solemq; & lunam, lucida sydera, aquas superiores, aquas inferiores, omnes abyssos, niues atq; grandines, mõtes & colles, cũctamq; terrę areã, mare & omnia, quę in eis sunt, quicquid sursum volat, quicquid deorsum repit aut ambulat, bestias & vniuersa pecora, reges terræ, & omnes populos. Nã de his omnibus ait Euangelista: Quod factũ est, in ipso vita erat. Quid verò est, quod addidit, Et deliciæ meę esse cum filijs hominum? Quid, inquã, nisi q; iam tũc in eadem sapientia prouisum & hoc erat, vt in humana requiesceret natura, & caput hominũ effecta, sanctorum & sapientiũ sibimet consociaret in suis delicijs agmina? Hęc (inquam) videre antequàm fierẽt, ludus erat deo & sapiẽtiæ eius, ludus festiuus, ludus iucundus, ludus deliciosus. At verò de huiusmodi gaudere, hæc omnia spectare cũ hilaritate, in cordis amplitudine, amor est sapiẽtię, amor studiosus, amor sanctus: quẽ suprà sanctum esse spiritum diximus. Igitur quòd sapientia, quæ filius est, de sua dicit antiquitate æterna, simul & de hoc amore, qui spiritus sanctus est, necessariò conceditur: videlicet, quia dominus possedit eum initio viarum suarum, antequàm quicquam faceret à principio, ab æterno ex antiquis, antequàm terra fieret, &c.

Prouer.8.

Iohan.1.

Gen.1.

Quod fides catholica neque (vt Arius) substantiam separet, neque (vt Sebellius) trinitatis personas confundat.

Caput IX.

ITa neq; (vt Arius) substantiã separamus, neq; (vt Sabelliꝰ) personas in trinitate cõfundimus, vtriusq; erroris voraginẽ declinantes cum execratione, & via regia currentes, vela pandimus insignia confessionis catholicæ. Alter enim eorum, filium patre minorem, & creaturam, atque conuertibilẽ esse contendens, impiè atque sceleratissimè creatori hoc auferre molitus est, quod ille creaturis à se factis omnibus, quæ viuunt tantũ, quęque viuũt simul & sentiunt, benignè largiri dignatus est. Sic enim singula distinxit, vt in specie sua generarent, & non degenerarent: Germinet, inquiens, terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suũ, lignumq; faciẽs fructũ, & habẽs vnũquodq; semen secundum speciem suam. Itẽ: Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuẽtem atq; motabilẽ, quàm produxerunt aquæ in species suas, & omne volatile secundũ genus suũ. Ac deinceps: Producat terra animã viuentem in genere suo, &c. Tandem & hominẽ sic plasmauit, vt generaret (sicut scriptũ est) ad imaginem & similitudinem suam. Sic fatuus ille, vt non videat quantam creatori irroget cõtumeliam, quantamq; naturæ eius crimine tur sterilitatem atq; inopiam, vt creaturis ab eo factis, in genere suo semẽ afferentibus, nullum ipse creator generis sui semen habeat eodem vtiq; bono, quod alijs contulit, ipse careat, sterilis, desertus atq; solitarius? Nonne ergò meritò contra huiusmodi derogatores queritur ipse in Propheta, dicens: Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse nõ pariam? & qui alijs generationẽ tribuo, ipse sterilis ero? Vndè enim exemplar accepit, vt fœcũditatem suis daret creaturis, si in seipso sterilitate aridus exstitit, si creans tam multa, nihil de seipso generare valuit? Vt quid tantoperè tota nocte vitæ præsentis adolescentularum ostia circuit, sibiq; poscit aperiri, si non insito sibi naturaliter calet amore, si nõ genuino viret semine? Instat enim & intrinsecus, & suę naturę communionem eum quẽ spiritum sanctum dicimus, vehementem spirat amorem, suumq; verbum, iã filium, iamq; à principio & ab æterno natũ, & adhuc tamẽ, vt verè semen sibimet insitum in multas conluges, id est, in multas animas spargens, deorum quotidiè multiplicat gẽtem, quibus ait Propheta: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Itemq; euãgelista de illo vnico filio Dei, deiq; verbo loquens: Quotquot aũt receperunt eum, inquit, dedit eis potestatẽ filios dei fieri. At ille, de quo supradictum est, Arrius infelix, & quicunq; similis eius animalis homo non percipiens ea quæ Dei sunt, & ea sola sapiens, quę carnis sunt, audiẽs deo filiũ natũ, toto sensu inhęret carnis imaginib. consequens esse contendens, quòd vt filius generaretur vel nasceretur, substãtia patris defluxerit, & filius localiter ab eadem patris substantia traductus sit, & hanc passibilitatis calumniam, quasi consequẽter aduersum nos redarguit. Itẽq; de filio subijcit: Si natus est, erat profectò quando non erat. Et quasi necessariò de temporalitate cõcludens, coæternitatem patris filio, quantum in se est, auferre contendit. Sed de coęternitate vel cõsubstantialitate iam superius dictum est. De argumento verò defluxionis vel diminutionis paternę substantię, quam in generatione filij contendit, cõsequenter intelligi oportere

Gene.5.

Esai.66.

Apoc.1.

Psal.81.

Iohan.1.

1.Cor.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicendũ est, malè illos, nimiũq; carnali sensu sibimet illusisse. Nõ enim à carne, quæ in propagando pasibiliter defluit, argumentũ ducere debuerant in ratione diuinæ generationis. Rebus quippe dissimilibus eadem non conueniunt. Quid autẽ tam dissimile, quàm carni spiritus, & nõ quilibet spiritus, sed omnium spirituum creator spiritus? Deus enim spiritus est, & eum qui adorat, in spiritu & veritate oportet adorare. Nobis ergo filium dei naturaliter ex patre natum cõfitentibus, obijcere non debuerant, quòd cõfessionem nostram diuinæ substantiæ passibilitas, quæ in generatione carnis non abest, id est, fluxus vel diminutio, consequeretur. Nã est quidẽ aliqua similitudo à carne sumpta ad deũ qui spiritus est, sacrisq; inserta scripturis, vt in cãticis mysticisq; prophetarũ libris, sub nominibus spõsi & spõsę, aut viri & vxoris, sed omnino figuratè hoc. i. vt in eo quod litera sonat, lõgè aliud intelligas, scilicet in viro deũ, in semine dei filiũ, id est, eius verbum, in amore spiritũ sanctũ, in vxore creaturã rationalem, id est, humanã animã, vel angelicam substantiã. Sed est verior illa similitudo, quæ ab interiore homine sumpta, suis hostem telis reuerberat. Nã si ab homine similitudo in deũ conquiritur, indè sumatur, vbi eius, scilicet dei imago splendere probatur. Non autem corpus hominis formatum est ad imaginem dei, quod arbitrati sunt hi, qui dicuntur Humaniformij, pro eo quod deum humanam formã suspicantes, immane simulachrũ in templo cordis sui collocauerunt. Nã cùm scriptum est: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, consequebatur opinionem eorum, vt deus in cœlo tam vastus sederet, vt terram pedibus tangeret. Ab interiore ergo homine econtrariò argumentari licet, quòd generatio filij dei nullam paternæ substantiæ diminutionem fluxum ve nos compellat recipere.

Ioban. 4.

Esai. 66.

Qua similitudine valeat intelligi, filium absque fluxu vel diminutione paternæ substantiæ potuisse nasci. Cap. X.

COnsiliũ itaque vel artẽ in hominis anima sitam, operęprecium est aduertere, qualiter ab anima absque diminutione eius in auditorẽ quenpiam vel in actum transeat. Si cunctis, qui adesse vel audire possunt, tuũ cõsiliũ proferas, tuamue scientiã doctor sedulus in multorum aures, dicendo, docendo trãsfundas, & quos vacuos acceperas, discẽtium animos impleas, num idcirco sensus tuus defluxit, imminutus est, & sui aliquid detrimentum passus est? Itemq; si artifex es, & egregium aliquod opus meditaris, modumq; structuræ prius in mẽte præpingis, & postmodum in re mirandum atque laudandum in actu componis, nunquid ingenij tui vena protinus aruit, nec idẽ retinet quod edidit? Quanto ergo magis sapiẽtia dei, quæ, est Deus, dei filius est, omniũ artifex, omnia prospiciens, quæ attingit à fine vsque ad finẽ, non sic nata est vt effluere t, nõ sic genita est, vt paternam substantiam diminueret? Nec tunc, quando primùm ad componendam mundi fabricam emicuit, & omnia visibilia vel inuisibilia condidit: nec tunc, quando in vtero virginis carnem assumens, humanæ naturæ tota inscripta est, nihil minus in corde suo pater habuit, nec ideo verbum in eius natura deletũ aut detritum est, quia totũ illud in nostræ naturæ pellẽ transscripsit. Hic ergo, Arrius scilicet, & quicunque trinitatem consubstantialem non confitentur, anathema sint, inquit sancta synod⁹ Nicæna. His autẽ, qui consubstãtialẽ trinitatẽ prędicant, regna cœlorum sint præparata.

Sapient. 7

Quod hæresis Sabelliana personas confundens, consequenter dicta sit Patripassiana.
Caput. XI.

ALter verò, videlicet Sabellius, diuerso quidem, sed non minus detestabili errore personas trinitatis cõfundens, vnam esse personam asserit, id est, ipsum sibi esse filium, qui pater est, ipsumq; spiritũ, ita cæcus mente, vt hæc tam præclara, tam aperta testimonia non attendat domini dicentis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Itemq; eo baptizato in Iordane, vocem de cœlo dicentem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui: sanctumq; spiritum in columbę specie super eum descendentẽ. Hanc hæresim consequẽter Patripassianam dicimus. Nam si idem ipse filius, qui pater est, cùm filius incarnatus & passus sit, proculdubiò pater ipse incarnatus & passus est. Vnde rectè (vt dictum est) Patripassianã hanc hęresim nominamus. Sed nos hunc errorem execrãtes, verbum quod erat in principio apud deum, verbũ (inquam) Deum, nõ ipsum, apud quem erat hoc verbum, credimus & confitemur carnem factum, videlicet alium eum qui genuit, alium confitẽtes eum esse qui genitus est. Alium, inquam, in persona, non aliud in substantia. Vnde ait ipse filius: Ego & pater vnum sumus. Vnum vtique secundum substantiam sumus, secundum pluralitatẽ personarũ, eum dixisse non dubitamus.

Matth. 28. Matth. 3.

Ioban. 10.

Quod in creatura rationali benè constituta, sancta trinitas per suorum distinctionem operum agnosci valeat.
Cap. XII.

In crea-

IN creatura quoq; rationali benè & perfecto decore cõstituta, tanquam in speculo perlucido paret quodammodò, quia non in vna sola, sicut prædict⁹ Sabellius errat, sed in tribus personis adoranda subsistit diuinitas. Ecce enim (sicut superius dictum est) patrem & filium & spiritum sanctũ, quæ relatiua nomina sunt, alijs & substãtialibus nominibus dici, vel esse, vitã, sapientiã, atq; amorẽ: sic in homine, vel angelo sancto hęc tria computamus, spiritũ vel animã, rationalitatẽ, atq; dilectionẽ. Hæc tria sunt. Manifestumq; est, spiritum vel animam non ipsam esse, quæ est rationalitas, alioqui nulla esset ratiõe carẽs anima. Sed est bruta pecoris anima, quæ sicut ratione caret, sic & æternitate: & sicut solis fungitur carnis sensibus, sic & cũ carne moritur. Item rationalitas non est ipsa, quæ dilectio, alioquin nullũ rationale esset absq; dilectione. Sed est omnis homo, vel omnis angelus rationalis quidem, non aũt omnis homo, vel omnis angelus habet in se dei dilectionẽ. Vndè arguitur per Ezechielem diabolus, qui illam in semetipso spreuit primus: Aurum, inquit, opus decoris tui, & foramina tua in die, qua cõditus es, prępărata sunt. Et post pauca: Repleta sunt, ait, interiora tua iniquitate. Rationalitatem cum qua conditus est, foramina eius appellat: quia sicut lapis preciosus auro ligatur, ita spiritu sancto, q vtiq; dilectio est, ligari, & in vnitate cælestis ordinis cùm posset astringi, recusauit. Sic & homo tumidus, quicunq; superbiam eius imitatur. Non ergò (vt iam dictum est) dilectio ipsa quæ ratio nalitas, nec ratiõalitas ipsa quę anima vel spiritus est, sed tria simul vnũ opus perfectum, & creatori simile, ostẽdunt. In hoc igitur tanquàm in speculo (vt supradictum est) cõtemplare creatorem Deum, nõ vnius tantũ, sed trium personarum esse. Quarum quamlibet quis deneget, deum nõ habet, sicut rationali creaturæ quodlibet ex supradictis trib. detrahas, nullius dignitatis opus remanet. Amissa nãq; dilectione, qui angelus lucis creatus fuerat, diabolus princeps tenebrarum factus. Et homo similiter absque dilectione malus, & eiusdem diaboli filius est. Quod si rationalitas desit, brutum est omne quod viuit & sentit. Si anima vel spiritus non sit, multò magis nec rationalitas nec dilectio in vlla creatura est. Sic (inquam) quamlibet trium personarum deneges, deum non habes: quia si spiritum sanctum abneges, patrem & filium confitens, cùm idem spiritus amor sit, deum, sine amore, id est, hostem & inimicum tibi constituisti. Si filium deneges, cùm filius Dei sapientia sit, deum tibi brutum & insipientem phantastico errore confinxisti. Nam de filio malè sentientes, Niceni fides concilij gentilium similes esse conuincit. Itaq; iure catholica fides, vt supradictũ est, sicut in Arrio substantię separationem, sic in Sabellio personarum anathematizat confusionem vel peremptionem.

Ezech. 28.

Quomodò numerus trium personarum nihil indè auctus sit, quòd homo factus est filius Dei: nec idcirco quaternitas, sed dicatur & sit nihilominus trinitas. Cap. XIII.

QVanuis autem filius incarnatus sit, idẽque Deus & homo sit, non crescit ex eo personarum pluralitas, vt quæ ante incarnationem eius erat trinitas, pòst dicatur aut sit quaternitas. Non enim duos ecclesia catholica recipit filios, imò anathematizat Nestorium & omnes, qui vnum ante secula, alium profitentur post carnis assumptionem. Nam duo quidem, id est, duas substantias, duo (inquam) neutro genere, non masculino duos, id est, duas in Christo prędicamus personas. Et sicut homo sedens in equo, non duo sunt, sed vnus equus, sic Deus in homine non duo Christi, sed vnus est Christus. Quomodò enim de diuersarum specierum indiuiduis duos aut tres prædicabis, cùm vnum substantiæ nomen subijcere non possis? Verbi gratia: Hic homo, atquè hic equus diuersarum specierum, id est, hominis & equi indiuidua sunt. Si ergò de hoc equo, & de hoc homine loquens, duos dixeris, inconuenienter hoc mobile prædicabis, cum substantiale fixum non sit, quod subijcere possis: quia neque homines neque equos de vno homine, & vno equo dicere ratio permittit. Non minus inconuenienter de Christo prædicabis duos. Nam quomodò cõstat, hic eques ex hoc homine, & ex hoc equo: sicut & Christus constat ex hoc indiuiduo dei, quod est verbum patris, & ex hoc indiuiduo hominis, quod ex virgine Maria nascendo initium sumpsit. Dubium autem non est, quòd Deus, & homo diuersæ sint species, omninò substantialibus differentijs longè ad inuicem distantes, ab vsque generalissimi generis (quod est substantia) diuisione prima. Nam sub corporeo longè infrà continetur homo, deus autẽ verus sub incorporeo. Si ergò de Christo loquens dixeris duos, inconuenienter prædicabis: quia non est fixum substantiale, quod cõgruè subijcere possis. Nec si Christos subieceris, rectè dixisti: quia Christus nec substantiale nomen est, sed est nomen officij: nec magis de deo & homine, duos rectè potes prædicare Christos, quàm duos equites de homine & equo. Sed & minus conuenienter

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Deo & homine duos dicis Christos, quàm de homine & equo equites duos: quia Deus homini vnitus, nunquàm seperabitur: homo autē equo sedens, quoties descendit, toties separatur. Nec incongruè similitudo hæc pro argumento sumpta est: quoniam in Christo diuinitas humanitate tanquàm equo vsa est, vndè in Zacharia propheta equus roseus ostenditur, & in Euāgelio Samaritanus hominem à latronibus conuulneratum, iumento suo imposuisse legitur. Itaq; quemadmodū filius tuus, si egressus pedes, fortè sedēs equo ad te reuertitur, non idcirco tecum personas triplicat, sed tantū vt prius geminat. nō enim dignum est, vt cum filio tuo, filius iumenti personam duplicet: sic filius Dei, verbum patris in sola diuinitate eructatum in vterū virginis, dùm cum humanitate redit ad dexterā patris, personarum numerus nō inde succrescit, quia dignum non est, vt cum natura Dei personam duplicet natura hominis, quæ ab illa substantia, & pluribus, & maioribus distat differentijs, quàm equus ab homine. Nā hominem ab equo rationalis differentia seiungit, hominem autem à deo plurimæ secernūt (quas enumerare longum est) substantiales differentiæ.

Zach. 1. Luc. 10.

Cur ante incarnationem domini fides sanctæ trinitatis à vulgo non debuerit, aut potuerit exigi.

Cap. XIIII.

IDcircò prēteritis generationibus ante aduentum Christi tacitum fuit vulgo mysterium tanti huius diuini nominis patris & filij & spiritus sancti, quia necdū illud capere poterat infantia seu iuuentus mundi nimiū carnalis, quippè qui ne nunc quidem iam grandæuus, postquā incanuit, Christo aduenīēte, sine magno prędicantium labore, intelligere potuit, simul quia necdum illam, quā in hac fide confitemur, suā beata trinitas fecerit misericordiam. Nec dum (inquam) nobiscum illam, pro qua nunc iure colitur, fecerat misericordiam, qua sibi circa salutem nostram beata trinitas diuisit operationem trinam, vt hominem quem pater creauerat, filius redimeret, Spiritus sanctus igniret, nō quia pater absq; filio sanctoq; spiritu quicquam creauerit, aut filius sine patre sanctoq; spiritu redemerit, aut spiritus sanctus absq; patre filioq; illustrauerit, & peccatorum remissione mundauerit: sed quia sic est communis quidem, & vbiq; inseparabilis summæ & vnius diuinitatis opratio, vt tamen in proprietate vel ordine operis, manifesta nulliq; fidelium ignoranda personarum sit discretio. Nam illa vox: Faciamus hominē ad imaginē & similitudinem nostram, patris vox est ad filium & spiritum sanctum: & illa caro, quæ de virgine sumpta, mortua ac sepulta est, & resurrexit, si lij caro est: & illa columba, quæ super dominum descendit, & ille ignis qui super Apostolos eius apparuit, non quidem substantiam, sed præsentem sancti spiritus potentiam visibiliter exhibuit. Præteritis ergò seculis iure à vulgo non exigebatur fides sanctæ trinitatis, quia sicut dictum est, infanti adhuc & sub pędadogo seruienti populo Dei, declarata non fuerat hæc eadem trinitas adorandi exhibitione vel distinctione operis.

Gene. 1. *Matth. 3. Actor. 2.* *Galat. 3.*

Quòd vetus testamentum eandem fidem trinitatis non tacuerit, nec sine illa veteres sancti deo placuerint.

Caput XV.

NOn tamen penitùs absque fide veteres Deo placuerunt, quoniam hi, à quibus tanquam radicibus suis multiplices rami portabantur, scilicet magni patres, diuini huius nominis pinguedine non caruerunt, qua nūc pascimur nos: qui cum oleaster essemus, naturalibus ramis propter incredulitatem fractis, per eandem fidem in bonam oliuam inserti sumus. Plurima quippe illorum libri testimonia trinitatis Euangelio Christi conferunt. Vndè hæc duo testaméta rectè per duo Seraphin significantur in Esaia, quorum est ille clamor: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua. Et quia Iudaicus populus, hoc audito clamore per apostolorum ora, post aduentum sancti Spiritus, incredulitate cæcatus est, benè & hoc prophetæ ostenditur, in eo quòd domus domini fumo impletur. Fumus enim ille Iudęorum cæcitatem designat, sicut & paulò pòst eidem prophetæ dicitur: Excæca cor populi huius, &c. Sed nos ad librum quem aperuit agnus, oculos cordis per fidem apertos habentes, cum supradictis seraphim, vel cum quatuor quoque animalibus dicimus: Sanctus, sanctus, sanctus, adiungentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno, videlicet quia librum iam dictum aperiens agnus, trinitatis mysterium in illo descriptum ostendit, quod nesciebatur. Nam quum interrogantibus Iudæis & dicentibus: Tu quis es: respondisset: Ego principium, qui & loquor vobis: aperuit nobis, quia iuxta quod & in Psalmo dicit: In capite libri scriptum est de me, non aliud Moyses principium intelligi voluit, vbi ait: In principio creauit Deus cœlum & terram, nō aliud (inquam) principium quàm filium, quoniam & Iohannes ait: Omnia per ipsum facta sunt. Creauit cœlum & terram Deus in principio, id est, pater in filio. Cui adde

Rom. 11. *Esai. 6.* *Apoc. 5.* *Ioan. 1.* *Psal. 29.* *Gene. 1.* *Ioan. 1.* *Gene. 1.*

adde quod sequitur: Et spiritus Dei ferebatur super aquas, & ecce in capite libri, quem agnus aperuit, beata præfulget trinitas. Per has fores trifidas sanctam ingressus scripturam, passim deindè respersos inuenis aureos eiusdem diuini nominis titulos.

Gene. 1.

Quomodò in operibus sex dierum singulis trinitas commendetur. Cap. XVI.

PRimùm in opere sex dierum, si vigilanter attendas, eadem commendatur trinitas, verbi gratia: Dixit deus. Fiat lux. Ac deinceps, Vidit Deus quòd esset bonum. In eo quod ait Dixit: deus verbum, per quod omnia facta sunt, cum patre agnoscimus. Et in eo quod addidit: Et vidit Deꝰ quòd esset bonum, nimiam operantis diligentiam atq; beneuolentiam intelligimus, quę proculdubiò nō est aliud, quàm qui tertia in trinitate persona est spiritus sanctus. Non enim casu, aut superuacuè sic positum per singula, Vidit deus quòd esset bonū, æstimare debemus. Sed magnam creatori diligētiam nobis commēdatam fideliter aduertamus. Et vt scias, quātum illa diligentia, de qua loquimur, in opere Dei profecerit, conuertere ad cor tuum, ô quicunque es artifex alicuius laudandi effector operis. Vt, inquam, scias, quantum diligentia quæ est spiritus eius, operi profecerit, respice quantum in opere tuo, diligentia tua contulit. Certè in mente tua quodammodò sic habebas artem, sicut erat in principio verbum apud deum. Eius artis tibi conscius, nō ociosum te esse passus es. Quare? Vt de multis, quæ subesse potuerunt, causam meliorem inferam, vtilitatis amor, id est, intentio proficiendi plurimis, ocij te impatientem reddidit. Vna causa hæc ab illo te seruo discernit, qui malus & piger arguitur, dum tu laudaris seruus bonus & fidelis. Nam de cætero pares fuistis, videlicet quia tam in illius, quàm in tua mente talentum bonæ artis appensum est. Sed vide, quātam inter te atque illum distantiam, diligentia siue beneuolentia, quæ in te est, effecerit. Dum ille fodit in terram, & abscōdit pecuniam domini sui, tu operando in credito tibi talento, duplicia lucraris, vidensque per singulos profectus, quia bonum est lucrum, amplius sitis, & prę magnitudine desiderij laborem in opere non sentis. Crescit lucrum, crescit lucri desiderium. Ad hanc ergò similitudinem perpendis, quantum in opere Dei, diligentia vel bonitas eius effecerit, quæ magnificè delectata esse, monstratur in eo quod per singula dicitur: Et vidit Deꝰ, quòd esset bonum, & ait, Fiat, &c. Tantum in opere secundi diei non est illud additum, certè gratia mysterij, de quo iam aliàs dictū est. Illa verò diligētia vel bonitas, alia (vt dictum est) quàm spiritus sanctus, intelligi non debet. Si enim interroges (inquit Augustinus) quis omnia fecerit, respondeo, Deus: Si quæras, per quid, aio, per verbum. Si quæras, quare, respondeo, quia bonus. Et hæc trinitas, inquit, vnus Deus est.

Matth. 25.

Quòd in plasmatione hominis, cuiusque personæ trinitatis proprium opus discernendum sit. Cap. XVII.

IGitur in opere mundanæ fabricæ cunctorúque creatione, omnipotens omnia sciens, omnibus commēdatur benigna trinitas. Amplius autem in eo, quem vniuersis præponere decernebat, id est, in homine seipsam exprimere dignata est, dicēdo: Faciamus hominem. Nam in verbo, faciamus, manifestè personarum pluralitas innuitur, in quo per cōsilium, quod sic præmittitur, eadem diligentia, de qua iam dictum est, magnificentius cōmēdatur. Et in hoc opere plasmatio, propria patris operatio est. Duo verò, quę in hoc plasmate, vltra cætera animalia, quæ iā creata fuerant, addita sunt, videlicet, vt fieret ad dei imaginem, & similitudinem cæterarum personarum, id est, filij & spiritus sancti, insignia sunt. Ad imaginem quippè Dei, quę filius est, sicut Apostolus ait, de illo loquens: Qui est imago Dei inuisibilis, & alibi: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius: ad imaginem (inquā) Dei, siue figuram substantiæ eius homo conditus est, in eo quòd rationalis est: ad similitudinem verò, in eo quòd diuinæ bonitatis imitator conditus est, quod propriè sancti spiritus opꝰ est. Bonitas quippè vel charitas dei, spiritus sanctus est. Qui cum (vt supra dictum est) patrem, vt omnia p verbū operaretur, excitauerit, tùm verò in plasmatiōe hominis, ita studiosum reddidit, vt nihil eorum subtraheret, quæ cōferre potuit. Quid enim taliter condito homini præter naturalem diuinitatem defuit? At verò id, quod per natura Deus sit, generare vtique Deus potuit: Deus enim est verbū, quod genuit: creare autem vel plasmare tale quid, cū sit omnipotens, nullo modo potuit. Nec in hoc quicquam derogatur omnipotētiæ, cùm æquale sibi, qui est vltra omnia, extra omnia, prēter omnia, dicitur Deꝰ creare nō potuisse. Igitur in plasmatione hominis (vt dictū est) beneuolentia dei, q̄ est spiritus sanctus, maximè operam suam adhibuit, cùm ei, qui (vtpotè creatus) naturaliter nō poterat esse Deus, gratia sui similitudinem dei contulit. Quę dei similitudo, vt sedē vel receptaculū haberet, imago siue figura substātiæ Dei, quæ est filius, animæ hominis impressa est, vt à suo

Coloss. 1. Hebr. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spiritu sancto prędictam similitudinem reciperet: quomodò precioso lapidi foramẽ aperitur, per quod gracilem auri virgulã, qua cõstringatur & teneatur, recipiat. Quod & de angelica sentiendũ est creatura. Vnde & arguitur in Ezechiele (vt superius dictũ est) angelus ille: Et foramina tua (inquit) in die, qua creatus es, præparata sunt. Qui rationalis cõditus, quia per foramen eiusdẽ rationis aurũ, id est, sanctum dilectionis spiritum admittere noluit. Ideò sequitur: Repleta sunt interiora tua iniquitate. Sed vt ad hominem redeam, maximè in plasmatione hominis, magnum & profundum trinitatis consilium significari debuit, videlicet quia non solum cõditus est, sed & vnica materia est, per quã innotescit principatib. & potestatibus, & cælestibus (sicut ait Apostolus) multiformis sapientia Dei. Nam præter hoc, quòd hæc verba sonant: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, hoc quoq; in eodem consilio præfinitum est, qualiter perditũ eundem hominẽ propria singularum operatione personarum, eadẽ quæ plasmabat, trinitas recuperaret. Quod manifesta eiusdẽ operationis distinctione perspicuum est. Nam post plasmationẽ, imò post lapsum hominis, eadẽ quæ cõdidit trinitas, hoc ordine sese in recuperando erexit. Primũ pater est, qui quęstionem hanc depromens, Ecce Adã, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum, protinus adnectit: Nunc ergò videte, ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum, eiecit illum, &c. Viã enim hic fecit pater misericordiarum, viam (inquam) facit misericordiæ suæ, in eo quòd hominẽ post peccatum noluit viuere in ęternum. Nam cùm sit hominis post peccatum misera vita, si esset ęterna, quid esset nisi ęternа miseria? Hæc aũt dęmonũ est, scilicet æterna miseria, vel misera æternitas, ex opposito Dei, cuius est æterna beatitudo, vel beata æternitas. Igitur primum & magnũ opus misericordiæ, quod (sicut cómemorat Agustinus, Plotinum quoq; gentilium quendã philosophũ recte dixisse) pater misericors mortalia nobis cõdidit corpora. Hoc enim modo custos hominũ, non solum sibi contrariũ hominem posuit, sed & à dæmonibus longè differre fecit, vt esset eius temporalis miseria, vel misera temporalitas. Est ergò proprium personę patris opus, mortalitatis illatio: proprium personæ filij, animarum redẽptio, pariterq; corporum resurrectio: proprium sancti spiritus, animarum resuscitatio, pariterq; corporũ immutatio illa, de qua dicit Apostolus: Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. i. impassibiles erimus. Solũ namque hi, qui spiritum sanctum acceperũt, post resurrectionem impassibiles erũt. Itaq; tam in creatione, quàm in recreatione hominis (vt prædictum est) trinitas distinctè operata esse comprobatur, totumq; opus hoc prouisum esse ab eo, cuius prouidẽtia in sui dispositione nõ fallitur, testatur illa consilij diuini reuerenda expressio, qua dictum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram. Igitur, vt superius dictum est, rectè in Esaia per duo Seraphin, duo intelliguntur testamenta, quę consona voce ad alterutrum clamant: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth, dum eiusdem trinitatis gloriã, quæ in nouo testamento reuelatur, vetus quoque concorditer attestatur, sicut in ipsis antiquæ scripturæ foribus apparere iam breuiter diximus. Cæterùm, si introgressi, vndiq; eiusdem trinitatis testimonia scrutari velim, prolixitas modus excedet, nimiumq;, præsertim cùm aliud propositum sit, fastidium pariet. Quapropter ad propositum festinantes, illud solùm considerare libet, qua ratione ad propiciationem Dei patris humano generi impetrandum, soli vel maximè filio carnem assumere conuenerit.

Ezech. 28.

Gene. 3.

Ioh. 7.

1. Corint. 15.

Ephe. 5.

Quàm rectè cùm tres personæ sint deitatis, ad solam filij personam carnem suscipere, hominemq; redimere pertinuerit. Cap. XVIII.

DIuina dispositio, qua filij personã potius, quàm patris aut spiritus sancti incarnari complacuit, idcirco maximè mirãda est, quia peccatum primi hominis maximè contra eundem filiũ admissum est, ob cuius expiationẽ filius ipse homo fieri dignatus est. Sed & diaboli peccatoris antiqui superbia, maximè propter filiũ aduersus creatorẽ intumuit. Quod ex verbis eius aduertere promptum est. Ait enim: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Vtique cùm hęc diceret, inuido aduersus filiũ liuore seruilis contumacia torquebatur, eò quòd vni & soli nato, non facto, tota cœlorum curia æquè vt patri, pro tanta differẽtia iure famularetur. Grandi quippè differentia sese ab vno, qui erat in sinu patris, distare indignabatur, cum se inter cætera ab artifice deo factũ, illum ex patre Deo solùm videret super omnia natum. Tunc seruilis tumor aduersus eundem vnigenitum grassatus est, longè nequius, quàm Ismael ex ancilla procreatus, dominum suum Isaac de libera genitum persequebatur, vt testatur Apostolus. Nequius, inquã, vtpotè vbi & longè subtilior malitia, & multo lõginquior conditionis erat differentia, quæ superbientis odiũ concitabat. Propter

Esai. 44.

Esai. 6.

Ioh. 8. pter quod odium iam erat homicida, testãte eodem dei filio in Euangelio suo, ac dicente: Ille homicida erat ab initio. Sed homicidiũ illud tũc actu perficere nõ poterat, cùm nõdũ in illo Dei filio esset humana, quæ posset occidi, natura. Perfecit autẽ, cùm illum ad terras descendisse, hominemq; mortalẽ factum esse agnoscens (exibant enim, inquit Euangelista, dæmonia à multis clamantia & dicẽtia, scimus quia filius dei es) agnoscens, inquam, illum aduenisse in carne, peccator antiquus insurrexit, eumq; per suos satellites patibulo crucis affixit. Nam sapientiam eius, videlicet dispositionem, qua per mortem suã redempturus erat humanum genus, nemo principum huius seculi cognouit, inquit Apostolus. Si enim cognouissent, nunquã dominũ gloriæ crucifixissent. Virtus autẽ ipsa, per quam se vicisse putabat, mortis infirmitate, persistit in eiusdem dei filij odio implacabili, per Iudæorum ora negantium, per hæreticorũ blasphemias, creaturam illum esse asserentiũ. Sed vt ad primi hominis peccatum redeam, sciendum, quia priusquam per serpentẽ diabolus de vetito ligno comedere mulierẽ persuaderet, vterq; scilicet vir & mulier, occulta eiusdẽ hostis inspiratione appetiuerãt esse sicut dij. Alioquin frustra ad perpetrandum id quod persuadebat, hac promissione vsus fuisset, dicens: Et eritis sicut dij. Nemo enim, nisi id quod sentit appetit, pro fructu repromittit alicuius operis. Quàm autem contra trinitatis personam magis hic hominis quoque tumor sese intenderit, apparet per hoc quod addidit, Scientes bonum & malũ. Vtique filium, qui sapientia patris est, superbe æmulati sunt, id est, pares illi sese fore arbitrati sunt, habendo scientiam omnium. Vndè lignum præuaricationis, ironicè nomen accepit, vt diceretur lignum scientiæ boni & mali, licet à scriptore historiæ sic vocetur, etiam ante peccatum hominis. Quod per anticipationem constat fieri. Eadem ironia dicit ipsa, quæ vnus est Deus, trinitas: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Quasi vnus ex nobis, id est, quasi filius, qui sapientia patris est, cuius æqualitatem appetiuit, id est, scientiam boni & mali. Nã sciẽtia boni & mali, solius Dei est, qui omnia scit, & malo quoq; bene nouit vti. Vnde cum dictum esset: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, statim ironicè additũ est, in quo, videlicet in eo quòd est sciẽs bonum & malũ. Similiter ironicè diabolus quoq; appellatur Cherub in Ezechiele, quod interpretatur, plenitudo scientię. Igitur magis cõtra propriam personã filij dei diabolus, & ipse intumuit, & hominem erexit: dum vterq; æqualitatẽ sapientię dei, quę filius est, appetiuit, eiq; subesse contemsit. Vndè miranda (vt superius iam dictũ est) diuinitatis dispẽsatio, mira dignatio, vt ille, contra quem potissimũ peccatũ admissum fuerat, scilicet filius intercessor apud patrem accederet, homo factus, & pro inimicis suis morti spõtanea charitate addictus, tanquàm si Isaac idcirco se patiatur immolari, vt Ismael in gratiam patris ac matris veniat, fuusq; cohæres fiat, qui ideò fuerat eiectus, quia sese, non ipsum patrẽ persequebatur. Sed neq; Isaac, neq; aliũ quẽpiã sacra refert historia pro inimicis suis intercedẽdo, spõtaneam excepisse mortẽ. Vix enim pro amico suo, vel (vt ait Paulus) vix pro iusto quis moritur. Cõmẽdat ergò charitatem suam in nobis Dei filius, quoniã cùm in ipsum peccãdo, patrẽ offendissemus, ipse naturam, in qua pro nobis moreretur, assumere dignatus est. In hac dilectione, quisquis illũ imitatur, potest ad illã Dei similitudinẽ, quam per superbiã diabolus vel ipse homo appetiuit, ascẽdere. Cùm enim dixisset ipse, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos, statim adiecit: Vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Ac si diceret: Non magnificentia scientiæ de qua præsumens satanas, dixit in corde suo: Similis ero altissimo, vel quã vestris parentibus promittens dixit, eritis sicut dij, scientes bonum & malum: non (inquam) scientia, sed supereminens sciẽtię charitas, causa est efficiens, vt altissimo similes sitis. Nec ego vobis filiorum dei dignitatem inuideo: non enim rapinam arbitratus sum, me esse ęqualẽ deo, sed ascẽsum superbię auersor, per quã cũ ascenderet Satan, videbã eũ sicut fulgur de cœlo cadentẽ. Discite ergo à me, quia mitis sum & humilis corde. Hoc miraculum diuinę dispẽsationis propheta intuẽs, ait: Deus, iudiciũ tuũ regi da, & iustitiã tuã filio regis. Magnum est hoc & mirabile, quòd filius, cùm æquè vt pater deus sit creaturæ suæ, rex quoque eius dignatus est dici & esse, & hoc secũdum iudiciũ legemq; iustitiæ. Quod hoc modo promptum est aduertere. Dignũ erat vt is ipse, scilicet filius, per quem omnia condita sunt, dominus & rex esset omniũ, neque per quemlibet alium regerentur, qui vtique cùm esset creatus, nõ erat creator eorũ. Regis autem debitum ac legitimũ est officiũ, vt subditis danda vel data prẽcepta, prior ipse actibus impleat, nè dũ militibus laboriosam mandat militiã, ipse in delicijs sua potestate abutẽdo, causã prębeat eorũ murmurio, pro culdubiò dicentiũ, delicioſum esse ducẽ, qui subditis ea pẽcipiat, quæ facere fugiat aut non

Gen. 3.

Ezech. 28.

Luc. 24.

1. Cor. 2.

Rom. 5.

Matt. 5.

Esai. 14.

Gene. 3.

Ephe. 3.

Philip. 2.

Luc. 10.

Matth. 11.

Psalm. 71.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſit. Igitur & hoc dignũ fuit, vt ea quæ præceperat, vel præcepturus erat, vt Deus, ipſe præcipuè opere impleret, vt rex, videlicet omnimodæ humilitatis opus, quale eſt illud:
Eccle. 13. Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Magnum hoc (vt ſupradictum eſt) & mirabile eſt, quòd cum dominari poſſet creaturę ſuæ, ſola excellentia potentiæ, maluit æqualiter cũ ea iudicium legemq; ſubire iuſtitiæ. Quapropter antequàm in forma ſui militiã vitæ ſubiſſet humanæ, minora dedit homini bus præcepta: cùm autem homo factus eſſet, impoſuit altiora admodũ regis probi ac ſtrenui: qui dum in prima acie cõmiſerit cũ hoſte, acri certamine feſſus, cruentiſq; inſignis vulneribus, cũ diſcrimine vniuerſos eripuit, tum demum dat præcepta fortitudinis, fiducialius, iuſtius, conſtantius, vtpotè factis dicta iuuantibus: militibuſq; murmurare de labore, vel delicias quærere, viſo ducis ſanguine, non audentibus. Ita priuſquàm circũdatus eſſet infirmitate dominus virtutum, dictum eſt antiquis: Non occides. Quandò
Heb. 25. autem idem rex gloriæ tentatus eſt, per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, & didicit obediens eſſe, non ſeipſum defendens: ego autem dico vobis, inquit, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, &c. Benè ergò Propheta (vt ſupradictum eſt) Deus, inquit, iudiciũ tuum regi da, & iuſtitiam tuã filio regis: quia videlicet immenſitate potentiæ nullatenus minor eſt diuinæ tanta magnitudo iuſtitiæ. Quam iuſtitiam nos quoque qui ſub paterna præuaricatione rei detinebamur, in eo ſuſcipimus, ſicut mox in eodem pſalmo additum eſt: Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam, in eo, inquam ſuſcipimus, quia quem primi parentes noſtri contempſerunt Deum in gloria ſua fulgẽtem, nos adoramus in carne noſtra naſcentem, in cruce ſua morientem. Hinc enim iuſtificamur, quia ſuper antiquum ſeruitutis penſum, quod eſt adorare Deum, quod debebat etiam, ſi nũquam peccaſſet genus humanum, hoc adijcitur, vt hominẽ crucifixũ adoremus. Hac, inquam, ſatisfactiõe efficitur, vt ſalua iuſtitia ſua, nos in antiquum ſtatum reſtituat iuſtus Deus.

De officio eiuſdem ſanctæ trinitatis.

Caput XIX.

IN officio eiuſdem ſanctę trinitatis, rectè hæc Euãgelij lectio ponitur, qua maximè neceſſarium ſalutaris baptiſmi remedium commendatur, videlicet, quia ſine virtute huius nominis quantacunq; dicas, irritũ eſt lauacrũ, neq; per aquã poteſt quis q̃ renaſci, nec aliter hoc nomine ſignamur, niſi cũ illo baptiſmi ſacramẽtũ ſuſcipiamus. Huic euan- Apoc. 4.
gelio conſonat ea, q̃ præmittitur, lectio libri Apocalypſis, maximè in eo quod ait: Et in circuitu ſedis tanquàm mare vitreum, ſimile cryſtallo. Mare nanque vitreum cryſtallo ſimile, baptiſmum ſignificat puræ confeſsionis & ſolidæ fidei. Et quod in Euangelio dictum eſt, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ poteſt videre regnum Dei: hic ſignificatur per hoc, quod in circuitu ſedis mare oſtenditur. Nam quia in circuitu ſedis eſt mare, profectò vt ad eandem ſedẽ perueniatur, mare neceſſe eſt tranſmeare. Septé quoque lampades ardentes ante thronum, id eſt, ſeptem ſpiritus Dei. Quia nõ eſt dictum: Niſi quis renatus fuerit ex aqua ſolum, ſed ex aqua & Spiritu ſancto. Et in medio ſedis & in circuitu eius quatuor animalia, die ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus Deus omnipotens, qui eras, & qui es, & qui venturus es, catholici doctores ſunt, qui meritorum qualitatibus, tanquàm diuerſis diſcreti vultibus, & ad cauendam hæreticorum perfidiam, ſiue ad ſubditorum, ſuamq; ſalutem prouidendam, in circuitu & intus, id eſt, in corporalibus & in ſpiritualibus pleni oculis, ſcilicet illuſtratione ſpiritus ſancti, fidem ſanctæ trinitatis, tam in aduerſis quàm in proſperis, prædicare non ceſſant, & inuitare populos ad illud mare baptiſmi.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIJS, liber duodecimus, & vltimus.

Dominica prima poſt pentecoſten.

Caput I.

Luc. 16. DOminicæ primæ poſt octauas pentecoſtes officium voces emittit pauperis illius, qui per Lazarũ in Euãgelio figuratur, ſcilicet gentilis populi, qui ad fidem trinitatis, prædicantibus (vt ſupra dictum) Apoſtolis confugiens, de interiore ſenſu legis cupiebat refici, tanquàm de micis quę cadebant de menſa diuitis, videlicet populi Iudaici, qui dum doctrinam legis non charitatem habuit, ad elationem, quaſi de acceptis opibus tumuit: ille autem, ſcilicet gentilis populus, dum conuerſus ad Deum, peccata ſua confiteri non erubuit, hulceribus plenus extitit, & ei vulnus in cute fuit. Huius, inquã, voces ſunt mendicantis, quod maxime claret in graduali: Ego dixi, domine miſerere
Pſal. 40. mei, ſana animam meam, quia peccauit tibi.
1. Iohan. 4. Epiſtola. Deus charitas eſt, primò aduerſus Iudaici populi depromitur inuidiã, qua paperem iam dictum non debere admitti contendit, iuxta illud: Quare introiſti ad viros
Actor. 11. præputium habentes? Manifeſtum eſt enim, Iudæos ſemper gentium odiſſe ſalutem. Simul, quia moralis quoq; ſenſus in hoc Euangelio non deeſt, commonemur vtiliter hoc exemplo, ne ab vllo paupere auertamus faciem noſtram. Charitatem, quæ in prædicta commendatur Epiſtola, promptum eſt eodem ſenſu, id eſt, morali, accipere, maximè quod ait: Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quẽ non videt, quomodo poteſt diligere?

Dominica ſecunda poſt pentecoſten.

Caput II.

DOminica ſecunda legitur hoc Euangelium: Homo quidã fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Notum eſt autem, quia per multos qui vocati fuerant, & hora cœnę cœperunt excuſare, contemptores ſignificantur, qui plus terrena quàm cœleſtia diligũt, qui amplius rebus corporalibus quàm ſpiritualibus occupantur. Et per hoc quod
Luc. 14. ait quiſq; illorum: Rogo te, habe me excuſatum, quod (inquam) dicit: Rogo, & tamen venire contemnit, quod ſonat humilitas in voce, ſuperbia in actione, per hoc plane (vt dictũ eſt) exprimitur, quòd dum cuilibet carnaliũ dicitur: Conuertere, deum ſequere, mũdum relinque, reſpondere ſolet: Ora pro me, quia peccator ſum, hoc facere non poſſum, dicendo: Peccator ſum, humilitatem inſinuat: ſubiungendo, Conuerti non poſſum, ſuperbiã
Pſal. 119. demonſtrat. De his ergò labijs inquis, de hac lingua doloſa, in graduali nos liberari poſcimus. Rectè, pulchrè atque conſonè ſeruus egregius, qui nos inuitat, dicit in prędeunte epi-
1. Iohan. 3. ſtola: Filioli mei, non diligamus verbo neq; lingua, ſed opere & veritate. Quorum iniqua
Matt. 7. labia linguamq; doloſam qui contemnit (ſolent alios conuerti volentes deuocare, tum ſanctum propoſitum vituperando, quod eſt iniqua labia habere, tum nimiùm laudando, nimiaſq; difficultates arctæ viæ vel anguſtæ portæ prætendere, quod eſt linguã doloſam acuere) qui, inquam, dehortãtes eos contemnit, & audire non vult, confortat animam ſuam, & dicet illud, quod in alleluia cantamus:
Pſal 7. Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcetur per ſingulos dies? videlicet cùm ali-
Iohan. 6. bi dicat: Et eum qui venit ad me, nõ eijciam foras, tandemq; de infirmitate conualeſcens, & viam mandatorum domini, quæ anguſto initio cœpta fuerat, dilatato corde percurrens, dicit, quod in Introitu cãtatum eſt: Factus eſt dominus protector meus, & eduxit
Pſal. 17. me in latitudine.

Dominica tertia poſt pentecoſten.

Caput III.

IN Euãgelio dominicæ tertię cõmendatur nobis, quanta de conuerſis peccatoribus
Luc. 15. deo cura ſit, per parabolam centum ouium, & vnius perditæ, quam bonus paſtor inuentam imponit in humeros ſuos gaudens, & ſic reportat ad gregẽ, itemq; per aliam parabolã decẽ drachmarum, quarum vnã, quę perdita fuerat, mulier ſtudioſa lucernã accendens, requirit & inuenit. Ad hunc ſenſum profectò
1. Pet. 5. reſpicit, quòd Petrus in Epiſtola ſua euigilãdum eſſe cõmonẽs: Quia aduerſarius veſter, inquit, diabolus tanquàm leo rugiẽs circuit, quærens quẽ deuoret, qui vtiq; ouem illam cẽteſimã deuorauerat, & nũc inuentã eſſe dolens, iterũ circuit & amplius rugit. Ideo præmiſit & hoc: Omnem ſolicitudinem veſtrã proijciẽtes in eum, quoniã ipſi cura eſt de vobis. Cui ſenſui graduale ſuccinit: Iacta cogita
Pſal. 54. tum tuum: & offerenda, Sperent in te omnes, & quia prædictum Euangeliũ pro peccatore cõtextum eſt, ſuper quo pœnitentiã agente

gaudium

Universidad de Deusto
Biblioteca

gaudium est angelis Dei, rectè vnicus & pau-
Psalm.24. per clamat in Introitu, Respice in me & mi-
serere mei.

Dominica quarta post pentecosten.
Caput. IIII.

Luc.6. Rom.8. DOminicæ quartæ Euangeliũ est, Esto-
te misericordes, quia & pater vester mi-
sericors est. Cui palàm lectio Epistolæ, quæ
præmittitur, concinit, iterũ, atq; iterum creaturam asserẽs, expectare reuelationem filio-
rum Dei, quem patrem nostrum esse præsen-
Psal.26. ti Euangelio dominus asserit: Estote, inquit,
℣.12. misericordes, sicut & pater vester cælestis mi-
sericors est. Introitus, Dominus illuminatio
mea, itẽq; Offerenda, Illumina oculos meos,
idcircò cõgruunt, quia trabem vel festucam
peccati de oculo, id est odium, quod Euange-
lium mõstrat oportere ejci, quũ gratia san-
Psalm.26. cti Spiritus expellit, dñs illuminatio cordis
Psal.17. est, & hi quibus videndus est Deus, illumi-
nãtur oculi, vt (sicut in graduali canimus) Vi-
deat cor mundum voluntatem domini, & vi-
sitet templũ eius, & hoc non suis viribus, sed
eius, cui in communione dicimus, Dominus
firmamentum meum, &c.

Dominica quinta post pentecosten.
Caput V.

Ioham.5. IN Euangelio quintæ dominicæ narratur,
quia laxatis ad imperium domini retibus
in capturam, conclusaq; piscium multitudi
ne copiosa, & retia rumpebantur, & impletę
sunt nauiculę, ita vt mergerẽtur. Per hoc il-
lud significatũ est, quia carnaliũ turbis eccle-
siam complentibus, & super numerum mul-
tiplicatis, tumultus & dissensiones orirẽtur,
& non solùm ebriosorũ, raptorumq; subin-
troeuntium malis moribus, Ecclesiæ nauicu
la premeretur, sed hęreticorum quoq; disce-
ptationibus rete fidei disrumperetur. Pro-
pter hoc illa magni piscatoris nostri Petri A-
postoli lectio, opportunè præmittitur, pisces
suos ad vnitatem & pacem cohortantis & di-
centis: Omnes vnanimes estote, patiẽtes, fra-
1.Pet.3. ternitatis amatores, misericordes, modesti,
humiles, nõ reddentes malum pro malo, ne-
que maledictũ pro maledicto, videlicet quia
per hoc tumultus crescit, & seditio conualesc-
cit. Et post pauca: Sed etsi quid patimini pro-
pter iustitiã, beati, &c. In huiusmodi pericu-
Psal.26. lis cõstitutę Ecclesiæ, voces sunt, cæterę par-
Psal.83. tes officij. Introitus, Exaudi domine vocem
meam, amplius autem graduale. Protector
noster aspice Deus, sensui supradicto conso-
nat. Sumptum est enim de psalmo habente
in titulo, Pro torcularibus. Quo nomine prę
sentem Ecclesiam designari dubium nõ est,
vbi electi reproborũ tot scandala patiuntur,
vt iuxta Euangelicã similitudinem, quasi rete
tumultu piscium rumpi videatur. Quorum
schismata quisque cauent, dicit in offerenda: Psalm.35.
Benedicam dominum qui mihi tribuit intel- ℣.26.
lectum. Et in communione, Vnam petij à
domino, id est, non scissuras mentium, sed
vnitatem fidei.

Dominica sexta post pentecosten.
Caput VI.

DOminica sexta dicẽdo dominus in Eu-
angelio, Audistis quia dictum est anti-
quis, Non occides, ego autem dico vobis, &c. Matth.5.
manifestè nobis illam nouitatem necessari-
am inculcat, quæ passim in sacris cõmenda-
datur scripturis, vt renouemur spiritu men- Ephe.4.
tis nostræ, & exuentes veterem hominẽ, in-
duamus nouum eum, qui secundum deum
creatus est. Quod enim antiquis dictum est,
nos qui noui dicimur, in melius transcẽdere
debemus. Rectè ergò illa præmittitur lectio,
vt nouum hominẽ Christum indueremus,
dicente Apostolo: Quicunq; baptizati sumus Rom.6.
in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati su-
mus, &c. Dicẽdo itaq; vt nos in nouitate vitę
ambulemus, plus quàm illud, quod antiquis
dictum est, nos debere testatur. Cæteræ par- Psal.17.
tes officij, Introitus: Dominus fortitudo, gra Psal.33.
duale, Conuertere domine, offerenda, Per- ℣.16.
fice gressus meos, Ecclesiæ voces sunt, ad su-
pradictam perfectionem Euangelicam ten-
dentis, & auxilium implorantis, quia vera &
perfecta iustitia, nemo per se potest iustifica-
ri. Et cuius iustitia sic abundauit, vt iuxta idẽ
Euãgelium, si offert munus suum ad altare, Matth.5.
& recordatus est, quia frater suus habet ali-
quid aduersus eũ, relinquit ibi munus suũ, &
vadit priꝰ recõciliari fratri suo, ille est qui in
Cõmunione dicit: Circuibo & immolabo in Psal.26.
tabernaculo eius hostiam iubilationis.

Dominica septima post pentecosten.
Caput VII.

DOminica septima legitur hoc Euange-
lium, quo refecturus dñs cum dixisset:
Misereor super turbam, &c. hanc miseratio-
nis suę causam subijcit, dicens: Quidam enim Marc.8.
ex eis de longè venerunt. At verò hi qui de
longè venerunt, illos designant, qui à crimi-
nalibus peccatis, vel etiam à diabolorum cul
tura ad verum deum conuersi, iustitiam, à
qua ieiuni sunt, esuriunt & sitiũt. Benè ergò
illa lectio præmittitur, in qua talibus dicitur.
Cum eꝫ serui essetis peccati, liberi fuistis iu-
stitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in
quibus nunc erubescitis? nam finis illorum
mors est. Talibus dicit ecclesia mater in gra-
duali: Venite filij, audite me, &c. Et isti (quia Rom.6.
peccatores sunt) dicunt in offerenda: Sicut in

holo-

holocaustum arietum &c. Istis nihilominus
Psal.33. salutaris dicitur in Introitu: Omnes gentes
Psal.46. plaudite manibus, dicentes, quemadmodum
alibi refecti dixerunt: Verè hic est propheta,
Ioham.6. imò dominus prophetarum, qui vẽturus est
in mundum.

Dominica octaua post pentecosten.
Cap. VIII.

Matth.7. IN Euangelio dominicæ octauæ, Attendi-
te, inquit dominus, à falsis prophetis, qui
veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrin
secꝰ autem sunt lupi rapaces, & reliqua. Hoc
de omnibus quidẽ intelligi potest, qui aliud
habitu ac sermone promittũt, aliud opere de
monstrant, sed specialiter de hæreticis intel-
ligendum est, qui videntur continẽtia, casti-
tate, ieiunio, quasi quadam pietatis veste se
circundare, intrinsecus verò habentes ani-
mum venenatum, simplicium fratrum cor-
da decipiunt. Lectio epistolæ: Debitores su-
Rom.8. mus non carni, vt secundũ carnem viuamus,
consonat huic euangelio, quo dicitur: A fru-
ctibus eorũ cognoscetis eos. Nam & paulò
suprà dixerat Apostolus: Si quis autem spiri-
tum Christi non habet, hic nõ est eius. & nũc
ait: Quicunque enim spiritu dei aguntur, hi
filij sunt dei. Et facta carnis, de quibus ait: Si
autem spiritu facta carnis mortificaueritis,
viuetis, fructus sunt, ex quibus falsi prophe-
tæ cognoscuntur, à quibus filios dei discernit
spiritus dei, qui testimonium reddit spiritui
ipsorũ. Hic spiritus, illa misericordia est, de
Psal.47. qua in introitu cantamus. Suscepimus deus
1.Cor.3.6. misericordiam tuã in medio templi tui, id
Actor.2. est, in nobis ipsis, qui sumus templum tuum:
& hoc in medio, id est, manifestò. Manifestè
Psal.30. enim venit spiritus sanctus super Apostolos.
Huic (inquã) spiritui clamat ecclesia in gra-
Psal.17. duali: Esto mihi in Deum protectorẽ, & in
offerenda, Populum humilem saluum facies
Esai.66. domine, iuxta illud. Super quẽ requiescet spi
Matth.11. ritus meus, nisi super humilem & quietum?
Abscondit enim hæc à sapientibus & pru-
dentibus, & reuelauit ea paruulis. Vnde cõ-
Psal.33. gratulando dicitur eis in communione: Gu-
state & videte, quoniam suauis est dominus
mittitur, cõsonat, retexendo de illis, qui ma-
re transierant, & dona dei gustauerãt: & ni-
hilominus cõcupiscentes & fornicãtes, à ser-
pentibus vel exterminatore perierũt, & sta-
tim adiungendo: Itaq; qui se existimat stare,
videat ne cadat, &c. Nam quomodò & hi, li-
cet iã glorificati, perierunt, & ille villicus in
Euangelio gratiã domini sui habuerat, à qua
tamẽ excidit: sic & ꝑlatus quisque meminisse
debet, & scire se quoq; aut peccasse, aut si nõ
peccauit, eiusdẽ tamẽ fragilitatis esse, vt po-
tuerit, vel adhuc possit peccare, atq; de seipso
cõmonitus, recogitet infirmarũ se suscepisse
curam animarum, non super sanas tyranni- Psal.58.
dem. Introitus: Ecce deus adiuuat me, & gra Psal.18.
duale, Domine dominus noster, offerenda
quoque, Iustitiæ domini, voces sunt suprà Matth.6.
dicti villici, gratias referentis domino deo
suo, misericordibus misericordiam facienti Luc.16.
Communio verò, Primum quærite regnum
dei, idem imperat, quod illa domini senten-
tia de Euangelio iam dicto, Facite vobis a-
micos de mammona iniquitatis, &c.

Dominica decima post pentecosten.
Caput X.

Luc.19. DOminica decima legitur hoc Euange-
lium, quo dominus fleuisse refertur iu-
per ciuitatẽ Hierusalem. Qui & ingressus in
templum, cœpit eijcere vendentes in illo.
Notum est penè cunctis, tanq; in scripturis,
quàm in ore omnium satis vsitatum, per hoc
illud significatum esse, quod illos de eccle sia
sua dominus eijciat, qui sacros ordines emũt
aut vendunt, quia videlicet tales negociato-
res columbas quoque, id est, sancti spiritus
dona venalia faciunt. Itaque rectè & oppor-
tunè illa præmittitur Apostoli lectio, quę sa-
tis apertè indicat, non posse ab homine dari,
nedum vendi aliquid doni spiritualis, sed à 1.Cor.12.
solo spiritu dei diuidẽte singulis prout vult,
dari gratuitò, alij sermonẽ sciẽtiæ, alij sermo-
nem sapientiæ, alij genera linguarũ, alij fidẽ,
alij prophetiam, &c. Et qui huius, id est, san-
cti spiritus expectat electionem potius quàm
hominum, dicitur in Introitu: Iacta cogitatũ Psal.54.
tuum in domino, & ipse te enutriet. In domi
no, inquit, iacta cogitatum tuum, non in te-
ipso, dicendo quod alibi scriptum est: Domi- Psal.130.
ne non est exaltatum cor meum, neque elati
sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis,
neque in mirabilibus super me. Videlicet vt
Simon magus ille, qui Dei donum existima- Actor.8.
uit pecunia possideri. Et ipse te enutriet, in-
quit, dicentem scilicet quod in graduali ca-
nitur: Custodi me domine vt pupillam ocu-
li, sub vmbra alarum tuarum protege me,
ne superbiendo, & euagando, fiam sicut

abla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ablactatum super matre sua. Potius de vultu tuo iudicium meum, id est, electio mea prodeat, quàm ipse me commendem præsumptione mea. Idem in Offerenda dicit: Ad te domine leuaui animam meam, etenim vniuersi qui te exspectant, non confundêtur. His autem, qui ab hominibus expectãt vel emunt, dicit sapientia Dei: Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Et quòd talium sacerdotum sacrificium nõ acceptet Deus, quia sacrificio sunt iniustitię, monstratur per oppositum in communione: Acceptabis sacrificium iustitię &c.

Psal. 16. *Psal.* 24. *Prouer.* 20. *Psal.* 50.

Dominica vndecima post pentecosten.
Caput XI.

Luc. 18. DOminica vndecima ponitur hoc Euangelium: Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, &c. Cui manifestè consonat ea, quæ præcurrit, Epistolæ lectio: Notum vobis facio Euangelium. Nam exemplum publicani in Euangelio se accusantis & dicentis: Non sum dignus leuare oculos meos ad cœlum, optimè in hac epistola Paulus imitatur, dicens: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui nõ sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei, &c. Et quia talis hæc humilitas, vnitatẽ domesticorum Dei conseruat, vt non alius aduersus alium infletur, rectè hic introitus

1. Cor. 15.

Psal. 67. *Psal.* 27. *Psal.* 29.

præmittitur, in quo dicitur: Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Quodque in graduali dicitur, Et ex voluntate mea confitebor illi. Itemque in Offerenda, domine clamaui ad te, & sanasti me, vocibus concordat publicani à longè stantis, & peccata sua confitentis: & tali scilicet non pharisaicè glorianti, quòd decimas det omnium, quæ possidet, sed humilem confessionem, seipsum prius offerenti dicitur in communione, vt sua demum offerat: Honora dominum de tua substantia, &c.

Prouer. 3.

Dominica duodecima post pentecosten.
Caput XII.

OFficiũ dominicæ duodecimæ, quibusdam ex partibus ad illos respicit, qui surdum & mutum ad dominum adducẽtes, deprecantur eum, vt imponat illi manus: qui busdã autem ad ipsum mutum, adaperto ore rectè loquentem. Nam ille surdus & mutus, humanum significat genus, quod in primis parentibus ab audiendis præceptis creatoris obsurduit, & à prędicanda laude eius obmutuit. Qui autem illum adducũt, & dominum pro illo deprecantur, vniuersum prædicatorum significant chorũ, qui genus humanum ad Christi gratiam voce ac literis inuitare nõ desinunt. Et huius surdi ac muti valdè congrua vox est introitus hic: deus, in adiutoriũ meum intende, tanquam si medicata paralysi, quę linguam suam subitò ligauerat, primo ciusdem motu linguæ, Dei nomen repentè, ad adiuuandum inuocet. Idem ipse loquens, rectè dicit in graduali: Benedicã dominum in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo. Epistola, Fidutiam talem habemus per Christum ad deum &c. ad ipsos respicit, qui illum adducunt, fidutiam habentes non in seipsis, sed quasi à semetipsis, os vel aures eius aperire possint, sed sufficientia nostra ex deo est, &c Et pulchrè hæc offerenda ponitur, Precatus est Moyses Nã eius exẽplo, qui in tempore iracundiæ factus est recõciliatio, iratus enim erat dominus propter vitulum, quẽ fecerat Aarõ, & dixerat vt disperderet eos, eius (inquam) exemplo cuncti rectores sese debent opponere pro peccatis subditorum, & deprecari dñm, vt imponat illis misericordię manum. Et quia prædicatores ijdem, terra illa sunt, quæ (sicut in Psalmõ legimus) Satiata de fructu operum domini, id est, de donis Spiritus sancti, producit fœnum iumentis, id est, doctrinam carnalibus, qui Deum nesciebant, populis, rectè & hoc in cõmunione canitur: De fructu operum tuorum domine satiabitur terra.

Psal. 69. *Psal.* 33. *2. Cor.* 3. *Exod.* 23. *Psal.* 103.

Dominica tertiadecima post pentecosten.
Cap. XIII.

IN officio dõicæ tertię decimæ, cunctę partes ad illud de Euãgelio spectant, quòd Samaritanus ille, qui Dei interpretatur custos, scilicet dñs noster Iesus Christus, appropiãs hominì à latronibus despoliato, & conuulnerato, quem pertransierant sacerdos & leuita, id est, omne vetus instrumentũ, qui quòd reconciliari nõ potuit genus humanum, appropians inquam, id est, nostram humanitatem assumens, oleum cõsolationis, & vinum pœnitentiæ peccatorum plagis infudit, & imponens super iumentum suum, id est, in corpore suo, peccata nostra perferens super lignum ad stabulum ecclesiæ perduxit, & abiẽs in cœlum, stabularijs suis, id est, Apostolis & apostolicis viris, vice sua curam atque prouidentiam nostri contradidit. Huic, vt dictum est, Euangelio cæteræ concurrunt partes officij. Primùm epistola, Abrahæ dictę sunt promissiões & semini eius, per hoc quod tali Euangelio præmittitur, multum ad intelligendum aperitur ipsa, si mulq; tota penè disputatio Pauli ad Galatas, vndè hæc lectio sumpta est. Nam per hoc quòd tam sacerdos quàm leuita viso homine illo præteriuit, innuitur, quid lex contulerit, quæ post quadringẽtos, & triginta annos data est, à testamento Dei, cum

Luc. 10. *Galat.* 3.

cum fideli Abraham per repromissionẽ cõfirmato, videlicet quia non quidem ipsa aduersus promissa Dei, sed nulli iustificari potuit coram deo ex operibus eiusdem legis. In hoc itaq; intelligimus per hoc, quòd (vt dictum est) tam sacerdos quàm leuita, viso homine præteriuit. Quia hc subintrauit lex, quomodo medici puer ad ægrotũ nonnunquam ingreditur, morbi quidẽ causas sciens, sed quod opponat antidotum, conficere nõ valens, tantumq; hoc ægroto dicere nouit, quibus ab escis vel potibus abstinendum sit, ne morbus inualescat, & de semiuiuo penitus mortuũ reddat. Hoc nãq; illud est, quod in prædicta Epistola dicit Apostolus, Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, &c. Plagis nanque originalis peccati semiuiuus homo nascitur. Actualibꝰ verò trãgressionibus, propter quas lex posita est, si non abstineat, tanquam noxijs cibis penitus mori tur. Itaque secundum hæc benè in Introitu præmittitur, Respice domine in testamentũ tuum, quod in graduali repetitur. Vox enim hæc erat antiquorum, aduentũ Christi ad infirmitaté vel imperfectionem legis flagitantium, tanquam si prætereuntibus sacerdote & leuita, Samaritanũ supradictum vulneratus ille postulat appropiare, cui & dicat illud, quod canitur in Offerẽda: In te domine speraui, &c. Et quia corpus Christi, quod sumimus, illa specialiter curat vulnera, benè & illud de libro Sapientiæ canimus in communione: Panem de cœlo dedisti nobis.

Psal. 73. *Psal.* 30. *Sapien.* 16.

Dominica quartadecima post pentecosten. Cap. XIIII.

Luc. 17. IN Euãgelio dñicę quartędecimę, decẽ viri leprosi à domino mũdati referuntur, & vnus tantum ex eis vnicæ Ecclesiæ figuram gerens, cęteris ingratis existentibus, qui hæreticorum typum præferunt, reuersus & gratias agens, de fide sua, qua saluus factus est, ab eodem domino laudatur. Eiusdem ecclesiæ, quæ per illum vnũ significatur, vox est illa in Introitu. Protector noster aspice Deus, maximè quod ait: Quia melior est dies vna in atrijs tuis super milia. Nã idẽ est ac si dicat: Melius est cor vnum & animam vnã habere, & idipsum sapere ac dicere, quàm diuersis, imo cõtrarijs sensibus diuidi, & schismata facere. Quod obseruans sancta ecclesia, & ideo vna columba dicta, benè per illũ vnũ (vt dictũ est) in Euãgelio figuratur. Epistola verò in eo prędicto Euangelio cõgruit, quòd patenter exprimit, quid per illorum leprã signi ficatũ sit, cùm dicit: Manifesta aũt sunt opera carnis, q̃ sunt, fornicatio, immũditia, luxuria &c. inter quæ sectæ, id est, hęreses ponuntur. A quibus emundata ecclesia, dicit, gratias agens in graduali, Bonum est cõfidere in domino, &c. videlicet quia non homo, nõ principes sacrificiorum carnalium, de quibus dixit eisdem leprosis dominus, peccatorum leprã tollere possunt, sed solus dominus. Quod autem in offerenda dicitur: Immittet angelum dominus in circuitu timentiũ eum, & eripiet eos, gustate & videte quoniam suauis est dominus, ad fructus illos spectat, qui exprimuntur in epistola: Fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, &c. quos gustare, est à lepra supradicta curari. Et quia præcepit dominus illi, qui gratias egit: Vade & offer munus, quod præcepit Moyses in testimoniũ illis, benè in cõmunione canimus: Panis, quẽ ego dedero, caro mea est pro mũdi vita, videlicet quia caro & sanguis munus est, quod pro emũdatione sua iugiter offert vnica ecclesia Christi.

Psal. 73. *Psalm.* 17. *Psal.* 33. *Matth.* 8. *Ioan.* 6.

Dommica quinta decima post pentecosten. Cap. XV

OFficium dominicę quintædecimę, si rectè animaduertitur, claret, quia maximè aduersus excellentiam & inanem gloriã decãtatur. Nam ad hoc pertinere illud, quod in huius dominicæ Euangelio Matthęus ait: Nolite soliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, &c. Lucas testatur, qui, cum eadem diceret, adiecit: Et nolite in sublime tolli. Et quidem secundum eundem Lucam, ante hæc verba dominus parabolam de diuite stulto, cuius ager cũ huberes illi fructus attulisset, & dixisset ipse: Destruam horrea mea & maiora faciam, & dicã animę meę: Anima, habes multa reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare: ait ad eum deus: Stulte, hac nocte repetunt animã tuam à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Igitur aduersus diuites, quibus præcipiẽdum est, non superbè sapere neq; sperare in incerto diuitiarum, hoc in Euangelio supradicto præcipitur: Nolite soliciti esse, & cæt. Cui & consonat præcędens epistola, in eo quod ait: Nõ efficiamini inanis gloriæ cupidi. Et rursum: Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Et qui seminat in carne, de carne & metet corruptionẽ. Eius itaque, qui hoc præceptum fideliter amplectitur, illa vox est in introitu ad patrem nostrũ, qui scit omnia quibus indigemus, sicut in eodem Euãgelio dictum est: vox, inquam, illa: Inclina domine aurem tuã ad me, vox est pauperis, de manu dei primũ regnũ dei, & iustitiam eius, & dein de necessaria corporis, quæ adijcienda sunt, humiliter quærẽtis. Qui & in graduali eodẽ

Matth. 6. *Luc.* 12. *1. Tim.* 6. *Galat.* 6. *Psal.* 85.

Universidad de Deusto
Biblioteca

respectu ait: Bonũ est cõfiteri domino, id est,
Psal.91. necessaria quęrere à dño, & in ea spe psallere,
id est, benè opari nomine tuo, id est, ad hono
rẽ nominis tui altissime, Ad annũtiãdũ mane
misericordiã eius, id est, primũ quærere reg-
num dei, & iustitiã eius. Ipse idẽ gratulabun-
Psal.39. dus, quòd necessariũ à patre victũ acceperit,
narrat in Offerẽda alijs, dicẽs: Expectãs expe
ctaui dominũ, id est, nõ aliũdè sed à homino
quęrens eius regnũ, expectaui quę adijciẽda
sunt, & respexit me, id est, adiecit quæ neces-
saria sunt huic vitę. Cõmunio clarè exprimit
Ioban.6. cibum eiusdẽ regni Dei, qui primũ quęrẽdus
sit. Qui manducat carnem meã & bibit san-
guinẽ meum, in me manet, & ego in eo. quod
est enim regnũ Dei, nisi mãsio eius in nobis?
Hoc aũt vt maneat in nobis, fit manducando
carnẽ eius, & bibendo sanguinẽ eius. Vnde
& hoc in communione rectè ponitur.

Dominica decima sexta post petecostẽ.

Caput XVI.

Luc.7. DOminica sextadecima legitur hoc Euã
gelium, quò dominus flenti viduæ ma-
tri mortuum vnicum filium viuũ reddidit,
& accepit omnes timor, & magnificabant de-
um. Hęc autem vidua sanctam significat ma
trem ecclesiã, id est, vniuersum prælatorum
ordinẽ, qui regenerandarum in Christo curã
habent animarum, qui mortẽ cuiusq; animę,
quoties manifestis apparet criminibus, mag-
nis prosequuntur fletibus. Moritur enim tũc
filius viduæ, quando quis per crimẽ aliquod
separatur à corpore ecclesiæ, quæ vidua est,
Christo sponso in præsenti nõ manente cum
illa Huic ergo Euangelio benè illa pręmitti-
Ephes.3. tur Apostoli lectio: Fratres obsecro vos, ne
Galat.4. deficiatis in tribulationibus meis, pro vobis,
quæ est gloria vestra. Huius rei gratia flecto
genua mea, &c. qui ait: Filioli mei, quos ite-
rum parturio, donec formetur Christus in
vobis, pulchrè in officio personã verbis quo-
que exprimit ecclesiæ viduę, vitam filiorum
Psal.58. magnis gemitibus postulantis. Introitus, mi-
Psal.70. serere mihi domine, quoniam ad te clamaui.
Itemq; Offerenda: Domine in auxilium me-
um respice. Voces huius viduę scilicet sanctę
matris ecclesiæ sunt, quas emittere debet pro
filiorum suorum, qui fortè in mortem pecca
Psal.101. ti prolapsi sunt, resuscitatione. Graduale ve-
rò: Timebunt gentes nomen tuum domine,
Luc.7. ad hoc cõsonat, quod dictum est in prędicto
euangelio: Accepit autem omnes timor. Nã
quomodo ędificat dominus Sion, iuxta eiusdẽ
gradualis versum, nisi procurãdo vitam
& incolumitatem animabus spiritualiũ eius
filiorum? Quod quia perficit per cibum cor-
poris & potum sanguinis sui, rectè in cõmu-
nione ponitur gratiarum actio, eadem vidua
Psal.72. scilicet sancta ecclesia dicente: Domine me-
morabor iustitiæ tuæ solius, &c.

*Dominica decima septima post pentecos-
ten. Cap. XVII.*

IN officio dominicæ septimædecimæ no-
bis innuitur, qualiter ad hoc cõtendere de
beamus, vt in oculis domini magni & hono-
re digni iudicemur, & in domo, quæ est eccle
sia, primos recubitus, non nostra præsum-
ptione præripere, sed ab eius electione expe-
ctare debeamus. Dicitur in euangelio huius
dominicæ parabola hęc: Cum vocatus fueris
ad nuptias, non discumbas in primo loco,
&c. videlicet, hoc in suo cœlesti conuiuio fu-
turum esse indicãs, quod ad vltimum infert:
Luc.14. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, &
qui se humiliat exaltabitur. Hinc est, quod
in præeunte epistolæ lectione Apostolus ait:
Ephes.3. Obsecro vos ego vinctus in domino, vt di-
gnè ambuletis vocatione, qua vocati estis,
Phil.2. &c. Quod vtique idem est, ac si diceret: Ob-
secro vos, vt vocati ad nuptias Christi & Ec-
clesiæ, sic intretis & discumbatis, quomodo
& ille qui vos vocauit, qui & dixit: Ego au-
Luc.22. tem in medio vestrũm sum, sicut qui mini-
strat. Et tãdiu ministrauit, donec diceret illi
pater: A mice, ascende superius, id est, donec
obedięti vsq; ad mortẽ, daret illi nomẽ quod
est super omne nomẽ. Introitus: Iustus es do
Psal.102. mine, manifestè illã collaudat sentẽtiam, qua
in Euãgelio dicitur: Omnis qui se exaltat, hu
miliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Si-
mulq; oratio est pro illo, qui se humiliat: Fac
Psal.32a cum seruo tuo secũdum misericordiam tuã,
hanc videlicet misericordiã, vt dicas illi, ami-
ce, ascẽde superius. Graduale: Beata gens, cu-
ius est dominus Deus eius, vniuersalis bea-
tificatio populi gentilis, qui superbiente Iu-
daico populo, humiliatus sub signo crucis
Christi, superius ascendere meruit, id est, su-
pra populum illum, qui primo loco confede
rat, imò de primo confessu superbiebat. In
Offerenda exemplum ponit efficacissimum,
Danie.9a qui cum humiliatus diceret, peccauimus, ini-
quitatẽ fecimus, impiè gessimus, &c. meruit
ita exaltari, vt cùm oraret, sicut in eadem Of-
ferenda ipse testatur, dicens: Oraui deũ meũ
ego Daniel, &c. mitteretur illi index futuro-
rum archangelus Gabriel, sicut habet sequẽs
versus: Adhuc me loquẽte, &c. Per illam nan
que visionem sic exaltatus est, vt nõ tantum
vẽturum ad salutem nostrã Christum pręui-
deret (quod cęteris prophetis commune est)
sed & tempora aduentus eius propria qua-
dam gratia prædisceret, dicente sibi angelo:
Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt
super

super populum tuum, & super vrbẽ sanctã
tuam, & consumetur præuaricatio, &c. Cõ-
munio quoque: Vouete & reddite domino
Psal.75. Deo vestro, in eo maximè imperare videtur
vt in nouissimo loco recumbamus: quod ait
terribili, & ei qui aufert spiritum principum,
id est, superborum, quos vtique vel conuer-
tendo, vel dejciendo factis ipsis dicit cuique
illorum: Da huic locum.

Dominica decima octaua post pentecostẽ.

Caput. XVIII.

SVpradictum ergo officium hoc innuit, vt
ad nuptias Christi quilibet inuitatus, tali
in loco recũbat, vt meritò dicatur ei: Ascen-
de superius. Huius autem sequentis domini-
cæ officiũ, magna & mira declamatione de-
monstrat eidem, qui vocatus est superius, id
est, prælatus est domui Christi, & curam ani
Matth.25. marum suscepit, qualiter in eodem superio-
ri loco se habeat, videlicet ne iuxta Euange-
lium eiusdem officij, sint sicut scribæ & Pha-
risæi, qui sederunt super cathedram Moysi:
sed sint sicut ipse Moyses, de cuius exemplo,
quod Ecclesiastici sequi debeant rectores,
longa & valida declamatio est in offerenda,
Sanctificauit Moyses, & versibus eius. Non
enim ignorare debẽt animarũ rectores, qua-
le ad negotiũ in superiorẽ locũ vocati sunt,
scilicet vt non tã prędesse studeant, quàm pro-
desse, & sedentes in cathedra Moysi dicãt &
faciant, imo prius faciant, quod cum autori-
tate dicãt: neque velint vocari Rabbi, sed ad
hoc tendãt, vt portare possint peccata popu-
li, & à subditis suis auertere irã Dei. Benè er-
go cum hoc Euangelio positum est in offerẽ
da exemplum Moysi, qui sic sedit in cathe-
dra magisterij, vt per nimiam humilitatẽ pos-
set interuenire pro subditis, imo & tenere
deũ dicentẽ: Dimitte me, vt irascatur furor
Exod.32. meus contra eos. Fecerant enim vitulũ (quã-
Luc.12. do sicut in versu Offerendæ canimus.) Vi-
dens Moyses, procidẽs adorauit, dicens: Ob-
secro domine, dimitte peccata populi tui, &
Eccle.36. dixit ad eum dominus: Faciam secundũ ver-
1.Cor.1. bum tuum. Hęc est fidelitas serui, quem cõ-
stituit dominus super familiã suam, quã po-
stulabant ipsi, dicẽtes in introitu, vt prophe-
Psal.121. tæ tui fideles inueniantur: Da pacẽ, inquiunt,
domine sustinentibus te, id est, eorum quos
nobis commisisti, peccata dimitte. Pax enim
Dei, peccatorũ remissio est. Vt prophetæ tui
Psal.95. fideles inueniãtur, vt nos fideles serui inue-
Psal.105. niamur, dum familiæ tuę tantum præsumus,
sed & vtiliter pro illis interueniendo prosu-
mus. Talibus in præsente lectione epistolæ
Ephes.4. dicit Apostolus: Gratias ago Deo meo pro
vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis, quo-
niam in omnibus diuites facti estis, &c. Ipsi
ijdem dicunt in graduali: Fiat pax in virtute
tua, id est, remissio peccatorũ in spiritu san-
cto tuo. Ipsis nihilominus in cõmunione di-
citur: Tollite hostias, & introite in atria eius,
videlicet quia vestrũ officiũ est, vt pro subdi
tis interueniatis, exemplo Moysi, in confpe-
ctu domini stantes in confractione cordis.

Dominica decima nona post pentecostẽ.

Caput XIX.

IN Euangelio dominicæ nonædecimæ ait Matth.9.
dominus paralytico, cõfide fili, remittun-
tur tibi peccata tua. Et his qui audierant co-
gitantibus mala in cordibus suis, & dicenti-
bus, Blasphemat, & cætera: vt sciatis, inquit,
quia filius hominis habet potestatẽ in terra
dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge,
tolle lectum tuum, & vade in domũ tuã.
Per hũc aũt paralyticũ significatur homo dis
solutus, & ab omni bono opere remissus, qui
cũ à domino curatur, & iuxta præeuntẽ epi-
stolam renouatur spiritu mentis suæ, cõplet
Apostolicum præceptum, quod in eadẽ Epi-
stola sequitur: Qui furabatur, iam non fure-
tur, magis autẽ operetur manibus suis, vt ha-
beat vnde tribuat necessitatem patiẽti. Nam
quandiu paralysi erat dissolutus, nihil boni
operabatur, imo labores operantium furaba
tur. Qualiter ergo prælati vel rectores ani-
marum salutem procurare debeant subdito
rum, sicut in præcedenti officio dictũ est, hoc
sequens exprimit officium. Nam ipsorũ est,
offerre paralyticum in lecto iacentem, id est,
orare pro his, quorum peccata animas in ma-
la conscientia à bono opere torpentes deti-
nent, & ita pro eis interuenire, vt videns do-
minus fidem illorum, dicat: Confide fili, re-
mittuntur tibi peccata tua. In introitu, dum
dicit dominus: Salus populi ego sum, hoc idẽ Psal. 140.
nobis de seipso testatur, quod & in euange-
lio iam dicto murmurantibus pharisæis, cu-
ratione paralytici comprobatur, videlicet,
quia potestatem haberet in terra dimittendi
peccata. In graduali verò iam curatus idem
paralyticus, iamque laborans operãdo quod
bonum est manibus suis, quæ prius dissolutę
fuerãt, dicit: Eleuatio manuum mearum. Et Psal. 22.
hoc experimento virtutis confortatus in fi-
de, & fidens in remissione peccatorum con-
sequenda, dicit in Offertorio, Si ambulaue- Psal. 118.
ro in medio tribulationis, &c. Itemque robo
rans genua, dissoluta quondam, dicit in com
munione: Tu mandasti mandata tua custo-
diri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad
custodiendas iustificationes tuas.

Dominica vicesima post pentecostẽ.

Caput. XX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

OFficiũ dominicę vicesimæ partim ex vocibus cõstat eorũ, qui ad nuptias in-
Matth. 22. trauerunt, partim ex vocibus patrũ gementiũ pro illis, qui ad nuptias easdẽ vocati, quas fecit rex filio suo, non solum venire noluerunt, sed & illos, qui à se missi sunt, seruos tenuerunt, & contumelijs affectos occiderunt. Hoc enim priores fecisse Iudæos notum est, qui missos ad se prophetas & sapiẽtes persecuti sunt, & apostolos Christi contumelijs affecerunt. Hos igitur homicidas iustè perdendos, & ciuitatẽ illorũ subuertendã prophetæ
Dan. 3. puiderũt, quorũ illa vox est, q̃ in introitu ex verbis Danielis decãtatur Omnia quę fecisti nobis domine, in vero iudicio fecisti, &c. Itẽ
Psal. 136. in offerẽda: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus. In hac enim seu in versibus eius hoc deplorãt, quod ad salices Babylonis organa sua suspẽderũt. i. propter infructuosos & steriles auditores, prædicantiũ voces cõticuerũt, propter eos, inquam, qui vocati ad nuptias, vt dictũ est, venire noluerũt, quia nõ fuerũt digni. In lectione verò Epi-
Ephes. 5. stolæ eos, qui de exitibus viarũ congregati sunt, vt implerẽtur nuptiæ discũbentiũ, Paulus apostolus oportunè cõmonet, dicẽdo: Videte, quomodò cautè ambuletis, nõ quasi insipientes, sed sapiẽtes, &c. hoc videlicet intẽdens, ne inebriatus vino, in quo est luxuria, inueniatur quis absq; veste nuptiali, cum rex ad videndos discũbentes intrauerit: sed ecõtrà impleamini spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis & hymnis & cãticis spiritualibus, q̃ verę harũ sunt epulę nuptiarũ,
Psal. 144. de quib. in sequẽti graduali gratias agẽtes dicimus: Oculi omniũ in te sperãt domine, &c.
Psal. 118. vel quas in cõmunione postulans qs nostrũ dicit: Memento verbi tui seruo tuo domine.

De dominica vicesima prima post pentecosten.
Caput. XXI.

OFficiũ dñicę vicesimę primę voces cõtinet hominis, in cõflictu virtutũ vitiorumq; positi, qui interdũ, cùm cœperit sanctis florere virtutibus, & iuxta benedictionẽ
Psal. 127. hominis timentis deũ vxor illius, videlicet domus dei, cui fortè præsidet, sicut vitis abundans excreuerit in lateribus domus suæ. i. in amplitudine sanctæ ecclesiæ, & filij eius, sicut nouellę oliuarũ in circuitu mẽsæ suæ: cũ, inquã, ita profecerit, repente tentator diabolus occulta dei dispẽsatiõe permissus, domũ, id est, conscientiæ eius statũ concutiens euertit, & filios eius, id est, virtutes animi, turbata in cognitione cõsciẽtia, penè cõterit. Hoc
Iob. 1. luce clarius ex offerẽda cõprobatur. Vir erat in terra nomine Iob. Moraliter enim in eiusmodi homine agũtur ea, quę in tẽtatione hu-
ius beati Iob historialiter acta memorantur: Huius ergo nobilis & prælatoris animi concussionẽ, vel periculũ significat in Euãgelio *Ioham. 4.* febris, quę penè extinxerat Reguli filiũ. Præcurrẽs autem Epistola cõfortat eum circumuentum tentationibus, & cõsolatur, ne abũdantiori tristitia absorbeatur, dicendo: Con- *2. Cor. 2.* fortamini in domino, & in potentia virtutis *Ephes. 6.* eius. Nõ enim est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, &c. Introitus autẽ: In vo- *Hest. 13.* luntate tua domine, &c. vox est eiusdem militis, humili cõscientia cum beato Iob in terram corruentis, id est, terrã se esse cognoscen- *Iob. 1.* tis, ac dicentis: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Post quam cõfessionem petit circunfusus, è tentatione effu- *Psal. 89.* gium, dicens in graduali: Domine refugium factus es nobis. Et in communione: In saluta- *Psal. 118.* ri tuo anima mea, & verbum tuum speraui.

De dominica vicesima secunda post pentecosten.
Caput XXII.

IN officio dominicæ vicesimæ secũdæ dici *Psalm. 129.* mus ad introitum: Si iniquitates obseruaueris domine dñe quis sustinebit. Nimirũ in *Matt. 18.* pſona serui illius, de quo Euãgeliũ narrat, semetipsum quisq; nostrũ humiliter recognoscit, qui decẽ milia talenta suo debebat regi, procidẽsq; rogabat, dicẽs: Patiẽtiam habe in me, & omnia reddã tibi. Itaq; magnitudinem debiti, id est, peccati sui quisq; nostrum perpendẽs, dicit: Si iniquitates obseruaueris domine, &c. Vt aũt laxationẽ quisque nostrum obtineat, agendum est, quod dicit Paulus in *Phil. 2.* præeunte epistola: Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, & cætera, subauditur enim, vt remittatis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris. Vbi verò charitas hæc abundat, sicut iam dictũ est, rectè congratulatio illa depromitur, secũdum quã in graduali dicimus: Ec- *Psal. 132.* ce quàm bonũ & quàm iucundum, habitare fratres in vnũ. Et si queras, quantũ, vel quale bonum sit vnitas, id est, charitas fratrum cohabitantium, sequitur in Versiculo: Sicut vnguentũ in capite, & cætera: id est, sicut remissio peccatorum effusa per spiritum sanctum, quæ de capite nostro scilicet Christo descendit ad Barbam Aarõ, id est, in fortes & perfectos Christi Apostolos, & ab illis vsq; ad nos. Tũc enim cohabitatio fratrũ est, sicut illud vnguentum, cùm donamus inuicem, si quid habemus aduersus alterutrum, fratres & cõserui, sicut Euãgelicus rex Christus donauit nobis. Mandauit nanq; benedictionẽ, id est, *Matth. 18.* eandẽ remissionis charitatẽ, vt donemus inuicem: & vitã vsq; in seculum, subaudis, fore *Psalm. 132.*

promi-

promisit huius charitatis præmium. In offe- *Hest. 14.* rẽda verò, Recordare mei domine, quæ sum pta est de oratione Hester, cõmonemur sum mopere curandum esse & orandum, vt placeant verba nostra in conspectu principis, scilicet eiusdem regis magni, qui posuit rationẽ cum seruis suis, verba, inquam, nostra dicen- *Matth. 6.* tium: Dimitte nobis debita nostra. Nõ enim placebunt hęc verba nostra in cõspectu principis, cùm ille rationẽ posuerit, si non dimittimus & nos debitorib. nostris. Quod aũt caninus in cõmunione ex autoritate Euãgelij: *Luc. 13.* dico vobis, gaudiũ est angelis dei super vno peccatore pœnitentiã agẽte, de illo sentiendũ debitore, qui sic pœnitet, & sic sibi postulat dimitti, vt primũ dimittat ipse conseruis suis.

De dominica vigesima tertia post pentecosten. Caput. XXIII.

1. Tim. 2. INtantũ sacrosancta ecclesia iuxta edictũ Apostoli, obsecrationes, postulatiões, gratiarum actiones, pro omnibus agit, vt pro futura quoq; filiorum Israel salute gratias agat, quos suo quandoque corpori vniendos fore *Rom. 11.* cognoscit. Nam quia in fine mundi reliquiæ illorum saluæ fient, in hoc vltimo anni officio gratulatur de illis, vtpote futuris mẽbris suis. Dicit ergo in introitu, annuncians iugi- *Hier. 29.* ter quod prophetatum est de illis: Dicit dominus, ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Pacis enim cogitationes cogitat, & non afflictionis, qui conuiuium gratię sue facturum se repromittit cum illis secundum carnẽ fratrib. suis, sicut in patriarcha Ioseph præfiguratum est. Nam sicut ad illum in tota *Gene. 23.* terra Aegypti dominantem venerunt, qui eum vendiderant fratres sui, fame compulsi, & ab eo recogniti atq; recepti sunt, & ipse cũ illis celebrauit cõuiuium: sic ad ipsum dominum nostrum, toti mundo principantem, & Aegyptios, id est, gentiles, qui in peccatorum tenebris fuerant, pane vitæ copiosius alentẽ, reuertentur reliquiæ filiorum Israel, & ab eo recipientur in gratiam, quem negauerunt & *Iohan. 6.* occiderunt & tunc mensam suam cõmunicabit eis, & inebriabitur Ioseph iste cum fratribus suis. Huius mensæ gratiam signat illud Euangeliũ in officio dominicæ, quo ipse narratur de quinq, panibus saturasse quinq; milia hominũ. Tunc enim quinq; libros Moysi aperiet Iudęis, quos nunc velut integros panes portat puer, scilicet idem populus sensu puerili, edẽtque & saturabuntur etiam ipsi & laudabunt dominũ requirentes eum. Tunc *Hiere. 23.* implebitur illud Hieremię vaticinium, quod hoc Euangelio rectè prẽmittitur: Ecce venient dies, dicit dominus, & non dicent vltrà viuit dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti: sed viuit dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc, & habitabunt in terra sua. Soluti ergo illi, qua nunc tenentur, captiuitate animarum, clamabunt alta deuotiõe gratiarum actionẽ, *Psal. 43.* quam sequens innuit graduale: Liberasti nos domine ex affligentibus nos, &c. Supplicatio *Psal. 129.* quoq;, qua dicimus in offerẽda, de profundis clamaui ad te domine, eidem rei vel tempori manifestè cõgruit. Dicent enim ad hunc magnum Ioseph, fratres sui in illa die: Obsecra- *Gen. 50.* mus vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum. Communio quoq;: Amen dico vobis, quic- *Mar. 11.* quid orantes petitis, & cætera: responsio est eiusdem Ioseph, dicentis: Nolite timere: Vos cogitastis de me malum, & Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Nolite metuere, ego pascam vos & paruulos vestros.

Item de nocturnis lectionibus per æstatem. Caput. XXIIII.

NOcturnæ lectiones tota æstate sua varietate suoque ordine seriem designãt temporũ vel profectum sanctę ecclesiæ. Primùm nanque historia Regũ, quę statim post pentecosten ponitur, primis duob. libris mysticè assimilatur primis Christianitatis tẽporibus, quando paulatim crescente fide Chri- *1. Reg. 8.* sti, vetus idololatria decidit. Nam sicut regnã- ti Sauli, quem populus appetierat contra vo- *2. Reg. 24.* luntatem dei, superuenit electio Dauid, quẽ dominus secundum cor suum inuenisse dicit, tandemq; totum regnum à domo Saulis euersum, eidẽ Dauid le subdidit: sic dęmonũ cultui superuenit in mundũ cultus Dei, statim post aduentũ spiritus sancti, tandemque Christiana fides per bella martyrum victrix, sedit in throno Romani imperij, totusq; deinceps mundus manu forti, Christo se subdidit. Duobus sequentibus libris, in quib. regnũ diuisum est à domo Dauid, ex quo Hie- roboam regni scissuras (sicut illi per mannm Achiæ Sylonitis significatum est) inuasit, & *2. Reg. 12.* contẽpto templo domini duos vitulos fecit: illa significabantur tempora, quibus ecclesiã hæreticorum insania scidit, & cõtempto altari Christi, reiecto cultu veritatis, falsitatum suarũ simulachra diuersa fabricauit. Sequuntur deinde libri sapiẽtissimi Salomonis, vide licet sicut post pugnas hęreticorũ claruerunt in ecclesia ingenia doctorũ, qui excitati contentionibus illorum, nõ dormitãtes, sapientiæ & sciẽtiæ studuerunt, & disputauerũt quo dammodo, & ipsi, sicut de Salomone legitur, super lignis à cedro, quæ est in libano, vs-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que ad hyſſopum, qui egreditur de pariete, id eſt, nihil omnino de ſacra ſcriptura, nec paruum, nec magnum aliquod verbũ ab allegoria vel aliqua vtili moralitate vacare paſſi ſunt. Deinde nihilominus congruè ſequitur liber Iob, quia videlicet maximè in pace Eccleſiæ non deſunt illæ tentationes viris ad virtutem tẽdẽtibus, quæ in omnibus percuſsionibus, vel conſolationibus eiuſdẽ ſancti Iob, autore beato Gregorio, moraliter figurantur. Tunc enim vrgent interius tẽtationes ſpiritualium vitiorũ, quorum quanto occultior pugna, tanto difficilior victoria. 3. Reg. 4.

Item de nocturnis lectionibus à menſe Septembri. Caput. XXV.

ABhinc iam menſe Septembri, quatuor imponuntur libri, videlicet Tobias, Iudith, Heſter & Eſdras. Quorum conſideratio quàm congruè quatuor cardinales virtutes, prudẽtiam ſcilicet, fortitudinem, temperãtiam, & iuſtitiam exprimat, palàm eſt. Tobias quippè in figura prudentiæ non inconuenienter accipitur, qui cæcatis oculis exterioribus, videnti filio mandata viuendi largitur, vt illud Salomonis impleatur. Sapientis oculi in capite eius. Per caput enim mentis induſtria, per oculos verò intelligitur prouidentia, quę idẽ eſt, quod prudẽtia. Benè ergo prudẽtiæ titulo præfulget, qui menti illius munimẽ prouidet, cuius ducatu ipſe foris eget. Iudith verò fortitudinis ſpeciẽ in hoc nimirũ prætendit, quod formidantibus viris bellicoſis, immaniſsimo tyrãno pro liberatione patrię ſe oppoſuit, & principẽ militię fœmina inermis dei adiutorio ſuperauit. Fortitudo enim eius à deo fuit, ſicut ipſa in oratione dicit: Et nũc domine ſubueni mihi viduę, vt quod per te poſſe credidi, perficiã. In quo quàm verè fortis fuerit, caput Holofernis, ebrietate ſopiti, amputatura ipſius pugione, oſtendit dicẽs: Cõforta me deus meus in hac hora. Et præcidit caput eius. Verũ hæc duo volumina apud Hebræos nõ ſunt in canone, ſed Nicænæ ſynodi autoritate ad inſtructionem venerunt ſanctæ Eccleſiæ. Eccle. 2. Iudith. 9. Heſt. 14.

Heſter autem pro temperantia ponitur, quæ repudiata ob arrogantiã Vaſthi regina, in regnum ſubrogatur. Nã ipſius temperantiæ hoc indicium eſt ſpeciale, quòd leonem illum, de quo ipſa ad dominum dicit: Et da mihi gratiam in conſpectu leonis, id eſt, Aſſueri regis, in manſuetudinem cõuertit, eiuſque edictum ex inſtinctu Aman intemperãtiſsimè ſuperbiẽtis, & genus Iudæorum perdere cupientis, in conſolationem ſuæ ſtirpis tranſtulit.

Eſdras autem, qui hic adiungitur, priuilegium iuſtitiæ in verbis & factis habere demõſtratur. Nã ſicut iuſtitia reſtituit, quod iniuſtitia deſtruxit: ſic iſte dirutũ propter peccata populi templũ cum ciuitate reſtaurauit. Idem quoque ſicut in duo volumina diuiſus vnitur (nam Neæmias ei in eodẽ copulatur) ſic iuſtitiæ duo præcepta ſibi cõueniunt, ſcilicet quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis, & quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Hi itaque quatuor libri, prędictis virtutibus inſigniti, rectè librum Iob, qui afflictiones ſanctæ eccleſiæ, beato Gregorio teſte, exprimit, ſequuntur, quia poſt tentationes validè ſuperatas gloria virtutũ electis datur. Matt. 7.

Sed quia quandiu in hoc mũdo à domino peregrinamur, inter virtutes vitiorum bella patimur, eueſtigiò Machabęorum libri legũtur, in quibus magnus ille hoſtis Antiochus cõtra iuge ſacrificiũ ſualere refertur, deiq́ue martyres perſequitur. Qui tamẽ Iudæ & fratrum eius labore vincitur, quia confeſsione operum malorum cum exercitio operũ bonorum aliquando deo donante ſuperatur. 1. Cor. 5. 2. Mach. 4.

Poſt, prophetarum libri vſque in aduentũ domini concrepant, qui modò terrorem diſtricti iudicis, modò blandimenta pij conditoris prędicant. Ex his Ezechiel, qui interpretatur fortitudo Dei, Daniel, q ſonat iudiciũ dei, maiores & primi ſunt, quia ſpes quæ ex fortitudine diuini auxilij, & metus, qui eſt ex iudicijo dei, mentẽ æqualiter docent præſentibus vti, ne aut deo deſperans deficiat, aut in ſe præſumẽs corruat. De reliquis duodecim prophetis, in vnum volumen coartatis, loqui ſuperſedemus, quia à ſanctis patribus de his copioſe diſputatum ſcimus. Ideo autem vſque ad aduentum domini leguntur, vt inter tenebras & cõflictus huius ſeculi, vſq; ad reditum Chriſti, ſcripturę nos illuminent & conſolentur. Per eundem dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Rom. 15.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS, ANTE QVADRINGENTOS annos defuncti, de Diuinis officijs, libri duodecim, Apud hæredes Arnoldi Birckmanni, iam quintò in lucem editi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca